


DECRETORVM CANONICORVM COLLECTANEA:

EX DIVITE ILLA SCRIPTOrum ecclesiasticorum, summorum Pontificum, Conciliorumq́ oecumenicorum supellectile, D. GRATIANI *labore cōcinnata, & in suas classes digesta.*

PRAEFIXA sunt ab Antonio DEMOCHARE singulis fere distinctionibus & causarum quæstionibus παράτιτλα summam rei succincte complectentia: Necnon ad marginem additi librorum & capitum, ex quib. ista Decretorum farrago compacta est, numeri indicatorij.

Quid porrò hac editione præstitum sit, sequenti pagella indicatur.









ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXX.
CVM PRIVILEGIO.

ANTONIVS CONTIVS IN METROPOLI BITVRIGVM PROFESSOR.

NON est meum institutum, hic multis verbis ostentare quæcunque à nobis in hac Dn. GRATIANI (vt ipsemet inscripsit hoc opus) CONCORDIA DISCORDANTIVM CANONVM, notata, vel illustrata vel emendata sunt; quæ omnia Lectoris inquisitioni atque iudicio expendenda relinquimus. Nam & quæ sint Paleæ, & quàm falsa Summaria, falsæq; glossæ plerisque locis insertæ sint, diligens Lector nostra legendo edocebitur: & omnia ferè quæ Gratianus ex Isidoro, Conciliis, & infinitis libris coniecit, collatione veterum & authenticorum codicum, emendata comperiet. quædam etiam ex vetusto Isidori volumine amplius, quàm in cæteris Isidori exemplaribus reperiatur, adiecta. Quæ omnia eo saltem profutura Lectoribus speramus, vt minore cũ temporis & operæ iactura quicquid de ecclesiasticis rebus & controuersiis hic præcipitur, per se cognoscere, & absque præceptore intelligere possint.

Summæ PRIVILEGIORVM post Indicem huius libri reperiuntur.

VITA GRATIANI

EX VARIIS BIOGRAPHIS *excerpta.*



RATIANVS ſancti Proculi monachus, patria Etruſcus, Ginſæ ciuitatis Tuſciæ, aut (vt alij volunt) Claſsiæ natus eſt. Hic anno Domini milleſimo cẽteſimo quadrageſimo nono apud Bononiam Italiæ vrbem ob eius ingenij & doctrinæ magnitudinẽ in precio habitus, vbi fuit monachus ſancti Felicis, ordinis ſancti Benedicti (vt in ambitu ſuperiori carmina oſtendunt eum condidiſſe) cùm inter cætera ſuarum lucubrationum opera Decretorum librum accuratiſsimè collegit. Quod quidem celeberrimum opus Eugenius tertius adprobauit, & legendum publicis gymnaſiis conceſſit, quanquam & ante hunc Iſidorus & Iuo Carnotenſis collegerant. Hoc Decretorum opus commentariis illuſtrarunt Hugo & Ioannes Teutonicus. Apparatum quoque ſcripſit Archidiaconus, quod dicitur Roſarium Decreti. Nõnulli referunt Gratianum, Petrum Lombardum & Petrum cognomento Comeſtorem fuiſſe germanos ex adulterio natos. Quorum mater cum in extremis peccatum ſuum confiteretur, & confeſſor obiurgaret crimeñ perpetrati adulterij, quòd eſſet graue flagitium, ob idque ad indolentiam & pœnitentiam hortaretur, illa reſpondit: Pater, ſcio adulterium peccatum magnum eſſe, ſed cùm conſidero quantum hi tres mei filij eccleſiam iuuerint, vix eſt vt pœniteat me. Confeſſor verò ad eam: Quòd filii tui celeberrimi viri eccleſiæ dei tanto adiumento fuerint, hoc non ex te, ſed dei dono proficiſcitur; ex te autem adulterium, quare indoleas ob tantum ſcelus. Et ſi tanto dolore affici minimè poſsis, quantum ipſa facinoris indignitas poſtulat, hoc ſaltẽ doleas quod dolere nõ poſsis. Sunt tamen nonnulli qui hos nec germanos, nec contemporaneos fuiſſe, & ſi tempore vicinos negent. Claruit enim Gratianus temporibus Henrici quarti, anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo. Petrus Lombardus ſub Conrardo imperatore tertio, anno domini milleſimo centeſimo quadrageſimo. Et Petrus Comeſtor ſub Frederico imperatore primo, anno domini milleſimo centeſimo ſexageſimo.

REVERENDISSIMO CARDINALI CASTELLIONENSI ODDONI COLLIGNIO archiepiſcopo Toloſano epiſcopoq́ue ſuo Bellouaco, Antonius Demochares Reſſonæus Felicitatem.



Vum omnibus ferè innatum ſit, Cardinalis reuerendiſſime, ſua tueri magis quàm extera cõſeruare: mirabitur forſan aliquis, præſertim his temporibus, quid mihi in mentem venerit, in quibus quotidie noua quædam in lucem prodire videtur: vt illa veterum ſanctorúmq; patrum de inſtitutione eccleſiaſtica decreta, quæ ex immenſis antiquorum ſcriptorũ voluminibus nõ minus diligenter quàm ſcitè collegit & ordinauit Gratianus, reſtituere multis laboribus curarem: reſtituta ſuis, à quibus decerpta ſunt auctoribus, aſcriberem. Mirabitur proculdubiò, quicunq; vulgi opinionẽ ſequetur: vel ob id maximè, quod hoc genus laboris parum gratiæ, gloriæ minus, etiam quantũuis illud lectoribus ſit vtile, auctori cõciliare ſoleat. Veruntamen ſi quis paulò altius animum attollat, is cõfeſtim mecum planè intelliget: ſtudioſius eſſe multò antiqua illa, tum auctoritate nobilia, tum religione conſtantia, maiorum dogmata illuſtrare atq; tueri, quàm noua quædam nullius momenti adinuenire, quibus hodie tam multi gloriæ inanis cupidi, magis curioſè quàm fœliciter omnibus neruis incumbũt. Glorioſius enim ſemper exiſtimaui antiquas & illas reipublicæ perneceſſarias vrbes cõſeruare, quàm his ſpretis viculos, neſcio quos, ſine vſu ac fructu nouos condere. Vtiliuſq; antiqua caſtra firmiſſimis extructa

funda-

fundamentis restaurare, quàm mox casura magnis sumptibus construere. Quare optimos auctores, quos prima illa tulit ætas, vt fide & sanctitate clarissimos, ita doctrina ac auctoritate maximos amplecti pulchrius esse duxi, ab hisq; sanctissima nostræ religionis dogmata, certasq; ecclesiasticæ vitæ regulas, quas sequerer, sequẽdasq; cunctis proponerem, malui producere pro nostræ fidei confirmatione aduersus huius seculi hæreses, quàm temerè atq; peruersè his posthabitis hac nostra tempestate aliquid fingere: qua tot illegitimos partus conspicimus. Quos vtinam tantum præcocibus ac rudibus ingeniis, & non multo magis peruersis acti spiritibus in suam, & aliorum ruinam emitterent. Tunc facilem liceret profecto his ad salutis viam modum reductionis adhibere. Nam statim demonstrata cognitaq; veritatis luce, hi errorum nebulas deponerent, eisq; depositis rectè monentibus acquiescerent. At verò vbi gloriæ principatusq; sui gratia errores amplexantur: tantum abest vt rectè docentibus assentiant, vt suis etiam erroribus profligatas hæreses partim apertè, partim occultè superinducere haud cessent. Vnde quæso, tam varia opinionum falsarum schismata, tot sectarum monstra enata sunt? Nónne ab his, qui aliena aspernari dogmata consueuerunt, quiq; firmis sanctorum patrum decretis inhærere dedignãtur? Vnde tot effecti sunt, fiuntq; quotidie errorum magistri? Nónne ab his, qui veritatis declaratæ ac receptæ discipuli fieri refugiunt, quibus permolesta sunt sanctorum doctorum commẽtaria, quibus magis contradixisse, quàm subscripsisse spiritu contradictionis inflati gloriantur? Vnde tot morum corruptorum confusiones? Nónne ab his, qui nullis contineri legibus affectant, qui sanctissimas maiorũ regulas infringunt, quas illi tam sanctè ac vtiliter sanxerunt, posterisq; ad communem vitæ humanæ tranquillitatem, ad religionis Christianæ conseruationem, & ad cohibendam omnem impietatem

salubri studio relinquere curarunt? Quam enim constitutionem mihi quispiam proferet, quam obseruent hodierni hæretici? Quarum legum dicet aliquis hos studiosos esse? quippe qui sacrosanctos conciliorum canones nequaquam verentur infringere, qui cunctas rectè positas de morum ecclesiasticorum institutione, de Christiana religione regulas floccipendunt, quas multis verbis & quidem contumeliosis criminari ac reprehendere solent. Optimarum legum conditoribus detrahunt, in antiquos & percelebres humanarũ constitutionum scriptores armantur, illos omni scribendi genere impugnare conantur. Adeo impudentes ac inuerecundi, vt nulli maiorum, quibus pro beneficijs gratias agere maximas debent, parcant: sed omnes conuitijs & maledictis lacessunt. Adeo fastuosi, vt nullum per quem profecerint agnoscant: verùm quanto quis meliora scripserit, præstantioraq́ue tradiderit, is est contra quẽ acrius ac pertinacius pugnant. Quis enim ex omni scriptorũ catalogo, qui de re singulis ecclesiasticis simul ac Christianis necessaria magis scripsit q̃ Gratianus? Quis tã copiosum opus de institutione ecclesiastica ab Apostolis ad nos vsq; perducta ex sanctorũ decretis collegit? Quid huius opere vtilius, quo omnis vitæ forma, quã sequi debẽt cuiusuis ordinis ecclesiastici, describitur? Quod opus huic iure cõferri poterit? quod pluribus confirmatum sit maiorũ omniũ canonibus, decretis, legibus, dogmatibus, sentẽtijs ad dei cultũ ac Christianã pietatẽ spectantibus? hoc tamen opus vnum est, quod non modo exulare, sed omnibus quoque locis priuari, supprimiq́ue cupiunt: quod crudelibus flammis, vt suam vehementius insaniam exererent, addixerunt. Cæterum illud quò plures huiusmodi nactum est hostes, eò clarius ac potentius euasit. Quoniã quæ spiritu sunt diuino constituta, nulla quorumcunq; hominum potestate superari possunt, sed firmiora consistunt, quando æstimãtur succumbere. Quã iniqui & crudeles, in

sanctos

sanctos dei omnipotẽtis martyres existant, vel hoc vno argumento apertissimè indicant, quòd tam præclara ipsorum de recta morum educatione dogmata, egregias sententias, selectas institutiones in ignes proijcere minimè reformidant. Quis boni æquiq; æstimator, non continuo perspicit, istos multo immitiore contra pios illos scriptores animo cõmoueri, quorum monumẽta, reliquias ac documenta sancta in flammas furiosè præcipitant. Quandoquidem dum Gratiani opus tam præclarum antiquitatis venerãdæ monumentum destruere moliuntur: quid aliud quàm receptã sanctorum patrum traditionem persequuntur? Dum illud supprimunt, nónne maiorum decreta cælant, nónne in idem sacrilegij crimen recidunt? Quid enim Gratiani rhapsodia complectitur, nisi sanctorum conciliorum ac maiorum decreta, quæ ad confirmationem vnius eiusdemq; sententiæ maiorem semper multiplicare consueuit? hinc colliquescit omnes illos, qui maiorum decretis à Gratiano studiosè collectis reclamant, multo amplius omnium imperatorum regumq;, nisi pœnæ metu coercerentur, reclamaturos. Quomodò nanque feret æquo animo leges seculares, qui religiosissimis sanctorum synodis, quibus spiritus sanctus præesse dignatus est, iniuriam inferre nequaquam pertimescit? Quomodo sanctiones ethnicorum impiorumq; principum arbitrabimur suscepturos, qui Christiana apostolicaq; dogmata, quæ modis omnibus ipsa ratio suadet esse seruanda, despicere conspicimus? Quapropter omnibus qui præsunt, si suas leges iuráque integra permanere velint, diligenter vigilandum est: ne vlla ex parte sacros canones violari, perpetique vllam vel minimam contra leges mutationem permittant. Nam quibus semel variare, vel infringere, vel spernere traditionem aliquam permissum fuerit, illi facilè discent assuescentq; temerè & impudenter reliquas leges contemnere. Siquidẽ vbi facilis ac libera quo-

rundam

rundam statutorum dissolutio conceditur, ibi statim omnis virtutis forma corrumpitur, ibi vitia regnare incipiunt, ibi leges vigere nequeunt. Vbi multorum ore sacro constitutæ leges sanctorum vilipenduntur, vbi doctorum veterum fidelis comprimitur authoritas, vbi fides ipsa conculcatur catholica: quis ibi leges tum imperatorum, tum regum vim habere putabit? Itaque quos hos sacrosanctos maiorum canones nihili facere cognoscimus, eosdem non vnius constitutionis particulam infringere: sed hoc priore ingressu ac principio ad reliquarum omnium contemptum festinare haud dubitandum est. Quamobrem valdè necessarium esse putaui, his insultibus barbaris occurrere: vt quem omnibus telorum generibus aggrederentur, defendere susciperem: defensum in mediũ producerem, productum ab improbis illorũ conatibus illæsum vindicarẽ. Etenim hunc canonum authoribus muniui, qui hũc contra aduersarios generosissimè defenderent, omniúmq; tela contunderent. Adieci quoque ad subsidium numeros & indices, qui canonum assertores, libros, & capita fideliter suggerent. Cuius quidem defensio restitutióque, quàm alicuius noui operis compositio, mihi magis necessaria nunc visa est. Quoniam nihil est ecclesiasticæ institutionis defendendæ conuenientius, quàm demonstrare illam ipsam catholicorũ patrum statutis congruere, quàm firmis sanctorum doctorum authoritatibus, quas ecclesia firmiter amplexatur corroborari, quàm decretis conciliorum, quæ spiritu sancto dictante irreprehensibiliter definita sunt, cohærere. Hac profecto ratione certissima nepharios omnium hæreticorum ausus comprimimus, & bene institutam religionem nostram haud dubiè concludimus. Verum huius confirmationis parandæ defendendæq; veritatis Gratianus ipse arma omnibus ecclesiasticæ fidei militibus contra impiorum mendacia abundè in toto hoc opere suppeditat,

peditat, vt in apostolicæ doctrinæ castris tutius quietiúsque perseuerent. Nempe qui hæc omnia indefeßis laboribus comparata, singulis ad fidei armaturam gratis promtéque offert. Ego pro mea in religionem & omnes obseruantia, vt quantum possum illam nostram fidem, quam beati patres ab Apostolis, híque à Christo domino sibi traditam prædicauerunt, confirmē: volui hoc opus velut antidotum quoddam, quod sanctorum decretis compositum est, aduersus quas suscitant hæreses, opponere: vt sicut illi varias omnium veterum hæreticorum hæreses diuersorumq; temporum in medium proferunt: ita nos sana sanctorum patrum decreta, quæ vno volumine pulcherrimè descripta sunt, pro certa nostræ religionis confirmatione, emittimus. Cuius quidem doctrinam boni Christiani diligenter suscipient: vt constanter quod credunt teneant. Antichristiani verò, vt à perfidia sua post agnitam in eo veritatem discedant, magisq; sequantur & credant, quæ hic ex sanctis dei Apostolis & apostolica traditione scribit & docet, quàm quæ diabolus mendacij pater & humanæ salutis hostis insusurrauerit. Christiani igitur erit pectoris, Cardinalis Reuerendißime, qualemcunque hunc nostrum laborem, quem tibi pia sedulitate offerimus, boni consulere: quem studiosis iucundum fore arbitramur, his præsertim qui vel vno intuitu ex quibus hæc desumpta sint decreta clarè conspicere desiderant. Vtilem etiam quòd illa adiectis exemplarium locis, numeris, ac libris mutuo conferre poterunt. Quibus certè sicut tunc maiorem adhibebunt fidem, quando vtrobique verbis & sententijs concurrere perspicient: sic perfectiorē colligent intelligentiam, quando vnum alteri collatum fuerit. Diligentiam simul intelligent nostram ac in omnes beneuolentiam, quibus magnis laboribus hoc mare magnum & spatiosum, in quo piscaremur, decretorū opus perlustrauimus: vt amplioribus vigilijs è quibus scaturiret & fontibus &

fluuijs demonstraremus. Opportunum insuper putaui omnibus, tam his qui ad concilium Tridentinum iam congregati circumferuntur, quàm his qui aduersus hæreticos congredi coguntur: vt pote qui ex hoc vno volumine solidissimas patrum sanctorum assertiones, siue pro religionis catholicæ confirmatione, siue hæreticæ opinionu euersione decerpere possunt. Hunc denique laborem boni decretorum professores & assectæ ingratum nequaquam habere poterunt: quem omnes (quos certè nactus est Gratianus percelebres) vident glossarios libenter nobis reliquisse. Nam hi licet glossas varias & quæstiones pro controuersiis forensibus, quarum nullus est finis, ediderint dirimendis: nullus tamen in hoc studij genere, quod præcipui erat negocij, versatus est; vt contextum ad exemplarium veritatem reponeret, integrum redderet, demonstraret à quibus concilijs decreta proficiscerentur, iudicaretq; quibus auctoribus adscribenda essent singula. Sed omnes ad quæstiones conuersi sunt, pro quibus finiendis collectum fuerat hoc Gratiani opus. Proinde non mirum est, si sæpius portentosos casus ab institutoq; valde alienos confingant. nempe qui nec de quibus loquantur, nec quæ loquantur, cognoscant. Huic tamen operi haud postremam manum apposuimus: vt quas dicunt rubricas, emendaremus, & falsos titulos ac peruersas lectiones; quòd propediem hæc commentarijs præstare curabimus, egerentq; fusioribus scriptis, quàm simplex contextus & exiguus liber ferre possit. Neque tam repente ad perfectum perueniunt omnia. Oportuit igitur primum his minimis annotationibus, veluti quibusdam præludijs, studiosos præmonere, quibus iam præparatos ad id, quod futurum est, acceptandum paratiores habeamus. Quia facilè mihi benè sperare licebit de reliquo, si hunc primum laborem probauerint, tuq; maximè eundem ad te confugientẽ pro tua humanitate benignè susceperis. quem tibi libentius

fidentiusq;

fidentiusq; suscipiendum tuoq; patrocinio protegẽdum obtulimus: quòd te non minus decretorum, quàm sententiarũ sanctorum patrum studiosum esse cognoscimus. Quamobrem, sicut aliquando nobis per tuam erga omnes literatos beneuolentiam Petri Lombardi librum sententiarum, nostris laboribus restitutum ac illustratum, sub tuo nomine in lucem emittere licuit superioribus annis: ita nunc eodem fauore cõgruũ est valde, vt Gratiani opus decretorũ, te auctore, studiosi accipiant. Nam ita fiet, vt qui tibi multa debere sese ex priore beneficio ingenuẽ fatẽtur, ex hoc insuper copiosiori munere multo maiora tibi debeant, seseq; debere protestentur: gratiasq; tibi agant prorsus incredibiles, quòd duos tam celebres antiquorum monumentorum scriptores tuo munere acceperint, in cuius solius erat potestate positum, vt vtroque priuarentur vel abundarent. Quare meo vel studiosorum nomine vehementer orabo, obtestaborq; summam tuam dignitatem: vt hoc praeclarum opus tua nobili suffultum auctoritate in lucem venire patiaris: quod si concesseris, me tibi deuinctum deuinctiorem reddes. Vale archipraesul praesulq; dignissime.

Ex Sorbonicae familiae collegio. octauo Idus Januarij Anno 1547.

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORUM, OPERUM, PONTIFICUMQUE ROMANORUM, CONCILIORUM ITEM CATALOGUS

SCRIPTORVM ECCLESIAsticorum, operum, Pontificumq́; Romanorum, Conciliorum item catalogus, è quibus hanc Decretorum farraginem Gratianus concinnauit.

SCRIPTORES ET OPERA.

Albinus siue Alcuinus.
Ambrosius.
Athanasius.
Augustinus.
Basilius.
Beda
Benedictus abbas.
Canones Apostolorum.
Capitularia.
Capitulorum liber Caroli & Ludouici.
Casiodorus
Chrysostomus.
Codex Iustiniani.
Constantini priuilegium.
Cyprianus.
Cyrillus.
Digesta.
Ecclesiastica historia.
Ennodius.
Eusebius Pamphili.
Eusebius Emisenus.
Gesta Romanorum pontificū.
Gregorius Nazianzenus.
Hermes.
Hieronymus.
Honorius imperator.
Institutiones iuris ciuilis.
Isidorus.
Isychius.
Iuo Carnotensis.
Nouellæ constitutiones Iustiniani.
Ordo Romanus.
Origenes.
Paulinus.
Petrus episcopus.
Pontificalis liber.
Prosper.
Rabanus
Tharasij Constantinopolitani epistola
Theodori Cantuariensis pœnitentiale.
Tripartita historia.

PONTIFICES.

Agatho.
Alexander secundus.
Anacletus.
Anastasius patriarcha.
Anastasius, secundus.
Anicetus.
Athanasius.
Antherus.
Benedictus.
Bonifacius martyr.
Bonifacius, tertius.
Caius
Calixtus.
Clemens, primus.
Cœlestinus, primus.
Cornelius.
Damasus, primus.
Deusdedit
Dionysius.
Eleutherius.
Euaristus.
Eugenius.
Eusebius.
Eutychianus.

Fabianus

CONCILIA.

Carthaginense, quintum.
Carthaginense, septimum.
apud Compendium conciliũ.
Constantinopolitanum.
Elibertanum.
Epanense.
apud Fauentiam concilium.
Gangrense.
Gerundense.
Hilerdense.
Hispalense, primum.
Hispalense, secundum.
Hipponense.
Laodicense, quartum.
Leonis concilium.
Lugdunense.
Maciense.
Maguntiense.
Martini papæ capitula synodorum Græcarum.
Manetense.
Maticense
Matisconense.
apud sanctum Medardũ concilium.
Mediomatricis concilium
Meldense.
apud Merech concilium
Mileuitanum.
Nanctense.
Nauatense.
Neocæsariense.
Nicenum.
Parisiense.
Remense.
Rhothomagense.
Romanum sub Hadriano.
Romanum sub Siluestro.
Sardicense.
Spalense, secundum.
Tansiatense.
Terraconense.
Triburiense.
Toletanum, primum.
Toletanum, secundum.
Toletanum, tertium.
Toletanum, quartum
Toletanum, septimum.
Toletanum, octauum.
Toletanum, nonum.
Toletanum, decimum.
Toletanum, vndecimum.
Toletanum, duodecimum.
Turonense.
apud Valentiam concilium.
Vasense.
apud Vermeriam.
Vrbanense.
Vuarmatiense.

SYNOPSIS

SYNOPSIS COMPENDIA-
ria omniũ, quæ in hac Decretorũ rhapsodia κατὰ τίτλα tractantur.

PRIMA PARS.

Quæ centum & vnam distinctiones complectitur.

Distinctio I.

Hominem diuina & humana lege regi: Quid lex, mos, consuetudo, tractatur in genere.

Distinctio II.

Ius Quiritum, ac eiusdem partitio.

Distinctio III.

Constitutionum diuisio, & earundem partes, Canonem, Regulam, Priuilegium definit.

Distinctio IIII.

Legis causa, qualitas eiusdemque potestas. Leges moribus vtẽtium adprobat, contrarium ieiunio quinquagesimali exemplificat.

Distinctio V.

Ius naturale coæuum homini ac immutabile, contrarium de introitu mulieris in templum eiusque purgatione mouet.

Distinctio VI.

Ad quæstionem de pollutione, & aliis nocturnis imaginibus ex occasione obiter digreditur. Ad contrarium supra motum respondet.

Distinctio VII.

Legum conditores enumerat.

Distinctio VIII.

Differentia iuris naturalis à consuetudine & cõstitutione. Veritatem consuetudini præfert.

Distinctio IX.

Ius naturale constitutionibus anteponit. Sacram scripturã verã esse dicit, aliorum verò nisi sacræ scripturæ testimoniis, ratione, atque exemplis probetur, dubiam.

Distinctio X.

Imperatorũ leges in ecclesiasticis causis postponit canonibus.

Distinctio

Distinctio XI.

Consuetudinem fidei catholicæ consonam laudat.

Distinctio XII.

Consuetudinem rituum ecclesiasticorum indifferentium, seruandam adprobat.

Distinctio XIII.

Ius naturale est indispensabile.

Distinctio XIIII.

Rigor consuetudinis seu constitutionis nonnunquam relaxatur, & temperatur. In dubiis, & obscuris considerandum, ne quod præceptis Euangelicis, neque sanctorum patrum decretis aduersum inuenitur, sequamur.

Distinctio XV.

Quando canones generalium conciliorum cœperint.

Qui libri in ecclesia recipiantur, quíve vt Apocryphi reiiciantur, ostendit & enumerat.

Distinctio XVI.

Canones Apostolorum adprobantur. Cõciliorum generalium catalogus describitur.

Distinctio XVII.

Conciliorum generalium congregandorum auctoritatem penes Apostolicam sedem esse.

Distinctio XVIII.

Concilia episcopalia, seu prouincialia ad definiendum, & constituendum, non autem ad corrigendum esse inualida: & non nisi metropolitanorum, & episcoporum consensu fieri posse, bisque aut saltem semel in anno celebrari debere.

Distinctio XIX.

Decretales epistolas, omnesque sanctorum patrum sanctiones, in quibus nihil Euangelicis præceptis contraire inuenitur, licet non omnes in canonum corpore insertæ sint, cum canonibus tamen conciliorum obseruandas esse probat.

Distinctio XX.

Conciliorum canonibus, Decretalib. epistolis in iudiciis prius deferendum: his verò deficientibus sanctorum patrum dicta consulenda docet.

Distinctio. XXI.

Ministrorum Ecclesiasticorum vocabula & nomina exponit. Romanum pontificem se non habere superiorem: & quod maior à minore iudicari, benedici, aut etiam maledici non possit.

Distinctio. XXII.

Primam sedem Romanæ esse ecclesiæ, Secundam Alexandriæ, Tertiam Antiochiæ.

Distinctio. XXIII.

Quo pacto episcopus, & omnes ecclesiæ ministri ordinari, versarique debeant, ostendit.

Distinctio. XXIIII.

Ordinandi prius examinentur.

Distinctio. XXV.

Officia & ministeria omnium clericorum ordine repetit, obiter quædam de purgatorio igne disserens.

Distinctio. XXVI.

Digamum in sacerdotem ordinari non debere, non quia secundam accipiendo vxorem deliquerit, sed quia prærogatiua exutus est sacerdotis.

Distinctio. XXVII.

Qui vxores habent, vel accipere volunt, nec diaconos, nec sacerdotes fieri posse, nisi continentiam profiteantur.

Distinctio. XXVIII.

Ordinandi sacris continentiam profiteantur.

Distinctio. XXIX.

Capitula, regulæ & canones sanctorum patrum pro tempore, loco & persona, & negocio, instante necessitate sunt considerranda: nec ad instar imperiti medici vno collyrio omnium oculi curandi.

Distinctio. XXX.

Manichæi, qui coniugium & cætera detestabantur in Gangrensi concilio ex causa & tempore anathematizantur.

Distinctio. XXXI.

Multa ex temporis circunstantia constituuntur.

Distinctio. XXXII.

Omnibus in sacris ordinibus constitutis continentiam seruandam esse concludit. Concubinas habentium clericorum sacramenta vitanda suadet, vt verecundia suffusi resipiscant.

Distinctio. XXXIII.

Non modo digamos, sed & qui præter vxorem concubinam post baptisma habuerint, sacerdotes fieri non posse.

Distinctio. XXXIIII.

Episcopus mulierum consortia vitet, & à venatione abstineat.

Distinctio. XXXV.

Episcopos & ecclesiasticos sobrios esse oportet.

Distinctio XXXVI.

Prælatis bonam conuersationem, & morum honestatem non sufficere, nisi addatur doctrinæ scientia.

Distinctio XXXVII.

Clericis gentilium libros, nisi quatenus vtilia inuenerint, legere non licere.

Distinctio XXXVIII.

Ignorantiam cùm laicis, tum maxime clericis obesse.

Distinctio XXXIX.

Episcopum oportere, non solum in spiritualibus, sed etiam in secularibus negotiis esse peritum.

Distinctio XL.

Episcopos & clericos virtutibus ornatos esse debere. Sacerdotem non loca, sed vitam & mores sanctum facere.

Distinctio XLI.

Clericos habitu, incessu, & cibo & potu professionem suam modestam probare debere.

Distinctio XLII.

Sacerdotem etiam hospitalem esse oportere, non curiosum, sed citra curiositatem instar Abraham omnes recipere.

Distinctio XLIII.

Sacerdotem esse discretum oportere, ne in prædicatione aut tacenda proferat, aut dicenda taceat.

Distinctio XLIIII.

Clericos decet tam in priuatis, quàm solennibus conuiuiis ingluuiem auiditatemque fugere.

Distinctio XLV.

Percussorem episcopũ esse prohibet. Quatenus quis Christianus ad fidem cogendus sit, & castigandi temperamentum ostendit.

Distinctio XLVI.

Litigiosos in episcopos non ordinandos.

Distinctio XLVII.

Cupidos, vsurarios, eosque qui suæ domui præesse nesciunt, ordinari non debere.

Distinctio XLVIII.

Neophytos in episcopos ordinari prohibet.

Distinctio XLIX.

Vitia quibus carere debet, qui offert panes deo suo Leuit. 21. exponit.

Distinctio L.

Clerico post lapsum magnum ad altiores gradus ascendere vix licere, multis, pro, & cõtra, scripturis ac auctoritatibus disserit. De homicidio & pœnitentia quædam interserit.

Distin-

Distinctio LI.

Curiales, milites, in foro decertantes à sacris ordinibus prohiberi.

Distinctio LII.

Præposteros ordines in ecclesia non admitti.

Distinctio LII.

Curiales, milites & forenses quominus ordinentur, rationem dicit.

Distinctio LIIII.

Quando serui, & liberi ad clericatū assumi possint, explicat.

Distinctio LV.

Corpore vitiati quatenus ad officia sacra admittuntur.

Distinctio LVI.

Presbyterorum filios ad sacra officia non esse admittendos.

Distinctio LVII.

Aegritudne vrgente baptizatum ordinari non debere, quia fides sua non præsumitur voluntaria.

Distinctio LVIII.

Monachum ad ecclesiasticum officium non assumi citra consensum abbatis.

Distinctio LIX.

Rudes & idiotæ non ordinentur. Sacerdotem per singulos ordinum gradus, non per saltum ordinari debere.

Distinctio LX.

Archiepiscopus, archipresbyter, episcopus, præpositus, decanus ex quibus ordinibus sint eligendi, docet.

Distinctio LXI.

Episcopum eligēdum ecclesiæ, in qua per omnia officia transegit ætatem: si verò dignus reperiri non potest, tunc aliunde aliquem postulari posse.

Distinctio LXII.

Episcopos à clericis eligendos, à populo verò expetēdos esse.

Distinctio LXIII.

Laicos nullo modo se debere electioni inserere, consentire autem posse dicit.

Distinctio LXIIII.

Episcopus à tribus episcopis consentiente metropolitano est ordinandus.

Distinctio LXV.

Contradicentibus nonnullis in ordinatione episcopi sententia plurimorum obtineat.

Distinctio LXVI.

Episcopum à tribus, Archiepiscopum verò ab omnibus suæ prouinciæ episcopis ordinari.

Distinctio LXVII.

Presbyteros & corepiscopos ab vno episcopo, omnesque ieiuno stomacho ordinari debere.

Distinctio LXVIII.

Ecclesiam non iterum consecrandam, nisi ex causa. Chorepiscopi & Episcopi differunt.

Distinctio LXIX.

Ordines inferiores à quibus conferantur.

Distinctio LXX.

Nullus absolutè, id est, sine titulo ordinandus.

Distinctio LXXI.

Clericos ab episcopo alterius ciuitatis non esse ordinandos.

Distinctio LXXII.

Dimissorias literas nisi rogatus non tribuat episcopus. Clericum alienum sine episcopi sui epistola dimissoria à nemine retinere debere. Lectores, Psalmistas & ostiarios nomen retinere clerici.

Distinctio LXXIII.

Dimistoriæ literæ quomodo fiant.

Distinctio LXXIIII.

Ordines suscipere, aut susceptos augere, inuitum neminem cogendum.

Distinctio LXXV.

Temporibus certis, præsertim sabbati die, & cum ieiunio ordinationes fieri debere.

Distinctio LXXVI.

Quibus temporibus ieiunia sint seruanda.

Distinctio LXXVII.

Ordines sacri per interualla temporum conferantur.

Distinctio LXXVIII.

Qua ætate ecclesiastici sint ordinandi.

Distinctio LXXIX.

Pontificis summi electio est Cardinalium & spiritualium populorum, eiectio verò domini.

Distinctio LXXX.

Quibus locis prælati ecclesiæ præficiantur.

Distinctio LXXXI.

Criminosi non ordinentur, & ordinati deponantur.

Distinctio LXXXII.

Pauperibus necessaria largiri episcopi interesse. Deinde rursus in fornicarios inuehitur.

Distinctio LXXXIII.

Consentientes, & peccatis alienis fauentes non ordinentur.

Distinctio LXXXIIII.

Pauperes iterum commendat episcopis. Castitatem seruandam: presbyter quid sit explicat.

Distinctio

Distinctio LXXXV.

Episcopum hospitalem, non tenacem esse debere.

Distinctio LXXXVI.

Episcopum oportere esse doctorem, non negligentem, sed largum, liberalem, misericordem, non venatorem, non percussorem.

Distinctio LXXXVII.

Episcopi sint viduarum, orphanorum, pauperum protectores.

Distinctio LXXXVIII.

Sacerdotibus negociationes esse prohibitas. Mercatores obiter tractat.

Distinctio LXXXIX.

Singula ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis singulatim committi debere.

Distinctio XC.

Litigiosos, discordes, murmurantes, contentiosos non esse ordinandos.

Distinctio XCI.

Clericum absque officij sui detrimento artificiolum, seu agriculturam, aut literas exercere debere, non ociosum in foro deambulare, non interemptorem agere.

Distinctio XCII.

Clericos magis corde quàm voce canere. Episcopos à parœcia sua eiectos debere sustinere quid de eis sanctum velit iudicare concilium.

Distinctio XCIII.

Obedientiam maiori à minore in omnibus deberi ordinibus.

Distinctio XCIIII.

Papam etiam subdiacono sua posse committere negocia. Archidiaconum in presbyteros per cupiditatem & auaritiam nihil posse præsumere.

Distinctio XCV.

Episcopos presbyteris esse maiores.

Distinctio XCVI.

Laicis nullam de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi facultatem attribui. Priuilegium Constantini imperat.

Distinctio XCVII.

Constitutiones à laicis, vel etiam imperatoribus de rebus ecclesiasticis pro infectis haberi, nisi subscriptione Romani pontificis fuerint roborata.

Distinctio XCVIII.

Transmarinos & peregrinos homines, nisi quinque episcoporum habeant testimonia, non esse ordinandos.

Distinctio XCIX.

Patriarchæ & primates sunt quidem diuersorum nominum, sed eiusdem officij, quibus archiepiscopi obediant.

Distinctio C.

Pallium, quod ad episcoporum consecrationem, & missarum solennia pertinet, expeti atque percipi oportere.

Distinctio CI.

Metropolitanos episcopos duos in eadem prouincia esse non posse.

DECRETORVM PARS SECVNDA,

Causas complectitur sex & triginta.

Causa prima septem tractat quæstiones.

Quæstio prima concludit.

Sacramenta, & alia spiritualia emere peccatum esse simoniacum. Sacramenta posse conferri ab hæreticis eadem forma, sed nō eodem effectu. Sacramenta alia esse dignitatis, alia necessitatis.

Quæstio II.

Pro ingressu religionis nihil esse exigendum: post ingressum verò aliquid offerre non prohiberi.

Quæstio III.

Non modo eos qui ecclesiasticas res, sed etiam temporales eis annexas pretio accipiunt, simoniacos esse.

Quæstio IIII.

Paternum crimen ignoranti filio non imputari.

Quæstio V.

Paruulos adhuc parentum pecunia præbendas adipiscentes ex misericordia in eis ministrare permitti.

Quæstio VI.

Electus ignorans, pecunia ab aliis pro electione data, excusatur.

Quæstio vltima.

Renunciantem suæ hæresi, pietatis, necessitatis, & vtilitatis causa, in sua dignitate recipi posse.

Causa secunda octo tractat quæstiones.

Quæstio I.

Sine iudiciario ordine neminem esse damnandum.

Quæstio II.

Expoliatum ante iudicem stare non posse.

Quæstio III.

In accusatione deficientem infamiæ iacturam, id est, existimationis dispendium sustinere.

Quæstio IIII.

Testimonio duorum vel trium, episcopum conuinci, vel damnari posse.

Quæstio V.

Accusa-

Accusatoribus deficientibus ad purgationem reum non esse cogendum.

Quæstio. VI.

Causam vitiatam appellationis remedio subleuari posse. Appellationes verò non confidentia iustæ causæ, sed causa differendæ moræ factas recipi non posse.

Quæstio VII.

In accusatione maiorum, laicos, monachos, & quoslibet inferiores audiendos.

Quæstio vltima.

Accusationem à præsenti accusatore inscriptionis vinculo fieri debere.

Causa tertia vndecim tractat quæstiones.

Quæstio I.

Expoliatos, officio iudicis ante omnia restituendos.

Quæstio II.

Post integram restitutionem expoliato prius quàm accusantium propositionibus respondeat, anniuersarias, vel sex mensium inducias indulgendas.

Quæstio III.

Post vocationem venientem ad iudicium viginti dierũ gaudere induciis.

Quæstio IIII.

Illegitimè coniunctos, infames, raptores, conspiratores, anathematizatos, apostatas, insidiatores, detractores, sacrilegos in nullius accusatione esse recipiendos.

Quæstio V.

Inimicos accusantes aut testificantes, seu iudicantes non esse audiendos, neque admittendos.

Quæstio VI.

Causam ibi, vbi crimen admittitur, agendam esse.

Quæstio VII.

Iudicaturos alios prius seipsos iudicare, id est, à crimine mundos esse debere.

Quæstio. VIII.

Episcopum non nisi à pluribus audiri, iudicarique debere.

Quæstio IX.

Absentem per alium accusare, aut accusari non posse.

Quæstio X.

Accusatores seu testes, in primo capitulo deficientes, ad sequentia admitti non debere.

Quæstio vltima.

Accusationem ab accusato in accusatorem non vertendam.

Causa quarta sex tractat quæstiones.

Quæstio I.

Excommunicatos aliosque criminosos, accusare alios non posse, antè, quàm pœniteant, proprioq; crimine exuantur.

Quæstio II.

Testem intra decimumquartum suæ ætatis annum in criminali caussa non admittendum.

Quæstio III.

Qui ad accusandum non admittuntur, eos & testimonium dicere prohiberi.

Quæstio IIII.

Accusatorem, iudicem, simul & testem eundem esse non posse.

Quæstio V.

Accusatum ad causam suam dicendam euocatum non occurrentem à communione suspendendum.

Quæstio vltima.

Accusatorem culpabilem, non nisi in propria deinde caussa admittendum.

Causa quinta sex tractat quæstiones.

Quæstio I.

Famosum scribentem libellum, aut flagellandum, aut anathematizandum esse.

Quæstio II.

Venientem fortè ad synodum episcopum, accusanti, nisi suo tempore canonicè vocatus fuerit, respondere non cogi.

Quæstio III.

Absentem per procuratorem defendi posse.

Quæstio IIII.

Episcopum, nisi in legitima synodo, audiri, vel iudicari, damnári ve, non debere.

Quæstio V.

Maleuolum non esse iudicandum, qui crimen alterius indicat.

Quæstio vltima.

Crimen falsò inferenti, aut lingua capulanda, aut caput amputandum.

Causa sexta quinque tractat quæstiones.

Quæstio I.

Accusare, detrahere, obtrectare, summam esse iniquitatem.

Quæstio II.

Alieni sceleris conscium, quandiu probare id non potest, proferre nihil debere.

Quæstio III.

Suum quemque iudicem audire, non alienum expetere oportere, nisi appellationis tempore.

Quæstio IIII.

Episco-

Episcopis iudicibus inter se discrepantibus, vicinæ prouinciæ metropolitanum diiudicantem audiendum, quo repudiato, primati definienti contradicendum non esse.

Quæstio vltima.

Deficiente accusatore reum ad probandum non cogi.

Causa septima duas tractat quæstiones.

Viuenti episcopo, alium, nisi ex causa, surrogari, aut superordinari non posse.

Episcopum episcopatus labore relicto, non debere monachi otium & quietem quærere.

Episcopo à subditis obstinatis licet recedere.

Quæstio vltima.

Morbo caduco frequenter laborantem à regimine, & missæ celebratione suspendendum.

Causa octaua quinque tractat quæstiones.

Quæstio I.

Episcopo successorem sibi, nisi consensu ecclesiæ, instituere non licere.

Quæstio II.

In electione nulla personarum patrocinia conualescere.

Quæstio III.

Eligendum episcopum de dando aut remittendo aliquid, iurare non teneri: Electum verò de bonis ecclesię conseruandis rectè iurare.

Quæstio IIII.

Clericis ab episcopo suo ante sententiæ tempus, pro dubia suspicione non discedendum.

Quæstio vltima.

Episcopos accusatos sine literis à sede apostolica formatis reuerti non debere.

Causa nona tres tractat quæstiones.

Quæstio I.

Ordinationem ab excommunicatis celebratam, esse irritam.

Quæstio II.

Clericos, sine propriæ regionis episcopi literis, alieno episcopo ordinare non licere.

Quæstio vltima.

Archiepiscopum sui suffraganei clericos illo inconsulto sine tamen præsumptione, & temeritate, damnare, vel absoluere posse. Roma. pontificē à nemine, nisi à Deo posse iudicari.

Causa decima tres tractat quæstiones.

Quæstio I.

Ecclesias cum omnibus rebus suis, non ad laicos, sed ad episcopum, & clericos pertinere, Visitationis onus Episcopis incumbere.

Quæstio II.

Episcopum rerum ecclesiasticarum custodem, & dispensatorem, non alienatorem esse.

Quæstio III.

Episcopum pro honore cathedræ suæ plus duobus solidis posse tollere.

Causa vndecima tres tractat quæstiones.

Quæstio I.

Clericum apud seculares iudices non esse accusandum.

Quæstio II.

Clericum non posse ad seculare iudicium pertrahi.

Quæstio vltima.

Episcopi sententiam siue iustam siue iniustam timēdam, non contemnendam. Cum excommunicatis non esse communicandum.

Causa XII. *quinque tractat quæstiones.*

Quæstio I.

Clericos debere omnia habere communia magis quàm propria.

Quæstio II.

Ecclesiæ res non nisi pro pauperibus nutriendis, & captiuis redimendis alienari posse.

Quæstio III.

Clerici ante ordinationem nihil habentis, bona post ordinationem adquisita, mortis tempore nisi de iis disposuerit, ecclesiam vindicare.

Quæstio IIII.

Ex propriis bonis, & bonis ecclesiæ à clericis adquisita compensatione æquari.

Quæstio vltima.

Episcopum res ante episcopatum adquisitas testamento cui vult, conferre posse. Intestato autem defuncto Ecclesiam succedere.

Causa XIII. *duas tractat quæstiones.*

Quæstio I.

Decimarum ius rebus prædialibus quocumque modo translatis, transferri non posse.

Quæstio vltima.

Præscriptione temporis percipiendi decimas, & funerandi ius tolli. Pro sepulturæ loco nihil exigendum. Mortuis viuentium preces prodesse.

Causa XIIII. *sex tractat quæstiones.*

Quæstio I.

Clericis licere sua repetere.

Quæstio II.

Cleri-

Clericos in causa ecclesiæ testes esse posse.

Quæstio III.

Vsuram esse, quidquid vltra sortem exigitur.

Quæstio IIII.

Non vsuram exigi posse.

Quæstio V.

De vsuris, & malè quæsitis restituendis eleemosynam fieri non posse.

Quæstio vltima.

Peccatum non dimitti, nisi ablatum restituatur.

Causa decimaquinta octo tractat quæstiones.

Quæstio I.

Alienata mente, seu non voluntariè facta non imputari.

Quæstio II.

Pro impensis patrociniis clericos nihil debere exigere.

Quæstio III.

Ex mulieris confessione clericum, nisi in crimine maiestatis condemnari non posse.

Quæstio IIII.

Die dominico, & aliis festis causas non ventilandas.

Quæstio V.

Accusatoribus, & testibus deficientibus iuramenti sufficere purgationem.

Quæstio VI.

Confessionem cruciatibus non esse extorquendam.

Quæstio VII.

Sacerdotem absque synodali audientia non damnari.

Quæstio vltima.

Clericum corporale peccatum committentem non posse offerre.

Causa XVI. *septem tractat quæstiones.*

Quæstio I.

Monachos clericos clericorum officia peragere posse. Decimas semper antiquioribus ecclesiis esse persoluendas.

Quæstio II.

Parœcias monachorum abbatis consensu sacerdotibus committendas.

Quæstio III.

Aedificando Ecclesiam episcopum in alieno territorio ius consecrandi non vindicare.

Quæstio IIII.

Præscriptione temporis iura tolli.

Quæstio V.

Monasteria non nisi quadraginta annis præscribi.

Quæstio VI.

Ecclesiæ debita sine iudicis auctoritate repeti non posse.

Quæstio ultima.

Fundatores ecclesiarum in bonis ecclesiæ sine consensu episcopi, nihil iuris præsumere posse.

Causa XVII. *quatuor tractat quæstiones.*

Quæstio I.

Vota deo necessariò reddenda.

Quæstio II.

Votum religionis ante annum probationis non tenet.

Quæstio III.

Abbati semel subiecto abire retro non licere.

Quæstio ultima.

Abire è religione volenti sua non reddenda, sed dimittenda esse, ne peius sequatur.

Causa XVIII. *duas tractat quæstiones.*

Quæstio I.

Abbatem episcopum electum adquisita monasterio relinquere debet.

Quæstio ultima.

Abbatem ab episcopo esse eligendum, & ordinandum.

Causa decimanona tres tractat quæstiones.

Quæstio I.

Episcopum clerico monasterij ingressum negare non posse.

Quæstio II.

Clericum episcopo etiam inuito monasterium ingredi posse.

Quæstio ultima.

Canonici regulares ad monasteria transire prohibentur.

Causa vigesima quatuor tractat quæstiones.

Quæstio I.

Monachum aut paterna deuotione, aut propria fieri professione.

Quæstio II.

Monasteria ante pubertatis annos sua sponte ingressos parentes reuocare posse.

Quæstio III.

Ad religionem inuitus nemo cogendus.

Quæstio ultima.

Ab vno monasterio in aliud districtius ire licere.

Causa vigesimaprima quinque tractat quæstiones.

Quæstio I.

Clericum in duabus ecclesiis non posse conscribi.

Quæstio II.

Clericum sua ecclesia relicta, ad aliam sine dimissoriis literis transire non posse.

Quæstio III.

Cleri-

Clericum secularium negociorum procuratorem esse non posse.

Quæstio IIII.

Vestitum clerici aut vilem, aut mediocrem esse debere.

Quæstio vltima.

Clericos in causis ad secularem iudicem confugientes, ecclesiæ communione priuandos.

Causa vigesimasecunda quinque tractat quæstiones.

Quæstio I.

Iusiurandum non ob veritatis confirmationem, sed periurij periculum prohiberi.

Quæstio II.

Credentem iuranti nequiter decipere periurium esse.

Quæstio III.

Episcopo, nisi sententia condemnato consueta, obedientiam esse iurandam.

Quæstio IIII.

In malis promissis fidem non esse seruandam.

Quæstio vltima.

Compellentem, & compulsum peierare periurium esse vtrumque.

Causa vigesimatertia octo tractat quæstiones.

Quæstio I.

Militare non esse dilectum.

Quæstio II.

Bellum iustum esse, quo iniuria quocumque modo vlciscitur.

Quæstio III.

Iniuriam sociorum auxilio amore iustitiæ propulsari posse.

Quæstio IIII.

Vindictam non amore ipsius vindictæ, sed zelo iustitiæ inferendam.

Quæstio V.

Malos à legitima potestate impunè posse interfici.

Quæstio VI.

Malos ad bonum esse cogendos.

Quæstio VII.

Ab hæreticis malè possessa, à catholicis iustè auferri posse.

Quæstio vltima.

Episcopis à principibus defensionem ecclesiæ postulare licere.

Causa vigesimaquarta tres tractat quæstiones.

Quæstio I.

Extra ecclesiæ vnitatem neminem posse excommunicari.

Quæstio II.

Nemi-

Neminem post mortem excommunicãdum nisi hæreticum.

Quæstio vltima.

Pro alicuius peccato, non totam eius familiam esse excommunicandam.

Causa vigesimaquinta duas tractat quæstiones.

Quæstio I.

Canones esse seruandos saluis Papæ priuilegiis.

Quæstio vltima.

Priuilegia non ita seruanda, vt eis iustis ex causis interuenientibus derogari non possit.

Causa vigesimasexta septem tractat quæstiones.

Quæstio I.

Sortilegos esse, qui per sortes, aut scripturarũ inspectionem diuinant, futuraque promittunt.

Quæstio II.

Sortibus, diuinationibus, auguriis, magicis, & mathematicis non esse credendum.

Quæstio III.

Diuinationis genus à Persis allatum esse fertur.

Quæstio IIII.

Diuinationis duo genera esse, artem, & furorem.

Quæstio V.

Sortilegos esse excommunicandos.

Quæstio VI.

Sacerdotem inconsulto à quo excommunicatus est episcopo, pœnitentem reconciliare non posse, nisi vltima cogat necessitas.

Quæstio vltima.

Viuis non morituris imponenda pœnitentia. Dies, menses, & & annos non esse superstitiose obseruandos.

Causa vigesimaseptima duas tractat quæstiones.

Quæstio I.

Vouentes castitatem matrimonia contrahere non posse.

Quæstio vltima.

Desponsam alteri, alterũ in matrimonium accipere nõ posse.

Causa vigesimaoctaua tres tractat quæstiones.

Quæstio I.

Coniugium esse etiam inter infideles.

Quæstio II.

Vxore infideli discedente, aliam duci non posse.

Quæstio vltima.

Digamum etiam esse qui ante baptisma vxorem habuit, & post baptisma alteram.

Causa vigesimanona duas tractat quæstiones.

Quæstio I.

Inter

Inter eam & eum, qui putabatur esse sponsus, & tamen non erat, non posse esse coniugium.

Quaestio vltima.

Fœminam ingenuam, quæ seruo sciens nupserit, non posse discedere.

Causa trigesima quinque tractat quaestiones.

Quaestio I.

Suscipientem filium suum de baptismate non ideo ab vxore separari.

Quaestio II.

Coniugium in cunabulis contractum ante annos discretionis non tenere.

Quaestio III.

Inter proximos spirituales non posse fieri matrimonium.

Quaestio IIII.

Relictam compatris vxoris suæ nullum in coniugium ducere posse.

Quaestio vltima.

Coniugia manifestè non occultè fieri debere: incerta enim de incertis esse iudicia.

Causa trigesimaprima tres tractat quaestiones.

Quaestio I.

Adulterio pollutam ab adultero, priore marito sine suspicione mortuo, duci posse.

Quaestio II.

Matrimonia non coacta, sed libera esse debere.

Quaestio vltima.

Parentes non debere sponsaliorum fidem frangere.

Causa trigesimasecunda octo tractat questiones.

Quaestio I.

Meretricem, nisi spem habeas resipiscentiæ, vxorem ducendam non esse.

Quaestio II.

Vxorem non modo prolis, sed etiam incontinentiæ causa duci posse.

Quaestio III.

Aui ingenui electionem in nepte elocanda filio originario præiudicare.

Quaestio IIII.

Ex ancilla vxore viuente non licere liberos quærere.

Quaestio V.

Pudicitiam violenter eripi non posse.

Quaestio VI.

Adulterum adulteram dimittere non posse.

Quaestio VII.

Vna

Vna vxore dimiſſa aliam duci non poſſe.

Quæſtio vltima.

Vxore priore relicta, aliã prętextu religionis ducere nõ licere.

Cauſa trigeſimatertia quinque tractat quæſtiones.

Quæſtio I.

Impoſſibilitatẽ reddendi debitum coniugale vinculũ ſoluere.

Quæſtio II.

Nemini licere propria auctoritate vxorem dimittere. Quæſtio tertia ſeptem habet diſtinctiones.

De Pœnitentia, diſtinctio prima.

Sola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris confeſſione (quemadmodum tenet eccleſia) Deo ſatisfieri non poſſe.

Diſtin. II.

Sicut nemo repente fit ſummus, ita neminem ſtatim perfectam poſſe habere charitatem, ſed quaſi de virtute in virtutem ſubinde augendam & perficiendam eſſe.

Diſtin. III.

Pœnitentiam generalẽ non modo ſemel, id eſt, ab initio, veluti in baptiſmate, aut primo conuerſionis tẽpore, ſed ſemper iteratam, ſubindeque repetitam vtilem & efficacem eſſe.

Diſtin. IIII.

Bona, quæ peccato moriuntur per pœnitentiam reuiuiſcunt ad præmium.

Diſtin. V.

In pœnitẽtia criminis qualitatem ſecundum locum, tempus, perſonam, perſeuerantiam & varietatem conſiderandã eſſe.

Diſtin. VI.

Sacerdotem, cui peccata ſunt confitenda, debere eſſe ſcientem ligare, & ſoluere.

Diſtin. vltima.

Melius eſſe ſanum pœnitere, quàm pœnitentiam in vltimum vitæ articulum differre.

Quæſtio IIII.

Orationis, & ieiunij tempore à coniuge abſtinendum eſſe.

Quæſtio vltima.

Coniuges ſine mutuo conſenſũ continentiã vouere nõ poſſe.

Cauſa trigeſimaquarta duas tractat quæſtiones.

Quæſtio I.

Adulterij ream eſſe, quę viuente viro nubit alteri.

Quæſtio vltima.

Mulierem abſente viro nubentem alteri ad redeuntem virum cogi redire.

Cauſa trigeſimaquinta decem tractat quæſtiones.

Quæſtio I.

Virum

Virum ex ſua cognatione, id eſt, ex conſanguineis vxorem non poſſe ducere.

Quæſtio II.

Virum etiam ex defunctæ vxoris conſanguinitate vxorem ducere non poſſe.

Quæſtio III.

Vſque ad ſeptimum gradum & à propriis & ab vxoris conſanguineis abſtinendum eſſe.

Quæſtio IIII.

Sicut ſex ætatibus mundi generatio & hominis ſtatus finitur, ita propinquitatem generis totidē gradibus terminari.

Quæſtio V.

Gradus conſanguinitatis, quod ad matrimonia attinet, non ſingulos, ſed binos numerari, ita quod ſacri canones duas in vno gradu perſonas conſtituant.

Quæſtio VI.

Conſanguinitatem in cauſa ſeparationis per parentes, propinquos antiquiores & veraciores teſtes iureiurando, probandam ac dirimendam eſſe.

Quæſtio VII.

Inceſtuoſorum natos pro filiis non reputandos, nulloque parentibus iure ſuccedere.

Quæſtio VIII.

In quarto vel quinto conſanguinitatis gradu coniunctos ſeparari debere.

Quæſtio IX.

Poſt ſeparationem, alia contracta coniugia, ſi falſò elicita fuit ſeperatio, diſſolui debere.

Quæſtio vltima.

Mulieris ad ſecūdas nuptias tranſeuntis liberos prioris mariti liberis coniungi non poſſe vſq; ad quartā generationem.

Cauſa trigeſimaſexta duas tractat quæſtiones.

Quæſtio I.

Raptum admitti, cùm puella violenter à domo patris abducitur.

Quæſtio vltima.

Raptorem raptam peracta pœnitentia, conſenſuque parentum accedente, ducere poſſe.

DECRETORVM PARS TER-
tia quinque habet diſtinctiones.

De conſecratione, diſtinctio prima.

Miſſam nō niſi in ſacratis locis fieri. Vaſa mundè ſeruari, certos hymnos, cum aliis precibus atque ieiuniis nō negligi, miſſam denique dignè celebrari audiriq́ue debere.

Distinctio. II.

Pane & vino ritè consecrato corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi mysterium & sacramentum confici, in eoque vnitatis, pacis, charitatis, gratiæ, reconciliationis & peccatorum remissionis munera largiri, & conferri.

Distinctio. III.

Feriarum & præcipuè paschæ dies, & ieiunia religiosè celebranda & seruanda.

Imagines sanctorum non esse confringendas.

Distin. IIII.

Renasci hominem ex aqua, id est, symbolo baptismi sacramento visibili, & spiritu inuisibili.

Paruulis fidem eorum, à quibus consecrandi offeruntur, prodesse. Baptisma siue ab hæretico, siue à quocunque sumatur non esse iterandum.

Distin. vltima.

Confirmationis sacramentum manuum impositione post baptisma augere gratiam, ab huius mundi agones armare atque instruere, spiritusque sancti munera plenius conferre.

Quadragesimam esse anni decimas, ideoque summa obseruatione obseruandam absoluendamque.

Ieiunium magnũ, & generale esse ab iniquitatibus, ab otio, & ab illicitis seculi voluptatibus abstinere.

ANTIDOTVS AD LECTOREM.

Pleraque sunt (fateor) in his Decretis iam obsoleta, & quę à præsenti consuetudine ecclesiastica abhorrēt, nonnunquam etiam (vt videtur) inter se ex diametro pugnantia. At vt vt se habeant, oportuit tamen, vt curioso lectori satisfaceremus, in hunc indiculum ea referre. Si tantum quæ nunc vsu ecclesiastico recepta sunt, excerpere voluissem: bona sui parte mancus esset, ac proinde præstiterat in totum obmisisse, quàm ita truncatum emittere. Quare, rogo, ne diligentiã nostram calumniæ vertas, protinusque hæc à me δογματικῶς ista proferri clamites, quin candido potius animo in bonam interpretator partem: quippe cùm ipsius Gratiani Mercurium tantum agam. Vale.

INDEX

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM MEMORABILIVM.

A

Baptis-

corpus

&

Confessi

credere

Enixa

F

G

H

ab

K

L

Liberi

Matri-

Mœcha-

Mulier

N

Parentum

Petri

Q

R

 licita

Sedes

Sixti

Cascl-

diuturni

episco-

extra

In

Lachry-

L

M

nemo

Nouit

panis

qui

Quia

quis

quoniam

Sæpe

Si quis

FINIS.

SVMMA PRIVILEGIORVM REGIS CATHOLICI.

REGIAE Catholicæ Maiestatis Priuilegiis cautum est, ne quis *Corpus Iuris Canonici cum annotationib. marginalibus & additionibus desideratiss. opera doctiss. I.C. Antonij Contij in celebri Academia Biturigum, Regij professoris illustratum*, citra Christophori Plantini voluntatem imprimat, aut alicubi impressum importet, venaléve habeat à die impresionis absolutæ intra sexennium. Qui secus faxit, confiscationis librorum, & quinquaginta florenorum pœna, fisco Regio exoluenda, multabitur: vt latiùs in Regiis diplomatis expressum est,

Datis Bruxellæ: In Consilio priuato VIII. August. 1567.

Signat,

Vander Aa.

In Consilio verò Brabantiæ 14. eiusdem mensis & anni.

Signat.

De Perre.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY DE FRANCE.

PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis a Iaques du Puis marchant libraire en l'vniuersité de Paris d'imprimer ou faire imprimer mettre en vente & distribuer *Corpus Iuris Canonici notis & additionibus opera doctiss. I.C. Antonij Contij in celebri Academia Biturigum, Regij professoris illustratũ*: & faict defense ledict Seigneur a tous autres de quelque qualité qu'ils soyent d'imprimer ou faire imprimer vendre ni distribuer en ses Pais, Terres, & Signeuries ledict liure, ni partie d'iceluy, sans le congé & consentement dudict du Puis, iusques au terme & temps de cinq ans finis & accomplis a compter du iour & date qu'il aura este acheué d'imprimer; sur les peines contenues és lettres dudict Seigneur, Données a Paris le 23. iour d'Octobre; l'an de grace 1556.

Ainsi Signées: Par le Roy.

A vostre relation,

De Vabres.

Et scellées du grand seau de Cire Iaulne sur simple queue.

PRIVILEGII CAESAREI SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, publico edicto cautum & ſancitum eſt, ne quis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunque ſacri Romani imperij, & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impreſſa, vel ab aliis quidem impreſſa, nouis autem deinceps ſcholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illuſtrata, Chriſtophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpienſis primus typis procuderit, intra proximum ſexennium à prima cuiuſque operis aut voluminis editione, vllo pacto eiuſdem vel diuerſi characteris forma excudat, aut excuſa ab aliis, intra eiuſdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, ſeu quouis modo diſtrahat manifeſtè vel occultè, ſub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fiſco Imperiali fraudis vindici, reſidua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impreſſorum amiſſionem, quos idem Plantinus vbicunque locorum nactus fuerit, per ſe, vel ſuos, adiumento Magiſtratus loci, vel citra, propria auctoritate ſibi vindicare, inque ſuam poteſtatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipſi Edicto manu ſubſcripſit, & ſigillum apponi iuſſit Cæſarea Maieſtas. Datum in ciuitate Viennæ Auſtriæ, die vigeſima prima menſis Februarij, Anno Domini M. D. LXV.

Subſig.

Maximilianus.

Ad mandatum ſacræ
Cæſ. M. proprium

Haller.

QVI, AVT QVOT ANTE GRATIANVM CANONES ECCLESIASTICOS COLLEGERINT.

PER ANT. CONTIVM.



T apud Græcos Photius, & Harmenopulus canones ex Græcis synodis & canonicis patrum epistolis in titulos digesserunt; ita & primus (vt opinor) Isidorus idem apud Latinos tentauit, sed minore artificio atque industria. Nam epistolas & concilia potius congessit quàm digessit: multaque apocrypha & dubiæ fidei inseruit. Eius est vetus conciliorum volumen Lutetiæ olim impressum, sicut ex varijs Bibliothecis didicimus. post Isidorum Burchardus Vormatiensis episcopus scripsit libros 20. Decretorũ, meliori vtique ordine canones digerens, quàm Isidorus. Claruit sub Henrico Imperatore circa annum Domini 1020. Sequutus est Iuo, episcopus Carnotẽsis qui in certos quidem locos & titulos illos canones ab Isidoro & Burchardo editos digessit; sed multa tamen similia, multa inter se pugnantia in suum librum transtulit; & librum suum Pãnomiam inscripsit. Cæterũ duplex eius volumen hoc titulo insignitum reperi. Vnum maius, & magnitudine sua longè excedens Gratiani volumẽ, quod ex Bibliotheca S. Victoris Parisiẽsis nobis aliquando cõmunicatum est. Huic volumini inscriptum titulum hunc inuenimus, DECRETA IOVINIANI. Verùm hanc inscriptionem falsam puto, & ignorantia librariorum adscriptam, cùm eadẽ illic sit præfatio quæ apud Iuonem in minore volumine Pannomiæ, et idem fere ordo, nisi quod illud volumen multo plures habet partes, & titulos, & canones, in septẽdecim quippe partes diuisum. Aliud verò minus volumen, quod & in eadẽ Bibliotheca extat, & passim in alijs, cuius etiam manuscriptum exemplar nobis comparauimus, (nam & olim in

Germania impressum est, sed mendosissimum) in septem dūtaxat partes est diuisum. Inscribitur autē hoc volumē in prædicta Bibliotheca, DECRETA PARVA YVONIS. Scripsit Yuo circa annum Christi 1136. vtrunque volumen. Eodem ferè tempore, & paulo posteriore, nempe circa annum Christi 1150. vt ait glos. 2. q. 6. c. 28. §, forma, Gratianus monachus Benedictinus, vir in iure ciuili (eo quod tūc in scholis vigebat) exercitatissimus, animaduertens multa in illorum collectaneis, vel superuacua, vel contraria posita, multáque in his desiderari posse, is ex eorum collectaneis magnum hoc volumen cōpilauit, quod inscripsit, Concordiam discordantium canonum; propterea quòd dissidentes inter se de qualibet re canones, interposita disputatione & censura sua conciliauit, quod facere cæteri supersederant. Nam Isidorus, & Burchardus nuda canonum verba adscribebant, nihil de suo præstantes præter ordinem & colligēdi operam. Nihiloq; plus præstitit Yuo, nisi quod in prolixa & elegāti præfatione, regulas aliquot prodidit, quibus discordantes canones cōciliari deberēt. quæ præfatio, vt credibile est, ansam Gratiano præbuit sui huius voluminis ita & componendi & inscribendi, & per singulas partes, conciliationes & distinctiones suas aspergendi. Inueniuntur & in Bibliothecis, varia canonum collectanea: sed quia à quibus aut quo tempore collecta fuerint, minimè adscriptum reperimus, nec satis id ex contextu & lectione conijcere potuimus: idcirco nec quidquam certi de his in medium proferre potuimus. Quædam tamen reperimus ea religione & cautione collecta, vt in his nihil eorum quæ apocrypha & cōmentitia videri possint, positum sit; quod si præstitisset Gratianus, multò maiorem gratiam elucubrati operis à piis omnibus retulisset.

FINIS.

DECRETA TVM CONCILIORVM, TVM SVMMORVM PONTIFICVM, ECCLESIASTICORVM DENIQVE SCRIPTORVM, A DN. GRATIANO EXCERPTA, AC IN SVAS CLASSES ORDINE CONCINNO DIGESTA.

Concordantia discordantiũ canonum, per magistrum Gratianum monachum composita & cõpilata.
Sic inscribi hunc librum auctor est Abbas Tritemius sicque scriptum reperi.

VERSVS.

Disce quid humanum ius diuinúmue vocetur.

DE IVRE DIVINAE, ET HVMANAE CONSTITVTIONIS.

DISTINCTIO I.



HVMANVM genus duobus regitur, naturali videlicet iure, & moribus. Ius naturale, est quod in lege & in euangelio continetur: quo quisque iubetur alii facere quod sibi vult fieri: & prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri. vnde Christus in euangelio: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Hinc †Isidorus in v. lib. etymologiarum cap. 2. ait:

Verba Gratiani.

Matth. 7. b.

CONTIVS. †*Isidorus cognomento Iunior (ex cuius scriptis magna huius libri pars consarcinata est) Spalensis siue Ispalensis ciuitatis Hispaniæ episcopus, claruit vita, & scriptis tempore Sigsebuti Gotthorum regis, circa annum Christi.* DCXXXV. *vt adnotatum reperi in initio librorum eius de differentiis rerum &c. vir bonus, & sui temporis fere doctissimus, quamuis derisores quidam aliter sentiant.*

Diuinæ leges natura, humanæ moribus constant. 2

OMnes leges aut diuinæ sunt, aut humanæ. Diuinæ natura, humanæ[a] moribus constant: ideoque hæ discrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. Fas lex diuina est: ius lex humana. Transire per agrum alienum, fas est: ius non est.

a Imo scripto vel moribus, vt in libr. tur. ciuilis: nisi dixeris hoc verbũ latius vsurpatum pro quolibet instituto siue scripto siue nõ scripto.

Ex verbis huius auctoritatis euidenter datur intelligi, in quo differant inter se lex diuina & humana: cum omne quod fas est, nomine diuinæ vel naturalis legis accipiatur: nomine vero legis humanæ, mores iure conscripti & traditi intelligantur. Est autem ius generale nomen multas sub se continens spe-

Verba Gratiani.

 ces.

cies. Vnde in eodem libro etymologiarum Isidorus ait.

De iure & eiusdem multiplicitate.

Ius genus, lex autem species eius est. 3

a A Iustitia, vt ait Vlpia. l. 1. de Iustitia & Iure.

IVs generale nomen est: lex autem iuris est species. Ius autem [est] dictum, quia [a] iustum est. Omne autem ius legibus & moribus constat.

Isid. ibidem.

Quid sit lex. 4

LEx est constitutio scripta.[b]

CONT [b] *Generaliùs accipit quàm Iustinianus Inst. de iure na. gen. & ci. §. lex. vt & Papinia. li. 1. et 2. ff. de legib. Nam hæc definitio cōplectitur plebiscita, leges consulares, dictatorias, Senatusconsulta, magistratuum edicta, principum constitutiones, prudentum responsa scripta.*

Quid sit mos. 5

Isid. ibid. et li. 2. c. 10

MOs est longa cōsuetudo de moribus tantummodo tracta.

Quid sit consuetudo. 6

Isid. ibidē continuo.

COnsuetudo autem est ius quoddā moribus institutū: quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Nec differt, an scriptura, an ratione consistat: quoniam & legem ratio commendat.

Porrò si ratione lex consistat, lex erit omne iam quod & ratione constiterit duntaxat, quod religioni conueniat, quod disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. Vocatur autem consuetudo quod in communi est vsu.

c Verba Gratiani.

[c]Cum itaque dicitur, non differt vtrum consuetudo scriptura, an ratione consistat: apparet quòd consuetudo est partim redacta in scriptis, partim moribus tantùm vtentium est reseruata. Quæ in scriptis redacta est, constitutio siue ius vocatur. Quæ verò in scriptis redacta non est, generali nomine consuetudo videlicet appellatur. Est & alia diuisio iuris: vt in eod. lib. testatur Isidorus ita dicens:

& par. Ca. 4. li. 5.

Quæ sint species iuris. 7

IVs autem naturale est, aut ciuile, aut gentium.

Quid sit ius naturale. 8

Isidor. ibidem.
d Aliter definitur ab Vlpiano.

I[d]Vs naturale, est commune omnium nationū: eo quòd vbiq; instinctu naturæ, non constitutione habetur aliqua: vt viri & fœminæ coniunctio, liberorum successio, & puerorum educatio, communis omnium possessio, & omnium vna libertas, acquisitio eorum quæ cælo, terra, mariq́ue capiuntur. Item depositæ rei vel [e]commendatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est: nunquam iniustum, sed naturale æquumq́ue habetur.

e rectè commendatæ, vt apud Paulum in senten. sæpe.

Quid sit ius ciuile. 9

f sic definitur in Institutionibus.
g quæque ciuitas.
[illegible] cap. 5. eiusd.
Isid. cap. 6.

I[f]Vs ciuile, est quod quisque populus vel[g] ciuitas sibi propriū diuina humanaq́ue causa constituit.

Quid sit ius gentium. 10

IVs gentium, est [†]sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pacis, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita.

prohibita. [Hoc inde][a] ius gentium appellatur, quia eo iure omnes ferè gentes vtuntur.

a Et inde rectè, vt in manuscr. Isid.

[†] *Vt cùm coloniæ in extraneas terras mittebantur, ius erat gentium: idque perue tus, vt quas primas sedes occupassent, eæ eorum fierent communi gentium iure, ita vt nefas existimaretur eos violare. Vt multis refert Dionys. Halycarnass. lib. 1. in initio historiæ.*

Quid sit ius militare. 11

IVs militare, est belli inferendi solennitas, fœderis faciendi nexus, signo dato egressio in hostem, vel [[b]pugnæ] commissio. Item signo dato receptio. Item flagitij militaris disciplina, si locus deseratur. Item stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor: veluti cùm corona vel torques donatur. Item prædæ decisio: & pro personarum qualitatibus & [c]laboribus iusta diuisio [[d]ac] principis portio.

Isid. cap. 7. eiusdem.
b Deest tam in Isidor. quam Gratian.
c laboris.
d Apud Isid. est scriptũ. Item.

Quid sit ius publicum. 12

IVs publicum, est in sacris & sacerdotibus, & magistratibus.

Ibid. cap. 8.

Quid sit ius Quiritum. 13

IVs Quiritum, est propriè Romanorum, quod nulli tenent nisi Quirites, id est Romani. In quo agitur de legitimis hæreditatibus, [vel [e]curationibus] [vel [f]de contractibus,] de tutelis, de vsucapionibus: quæ iura apud nullum alium populum reperiuntur, sed propria sunt Romanorum, & in eos solos constituta.

Isid. cap. 9. eiusdem.
e Pro inclusis legẽ. decretionib. erat autem cretio modus adquirendæ siue adeundæ hęreditatis. sic reperi in antiquo Isidoro manuscripto. Contius.
f Hæc verba de contractibus desunt in manuscripto Gratiano & Isidoro. rectè: cõtractus enim non sunt Iuris Quiritum, sed gẽtium. i. ex hoc iure de iustitia & iure. Contius.

VERSVS.

Hic ius Romanum per singula membra notatur.

DE IVRE QVIRITVM, ET PARTIBVS EIVSDEM. DISTINCTIO II.

COnstat autem ius Quiritum ex legibus, & plebiscitis, & senatusconsultis, & constitutionibus principum, [ex edictis [†]senatorum] siue responsis prudentum.

[[†] *Pro inclusis scriptum est in manuscripto Gratiano & Isidoro, vel edictis: verbum autem Senatorum à sciolis ineptè additum est. Contius.*]

Quid sit lex. 2

Lex, est constitutio populi qua [g]maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.

Isid. c. 9. lib. 5. etymo.
Idem cap. 10.
g dixit pro Senatoribus.

Quid sit plebiscitum. 3

PLebiscita, sunt quæ plebes tantùm constituunt: & vocantur plebiscita, eo quòd ea plebs sciat, vel quod [h] sciscitatur & rogat vt fiant.

Idem Isid. cap. 11.
h Mallem dicere sciscit. Sc scire, n. rogare est.

Quid sit senatusconsultum. 4

SEnatusconsultum, est quod tantùm senatores populis consulendo decernunt.

Idem cap. 12.

Quid sit constitutio vel edictum. 5

COnstitutio vel [i]edictum, est quod tantùm rex vel imperator constituit vel [k]edidit.

Idem cap. 13.
i est & edictum magistratuum.
k edicit rectè.

Quæ sunt responsa prudentum. 6

REsponsa [[l]prudentum] sunt quæ iurisconsulti respondere dicun-

Isid. cap. 14. eiusdem.
l Deest in manusc. Grat. & Isidor.

a forte legendum ædiores.

dicuntur consulentibus. vnde & responsa Pauli dicta sunt. Fuerunt enim quidam prudẽtes & arbitri æquitatis, qui [a] institutiones ciuilis iuris compositas ædiderunt: quibus dissidentium lites contentionesque sopirent.

2. pars Isid. cap. 15. lib. 5. etymolog.

b Recte autem suffectos consules appellat, quia non ex Kal. Ia. consulatum acceperant. vt rectè docet Sigonius in fastis vide Alciatũ lib. disp. 3. c. 5. Contius.

c Legend. in l. Poppæus, & inf. Poppæa

Quæ sunt tribunitiæ vel consulares leges. 7

QVædam etiam leges dicuntur ab iis qui eas condiderunt: vt consulares, tribunitiæ, Iuliæ, Corneliæ; nam sub Octauiano Cæsare [b] suffecti consules Papius & [c] Pompeius legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Põpeia: cõtinens patrum præmia pro suscipiẽdis liberis. Sub eodem quoque imperatore † Falcidius tribunus plebis legem fecit, ne quis plus extraneis testamẽto legaret, quàm vt quarta pars superesset hæredibus: ex cuius nomine lex Falcidia est nominata.

† *Idem tradit Dio. Ex chronicis colligunt eam latam Domitio Caluino & C. Asinio Pollione Conss. anno vrb. DCCXIIII. annis XXXVII. ante Christum: sed in meis Eusebij Chronicis manuscriptis, dicitur lata primo anno Traliani.*

Isid. cap. 16. eiusdem.

Quæ sit lex Satyra. 8

S† Atyra verò lex, est quæ de pluribus simul rebus loquitur, dicta quidem à copia rerum, & quasi à saturitate. vnde & satyram scribere est poëmata varia condere: vt Horatij, Iuuenalis, & Persij.

† *Satyræ legis nusquam in toto iure nostro quod quidem habemus, mentio fit, nisi de ea intelligas, quod scribit Iustinianus in l. 1. C. de latina lib. latinam libertatem quasi per satyram inductam fuisse. Contius.*

Idem cap. 17.

d Hæ tam æquæ fuerunt, vt eas Imperatores Romani à ciuibus Romanis seruari iusserint. i. Ἀξίωσις: ad l. Rhod. de iactu Contius.

Quæ sint Rhodiæ leges. 9

R[d] Hodiæ leges naualium commerciorũ sunt, ab insula Rhodo cognominatæ: in qua antiquitus mercatorum vsus fuit.

VERSUS.

Tertia quare sonat lex ecclesiastica canon.

DE DIVISIONE CONSTITVTIONVM ET EARVNDEM PARTIBVS.

DISTINCTIO III.

1. pars.

Verba Gratiani.

OMnes hæ species secularium legum partes sunt, sed quia constitutionum alia est ciuilis, alia ecclesiastica: ciuilis verò forense vel ciuile ius appellatur: quo nomine ecclesiastica constitutio appelletur, videamus. Ecclesiastica constitutio canonis nomine censetur. Quid autem sit canon, Isidor. in libro [e] v. etymolog. declarat dicens:

e VI. scriptum est in manuscr. Cont.

Isid. c. 16. lib. 6.

Quid sit canon. 2

CAnon Græcè, Latinè regula nuncupatur.

Isid. ibidem.

f in vet. aliquando

g desunt in manuscrip.

h in manus.

Vnde dicatur regula. 3

REgula dicta est eo quòd rectè ducit, nec [f] aliquem aliorsum trahit. Alij verò dixerunt regulam dictam, vel quòd regat, vel quòd normam rectè [g & bene] viuendi præbeat, vel quòd distortum prauumque [h est] corrigat.

Porrò canonum alij sunt decreta pontificum, alij sunt statuta conciliorum. Conciliorum verò alia sunt vniuersalia, alia sunt prouincialia. Prouincialium alia celebrantur auctoritate pontificis Ro. præsente videlicet legato sanctæ Roman. eccles. Alia verò auctoritate patriarcharum vel primatum vel metropolitanorum eiusdem prouinciæ. Hæc quidem de generalibus regulis intelligenda sunt. Sunt autem quædam priuatæ leges tam ecclesiasticæ quàm seculares, quæ priuilegia appellantur. Verba Gratiani. 2. pars.

De quibus V. lib. etymolog. Isidor. ait.

Quid sit Priuilegium. 4 Cap. 18. 3. pars

PRiuilegia, sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges. Nam priuilegium dictum est eo, quòd in priuato feratur. † Officium verò secularium siue ecclesiasticarum legum est præcipere quod necesse est fieri, aut prohibere quod malum est fieri: permittere vel licita, vt præmium petere: vel etiam quędam illicita, vt dare libellum repudij, ne fiant grauiora. † Verba Gratiani.

Vnde in eodem lib. Isidor. scribit dicens. Cap. 19 eiusd. & eo. lib.

Quid sit officium legis. 5

OMnis autem lex aut permittit aliquid, vt vir fortis petat præmium: aut vetat, vt sacrarum virginum nuptias, nulli petere liceat: aut punit, vt qui cædem fecerit, capite plectatur: eius enim præmio aut pœna vita moderatur humana; [a diuina autem] præcipit, vt Diliges dominum deum tuum.

a Verbum diuina deest in manuscr. & pro autem scriptum est aut rectissime. Corr. Deut. 6. a.

VERSVS.

Et te quarta docet cur condita iura fuerunt.

DE CAVSA ET QVALITATE LEGIS, EIVSDEMQVE POTESTATE.

DISTINCT. IIII.

CAusa verò constitutionis legum est humanam coërcere audaciam, & nocendi facultatem refrenare: *Sicut in eodem lib. Isidor. testatur dicens.* Verba Gratiani. Isid. cap. 20. lib. 5. ety.

Quare leges factæ sunt. 1

FActæ sunt autem leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas.

Præterea in ipsa constitutione legum maximè qualitas constituendarum obseruanda est, vt contineat in se honestatem, iustitiam, possibilitatem, conuenientiam, & cætera quæ in eodem lib. Isidorus enumerat dicens: Verba Gratiani. 2. pars.

Qualis debet esse lex. 2 Cap. 21. lib. 5. etym. & cap. 10.

ERit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ: loco temporique conueniens, necessaria, & vtilis: manifesta quoque: ne aliquid [b] per obscuritatem in [c cautum] captione cõtineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.

b per obscuritatem in captione contineat. c In manuscr. est in captione. Corr.

Verba Gratiani. 3. pars.

Ideo autem in ipsa constitutione ista considerãda sunt, quia cùm leges institutæ fuerint, non erit liberum iudicare de ipsis, sed oportebit iudicare secundum ipsas.

Cap. 31.

Vnde Aug.† ait in lib. de vera religione.

† *Aurel. Augustinus Hipponis Regii in Africa episcopus, veterum theologorum doctissimus & acutissimus, claruit sub Imperatorib. Arcadio, Honorio, Theodosio, Valentiniano, mortuúsque est circa annũ Christi* CCCCXXXII *cùm infinitos prope libros conscripsisset.*

De legibus tunc est iudicandum, cum instituuntur, non cum instituta sunt.

Ex mag. Iuo. p. 4.

4

IN istis temporalibus legibus quanquam de his homines iudicent, cum eas instituunt: tamen cum fuerint institutæ & firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.

Verba Gratiani.

Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus vtentium approbantur. Sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt: ita moribus vtentium ipsę leges confirmantur. Vnde illud Telesphori papæ, quo decreuit vt clerici generaliter à quinquagesima ieiunandi propositum susciperent, & à carnibus & deliciis abstinerent, quia moribus vtẽtium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit. [a Vnde] Telesphorus[b] vrbis Romæ archiepiscopus omnibus episcopis.

a Verbũ, vnde, abest à manuscrip. recte: Contius.

b octauus à Petro anno Christ. CXXX

Septem hebdomadibus à carne & deliciis ante pascha clerici abstineant.

5

STatuimus vt septem hebdomadas plenas ante sanctum pascha omnes clerici, [c id est] in sortem domini vocati, à carne ieiunent: quia sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conuersatione; ita & in ieiunio debet esse discretio. Has ergo septem hebdomadas omnes clerici à carne & deliciis ieiunent: & hymnis & vigiliis atque orationibus[d] inhærere die noctúque studeant: *Item† Ambro. in lib. sermonum.*

c in vet. deest, id est

d Domino inhærere sermone 33. Ambros.

† *Ambrosius ciuis Romanus Augustino senior, sed tamen contemporaneus, ex consulari Liguriæ & Æmiliæ Mediolanensium episcopus factus, claruit sub Gratiano & Valentiniano seniore, ab anno Christi* CCCLXXV, *vsque ad annum* CCCCX.

Septimam hebdomadam Telesphorus quadragesimæ addidit. 6

QVadragesima. vj. septimanas habet: cui addidit Telesphorus pontifex septimam hebdomadam: & vocatum est hoc tempus quinquagesima.

Verba Gratiani.

Quod similiter de eo capitulo est intelligendum quod beatus† Gregorius, August. Anglorum episcopo scribit dicens:

† *Gregorius primus huius nominis pontifex & ciuis Romanus, sedit ab anno Christi* DXC, *vsque ad annum* DCV. *Imperantib. Mauritio & Phoca.*

A quinquagesima ieiunandi propositum sumant, quos ecclesiastici gradus dignitas exornat.

7

DEnique sacerdotes, & diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, à quinquagesima propositum

situm

situm ieiunandi suscipiant: quò & aliquid ad pēsum sanctæ institutionis adiiciant: & eorum qui in laicali ordine cōsistūt, obseruantiam sicut loco, ita & religione, præcellant. De ipsa verò die dominica hæsitamus quidnam dicendū sit, cùm omnes laici & seculares illa die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant: & nisi noua quadam auiditate vsque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri tēporis obseruationem suscipere putant: quod vtique non rationi, sed voluptati, immo cuidam mentis cæcitati asscribendū est: vnde nec à tali consuetudine auerti possunt: & ideo cū venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè peiores existant, si a tali consuetudine prohibeantur. Vt enim ait Salomon: qui multū emungit, elicit sanguinem. Et post pauca. Par autem est vt nos qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam trahunt originē carnis, ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & ouis. Et post pauca. Cæterùm pisciū esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui à carne abstinent: nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum conuiuia præparēt. Vinum quoque ita bibere permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus: alioquin restat, vt omnia quæ corporibus libēt, similiter faciamus.

Hæc etsi legibus constituta sint: tamen quia communi vsu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt: alioquin his non obedientes proprio priuarentur honore, cùm illi qui sacris nesciunt obedire canonibus, penitus officio iubeantur carere suscepto: nisi fortè quis dicat hæc non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta. Decretum verò necessitatem facit: exhortatio autem liberam voluntatem excitat. Verba Gratiani. 4. pars.

VERSVS.

Quinta docet stabile ius naturale manere.

DE NATVRALI IVRE COAEVO HOMINI AC IMMVTABILI. DISTINCTIO V.

HAec quæ de priuilegiis & cæteris infrà positis scripta sunt, tam secularibus quàm ecclesiasticis legibus conueniunt. Nunc autem ad doctrinam naturalis iuris & cæterorum reuertamur. Naturale ius inter omnia primatum obtinet tempore & dignitate. Cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ: nam nec variatur tēpore, sed immutabile semper permanet. Sed cùm naturale ius in lege & in euangelio supra dicatur esse comprehensum: quędam autem contraria his quæ in lege statuta sunt, nunc inueniantur concessa: non videtur ius naturale immutabile permanēre. In lege namque præcipiebatur, vt mulier si masculū pareret, xl. si verò fœminam, lxxx. diebus à templi cessaret ingressu: nunc autem statim post partum Verba Gratiani. 2. pars. Obiectio. Leuit. 12. a Ibid. 15. d.

partum ecclesiam ingredi non prohibetur. Item mulier quæ menstrua patitur, ex lege immunda esse reputabatur:nunc autem nec intrare ecclesiam, nec sacræ communionis mysteria percipere inhibetur:sicut illa quę parit, vel illud quod gignitur, nec statim post partū baptizari prohibetur. Vnde eidē Augustino Anglo.episcopo Gregorius scribit dicens:

Greg.c.10. ad interrogationes August. respondens.

[a] *Palea.* 2

CVm enixa fuerit mulier, post quot dies intrare ecclesiam debeat, testamenti veteris præceptione didicisti, quia pro masculo.xxxiii. pro femina autem. lxvi. diebus debet abstinere. quod tamen sciendum, quia in mysterio accipitur.

a Palea inscribitur hoc caput. Cur autem hoc & pleraque capita sic inscribantur, sæpe etiam inter doctos dubitari animaduerti. Qui rectius sentire & sapere existimantur, quasi παλαιὰ. i. antiqua nuncupata volunt. Ego autem paleam inscribi hoc caput existimo & cætera similia, quia additiua sunt, nec à Gratiano primitus huic libro inserta, sed ab interpretibus, prout cuique commodum videbatur, ad marginem Gratiani adscripta, & plerumque in emendatioribus & antiquioribus exemplaribus prorsus omissa. Cui rei fidem facit antiquum Gratiani exemplar, quo in hoc emendando vsus sum, in quo pleraque eiusdem paleæ desunt. Et hæc semel admonuisse sufficiat. Contius.

Mulier enixa, gratias actura ecclesiam intrare hora eadem non prohibetur. 3

Ibid. Grego.

SI mulier eadē hora qua genuerit, actura gratias intrat ecclesiam:nullo pōdere peccati grauatur. voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est; in prolis verò partu dolor & gemitus. Vnde & ipsi primæ mulieri dicitur: In doloribus paries filios. Si itaq; enixam mulierem prohibemus intrare ecclesiam, ipsam [b] eius pœnam vertimus in culpam. *Idem ad eundem.*

Genes. 3.

b ei pœnam suam in culpam deputamus.

Mulierem enixam, vel quod ab ea gignitur, eadem hora nihil prohibet baptizari. 4

Yuo.p.1. de baptism.

c al. ipsam.

BAptizari autem vel [[c] enixam] mulierem, vel hoc quòd genuerit, si periculo mortis vrgetur, vel ipsa eadem hora qua gignit, vel eadem etiam, qua natum est id, quod gignitur, nullo modo prohibetur:ne dum adhuc tempus ad præbēdum redemptionis mysterium quæritur: interueniēte paululum mora inueniri non valeat qui redimatur. *Item Augustino.*

Idem August.

Antequam puer ablactetur, vel mater purificetur, ad eius concubitum vir non accedat. 5

Greg. ad quartam interrogationem Augustini respondens.

d al. consuetudo surrexit.

AD eius verò cōcubitum vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur ablactetur. Praua autē [d] consuetudo in coniugatorum moribus irrepsit, vt filios suos quos gignunt, nutrire mulieres contemnant:eosque ad nutriēdum aliis mulieribus tradant. quod videlicet [e] ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inuentū:quia dum se cōtinere nolunt, despiciūt lactare quos gignunt. Hæ autem sciant quæ filios suos ex praua consuetudine aliis ad nutriēdum tradunt: nisi purgationis

e ex sola causa incontinentia.

nis tēpus prius transierit, viris suis non debent admisceri: quippe & sine partus causa[a] cum in menstruis consuetis detinētur, viris suis misceri prohibentur: ita[b] vt lex sacra morte illū feriat, si quis vir ad mēstruatam mulierem accedat. quæ tamen mulier dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi ecclesiā intrare non debet: quia ei naturæ superfluitas in culpam[c] reputari non debet, & pro hoc quod inuita patitur, iniustum est vt ecclesię ingressu priuetur. Nouimus nanque quòd mulier quę fluxum sanguinis patiebatur, post tergum domini humiliter veniens vestimenti eius fimbriam tetigit: atq; ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit vestimentum domini tangere: cur etiam quæ menstrua patitur sanguinis, ei non liceat ecclesiam intrare? Si enim ea bene præsumpsit quæ vestimētum domini in languore posita tetigit; quod vni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus quæ naturæ suæ vitio infirmātur? Sanctæ quoque communionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumpserit, laudanda est: sed si susceperit, non est iudicanda. Bonarū quippe mentium est ibi etiam [d] culpas suas agnoscere, vbi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur quod venit ex culpa, vnde etiam cùm esurimus, sine culpa comedimus: quibus ex culpa primi hominis factum est, vt [e] esuriamus.

a cum in consuetis menstruis.
b vt morte lex sacra feriat.
c non valet imputari
[illegible]
d aliquo modo culpas
e esuriremus.

VERSVS.

Sexta notat species peccati ludificati.

[f] POLLVTIO NOCTVRNA QVANDO IMPEDIAT COMMVNIONEM.

DISTINCTIO VI.

f Digreditur Gratian. antequam propositas quæstiones soluat.
De menstruis sup. c. xxi.

Quia verò de naturæ superfluitate sermo cœpit haberi: queritur an post illusionem quæ per somnum solet accidere, corpus domini quilibet valeat accipere: vel si sacerdos sit, sacra mysteria valeat celebrare. De his ita scribit beatus Greg. Augu. Anglo. episcopo.

De multiplici genere illusionum. 2

cap. 11. Interrogationum Augustini.
Ex mag. lun. par. 3.

Testamentum veteris legis hunc pollutum dicit, nisi aqua lotus fuerit: eique vsque ad vesperam ecclesiam intrare non conceditur. Quòd tamen aliter intelligens populus spiritualis quasi per somnum eum illudi reputat, qui tentatus immunditia veris imaginibus in cogitatione inquinatur: sed lauandus est aqua, vt culpam cogitationis lachrymis abluat: & nisi prius ignis tentationis recesserit, reum quasi vsque ad vesperam se cognoscat. Sed est in eadem illusione necessaria valde discretio, quæ subtiliter pensare debet, ex qua re accidat menti dormientis: aliquando enim ex crapula: aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate: aliquando ex cogitatione contingit

git pollutio. Et quidem cùm ex naturæ superfluitate vel infirmitate euenerit, omnino hæc illusio non est timēda, quia hāc animus nesciēs pertulisse magis dolendus est, quàm fecisse. Cū verò vltra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauātur: habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vsque ad prohibitionē sacri mysterij percipiendi, vel missarum solemnia celebrandi, cùm fortasse aut dies festus exigit, aut exhiberi mysteriū (pro eo quòd sacerdos alius deest) ipsa necessitas compellit. nam si alij adsunt qui implere mysterium valeant: illusio per crapulam facta, à perceptione sacri mysterij prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterij (vt arbitror) abstinere debet humiliter: si tamen [a] dormientem turpi imaginatione illusio non concusserit. nam sunt quidam in quibus ita plerunque illusio nascitur, vt eorū animus etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus non fœdetur. [b] Qua in re vnum ibi ostēditur, quòd ipsa mens omnino rea non sit tunc, sed suo iudicio penitus libera, cùm se & si dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit se in ingluuiem ventris incidisse. Si verò ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo reatus suus. videt enim à qua radice inquinatio illa processerit, quia quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens, & propter talē pollutionē à sacro mysterio ea die abstinere oportet.

Illusio ex superfl.
Illusio ex intemperantia gulæ.

[a] dormientis mentem turpis imaginatio nō concuss. vetus cod.

[b] Qua in re sibi ostēditur mens rea non tamen vel suo iudicio libera.

Peccatum non dicitur perpetratum cogitatione solùm, sed delectatione & consensu. *Palea.* 3

Iuo hæc habet continenter.
Greg. ibidem continuans scribit.

SEd pensandum est, quando ipsa cogitatio [c] vtrum in suggestione, an in delectatione, vel (quod magis est) in peccati cōsensu ceciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatū, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum: delectatio per carnem: consensus per spiritum: quia & [d] primò culpam serpens suggessit: Eua delectata est velut caro: Adam verò velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio inter suggestionem & delectationē, & inter delectationē atq; consensum, iudicē sui faciat animū præsidē. Cū enim malignus spiritus peccatū suggerit in mentē: si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnino perpetratū non est. Cùm verò delectari caro cœperit, tūc peccatū incipit nasci. Si autem [e] etiam ad consensum ex deliberatione cōsentit: tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione ergo peccati semen est. In delectatione fit nutrimentum. In consensu fit perfectio. Et sæpe contingit vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat: non tamen animus eidem delectationi consentiat: & cùm caro delectari sine animo nequeat, ipse tamē animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo [f] ligatur inuitus: vt ei ex

[c] Vtrum suggestione an delectatione vel quod maius est, peccati consensu acciderit.

[d] primam.

[e] etiā ex deliberatione.

[f] ligatur vt ei.

vt ei ex ratione contradicat, nec consentiat: & tamen ea delectatione ligatus sit. sed ligatum se vehemẽter ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè repugnabat:[a] quapropter & captiuus erat, & repugnabat. Igitur mentis legi eius lex quæ in membris est, repugnabat. Si autẽ repugnabat, captiuus non erat. Itaque est homo (vt ita dixerim) captiuus & liber: liber ex iustitia: captiuus ex delectatione quam portat inuitus. *Item Isidorus in sententiarum lib. 1.*[b]

a sed pugnabat, quapropter captiuus non erat. ecce itaque homo est (vt ita dixerim) captiuus & liber.

b al. sic liber inscribitur de summo bono.

Quando sit peccatum nocturnis imaginibus illudi. 4

Id. c. 5. lib. 3 de summo bono id habet.

NOn est peccatum quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur: sed tunc est peccatum, si antequam illudamur, cogitationis affectibus præuenimur. Luxuriæ quippe imagines quas in veritate gessimus, sępe dormientibus in animo apparent, sed innoxiæ sunt, si non concupiscẽdo occurrunt. Item qui nocturna illusione polluitur, quãuis extra memoriam cogitationum turpium sese præsentiat inquinatum: tamen hoc vt tentaretur, culpæ suæ tribuat; suamque immunditiam statim fletibus tergat.

Solutio obiectionis. Verba Gratiani.

His itaque respondetur: in lege & in euangelio naturale ius continetur: non tamen quæcunque in lege & in euangelio inueniuntur, naturali iuri cohærere probantur. Sunt enim in lege quædam moralia præcepta: vt, Non occides &c. quædam mystica, vtpote sacrificiorũ præcepta: vt de agno, & alia similia his. Moralia mandata ad naturale ius pertinent: atque ideo nullam mutabilitatem recepisse monstrantur. Mystica verò quantum ad superficiem à naturali iure probantur aliena: quantum ad moralem intelligentiam inueniuntur sibi annexa: ac per hoc etsi secundum superficiem videantur esse mutata: tamen secundũ moralem intelligentiam mutabilitatẽ nescire probantur. Naturale ergo ius ab exordio rationalis creaturæ incipiens, vt supra dictum est, manet immobile. Ius verò consuetudinis post naturalem legem exordium habuit, ex quo homines conuenientes in vnum cœperunt simul habitare, quod ex eo tempore factum esse creditur, ex quo Cain ciuitatem ędificasse legitur. quod cum in diluuio propter hominum raritatem ferè videbatur extinctũm: postea à tempore Nẽroth reparatum siue potius immutatum existimatur: cùm ipse simul cum aliis alios cœpit opprimere, & alij sua imbecillitate eorũ ditioni cœperunt esse subiecti. vnde in Genesi legitur de eo: Cœpit Nemroth robustus venerator esse coram deo i. hominum oppressor & extinctor, quos ad turrim ædificandam allexit.

Ius naturale. Consuetudo.

Gen. 4. c. & 9. d.

Ibidem. 10. b.

VERSVS.

Septima commemorat qui leges composuerunt.

DE ORIGINE CONSTITVTIONIS AC LEGIS. DISTINCTIO VII.

Verba Gratiani. Exo. 21. A. cap. 2.

IVs autem cõstitutionis cœpit à iustificationibus, quas dominus tradidit Moysi, dicens: Si emeris seruum Hebræum &c. *Vnde Isid. in lib. 5 Etymolo. ait.*

De conditoribus legum. 2

MOyses gentis Hebrææ primus omnium diuinas leges sacris literis explicauit. Phoroneus rex Græcis primus leges iudiciaque constituit. Mercurius Trimegistus primus leges Aegyptiis tradidit. Solon [equidẽ] primus leges Atheniẽsibus[a] ædidit. Lycurgus primus Lacedæmoniis [b] iura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Põpilius qui Romulo successit in regno, primus Romanis leges ædidit. Deinde cùm populus seditiosos magistratus ferre non posset, decemuiros legibus scribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in Latinũ sermonem translatas .xij. tab. exposuerunt.

a dedit, redd. b iura legum.

Isid. ibidem continuo & Genitius.

Nomina eorum qui leges xii tabularum exposuerunt. 3

FVerunt autem hi:[a] Appius Claudius [Titus][b] Genutius, Publius Festius, Lucius Veturius, Caius Iulius, Aulus Mãlius, Publius Sulpicius, Publius Curiatius, Titus Romulius, Spurius Posthumius. Hi decem viri legum conscribendarum causa electi sunt. Leges autẽ redigere in libris primus consul Pompeius instituere voluit: sed non perseuerauit obtrectatorũ metu. Deinde [c] cœpit Cæsar id facere: sed ante interfectus est. Paulatim autem antiquæ leges vetustate atque incuria aboleuerunt; quarum etsi iam nullus est vsus, notitia tamen necessaria [d] videtur. * Nouæ autem leges à Constantino Cæsare cœperunt, & reliquis succedentibus, erantque permixtæ & inordinatæ. Postea verò Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani codicem factum constitutionum à Constantini temporibus sub proprio cuiuscunq; imperatoris titulo disposuit: quem à suo nomine [e] Theodosianum vocauit.

c Vide Sueton. in Iulio. extabat tamen eius liber de iure ciuili in artem redigendo. & cum citat Gellius.

2. pars.

* Adde an lex abrogata sit allegenda: not. C. de laudi. li. sol. l. 2. & C. de no. cod. comp. l. 2. pri. parte. All. 4. f.

a In manuscripto Isidoro sic referuntur. Appius Claudius, Genucius. Veturius. Iulius. Manilius. Sulpicius. Sextius. Curatius. Romulius. Postumius. quæ Isidori enumeratio per omnia cum Liuio consentit, & cum Cassiodori Fastis.

a Capitolinis verò auctoribus hoc solum dissentit, quod pro Horatio Curatium nominat vt Liuius & alij plerique. Anton. Contius.

c Videtur] Rectè hoc animaduertit Isidorus. Quod quàm verum esset, nos ipsi sumus experti, postquàm superioribus annis edita sunt quædam Vlpiani fragmenta cum Alarici breuiario & parte Codicis Theodosiani.

d CONTIVS. *Mirum est Isidorum codicis Iustinianei non meminisse hoc loco cùm iam tum Isidori tempore extaret. Scripsit enim centum ferè post Iustinianum annis. Itaque ex hoc loco & aliis eius libris conicio nunquam in eius manus incidisse Pandectas aut Institutiones aut Codicem aut Nouellas Iu-*

stiniani

stiniani, vt qui nusquam horũ librorũ meminerit. sed et sup. dist. 2. c. 6. meminit, duntaxat Institutionum iuris à consultis compositarum: Gotthi quoque qui tũ in Hispania dominabantur, solo Alarici Breuiario ex codice Theodosiano, Pauli sententijs, & alijs auctoribus excepto vtebantur. Iustiniani opera ne audierant quidem. De Gregorio autem primo qui fuit iisdem temporibus aliter iudico. Contius.

VERSVS.

*Ius à natura docet hic quid distet * & vsu.* *al. ab vsu.

DE DIFFERENTIA IVRIS NATVRALIS A CONSVETVDINE ET CONSTITVTIONE. DISTINCTIO. VIII.

DIffert autem ius naturale à cõsuetudine & constitutione. Nam iure naturali, omnia sunt cõmunia omnibus, quod non solum inter eos seruatum creditur, de quibus legitur: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, &c. verumetiam ex præcedenti tẽpore à Philosophis* traditum inuenitur, vnde apud Platonẽ illa ciuitas iustissime ordinata traditur, in qua quisque proprios nescit affectus. Iure ergo consuetudinis vel constitutionis hoc meum est: illud verò alterius. *Vnde Aug. ait super Ioannem.* Verba Gratiani. * Pythagoras κοινὸν εἶναι instituisse traditur. Tractat. 6. ad cap. Iohan. primum.

a Hæc epigraphe falsa est, nec hoc sentit Augustinus. quin potius sentit Deum esse auctorem legitima rerum diuisionis, quãdo ait, quia ipsa iura humana per Imperatores & rectores seculi deus distribuit humano generi. Hanc tamen epigraphen consultò hic reliquimus, vt agnoscant pij lectores quàm peruersè & perperam pleraque in hoc libro bene dicta, à rabulis quibusdam & iuris sophistis, atque Theologastris detorta sint, dum non nisi ex huiusmodi epigraphis summariis sapiunt.

a Iure diuino omnia sunt communia omnibus: iure verò constitutionis hoc meum, illud verò alterius est.

2

QVo iure defendis villas ecclesiæ? diuino, an humano? Diuinum ius in scripturis diuinis habemus: humanum in legibus regum. Vnde quisque possidet quod possidet? nónne iure humano? nam iure diuino domini est terra, & plenitudo eius. Pauperes & diuites vna terra supportat. Dominus de vno limo fecit & pauperes & diuites. Iure ergo humano dicitur, hęc villa est mea: hic seruus est meus: hæc domus mea est. Iura autem humana, iura imperatorum sunt: quare? quia ipsa iura humana per imperatores & rectores seculi Deus distribuit humano generi. Item tolle iura imperatorum: & quis audet dicere, hæc villa est mea, meus est iste seruus: mea est hæc domus? Si autem vt teneantur ista ab hominibus, regum iura fecerunt: vultis vt reticeamus leges, vt gaudeatis. Item relegantur leges, vbi manifestè præceperunt [b] imperatores eos qui præter ecclesiæ catholicæ cõmunionem vsurpant sibi nomen christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorẽ: vt nihil nomine ecclesię audeãt possidere. Sed dicitis, Quid nobis & imperatori? Sed (vt iã dixi) de iure humano agitur

Psal. 23. Gen. 2. b.

Concor. in l. ex hoc iure, cum ibi no. ff. de iusti. & iure.

b Valenti. Theod. & cæt. lib. xvi. Codice Theodosiani.

2.Pet.2. agitur. Apostolus voluit seruiri omnibus regibus: voluit honorari reges: & dixit: Regem reueremini. Noli ergo dicere, quid mihi & regi? quid tibi ergo & possessioni? per iura regum possidentur possessiones. Dixisti: quid mihi & regi? noli ergo dicere possessiones tuas: quia ipsa iura renūciasti humana, quibus possessiones possidentur.

2.pars. Verba Gratiani. Dignitate verò ius naturale similiter prævalet consuetudini & constitutioni. Quæcunque enim vel moribus recepta sunt, vel scripturis comprehensa: si naturali iuri fuerint aduersa, vana & irrita habenda sunt. *Vnde Aug. ait in lib. confessionum. ii.*

Aug. c.8.lib.3. confessionum. Ex ma.Iuo.p.iiij.

Aduersus naturale ius nulli quicquam agere licet. 3

QVæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda: vt pactum inter se, gentis aut ciuitatis consuetudine vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. turpis est enim omnis pars vniuerso suo non congruens. Cum autem deus aliquid contra morem vel contra pactum quorumlibet iubet fieri: etsi ibi nunquam factum est, tamen faciendum est: & si omissum est, restaurandum est: & si statutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate cui regnat, iubere aliquid quod neq; ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iusserat: & si non est contra societatem ciuitatis eius, obtemperatur ei: immo contra societatem fit, si ei non obtemperetur: (generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis) quanto magis deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ ad ea quæ iusserat, sine dubitatione seruiendum est. sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita deus omnibus. Item[b] * *Nicolaus papa Ignato Remensi archiepiscopo.*

b Ignaro.

* *Nicolaus papa sedit circa annum Christi* DCCCLXI. *Imperantibus in Oriente Michaele, & in Occidente Ludouico secundo.*

Iuo. Carn. lib. 2. eadem prefert. Aug. cap. 6. ii. 3. de baptismo contra Donatistas.

Radicitus est euellenda perniciosa consuetudo. 4

MAla autem consuetudo non minus quàm perniciosa corruptela abiicienda & vitanda est: quæ nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impiis assumitur: & incipiūt præuaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compresse pro legibus venerari: & priuilegiorum more perpetuo celebrari. *Item Augustinus de vnico baptismo lib. ij.*

a Aug. c. 7. eiusdem.

Veritati & rationi consuetudo est postponenda. 5

VEritate manifestata cedat consuetudo veritati. planè quis dubitet veritati manifestè consuetudinem cedere? Item nemo consuetudinem rationi & veritati præponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. *Item Greg.*[b] *Guillimundo Auersano episcopo.*

b al. VVimundo.

Ex mag. Iuo. p. 4. Aug. ca. 5. & 6. li. 4 de baptismo. Ioan. 14.

Qualibet consuetudo veritati est postponenda. 6

SI consuetudinem fortassis opponas, aduertendum est, quòd dominus dicit: Ego sum via, veritas, & vita. non dixit: Ego sum

sum consuetudo, sed veritas. & certè (vt beati Cypriani vtamur sententia) quælibet consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponenda: & vsus qui veritati est contrarius, est abolendus. *Item Augustinus in lib. de baptismo paruulorum.* *lib.3.cap.5.*

Veritate reuelata, consuetudinem sibi cedere oportet. 7

QVi contempta veritate præsumit consuetudinẽ sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus veritas reuelatur: aut circa Deũ ingratus est, inspiratione cuius ecclesia eius instruitur. nã dominus in euãgelio, Ego sum, inquit, veritas. nõ dixit, ego sum cõsuetudo. Itaq; veritate manifestata cedat cõsuetudo veritati Reuelatione igitur facta veritatis, cedat error veritati: quia & Petrus qui circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Christus veritas sit, magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus: quia cõsuetudinem ratio & veritas semper excludit. *Idem in lib. iiij. de bapt.* *Ex eod. ibid. Cap.6. eiusdem. Cap.7. eiusdem. Galat.2. Cap.4. lib.4.*

Consuetudo rationi frustra opponitur. 8

FRustra, inquit quidã, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obiiciunt: quasi cõsuetudo maior sit veritate: aut nõ sit in spiritualibus sequẽdum, quod melius à spiritu sancto reuelatũ est. hoc planè verum est: quia ratio & veritas consuetudini præponẽda sunt. sed si cõsuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retinere. *Item* [a] * *Cyprianus.* *Ex eod. ibid.* *a Scribens ad Pomponium.*

* *Cæcilius Cyprianus Carthaginensis episcopus & martyr, sedit sub Decio & Gallo & Valeriano tyrannis, circa annum Christi* CCL. & CCLXI.

Rationem consuetudo impedire non debet. 9

COnsuetudo quæ apud quosdã irrepserat, impedire non debet quo minus præualeat veritas, & vincat. nã cõsuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatẽ: sciẽtes quia apud Hesdrã veritas vincit: vt scriptũ est: Veritas valet & inualescit, & viuit in æternũ, & obtinet in secula seculorum. *Idem.* Ignosci potest simpliciter erranti: sicut de seipso Paulus Apostolus dicit: Qui prius fui blasphemus & persecutor, & iniuriosus: sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verò & reuelationem veritatis factam, qui in eo quod errauerat, perseuerat prudens & sciens: iam non in venia ignorantiæ peccat. præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. *Idem.* *3.Hesdra 3.c.& 4.d. 1.Tim.1.c. Cypr. epist. ad Iubaianum.*

Dei veritatem, non hominum consuetudinem sequi oportet. 10

SI solus Christus audiendus est, nõ debemus attendere quid aliquis ante nos faciendũ putauerit: sed quid prius qui ante omnes est Christus prior fecerit. neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatẽ: cùm per Esaiã prophetam loquatur deus & dicat: Sine causa colunt me, mandata & *Cypr. epist.3. lib.2. epistolarum ad Cæciliũ. Esaia 29.d.*

Matth. 15. c. doctrinas hominum docentes. Liquido igitur ex præmissis apparet, quòd consuetudo naturali iuri postponitur.

VERSVS.

Nonaque naturæ quod lex positiua ministret.

IVS NATVRALE PRAEPONITVR LEGI AC CONSTITVTIONIBVS.

DISTINCTIO IX.

Verba Gratiani. Epist. quinquagesima

QVOD autē constitutio naturali iuri cedat, multiplici auctoritate probatur. *Ait enim Augustin. ad Bonif.*

Leges principum naturali non prævalent iuri. Palea.

IMperatores quando pro falsitate contra veritatē cōstituunt malas leges: probantur benè credentes, & coronantur perseuerantes. quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges: terrētur sæuientes, & corriguntur intelligentes. Quicunque ergo legibus imperatorum quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult: acquirit grande supplicium. Quicunque verò legibus imperatorum quæ contra voluntatem Dei feruntur, obtemperare non vult: acquirit grande præmium. Nam à temporibus prophetarum omnes reges qui in populo Dei nō prohibuerunt, nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & euerterunt, super aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonosor cùm seruus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, vt simulachrum adoraretur: sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, piè fideliterque fecerut. Idem tamen rex diuino correctus miraculo, piam & laudabilē pro veritate constituit legē: vt quicunque diceret blasphemiam in Deum Sidrach, Misac, & Abdenago: cum domo sua penitus interiret. *Item ex verbis Isidori.*

Dan. 3. a.

Dan. 3. g.

Isidor. cap. 52, lib. 3. de summo bono.

Principes tenentur & ipsi viuere legibus suis. 2

IVstum est principē legibus obtemperare suis. tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quādo & ipse illis reuerentiā præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare iura quæ in subiectis cōstituunt, iustum est. Iusta est enim vocis auctoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur. *Item August. in prolo. lib. 3. de Trinitate.*

Aug in prologo lib. 3.

Scripturis canonicis tractatorum literæ deseruiunt. 3

NOli meis literis quasi canonicis scripturis deseruire: sed in illis & quæ non credebas cùm inueneris, incunctāter crede: in istis autē quod certum nō habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere. *Idem ad Vincentium Victorem, lib. ij.*

Aug. cap. 1. libr. 4. de anima & eius origine.

In tractatorum opusculis multa corrigenda inueniuntur. 4

NEgare non possum nec debeo sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari. *Idem ad Hiero. epist. 8.*

Au. epi. 8. ad Hiero.

In scri-

In scripturis canonicis mendacia non admittuntur.

EGo solis eis scriptorum qui iam canonici appellãtur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere: aut si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud existimẽ, quàm mendosum esse codicem: vel non esse assecutum interpretem quod dictum est: vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autẽ ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáve doctrina polleant: nõ ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores vel canonicas, vel probabiles rationes quod à vero nõ abhorret, persuadere potuerunt. *Idem.* *Hiero. id scribit ad Lucinium.*

Libris veterum Hebræa volumina, nouis Græca auctoritatem impendunt. 5

VT veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita nouorum veritas Græci sermonis normã desiderat. *Idem in epist. 1. ad Hieron.* *Aug. epist. 9. id scribit ad Hieron.*

Nihil auctoritatis canonicis remanebit scripturis, si ad eas mendacia fuerint admissa.

SI ad scripturas sacras admissa fuerint vel officiosa mendacia: quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur: cuius pondere contentiosæ falsitatis obtereretur improbitas? *Idem de vnico baptismo lib. 2.* *Aug. cap. 3 lib. 2. de bapt. cõtra Donatist.*

Literis omnium episcoporum sacra præponitur scriptura. 6

QVis nesciat sacram scripturã canonicã tam veteris quàm noui testamenti certis terminis suis contineri: eamque posterioribus omnibus episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari nõ possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit, vel constiterit esse: [1]Episcoporum autẽ literas quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur: & per sermonem fortè sapientiorem in ea re cuiuslibet peritioris, & per aliorũ episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per cõcilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est? *Idem in epist ad Vincentium.* *Nota.* *Epist. 48. contra Donatistas.*

Ex dictis quorumlibet episcoporum contra diuina mandata calumniæ non colligantur. 7

NOli frater contra diuina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia colligere velle calũnias ex episcoporum scriptis: siue nostrorum, sicut [a]Hilarij, siue Cypriani, & Agrippini, antequã pars Donati separetur. primoq; hoc genus literarum ab auctoritate canonum distinguẽdum est. nõ enim sic leguntur, tanquã ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt nõ dedignemur etiã nobis dictum ab Apostolo accipere: Et si quid aliter sapitis, *a fuo*

Philipp. 3. e. hoc quoque vobis Deus reuelauit. *Idem in epist. ad Fortunatum.*

Epist. 3. ad Fortunatianum episcopum Siccensem.

*Non debetur par reuerentia canonicis scripturis, & expositionibus *eorum.* 8

**expositoribus*

NEquê quorumlibet disputationes quanuis catholicorum & laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorũ scripturis improbare atq; respuere, si fortè inueniremus quod aliter senserint, quàm veritas habet diuino adiutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum. *Idem ad Casulanum.*

Aug. ca. 23. lib. 1. de ciuit. Dei ad Marcellinum id habet.

Exemplis ratio sana præfertur. 9

SAne quippe ratio etiam exemplis anteponenda est: cui quidem & exempla cõcordant: sed illa, quæ [a]tantum digniora sunt imitatione, [b]quantum excellentiora pietate.

a *tanto*
b *quanto*
c Verba Gratiani.

[c]Cum ergo in naturali iure nihil aliud præcipiatur, quàm quod Deus vult fieri: nihilq́ue aliud vetetur, quàm quod Deus prohibet fieri: denique cùm in canonica scriptura nihil aliud quàm in diuinis scripturis & legibus inueniatur: diuinæ verò leges natura consistant: patet quòd quæcunque diuinæ voluntati seu canonicæ scripturæ contraria probãtur, eadem etiam naturali iuri inueniuntur aduersa. Vnde quęcunque diuinæ voluntati seu canonicæ scripturę, seu diuinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale ius præferri oportet. Constitutiones ergo vel ecclesiasticæ vel seculares si naturali iuri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ. »

VERSVS.

Denaq; canonib quod lex mundana ministret.

CONSTITVTIONES SECVLARES ECCLESIASTICIS SVBSVNT.

DISTINCTIO X. 1

Verba Gratiani.

COnstitutiones verò principum ecclesiasticis constitutionibus non præeminent, sed obsequuntur. »

VNDE Nicolaus papa scribit episcopis in conci. apud Conuicinium congregatis.

Lex imperatorum ecclesiastica iura dissoluere non potest. 2

Ivo Carnot. l. 1. eadem habet.

LEge imperatorum nõ in omnibus ecclesiasticis cõtrouersiis vtendum est: præsertim cùm inueniatur euãgelicæ ac catholicæ sanctioni aliquotiens obuiare. Item lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus. Imperiali iudicio nõ possunt iura ecclesiastica dissolui. Ad quod ostendendũ duorum horum scilicet Inno. & Greg. satis sufficiunt testimonia. Sanctus quidem Innocentius in decretali epistola sua ad Alexandrum Antiochenũ Episcopũ ait: Quod sciscitaris (inquiês) vtrum diuisis imperiali iudicio prouinciis, vt duæ metropoles fiant

Innoc. 1. epist. 18.

fiant, [a] duo metropolitani debeant nominari: non visum est nobis ad mutabilitatē necessitatum mundanarū rerum, * Dei ecclesiā cōmutari: honoresq; aut diuisiones perpeti quas pro suis causis faciendas duxerit imperator. Beatus Greg. scribens ad Theorista [b] Patricium ait inter cætera: Si, inquit, religionis causa coniugia debere dissolui dicantur: sciendum est quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit.

a *sic duo.*

Greg. epist. 39. lib. 9.
b Patricius

„ Ecce quemadmodum imperiali iudicio non possunt eccle-„ siastica iura dissolui. Ecce qualiter quod lex humana concessit: „ diuina lex prohibuit. Non quod imperatorum leges (quibus „ sæpe ecclesia vtitur contra hæreticos: sæpe contra tyrannos „ atque contra prauos quoscunque defenditur) dicamus penitus „ renuendas: sed quòd eas euangelicis & apostolicis atque cano„ nicis decretis (quibus postponendæ sunt) non nosse inferre „ præiudicium asseramus. *Item † Symmachus papa in vj. synodo*

In 6. synodo Romana tempore Theoderici regis.

* *Iustinianus tamen Imperator vt locum & vrbem natalem omnib. modis celebraret: Ius metropoleos & patriarchatus seu archiepiscopatus quod prius erat Thessalonicæ, transtulit in Iustinianeam primam vrbem suam natalem à se constructam. Idque tolerauerunt Romani pontifices, vt ex Gregorij primi epistolis cognosci potest.*

Habeo librum in quo tribuitur hoc cap. Calixto.

† *Symmachus sedit circa annum Christi* CCCCXCVIII. & DX. *Imperantibus in oriente Anastasio, & in Italia Theoderico.*

Nihil quod euangelicis regulis obuiet, imperatori agere licet. 3

NOn licet imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata præsumere, nec quicquam quod euangelicis vel propheticis aut apostolicis regulis obuiet, agere. *Item Fœlix papa* [*loquitur principi.*]

* desunt hęc verba in manuscr.
Fœlix 4. sub Iustino imperatori, circa annum Christi 522.


In ecclesiasticis causis regia voluntas sacerdotibus est postponenda. 4

CErtum est hoc rebus vestris esse salutare, vt cùm de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionē regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacrosancta per eorum præsules potius discere quàm docere: ecclesiasticam formam sequi: non huic humanitus sequenda iura præfigere: neque in eius sanctionibus velle dominari, cuius clementiæ Deus voluit tuæ piæ deuotionis colla submittere: ne dum mensura cælestis dispēsationis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. *Idem.*

Bonis moribus & decretis Romanorum pontificum constitutiones contraire non possunt. 5

COnstitutiones contra canones & decreta præsulum Romanorum vel bonos mores nullius sunt momenti.

Item Nicolaus papa.



Quæ sacerdotum sunt, regibus vsurpare non licet. 6

Nico. pa. pri. ad Michaelem imperatorem scribens.

IMperium vestrum suis reipublicæ quotidianis administrationibus debet esse contentum, non vsurpare quæ sacerdotibus domini solùm conueniunt. *Item Gregor. Nazianzenus imperatoribus Constantinopolitanis.*

Tribunalia regum sacerdotali sunt potestati subiecta. 7

SVscipitis ne libertatem verbi? libenter accipitis quòd lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem: dedit & principatum multo perfectiorem principatibus vestris. Aut nunquid iustum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis cælestia superentur: & si diuinis præferantur humana? Ecce quòd constitutiones principum ecclesiasticis legibus postponendæ sunt. vbi autem euangelicis atque canonicis decretis non obuiauerint, omni reuerentia dignæ habeãtur. *Vnde Aug. ait in dialogo contra Petilianum.*

2. pars. Constitutiones seculares ecclesiasticis consentientes seruandæ. August. c. 58 li. 2. contra literas Petiliani.

Leges imperatorum in adiutorium ecclesiæ licet assumere. 8

Act. 22. f. 1. ad Ti. 2. b.

SI in adiutorium vestrum terreni imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus. Nam fecit hoc Paulus, cùm aduersus iniuriosos Romanum ciuem se esse testatur. *Item Cyprianus Iuliano imperatori.*

Reges pontificibus pro æterna vita, & pontifices regibus pro temporalibus indigent. 9

a Nic. pa. pri. id habet ad Michaelẽ imperatorem scribens. Iuo Carno. li. 2. consilutus.

QVoniam [a] idem mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit propria: volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri, nõ humana superbia rursus in inferiora demergi: vt etiam Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent: & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterẽtur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & deo militãs minime secularibus negociis sese implicaret, ac vicissim ne ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset secularibus negotiis implicatus. *Item * Leo 4. Lothario Aug.*

**Sedit hic Leo huius nominis primus Ludouici pij filius Caroli Magni nepos, circa annum Christi, D. CCC. XLVII. sub Michaele Orientis, & Lothario Occidentis Imperatoribus.*

Ex Iuone, prosert tamen cum sequentibus. *capitularib.

Leges imperatorum custodiri oportet. 10

DE *capitulis vel preceptis imperialibus vestris, vestrorumque etiam pontificum prędecessorum irrefragabiliter custodiendis & conseruandis: quãto valuimus & valemus Christo propitio, & nunc, & in æuum nos cõseruaturos modis omnibus profitemur: & si forrasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit: sciatis eum pro certo mendacem. *Item Ioan. * vij. Ludouico [b] imperatori.*

b Huius nominis 3. cognomento Balbo, Caroli Calui Franc. regis filio. Contius.

* VII) VIII. *nominatur apud magn. Iuo. par. 6. quod caput illis*

tutat multo prolixius. Sed & in manuscripto Gratiano scriptum est Ioannes VIII. *Nam Ioannes septimus erat fœmina.* *Contius.*

Legis auctoritate dissoluitur quod contra eam fit. 11

VIdes fili chariſſime, quia quicquid contra leges accipitur, per leges diſſolui meretur. *Item *Gelasius Rufino, & Aprili episcopis.*

**Sedit sub Anastasio imperatore, anno* CCCCXCIII.

Leges principum, aut regulas patrum contemni non licet. 12 Ex Iuone P. 4.

QVis autem leges principum, aut regulas patrum, aut admonitiones paternas dicat debere cōtemni: niſi qui impunitum ſibi tantum exiſtimet tranſire commiſſum?

Item Theodorico regi.

Seruentur ab omnibus Romanorum principum leges. 13 Ex eodem.

CErtum eſt magnificentiam veſtram leges Romanorū principum quas in negociis hominum cuſtodiendas eſſe præceperit, multo magis circa reuerētiam beati Petri apoſtoli pro ſuæ fœlicitatis augmento velle ſeruari. *Item Leo quartus Lothario Augusto.*

Romana lex nullius temeritate debet corrumpi. 14 Ex eodem.

VEſtram flagitamus clementiam, vt ſicut hactenus Romana lex viguit abſque vniuerſis procellis:& quæ pro nullius perſona hominis reminiſcitur eſſe corrupta: ita & nunc ſuum robur propriumque vigorem obtineat.

VERSVS.

Vsum legali iuri succumbere sentis.

CONSVETVDO LEGIBVS CEDIT.

DISTINCTIO XI.

" QVOD verò legibus conſuetudo cedat, Iſidorus teſta-
" tur, dicens in ſynonymis, lib. 2. Verba Gratia. 1. pars. Isidor. in dialogo siue synonymis hominis & rationis.

Prauus vsus ratione superatur & lege.

VSus auctoritati cedat: prauum vſum & lex & ratio vincat. *Item Nicolaus papa Michaeli imperatori.* Nicol. pa. pr. epi. ad Michaelem.

Non potest statutis pontificum consuetudo cuiusquam refragari. 2

COnſequens eſt, vt quod ab huius ſedis rectoribus plena auctoritate ſancitur, nullius cōſuetudinis præpediente occaſione proprias tantummodo ſequēdo voluntates remoueatur: ſed firmius atque inconcuſſe teneatur. *Item Iulius *papa.* Iul. papa pri. epi. pri. ad orient. episcopos.

** Sedit hic Iulius primus ab anno Christi* CCCXXXVI. *vsque ad annum* CCCLII. *sub Constantino Magno.*

Non licet à consuetudine Romanæ ecclesiæ membris dissentire 3 Hebr. 13. d.

NOlite errare fratres mei chariſſimi: doctrinis variis & extraneis nolite abduci: & inſtituta apoſtolorum & apoſtolicorum virorū canonesq́, habetis: his fruimini: vt freti eis cōtra cuncta inimicorū iacula perſiſtere valeatis. Satis enim indignum eſt quenquā vel pontificum, vel ordinum ſubſequē-

tium hanc regulam refutare, quam beati Petri sedem & sequi viderit, & docere. Multum enim conuenit vt totum corpus ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet: quæ inde auctoritatem habet, vbi dominus totius ecclesiæ posuit principatũ. *Item codice lib. viij. tit. Quæ sit longa consuetudo.*

Constantinus imperator ad Proculum.

Non potest vsus & consuetudo legem & rationem vincere. 4

COnsuetudinis vsusq́ue longæui non vilis auctoritas est: verum non vsque adeo valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem scriptam.

Verba Grat.

Consuetudo canonibus ac legibus cõsona est seruanda.

Cùm verò nec sacris canonibus, nec humanis legibus consuetudo obuiare monstratur: inconcussa consuetudo seruãda est. *Vnde Augu. ait in lib. ex dictis Basilij.*

Inuiolabilis est consuetudo quæ nec humanis legibus, nec sacris canonibus obuiare monstratur. 5

Ivo Carn. li. 2. consimiliter profert.

ECclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdã verò apostolica traditione per successores in ministerio cõfirmatas accepimus: quasdã vero cõsuetudine roboratas approbauit vsus: quibus par ritus & idẽ [a] vtriusq; pietatis debetur affectus: vnde quis vel aliquantulũ sacrarũ expertus scripturarũ hæsitauerit? Si enim attẽderimus cõsuetudines ecclesię nõ per scripturas à patribꝰ traditas nihili ęstimare: quantũ religio detrimenti sit latura, intentiuè inspicientibus liquido cõstabit.

a vtriusque

Quæ enim (vt inde exordiamur) scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri: vel quæ trifariam digesta super panem & calicem, prolixæ orationis vel consecrationis verba commendauit? nam non modo quod in euãgelio continetur, vel ab Apostolo quod est insertu secretis dicimus: sed & alia plura adijcimus, magnam quasi vim commendantia mysteriis. Quæ orientem versus nos literarum [b] orare forma docuit? Benedicimus fontẽ baptismatis oleo vnctiõis. [c] Huic accedit quòd ter oleo inungimus quos baptizamus. verbis abrenunciare satanæ & angelis eius informamus. vnde & hęc & alia in hunc modum non pauca, nisi tacita ac mystica traditione à patribus ecclesiastico more, ac reuerentiori diligentia sunt in ministeriis obseruata magis silentio, quàm publicata scripto. *Idem ad Casulanum presbyterum.*

b adorare.

c Huc accedat quod ter mergimus, quòd baptizatos oleo vngimus.

Greg. id habet epist. 75. lib. epist. ad episcopos Numidiæ.

Laudabilis est consuetudo, quæ nihil fidei contrarium vsurpat. 6

COnsuetudinem laudamus, quæ tamẽ contra fidem catholicam nihil vsurpare dinoscitur. *Idem ad eundem.*

Vbi auctoritas deficit, mos populi & maiorũ instituta pro lege seruãtur. 7

Augustinus epist. 86. ad Casulanum.

IN his rebus de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei & instituta maiorum pro lege tenẽda sunt; & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. *Idem in libro de fide Christiana.*

Aucto-

Auctoritate & traditione generali vel speciali ecclesia regitur. 8

CAtholica ecclesia per orbem terrarum diffusa, tribus modis probatur existere. quicquid enim in ea tenetur: aut auctoritas est scripturarū, aut traditio vniuersalis, aut certè propria & particularis institutio: sed auctoritate tota cōstringitur: vniuersali traditione maiorum nihilominus tota: priuatis verò constitutionibus & propriis informationibus vnaquæque pro locorum varietate prout cuique visum est, & subsistit & regitur. *Idem in lib contra Manichæos.*

Aug.c.2.lib.11. contra Faustum Mani.

Valet ad fidem catholicam auctoritas ecclesiæ. 9

PAlam est quòd in re dubia ad fidem & certitudinem valeat auctoritas ecclesiæ catholicæ, quę ab ipsis fundatissimis apostolorum sedibus vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet & episcoporum serie, & tot populorum consensione confirmatur. *Item Leo papa.*

Ab apostolicis institutis non licet recedere. 10

HOc vestræ indicimus charitati, vt ab apostolicis institutis nullo vlterius recedatis excessu: quia multū post hoc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit esse negligendas. *Item *Innnoc. Decentio episcopo.*

Innocentius papa 1. epist.1. ad Decentium episcopum Eugubinum.

** Sedit hic Innocentius circa annum Christi* C C C C. *Imperantib. Arcadio & Honorio.*

Ab omnibus obseruari debet, quod Romana seruat ecclesia. 11

QVis nesciat aut nō aduertat, id quod à principe apostolorum Petro Romanæ ecclesiæ traditum est, ac nunc vsq; custoditur, ab omnibus debere seruari: nec superduci, aut introduci aliquid quod auctoritatem debeat generalem aliunde accipere vel exemplum: præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, & Galliam, Hispaniam, & Aphricam, atque Siciliam, insulasq; interiacentes nullū instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus, aut successores eius constituerunt sacerdotes. Legant autē si in his prouincijs alius apostolus inuenitur aut legitur docuisse: quod si non legunt, quia nusquā inueniunt: oportet eos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit: à qua principiū eos accepisse non dubium est: ne dum peregrinis [a] sermonibus student, caput institutionum videantur [b] amittere. Sæpe dilectionem tuam ad vrbem venisse, ac nobiscum in ecclesia conuenisse non dubium est: & quem morē vel in consecrandis mysteriis, vel cæteris agendis arcanis teneat, agnouisse: quod sufficere arbitraremur ad informationem tuæ ecclesiæ, vel reformationem, si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint: & satis certum haberemus, nisi de aliquibus nos cōsulendos esse duxisset: quibus idcirco respondemus non quòd te [c] ignorare credamus: sed vt maiori auctoritate vel tuos instituas: vel si qui à Roma. eccle.

a assertionibus. b amittera.

c ignorare aliqua.

institutionibus errant aut commoneas; aut nobis indicare non differas: vt scire valeamus qui sint qui aut nouitates inducunt, aut alterius ecclesiæ quàm Romanæ existimant consuetudinem esse seruandam.

VERSVS.

Quæ facienda putas præeat discretio mentis.

CONTRA CONSVETVDINES ET TRADITIONES VNIVERSALES NON EST AGENDVM. DISTINCTIO. XII. 1

Verba Gratiani. 1. pars.

QVod absque discretione iustitiæ nulli agere licet.

* *Vnde Calixtus papa omnibus episcopis ait:*

Calix. papa primus epi. 1. ad Benedictum episcopum.

* *Calixtus à Petro decimussextus papa Rom. temporib. Antonini sedit circa annum Christi* CCXX.

Nulli agere licet sine discretione iustitiæ contra disciplinam Romanæ ecclesiæ. 2

NOn decet à capite membra discedere: sed iuxta scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum: à cuius regulis nullatenus vos conuenit deuiare: & sicut Dei filius venit facere voluntatē patris sui, sic & vos implete voluntatē matris vestræ, quæ est ecclesia: cuius caput (vt prædictū est) Roma. cōsistit ecclesia. Quicquid ergo sine discretione iustitiæ contra huius disciplinā actum fuerit, ratum haberi nulla ratio permittit. *Item Gregorius papa.*

Anastasius papa 2. hoc habet principiũ, scribens ad Anastas. Augustum. cap. 6.

Apostolicis præceptis nullus superbè resistat. 3

PRæceptis apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiā quæ à sancta Roma. eccle. & apostolica auctoritate iussa sunt, salutiferè impleantur, si eiusdē sanctæ dei ecclesiæ (quæ est caput vestrum) cōmunionem habere desideratis. Nō nouum aliquid præsenti iussione præcipimus, sed illa quę olim videntur indulta, firmamus: cum nulli dubiū sit quòd non solùm pōtificalis causatio, sed omnis sanctæ spei Roma. eccle. & religionis relatio ad sedem apostolicam quasi ad caput omnium ecclesiarum debuit referri: & inde normā assumere, vnde assumpsit exordiū: ne caput institutionis videatur omitti. Cuius auctoritatis sanctionē omnes teneant sacerdotes, qui noluerint ab apostolicæ Petræ (super quam Christus vniuersalem fundauit ecclesiam) soliditate cōuelli. Si quis hæc apostolicæ sedis præcepta non obseruauerit: percepti honoris esse hostis non dubitetur. *Item Nicolaus Michaëli imperatori.*

Non est resistendum consuetudini, cui canonica non obstat auctoritas. 4

Ivo Carn. lib. 2. id eidem tribuit.

SCit sancta Roma. ecclesia, quòd nihil obsunt saluti credentiū diuersę pro loco & tēpore cōstitutiones vel consuetudines, si illis canonica nō obsistat auctoritas, pro qua eis obuiare debeamus. vnde nil iudicamus eis debere vel posse resisti.

Item

* Item Hiero. ad Lucianum.

*Hieronymus natus anno Christi CCCXXXI. mortuus verò anno CCCCXXII. sub iisdem temporibus, & Imperatoribus claruit doctrina & libris quibus Ambrosius & Augustinus

Consuetudines quæ fidei non officiunt, vt à maioribus tradita sunt, obseruentur. 5

ILlud breuiter te admonendū puto, traditiones ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiūt, ita obseruādas, vt à maioribus traditæ sunt: nec aliquorum consuetudinē, aliorum contrario more subuerti. *Item Nicolaus Ignatio*episcopo.*

Hieron. ad Lucianum scribens.

* Ignaro

Traditiones à patribus institutæ non sunt infringendæ. 6

RIdiculum est & satis abominabile dedecus, vt traditiones quas antiquitus à patribus suscepimus, infringi patiamur. *Item Institutionum lib. j. titu. ij.*

Ivo Carn. lib. 2. eadem profert.

Diuturni mores pro lege sunt habendi. 7

DIuturni mores (nisi legi sint aduersi) consensu vtentium approbati, legem imitantur. *Item Codice lib. viij. titu. Quæ sit longa consuetudo. c. j.*

Quicquid fit contra longam consuetudinem, reuocari oportet.

COnsuetudo præcedens, & ratio quæ consuetudinem suasit, tenenda est. Et quicquid contra longam consuetudinem fiet, ad solicitudinem suam reuocabit præses prouinciæ. *Item Gregorius vniuersis episcopis Numidiæ.*

Imperator Alexander.

Immota maneat consuetudo, quæ contra fidem catholicam nihil vsurpare dinoscitur. 8

NOs consuetudinem quæ contra fidem catholicam nil vsurpare dinoscitur, immotā permanere concedimus: siue de primatibus constituendis, siue de cęteris capitulis: exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perueniūt: quos prouehi ad primatus dignitatem (etiam cùm ordo clericorum eos deferat ad locum eundē) modis omnibus prohibemus. Sufficiat autē illis commissæ sibi plebis curam gerere: non autem illos antistites quos catholica fides in ecclesiæ sinu docuit & genuit ad obtinendum culmen primatus anteire. *Item Gregorius.*

Grego. papa pri. epist. 75. lib. pri.

Non negentur quæ consuetudinis sunt. 9

QVemadmodum quæ illicita sunt, perpetrare non patimur: sic quæ sunt consuetudinis, non negamus. *Item Gregorius Augusti. Anglorum episcopo.*

Grego. pap. ...l ... 81. lib. 7. ad Maximū Salonitanum. episc. Idem cap. 3 respondens ad interrogationem tertiam Augustini Cantuariensis archiepiscopi.

Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat. 10

NOuit fraternitas tua Romanæ eccle. consuetudinem, in qua se meminit esse nutritam: sed mihi placet, vt siue in Romana siue in*Gallicorum, siue in qualibet ecclesia inuenisti quod plus omnipotenti deo possit placere, solicitè eligas: & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc in fide noua est, & in con-

* Gallicanorum.

constitutione præcipua, quæ de multis ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibuscunque ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige: & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. *Item Augu. ad Ianuarium.*

Epist. 118.

Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum. 11

* Alias, illa verò.

ILla autem* quæ nõ scripta, sed tradita sunt, custodimus: quæ autẽ toto orbe terrarum obseruantur: datur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel ex plenariis conciliis (quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas) commendata atq; statuta retineri: sicut id quòd domini passio & resurrectio, & ascẽsio ad cælũ, & aduentus spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrãtur: & si quid aliud tale occurrerit quod seruetur ab vniuersis quocũque se diffundit ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variãtur, sicut est quòd alij ieiunant sabbatum, alij non, alij verò quotidie cõmunicant corpori & sanguini domini, alij certis diebus accipiunt: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Quòd enim neque contra fidem catholicam, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum: & pro eorum inter quos viuitur societate, seruandum est. Augu. idem auctoritate Ambrosij asserit. Mater mea Mediolanum me secuta inuenit ecclesiam sabbato non ieiunantem, cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego cõsului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium episcopum. At ille ait: Cùm Romam venio, sabbatum ieiuno; cùm Mediolani sum, non ieiuno. Sic & tu ad quãcunque fortè ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquã nõ vis esse scandalum, nec quenquam tibi. Hoc cùm matri renũciassem, libẽtur amplexa est.

a Verba Gratiani.

" [a] Hoc autem de consuetudine illa intelligendum est, quæ vel vniuersalis ecclesiæ vsu, vel temporis prolixitate roboratur. Cæterùm si pro varietate temporum, vel animorum, vel locorum variæ consuetudines introducantur, inuenta opportunitate resecandæ sunt potius quàm obseruandæ. "

Epi. 119. cap. 19.

Vnde Augusti. scribit ad inquisitiones Ianuarij.

Resecanda sunt quæ neque auctoritatibus neque moribus vniuersitatis comprobantur. 12

OMnia talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporũ statuta inueniuntur, nec cõsuetudine vniuersalis ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorũ diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut nunquã omnino possint inueniri causæ, quas in eis constituendis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur,

buitur, sine vlla dubitatione resecāda existimo. quanuis enim neq; hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem quā in paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia dei voluit esse liberā, seruilibus oneribus premūt, adeò vt tolerabilior sit conditio Iudęorum: qui etiam si tempus libertatis nō cognouerint, legalibus tamen sacramentis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur. *Item ex Concilio Toleta. xi. cap. iij.*

Omnes prouinciales eundem in psallendo modum teneant, quem metropolitanam sedem habere cognouerint. 13

DE his qui contra apostolicam voluntatem circunferuntur omni vento doctrinę, placuit sancto concilio, vt metropolitanæ sedis auctoritate coacti, vniuscuiusq; prouinciæ ciues, rectoresq; ecclesiarum vnum eundēq; in psallendo teneant modum, quem à metropolitana sede cognouerint institutum: nec aliqua diuersitate cuiusq; ordinis, vel officij à metropolitana sede patiantur se disiungi. Sic enim iustum est, vt inde vnusquisq; sumat regulas magisterij, vnde honoris consecrationē accepit: vt iuxta maiorum decreta; sedes quæ vniuscuiusq; sacerdotalis dignitatis est mater, ecclesiasticæ dignitatis vel rationis sit magistra. Abbatibus sanè indultis officijs, quæ iuxta voluntatem sui episcopi regulariter ab illis implenda sunt: cætera officia publica, id est, vesperas, matutinum, siue missam aliter quàm in principali ecclesia celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus a communione priuatus, apud metropolitanam sub pœnitentiæ censura maneat corrigendus: quatenus apud illum & præteritæ transgressionis culpam lachrymis diluat: & necessariam officiorum doctrinam studiosè addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solùm metropolitanus totius suæ prouinciæ pontifices vel sacerdotes adstringat, sed & cæteri episcopi subiectos suos ecclesiarum rectores obtemperare suis institutionibus cogant.

3. parte. Ephes. 3. a.

Item ex Concilio Bracharensi. j. cap. xix.

Ordo seruetur in matutinis & vespertinis officijs vnus & idem. 14

PLacuit omnibus communi consensu, vt vnus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officijs teneatur: & non diuersæ ac priuatæ, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtæ.

Ius

VERSVS.

Contra naturæ ius dispensare vetaris.

IVS NATVRALE EST INDISPENSABILE. DISTINCTIO XIII.

1

Verba Gratiani.

ITem aduersus naturale ius nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita vrgeant: vt alterum eorum necesse sit eligi. Vnde in concilio Toletan. viij. cap. ij. sic legitur.

Minus malum de duobus malis eligendum est. 2

DVo mala licet omnino cautissimè sint præcauenda, tamen si periculi necessitas vnū ex his perpetrare compulerit, id debemus resoluere quod minori nexu noscitur obligari. Quid autem leuius ex his, quídve grauius sit: puræ rationis acumine inuestigemus. Etenim dum peierare compellimur, creatorem quidem offendimus: & nos tantummodò maculamus. Cùm verò noxia promissa complemus, & dei iussa contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nosipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. Illinc enim duplici culpatum gladio perimus: hinc tripliciter iugulamur.

Cap. 18. lib. 32. in 40. cap. Iob id habet Gregor.

Item Greg. in moralibus parte vi. lib. xxxij. cap. lv. & lvj.

De eodem.

NErui testiculorum Leuiathā perplexi sunt: quia suggestionum illius argumenta implicatis inuentis illigantur: vt plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse fugere peccatū appetant, hoc sine alio peccati laqueo non euadant, & culpam faciant dum vitant: ac nequaquam se ab vna valeant soluere, nisi in alia se consentiant ligari. Quod melius ostendimus si qua ex conuersatione hominum illigationis huius exempla proferamus. Ecce quidā dum mundi huius appetit amicitias, cuilibet alteri similem sibi ducenti vitam, quòd secreta scelera illius omni silentio contegat, se iureiurando constringit, sed is cui iuratum est, adulterium perpetrare cognoscitur: ita vt etiam maritum adulteræ occidere conetur. Is autem qui iusiurandum præbuit, ad mentem reuertitur, & diuersis hinc inde cogitationibus impugnatur: atque hoc silere formidat, ne silendo adulterij simul & homicidij particeps fiat; & prodere trepidat, ne reatu se periurij obstringat. Perplexis ergo testiculorum neruis ligatus est, quia in quamlibet partem declinet, metuit ne à transgressionis contagione liber non sit.

2. part. Cap. 19. eiusdem.

Alius cuncta quæ mundi sunt deserēs, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens, alieno se subdere regimini appetit: sed eum qui sibi apud deum præesse debeat: minus cauta inquisitione discernit: cui fortasse is qui sine iudicio eligitur, cum præesse iam cœperit, agere quæ dei sunt prohibet, &

quæ

quæ mundi sunt iubet. Pensans itaque subditus, vel quæ sit culpa inobedientiæ, vel quod contagium secularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat: ne aut obediens deum in suis præceptis deserat: aut rursus non obediens, deum in electo priore contẽnat. & infra. Alius pensare pondus ecclesiastici honoris negligens, ad locum regiminis præmiis ascendit: sed quia omne quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet: dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa reuocatur: doletque se ad laborem cum culpa peruenisse; quamque sit iniquum quod amiserit, ex ipsa fractus difficultate cognoscit. Reum igitur se cum impensis præmiis agnoscens, vult adeptæ sublimitatis locum deserere: sed timens ne grauius delictum sit suscepti gregis custodiam reliquisse, vult suscepti gregis curam gerere: sed formidat ne deterior culpa sit regimina pastoralis* gregis dimittere, quàm empta possidere. Per honoris ergo ambitum ligatum culpa hinc inde se conspicit esse. Quippe sine reatu criminis neutrum videt, si aut susceptus semel grex relinquatur: aut rursus sacra actio seculariter empta teneatur. Vndique metuit, & vt suspectus latus omne pertimescit, ne aut stans in empto regimine non digne lugeat, quod non etiam deserens emendat: aut certè regimen deserens, dum aliud flere nititur, rursus aliud de ipsa gregis destitutione committat. Est tamen quod ad destruendas Beemoth versutias subtiliter fiat, dum mens inter minora & maxima peccata constringitur. Si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum vndique ambitu ne fugiat, clauditur: ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur*. Hinc etiam Paulus cùm quosdam in ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, vt maiora declinarent, dicens: Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat. Et quia tunc solùm coniuges sine culpa in admixtione sunt, cũ non pro explenda libidine sed pro suscipiẽda prole miscẽtur: vt hoc etiã quod cõcesserat, sine culpa quamuis minima non esse monstraret, illico adiunxit. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim sine vitio est quod ignoscitur. & non præcipitur. Peccatũ profectò vidit: sed quod posset indulgeri præuidit. Sed cùm in dubiis constringimur, vtiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Itaque plerunque neruorum Beemoth illius perplexitas soluitur, dum ad virtutes maximas per commissa minora transitur.

*regimina pastoralis gregis empta possidere.

2.part. Cap. 20. eiusdem.

*ingeritur.

1.Cor. 7.

1.Cor. 13. b.

VERSVS.

Ne peccent alij grauius, leuius vtteatis.

IVS NATVRALE EST INDISPENSABILE, SED NON CONSVETVDO AVT LEX.

DISTINCTIO XIIII. 1

Verba Gratiani.

VErùm hoc ita in vna eademque persona intelligitur. Cæterùm an in diuersis eadem dispensatio locum habeat, videlicet vt committamus minora, ne alij grauioribus implicentur, meritò quæritur. DE his ita scribit Augustinus in libro. v. quæstionum, super Genesim libro primo.

Aug. lib. 1. quæstio. cap. 42. Gene. 19. b.

Nō sunt à nobis aliqua cōmittenda delicta, ne alij grauiora cōmittant. 2

QVod ait Sodomitis Loth, Sunt mihi duæ filiæ quæ nondum nouerunt viros, perdūcam illas ad vos, & abutimini illis sicut vobis placuerit: tantùm in viros istos ne faciatis iniquum. Quoniam volebat prostituere filias suas hac compensatione, vt viri hospites eius nihil à Sodomitis tale paterentur: vtrum admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumcunque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat: an potius perturbationi Loth, non consilio tribuendum sit quod hic dixerit, meritò quæritur. Et nimirum periculosissimè admittitur hęc compensatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ; nullo modo imitanda est.

Verba Gratiani. 2. pars.

Consuetudinis autem vel constitutionis rigor non nunquam relaxatur. † *Vnde Leo papa ait.*

Leo papa 1. epi. 90. ad Rusticum Narbonen. episcopum

† *Sedit hic Leo 1. sanctissimus & doctissimus, circa annū Christi CCCCXLIII. præfuitque annis XXI sub Theodosio & Valentiniano Imperat. paulo post Augustini tempora.*

Quæ constitutiones valeant temperari, vel quæ non. 3

SIcut quædam sunt quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt quę aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oportet temperari: illa consideratione semper seruata, vt in his quę vel dubia fuerint aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis euangelicis cōtrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur aduersum.

VERSVS.

Tempus in hac disce, quo canon cœperit esse.

DE ORIGINE ET AVCTORITATE CANONVM DISTINCTIO XV.

Verba Gratiani.

QVoniam de iure naturali, & cōstitutione vel consuetudine hactenus disseruimus, differentiam qua abinuicem discernuntur assignantes: nunc ad ecclesiasticas constitutiones stylum vertamus: earum originem & auctoritatem prout ex libris sanctorum patrum colligere possumus, breuiter assignantes.

Quo

Quo tempore cœperunt canones generalium Conciliorum. 2

CAnones generalium conciliorum (vt Isidorus ait in lib. vj. Etymolog. ca. xviij.) à temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus namque annis persecutione feruente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diuersas hæreses scissa est, quia non erat episcopis licentia [a] conueniendi in vnū nisi tempore supradicti imperatoris. Ipse enim dedit facultatē Christianis libere cōgregari. sub hoc etiā sancti patres in concilio Niceno, de omni orbe terrarū conuenientes, iuxta fidem euangelicā & apostolicam, [b] secundū post apostolos symbolum tradiderunt. Inter cætera autem concilia quatuor sunt venerabiles synodi, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor euangelia, vel totidem paradisi flumina. Harum prior Nicena synodus. cccxviij. episcoporum Constantino Augusto imperante peracta est, in qua Arrianæ perfidiæ condemnata blasphemia, quam de inæqualitate sanctæ trinitatis idem Arrius asserebat. consubstantialem enim deo patri † dei filium eadē sancta synodus per symbolum definiuit. Secunda synodus numero. cl. patrū sub Theodosio seniore [c] Cōstantinopoli cōgregata est, quę Macedoniū, sanctum spiritum Deum esse negantem, cōdemnans, consubstantialem patri & filio, sanctum spiritum demonstrauit, dans symboli formam quam tota Græcorum & Latinorum in ecclesiis cōfessio prædicat. Tertia synodus, Ephesina prima, cc. episcoporū, sub iuniore Theodosio Augusto ædita: quæ Nestorium duas personas in Christo asserentē, iusto anathemate condēnauit: ostendens * manere in Christo duas naturas, & vnā domini nostri Iesu Christi personam. Quarta synodus Chalcedonen. quæ sexcentorū xxx. sacerdotum sub Martiano principe habita est: in qua Eutychē Constantinopolitanū abbatē verbi Dei & carnis vnā naturam pronunciantē, [eum & eiusdē Dioscorū defensorē] quondā Alexādrinum episcopum, & ipsum rursus Nestoriū episcopū cum reliquis hæreticis vna patrum sententia prædamnauit: prædicans eadē sancta synodus Christum Deum sic natum de virgine, vt in eo substantiā, & diuinę & humanæ confiteamur naturæ. Hæ sunt quatuor synodi principales, fidei naturā plenissimè prædicantes. Sed etsi qua sunt [[d] alia] concilia quę sancti patres spiritu dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritates, omni maneant stabilita vigore: quorum gesta in hoc opere condita continentur.

Synodus autem ex Græco interpretatur comitatus, vel cœtus. Concilij vero nomen tractum est ex more Romano. tempore enim quo agebātur causę, conueniebāt omnes in vnum, & communi intentione tractabant. Vnde & conciliū à commu-

Isid. id habet cap. 16 lib. 6. Ety. Idem in præfatione conciliorum & canonum.

a al. apud Isid. in vnum conuenire.

b al. secundo. in manusc. Gra. & Isid.

ὁμοούσιον.

c Constātinopolim, in Isidoro & Grat. manusc.

pro inclusis legitur in vet. ma. & eius defensorem Dioscorum.

d al. deest. al. eius loco scribitur, similia.

Synodus quid est.

Hæc Isid. verba cõstat esse perturbata vt à quibusdam epitomatoribus, vt & in exẽplaribus eiusdem Isid. sic aũt videtur legendum, † quasi cõciliũ. Nam Cilia oculorũ sunt. Vel concilium dictum est à cõmuni sessione, quasi considiũ D. in L. literã transeunte. Cœtus vero &c.

muni intentione dictum est [quasi consilium |c, in s, literam transeunte: vel concilium dictum est à communi intentione, eo quòd in vnum dirigant omnẽ mẽtis intuitũ.| Cilia etenim oculorum sunt.|vnde qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium, quia nõ consentiũt in vnum|]. Cœtus verò conuentus est vel cõgregatio, à coeũdo, id est, |à| cõueniẽdo in vnũ. Hinc |etiam| cõuentus est nuncupatus, |eo| quòd omnes ibi conueniunt |in vnum|. Sicut à conuentu cœtus dicitur: sic & concilium à societate multorum in vnum, appellatur.

De quatuor quoque conciliis scribit beatus Greg. ita dicẽs.

[†dei filiũ] *Vet. Isid. exẽplaria habẽt, deũ filiũ. quadã vero Grat. manus. dei filiũ. sed magis Arriano dogmati repugnat si legam⁹, deũ filiũ. quàm dei filium: fatebatur enim aliquãdo dei filiũ sed nõ deũ patri cõsubstantialem.*

[*manere in Christo] *Verbum, Christo, in omnibus deest, Vet. Isido. manuscrip sic habet, Manere in duabus naturis vnam domini Iesu Christi personam. sicque in meo manuscripto Gratiano legitur.*

De auctoritate quatuor conciliorum. 3

Epi. 24. lib. 1. Ioanni episcop. Constãtinop. Eulogio &c.

SIcut sancti euãgelij quatuor libros, sic quatuor cõcilia suscipere & venerari me fateor. Nicenũ scilicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur. Constantinop. quoq;, in quo Eunomij & Macedonij error cõuincitur. Ephesinũ etiã primũ in quo Nestorij impietas iudicatur. Chalcedonense verò, in quo Eutychetis & Dioscori prauitas est reprobata. Hæc tota deuotione amplector, |&| integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura cõsurgit: & cuiuslibet vitę|[a] cõmunis| atq; actionis norma cõsistit. Quintum |verò| concilium veneror, in quo epistola quę ibe dicitur, erroris plena reprobatur; |in quo| Theodorus personã mediatoris dei & hominis in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiã cecidisse cõuincitur [[b] & in quo scripta] Theodori per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu demẽtiæ prolata refutantur. Cunctas verò quas præfata veneranda concilia personas respuũt, respuo: quæ venerãtur amplector: quia dum vniuersali sunt cõstituta cõsensu, se & nõ illa destruit quisquis præsumit absoluere quos ligant, aut religare quos [c] absoluunt.

a deest in Gratia. manusc.

b scripta quoque

c absolue: int. Extat integrum in lib. canonum Isido.

De eisdem etiam scribit Gelasius papa, *dicens:

** Sedit hic Gelasius papa doctissimus sub Anastasio orientis & Theoderico occidentis imperatoribus circa annum Christi CCCCXCI.*

Quæ concilia sancta Romana ecclesia suscipiat. 4

Gelasius pap. 1. cum 70. episcopis statuit.

d Vet. Maximiano Constantino Augusto.

SAncta Roma. eccle. post illas veteris testamẽti & noui scripturas, quas regulariter suscipimus: etiã has suscipi nõ prohibet. Sanctã synodũ Nicen. cccxviij. patrũ mediãte [d] maximo Cõstantino Augusto; in qua Arrius hæreticus condẽnatus est. Sanctã synodũ Constantinop. mediãte Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam dãnationẽ excepit.

cepit. Sanctā synodū Ephesinam primā, in qua Nestorius dānatus est cōsensu beati papæ Cœlestini mediāte Cyrillo Alexandrinę sedis antistite, & Arcadio episcopo ab Italia destinato. Sanctā synodum Chalcedonēsem mediāte Martiano Augusto, & Anatolio Cōstantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana & Eutychiana hæresis simul cum Dioscoro eiusque complicibus dānatæ sunt. Sed etsi qua sunt cōcilia à sanctis patribus hactenus instituta post istorū quatuor auctoritatē, etiā custodiēda & recipiēda mādamus & decernimus. Iam nunc subiiciendum est de opusculis sanctorum patrum, quæ in ecclesia catholica [a] recipiuntur.

[a] al. repetiuntur

Opuscula beati Cypriani martyris, & Carthaginēsis episcopi. *Item Opuscula beati Cyrilli.* Itē opuscula beati Athanasij Alexandrini episcopi. Itē opuscula beati Greg. Nazianzeni episcopi. Itē opuscula B. Basilij Cappadocē. episc. Itē opuscula B. Ioannis[b] Cōstanti. episc. *Itē opuscula B. Theophili Alexandr. episc.* *

[b] qui Chrysostomus dicitur.

* vet. intelligit nisi fallor libros eius Paschales à B. Hieron. latinitate donatos.

Itē opuscula beati Hilarij Pictauien. episc. Itē opuscula beati Aug. Hipponē. epis. Item opuscula beati Ambros. Mediolanēsis episco. Itē opuscula beati Hieronymi presbyteri.

Itē opuscula beati Prosperi viri religiosissimi. Itē epistolā beati Leonis papæ ad Flauianū episcopū Constan. destinatā: cuius textū [[c] aut vnū iota si quisquā idiota] disputauerit, & non eā in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit. Itē opuscula atq; tractatus omniū patrū orthodoxorū, qui in nullo à sanctæ Romanæ ecclesiæ consortio deuiauerunt, nec ab eius fideli prædicatione seiuncti sunt, sed cōmunionis ipsius gratia dei vsq; ad vltimū diem vitæ suæ participes fuerunt, legenda decernimus. Item decretales epistolæ quas beatissimi papæ diuersis temporibus [d] ab vrbe Romana pro diuersorum patrum [e] cōsultatione dederunt, venerabiliter suscipiendę sunt. [Item gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormētorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triūphis irradiāt. Quis ita esse catholicorū dubitet, & maiora eos in agonibus fuisse perpessos: nec suis viribus, sed dei gratia & adiutorio vniuersa tolerasse?] Sed ideo secūdum auctoritatē antiquā vel cōsuetudinē singulari cautela in sancta Romana ecclesia nō legūtur, quia eorum qui scripsere nomina penitus ignorantur: & ab infidelibus [[f] aut dictis] superflua, aut minus apta q̃ rei ordo fuerit, scripta esse putātur: sicut cuiusdā Quirici & Iulitæ matris eius: sicut [g] Gregorij aliorūq; passiones huiusmodi quæ ab hæreticis probantur cōscriptæ: propter quod (vt dictum est) ne vel leuius subsannādi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes martyres & eorum gloriosos agones, qui deo magis quā hominibus noti sunt, omni deuotione veneramur.

[c] pro inclus. legendum, si quispiam vsque ad vnum iota.

[d] vet. ad vrbem Romam

[e] vet. cōsolatione. & sic in tomis conciliorum Lutetię impressis. Inclusa desunt in manuscripto meo Gratiano.

[f] Idiotis leg.

[g] Georg. leg.

Item vitas patrum, Antonij, Pauli, Hilarionis, & omniũ eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus.

Item actus beati Syluestri apostolicæ sedis præsulis; licet eius qui scripsit nomẽ ignoremus: à multis tamen in vrbe Romana catholicis legi cognouimus: & pro antiquo vsu multæ hoc imitantur ecclesiæ. Item scripta de inuentione sanctæ crucis dominicæ, & alia scripta de inuentione capitis beati Ioãnis Baptistę: nouellæ quidem reuelationes sunt: & nonnulli eas catholici legunt: sed cũ hæc ad catholicorũ manus peruenerint, Beati Pauli apostoli sententia præcedat: Omnia probate: quod bonum est tenete. Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis ædidit libros: nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit: illa sentimus quæ beatum Hieronymum prædictum sentire cognoscimus: & nõ solum de Rufino, sed etiam de vniuersis quos vir sæpius memoratus zelo dei & fidei religione reprehendit. Item Origenis nõnulla opuscula quę vir beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. Item chronicon Eusebij Cæsarien. atq; eiusdẽ historiæ ecclesiasticę libros, quanuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & in laudibus atq; excusatione Origenis schismatici vnum conscripsit librum, propter rerum tamẽ singularem notitiam, quæ ad instructionẽ pertinet, vsquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimũ collaudamus: quia valde necessariá aduersus Paganorum calumnias ordinauit **historiam*; miraque breuitate contexuit. Item venerabilis viri Sedulij Paschale opus quod[a] heroicis descripsit versibus, insigni laude proferimus.

Item Vincentij nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed[b] imitamur. Cæterum[c] quæ ab hæreticis conscripta vel prædicta sunt, nullatenus recipit catholica & apostolica ecclesia Romana. E quibus & pauca quæ ad memoriá venerũt, & catholicis vitãda sunt, decreuimus esse subdenda. In primis Ariminẽsem synodum à Constãtino Cæsare Constantini filio congregatã mediante Tauro præfecto; ex tunc & in æternum confitemur esse damnatam. Item[d] Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libr.[e] viij apocryphi. Actus nomine Andreæ apostoli apocryphi. Actus nomine Philippi apocryphi. Actus nomine Petri apostoli apocryphi. Actus nomine Thomæ apostoli apocryphi. Euangelia Thaddæi nomine apocrypha. Euangelia nomine Thomæ apostoli, quibus Manichæi vtuntur, apocrypha. Euangelia nomine Barnabæ

* add. in vet. manus.

a perperam olim in impressis legebatur hæreticis, quem errorem deprehendit primus Pierius Valerianus in oratione pro sacerdotum barbis.

b miramur.

c Cætera

d Hunc librum habeo manuscriptum latine translatum. Contius.

e decem

nabæ apostoli apocry. Euangelia nomine Bartholomæi apostoli apocrypha. Euangelia nomine Andreæ apostoli apocrypha. Euágelia quæ falsauit Lucianus, apocrypha. Euágelia quæ falsauit Hircius[a], apocrypha Liber de infantia saluatoris apocryphus. Liber de natiuitate saluatoris & de sancta Maria, & de obstetrice saluatoris, apocryphus. Liber qui appellatur pastoris†, apocryphus. Libri omnes quos fecit Lenticius[b] discipulus diaboli, apocryphi. Liber qui appellatur Fundamentũ, apocryphus. Liber qui appellatur Thesaurus, apocryphus. Liber qui appellatur de filiabus Adę, vel[c] Genesis, apocryphus. Liber qui appellatur [pẽtametrũ†*] de Christo Virgilianis cõpaginatum versibus, apocryphus. Liber qui appellatur actus Teclæ & Pauli, apocryphus. Liber qui appellatur [d]Lepotius, apocryphus. Liber Prouerbiorũ ab hæreticis trãscriptus, & sancti Sixti nomine signatus, apocryp. Reuelatio quę apppellatur Pauli, apocrypha. Reuelatio quæ appellatur Thomæ, apocrypha. Reuelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha. Liber qui appellatur trãsitus, *id est assumptio* sanctæ Mariæ, apocryphus. Liber qui appellatur pœnitentia Adæ, apocryphus. Liber ‖qui appellatur‖ [e]Diogenes nomine Gigãtis qui post diluuiũ cum dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur, apocryphus. Liber qui appellatur testamentũ Iob ‖alias est Iacob‖ apocryphus. Liber qui appellatur de pœnitentia Origenis, apocryphus. Liber de pœnitentia Cypriani, apocryphus. Liber qui appellatur Iamnæ & Mambræ, apocryphus. Liber qui appellatur sors [f] apostolorum, apocryphus. Liber Lusanæ, apocryphus. Liber canonum apostolorum, apocryphus. Liber physiologus ab hæreticis conscriptus, sed beati Ambrosij nomine præsignatus, apocryphus. Historia Eusebij Pamphili, †† Apocrypha. Opuscula Tertulliani, ‖siue‖ Africani apocrypha. *Opuscula Lactantij apocrypha*. Opuscula[g] Iouiniani & Galli, apocrypha. Opuscula Mõtani & Priscillæ & Maximillæ, apocryp. Omnia opuscula Fausti Manichæi apocryp. *Opuscula Cõmodiani apocrypha*. Opuscula alterius Clemẽtis Alexãdrini, apocryp. *Opuscula Tatij Cypriani apocryp. Opuscula Arnobij apocryp. Opuscula Tyconij‡* apocrypha*. Opuscula Cassiani presbyteri Galliarũ, apocrypha. Opuscula [Pictauiensis Victoris] apocryp. Opuscula Faustini Reginen. Galliarũ, apocrypha. Opuscula[h] Frumẽtici, apocryp. Epistola Iesu ad Abgarũ, apocrypha. †Passio Georgij apocrypha. Passio Quirici* & Iulitæ apocrypha. Scriptura quæ appellatur Salomonis cõtradictio, apocrypha. Philacteria omnia quæ nõ ab angelo, vt illi cõfingunt, sed magis à dæmone cõscripta sunt, apocryph. Hęc & his similia, quę Simõ Magus, Nicolaus, ‖Teruidus‖*, Marcion, Basilides, Ebiõ, Paulus etiam Samosatenus, *Photinus*, & Bonosius, qui simili errore defecerunt: Mõtanus quo-

a Hyritius al. Esychius

† est impressus, mirũ est tamẽ papã Pium 1. hunc librum approbare & citare in c. nosse infr. de consecra. dist. ; sed Tertullianus in lib. de oratione cum citat, & Rufin. in lib. de symbolo inter opera Tertulliani, ad illum locum, In sanctam ecclesiam. refert inter ecclesiasticos libros, noui testam. non inter apocryphos.

b Leutius

c Geneseos

d al. Nepotis

e Ogyæ

f sortes

add. in Victorinum.

g Postumiani

Victorini Pitabionensis.

h Frumentij cæci

† Epistola Abgari ad Iesum apocrypha.

* Cirici.

* Cherinthus. tedác.

quoq; cũ suis obscœnissimis sequacibus: Apollinaris, Valentinus siue Manichęus, Faustus, Sabellius, Arrius Macedonius, Eunomius, Nouatius, Sabatius, [a]Calixtus, Donatus, & Eustachius, [b]Iubianus, Pelagius, Iulianus, & [c]Latien. Cęlestinus, [i]& [i] Maximinus, Priscillianus ab Hispania, *Nestorius Constantinop. Maximus, Vnicus*, [d]Lapedius, Dioscorus, Eutychius, Petrus & alius Petrus ex quibus vnus Alexandriã, alius Antiochiã maculauit: Acatius Constantino. cum consortibus suis, necnõ & omnes hæreses quas ipsi eorũq; discipuli siue schismatici docuerũt vel cõscripserũt, quorũ nomina minimè retinemus: nõ solũ repudiata, verumetiã ab omni Roma. eccle. eliminata, atq; cum suis auctoribus auctorumq; sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternũ cõfitemur esse dãnata.[e]

a Cęlestius
b Iouinianus
c Cælanensis
d Lampetius
e Hactenus Gelas. in lib. canonũ Isid. I v Iuonis lib. 2. de libris ab ecclesia receptis.

[f]Cæterùm qui libri in ecclesiasticis officiis per anni circulum à nonnullis legantur (quod ritum illum apostolica nõ reprobat, sed sequitur ecclesia) pro fidelium ædificatione annotandum censuimus[i][g] quidã quòd[i] in septuagesima ponũt pentateuchum vsq; in vndecimum[h] diem ante pascha. A xv. die pascha ponũt Hieremiã, vsq; in cœnã domini. In cœna domini legunt tres lectiones de lamẽtationibus Hieremiæ: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, &c. & tres lectiones de tractatu Augustini in psalmum liiij. Exaudi domine deprecationẽ meã, & ne despexeris: & tres de Apostolo, vbi ait in epistola ad Corint. Conueniẽtibus vobis in vnum. Secũda lectio sic incipit. Similiter postquã cœnauit. Tertia de spiritualibus: Nolo vos ignorare fratres. In parasceue tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ: tres de tractatu sancti Augustini in psalmũ, Exaudi deus deprecationẽ meam. & tres de Apostolo, vbi ait in epistola ad Hebræos. Festinemus ingredi, &c. Secunda lectio, Omnis nãque pontifex. Tertia, De quo nobis est grandis sermo. In sabbato sancto tres lectiones de lamẽtationibus Hieremiæ prophetæ: & tres de tractatu sancti Augustini in psal. lxiij. Exaudi deus orationem meam, [g]cum tribulor. & tres de Apostolo: vt ait in epistola ad Hebræos vbi ait: Christus assistens pontifex futurorũ bonorum. Secunda lectio. Vbi enim testamentũ. Tertia. Vmbrã enim habet lex futurorũ bonorũ. In Pascha domini homiliã ad ipsum diẽ pertinentẽ. Infra hebdomadã homilias. In octauis Paschę ponũt Apocalypsim, & actus apostolorũ, & epistolas canonicas, vsq; in octauã Pentecost. In octaua Pẽtecost. ponũt librũ Reg. & Paralip. vsq; in Calend. Augusti. In dñica prima mẽsis Augusti ponũt Salomonẽ vsq; in Calend. Septemb. In dominica prima mẽsis Septembris ponunt Iob, Thobiã, Hester, Hesdrã, vsq; in Calend. Octobr. In dominica prima mensis Octobris ponunt librum Machab. vsq; in Calend. Nouemb. In dominica prima mẽsis Nouem-

f videtur esse verba Gratia
g alias desunt.
h xv. leg. apud Iuo.
Thren. 1. a.
1. Cor. 11. d
Luc. 22. b
1. Cor. 10. a
Heb. 4. c.
g cum deprecor.
Ibidem 9. a

Nouembris ponunt Ezechielem & Danielem & minores prophetas vsque in Calend. Decemb. In prima dominica mēsis Decembris ponunt Esaiā prophetam vsq; in natiuitatē domini. In natali domini legunt primum de Esaia tres lectiones. Esa.9.40.
Prima lectio, Primo tempore alleuiata est terra Zabulon. &c. Secunda, Consolamini, cōsolamini. Tertia. Consurge Hierusalē. Deinde legūtur sermones vel homiliæ ad ipsum diē pertinētes. In natali S. Stephani homilia de ipsa die. In natali sancti Ioannis similiter. In natali Innocentiū similiter. In natali sancti Syluestri, similiter In octaua natalis domini homilia de ipsa die. In dominic. j. post natiuitatē dñi, ponūt epistolas Pauli vsq; in septuagesimā. In Epiphania lectiones tres de Esaia. Prima lectio incipit, Omnes sitientes. Secunda, Surge illuminare Hierusalem. Tertia, Gaudens in domino gaudebo. Deinde legūtur sermones vel homiliæ ad ipsum diē pertinētes. Esa.55.a Ibid.65.a

[‡* *at cur* pentametrum; *cum nullum tale extet Virgilij carmen? itaque nō paruus hic subest error. in primo conciliorum tomo Coloniæ postremum impresso, repositum est, centimetrum. At nec sic quidem sat recte. Constat enim illud poëma plus ducētis metris seu versibus: extatq; impressum sub titulo Probæ Falconiæ Valeriæ feminæ clarissimæ. Itaque legendum puto Cento, aut Centrum, vt etiam in Isidoro manuscripto & in primis conciliorum exemplaribus Lutetiæ parua forma impressis quæ in pleri sque sunt cæteris emendatiora. Hieronymus quoque in epistola ad Paulinum de sacris libris vocat Vergiliocentonas, & alium librum similis argumenti Homerocentra: qui extant impressi ab Aldo.*

[†† Apocrypha.] *Hæc verba temere ab aliquo scripsit adiecta Beatus Rhenanus in præfatione quam edidit in principio historiæ Ecclesiasticæ Eusebij, forte vt librum vendibiliorem redderet. Sed non esse adiecta docet corpus canonū ab Isidoro collectorū, vbi cōstanter hæc verba scribuntur. Sed nec iis assentior, qui de alio Eusebio hunc locum intelligi volunt, quàm illius Cæsariensis, cuius hodie extat vtraque lingua historia ecclesiastica. Nam & Nicephorus in præfatione histor. eccles. ait in eius historia apparere cacoethes eius hæreseos; & idem Gelasius pauloante id significat.*

[‡* *Tyconij*] *Hic est Tyconius cuius Augustinus in libro de Doctrina Christiana meminit, citatq; eas regulas de interpretatione scripturarum.*

VERSVS.

Perspice qui statuunt, si sintque statuta, necesse.

DE AVCTORITATE ET NVMERO CANONVM APOSTOLICORVM.

DISTINCT. XVI.

I

» Apostolorum canones qui per Clementem pontificem
» Romanum (sicut quidam asserunt) dicuntur esse trans-
» lati, sunt quinquaginta. Hos non recipiendos, sed in- Verba Gratiani. Isid. in principio conciliorum.
» ter apocrypha deputatos. ISIDORVS scribit, dicens.

Apostolorum canones, apostolica reijciuntur auctoritate. 2

Non inuenitur in principio conciliorum Isidori, in his libris scriptis & impressis quos legere potui, quin & infra e. d. c. 3. contrarium scribit.

CAnones qui dicuntur apostolorum, seu quia eosdē nec sedes apostolica recepit, nec sancti patres illis ascensum præbuerunt, pro eo quòd ab hęreticis sub nomine apostolorū compositi dignoscuntur: quamuis in eis vtilia inueniantur, tamen ab auctoritate canonum atque apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata.

Zeph. pa. epistola. 2. Iuo.

*ZEPHERINVS autem ecōtra scribit episcopis per Siciliam constitutis. ** A Petro XV. anno Christi CCII. sub Seuero.*

Apostolorum canones sunt recipiendi. 3

Iuo Carn. lib. 2. id refert.

a de monasterio Rudij.

SExaginta sententias apostoli præscripserunt cum alijs quàm plurimis episcopis: quas seruandas esse censuerunt.

†ITEM Leo papa ix. contra epistolam Niceti abbatis.[a]

† Leo Nonus sedit circa annū Christi M. L. regnāte Hērico rege Francorū.

Exceptis quinquaginta capitulis canones apostolorum inter apocrypha deputantur. 4

CLemētis librum, id est, Petri apostoli itinerarium & apostolorum canones numerāt sancti patres inter apocrypha †exceptis capitulis l. quæ decreuerūt orthodoxæ fidei tractatores adiungenda. ITEM *vj. synodus. cap. ij. 5

†Hoc sanè verisimillimum est vel hac ratione quòd quotquot extant latina canonum & conciliorum exemplaria, nō plures quàm quinquaginta priores apostolorum canones habent. & glosa quædam manuscripta apud Gratianū aiūt, hodie ab ecclesia Latina teneri, quod dicitur hoc c. Clementis, & alios XXXV. canones eorundē apostolorum in desuetudinem abijsse.

**Hic est secūdus canō sextæ synodi in Trullo Constantinop. vnde liquet falli Balsamonem qui ad illam synodum notat, eam à Latinis fuisse reiectā.*

Isid. in præfatione conciliorum à se collectorum.

PLacuit huic sanctæ synodo vt amodo cōfirmata & rata sint canonum apostolorum lxxxv. capitula.

b post multa. Denique.

Ibid. Isido.

EPISTOLA Isidori in capite canonum. Isidorus seruus Christi, lectori suo conseruo[b]. Propter eorum auctoritatem cæteris concilijs præponimus canones qui dicuntur esse apostolorum: licet à quibusdam apocryphi dicātur: quoniam plures eos recipiunt, & sancti patres eorum sententias synodali auctoritate roborauerunt, & inter Canonicas posuerunt cōstitutiones. Itē primus ordo (vt prædictū*est) de celebrādo cōcilio [ibi] insertus habetur: & ver. postmodū canones apostolorum, atq; **primorum* apostolicorum. i. à sancto Clemente vsque ad sanctum Syluestrum; & decretorū atque conciliorum diuersorum breuiariū est interpollatū, sequēs ordinem suum.

*circa finem eiusdem epistolæ.

*add. in manuscr.

Verba Gratiani.

c vt habet inf. eadem dist. cap. 9.

ITEM cùm Hadrianus papa sextam synodū suscipiat cum " omnibus canonibus suis, cùm etiā sancta[c] octo vniuersalia cō " cilia professione Roma. pōtificis sint roborata: [†in sexta aūt " synodo siue in septimo cōcilio] apostolorū canones sint rece- " pti & approbati: patet ꝙ non sunt inter apocrypha deputandi. "

[VNDE

VNDE scribit Hadrianus *papa Tharasio patriarchæ. decs, redd.
*Sedit circa annum Christi 772. sub Carolo Magno imperatore, & Franc. rege.

†Hæc inclusa sic videntur legenda: In quinta autem synodo, siue in sexto concilio. vt intelligamus sextum generale concilium Constantinopolitanum in Trullo quæ dicta est πενθέκτη, quinta sexta, quia bis quidem congregata est, cùm eadem esset synodus. Si quis tamen receptā lectionē retinere malit, per me licet; nam & in 1. ca. septimæ synodi generaliter confirmantur canones apostolorū. Sed & apud Latinos videtur vocari septimū concilium, quod apud Græcos sextū in Trullo; & apud eosdē Latinos octauum, quod apud Græcos septimum, id est secundum Nicenū. Nam posterius isto nullum legitur œcumenicū conciliū, quod etiā ex professione Romani pontificis confirmatur, qui hæc 8. duntaxat vniuersalia concilia sua professione confirmat. c. sancta octo. ǰ. e. dist.

Sexta synodus auctoritate Hadriani corroboratur. 6 Verba Gratiani.

„ SExtā synodū sanctā cum omnibus canonibus suis recipio.
„ Sed dubitatur de ea, an canones conscripserit? quod ex
„ quarta actione sextæ synodi facilè absoluitur.

AIT enim episcopus Petrus *episcopo Nicomediæ. a al. episcopus. In actione 4. 7. synodi.

Sexta synodus canones conscripsit.

HAbeo librum cōtinentem canones sanctæ synodi sextæ, patriarcha dixit. Quidam scandalizantur per ignorantiā pro canonibus istis, dicentes: Nunquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo quoniam synodus sancta sexta sub Constātino congregata est contra eos qui dicebant vnam operationē & vnam voluntatem esse in Christo: in qua sancti patres illos, vtpote hæreticos anathematizauerunt, & orthodoxam fidem explanauerunt. Et soluta est hæc synodus Constantini xiiij. anno: post quatuor verò aut quinque annos, ijdem sancti patres congregati sunt sub Iustiniano filio Constantini, & prædictos canones promulgauerūt, de quibus nullus dubitet. qui enim sub Constantino imperatore in synodo fuerunt, ijdē ipsi episcopi sub Iustiniano istis canonibus subscripserūt. Oportebat enim vt synodus vniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret. Item sancta synodus vniuersalis sexta post promulgatam ab eo definitionem contra Monothelitas: Constantino imperatore qui eam congregauerat, non multò post defuncto Iustiniano filio eius regnante pro eo. Eadem sancta synodus diuinitus inspirata, iterum Constantinop. iiij. aut v. anno congregata est: & canones numero ccij. ad correctionē ecclesiæ promulgauit. 1. part.

„ Ex his ergo colligitur quòd sexta synodus bis congregata Verba Gratiani.
„ est. Primo, sub Constantino imperatore: & nullos canones

constituit. Secundo sub Iustiniano filio eius, & præfatos canones promulgauit. VNDE sancti patres in eadem synodo congregati dixerunt.

Epist. VII. synodi ad Iustinianũ filiũ Constantini.

Constitutiones synodi sextæ. 8

QVoniã sanctæ vniuersales synodi quinta, sub Iustiniano Augusto vj. sub Cõstantino patre [a] suo Augusto de mysterio fidei plenissimè disputantes canones non fecerunt sicut cæteræ quatuor vniuersales synodi; propterea nos côuenientes in hanc imperialem vrbem sacros canones conscripsimus. *Itẽ placuit huic sanctæ synodo, vt amodo cõfirmata & rata sint canonum apostolorum lxxxv. capitula. [b] Item confirmamus & cæteros sanctorum canones & synodos, primã Nicenã & Ancyritanam, Neocæsariẽsem, Gangrensem, Antiochenã, Laodicẽn. Cõstantinopolit. Ephesinã [primã], Chalcedonensem, Sardicensem, Carthaginensem, & opuscula Theophili Alexandrini episcopi, & Gregorij • Trimegisti Neocæsariens. episcopi, & Dionysij Alexandrini episcopi & martyris, Athanasij episcopi Alexandrini, Basilij Cæsareæ Cappadociæ episcopi, Gregorij Nyseni episcopi, Gregorij Theologi, Amphilochij Iconẽsis episcopi, Timothei Alexãdrini episcopi, [c] Germani Constantinopolitani episcopi, Cyrilli Alexandrini episcopi, Cypriani Carthaginensis episcopi, & synodum suam.

a legend. v ro, ex Iuone.

*Ex vj. synodo, Ivo Carn. lib. 2.

b Ex sexta synodo c. 2. & est separatũ ca. apud Iuonem.

c legendum puto Gennadij, vt in synodo sexta.

ITEM ex diurno lib. professio Romani pontificis.

* *Legendum Taumaturgi. vt apud Iuonem in canone Græco dicitur θαυματουργός. i. mirabilium operum effector.* *Contin.*

Auctoritate Romani pontificis sancta octo concilia corroborantur. 9

Ivo Carn. Lib. 2.

SAncta viij· vniuersalia concilia: primum Nicenum: secundum Constantinopolitanum: tertium Ephesinũ, Chalcedonẽn. iiij. [& v.] Itẽ Constantinopolitanũ vj. Item † Nicenum vij. viij. quoq; Cõstantino. vsq; ad vnum apicem immutilata seruare, & pari honore & veneratione digna habere: & quæ prædicauerũt & statuerũt, modis omnibus sequi & prędicare: & quęcunq; condẽnauerũt, ore & corde cõdẽnare profiteor.

Hoc puto delendũ cum vnicũ fuerit, &c. sed legendum est, & distinguendũ ita. & quintum item Constantinopolitanum & sextum. Item Nicænum septimum octauum quoq;, &c.

QVO autem tempore sexta synodus, & j. ij. iiij. & v. congregatæ sunt, [d] Beda in lib. de temporibus scripsit dicens:

d Floruit anno Christi, 670.

† [Nicenum sept.] *De hoc varia inueniuntur opiniones. Nam in magno Iuonis decreto ecclesiæ S. Victoris parte iiij. ita scriptũ legitur. Actio VI. tomo. I. contra falsam septimã synodum. Septima synodus quomodo dicitur? quæ nõ cõcordat præcedẽtibus sex vniuersalibus synodis? Omne quod septimũ ponitur consequẽs debet habere cũ rebus prænominatis. Si vero in nullo prænumeratis rebus participat, nec eis cõnumerari potest. hactenus ex Iuone. Annonius quoque monachus, in historia Caroli magni ait, eam synodum in synodo à Carolo postea cõgregata abrogatã. lib. 4. c. 85. Cui adstipulatur Platina in Hadriano & Regino monachus lib. 2. Contra autem ipsemet Hadrianus papa Romanus cuius tẽpore illa synodus cõgregata fuit,* eam

eam approbauit, vt apparet ex eodē lib. Iuonis, eadem parte his verbis. Responsiones Hadriani papæ, contra obiectiones quorundā ad Carolū. Sancta. & j. Item, ipsam septimā synodū suscepimus. nam si eam minimè recepissemus, ad suū pristinum vomitū erroris fuissent reuersi Græci, qui pro tot milib. animarū Christianorū habemus reddere rationē. Sed locos illos quibus damnatur septima synodus, nō ad illā septimā quæ extat referēdos esse plerique putant, sed ad aliā synodū Ephesinā tertiā ab hæreticis pauló ante veram septimam hanc congregatam, & falsò ab hæreticis septimam cognominatam. Quod & in anathematismis, qui in principio Nicænæ secundæ synodi habentur, manifestè exprimitur. *Contius.*

De temporibus conciliorum. 10

SExta synodus vniuersalis Constantinopoli congregata est, & Græco sermone conscriptæ temporibus papæ Agathonis, exequente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis & episcopis cl. residentibus.

Beda libr. de tēporū ra. ca. 65. al. in chronicis.

Prima synodus vniuersalis in Nicæa congregata est contra Arrium cccxviij. patrum, tēporibus Iulij [a] papæ, sub Constantino principe. Secunda in Constantin. cl. patrum cōtra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damasi papæ, & Gratiani principis, quando Nectarius eiusdem vrbis episcopus est ordinatus. Tertia in Epheso, [b] c. patrum contra Nestorium [c] Augustæ vrbis episcopum, sub Theodosio magno principe, & papa Cælestino. Quarta [d] in Chalced. [e] vj. cxxx. patrum sub Leone papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychen, nephandissimorum *monachorum præsulem. Quinta [f] in Constantinopolitana ciuitate, temporibus [g] Iulij papæ, sub Iustiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos.

a sic & hist. eccles. tradit.
b cc.
c i. Constantinopolitanæ. Contius
d in Chalcedone.
e scrib. DCXXX.
*al. manicheorum. not. in manusc. Grat.
f item Constantinop.
g Vigilij.

11

PRima autem synodus in [h] Nicena, cccxviij. patrum contra Arrium Alexandrinum presbyterum, qui tres inæquales gradus in Trinitate asserebat: patrem, scilicet maiorem: filium minorem: spiritum sanctum creaturam [vel seruum] tēporibus Constantini principis. [i] & [l] Siluestri papæ Romani, Macarij Hierosolymitani, Alexandri Alexandrini, qui condemnata eadem hæresi statuerunt canones viginti, quorum auctor maximè præfatus Alexander episcopus fuit.

Isidorus in principio conciliorum.
h Nicæa.
al. in Vict. lib. deest

Secunda synodus in Constantin. cl. patrum, contra Macedonium Constantinopolitan. episcopum, qui negabat Spiritum sanctum Deum esse, temporibus Gratiani & Theodosij principum: Damasi papæ Romani, Cyrilli Hierosolymitani, [i] Nectarij [Alexandrini] qui condemnata præfata hæresi statuerunt canones tres, quorum auctor maximè beatus Nectarius Constantin. episcopus fuit. Tertia in Epheso [k] ccc. patrum

i Timothei. pro inclu. in Vict. legitur Constantinopolitani, rectè.
k cc. rectè.

trum contra Nestorium Constanti. episcopũ, qui dicebat beatam virginem Mariã non Dei, sed hominis tantummodo genitricẽ: vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, tẽporibus Theodosij principis iunioris, Cælestini papæ Romani, Iuuenalis Constantin. episcopi, Cyrilli Alexandrini: qui [a] xv. capitula contra Nestorij [blasphemias totidem canones] auctore eodem sancto Cyrillo anathematizando conscripserũt.

a xii. legend. vt in Vict. In Vict. blasphemiarum totidem capitula. recte.

Quarta in Chalced. vj. cxxx. patrum contra Eurychen Constantin. abbatem, qui asserebat Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solã in eo diuinam naturã permanere: tẽporibus Marciani principis, Leonis papę Romani, Iuuenalis Hierosolymitani, Anatholij Cõstant. qui condemnata præscripta hæresi, statuerunt canones [b] xxviij. quorũ auctor maximè idem sanctus Anatholius Constant. episcopus fuit. Quinta in Constanti. cõtra Theodorum [c] Mesochœnum & omnes hæreticos, qui Theodorus dicebat aliud esse Dei verbũ, & aliud Christũ: & sanctã Mariã virginem negabat dei genitricẽ fuisse, tẽporibus Iustiniani principis, Iulij [d] papę Romani, domini Antiocheni, Eutychij Cõstan. qui [e] xxvij. capitula anathematizando descripserunt contra Theodori & sociorum eius blasphemias. Sexta, in Constã. cl. patrum cõtra Macariũ Antiochenũ episcopũ & socios eius, qui vnam voluntatẽ & operationẽ in Christo falsa suspicione asserebant, tẽporibus Constantini principis, Agathonis papæ Romani, Gregorij Constantin. qui condẽnata hæresi præfata anathematizando scripserunt [f] ix. capitula interius annexa.

b xxvii. recte.

c Mopsuestenum, Vict.

d Vigilij, recte

e xiiii. recte

f viii. Vict.

Item annotatio synodorũ, quarum gesta in hoc codice cõtinentur. 12

Isidor. haec omnia habes in principio conciliorum.

PRima annotatio Ancyritanæ synodi dicitur, quæ ante Nicenam fertur fuisse: sed propter auctoritatẽ maiorem postponitur: in qua patres xviij. statuerũt canones xxiiij. quorum auctor maximè Vitalis Antiochenus episcopus extitit.

Secunda, Neocæsarien. quæ post Ancyritanam & Antiochenam legitur fuisse: in qua patres xvij. statuerunt canones xxiiij. quorum auctor maximè Vitalis episcopus [g] Salonitanus extitit.

g Salaminius, Vict.

Tertia Gangrensis, quę post Nicenam legitur fuisse: in qua patres xvj. statuerunt canones xx. propter quasdam necessitates ecclesiasticas, maximè cõtra Eustachium, qui dicebat quòd nullus in cõiugali gradu positus, nec vllus fidelis qui non omnibus renunciaret quæ possideret, spem vllam ad Deũ haberet: & multa alia venenosa, quæ enumerare longum est.

Quarta † Sardicen. in qua patres lx. statuerũt canones xxij. quorũ auctor maximè Osius Cordubens. episcopus: & Vincẽtius Capuan. episcopus: & Ianuarius Beneuẽtanus: & Callepodius Neapolitan. S. Romanæ ecclesiæ legati extiterunt.

Quinta Antiochena: in qua patres xxx. statuerunt canones xxv. quorum auctor maximè Eusebius Palæstinensis episcopus extitit.

Sexta Laodicensis: in qua patres xxxij. statuerunt canones lxiij. quorū auctor maximè Theosius episcopus extitit.

Septima Carthaginensis: in qua patres ccxxviij. statuerunt canones [a] xxiij. quorum auctor maximè Aurelius Carthaginensis episcopus extitit: [b] & sanctus Augustinus Hipponensis episcopus in eadem synodo legitur fuisse, temporibus Honorij Augusti. a al. xxxiii. b etiam

*Octaua Africana, sub Theodosio minore Augu. in qua patres ccxxix. recitauerunt & firmauerunt canones cv. qui per diuersa concilia Africanæ prouinciæ temporibus Aurelij Carthaginensis episcopi leguntur esse conscripti.

Nona Arelatensis: in qua patres cc. statuerunt canones iiij. quorum auctores maximè Siluester vrbis Romæ episcopus, & S. Marinus Arelatensis episcopus extiterunt temporibus Cōstantini Augusti; sicut quidam asserunt.

Decima iterum Arelatensis: in qua patres xviij. statuerunt canones: quorum auctor maximè Cæsarius Arelatēsis episcopus, temporibus Augusti Constantini extitit.

Vndecima iterum Arelatensis: in qua patres xviij. statuerūt canones. Duodecima iterum Arelatēsis, in vico Hortēsio: in qua patres xj. statuerunt canones: quorum auctor maximè sanctus Cæsarius episcopus extitit.

Tertiadecima iterum Arelatensis: in qua patres xviij. statuerunt canones, quorum auctor maximè [c] Sarpidius Arelatensis episcopus extitit. c al. Sapardus

Quartadecima [d] Aurasiciēsis: in qua patres xxvj. statuerunt canones, quorū auctor maximè Hilarius episcopus extitit. d al. Arausic.

Quintadecima [e] Empanēsis: in qua patres xxvj. statuerunt canones ix. quorū auctor maximè Cæsarius extitit episcopus. e al in Vict. Epaonensis.

Sextadecima Agathensis: in qua patres xxxix statuerunt canones, quorum auctor maximè *Cæsarius* Arelatensis episcopus extitit.

Septimadecima Aurelianensis: in qua patres lxxij. statuerunt canones: quorum auctor maximè Aurelianus Arelatēsis episcopus extitit, *temporibus Clodouei regis.*

Octauadecima iterum Aurelianensis: in qua patres xxx. statuerunt canones: quorum auctor maximè Melianus episcopus [f] Rhodonensis extitit. f Rhedens.

Nonadecima iterum Aurelianensis: in qua patres xxx. statuerunt canones: quorum auctor maximè S. Albinus Andegauensis episcopus extitit.

Vigesima Aruernensis: in qua patres xv. statuerūt canones: quorum

a Briuatensis.

quorum auctor maximè Honoratus [a]Breliteñ. episc. extitit.

Vigesimaprima Maticensis: in qua patres xxj. statuerũt canones: quorum auctor maximè Priscus Lugdunensis episcopus extitit.

Vigesimasecunda iterum Maticensis: in qua patres lxxxvj. statuerunt canones: quorũ auctor maximè idem Priscus Lugdunensis episcopus extitit.

Vigesimatertia Lugdunensis: in qua patres xviij. statuerunt canones: quorum auctor maximè Philippus Vienensis episcopus extitit. Vigesimaquarta iterum Lugdunensis: in qua patres xx. statuerunt canones: quorum auctor maximè idem Priscus Lugdunensis episcopus extitit.

Verba Gratiani.

Sed quod Nicena synodus xx. canones supra statuisse dicitur: contrarium videtur ei quod in epistola Athanasij inuenitur. Scribit enim Athanasius Alexandrinus episcopus, *& vniuersi Aegyptiorum episcopi*, Marco papæ ita dicens.

† Hæc quarta Sardicensis primitus Latinè fuit ædita, sed post à Græcis in Græcum conuersa; vt apparet ex codice Hilariano canonum. Et vt testatur Dionysius Exiguus in sua præfatione, ad regulas à se translatas è Græco in Latinum sermonem.

** Hæc octaua Africana in linguam quoque Græcam conuersa fuit, & extat Græcè in libro canonum Hilariano; quamuis ea synodus primitus fuerit Latinè ædita: vt ait Dionysius Exiguus in præfatione canonum, à se è Græco translatorum.*

Ex magn. Iuone. *Athanasius Marco papæ, Syluestri successori.*

Epistola Athanasij postulantis capitula Niceni concilij. 13

b legen. decreto.
c quia. vet.
d al. à sanctæ sedis ecclesiæ vestræ auctoritate.
*** al. octoginta, & post xl. per integrã scripturam legitur in magno Iuonis decret. sed legendũ esse xxx. docent verba sequent.

SEptuaginta Niceni concilij capitula, quæ de præfata synodo iubente domino meo Alexandro [b]decreta omniũ episcoporum attuli, [c]quæ sunt igni cõbusta: optamus vt[d] à sede sanctæ ecclesiæ vestra auctoritate percipere per presentes legatos mereamur. Item præsentibus nobis lxx*. in memorata synodo capitula tractata sunt xxx*. à Grecis Greca ædita lingua: & xxx*. à Latinis similiter ædita Latina lingua: sed visum est ccc. & xviij. episcopis Spiritu sancto repletis; & maximè iam dicto Alexandro, & apost. sedis apocrisariis: vt decem capitula adunarentur aliis: atque aliis congruis locis insererentur, & ad formam lxx. discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum, lxx. tanti & tam excellentis concilij fierent capitula, quæ omnem Christianorum informarent orbem.

Verba Gratiani.

†*Quomodo ergo xx. tantum capitula in Nicena synodo statuta dicuntur, cum lxx. capitula (vt Athanasius scribit) in ea statuta monstrentur? His ita respondetur: capitula Nicenæ synodi quædam in desuetudinem abierunt. xx. tantum in Romana ecclesia habentur.

e Sedit hic anno Christi 755.

VNDE [e]Stephanus papa scribit dicens Luthobio episcopo Maguntino.

†*Ex

† *Ex magno Ivonis decreto rescriptũ Marci papae putauimus adscribẽdum*, Marcus papa Athanasio episcopo. *De capitulorũ veterũ Niceni cõcilij exemplarib. quib. vos interfuisse literis vestrae fraternitatis significastis, à vestris qui vna vobiscũ interfuerũt diligẽtiorib. requisiuimus collocutionib. quib. ita, vt vestrae testatae sunt literae, omnẽ nobis ordinẽ exposuerunt & epistolã vestrã per oĩa verã esse testati sunt. Nõ vt vos vestra ex parte aliquid sinistrũ arbitremur, sed quod nos & vos illosq; absq; vlla in posterũ titubatiõe vnũ sentire optaremus, & S. Ro. eccl. quae semper immaculata mãsit, & domino prauidẽte & B. apost. P. opẽ ferente, in futuro manebit sine vlla haereticorũ insultatione firma & immobilis omni tẽpore persisteret. his ita peractis diligẽter inquirẽtes in sancto nostrae & apost. sedis scrinio, eadẽ quae sanctae recordatiõis praedecessori meo Syluestro sunt directa septuaginta, sicut significastis, capitula illaesa inuenimus hactenus* Marc. pa. *Non defuerunt tamen qui haec xx. cap. quae hodiè restant sibi quoq; suspecta esse dicerent, cum ob illam Athanasij auctoritatem, tum quod multa dicunt esse quae recentiorem disciplinam ecclesiasticam redoleant, quale est quod poenitentia imponitur militantibus, & quod de conuictoribus* [illegible] *mulieribus traditur, quae tamẽ verba vet. Pat. Graeci, & Iustinianus in Nouellis, vt ex Nicaena synodo prodita agnoscunt. Illi deniq; contendunt solum symbolũ superfuisse, vt quod haud secus atq; euãgelia recipi deberet. Canones verò ad disciplinã ecclesiasticã pertinẽtes, pro tẽporum qualitate mutari potuisse, vt multi postea sunt immutati. Symbolũ autẽ nullo tẽpore mutari debere. Caeterũ multa obseruauimus in scriptoribus Christianis, velut ex cõcilio Nicaeno recitari, quae inter ea capitula nõ extant. quale est, vt Pascha die dominica, & luna 14. post aequinoctiũ vernũ celebretur. Erat & inter eos canones canon canonicarũ scripturarũ in ecclesia legendarũ: in quo historia Hester intra numerũ referebatur: vt ait Hieronymus in prologo illius libri. Tradebatur & in hisdem canonibus praeceptum & forma epistolarum formatarum. Item eius concilij diuersi canones memorantur 3. c. synodi Constantinop. & c. canones. 61. dist. 50. & dist. 33. cap. 15. Citantur & in epistola Iulij papae 24. canones, praeter illos 20. qui vulgò extant. Sed illos esse suppositities, vel id ostendit, quod nemo, ne Gratianus quidẽ ipse eos allegare ausus est. Multas autem supra in praefatione rationes adduxi, quibus omnes pontificum qui Syluestrum praecesserunt, decretales falsas esse manifestè ostendi.* Ant. Contius.

Niceni concilij viginti tantum capitula habentur. 14

VIginti tantum capitula Nicenae synodi in sancta Romana ecclesia habentur: sed quo neglectu alia defecerunt, ambiguum est. plurimi arbitrantur Antiocheno concilio esse ea inserta. Sardicense quoque concilium auctoritate Nicolai papae recipitur.

Ivo Carn. id refert libro secundo.

VNDE idem scribit clero Constantin.

Ivo Carn. id refert lib. 2. Primum tamen latina lingua editũ fuisse hoc conciliũ, ait Dionysius Exiguus in praefatione canonum, quam ad hunc Stephanum papam scribit.

Auctoritate apostolica Sardicense concilium recipitur. 15

QVod dicitis neque *Sardicense concilium, neque decreta alia vos habere sanctorũ patrũ vel recipere: non facilè vobis

vobis facultas credendi tribuitur: maximè cùm Sardicēse concilium quod penes vos in vestris regionibus actum est, & omnis ecclesia recipit: qua ratiōe cōueniat, vt hæc sancta Cōstantinopolitana ecclesia abijceret, & (vt dictum est) nō reciperet.

VERSVS.

Non nisi papalis fiat synodus generalis.

PAPAE EST CONCILIA GENERALIA CONGREGARE.

DISTINCT. XVII.

1

Verba Gratiani.

GEneralia quoque concilia, vel quorum tempore celebrata sunt: vel quorum auctoritas cæteris præmineat sanctorum auctoritatibus, supra mōstratū est. Auctoritas verò aggregandorum conciliorum penes apostolicam sedem est.

Marcell. pa. epi. 2. ad Maxentium tyrannū t XXXIII. à Petro.

VNDE Marcellus †papa scribit Maxentio episcopo.

Absque Romani pontificis auctoritate synodum aliquibus congregare non licet. 2

Ex Iuone.

SYnodum episcoporum absque huius *sancta* sedis [Romanæ] auctoritate (quanquam quosdā episcopos possitis congregare) non potestis regulariter facere. Neque vllum episcopum, qui hanc appellauit apostolicam sedem, damnare, antequam hinc sententia diffinitiua procedat. Nam si seculares in publicis iudiciis libellis vtuntur appellatoriis: quanto magis sacerdotibus hæc eadem agere licet? qui super illos sunt: de quibus dictum est: Ego dixi, dij estis.

Psal. 81.

Iulius pa. 1. in rescripto ad Orientales pro Athanasio.

ITEM Iulius papa orientalibus episcopis.

Non est ratum concilium quod auctoritate Romana ecclesiæ fulcitum non sit. 3

REgula vestra nullas habet vires, nec habere poterit: quoniā nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est: nec Romanæ ecclesiæ legatus interfuit, canonibus præcipientibus sine eius auctoritate cōcilia fieri non debere: nec vllum ratum est aut erit vnquam concilium quod eius non fuerit fulcitum auctoritate. ITEM †Damasus papa.

Damas. pa. pri. epist. 5 ad Stephanū archiepiscopū Mauritaniæ.

†*Circa annum* CCCLXVIII. *sub Valentinia. & Valente Imperatorib.*

Nullus vsurpet concessa Romanæ ecclesiæ. 4

HVic soli sedi concessa nullus vsurpare sine eius consultu præsumat, qui non vult honore ecclesiastico indignus, aut contemptor iudicari.

ITEM Gregorius papa.

Absque apostolicæ sedis auctoritate synodum aliquibus congregare non licet. 5

NEc licuit alicui aliquando, nec licebit particularem synodum cōgregare: sed quotiēs aliqua de vniuersali synodo aliquibus dubitatio nascitur: ad recipiendam de eo quod non intelli-

intelligunt rationem, aut sponte hi qui salutẽ animæ suæ desiderant, ad apostolicam sedẽ pro recipiẽda ratione cõueniant: aut si fortè sicut de talibus scriptũ est, Peccator cum peruenerit in profundum malorum, cõtemnit: ita qui obstinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint: eos ab eisdẽ sedibus apostolicis, aut attrahi ad salutẽ quoquo modo necesse est: aut (ne aliorum perditio esse possint) secundum canones per seculares oportet opprimi potestates. Prouerb. 18.

ITEM *Pelagius papa episcopis, qui conuenerant ad illicitam vocationem Ioannis Constantinopolitani episcopi. Pela. pa. 2. epist. pri.

Hic sedit anno Christi CCCCCLXXXIII. sub Tiberio Constantino Imperatore.

Non est concilium, sed conuenticulum quod sine sedis apostolicæ auctoritate celebratur. 6

MVltis denuo apostolicis & canonicis atq; ecclesiasticis instruimur regulis non debere absq; sentẽtia Romani pontificis concilia celebrari. Quapropter, vt iam dictum est, rectè nõ concilium, sed conuenticulum vestrum vel conciliabulum cassatur: & quicquid in eo actum est, irritũ habeatur & vacuũ. Vos quoq; deinceps videte, vt nullius hortatu talia præsumatis, si apostolicæ sedis communione carere non vultis. Si vero in qualibet prouincia ortæ fuerint quæstiones: & inter ipsos prouinciæ episcopos discrepare cœperit ratio: atq; inter ipsos dissidentes non conueniat: ad maiorem tunc sedem referãtur: & si illic quidem facilè & iustè nõ discernuntur: vbi fuerit synodus regulariter cõgregata, canonicè & iustè iudicẽtur. Maiores vero & difficiliores quæstiones (vt sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit) ad sedem semper referantur apostolicam. ITEM ᵃSymmachus papa. Ibid. paulo inferius. a In quinta synodo Symmachi PP. Ennodius in libr. pro defensione.

Prouincialia concilia sine Romani pontificis præsentia põdere carebunt. 7 4. & 5. synod. Roma Ex Iuone.

COncilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias: quia præsentiam papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Legistis insanissimi aliquando in illis prouinciis maioribus præter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum: & non de maioribus negociis ad consultationem, si quid occurrerit, præfatæ sedis arbitrio fuisse reseruatum?

„ Hinc etiam cum auctoritas Theodorici regis ex diuersis prouinciis ad vrbem Romanam sacerdotes conuenire præcepisset, vt sanctum concilium iudicaret, de his quæ venerabili papæ Symmacho præsuli apostolicę sedis ab aduersariis ipsius dicebantur impingi: Liguriæ & Aemiliæ episcopi, seu Veneriarum suggesserunt ipsum qui dicebatur impetitus, debere synodum conuocare: scientes quòd eius sedi primum Petri apostoli meritum, deinde secuta iussione domini conciliorum Verba Grat. loquentis de 4. synodo. 2. pars. Ex quarta synodo Romana.

venerandorum auctoritas singularem in ecclesijs tradidit potestatem: nec antedictæ sedis antistitem minorum subiacuisse iudicio. Ad hæc serenissimus rex deo inspirante, respondit, synodalis esse arbitrij in tanto negocio sequẽda præscribere: nec aliquid ad se præter reuerentiam de ecclesiasticis negociis pertinere: committens etiam potestati pontificum, vt siue propositum vellent audire negocium, siue nollẽt: quod magis putarent vtile, deliberarent: dummodo pro venerandi prouisione concilij pax in ciuitate Romana daretur. Episcopi vero in synodo residentes, congregata auctoritate eiusdem Symmachi, dixerunt: Symmachus papa sedis apostolicæ præsul ab huiusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis & liber: cuius causam totam Dei iudicio reseruamus. De clericis verò memorati papæ, qui ab episcopo suo ante tempus contra regulas discesserunt, & schisma fecerunt: hoc fieri decernimus, vt illi satisfacientes episcopo suo misericordiam consequantur, & officijs ecclesiasticis se gaudeant restitui. Laurentius ecclesiæ Mediolanẽsis episcopus huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsit. Petrus ecclesiæ Rauennatis episcopus sub eisdem verbis subscripsit: & post eum septuagintaquinque episcopi.

In actis.

Verba Gratiani.

Illud de clericis pro pace in vrbe reformanda misericorditer & dispensatiuè factum dinoscitur. Hoc quoque notãdum est, quòd in hoc concilio, & in alia synodo Symmachi papæ, ante Rauennatem episcopum Mediolanensem subscripsisse & respondisse legitur: ex quo & sedis prærogatiuam ante eum habere colligitur. "

Greg. papa 1. epist. 112. lib. 7.

AIT enim Greg. Siagerio Episcopo Augustudunensi. E

EPiscopos secundum ordinationis suæ tempus, siue ad consedendum in concilio, siue ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decreuimus: & suorũ sibi prærogatiuam ordinum vendicare.

Verba Gratiani.

Verùm tempus ordinationis non ad ecclesias, sed ad personas refertur: sicut ex consuetudine cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ, & episcoporum vniuscuiusque prouinciæ euidenter apparet. "

VERSVS.

Anno bis quouis synodum celebrare iuberis.

EPISCOPORVM CONCILIA SVNT VTILIA ET CELEBRANDA SINGVLIS ANNIS. DISTINCT. XVIII. F

Verba Gratiani. 1. pars.

EPiscoporum igitur concilia, (vt ex præmissis apparet) sunt inualida ad diffiniendum, & ad constituendum, non autem ad corrigendum. Sunt enim necessaria episcoporum concilia ad correctionem, & ad exhortationem: quæ etsi

non

" non habent vim constituendi; habent tamen auctoritatē im-
" ponendi & indicendi, quod aliàs statutum est: & quod gene-
" raliter seu specialiter obseruari præceptum est.

E x *Gabilonensi concil. cap. vj. — a Cabilonen.

Palea. 2

PLacuit, vt conseruato metropolitani primatu, cæteri episcopi secundum suæ ordinationis tempus alius alij deferat locum.

V N D E Leo papa Anastasio Thessalonicensi episcopo. — Leo pa. 1. epist. [illegible]

Bini conuentus per singulos annos ab episcopis celebrentur. 3

DE concilijs autē episcopalibus nō aliud indicimus: quàm quod sancti patres salubriter ordinauerunt: vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diuersos ecclesiæ ordines nasci assolēt, iudicetur: ac si fortè inter ipsos qui præsunt, de maioribus peccatis nascitur (quod absit) causa, quæ prouinciali examine nequeat diffiniri: fraternitatem tuam de totius negocij qualitate metropolitanus curabit instruere: vt si corā positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionē quicquid illud est, transferatur.

I T E M ex Niceno concilio, cap. v.

Quo tempore concilia episcoporum sunt celebranda. 4

HAbeatur semel concilium ante dies quadragesimæ: vt omnibus (si quæ sunt) simultatibus amputatis, mundū ieiunium & solenne deo possit offerri. Secundum verò agatur circa tempus autumni.

I T E M ex Antiocheno concilio, ca. xx.

Ad morum correctionem, & controuersiarum dissolutionem bis in anno episcopale concilium fiat. 5

PRopter ecclesiasticas causas & quæ existunt controuersias dissoluendas: sufficere nobis visum est bis in anno per singulas prouincias episcoporum cōcilium fieri. Semel quidem post tertiā hebdomadā paschalis solennitatis: ita vt in quarta hebdomada quæ sequitur; & in medio temporis inter Pascha & Pentecosten concilium compleatur. Admoneant autem comprouinciales episcopos hi qui in amplioribus ciuitatibus, id est Metropolitanis degunt. Secundū verò concilium idibus Octobris habeatur, qui dies apud Græcos hyperberetæi *mensis decimus inuenitur. In ipsis autem conciliis & presbyteros & diaconos præsentes esse oportet: & omnes quotquot se læsos existimant, synodicam expectare sententiam: nec liceat aliquibus apud semetipsos concilia sine Metropolitanorum & episcoporum conscientia & consensu facere: quibus & de omnibus causis constat esse permissum iudicium.

*Vide in hunc locum Ioan. Bapt. Pium annotationum posteriorum cap. 65. Quidam notauit legendū hyperberetæi ex Alciato lib. 1. parerg. c. 49. cum ille potius pro veteri corrupta lectione dicat legēdum hyperberetæi, vt hic.

I T E M ex concilio Laodicen. cap. xl.

Semetipsos accusant qui vocati ad synodum venire contemnunt. 6

NOn oportet vocatos episcopos ad synodum contemnere venire, sed adire debere: & aut docere aut doceri quę sunt ad ecclesiæ cæterorumque correctionē vtilia: quod si contempserint, seipsos videntur accusare, nisi forte ire non possint.

ITEM ex concilio Chalce.

Cap. 19 actionis decimaquinta. & Iuone P. 4.

Corripiantur episcopi, qui ad concilium vocati, venire recusant. 7

PERuenit ad nostras aures, quòd in prouinciis cōstituta episcoporum concilia minimè celebrentur. hoc ex eo probatur, quòd multæ quæ correctione opus habēt, ecclesiasticę res negligantur. Statuit ergo hæc sancta synodus secundū regulas patrum bis in anno in vnum cōuenire per singulas prouincias episcopos: vbi singula quæ emerserint corrigantur. Qui verò noluerint conuenire episcopi, constituti in suis ciuitatibus, & hoc maximè cùm sui corporis sanitate sint consistentes, cùm etiam ab omnibus aliis vrgentibus necessitatibus & inexcusabilibus negociis sint liberi: licere eos fraternæ charitatis commonitionibus corripi.

ITEM ex septima synodo.

Canonicis subiaceat pœnis metropolitanus, qui saltem semel in anno celebrare concilium negligit. 8

8. par.

QVoniam quidē regula est, quæ dicit bis in anno per singulas prouincias oportere fieri per conuentū episcoporum regulares inquisitiones, propter fatigationes, & vt opportunè habeantur ad iter agendum hi qui congregandi sunt, diffinierunt sextæ synodi sancti patres omni excusatione remota omnibus modis semel in anno fieri, & deprauata corrigi. Hūc ergo canonem & nos renouamus, & si quisquam princeps inuentus fuerit hoc prohibere, communione priuetur. Si quis verò metropolitanus hoc neglexerit agere absque necessitate vel vi, seu aliqua rationabili occasione: canonicis pœnis subiaceat. Dum autem synodus agitur super canonicis & euangelicis negociis, oportet congregatos episcopos in meditatione & solicitudine fieri custodiendorum diuinorum & viuificandorum domini mandatorum: Porrò non habet metropolitanus licentiam ex his quæ defert episcopus secum, siue iumentum, siue aliquam speciem expetendi. quòd si hoc egisse conuictus fuerit, soluat quadruplum.

ITEM Leo quartus.

Non cogantur presbyteri ad sacra concilia eulogias deferre. 9

DE eulogiis ad sacra concilia deferēdis nihil inuenimus à maioribus terminatum, sed sicut vnicuique presbytero placuerit. Nam si constitutum fuerit aliquid illo tēpore benedictionis afferri, forsitan minus libēter ad synodos occurrerēt, & magis venire obtrectarent, quæ non sunt (vt arbitror) rationabiliter

nabiliter requirendæ, nec vltro delatæ respuendæ.

ITEM ex concilio Carthaginensi iiij. cap. xxj.

Sine graui necessitate episcopus ad synodum ire non tardet. 10.

EPiscopus ad synodum ire non tardet, si non satis graui necessitate inhibeatur: sic tamen, vt in persona sua legatum mittat, suscepturus (salua fidei veritate) quicquid synodus statuerit. ITEM ex concilio Carthagi. v. cap. x.

Excusatorias literas dirigāt, qui grauati ad synodū ire nō possunt. 11

PLacuit vt quotienscunque congregandum est concilium, episcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neq; alia grauiori necessitate impediuntur, competenter occurrant: quòd si non poterint occurrere, excusationes suas literatoriè conscribant. Nisi autem rationem impedimenti sui apud primatem suum reddiderint, ecclesię suæ communione [a] debēt esse contenti. (a debere esse contenti.) ITEM ex concilio Turonen. cap. ij. *Palea.* 12

EPiscopus non debet abbatem cogere ad synodum ire, nisi aliqua rationabilis causa existat.

ITEM ex concilio * Arelatensi. (* al. ex concilio ¶ paleali. apud Iuonem.)

A communione sit alienus, qui synodo adesse contempserit.

SI quis autem synodo adesse neglexerit, vel cœtum fratrū antequam concilium dissoluatur, crediderit esse deserendū, alienum se à fratrum communione agnoscat: nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus. (Ca. 19. concilij Arelatens. secundi.)

ITEM ex concilio Agathensi ij. cap. xxxv.

Vsque ad proximam synodum à communione abstineat, qui à metropolitano vocatus absque graui necessitate synodo adesse neglexerit. 13

SI episcopus metropolitanus ad comprouinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summi pontificis, aut ad synodum inuitet, postpositis omnibus (excepta graui infirmitate corporis, ac præceptione regia) ad constitutam diem adesse non differāt. quòd si defuerint, sicut prisca canonum auctoritas præcepit, vsque ad proximā synodum à charitate fratrum & ecclesiæ, priuentur communione. (Cap. 35. concil. Agat.)

ITEM ex concilio Terraconnens. cap. vj.

Communione priuetur episcopus, qui à metropolitano vocatus ad synodum, venire contemnit. 14

SI quis episcoporum commonitus à metropolitano ad synodum nulla graui necessitate intercedente corporali venire contempserit, sicut statuta patrum sanxerunt, vsq; ad futurum concilium cunctorum episcoporum charitatis cōmunione priuetur. ITEM ex concilio Martini papæ. (Ca. 18. lib. excerptorum capitulorū Martini Bracarens. episc.)

Presbyteri & diaconi & cuncti qui se læsos existimant, ad metropolitanam synodum conueniant. 15

PRopter ecclesiasticas causas, & altercationū solutiones benè placuit per singulas prouincias bis in anno conciliū fieri,

ri, conuocāte metropolita. episcopo omnes prouinciales episcopos: ita vt ad concilium veniant omnes presbyteri & diaconi, vel hi qui se læsos existimant, vt in concilio causæ examinatæ ad iustum iudicium perducantur. Et si qui manifestè episcopi vel presbyteri, aut diaconi inuenti fuerint in offensa, secundum rationem excommunicentur, quandiu de communi cōsensu de his placuerit dare sententiam. Nulli autem episcopo liceat propria apud semetipsum concilia facere, præter eos quibus metropoles sunt creditæ.

a hæc palea deest in meo manuscrip. Gratian. Contius. 3. part.

ITEM ex concilio Bylon. [a]*Palea.* 16

ANnis singulis episcopus in sua diœcesi synodum faciat de suis clericis, necnon abbatibus, & discutiat alteros clericos & monachos. Singuli verò episcoporum suis ecclesijs notificare studeant quæ in conciliis statuuntur.

VNDE in concilio Toletano.

tertio cap. 18.

Quæ in conciliis statuuntur singuli episcoporum suis ecclesiis notificēt. 17

DEcernimus, vt dum in qualibet prouincia concilium agitatur, vnusquisque episcoporum admonitionibus suis intra sex mēsium spatia, omnes abbates, presbyteros, diaconos, atque clericos, seu etiam omnem conuentum ciuitatis ipsius, vbi præesse dignoscitur, necnon & cunctam diœcesis suæ plebem aggregare nequaquā immoretur: quatenus corā eis plenissimè omnia referet quæ eodem anno in concilio acta sunt, vel diffinita esse noscuntur. Quòd si quispiam hæc paruipendenda crediderit, sentētia excommunicationis duorum mensium curriculo persistat vsquequaque mulctatus.

VERSVS.

Quas habet, accipe, decretalis epistola vires.

DE AVTHORITATE EPISTOLARVM DECRETALIVM PAPAE.

DISTINCTIO XIX. 1

Verba Grat.

DE epistolis verò decretalibus quæritur, an vim authoritatis obtineant, cùm in corpore canonum non inueniantur. De his ita scribit Nicolaus papa archiepiscopis & episcopis, per Galliam constitutis.

Decretales epistolæ vim authoritatis habent. 2

SI Romanorum pōtificum decreto, cęterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobātur, ita vt quod verè sed. apost. probauit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quāto potius ea quæ ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro varijs & multifarijs ecclesię necessitatibus, & fideliū moribus diuerso tēpore scripsit, omni honore debent præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus vel opportunitatibus discretiōe vel dispensatione magistra reuerenter assumi? Quanquam quidam

vestrum

vestrũ scripserint, haud illa decretalia priscorum põtificum in toto canonum codicis corpore esse descripta, & ideo inter canones non assumenda. * Cùm & ipsi vbi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, in omnibus illis indifferenter vtantur: & solum nunc ad deminutionem sed. apost. potestatis, & ad suorum augmentum priuilegiorum minus accepta esse perhibeant. Item, si ideo non esse decretales epistolas priscorũ pontificum Romanorũ admittendas dicunt, quia in codice canonum nõ habentur asscriptæ: ergo nec sancti Gregorij, nec vllius alterius qui ante ipsum fuit, vel post ipsum est, ad aliquod institutum vel rescriptũ recipiendũ est: eo quòd in codice canonum non habeatur asscriptum. Ergo doctrinam eorum & sanctiones quæ ab omni lingua venerãtur, quia in codice canonum non habẽtur asscriptæ, de codicibus suis abradant. Vt quid vel membranas occupant, postquam nõ habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cùm nec ipsas diuinas scripturas veteris & noui testamẽti iam recipiemus, si istos dixerimus esse audiẽdos? etenim neutrum horum in codice canonum ecclesiasticorum habetur insertum. Sed respõsuri sunt isti, qui ad resistẽdum potius, quàm ad obediendũ parati sunt, dicẽtes; quòd inter canones inueniatur capitulum sancti Innocentij papæ: cuius authoritate doceatur à nobis vtrunque testamentum esse recipiẽdum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorũ ex toto contineatur insertum. Quibus ad hæc respondẽdum est, quoniam si vetus nouumque testamentum sunt recipienda, non quòd codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendis sancti papæ Innocentij prolata videatur esse sententia, restat nimirum quòd decretales epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendę, etsi non sunt codici canonum cõpaginatæ, quoniã inter ipsos canones vnum beati Leonis papæ capitulũ constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostol. custodiri mandantur: vt si quis in illa cõmiserit, nouerit sibi veniam denegari. Dixit enim cap. x. suarũ decretaliũ: Ne quid verò sit quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta tam bonæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædecessorũ nostrorũ quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonũ promulgata sunt disciplinis, ita nostra declaratione custodiri mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi nouerit denegari deinceps. Dicendo verò omnia decretalia constituta, nullũ de decretalibus constitutis prętermisit, quod non mandauerit esse custodiendum. Et rursus asserendo, omnium prædecessorũ nostrorum, nullum pontificũ Romanorũ qui ante se fuerunt excepit, cuius ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, vt si quis in illa commiserit,

* Contra l. ab hostibus. §. sed quod simpliciter ff. ex quibus cau. ma. &c. § de offic. praef. l. 4.

Innoc. papa. 1. epist. 3. ad Exuperium.

Leo pa. 1. epist.

rit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Itaq; nihil interest vtrum sint omnia, nécne decretalia se. apost. statuta inter canones conciliorũ immixta, cùm omnia in vno corpore compaginari nõ possint, & illa eis intersint quæ firmitatẽ his quæ desunt, & vigorem suum assignant, præsertim cùm synodalia gesta inter quæ ipsi canones statuti sunt, in codice canonũ nõ habeantur, sed à nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo Leoni papæ etiam facundissimus sanctus in decretis suis papa Gelasius ita inquiens: Decretales epistolas quas beatissimi papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana pro diuersorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum est, quòd non dixit decretales epistolas quæ inter canones habentur, vel quas moderni pontifices ædiderunt: sed quas beatissimi papæ diuersis tẽporibus ab vrbe Roma. dederunt. Dicens autem diuersis temporibus, etiam illa tẽpora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus paganorum persecutionibus ad sedem apost. deferri causas episcoporum difficillimè permittebant. His itaque diuina fauente gratia prælibatis, ostendimus nullam esse differentiam inter illa decreta quæ in corpore canonum habentur se. apost. præsulũ, & ea quæ præ multitudine vix per singula corporum volumina reperiuntur, cùm omnia & omnium prædecessorum suorum decretalia cõstituta, atq; decretales epistolas, quas beatissimi papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana dederunt, fore venerabiliter suscipiendas, & custodiendas eximios præsules Leonem scilicet & Gelasium mandasse probauimus.

Gelasius pa. 1. com ro. episcopis statuit.

ITEM ‡Agatho papa omnibus episcopis.

‡Sedit anno Christi CCCCCCLXXX sub Constantino quinto Imper.

Omnes sanctiones apost. se. irrefragabiliter sunt obseruandæ. 3

SIc omnes sanctiones apost. sed. accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ.

ITEM ex concilio Caroli Imperatoris.

Tolerandum est iugum quod à sancta sede imponitur, licet intolerabile videatur. 4

IN memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctã Roman. eccle. & apost sed. vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, ecclesiasticæ esse debeat magistra rationis. quare seruanda est cum mansuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamẽ feramus, & pia deuotione toleremus. Si verò (quod non decet) quilibet, siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab apostolica se. detulisse epistolam, vel aliud quod inde nõ venerit: salua fide, & integra apud apostolicũ humilitate, penes episcopum

pum

pum sit potestas vtrum eum in carcerem aut in aliã detrudat custodiam; vsquequo per epistolã, aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatione dignetur discernere, & quid de talibus sancta Romana lex statuit, diffinire, vt & is corrigatur, & cęteris modus imponatur.

ITEM *Stephanus papa. *Sedit anno Christi CCLVI. Stepha. pap. 1. epist. 1. ad Hilarium episcopum.

Quicquid Romana ecclesia statuit vel ordinat, ab omnibus obseruandum est. 5

ENimuero quia in speculum & exemplum sancta Romana ecclesia cui nos Christus præesse voluit, proposita est: ab omnibus quicquid statuit, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obseruandum est. ITEM Gregorius.

A Pontificalibus sit alienus officijs, qui apostolicis non vult obedire præceptis. .6

NVlli fas est vel velle vel posse trãsgredi apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestrã sequi oportet charitatẽ. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis apostolicis voluerit contraire decretis: nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed exors à sancto fiat ministerio, nec de eius iudicio quisquã postea curam habeat: quoniam iam damnatus à sancta & apost. eccl. sua inobedientia atque præsumptione à quoquam esse non dubitetur: quia maioris excommunicationis deiectione est abijciendus, cui sanctæ ecclesiæ cõmissa fuerit disciplina: quia nõ solùm præfatæ sanctæ ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam alijs ne præterirent insinuare. Sitque alienus à diuinis & pontificalibus officijs, qui noluerit præceptis apostolicis obtemperare. 2. pars.

ITEM Augusti. de doctrina Christiana lib. ij cap. viij.

Inter canonicas scripturas decretales epistolæ connumerantur. .7

IN canonicis scripturis ecclesiarum catholicarum quàmplurimum diuinarum scripturarum solertissimus indagator authoritatem sequatur: inter quas sanè illæ sint quas apostolica sedes habere, & ab ea alij meruerũt accipere epistolas. Tenebit igitur indagator hunc modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus recipiuntur ecclesijs, præponat eis quas quidam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioresq; accipiũt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inueniri vix possit: æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. ITEM Leo papa. Leo pap. 1. epist. 87. ad episcopos Viennenses.

Ministerij diuini se exortem intelligat, qui à soliditate Petri recedit. 8

ITa dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, vt veritas quæ antea legis & prophetarum præco- Ex mag. Iuo. P. 5.

nio continebatur, per apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum. Sed huius muneris sacramentum, ita dominus ad omniũ Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem intelligeret se diuini ministerij esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hũc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptũ, id quod ipse erat dñs voluit nominari dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, vt ętemi tẽpli ædificatio mirabili munere gratiæ dei in Petri soliditate consisteret: hanc etiam ecclesiã sua firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam præualerent. Verùm hanc Petræ istius sanctissimam firmitatem Deo (vt diximus) ædificante constructam, nimis vult impia præsumptione violare quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis: & id quod accepit à veteribus, non sequendo. Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium patrum decretis, nec euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur. Anastasius enim secundus fauore Anastasij imperatoris quos Acatius post sententiam in se prolatam sacerdotes vel leuitas ordinauerat, rite fungi acceptis officijs debere decreuit, ita inquiens: ANASTASIVS * ij.

Psal. 18.

Matth. 16.

Anast. pa. 2. epi. 1. ad Anast. Augustum.

*Sedit anno Christi. CCCCXCVI. sub Anastasio Imp. orientis & Theod. occidentis, vt j. c. prox.

Nulla læsionis portio attingat eũ, qui ab hæreticis iã dãnatis ordinatur. 9

SEcundum ecclesiæ catholicæ cũsuetudinem sanctissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his quos baptizauit Acatius, vel quos sacerdotes vel leuitas secundum canones ordinauit: aliqua ex nomine Acatij portio læsionis attingat, quo forsitan periniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam & baptisma (quod procul sit ab ecclesia) siue ab adultero siue à fure datum fuerit, ad percipiẽtem munus peruenit illibatum, quia vox illa quę sonuit per columbam: Hic est filius meus, &c. omnem maculam humanæ pollutionis exclusit: Quod declaratur cùm dicitur: Hic est qui baptizat in spiritu sancto & igne. Nam si visibilis solis istius radij cùm per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur: multo magis ipsius qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur. Nam & Iudas cùm fuerit sacrilegus atq; fur, quicquid egit inter apostolos pro dignitate commissa sibi, beneficia per indignũ data nulla

Matth. 3. & Ioan. 1. & ij. ...

nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipsum domino manifestissima voce: Scribæ, inquit, & pharisæi super cathedram Moysi sederunt. Quæcunq; dicũt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Quicquid ergo ad hominum profectũ quilibet in ecclesia ministri pro officio suo videntur operari, hoc totũ contineri implente diuinitatis effectu: ita ille per quẽ loquitur Christus, Paulus affirmat, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit. Itaq; neq; qui plantat, est aliquid: neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Adeò autẽ non requiritur quis vel qualis prædicet, sed quid prædicet: vt inuidos etiam Christum bene confirmet prædicare, quo malo ipse diabolus deiectus est, & hoc ipse prædicare nõ desinit. Ideo ergo & hic, cuius nomẽ dicitur reticendum esse: malè bona ministrando, sibi tantum nocuit. nam inuiolabile sacramentum quod per illum datum est, in alijs perfectionem suæ virtutis obtinuit. quod quidem generaliter verũ est, nisi aliquorũ intantum se extenderet curiosa suspicio, vt imaginentur prolato à Felice papa iudicio, postea inefficaciter in sacramentis quæcunque Acatius vsurpauit, ipsum egisse. ac proinde oportet eos metuere qui vel in consecrationibus vel in baptismate ministeria tradita susceperunt, ne irrita diuina beneficia videantur. Matth. 23. a 1. Cor. 3. b

» Quia ergo illicitè & non canonicè, sed contra decreta prædecessorum & successorum suorũ hæc rescripta dedit, vt probat Felix & Gelasius qui Acatium ante Anastasiũ excommunicauerunt: & Ormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eũdem Acatium postea damnauit: ideo ab ecclesia Romana repudiatur, & à Deo percussus legitur fuisse hoc modo. Verba Gratiani.

Anastasius à Deo reprobatus, nutu diuino percussus est. IC

ANastasius ij. natione Romanus fuit temporibus Theodorici regis. Eodem tempore multi clerici se à communione ipsius abegerunt, eo quòd cõmunicasset sine concilio episcoporum vel presbyterorum & clericorũ cunctę ecclesiæ catholicę, diacono Thessalonicẽsi nomine Fotino, qui communicauerat Acatio, & quia voluit occultè reuocare Acatium, & non potuit, nutu diuino percussus est. Ex lib. pontificali. Ex Iuone

Lege Aut. [illegible] dialogo S. lib. [illegible] et corrige

HINC etiam de Maximo episcopo in Constantinopolitana synodo statutum est.

Quæ circa indisciplinatos prelatos vel ab eis geruntur, in irritum reuocentur. II

PRopter totius indisciplinationis eius doctrinam quæ Constantinopoli exorta est, statutum est ne Maximus fuisse aut esse iam putetur episcopus, neque hi qui ab eo sunt ordinati, qualemcunque gradum clericatus obtineant: omnibus scilicet quæ circa eum vel ab eo gesta sunt, in irritum reuocatis. Cap. 6. Concilij Constan. sub Damaso pap. I.

VERSVS.

Tanto maior eris, quo te ratione tueris.

IN DEFINIENDIS, DECRETA PONTIFICVM DICTIS INTERPRETVM PRAEFERVNTVR. DISTINCTIO XX. 1

Verba Gratiani.

DEcretales itaque epistolæ canonibus conciliorum pari iure exæquantur. Nunc autem quæritur de expositionibus sacræ scripturæ, an exæquẽtur aut subijciãtur eis. quo enim quisque magis ratione nititur, eo maioris auctoritatis eius verba esse videntur. Plurimi autem tractatorum sicut pleniori gratia sancti spiritus, ita ampliori scientia aliis pręcellentes, rationi magis adhæsisse probãtur. Vnde nonnullorum pontificum cõstitutis, Augustini, Hiero. atque aliorum tractatorum dicta videntur esse præferenda. Sed aliud est causis terminum imponere: aliud scripturas sacras diligenter exponere. In negotiis definiendis non solum est necessaria sciẽtia, sed etiã potestas: vnde Christus dicturus Petro: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatũ & in cælis &c. prius dedit sibi claues regni cælorum. In altera dedit ei scientiam discernendi inter lepram & lepram: in altera dãs sibi potestatem eiiciendi aliquos ab ecclesia vel recipiẽdi. Cùm ergo quęlibet negocia finem accipiant vel in absolutione innocẽtium, vel in condemnatione delinquẽtium: absolutio verò vel condemnatio non scientiam tantùm, sed etiam potestatem præsidentium desideret: apparet quòd diuinarũ tractatores scripturarũ etsi scientia põtificibus præemineant; tamen quia dignitatis eorum apicem nõ sunt adepti, in sacrarum quidam scripturarum expositionibus eis præponuntur: in causis verò definiendis secundum post eos locum merentur.

1. part. *Matt. 16. c.*

VNDE Leo papa quartus scribit episcopis Britanniæ.

Ivo Carn lib. 2. id [illegible]

Aliorum scriptura, Romanorum pontificum decretis non sunt præponenda. 2

DE libellis & commentariis aliorũ non cõuenit aliquos iudicare, & sanctorum conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas quæ habentur apud nos, simul cum canonibus quibus in omnibus ecclesiasticis vtimur iudiciis, id est, apostolorum Nicenorum, Ancyritanorũ, Neocæsariensium, Gangrensium. Sardicẽsium, Aphricanensiũ, Carthaginẽsium: & cum illis regulæ præsulum Romanorũ Siluestri, Cyrici, Innocentij, Zozimi, Cælestini, Leonis, Hilarij, Gelasij, Ormisdę, & Gregorij Iunioris. Isti omnino sunt & per quos iudicant episcopi: & per quos episcopi simul & clerici iudicantur. nam si tale emerserit vel contigerit inusitatum negocium quod minime possit per istos diffiniri: tunc illorum quorum meministis dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorũ similiter

liter sanctorum doctorū & similiū, si reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda: vel ad apostolicam sedem referatur de talibus. Quā ob causam luculentius & magna voce pronunciare non timeo: quia qui illa quæ prædiximus sanctorum patrū statuta quæ apud nos canonum nomine prætitulātur, siue sit episcopus, siue clericus, siue laicus, non indifferenter recipere conuincitur: nec catholicam & apostolicam fidem, nec sancta quatuor euangelia vtiliter & efficaciter ad effectum suum retinere vel credere probatur.

ITEM Nicolaus papa clero Constantinopolitano.

Corrigendi sunt qui decreta Romanorum pontificum non habent, vel non obseruant. 3

SI decreta Romanorum pontificum non habetis: de neglectu atque incuria estis redarguendi. Si verò habetis, & non obseruatis, de temeritate estis corripiendi & increpandi.

ITEM Innocentius papa.

Ad quos sit recurrendum, cùm sacræ scripturæ auctoritas non occurrit. 4

DE quibus causis nulla soluendi ligandiq; auctoritas in libris veteris & noui testamenti, & quatuor euangeliorum cum totis scriptis apostolorum appareat: ad diuina recurrite scripta Græca. Si nec in illis, ad catholicæ ecclesiæ historias catholicas à doctoribus catholicis scriptas manū mittite. Si nec in illis, sanctorum exēpla perspicaciter recordamini. Quòd si omnibus his inspectis huius quęstionis qualitas nō lucidè inuestigatur: seniores prouinciæ congregate, & eos interrogate. facilius namq; inuenitur quod à pluribus senioribus quæritur. Verus etiam repromissor dominus ait: Si duo ex vobis vel tres conueniunt super terram in nomine meo, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. *Matth. 18.*

VERSVS.

Hic bene maiores locat, vt decet, atquę minores.

DE ECCLESIASTICORVM MINISTRORVM ORIGINE AC INSTITVTIONE.

DISTINCTIO XXI.

" DEcretis ergo Romanorum pontificum, & sacris canonibus conciliorum ecclesiastica negocia (vt supra monstratū est. terminātur) Ministri verò sacrorum canonum & decretorū pontificum sunt summi pontifices, & infra præsules, & reliqui sacerdotes: quorum institutio est in veteri testamento inchoata: & in nouo plenius consummata. Summi etenim pontifices & minores sacerdotes à deo sunt instituti per Mosen, qui ex præcepto domini Aarō in summū pontificē, filios verò eius vnxit in minores sacerdotes. Postea verò Dauid cùm ministeria domus domini ampliaret, ianitores & cantores instituit. Porrò Salomon quendā modū exorcizandi *Verba Gratiani. Exod. 27. 8. 1. Para. 23.*

cizandi inuenit: quo dęmones adiurati, ex obsessis corporibus "
pellebantur. huic officio mancipati, exorcistæ vocati sunt: de "
quibus dominus in euangelio: Si ego in Beelzebub eiicio dæ- "
monia: filij vestri (scilicet exorcistæ) in quo eiiciunt? Hæc om- "
nia in nouo testamento ecclesia imitata, habet ianitores suos, "
quos ostiarios appellamus. Pro cantoribus, lectores, & cãtores "
instituit. Exorcistas autem nomine antiquo & officio perma- "
nente recepit. Pro filiis verò Aaron omnes infra summu pon- "
tificem sacerdotium administrantes sunt consecrati. Inter eos "
quædã discretio seruata est: vt alij appellẽtur simpliciter sacer- "
dotes, alij archipresbyteri, alij chorepiscopi, alij episcopi, alij "
archiepiscopi, seu metropolitæ, alij primates, alij patriarchæ, "
alij summi põtifices. Horũ discretio à gẽtilib. maximè intro- "
ducta est: qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios ar- "
chiflamines, alios protoflamines appellabãt. Simpliciter verò "
maiorũ & minorũ sacerdotũ discretio in nouo testamento ab "
ipso Christo sumpsit exordiũ. qui xij. apostolos tanquã maio- "
res sacerdotes; lxxij. discipulos quasi minores sacerdotes insti- "
tuit. Petrũ verò quasi in summũ sacerdotẽ elegit, dum ei præ "
omnibus & pro omnibus claues regni cælorũ tribuit: & à se "
Petra Petri sibi nomẽ imposuit: atq; pro eius fide se specialiter "
rogasse testatus est: & vt ipse cæteros cõfirmaret, subiunxit di- "
cens: Ego pro te rogaui Petre, vt nõ deficiat fides tua: & tu a- "
liquando conuersus, confirma fratres tuos. Hanc eandẽ formã "
apostoli secuti, in singulis ciuitatibus episcopos & presbyte- "
ros ordinauerũt. Leuitas autẽ ab apostolis ordinatos legimus: "
quorum maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos & acoly- "
thos procedente tempore ecclesia sibi constituit. "

Luca 11. e. *Luc 22. e* *Act. 6.*

De his etiã scribit B. Isido. in lib. vij. Etymolo. cap. xij. no-
mina illorum & nominum causas exponens, ita inquiens.

Ety. c. 1. lib. 2. de eccl'esiast. officijs.

Vnde nomina ecclesiasticorum graduum sumantur. 2

CLeros & clericos hinc appellatos credimus, quia Mathias sorte electus est: quem primum per apostolos legimus ordinatũ. κλῆρος enim Græcè, sors Latinè, vel hęreditas dicitur. Propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia* Domini partem habẽt. Generaliter autẽ clerici nuncupãtur† omnes, qui in ecclesia Christi deseruiunt: quorũ gradus & nomina sunt hęc: Ostiarius, Psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus presbyter, episcopus. Ordo verò episcoporũ quadripertitus est: id est, in patriarchis, archiepiscopis, [ᵃmetropolitis,] atq; episcopis. Patriarcha Græca lingua summus patrũ interpretatur: quia primũ ᵇ post apostolicum tenet locum: & ideo quia summo honore fungitur, tali nomine censetur: sicut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus. †Archiepiscopus Græco interpretatur vocabulo, quod sit

* *dominum. rectè vt in manuscrip. Grat. & Isid.* Contius.

a *vel.* metropolitanis.

b *Pro post, scriptum est, id est in manusc.* & impressis Isidori libris & in manuscripto Gratiano, quamobrem immerito reprehenditur hic à quibusdam Gratianus.

summus

summus episcoporũ, id est primas. tenet enim vicem apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis quàm cæteris episcopis. Metropolitani* autẽ a mensura ciuitatum !* vocantur. singulis enim prouinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil reliquis agere licet episcopis. solicitudo enim totius prouinciæ archiepiscopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines, vno eodemque vocabulo episcopi nominantur: sed ideò priuato nomine quidam vtuntur, propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt. Patriarcha patrum princeps. ἀρχὸς enim Græcè, princeps Latinè. inde archiepiscopus, princeps episcoporum. Metropolitanus à mensura ciuitatum. Episcopus autem vocabulum inde dictum est, quòd ille qui efficitur episcopus, superintendat: scilicet curam gerens subditorum. σκοπεῖν enim Græcè, Latinè intẽdere dicitur. Episcopi enim Græcè, Latinè speculatores interpretantur. nam speculator est præpositus in ecclesia: ideo dictus, eo quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam. Pontifex princeps sacerdotũ est, vel dicitur esse quasi via sequentium. Ipse & summus sacerdos, ipse & pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit sacerdotes, atq; leuitas: ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit: ipse quod vnusquisque facere debet, ostendit. Antea autem pontifices & reges erant. Nam maiorum hæc consuetudo fuit, vt rex esset sacerdos & pontifex *vnde & põtifices Romani Imperatores appellabantur. Vates à vi mentis appellatus est: cuius significatio multiplex est: nam modò sacerdotem, modò prophetã significat, modò poëtã. Antistes sacerdos dictus est ab eo, quia ante stat. primus est enim in ordine ecclesiæ, vt supra se nullum habeat. Sacerdos autẽ nomen habet compositũ ex Græco & Latino: quasi sacrum dans. sicut enim rex à regendo, ita sacerdos à sacrificando vocatus est, consecrat enim & sacrificat. Sacerdotes aũt gẽtilium flamines dicebãtur, hi in capite habebãt pileum, in quo erat breuis virga desuper habẽs lanæ aliquid: quod cùm propter æstum ferre non possent, filum tantum in capite religare cœperũt. Nam nudis eos penitus capitibus incedere nefas erat. Vnde & à filo quo vtebantur flamines dicti sunt, quasi filamines. verum in festis diebus filo deposito pileum imponebant pro sacerdotij eminentia. Presbyter Græcè, Latinè senior interpretatur. non modo pro ætate vel decrepita senectute: sed propter honorẽ & dignitatẽ quã acceperunt, presbyteri nominãtur. Ideo autẽ presbyteri sacerdotes vocantur: quia sacra dant, sicut & episcopi: qui licet sint sacerdotes, tamẽ pontificatus apicem nõ habent: quia nec chrismate frontem signant, nec paracletum spiritum dant: quod solùm deberi episcopis,

* Non à mensura ciuitatum, cum Græcè μητρόπολις non μετρόπολις.

* male hoc scripsit quidam in libro D.ς.F.M.lib.2.c.8 de Iudæorum regibus. Contius.

Act. 8. a.

ſcopis, lectio Actuum apoſtolorum demonſtrat. Vnde & apud veteres idē epiſcopi & presbyteri fuerunt: quia illud nomē dignitatis, & nō ætatis eſt. Leuitę ex nomine auctoris ſunt vocati. De Leui enim leuitæ exorti ſunt: à quibus in tēplo dei myſtici ſacramenti miniſteria explebātur. Hi Græcè diaconi Latinè miniſtri dicūtur: quia ſicut in ſacerdote cōſecratio, ita in diacono miniſterij diſpēſatio habetur. Hypodiaconos Græcè, ſubdiaconos Latinè dicimus: qui ideo ſic appellātur, quia ſubiacēt præceptis & officijs leuitarū. Oblationes enim in tēplo domini à fidelibus ipſis ſuſcipiūt, & leuitis ſuperponēdas altaribus deferūt: hi apud Hebræos Nathinnæi vocātur. Lectores à legendo, pſalmiſtæ à pſalmis canendis vocati ſunt. Illi enim prædicant populis voluntatē dei, & quid ſequātur: iſti canūt, vt excitēt ad compunctionē animos audientiū: licet & quidam lectores ita miſerabiliter pronunciēt, vt quoſdā ad luctū lamētationesq; cōpellant. Iidem etiā pronūciatores vocantur, quia populo annunciāt. Tanta enim & tā clara eſt eorū vox, vt quāuis longè poſitorū aures adimpleat. Cātor autē vocatus eſt, quia vocē modulatur in cantu. huius duo genera dicuntur in arte muſica: ſicut ea doctiſſimi homines Latinè dicere potuerunt, præcētor, & ſuccentor. Præcentor ſcilicet qui vocem præmittit in cantu. Succētor autē qui voce ſubſequenter canendo reſpondet. Concētor autē dicitur, quia conſonat & concinit. qui autē non conſonat nec concinit nec concentor erit. [a]Acolyti græce, Latinè ceroferarij dicuntur; à deportandis cereis quando legendū eſt euangelium, aut ſacrificium offerendum, tunc enim accēduntur luminaria ab eis, & deportantur: nō ad effugādas tenebras, dum ſol eodem tempore rutilat: ſed ad ſignū lætitiæ demonſtrandū: vt ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in euāgelio legitur: Erat lux vera quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum. Exorciſtæ ex Græco in latinū adiurantes ſiue increpātes vocātur; inuocant enim ſuper catechumenos, vel ſuper eos qui habēt ſpiritum immundū, nomē domini Ieſu, adiurantes per eū vt egrediatur ab eis. Oſtiarij, id eſt ianitores: qui in veteri teſtamento electi ſunt ad cuſtodiā templi, vt nō ingrederetur in illud immūdus in omni re. Dicti autē ſunt oſtiarij, quòd præſint oſtijs tēpli. Ipſi. n. tenētes claues, omnia intus extraq; cuſtodiunt atq; inter bonos & malos habentes iudiciū fideles recipiunt & reſpuunt infideles. ITEM ** Anacletus. *

ἀκωλύτως dicitur, non prohibitus, hoc est admissus. Atque ita vocabatur qui ipse quidem nō peragebat mysteria, sed non excludebatur cū orarent, quod ignem, aut simile quiddam ad sacra necessarium afferebat.
a quaſi pediſſequi. Contius. *quanquam non displicet. vel vt ἀκόλουθος legeretur. nam Græcis dicitur famulus, qui semper adest, a verbo ἀκολουθεῖν quod est sequi.*
* In 2. decretali *Anacleti epi. 2. ad episcopos Italiæ.*
Ex mag. ſuo. par. 5. n. 1.

[† nuncupātur omnes] *Conſtantius elegāter definit clericos, omnes qui diuino cultui miniſteria religionis impendunt. L. qui diuino. Cod. Theodoſ. de epiſcopis & clericis. Contius.*

[‡ Archiepiſ.] *Additur in meo manuſcr. Iſid. Sūt enim auctoritate beati Petri apoſtoli inſtituti. Prima quippe eſt Petri apoſtoli ſedes Roma. eccle. Secundo*

Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius discipulo & Euangelista consecrata. Tertia verò sedes Antiochena & à beato Petro habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset, habitauit, & illic primum nomen Christianorum in illa gente exortū est. Quamuis autem per orbem diffusa ecclesia vna Christi sit, sancta tamen Rom. ecclesia nullis iudicibus constitutis ceteris ecclesiis prælata est. Sed & Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus, inquiens, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Cæteraque sequuntur.

†* *In hunc errorem Isidorum incidisse ex linguæ Græcæ imperitia prim⁹, vt credo, notauit Alciatus li. 2. pareg. c. 23. cū Metropolis à Græco μητρόπολις. i. mater aut matrix ciuitas, veniat, non à μετρόπολις. Pau- cos huiusmodi errores quidam postea colligunt, quib. demōstrent indoctum Isidorum: cuius forte si pensentur vitia virtutibus, istis philologis doctior inuenietur. Contius.*

** *Tertius à Petro Episcop. Ro. Scio quosdam istorum Pontificum à Petro proximè sequentium decretales falsi insimulare, sed maiorem ab his probationem requirerem: cum & in omnibus quotquot extant canonum corporibus ab Isidoro ex libro Damas. vrbis Romæ Episcopi collectis, hæ reperiantur. Contius.*

Romana ecclesia à domino primatum accepit. 3 *Anacletus epist. 2. ad episcopos Ital. a. 2. part. Et mag. luo. q. ut. 5. c. 1.*

IN nouo testamēto post Christum dominum à Petro sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est domino dicēte ad eum; Tu es (inquit) Petrus, & super hanc petram, &c. & portæ inferi non præualebūt aduersus eam. Et dabo tibi cla. re. cœl. Hic ergo ligādi soluendique potestatem primus accepit à domino: primusq; ad fidem populum suæ prædicationis virtute adduxit, verboq; instituit. Cæteri verò apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt: ipsumque principem eorum esse voluerunt: qui etiam iubente domino in toto orbe terrarum dispersi euangelium prædicauerunt. ipsis quoque decedentibus, in loco eorum [a] surrexerunt episcopi: quorum ordinatio [b] prætaxato debet fieri ordine & modo: quos qui recipit & verba eorum, Deum recipit: qui autem spernit eos, eum à quo missi sunt, & cuius legatione funguntur, spernit: & ipse indubitanter spernetur à domino. Videntes autem ipsi apostoli messem esse multam, & operarios paucos: rogauerūt dominū messis, vt mitteret operarios in messem suam. [c] vnde ab eis electi sunt lxxij. discipuli, quorum typum gerunt presbyteri: atque in eorum loco sunt constituti in ecclesia.

Matth. 16. — *a successerunt* — *b prætaxato* — *Luc. 10. a* — *Matth. 9. d* — *c inde*

ITEM † Pelagius vrbis Romæ episcopus omnibus orthodoxis.

† Gelasius pa. pri. id habet.

Primatum Ro. ecclesiæ non aliqua synodus, sed Christus instituit. 4

QVamuis vniuersæ per orbē catholicæ & apostolicæ constitutæ ecclesiæ, vnus thalamus Christi sit: tamen sancta Ro. ec. catholica & apostolica nullis synodicis constitutis cæteris ecclesiis prælata est: sed euangelica voce domini & saluatoris nostri primatum obtinuit. Tu es (inquiens) Petrus: & super hanc petram ædifi. eccle. meam. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli vasis electionis: qui non diuerso (sicut hæretici garriunt) sed vno tempore vna eademq; die gloriosa morte cum Petro in vrbe Romana sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est: & supradictam pariter Roman. eccle. Christo domino consecrarunt: eamque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia atque venerando triūpho prætulerūt. Est ergo prima apostoli Petri sedes Roma. eccle. non habens maculam neque rugam, nec aliquid eiusmodi. In his omnibus quanto gradus celsior, tanto maior authoritas inuenitur. In maioribus siquidem est regendi & iubendi potestas: in minoribus obsequendi necessitas.

3. par.

Ecclesiastici inferiores superioribus obediant.

Nicol. ad Michaelē imperatorem id scribit ex Ennodio.

VNDE Nicolaus papa scribit Constantinopolitano episcopo dicens:

Inferiorum facta, superiorum sententiis obnoxia sunt. 5

INferior sedes potiorem absoluere nō potest. Sola enim potior inferiorem conuenienter absoluit. Hinc liquido prouidetur quia quem non potest absoluere, nec potest iudicio inferior potiorem ligare. vnde propheta ait: Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eā? His itaque ex diuina scriptura commemoratis sole clarius exhibuimus nō posse quemquam qui minoris authoritatis est, eum qui maioris potestatis est, iudiciis suis addicere, aut propriis diffinitionibus subiugare.

Esa. 10. d

Nicol. in eadē epist. ad Michaelem.

IDEM. *De eodem.* 6

NOlite nos existimare facta cuiuscunque proximorū nostrorum ea quæ sunt digna reprehensione velle defendere: sed quòd ita velimus filios circa spiritualem patrem, & discipulos erga magistrum deuotos esse ac sobrios, vt nulla penitus temeritate ad eorum vitam, vt non tantū dicamus diiudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendēdam prosiliant.

In eadem episto. ad Michaelem.

IDEM Nicolaus Papa.

Inferiores maioribus nec benedicere nec maledicere possunt. 7

Hebr. 7. b

Ex mag. luo. par. 5.

DEnique si in epistola ad Hebræos legimus, quòd minor à maiore benedicatur: restat profecto vt exigente ratione etiam maledicatur. Siquidē prænoscentes hæc periculosa tempora illi qui ante nos fuerunt, prouidam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt. hodie quoq; in Romana ecclesia, quæ magistra est omniū ecclesiarū, imprætermissa seruatur: ita vt nullus sa-

lus sacerdos maiore suo non iubente [a] consacerdote cuiuslibet [b] rei benedictionem dare [c] nitatur: sed [d] anterior stans ad pronunciandum aliquem lectionem, benedictionem quidem postulat: sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? nũquid benedicere peccatũ est? absit. De maledicis enim non benedicis dicit Apostolus: quia regnum Dei nõ possidebunt. sed per hoc innuitur quantæ censuræ freno inferiores, quique à suis præpositis iudicandi coercendique sunt, si hi nec etiam benedicendi ius vllum penitus obtineant.

a innuente, recte
b cuilibet
c benedicere
d sic &

Galat. 5. d

IDEM Michaeli imperatori: — Nicol. in eadẽ epist.

De eodem. 8

NVnc autem diuina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit, vobis ostendere, si tamen audire velitis; non posse quemquam ritè ab his, qui inferioris dignitatis vel ordinis sunt, iudicialib[9] summitti diffinitionibus. siquidẽ tẽpore Diocletiani & Maximiani Augustorum Marcellinus episcopus vrbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est Deo, cõpulsus est à paganis, vt templum eorũ ingressus, grana thuris super prunas imponeret: cuius rei gratia collecto † vniuersorum cõcilio episcoporũ, & inquisitione facta, hoc idẽ pontifex se egisse cõfessus est: nullus tamẽ eorũ proferre sententiã in eũ ausus est, dum ei sæpissimè omnes dicerent: Tuo ore iudica causam tuã, non nostro iudicio. Et iterũ: Noli audiri in nostro iudicio: sed collige in sinu tuo causam tuam. Et rursum. Quoniam ex te, inquiũt, iustificaberis: aut ex ore tuo condemnaberis. Et iterum dicunt, Prima sedes non iudicabitur à quoquam. Item in eadem. Sed cùm quodam tempore quidã contra Xystũ papam tentassent, quædam mali rumoris obiicere: & in cõcilio cui Valentinianus Augustus intererat, dictũ fuisset non licere aduersus pontificẽ sententiam dare: surrexit protinus idẽ imperator, & in arbitrio præfati põtificis tribuit iudicare iudiciũ suũ. Etenim nullus pontificum minorum vel inferiorum vrbiũ subactus iudiciis inuenitur.

Ex mag. Leo. par. 5.

† numerosorũ, recte

ITEM Nicolaus papa. — In eadem epistola.

Maiores à minoribus iudicari non possunt. 9

SVbmittitur Ignatius minorũ inferiorũ & subiectorum deliberationibus, econtra sacris canonibus præcipientibus, & exẽplis sanctorũ patrum, semper vbi est maior auctoritas, eundem esse, & in omnibus cõtrouersiis ad potioris sedis iudicia actio dirigatur: quod non solũ à catholicis, verũetiam ab ipsis constat obseruatũ esse hæreticis. Alioquin acephalũ liquet esse concilium vbi de tanta persona agitur, & maiorũ non expectatur sententia: cùm nec in causa clericorum inferioris gradus solius episcopi sui iudicium tãtummodo postulandũ sit.

ITEM Michaeli imperatori.

Idem Nico. in eadem epistol. Ex mag. luo par. 5.

Minorum sententiæ maiores damnare non valent. 10

IN tantum hanc præsumptionē sancti patres apud Chalcedonem detestati sunt, vt Dioscorū Alexandrinū antistitem inter cætera idcirco potissimū sine vlla restitutione dānauerint, quia ponēs in cœlū os suū, lingua eius transeūte super terrā, excommunicationem in sanctum Leonem papam dictauit, ita vt in sententia cōtra ipsum prolata hoc videantur memorare præcipuè, dicētes: Quoniā [a] secūdis excessibus præcipuè priorem iniquitatē valde transcendit. præsumpsit enim excōmunicationem dictare etiam aduersus sanctissimū & beatissimū archiepiscopū magnæ Romæ Leonē [b] &c. Nunquid ibi legitur inquisitionem factam fuisse, vtrum iste Dioscorus ipsam excōmunicationem iustè dictasset in papam? Non planè, sed absque omni controuersia hoc in eo vlti sunt: quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere iniuriis: teste Anatholio Constantinopo. præsule, qui dicit: Propter fidem non est damnatus Dioscorus; sed quia excōmunicationem fecit [b] in dominum archiepiscopum Leonem.

a Al. secundus excessus.

b Al. domino Archiepisc. Leoni.

VERSVS. 1

Quæ prior ecclesia, vel quæ sunt posteriores.

DE PATRIARCHARVM ORDINE.

DISTINCTIO XXII.

QVia ergo maior à minori iudicari non debet: vidēdum est quæ inter cæteras ecclesias primum locum, quæ secundum vel tertium obtineat. Romana ecclesia (sicut supra dictum est) primum locum inter cæteras obtinet: Alexandrina secundum: Antiochena ecclesia tertium ab ea locum accepit.

VNDE Nicolaus papa scribit Mediolanensibus:

Ex epi. ad Mi [illegible]

Romana ecclesia cæterarum primatum tenet. 2

OMnes siue patriarchę cuiuslibet apicē, siue Metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, vel ecclesiarum sine cuiuscunque ordinis dignitatem instituit Roma. ecclesia. Illam verò solus ipse fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni [a] simul & cœlestis imperij iura commisit. Nō ergo quælibet terrena sententia, sed illud Verbum quo constructum est cœlum & terra: per quod denique omnia condita sunt elemēta; Romanam fundauit ecclesiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur. Vnde nō dubium est, quia quisquis cuilibet ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit. Qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur: & cum ille vocetur iniustus, hic est dicendus hæreticus. Fidē quippe violat, qui aduersus illam agit

a Quod de terreno imperio adiecit, quidam nō ferunt.

agit quæ est mater fidei : & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur: & infra. Vnde ipse sanctus Ambro. se in omnibus sequi magistram sanctam Roma. ecclesiam profitetur.

ITEM Anacletus seruus Christi Iesu.

Non ab apostolis, sed ab ipso domino Romana ecclesia primatũ accepit. 3 Epist. 3. ad omnes episc.

SAcrosancta Romana & apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso domino & saluatore nostro primatum obtinuit: sicut beato Petro apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam; vsque, soluta & in cœlo. Matt. 16.c Adhibita est etiam societas in eadem Romana vrbe beatissimi apostoli Pauli vasis electionis qui vno die eodemq; tempore Romæ cum Petro gloriosissima morte coronatus est: & Actuum .9 ambo sanctam ecclesiam Romanam consecrauerunt : atque omnibus aliis vrbibus in mundo vniuerso tam sua præsentia, quàm venerãdo triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum omnium sanctorum effundatur oratio: his tamen verbis beatissimus Paulus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: Testis est mihi Deus, cui seruio in Roman. 1. spiritu meo in euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Prima Ex mag. suo. 2. parte. ergo sedes est in cœlesti beneficio Roma. eccle. quam (vt memoratum est) beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrauerunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam, quę beati Petri nomine à Marco eius discipulo atque euangelista consecrata est. *quia ipse & in Aegypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicauit. & gloriosum suscepit martyriũ, cui venerabilis successit Abilius.* Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beati Petri apostoli habetur nomine honorabilis: quam illic priusquam Romã veniret [a] habuit; & Ignatium episcopũ constituit [b]ibi[b] & illic primum nomen Christianorum *nouellæ gentis* exortum est. a Legend. habitauit.

Et post pauca: Inter beatos Apostolos quædã fuit discretio potestatis: & licet omnes essent apostoli, Petro tamē à domino concessum est (& ipsi inter se voluerunt idipsum) vt reliquis omnibus præesset apostolis: & Cephas. i. caput ** & principium teneret apostolatus : qui etiam eandem formam suis successoribus & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Et non solum hoc in nouo testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit. vnde scriptum est: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, id est primi inter eos fuerunt. & post pauca. Psal. 98. Hæc vero apostolica sedes caput & cardo (vt pręfatum est) à domino & non ab aliis constituta est: & sicut cardine ostium regitur, sic huius apostolicæ sanctæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ (domino disponente) reguntur. Hac auctoritate Alexandrina

drina ecclesia secundum à prima locum habere censetur: sed postea in Constantinopolitana synodo ecclesia Constantinopolis secundum à sede apostolica locum accepit.

VNDE in eadem synodo constitutum est ita.

** *Quidam hanc etymologiam rident, aiuntque Cephas non caput, sed saxum significare. quod iis diiudicandum relinquo qui Syriacum idioma nouerunt. Syrum enim non Hebraeum esse vocabulum tradit Hieronymus in catalogo nominum Hebraicorum, interpretaturque firmitatem. Caeterum propter peregrinae linguae ignorantiam, quidam etiam veterum & doctissimorum, inter quos fuit Optatus Afer, Cephas quasi κεφαλὴν interpretati sunt. Contius.*

Caput 5. iuxta priorem aditionem.

Secundum à Romano pontifice Constantinopolitanus obtinet locum. 4

CONstantinopolitanae ciuitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum: propter quod sit Roma noua.

ITEM Greg. Ioanni episcopo Syracusano.

Apostolicae sedi Constantinopolitanam constat esse subiectam. 5

Epist. 63. lib. 7.

DE Constantinopolitana ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet sedi apostolicae esse subiectã? tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego etiã minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus enim est qui se in eo primũ existimat, vt bona quae viderit, discere contẽnat. Item eidem. Nam quòd primas Bizacenus [a] sedi apostolicae dicit se subiici, si qua culpa in episcopis suis inuenitur: nescio quis ei subiectus nõ sit. Cùm verò culpa non exigit: omnes secundũ rationem humilitatis aequales sumus.

Idem Greg. epist. 64. lib. 7.

a Bizacii quae erat vna ex prouinciis Africae.

ITEM Gelasius papa primus, Fausto magistro legationis Constanti.

Constantinopolitanus episcopus authoritate Romani põtificis ordinatur. 6.

QVa traditione maiorum apostolicam sedem in iudicium vocant? an secundae sedis antistites, & tertiae caeteriq; bene conscij sibi sacerdotes depelli debuerunt: & qui extiterit religionis inimicus, depelli non debuit? videant ergo si alios habent canones quibus suas ineptias exequantur. Caeterum isti qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur: sedem apostolicam ad iudicium vocare non possunt. Constãtinopolitanae verò ciuitatis episcopus, qui vtique per canones inter sedes nullum nomẽ accepit, in communionem recidens perfidorum non debuit submoueri.

ITEM ex vj. synodo.* *Constantinopolitana cap. 36.*

Constantinopolitana ecclesia secundũ à Romana ecclesia obtinet locũ. 7

REnouantes sancti Constãtinopolitani decreta concilij, petimus vt Constãtinopolitana sedes similia priuilegia quae inferior [a] Roma †* habet, accipiat; non tamẽ in ecclesiasticis

a senior, videtur legend.

rebus

rebus magnificetur vt illa: sed hæc secunda post illam existens priusquam [b] Alexandrina sedes numeretur, deinde Antiochena, & post eam Hierosolymitana. a postquam

Hinc datur intelligi quòd Alexandrina ecclesia de secunda facta sit tertia, & Antiochena de tertia sit quarta: nisi fortè quis duas contendat esse secundas, vt Constantinopolitanam & Alexandrinam parem suæ dignitatis velit locum obtinere. vnde in octaua synodo legitur. Verba Gratiani.

† * *Vel Gratianus canonem sancti concilij falsauit, vel in falsum librum, falsámque translationem incidit. Primum quod inferiorem Romam vocat, cùm seniorem scribere debuerit; deinde quod negatiuè legit ea verba: non tamen in ecclesiasticis rebus magnificetur vt illa: cum affirmatiuè scribere debuerit. Sic enim ex antiquo S. Hilarij Pictauiensis exemplari Greco impressus extat hic canon.* Ἀναγνωσόμενοι τὰ παρὰ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ θεοφυλάκτῳ ταύτῃ καὶ βασιλίδι πόλει συνελθόντων, καὶ τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα τῶν ἐν Καρχηδόνι συναθροισθέντων νομοθετηθέντα ὁρίζομεν ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τὴν ἴσην ἀπολαβεῖν πρεσβείαν τῷ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δεύτερον μετ᾽ ἐκεῖνον ὑπάρχοντα, μεθ᾽ ὃν τῆς ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως καὶ μετὰ τοῦτον ὁ τῶν ἱεροσολυμιτῶν πόλεως.

Quæ patriarchalium sedium primum vel deinceps teneat locum. 8

DIffinimus neminem prorsus mūdi potentum quenquam eorum qui patriarchalibus præsunt sedibus, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare: præcipuè quidem sanctissimum papam senioris Romæ: deinceps Constantinopoleos patriarcham: deinde verò Alexandriæ ac Antiochiæ ac Hierosolymitanorum.

VERSVS. 1

Vt decet, ista sacrat maiores atque minores.

DE ECCLESIASTICORVM ORDINATIONE. DISTINCTIO XXIII.

BReuiter quæ inter ecclesiastica officia sit differentia monstrauimus. Nunc à summo pontifice incipientes, & vsque ad vltimum gradum descendentes, qualiter quisque eorum debeat ordinari, sanctorum auctoritatibus ostendamus. Verba Gratiani.

ITEM ex vj. synodo. Vnde Nicolaus papa. [a] Nicol. 2. a Qui sedit sub Henrico 4. Imperatore.

Decretum Nicolai papæ de electione Romani pontificis. 2 Contius.

IN nomine domini nostri Iesu Christi & saluatoris ab incarnationis eius anno millesimo [b] quingentesimo nono mense Aprili indictione duodecima, propositis sacrosanctis euangeliis, præsidente quoque reuerendissimo ac beatissimo papa Nicolao in basilica Lateranēsis patriarchij, quæ cognominatur Cōstantiniana: considētibus etiā reuerēdissimis episcopis, Ivo Carn. lib. 3. b quinquagesimo.

 abbati-

abbatibus, presbyteris, diaconis: idem venerabilis pontifex au ctoritate apostolica decernens de electione summi põtificis, inquit. Nouit beatitudo vestra dilectissimi fratres & chorepiscopi: inferiora quoque membra non latuit: defuncto bonæ memoriæ domino Stephano prędecessore nostro hæc apostolica sedes cui auctore Deo seruio, quot aduersa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæresis trapezitas repetitis malleis crebrisque tunsionibus subiacuit: adeo quidem, vt columna Dei viuentis iam penè videretur nutare, & sagena summi piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragij profunda submergi. vnde si placet fraternitati vestrę, debemus auxiliante Deo futuris casibus prudẽter occurrere, & ecclesiastico statui, ne recidiua (quod absit) mala præualeant, præcauere. quapropter instructi prædecessorũ nostrorum aliorumque sanctorum patrum auctoritate decernimus atque statuimus, vt obeunte huius Romanæ ecclesiæ vniuersalis pontifice, in primis cardinales episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi clericos cardinales adhibeant: sicq; reliquus clerus & populus ad consensum nouæ electionis accedãt, nimirum præcauentes, ne venalitatis morbus aliqua occasione surrepat. Et ideo religiosissimi viri præduces sint in promouẽda pontificis electione: reliqui autem sequaces. Certus verò atque legitimus hinc electionis ordo perpenditur, si perspectis diuersorum patrũ regulis siue gestis, etiam illa beati Leonis papæ prædecessoris nostri sententia recolatur. Nulla (inquit) ratio sinit, vt inter episcopos habeãtur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à cõprouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati: sed quia sedes apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur ecclesiis, atque ideo super se metropolitanũ habere nõ potest, cardinales episcopi proculdubio metropolitani vice funguntur: qui videlicet electum antistitem ad apostolici culminis apicem prouehant consecrandum. Eligatur autem de ipsius ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non inuenitur, ex alia sumatur, saluo debito honore & reuerentia dilecti filij nostri Henrici qui in præsentiarum rex habetur, & futurus imperator Deo cõcedente speratur: & iam sibi concessimus sicut successoribus illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetrauerint. Quòd si prauorũ atq; iniquorum hominũ ita peruersitas inualuerit: vt pura syncera atque gratuita fieri in vrbe non possit electio: cardinales episcopi cũ religiosis clericis catholicisq; laicis licet paucis ius potestatis obtineãt, eligendi apostolicæ sedis pontificem vbi cõgruerit. Planè postquam electio fuerit facta, si bellica fuerit tẽpestas, vel qualiscũq; hominũ conatus malignitatis studio restiterit,

vt is

vt is qui electus est, in apostolica sede iuxta cõsuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen sicut verus papa obtinet auctoritatem regendi Romanam ecclesiam, & disponẽdi omnes facultates illius: quod beatum Gregorium ante suam consecrationem cognouimus fecisse. Quod si quis contra hoc decretum nostrum synodali sentẽtia promulgatũ quasi per seditionem vel præsumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiá ordinatus seu inthronizatus fuerit, auctoritate diuina, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis auctoribus & fautoribus, & sequacibus à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ separatus abijciatur, sicut antichristus, & inuasor & destructor totius christianitatis: nec aliqua super hoc ei audientia reseruetur: sed ab omni ecclesiastico gradu in quocũque fuerat prius, sine retractatione deponatur: cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tanquá pontifici reuerentiá exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit: pari sententiæ sit mancipatus. Quòd si quis huius nostræ sanctæ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam ecclesiam sua præsumptione confundere & perturbare contra hoc statutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excõmunicatione damnetur, & cum impijs (qui non resurgent in iudicio) reputetur: omnipotentis irã contra se sentiat, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, (quorum ecclesiã præsumit confundere) in hac vita & in futura furorẽ sentiat: fiat habitatio eius deserta, & in tabernaculis suis non sit qui inhabitet: fiant filij eius orphani, Psal. 58.
& vxor eius vidua. Commotus commoueatur ipse, & filij eius Psalm. 108.
mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiã fœnerator omnẽ substantiam eius, & diripiant alieni labores eius: orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria, & omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant, & in hac vita super eum apertam vindictam eorum ostendant. Obseruatores autẽ huius nostri decreti omnipotentis gratia protegat, & auctoritas beatorum apostolorum Petri & Pauli ab omniũ peccatorum vinculis absoluat.

Episcopi verò & cæteri ordines infra cõstituti qualiter ordinari debeant, ex auctoritate Carthag. concilij quarti, cui interfuit Augustinus tempore Honorij Augusti, ostẽdamus ab eorum examinatione incipientes. Honorio A. IIII. & Eutychiano Coss. Concilius. 2. pars. Cap. 1.

Quomodo sit examinandus, qui in episcopum eligitur. 3

QVI episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si peruigil, si semper suis negociis cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documen-

documenta verbis simplicibus asserat: id est, patrem, & filium, & spiritum sanctum vnum deum esse confirmans, totamque trinitatis vnitatem, deitatem, coessentialem, & consubstantialem, & coęternam, & coomnipotentem prædicans: si singulas quasque in trinitate personas plenum deum, & totas tres personas vnum deum, si incarnationem diuinam non in patre, neque in spiritu sancto factam, sed in filio tantum credat, vt qui erat in diuinitate dei patris filius, deus verus ex patre esset, & verus homo ex matre, carnem ex matris visceribus habens, & animam humanam rationabilem, simulque in eo vtriusque naturæ, id est, deus & homo: vna persona, vnus filius, vnus Christus, vnus deus creator omniũ quæ sunt, & auctor, & rector, & deus cum patre & spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit pro salute nostra vera carnis passione, & mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera suæ carnis receptione, & vera animæ resumptione: in qua veniet iudicare viuos & mortuos. Quęrendum est etiam ab eo si veteris & noui testamẽti, id est, legis & prophetarũ & apostolorum vnum eundẽque credat auctorem, & demũ viuos ac mortuos iudicaturũ: & si diabolus non per conditionem, sed per arbitriũ factus sit malus. Quærendum est etiam ab eo si credat huiusmodi quam gestamus carnis & non alterius resurrectionem, si credat iudiciũ futurum, & recepturos singulos pro his quæ in carne hac gesserint, vel pœnas, vel præmia, si nuptias non prohibeat, si secũda matrimonia non damnet; si carniũ perceptionem non culpet: si pœnitentibus reconciliatis cõmunicet, si in baptismate omnia peccata, id est, tam originale peccatũ contractũ, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur, si extra ecclesiam catholicã nullus saluetur. Cùm in his omnibus examinatus, fuerit inuentus plenè instructus: tunc cum omni consensu clericorum & laicorum, & conuentu totius prouinciæ episcoporum, maximè metropolitani vel auctoritate vel præsentia ordinetur episcopus, suscepto in nomine domini nostri Iesu Christi episcopatu, non suę delectationi, non suis moribus, sed his patrum diffinitionibus acquiescat.

Lib. 2. cap. 2. de ecclesiasticis officijs.

ITEM Isidorus de vita clericorum.

Qualis debeat esse clericorum conuersatio. 4

3 pars.

In concilio Nicæno. cap. 18.

HIs igitur lege patrum cauetur vt à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus se abstineãt, non spectaculis, non põpis intersint, conuiuia publica fugiant, priuata non tantum pudica, sed & sobria colant, vsuris nequaquam incumbant, neq; turpium occupationibus lucrorum, non fraudibus cuiuscunque studium appetant, amorẽ pecuniæ quasi materiã cunctorũ criminum fugiant, & secularia negotia, officiaq; abnuant, honoris gradum per ambitionem non suscipiant: pro beneficio medici-

medicinæ dei munera non accipiant, dolos & cõiurationes caueát, odium, æmulationes, obtrectationes, atque inuidiam fugiant: non vagi oculis, non effreni liugua, aut petulãti fluidoque gestu incedant, sed pudorem & verecundiam mẽtis simplici habitu incessuque ostẽdant, obscœnitatẽ etiam membrorum & verborũ sicut & operum penitus execrẽtur: viduarum & virginũ frequentationes penitus fugiant, cõtubernia extranearum fœminarũ nullatenus appetant, castimoniã quoque nõ violati corporis perpetuo obseruare studeant, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderentur, senioribus quoque debitam præbeant obedientiam: neque vllius iactantiæ studio semetipsos attollãt, postremo doctrinæ lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio iugiter incũbant: tales enim debent esse qui diuinis cultibus sese mancipãdos student, scilicet vt dũ scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrẽt.

ITEM Clemens.* — *Anno Christi 93. sedit. Epist. 2. ad Iacob. fratrem domini

Qui dignè sacramenta tractare non possunt, ad ministerium non eligantur diuinum. 5

TAles ad ministerium eligãtur clerici, qui dignè possint dominica sacramenta tractare. melius est enim domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant. ITEM ex concilio Carthag. iiij. — cap. 40. concil. Carthag. iiij.

Si electo in episcopum aliqua obijciuntur, quinque vel sex episcopi ad eius purgationem conueniant. 6

ILlud statuendum est, vt quando ad eligendum episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit suborta (quia sæpe talia sunt facta apud nos) non præsumant ad purgandum eũ qui ordinandus est, tres tantum accedere, sed postulentur ad numerum supradictum duo vel tres, & in eadem plebe cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium: postremo etiam illa quæ obiiciuntur, pertractentur: & cùm purgatus fuerit sub aspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, corroboretur vestræ dignitatis responsione. Ab vniuersis episcopis dictum est, Satis placet. ITEM ex concilio Toletan. xj. — capite 10.

Vota suæ promissionis spondeant, quos ecclesiastica promouet disciplina. 7

QVanquam omnes qui sacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur astricti: expedibile est tamen vt promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus ecclesiastica probat disciplina. Solet enim plus timeri quod singulariter pollicitum est, quàm quod generali sponsione concluditur. Et ideo placuit huic sancto concilio, vt vnusquisque qui ad ecclesiasticos gradus est ascensu-

a accessurus
b placita sibi

[a]ascensurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quàm [b]placiti sui annotatione promittat, vt fidem catholicam syncera cordis contritione ac deuotione custodiens, iustè & piè viuere debeat, & in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque vt debitum per omnia honorē atque obsequij reuerentiam præeminenti sibi vnusquisque dependat, iuxta illud papæ Leonis edictum: Qui se scit aliquibus esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obediētiam quam exigit, etiam ipse dependat. pœna tamen iuxta ecclesiasticæ consuetudinis morem, & placitis talium inferenda, & ab his qui transgressores fuerint, persoluenda.

cap. 1. & 2. concil. Carthag. 4.

DEHINC disponitur qualiter ecclesiastica officia ordinentur.

Qualiter ordinetur episcopus. 8

Ex con. Ivo.

EPiscopus cùm ordinatur, duo episcopi imponant manus, & teneant euangeliorum codicem super caput & verticem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

Qualiter ordinetur presbyter. 9

Ex eod. Ivo. par. 4. cap. 3. concil. Carth.

PResbyter cùm ordinatur, episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas iuxta manus episcopi super caput illius teneant. Sicut autem in die suæ ordinationis sacerdos orario vtroque humero ambitur: ita tempore consecrationis eodem orario debet vti instanter.

cap. 3. concil. Bracharen. 3.

VNDE in Bracharensi concilio legitur.

Quod quisque accepit tempore consecrationis, ferat tempore oblationis. 10

ECclesiastica institutione præfixum nouimus, vt omnis sacerdos cùm ordinatur, orario vtroq; humero ambiatur: scilicet vt qui imperturbatus præcipitur persistere inter prospera & aduersa, virtutum semper ornamento vtroque circunseptus appareat humero. Qua ergo ratione tempore sacrificij non assumit, quod se in sacramento accepisse non dubitat? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat etiam in oblatione vel perceptione suæ salutis, scilicet vt cùm sacerdos ad solennia missarū accedit aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi sumpturus: non aliter accedat, quàm orario vtroque humero circunseptus, sicut tempore ordinationis suæ dinoscitur consecratus, ita vt de vno eodemque orario ceruicem pariter & vtrunque humerum premens signum in suo appareat pectore crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitę subiacebit.

4. pars. Grat.

§. Dalmaticis autem nec episcopis nec diaconis absque apo- "
stolica

stolica licentia vti permittitur.

VNDE Greg. Aregio episcopo Francorum. Epist. 112. lib. 7.

Absque apostolica licentia dalmaticis nec episcopis nec diaconis vti licet. 11

COmmunis filius diaconus Petrus nobis innotuit, quòd fraternitas vestra tempore quo hic fuit, poposcit vt sibi & archidiacono suo vtendi dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia hominum suorum infirmitate compulsus festinanter abscessit, vt nec ipse mœror incumbens diutius (vt dignum erat, & res desiderata poscebat) sineret permanere, & nos in multis implicatos (vt ecclesiasticæ rationis est consideratio) nouū hoc inconsultè & subitò indulgere non permitteret: idcirco rei postulatæ prolongatus est effectus. Nunc verò charitatis tuæ bona reuocantes ad animum, huius auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te & archidiaconum tuum dalmaticarum vsu decorandos esse concessimus, easdemque dalmaticas dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate deferente transmisimus.

Qualiter ordinetur diaconus. 12

DIaconus dum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manus super caput eius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Ex Iuone. cap. 4. concil. Carth. 4.

5. pars.

Quæritur autem an post benedictionem manus presbyterorum & diaconorum chrismatis liquore debeant perungi. *Gratianus.*

DE his ita scribit Nicolaus papa Radulpho archiepiscopo Bituricen. *Nicolaus papa 1.*

Nec presbyteris nec diaconis in consecratione chrismate manus perungere licet. 13

PRæterea sciscitaris vtrum solis presbyteris, an etiam diaconis debeant cùm ordinantur manus chrismatis liquore perungi, quod in sancta Romana ecclesia, cui auctore Deo seruimus, de neutris agitur. Sed quòd sit à nouæ legis ministris actum, nusquam (nisi nos fallat obliuio) legimus. Ergo ad beati Innocentij papæ canonica decreta sanctitatem tuā trāsmittimus, & quæ tibi sint in consecrationibus & orationibus obseruanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum episcopum emissæ te affatim edocebunt.

Epist. 1. Innocentius papa. 1.

Palea. 14

In meo manuscripto non est Palea, sed ex proprio Gratiani textu.

EX epistola †Simplicij papæ Seuero & Florentino episcopis directa. Ad cognitionem nostri examinis, Gabrenen. diaconi relatu peruenit de quibusdam ecclesiæ ipsius clericis, quorum cùm vnus ad presbyterij, duo ad leuitarum ministeria consecrarentur, episcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantum posuisse, & presbyterum quendam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem

Ep. 58. 2.

†Sulpitij.

ctionem dedisse: qui propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus iudicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione præuentus. Sed quia ille examini diuino relictus est, humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potius elogium acceperunt: ne sibi licentiam talis vsurpatio faciat, decernimus vt gradus sacerdotalis & leuitici ordinis quem peruerse adepti sunt, depositi æquo iudicio amittant. Tales enim meritò iudicati sunt remouẽdi, quia prauè inuenti sunt constituti.

Grat.

Item quæritur an eorum ordinatio sit rata habenda, quibus episcopus oculorum languore impeditus manus imponit, & presbyter super eos orationem dicit.

Cap. 5. conc. 2. Hispalensis id habetur. Totum hoc caput quod apparet esse superioris capitis fragmentum, deest in Gratiano manuscripto. Ideoque rectè ei paleæ nomen superscribi potuit. Contius.

De his ita statutum est in concilio Toletano.

Et ordinator & ordinatus damnationis subeat pœnam, cùm episcopus manum imponit, & alius orationem dicit. 15

QVorundam clericorum dum vnus ad presbyterium, duo ad leuitatum ministerium sacrarentur, episcopus oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos imposuisse tantum, & presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Sed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt, gradum Sacerdotij vel leuitici ordinis quem peruerse adepti sunt, amittant.

Ex concilio Carthaginensi iiij. cap. v.

C. pat. Ex mag. Iuone.

Qualiter subdiaconus ordinetur. 16

SVbdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem nõ accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum, de manu verò archidiaconi accipiat vrceolum cum aqua, manile, & manutergium.

Ex eodem. Cap. 6. eiusdem concilij Carthag. 4.

Qualiter acolytus ordinetur. 17

ACOlytus cùm ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat: sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari; accipiat & vrceolum vacuum, ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.

Ex eodem. Cap. 7. eiusdem concilij Carthag. 4.

Qualiter exorcista ordinetur. 18

EXorcista cùm ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum.

Ex eodem. Vbi supra cap. 8.

Qualiter lector ordinetur. 19

LEctor cùm ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicãs eiusdem fidem ac vitam atque ingenium; post

post hoc spectante plebe tradat ei codicem, in quo lecturus est, dicens: Accipe, & esto relator verbi dei, habiturus, si fideliter & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum eis qui verbum Dei ministrauerunt.

Qualiter ostiarius ordinetur. 20

OStiarius cùm ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo dei debeat conuersari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claues ecclesiæ de altario, dicens ei: Sic age, sic viue quasi redditurus deo rationẽ pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur. Ex eodem. *Cap. 9. eiusdem.*

Qualiter psalmista ordinetur. 21

PSalmista, id est, cantor potest absque licentia episcopi sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credideris, operibus compleas. Ex eodem. *Ibid. cap. 10.*

" Clerici comam nutrire prohibentur, quorum caput desu-
" per in modum sphæræ rasum esse debet. Verba Gratiani.

VNDE Anicius papa.* *xi. à Petro papa sub Antonino. *Anicetus papa episcopis Galliæ.*

Clerici comam nutrire prohibentur. 22

PRohibere fratres per vniuersas regionum vestrarum ecclesias, vt clerici iuxta apostolum comam non nutriant: sed desuper caput in modum sphæræ radant.

ITEM ex concilio Agathen. cap. xx.

De eodem. 23

CLerici qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam si noluerint inuiti detondeantur, vestimenta etiam vel calciamenta eis nisi quæ religionem deceant, vti aut habere non liceat. ITEM Gregorius.

De eodem. 24

SI quis ex clericis relaxauerit comam, sit anathema. *Greg. papa 1. in synodo decretis respondens.*

Quibus vestibus monialis sit induenda cùm consecratur. 25

SAnctimonialis virgo cùm ad consecrationem suo episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniæ aptis. Vasa quoque sacrata, & vestimenta altaris mulieres deo dedicatæ contingere, & incensum circa altaria deferre prohibentur. *cap. 11. concil. Carthag. 4.*

VNDE Soter papa omnibus episcopis Italiæ. Soter 12. à Petro sub Marco Imper. *Soter epist. 2.*

Vestimenta altaris & vasa sacrata mulieres tangere prohibentur. 26

SAcratas deo fœminas vel monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad apostolicam sedẽ: quæ omni reprehensione plena esse & vituperatione, nulli rectè sapientium dubium est. Quapropter huius sanctæ sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus quàcitius poteritis, cẽsemus. Et ne pestis hæc

latius

latius diuulgetur, per omnes prouincias abstergi citissimè mandamus.

ITEM ex concilio Laodicen. iiij. cap. xxi.

Sacrarium subdiaconis ingredi non licet. 27

NOn oportet subdiaconos licentiam habere in sacrarium siue secretarium (quod Græci διακόνιον appellant) ingredi, & contingere vasa dominica. ITEM in eodem cap. xxij.

De eodem. 28

MInistrum non oportet vti orarijs nec hostias derelinquere. ITEM in eodem.

De eodem. 29

Ibi. cap. 25.

NOn oportet lectores aut ostiarios aut psalmistas orarijs vti, & sic legere aut psallere.

ITEM ex concilio Carthaginensi iiij. cap. xcix.

Mulier in conuentu viros docere non permittitur. 30

MVlier quamuis docta & sancta, viros in conuentu docere non præsumat. Laicus autem præsentibus clericis (nisi ipsis rogantibus) docere non audeat.

ITEM ex concilio Agathen. cap. lxvj.

Ministris non sacratis vasa dominica contingere non licet. 31

NOn oportet insacratos ministros licentiam habere in sacrarium (quod Græci diaconium appellant) ingredi, & contingere vasa dominica.

ITEM ex concilio Bracharen. i. cap. xxviij.

Cuilibet ex lectoribus vasa sacra altaris portare non licet. 32

C. 41. ex capitulis synodorum Græcorum libri Martini Episcopi Brachar.

NOn liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nec aliis, nisi his qui ab episcopo fuerint subdiaconi ordinati. ITEM ex concilio Martini papæ.

De eodem.

Vt clerici comam non nutriant. 33

NOn liceat cuilibet ministeria tangere, nisi subdiacono aut acolyto in secretario vasa dominica. † Nec oportet clericos comam nutrire, & sic ministrare: sed attonso capite, auribus patentibus; & secundum Aaron talarem vestem inducere, vt sint in habitu ornato.

† cap. 67. eiusdem ca. 33. concil. Carth. 4.

Qualiter sponsus & sponsa sunt benedicendi. 34

SPonsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel à paranymphis offerantur, qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

ORDI-

VERSVS.

Sacrandi genus, & patriam vitámque require.

ORDINANDI PRIVS EXAMINENTVR.

DISTINCTIO XXIIII.

" *Qualiter episcopus sit examinandus.* 1 Verba Gratiani.

" QValiter episcopus sit examinandus. Qualiter ipse simul cum reliquis infra ipsum constitutis sit ordinandus, breuiter monstratum est. †Nunc autem vidẽdum est de sacerdotibus & reliquis, an sine examinatione sint promouendi ad ordinem. De his ita scribit Paulus ad Timotheũ: Manus nemini cito imposueris, & nihil sine præiudicio facias in alteram partem declinando. 1.Timoth.3.

Cap.9.synodi Romana sub Siluestro.

Ex decretis Siluestri papæ cap. vij. *qui fuit temporibus Constantini Magni, anno Christi 318.*

†Nunc autem] *quæ sequuntur vsque ad distinctionem L. magna & doctrina & diligentia Io. Quintini, Iuris doctoris celeberrimi, sunt exposita, emendata & illustrata, cuius emendationes & labores certè hic non debuimus nec potuimus absque ingratitudine reticere, cùm ex eis multa transtulerimus, vt molestum inquirendi laborem effugeremus.*

De eodem. 2

NVllus acolytorum, vel subdiaconorum rem consecratam à presbytero aliis porrigat, quia aliud est minister, aliud assistens: nisi tantum ipse supportet quod ei sacerdos imposuerit ore suo benedictum.

Item ex concilio Carthaginẽ. iij. cap. xxij.

Ante probationem nullus ordinetur clericus. 3

NVllus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit vel examine episcoporum, vel populari testimonio.

Item Gelasius papa Cœlestino episcopo.

Ad ministerium alicuius ecclesiæ clerici eiusdem promoueantur. 4

PResbyteri, diaconi, & vniuersi clerici Stomen. ciuitatis petitorio nobis suggessere porrecto, in ecclesia beati martyris Eleutherij episcopi, quæ in supradictæ ciuitatis parœcia probatur esse constructa, presbyterum qui constitutus fuerat, defecisse, atque in eius locum Iulianum diaconum ipsius ecclesiæ, pro celebritate ipsius loci quantocyus debere ordinari. Et ideo frater charissime, si de eius vita vel moribus nihil est quod contra canonum veniat statuta, suprascriptum presbyterij honore decorabis: sciturus visitatoris te nomine, non cardinalis creasse pontificis. Pariter etiam & felicissimum diaconum in eius ecclesiæ ministerium (si conuersatio eius fuerit probabilis) subrogabis: vt locus processionis celeberrimus ad ministeriorum consecrationem, nec sacerdote indigeat, nec ministro. Item ex concilio Laodicen. cap. xij.

Metropolitanorum, & episcoporum examine promoueantur cæteri episcopi.

EPiscopi iudicio Metropolitanorum & eorum episcoporũ qui circumcirca sunt, promoueantur ad ecclesiasticam dignitatem: ij videlicet qui plurimo tẽpore probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conuersationis exemplo.

2. pars. Verba Gratiani.

Cùm itaque sine examinatione nullus sit ordinandus: quẽadmodum & quo tempore sacerdotũ & cæterorum infra scriptorum examinatio debeat fieri, considerandum est.

DE his in concilio Nauatensi ita legitur.

Qui ordinandi sunt, feria quarta ad examinationem conueniant. 6

Iuo Carno. lib. 3. de consecrat. episc.

QVando episcopus ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrũ ministeriũ accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vocandi sunt ad ciuitatem vnà cum presbyteris, qui eos repræsentare debent: & tunc episcopus à latere suo eligere debet sacerdotes & alios prudentes viros gnaros diuinæ legis, exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus: qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum vbi educati sunt, si sint bene literati, si instructi in lege dei, ante omnia diligenter inuestigent: si fidem catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem quibus cura committitur, cauere debent ne aut fauoris gratia, aut cuiuscunque muneris cupiditate illecti à vero deuiẽt, vt indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent: quod si aliter fecerint, & ille qui indignè accesserit, ab altari remouebitur: & illi qui donum sancti spiritus vendere conati sunt, coram deo iam condemnati ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur: & sic sabbato qui probati sunt, episcopo repræsententur. Aliàs autem, sine clericorum videlicet concilio, & populi testimonio, nullum episcopus ordinare præsumat.

VNDE in concilio Carthaginensi iiij. cap. xxij. legitur.

Sine clericorum suorum concilio episcopus clericos non ordinet. 7

EPiscopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet: ita vt ciuium conniuentiam & testimonium quærat.

Verba Gratiani.

Quæritur quid fieri debeat de his qui sine examinatione promecti sunt. DE his ita legitur in concilio Martini papę.

3. pars. Ca. 24. libri Marti. episcopi Bracha. Ex synodis Græcorũ.

De his qui sine examinatione ordinantur, & postea peccata sua confitentur. 8

SI quis presbyter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt: aut certè cùm discuterentur, criminosa peccata confessi sunt: aut post ordinationem ab aliis detecti sunt: abiiciantur ex clero. Similiter verò & de vniuerso clericorum ordine

dine seruetur. nam hoc sibi quod irreprehensibile est, sancta catholica defendat ecclesia.

VERSVS.
Hic dat cuique suum distinguens crimina mirè.

DE ECCLESIASTICORVM OFFICIIS.
DISTINCTIO XXV.

» QVod nullius sine examinatione ordinandus sit, breuiter Verba Gratiani.
» probatum est. Quid autem ad episcopũ, quid ad vnũ-
» quemque inferiorem pertineat, Isidorus Hispalen. e-
» piscopus in epistola ad [a] Ludifredum scribit ita dicens:

Quod episcopi & cæterorum sit officium in ecclesia. 1

a Cordubensem episcopum. Iuo. mag. par. 6. Iuo Carn lib. 3 de officijs ordinandorũ.

PErlectis sanctitatis tuæ literis gauisus sum, quòd optatam salutem tuam earum relatu cognoui. De his autem quæ in consequentibus insinuare eloquij tui sermo studuit, gratias ago deo, quòd solicitudinem officij pastoralis impendis: qualiterque ecclesiastica officia ordinentur, perquiris: & licet omnia prudentiæ tuæ sint cognita; tamen quia affectu fraterno me consulis, ex parte qua valeo, expediam: & de omnibus ecclesiæ gradibus quid ad quemque pertineat, eloquar. Ad ostiarium nanque pertinent claues ecclesiæ, vt claudat & aperiat templum dei, & omnia quæ sunt intus extraque custodiat: fideles recipiat, excommunicatos & infideles excipiat. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos & catechumenos in exorcizando imponere. Ad acolytum pertinet præparatio luminariorum in sacrario. ipse cereum portat. ipse suggesta pro eucharistia subdiaconis præparat. Ad psalmistam pertinet officium canendi, scilicet dicere benedictiones, laudes, sacrificium, responsoria, & quicquid pertinet ad canendi peritiam. Ad lectorem pertinet lectiones pronunciare: & ea quæ prophetæ vaticinarunt, populis prædicare. Ad subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Christi deferre, & leuitis tradere, eisque ministrare: vrceolũ quoque & [aquã manile[b],] & manutergiũ tenere episcopo: presbyteris & leuitis pro lauãdis ante altare manibus aquam præbere. Ad diaconũ pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quę agũtur in sacramẽtis Christi: in baptismo, siue in chrismate, & patena, & calice: oblationes quoque inferre & disponere in altari: componere etiã mẽsam domini, atque vestire, crucẽ ferre, & prædicare euangeliũ & apostolum ad populũ. nam sicut lectoribus vetus testamentũ, ita diaconis nouum prędicare pręceptũ est. ad ipsum quoque pertinet officium precum, & recitatio nominũ. ipse præmonet aures habere ad deum, ipse hortatur clamare, ipse donat pacẽ, & ipse

b aquiminale, legendum.

ipse annunciat. Ad presbyterum pertinet sacrificium corporis & sanguinis domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona dei. Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, vnctio altaris, & [a]consecratio chrismatis: ipse prædicta officia & ordines ecclesiasticos distribuit, ipse sacras virgines benedicit: & dum præcesserit vnusquisque in singulis ordinibus, iste tamen est præordinator in cunctis. Hi sunt ordines & ministeria clericorum: quæ tamen auctoritate pontificali in archidiaconi cura, primicerij & thesaurarij solicitudine diuiduntur.

a al. confectio.

Archidiaconus enim imperat subdiaconis & leuitis, ad quē ista pertinent ministeria: ordinatio vestiendi altaris à leuitis, cura incensi, & sacrificij necessaria solicitudo: quis leuitarum ad populum euangelium legat, quis preces dicat, seu responsoria in dominicis diebus aut solennitatibus decantet? Solicitudo quoque parœciarum & ordinatio, & iurgia ad eiusdem pertinent curam: pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti: ipse inquirit parœcias cum iussione episcopi, & ornamenta & res basilicarum, & parœciarum gesta & libertatum ecclesiasticarum episcopo idem refert: collectam pecuniam de communione ipse accipit, & episcopo defert, & clericis proprias partes idem distribuit. Ab archidiacono nunciantur episcopo excessus diaconorum: ipse denunciat sacerdoti in sacrario ieiuniorum dies atque solennitatum, & ab ipso publicè in ecclesia prædicantur. quando verò archidiaconus absens est, vicem eius diaconus sequēs adimplet. [b]Archipresbyter verò se esse sub archidiacono, eiusque præceptis sicut episcopi sui sciat se obedire: & (quod specialiter ad eius ministeriū pertinet) super omnes presbyteros in ordine positos curam agere, & assiduè in ecclesia stare: & quando episcopi sui absentia contigerit, ipse vice eius missarum solennia celebret, & collectas dicat, vel cui ipse iniūxerit. [b]Ad primicerium pertinent acolyti, exorcistæ, psalmistæ, atque lectores: signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitæ honestate: & officiū cantandi, & peragendi solicitè, lectiones, psalmum, laudes, responsoria officiorum quis clericorū dicere debeat. Ordo quoque & modus canendi in choro pro solennitate & tempore. Ordinatio quoque pro luminaribus deportandis. Si quid etiā necessarium fuerit pro reparatione basilicarum quæ sunt in vrbe, ipse denunciat sacerdoti. epistolas episcopi pro diebus ieiuniorum parœcianis per ostiarios ipse dirigat. Clericos quos delinquere cognoscit, ipse distringat: quos verò emēdare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat: basilicanos ipse constituat, & matriculam ipse disponat. Quando autem primicerius absens est, ea quæ dicta sunt, ipse exquirat

b desunt apud Iuonem.

rat qui ei aut lege est proximus aut eruditione. Ad thesaurarium pertinet ostiarij basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterij ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario & sacrificijs.

" Ex hac epistola liquet quid cuiusque officij sit. Est etiam alia " distinctio episcoporum, presbyterorum, diaconorum: quam " fecit Clemens in epistola sua, ita dicens.

2. pars. Verba Gratiani. Epist. 3. ad omnes Christianos.

Quid ab episcopis, quid à presbyteris, quid à diaconis audire oportet. 3

AVdire episcopum attentius oportet, & ab ipso suscipere doctrinam fidei: monita autem vitæ à presbyteris inquirere: à diaconis verò ordinem disciplinæ. Sacerdos quoque vtrumque humerum orario ambit. Diaconus verò sinistrum tantum, vt ad ministerium expeditius discurrat.

VNDE in concilio Tolet. cap. ij.

Ca. 39. concil. Toletani 4. id habetur.

Quare leuita vnum tantum humerum orario ambit. 4

VNum orarium oportet leuitam gestare in sinistro humero: propter quod orat, id est, prædicat. Dexterá autem partem oportet habere liberam, vt expeditius ad ministerium sacerdotale recurrat.

" Nunc autem per singulos gradus ordine recurrentes, qui " ex quibus ordinibus in quem gradum conscendere possint: qui " post lapsum valeant reparari, vel qui non: quibus culpis à pro- " prio gradu mereantur deijci: quo accusante: quibus testifican- " tibus possint conuinci: cuius sententia sint absoluendi vel dam- " nandi: breuiter consideremus. Ac primum à pontificali gradu " incipientes: qualem oporteat eum esse qui in episcopum est " ordinandus, diligenter inuestigemus, Apostoli regulam secuti " quá in huiusmodi re Timotheo & Tito scribit, dicens: Opor- " tet episcopum irreprehensibilem esse[a], id est, non obnoxiū re- " prehensioni. Hoc ad Timotheū 3. Ad Titum autem 1. Opor- " tet episcopum sine crimine esse[b]. Quod (vt Hieron. scribit ad " Oceanum[c]) idem est. Nomine autem criminis quodlibet pec- " catum intelligitur. vnde in eadem epistol. Hieronymus dicit: " Res contra naturam penè est, vt sine peccato aliquis sit: sed ta- " lis eligatur cuius comparatione cæteri grex dicantur.

3. pars. Verba Gratiani.

Ordinandus in episcopum sit irreprehensibilis.

a ἀνεπίληπτον.

b ἀνέγκλητον.

c To. 2.

" In epistola verò ad Titum crimen vocatur criminale pecca- " tum, vel criminalis infamia. vnde ibi legitur, crimen est quere- " la, id est peccatum accusatione & damnatione dignū. Quod " autē sine crimine iubetur esse qui in ipsum eligetur: non ante " baptisma, sed post baptismū intelligendum est: vt à tempore " videlicet baptismatis nullius criminis conscientia mētem eius " remordeat. Vnde Hieron. scribit in eadem epistola ad Titum.

Ex August. tra. 41. ad cap. Ioan. 8.

Hierony. in commentarijs epistol. ad Titum.

Verba Gratiani.

Criminis appellatio aliàs latè patet, complectens omne peccatum, quod ex deliberatione procedit.

Beda in comment. ad 5. ca. Iacobi.

Vnde Beda super epistolam Iacobi: Peccata quæ ex ignorantia vel infirmitate humana committũtur, dicit & præcipit alterutrum confiteri; quia facilè dimittuntur: quæcunque verò fiunt ex deliberatione, non nisi per pœnitentiam. Hinc etiam

Aug. ca. 8. de vera & falsa pœnit.

August. ait: Nullum peccatum est adeò veniale, quod nõ fiat criminale dum placet. Aliàs ea demum significat, quæ semel commissa ad damnationem sufficiunt. Multa enim ex deliberatione procedunt: quæ nisi sæpius reiterata, & in consuetudinem fuerint deducta, quamuis grauent post mortem, non tamen æternaliter perdunt, quia etsi quadam ratione crimina appellentur, tamen mortifera & capitalia non sunt. Vnde Aug. in

August. serm. 4. de animabus defunctorum. siue 41. de sanctis.

homil. de igne purgatorio exponẽs verba Apostoli, ait: Si quis super hoc fundamentum ædificauerit ligna, fœnum & stipulam, &c. Multi sunt qui lectionem istam malè intelligentes, falsa securitate decipiuntur, dum credunt quòd si super fundamentum Christi capitalia crimina ædificant, peccata ipsa per ignem trãsitorium possint purgari & ipsi postea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iste, fratres charissimi, corrigẽdus est: quia ipsi se seducunt, qui sibi sic blandiuntur. Illo enim transitorio igne de quo dicit Apostolus: Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ: non capitalia, sed minuta peccata purgantur: de quibus etsi non omnia, vel aliqua commemorãda sunt: ne aliquis inaniter excusare se conetur, & dicat se nescire quæ sunt minuta peccata, & quæ criminalia. Et quamuis Apostolus plura capitalia commemorauerit, nos tamen (ne desperationẽ facere videamur) breuiter dicamus quæ illa sunt, sacrilegium, homicidium, adulterium, fornicatio, falsum testimonium, rapina, furtum, superbia, inuidia, auaritia, & si longo tempore teneatur, iracundia, & ebrietas si assidua sit, in eorum numerum computantur. Quicunque enim aliquod de istis peccatis in se dominari cognouerit, & non seipsum dignè emendauerit: & si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam non egerit, & largas eleemosynas non erogauerit, & à peccatis ipsis non abstinuerit, illo transitorio igne, de quo Apostolus ait, purgari non poterit: sed æterna illum flamma sine vllo remedio cruciabit. Quæ autem sunt minuta, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est vt omnia replicentur, opus est vt ex eis vel aliqua nominemus: Quotiens aliquis in cibo, aut in potu plus accipit quàm necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere: quotiens plus loquitur quàm oportet: plus tacet quàm expedit: quotiens pauperes importunè petentes exasperat: quotiens cùm sit sanus corpore, aliis ieiunantibus prandere voluerit: aut somno deditus, tardius ad ecclesiam surgit: quotiens excepto filiorum desiderio vxorem suam cognouerit: quotiẽs in carcere positos tardius requisiuerit, & infirmos tardius visitauerit.

rauerit. Si discordes ad cõcordiam reuocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruum exasperauerit quàm oportet. Si amplius blanditus fuerit, quàm oportet. Si vnicuique maiori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si (pauperibus esurientibus) nimium deliciosa vel sumptuosa conuiuia præparauerit. Si se aut in ecclesia, aut extra ecclesiam fabulis ociosis (de quibus in die iudicij ratio reddenda est) occupauerit. Si dum incautè iuramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, vtique periuramus, & cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, quoniam scriptum est: Neque maledici regnum dei possidebunt. ITEM Gregorius. 1. Corinth. 6. b

Quæ sunt venialia peccata quæ post hanc vitam purgantur. 4

QValis hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit vel repræsentabitur: sed tamen de quibusdam culpis esse ante iudicium purgationis ignis credendus est, pro eo quod veritas dicit: Quia si quis in spiritum sanctum blasphemias dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. in qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam in futuro posse relaxari. Quod autem de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. sed tamen (vt prædixi) hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus & ociosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ familiaris, quod vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant sciunt: quæ etiam post mortem grauant, si adhuc in vita positis minimè in morte fuerint relaxata. Matth. 12.

ITEM Augustinus in libro de vera & falsa pœnitentia, cap. xviij.

De eodem. 5 *Palea.*

QVi in aliud seculum distulit fructum conuersionis, prius purgabitur igne purgationis. Hic ignis etsi non sit æternus, miro tamẽ modo grauis est. superat enim omnem pœnam quam vnquam passus est aliquis in hac vita, vel pati potest. Aliàs autẽ ea tantũ delicta significat, quorum est perpetua infamia. Vnde illud Hieron. Primum itaque sine crimine, &c.

VNDE Hieron. scribit in eadem epist. ad Titum. In commentar. ad cap. 1. tom. 9.

A die baptismi sine crimine debet inueniri qui in episcopum est ordinandus. 6

PRimum [a] itaque sine crimine iubetur esse episcopus, quod alio verbo ad Timotheum irreprehensibilem nominatum puto: non quòd eo tantum tempore quo est ordinãdus, sit sine vllo crimine, & præteritas maculas noua cõuersatione diluerit: sed quòd ex eo tẽpore quo in Christũ renatus est, nulla peccati cõscientia mordeatur. Quomodo enim potest præses ec- a quidem.

clesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictũ simile corruit? aut qua libertate peccantem corripere potest, cùm tacitus ipse sibi respondeat eadem se admisisse quæ corripit?

Verba Gratiani.

Ecce qui ordinandus est in episcopum: non solum tempore suæ ordinationis, sed etiam omni tempore post baptisma à crimine immunis debet esse.

VERSVS.

Hic bigamum nullum faciendum te volo scire.

Confer hanc dist. cum dist. 33. infr. Iunge 28. q. 3. infra c

ORDINANDVS IN EPISCOPVM SIT VNIVS VXORIS VIR. DISTINCTIO XXVI.

Verba Gratiani. De vnius vxoris viro.

SEquitur in vtraque epistola [Vnius vxoris virum] post baptisma videlicet, non ante baptismum.

VNDE Hieronymus scribit ad Oceanum.

Post baptismũ debet esse monogamus, qui in episcopũ est ordinandus. 2

VNius vxoris virum, id est, monogamum post baptismum. si enim & antè coniugem habuerit quæ obierit, non imputetur ei: cui prorsus nouo homini nec stupra, nec alia quæ antè fuerunt, iam obsunt.

August. c. 18. lib. de bono coniugali. to. 6. ita habet.

AVGVST. verò contrà testatur scribens in epistola ad Titum.

Qui ante baptismum habuerit vnam, & post baptismum aliam, ordinandus non est. 3

ACutius intelligunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit vnam ante baptismum, & post baptismum habuerit alteram, ordinandum censuerunt: quia de sacramento agitur, non de peccato propter sanctitatẽ sacramenti. Sicut si fœmina catechumena vitiata est, non potest post baptisma inter dei virgines cõsecrari: ita non absurdè visum est digamũ non peccasse, sed normã sacramẽti amisisse, non ad vitæ meritũ, sed ad ordinationis signaculũ. Vnius vxoris vir episcopus, significat ex omnibus gẽtibus vnitatem vni viro Christo subditam. Sicut duobus dominis seruire, sic ab vno domino apostatare, atque in alterius superstitionem ire non licet.

Innoc. pap. primus in epist. 22. c. 52.

ITEM Inno. Ruffo, & Eusebio, & cæteris episcopis Macedonibus.

In baptismate culpa dimittitur, non lex coniugij aboletur. 4

Ex mag. Ivone. a al. ponitur. apud Iuonem.

b al. ablutum.

DEinde[a] opponitur non dici oportere digamum eum qui catechumenus habuerit & amiserit vxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus: eamque primam videri, quæ nouo homini copulata sit: quia illud cõiugiũ per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit [b]ablatum. Quod cùm de vna vtique dicitur: certè si tres habuerit in veteri positus homine vxores: erit ei quæ post baptismũ quarta est, sic interpretãtibus prima. virginis æquè nomen accipiet quæ quarto loco ducta est. Quis (oro) istud nõ videat cõtra Apostoli esse præceptum,

qui

qui ait vnius vxoris virum oportere fieri sacerdotem? Sed obiicitur quòd in baptismo totũ quicquid in veteri homine gestum est, sit solutum. Dicite mihi (vt cum pace vestra loquar) an crimina tantũ dimittuntur in baptismo, an & illa quæ secundum Dei præcepta ac Dei instituta complentur? Vxorem ducere, crimen est, an non est crimen? si crimen est, ergo (vt cũ præfata venia dixerim) erit auctor in culpa: qui vt crimina committerẽtur, in paradiso præcepit, cùm ipse eos benedixit. si verò non est crimen: quia quod Deus instituit, nefas est crimen appellari: & Salomon addidit: Etenim à Deo præparatur viro vxor, quomodo creditur inter crimina esse dimissum quod Deo auctore legitur consummatum? Quid de talium filiis censetur? nunquid non erunt admittendi in hæreditatis consortium, qui ex ea suscepti sunt quæ ante baptismum fuerat vxor? eruntq; appellandi vel naturales, vel spurij: quia non est legitimum matrimoniũ nisi illud (vt vobis videtur) quod post baptismum assumitur? Ipse Deus cùm interrogaretur à Iudæis si liceret vxorem dimittere: atque exponeret fieri non debere, addidit: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Anne de his locutus esse credatur, qui post baptismum sortiuntur? Meminerint & hoc à Iudæis interrogatum, & etiam Iudæis esse responsum. Quæro, & solicitus quæro, si vna eademq; sit vxor eius qui ante catechumenus, postea si fidelis filiosq; ex ea cùm esset catechumenus susceperit: & postea alios filios cũ sit fidelis, vtrũ sint fratres appellãdi, an non habeant postea defuncto patre [familiæ ercifcundę] hæreditatis cõsortiũ, quibus filiorũ nomẽ regeneratio spiritualis creditur abstulisse. quod cũ ita sentire absurdum est: quæ ratio est hoc defendi, & vacua magis opiniõe iactari, quàm aliqua auctoritate roborari. cũ nõ possit inter peccata deputari quòd lex præcepit, & [a] Deus adiunxit [b]. Nunquid si catechumenus virtutibus studuit, humilitatẽ secutus est, patiẽtiam tenuit, eleemosynas fecit, morti destinatos qualibet ratione eripuit, adulteria exhorruit, castitatem tenuit: quæro si hæc omnia cùm factus fuerit fidelis amittit. quia per baptismum totum quod vetus homo gesserat, putatur auferri? Aspicias gentilem hominem Cornelium orationibus atque eleemosynis vacantem, angelum audientem per reuelationem, ipsumque Petrum videntem: nunquid per baptismum hæc illi ablata sunt propter quę ei baptismus videtur esse concessus? Si ita creditur, mihi credite, non modicum erratur: quia quicquid bene gestum fuerit, & secundum præcepta legalia custoditum, non potest facientibus deperire. Nuptiarum ergo copula quia Dei mãdato perficitur, non potest dici peccatum, & quod peccatum nõ est, solui inter peccata credi non debet. Eritq; integrum & salu-

1. Tim. 3. a
Prov. 19.
Matth. 19. a
Inclusa desunt in vet.
a quod
b & lex iungit
Act. 10. a

 tare

tare existimare, aboleri nō posse prioris nomen vxoris, cū non sit dimissum pro peccato, quod ex Dei sit voluntate cōpletū.

ITEM Ambrosius in libro de Officiis .j. cap. vlt.

Digamus reputatur qui ante baptismum habuerit vnam, & post baptismum aliam. 5

VNa tantū nec repetita nobis copula permittitur: & in ipso coniugio lex est non iterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionē. Quod plerisq; mirū videtur: cùm etiā ante baptisma iterata cōiugia electioni muneris & prærogatiuæ ordinationis impedimēta generēt [a]: & cùm etiā delicta obesse nō soleāt, si lauacri remissa fuerīt sacramēto. Sed intelligere debem⁹ quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri nō potest: in cōiugio nō culpa, sed lex est. Quod culpę est igitur, in baptismo relaxatur: quod legis est, in coniugio non soluitur. Quomodo autem potest esse hortator viduitatis, qui & ipse coniugia frequentauerit? Ioannes baptista dū Herodē ab incestu prohiberet dicens: Non licet tibi habere vxorem fratris tui: euidenter ostendit inter infideles coniugia esse.

[a] al. generentur

Luc. 3. d
Matth. 14 a

Verba Gratia.

Vnde datur intelligi quòd digami dicuntur non solū qui post baptisma coniugia frequentant, sed etiam qui ante baptismum vnam, & post baptismum alteram habuisse probantur. Digamus verò in sacerdotem ordinari non debet, nō quia deliquerit secundam accipiendo vxorem, sed quia prærogatiua exutus est sacerdotis.

VNDE Amb. in epist. 82. li. 10. ad Versellēsem ecclesiā ait.

Non peccat digamus, sed prærogatiua sacerdotij exuitur. 6

QVi sine crimine vnius vxoris est vir, tenetur ad legem sacerdotij suscipiendi. Qui autem iterauerit coniugium; culpam quidem nō habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur sacerdotis.

VERSVS.

Nubere non veteas, scio quædam vota vetare.

EPISCOPI ET ORDINATI SACRIS, MATRIMONIO NON GAVDEANT.

DISTINCTIO XXVII. I

Verba Gratiani.

Ca. 39. libri Martini episcopi Bracha. ex synodis Græcorū.

QVòd autem vnius vxoris vir episcopus iubetur eligi: quæritur an de tempore ordinationis hoc sit accipiendum, vt tēpore suæ administrationis eius possit copula fungi, quam vnicam & virginem sibi despōnsauit.

Hoc Martinus papa † * prohibet dicens.

† * *Papam intelligas hic episcopum vt apud Sidonium Apollinarem omnes Galliarum episcopi appellantur papæ. sedit autem hic Martinus episcopus Braccarēsis ciuitatis Hispaniæ circa annum Christi 625. ante Isidorum scilicet qui eius exceptiones collegit in corpore canonum.*

Non

Non ordinetur diaconus nisi castitatem fuerit professus. 2

DIaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit se in castitate non posse manere, hic non ordinetur. Quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit: sit alienus à ministerio, & vacet à clero.

Hac auctoritate datur intelligi quòd illi qui vxores habẽt, „ vel accipere volunt: nec diaconi, nec sacerdotes fieri possunt, „ nisi continentiam profiteantur. Si verò diaconus à ministe- „ rio cessare voluerit, contracto matrimonio licitè potest vti. „ nam etsi in ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen „ tanta est vis in sacramento coniugij, quòd nec ex violatione „ voti potest dissolui ipsum coniugium. „ — *Verba Gratiani.*

VNDE Augustinus in libro de bono cõiugali ad Iulianũ. — *Ca. 10. de bono vid. ad Iulianum.*

Nubentes post votum non sunt ab inuicem separandi. 3 — *2. pars*

QVidam nubentes post votum asserunt adulteros esse, ego autem dico vobis quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt.

ITEM Theodorus in pœnitentiali. a

De eodem. 4

SI vir [simplex] votum virginitatis habens adiungitur vxori, postea non dimittat vxorem, sed tribus annis pœniteat.

a hunc lib. semel vel disse meminit manu se ipsum: itquo tempore autem fuerit hic Theo. ambigitur. crediderim potius eum circa ano. 670. fuisse.

HIERONYMVS verò econtra scribit. — *Aug. id habet ca. 9. de bono viduitatis.*

Damnabile est vouentibus velle nubere. 5

VOuentibus virginitatem, non solùm nubere, sed etiam velle, damnabile est.

[I]DEM[I] contra Iouinianum.

Damnationem habebit si nupserit, qui virginitatem vouit. 6 — *Hiero. lib. 1. contra Iouinia.*

SI nupserit virgo non peccat, non illa virgo quæ semet cultui diuino dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.

ITEM Nicolaus papa ad Albinum Vienen. eccles. archiepiscopum.

Quæ sanctimonialem se esse finxerat, nubere non valet. 7

QVod interrogasti de fœmina quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea verò ad nuptias rediit, bonum mihi videtur: quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitimè in voto suo permansit, vt pœnitentiam agat de illusione nefanda, & reuertatur ad id quod spopondit, & in sacro ministerio permaneat quod inchoauit. — *Ivo Carn. li. 3. de virgin. vid. & abba. id refert.*

Palea. 8 — *ex eodem continuo.*

NAm si consenserimus quòd omnia sacramẽta ecclesiastica quisq; prout vult fingat, & non verè faciat: omnis ordo eccle-

ecclesiasticus turbabitur, nec catholicæ fidei iura consistunt, nec canones sacri ritè obseruãtur. Quid enim profuit Simoni mago baptismum sacrũ fictè suscipere, & in Christianitate se permansurum finxisse, cùm per apostolũ fraude eius detecta, quòd sibi futurũ esset pronunciatum fuit? Ait enim: Pecunia tua tecum sit in perditionem. cor enim tuũ nõ est rectum coram Deo. pœnitentiam itaq; age de hac iniquitate tua. & roga Deũ vt fortè remittantur tibi cogitationes cordis tui. in felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Ideo tales nisi resipiscant, spiritali gladio percutere censemus. Non enim fas est spiritui sancto mentiri, sicut Ananias & Sapphira mentiti sunt, & statim perierunt.

Actuum 8.

Actuum 5.

ITEM Calixtus papa. *

Secundus (vt Quintino videtur) qui sedit anno 1120.

In sacris ordinibus constituti non ducant vxores, & si duxerint, separentur. 9

PResbyteris, diaconis, subdiaconis, & monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitẽtiam redigi debere iuxta sacrorum canonum diffinitionem iudicamus.

Verba Gratiani.

Hic distinguendum est quòd vouentium alij sunt simpliciter vouentes, de quibus Aug. & Theodorus locuti sunt. alij sunt quibus post votum benedictio accedit cõsecrationis vel propositum religionis, de quibus Hieronymus & Nico. & Calixtus scripserunt.

VNDE idem contra eundem Iouinianum Hierony. lib. j. scribens ait.

Incestæ sunt virgines, quæ post consecrationem nubunt. 10

VIrgines quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ.

VERSVS.

Hicque sacratorum volo coniugium reprobare.

ORDINANDI SACRIS CONTINENTIAM PROFITEANTVR. DISTIN. XXVIII. I

Verba Gratiani.

ECce ostensum est breuiter quòd nolentes vouere continentiam, nec ad subdiaconatum nec ad superiores gradus conscendere possunt. Vnde ad subdiaconatum accedentes non sine voto castitatis iubentur admitti, auctoritate beati Gregorij, qui scribens Petro subdiacono epistola 42. libr. 1. ait.

Non fiat subdiaconus, qui se castè victurum non promittit. 2

NVllum facere subdiaconum præsumant episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit: quia nullus ad ministerium

alta-

altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

ITEM Innoc. secundus.

Subdiaconus & supra constituti incontinẽtes, vxorem aut concubinam ducentes, ecclesiastico beneficio & officio careant. 3

Ivo Carn. li. 2. de Ebrer ecclesi. id refert. Ex cap. 5. Synodi eiusdam Ro. habitæ sub Innocen. 2. circa annum Chr. 1131. Quintinus.

DEcernimus vt hic qui in ordine subdiaconatus & supra vxores duxerint, aut concubinas habuerint: officio atque ecclesiastico beneficio careant. Cùm enim ipsi templum & vasa domini, & sacrarium spiritus sancti debeant esse & dici: indignum est eos cubilibus & immunditiis deseruire.

Cap. 26. conc. Tolet. quarti.

ITEM ex concil. Toleta. iv. [a]

a sub Honorio papa anno Chri. 630.

Castè se victuros promittant in diaconos vel presbyteros ordinandi. 4

QVando presbyteri & diaconi per parœcias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, vt castè & purè viuant sub timore Dei: vt dum eos talis professio obligat, vitæ sanctæ disciplinam retineant.

ITEM Gregorius nobilibus ciuibus Neapolitan.

epist. 40. lib. 8.

Qui longam corporis sui continentiam non habet, in episcopum eligi non debet. 5

1. pars.

PRiusquam ad nos [a] scripta vestra discurrisset [*], Ioannẽ diaconum qui ab altera parte electus est, paruulam habere filiam quorundam relatione cognouimus. Vnde si rationem voluissent attẽdere, nec illi [b] eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione audet ad episcopatum accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam filia teste conuincitur non habere?

a scripta
* recurrerent
b al. alii. rectè

ITEM ex concil. Toleta. ij.

cap. 1. concil. 2. circa annum Chri. 530.

Ad subdiaconatum accessuri continentiam profiteantur. 6

4. pars.

DE his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis clericatus officio mãcipauerit, id statuimus obseruandum, vt mox detonsi, vel ministerio lectorũ traditi, in domo ecclesiæ sub episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri. At vbi octauúdecimum ætatis suæ compleuerint annũ, coram totius cleri plebisq; cõspectu voluntas eorũ de expetẽdo coniugio ab episcopo perscrutetur: quib⁹ si gratia castitatis Deo inspirãte placuerit, & promissionẽ castimoniæ suæ absq; coniugali necessitate sese spoponderint seruaturos, hi tanquã appetitores arctissimæ viæ, leuissimo domini iugo subdãtur, ac primũ subdiaconi ministeriũ habita probatione professionis suæ à vicesimo anno suscipiant. Quòd si inculpabiliter ac inoffensè xx. & v. annũ peregerint, ad diaconi officiũ (si adimplere id posse ab episcopo probãtur) promoueri debẽt. Cauendũ est tamẽ his ne quãdo suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtiuos cõcubitus vltro cõcurrãt: quod si fortè fecerint, vt sacrilegij rei ab ecclesia habeãtur extranei.

Quibus

Quibus autem voluntas propria interrogationis tẽpore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab apost. [a] licentiam auferre non possumus: ita vt cùm prouectæ ætatis in coniugio positi renunciaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacros ordines aspirent.

a *sententiam.*

b Circa ann. Chri. 326. sub Syluestro. *Cap. 2 con. 2. habetur 5. part. ca. 3. eius. conc. 2.*

ITEM ex concilio Arelaten. ij. [b]

In coniugio constitutum, ad sacerdotium assumi non debet. 7

ASsumi aliquem ad sacerdotium in coniugij vinculo constitutum non oportet, nisi fuerit promissa conuersio.

c secundo & tertio quod factum est anno 455.

ITEM ex eodem. [c]

Non ordinentur diaconi, qui castitatem non profitentur.

PRæterea placuit vt deinceps non ordinentur diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito confessi fuerint castitatem.

Verba Gratiani.

Verũ illa priori auctoritate diaconis videtur permitti coniugium, cùm ad sacerdotium tantum coniugati prohibentur assumi. Porrò in sequenti videtur permitti auctoritate subdiaconis, cum de diaconis specialiter præcipitur, vt sine probatione castitatis non ordinentur.

d circa ann. 300.

Ca. 10. iuxta secundã translationem.

HOC idem in Ancyritana synodo videtur esse permissum, in qua sic statutum est. [d]

Diaconi non prohibeantur à ministerio pro nuptiis, si in ordinatione dicunt se continere non posse. 8

DIaconi quicunque quũ ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes se velle habere vxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias peruenerint, maneant in ministerio: propterea quòd his episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias peruenerint, à ministerio cessare debebunt.

e anno. 300. *cap. 1.*

6. part.

ITEM ex concilio Neocæsarien. [e]

Presbyter ducens vxorem ab ordine deponatur. 9

PResbyter si vxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere. Quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit: extra ecclesiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.

ITEM Gregorius.

epi. 59. li. 12. ad Ioã. epis. Panormitanum.

De eo qui relictam cuiusdam diaconi duxit vxorem. 10

QVia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda est semper veritas: vt inquiri debeat vtrum accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. Itaque peruenit ad nos [f] Faustinum defensorem vltionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quòd (quantum dicitur) relictã cuiusdam diaconi tempore quo conductor fuit, marito tradiderit: sed quoniam iste coniugem diaconi asserit non fuisse, dicẽs nec eam virginem ad

f *Fantinum. 7. part.*

ad eum perueniſſe, denique nec religioſam mutaſſe veſtem, poſtquam ille in ordine ſacro promotus eſt: adiiciens etiam priuſquam ad diaconum perueniſſet,& poſtea praua illã mulierem opinione vixiſſe: ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus,vt cum Dei (ſicut decet) timore cauſam hanc ſubtili omnino inueſtigatione perquiras: & ſi in coniugio diaconi mulierem de qua agitur,fuiſſe conſtiterit: ſupraſcriptus lator memorato defenſori & rectori patrimonij ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui malè ſociati ſunt,diſiungantur. Si verò in eius coniugio non fuerit,memoratum † Fauſtinũ ex noſtro mandato commonere te volumus,vt ei facere nil præſumat, nec falſa illum accuſatio in aliquo prægrauet.

† Fauſtinum.

ca.13.con. 1. Aurel.c.15.

ITEM ex concilio Aurelianen. [a]

a circa annum Ch. 510.ſub Clodoueo Rege Franc.

De vxore presbyteri vel diaconi ſi alij ſe coniunxerit. 11

SI ſe cuiquam mulier presbyteri vel diaconi relicta duplici coniugio coniũxerit,aut caſtitate fruantur, aut ſeparentur: aut certè ſi in criminis intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur.

ITEM ex concilio Martini papæ. *De eodem.* 12

cap.29. libro Mart. epi.Brac.de ſynodis Græc.

SI qua vidua epiſcopi vel presbyteri aut diaconi maritũ acceperit,nullus clericus,nulla religioſa perſona cum ea conuiuium præſumat: nunquam communicet. morienti tamen ei ſacramẽta ſubueniãt. ITEM Pelagius [b] Cethego Patricio.

b ſecundũ intellige

Cuiuſdam epiſcopi ordinatio differtur,quia vxorem habet & filios. 13

2. pars.

DE Syracuſanæ vrbis antiſtite optaueramus in ipſo initio gloriæ veſtræ deſideriis obedire, niſi nos multiplex ratio ipſius non paucis tẽporibus ordinationem differre ſacerdotij coegiſſet;ob hoc autẽ,quòd vel perſonæ qualitas(ſicut & vos melius noſtis)vel ſuperſtes vxor aut filij (per quos eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtãtia)noſtros animos diutius ab eius ordinatione ſuſpẽderet:quãtum ad cautelã humanam pertinet, integro penè anno diſtulimus, opinãtes quòd in melius Syracuſanorũ prouenire poſſet electio.Sed quia in voluntatis ſuæ propoſito irreuocabiliter perſtiterũt,& nullus eſt alius in eadem repertus eccleſia, niſi lõgioribus adhuc tẽporum differretur ſpatiis:ne paulò amplius inſanirent(ſicut filij veſtri magnifici prætoris teſtificatione didicimus)inter huiuſmodi ambiguitates illud cõſultius iudicauimus faciendum, vt cõgrua prouidẽtia cauſam propter quam principalis conſtitutio [c] habentẽ filios & vxorẽ ad epiſcopatus ordinẽ promoueri prohibet,ſalua diſpoſitione cõcilij muniremus. Qua de re ſummo ſtudio ab eodẽ Syracuſanæ vrbis epiſcopo priuſquã à nobis in epiſcopum cõtingeret ordinari, huiuſmodi exegimus cautionem,per quam & ſ[illegible]am fateretur quantula eſſet præſentis

c Id eſt lex Græca Iuſtiniani imperatoris quæ his annis in Lugdunenſis codicis initio, quamuis mutila reſtituta eſt,ad Artabiũ PP,

qui nominatim prohibet Iustitia. eum eligi in episcopum qui filios habeat. Idemque reperit in nouellis. vi. vbi plura super hoc argumento adnotaui. Contius.

tis temporis habita rerum descriptione substantiam: & nihil vnquam per se aut per filios & vxorem siue quálibet propinquam aut domesticam vel extraneã fortè personam de rebus audeat vsurpare ecclesiæ: & vniuersa sui episcopatus quæsita tempore, ecclesiæ suæ dominio sociaret: nihil vltra id quod modo descriptum est, filiis suis vel hæredibus relicturus.

Verba Gratia.

Ecce hac auctoritate electus in episcopum non prohibetur habere vxorem, & filios. Eligi autem ad episcopatum non debet nisi aut sacerdos, aut diaconus: subdiaconus verò non nisi necessitate cogente. Siue ergo presbyter, siue diaconus, siue subdiaconus fuerit: apparet quòd in præfatis ordinibus constituti licitè matrimonio vti possunt. Quia ergo auctoritate Grego. qui relictam diaconi vxorem marito tradidit, puniendus est. Item in Neocæsarien. concil. Presbyter ducens vxorem, non diaconus iubetur deponi. Item in Ancyritana synodo. Diaconi qui in ordinatione sua dicunt se velle habere vxores: si postea ad nuptias venerint, non prohibentur à ministerio. Patet quòd nec diaconi nec subdiaconi sunt prohibendi à coniugio.

Sed quod de electione obiicitur, verum quidem est in episcopatum non eligendum esse nisi in sacris ordinibus constitutum: sed ipsum vxorem habere & filios, non repugnat præmissis auctoritatibus de continentia clericorum. In laicali enim habitu vel in minoribus ordinibus cõstitutus potuit habere vxorem & filios: sed si postea ex consensu vxoris continentiam professus, subdiaconatum vel diaconatum vel presbyterij gradum adeptus fuerat: attamen vxori & filiis ipsum necessaria ministrare oportebat. Illud autem Gregorij duobus modis soluitur: vel quia ecclesia illa cui diaconus ille militauerat, nondum continentiæ votum susceperat in diaconis & reliquis ministris. Vel quia (sicut de electo in episcopum suprascriptum est) ante subdiaconatum memoratus diaconus eam in vxorem duxerat. Illud autem Neocæsariensis concilii, & Ancyritanæ synodi: vel ex tempore vel ex loco intelligitur. Ex tempore, quia nondum erat introducta continentia ministrorum altaris. Ex loco, quia vtraque synodus orientalis est: & orientalis ecclesia non suscipit generale votum castitatis: hoc tamen diligenti obseruatione custodit, vt post adeptum sacerdotium defuncta priori vxore cum qua sacerdos factus fuerat: si alteram duxerit, deponatur.

Canon 6.

ITEM opponitur illud quod legitur in canone apostolorũ.

Presbyter causa religionis non contemnat propriam vxorem. 14.

9. pars.

SI quis docuerit sacerdotẽ sub obtentu religionis propriam vxorem contemnere: anathema sit.

ITEM ex concilio Gangrensi.

Anathema

Anathema sit qui presbyterum coniugatum discernit à communione nuptiarum occasione. 15

SI quis discernit presbyterũ coniugatum tanquam occasione nuptiarum, quòd offerre nõ debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet: anathema sit. ITEM ex vj. [a]synodo.

Ab officio abstineat presbyter non legalibus nuptijs detentus. 16

PResbyterum non legalibus nuptiis detẽtum, cathedrã quidẽ habere, sed ab officio abstinere pręcipimus. sufficit enim huiusmodi indulgẽtia ei: quia benedicere alijs eũ qui vulnera sua debet curare, consequens non est. benedictio enim, sanctificationis traditio est. qui vero hãc nõ habet propter delictum ignorantiæ, quomodo alijs tradet? Non [b]enim publicè neque [c]priuatè benedicat. nec corpus domini dispenset alijs, nec alio modo ministret: sed sufficiat ei ꝙ præsidet: & imploret à Deo vt dimittatur ei iniquitas ignorantiæ suę. Manifestum est autem ꝙ & huiusmodi non legitimæ nuptię soluantur: & nullatenus vir accessum habeat ad eam propter quam sacro ministerio priuatus est. ITEM Nicolaus ad consulta Bulgarorũ.

De presbyteris non est laicis iudicandum. 17

COnsulendum decernitis vtrum presbyterum habentẽ vxorem debeatis sustentare & honorare: an à vobis proijcere: In quo respondemus quoniam licet ipsi valde sint reprehensibiles, vos tamẽ deum conuenit imitari, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. deijcere enim à vobis ideo nõ debetis: quoniam nec Iudam dominus (cum esset falsus discipulus) à numero discipulorum eiecit. verùm & de presbyteris vobis qui laici estis nec iudicandum est, nec de vita eorum quicquam inuestigandum, sed episcoporum iudicio quicquid id sit, est reseruandum. VERSVS.

Hic loca personam tempus causamque notare.

Cap. 4. conc. Gangren. Syluestri tempore circa annũ cccxxi.

a 16. synod. in Trullo. 10. par.

b Igitur, videtur legend.

c leg. priuatim.

Ivo. Carn. lib. 5. de eo. fol. id refert.

MVLTA EX CIRCVNSTANTIIS DICTA CONSIDERANTVR.

DISTINCTIO XXIX. 1

" SEd notandum est quòd secundum Isidorum pleraq; capitula ex causa, ex loco, ex tempore, ex persona consideranda sunt. AIT Isidorus.

Verba Gratiani.

Ex tempore, loco, & persona, & causa regulæ canonum intelliguntur. 2

SCiendum est quòd pleraque capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore, consideranda sunt: quorum modi quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur: cum antè iudicant quàm intelligãt: ante inculpant quàm iterando lecta perquirant.

HINC etiam Gregorius ait.

Pro diuersitate rerum temperantur regulæ sanctorum. 3

In preambulo epistola.

REgulæ sanctorum patrum pro tempore, loco, & persona, & negocio instante necessitate traditæ sunt.

ITEM Hieron. in epistolam ad Ephesios.

Pro diuersitate locorum, temporum & hominum, scripturæ intelligendæ sunt. 4

NEcesse est vt iuxta diuersitates locorum, temporum & hominum quibus diuersæ scripturæ factæ sunt, diuersas causas & argumēta & origines habeant. Quomodo beatus Ioannes in Apocalypsi sua, septē scribens ecclesijs, in vnaquaq; earum vel specialia vel vniuersalia vitia reprehendit, vel virtutes probat: ita & sanctus apostolus Paulus per singulas ecclesias vulneribus medetur illatis: nec ad instar imperiti medici vno collyrio omnium oculos vult curare.

Apoc. 2.

VERSVS.

Esse tricena reos omnes monstrat Manichæos.

MVLTA EX CAVSA CONSTITVVNTVR.

DISTINCTIO XXX. 1

GRATIAN.

ILlud autem quod in canone Apostolorum & in Gangrēsi concilio, & in sexta synodo legitur, ex causa consideratur & ex tempore. Causa fuit hæresis Manichæorum, qui coniugium detestabantur: sicut etiam quorundam superstitio multa in catholicorum detestationem introduxisse inuenitur: contra quos in Gangrensi concilio cap. xvj. statutum legitur.

De multimoda superstitione hæreticorum, quos Gangrense concilium anathematizauit. 2

SI qui filij parentes maximè fideles deseruierint occasione dei cultus, hoc iustum esse iudicātes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint: vt hoc ipsum in eis venerentur, quòd fideles sunt, anathema sint.

De eodem. 3

Ibid. c. 17.

QVæcunque mulier religioni iudicans conuenire comam sibi amputauerit, quam Deus ad velamen eius, & ad memoriam subiectionis illi dedit, tanquam resoluens ius subiectionis, anathema sit. ITEM.

De eodem. 4

SI qua mulier derelicto viro discedere voluerit soluto vinculo cōiugali nuptias[a] contēnendo: anathema sit. ITEM.

a condemnando. cap. 14. eiusdem conc. Gangren. c. 1 in eiusdem.

De eodem. 5

SI quis propter Deum virginitatem professus, in cōiugio positos per arrogantiā vituperauerit: anathema sit. ITEM.

De eodem. 6

cap. 9. eiusdem.

SI quis vel virginitatem vel continentiam professus in coniugio tanquam abominabiles nuptias iudicat, & non propter

hoc

hoc solùm quòd continentiæ & virginitatis bonum sanctum propositum sit: anathema sit. ITEM.

De eodem. 7

SI qua mulier suo proposito vtile iudicās vt virili veste vtatur, propter hoc virilē habitū imitetur: anathema sit. ITEM. *Ibi. cap. 13.*

De eodem. 8

SI quis tanquam hoc continentiæ conuenire iudicans, die dominico ieiunauerit in eiusdem diei contemptum: anathema sit. ITEM. *Cap. 18. eius.*

De eodem. 9

SI quis eorum qui in proposito sunt continētiæ, propter necessitatem corporalem superbiat, & ieiunia communia putauerit contemnenda, totius ecclesiæ perfectā in sua conscientia iudicans rationem: anathema sit. ITEM. *Cap. 19. eius.*

De eodem. 10

SI quis per superbiam tanquam perfectum se existimās, conuentus qui per loca & basilicas sanctorum martyrum fiunt: vel accusauerit: vel etiam oblationes quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas: anathema sit. ITEM. *Ibi. cap. 20.*

De eodem. 11

SI quis docet domum dei contemptibilem debere esse, & cōgregationes quæ in ea fiunt: anathema sit. ITEM. *Cap. 5. eius. conc. Gangren.*

De eodem. 12

SI quis extra Ecclesiā priuatim populos congregās contemnat ecclesiasticas sanctiones, & ecclesiam ipsam apud se sine concilio episcopi cū presbytero agat: anathema sit. ITEM. *Cap. 6. eius.*

De eodem. 13

SI quis nuptias in accusationē duxerit, & mulierem fidelem ac religiosam cum viro suo dormientem abominandā crediderit, aut etiam accusandam, tanquam non posse coniugatos in regnum dei ingredi, anathema sit. ITEM. *Cap. 1. eius.*

De eodem. 14

SI quis carnem manducantem ex fide cum religione præter sanguinem & idolo immolatam & suffocatam, crediderit condamnandum tanquam spem non habētem, qui eam manducat: anathema sit. ITEM. *Ibi. cap. 2.*

De eodem. 15

SI quis reliquerit proprios filios, & non eos aluerit, & (quod pietatis est) necessaria non prębuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putauerit: anathema sit. ITEM. *Cap. 15. eius.*

De eodem. 16

SI quis virorū putauerit sancto proposito .i. cōtinentię conuenire vt pallio vtatur tanquā ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat vel iudicet alios qui cum reuerentia birris vtūtur, *Cap. 12. eius.*

& alia veste cõmuni quæ in vsu est: anathema sit. ITEM.

De eodem. 17

3. part. Ibi cap. 21.

HAec autem scripsimus non abscindẽtes eos qui in ecclesia dei secundum scripturas propositum sanctum continẽtiæ eligũt: sed eos qui suscipiũt habitu eius, & in superbiã efferuntur aduersus eos qui simplicius viuũt. Et etiam eos condẽnamus qui se extollunt aduersus scripturas & ecclesiasticos canones & noua introducunt præcepta. Nos autem etiã virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam cũ castitate: & religionẽ Deo acceptissimam esse dicimus, & renuntiationes secularium negociorum atq; actuum cum humilitate approbãdo laudamus, & nuptiarũ vinculum quod secundum castitatem perdurat honoramus, & diuites cũ iustitia & operibus bonis non abijcimus. ITEM ex conci. Martini papæ.

Ca. 57. libri Mar. epi. Brac. ex synodis Græcorum.

Anathematizatur qui Manichæorum superstitiones sequitur. 18

SI quis presbyter vel diaconus propter publicam pœnitentiã à sacerdote acceptam absq; aliqua necessitate die dominica pro quadã religione ieiunauerit, sicut Manichęi: anathema sit.

Similiter & quod ab Apostolis traditus canon tenet antiquus, placuit vt per omnes dies dominicos & per omnes dies Paschæ vsq; ad Pentecosten nõ prosternãt se in oratione causa humilitatis: sed recto vultu ad dñm orationis fungantur officio: quia in his diebus gaudiũ resurrectionis dñi celebramus.

Ca. 59. ibid.

Si quis etiã non pro abstinentia, sed pro execratione escarum à carne abstinet, placuit sancto concilio vt prægustet, & si sic vult abstinere, abstineat. Si aũt aspernit, ita vt olera cocta cum carnibus non degustet: iste non obediens nec suspiciones hæresis à se remouens deponatur de ordine clericatus.

VERSVS.

Prima tricena docet quid contineat sacer ordo.

MVLTA EX TEMPORIS CIRCVNSTANTIA CONSTITVVNTVR.

DISTINCTIO XXXI. I

Verba Gratiani.

TEmpus quoque, quia nondum erat institutum, vt sacerdotes continentiam seruarent.

VNDE Grego. scribit Petro subdiacono Siciliæ.

Epis. 42. lib. 1.

Qui castitatem non promisit, ab vxore sua separari non cogatur. 2

ANte trienniũ omniũ ecclesiarũ subdiaconi Siciliæ prohibiti fuerãt, vt more Roma. eccle. suis vxoribus nullatenus misceãtur, quod mihi durũ atq; incompetens videtur, vt qui vsum cõtinentię non inuenit, neq; castitatẽ promisit, cõpellatur à sua vxore separari, atque per hoc (quod absit) in deterius cadat. Vnde videtur mihi, vt à præsenti die episcopis omnibus dicatur, vt nullum facere subdiaconũ præsumãt, nisi qui se victurum caste promiserit, quatenus & præterita mala quę proposito

posito mentis appetita non sunt, violenter non exigātur: & futura mala cautè caueantur. Qui verò post eandē prohibitionē quæ ante triennium facta est, continenter cum suis vxoribus vixerint, laudādi atq; remunerandi sunt, & vt in bono permaneant exhortandi. Eos autē qui post prohibitionē factā à suis se vxoribus continere noluerint, ad sacrū ordinē nolumus promoueri: quia nullus debet ad altaris ministerium accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

" Causa vero huius institutionis munditia fuit sacerdotalis: vt " liberè cunctis diebus vitæ suæ orationi possint vacare. Si enim " (vt Paulus ait) ab vxoribus est cessandum, vt expeditius ora- " tioni vacemus, ministris vtiq; altaris quibus quotidiana neces- " sitas orādi incūbit, nūquā cōiugali officio vacare permittitur. Verba Gratiani. 2. parte. Ecclesiastici continentes esse debent.

VNDE Beda super Lucam ait.

Sacerdotibus semper castitas obseruanda præcipitur. 3

SAcerdotibus (vt semper valeant altari assistere) semper ab vxoribus est abstinendum, semperque castitas obseruanda præcipitur. ITEM in concilio Carthagi. ij. Ad ca. 1. in comm. Cap. 2.

Qui diuinis sacramentis inseruiunt, continentes esse oportet. 4

EPiscopos, presbyteros, & diaconos (ita vt placuit, & decet sacrosanctos antistites, aut sacerdotes, aut leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt) continentes esse decet in omnibus. ITEM Innocen. Victorino Rotho. episcopo.

Sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis misceri non debent. 5 Inno. 1. pa. epist. 2. c. 9.

TEnere debet ecclesia vt omnimodo sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis non misceantur, quia ministerij diuini quotidianis necessitatibus occupātur. Scriptū est enim: Sancti estote, quoniā ego sanctus sum dominus deus vester. Nā priscis temporibus anno vicis suæ de tēplo non discedebant: sicut de Zacharia legimus: nec domū suā omnino tangebāt, quibus vtiq; propter sobolis successionē vxoris vsus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu præterquam ex semine Aaron ad sacerdotiū nullis accedere permittebatur. quāto magis hi sacerdotes & leuitæ pudicitiā ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotiū, vel ministeriū sine successione est: nec præterit dies qua vel à sacrificiis diuinis vel à baptismatis officio vacēt. Leuitic. 11. g. Luca 1. a.

Palea. 6. Hæc palea deest in manuscripto Gratiano meo. Cōcilio. Car. continuus, Inno.

NAm sicut Paulus scribit ad Corinthios dicens: Abstinere vos ad tempus, vt expeditius vacetis orationi: & hoc vtique præcepit laicis: multo magis sacerdotibus, quibus orādi & sacrificandi iuge sacrificiū est: semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere.

Inno. pap. epist. 3. c. 3. Lib. 1. Hieron.

ITEM Exuperio Tholosano Episcopo.

Qui ab vxoribus suis abstinent, ad sacrificia admittantur. 7

EOs ad sacrificia fas est admitti, qui vel cum vxore nō exer- al. Nec non.

ceant carnale officium. ITEM Hiero. cōtra Iouinianum.

Sacerdoti cui erit semper orandum, matrimonio semper est carendum. 8

a vero SI laicus & quicūq; fidelis non potest orare nisi careat officio coniugali: sacerdoti [a] ergo cui semper offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: *si semper orandum*, ergo semper matrimonio carendum.

GRATIAN. Cap. 1. eiusc. Gangren. QVOD autem Manichæorum causa de coniugio sacerdotum illud supradictū sit, ex Gangrensi cōcilio apparet in quo sic statutum legitur.

Anathema sit, qui nuptias vituperat. 9

SI quis vituperat nuptias, & dormientē cum viro suo fidelē ac religiosam *mulierē* detestatur, aut culpabilē existimat, velut quæ regnū Dei introire nō possit: anathema sit. ITEM.

De eodem. 10

Cap. 9. eius. QVicunq; virginitatem custodiens, aut continētię studens, velut horrescens nuptias, nec propter hoc quod bonum & sanctum est, nomen virginitatis assumit: anathema sit.

4. pars. GRATIAN. Potest & aliter illud intelligi quod in canone apostolorum legitur, vt iste sit sensus capituli. Si quis docet sacerdotē vxorem suam contemnere, non quam in sacerdotio accepit, sed quam ante sacerdotium, dum adhuc esset laicus, vel in minoribus ordinibus constitutus, sibi copulauit: cum qua continentiam professus est cùm ad sacros ordines conscenderet: quam nullus debet contemnere, hoc est ab animo & cura sua abijcere, quin ei necessaria prouideat: anathema sit. Probatur autem hæc interpretatio auctoritate Leonis papæ, qui scribens Rustico Narbonen. episcopo ait: Epi. 90. cap. 3.

Ministris altaris cum episcopis & presbyteris eadē est lex cōtinentiæ. 11

LEx continentiæ eadem est altaris ministris, quæ episcopis aut presbyteris; qui cū essent laici siue lectores, licitè quidem & vxores ducere, & filios procreare potuerunt: sed cum ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. vnde vt iā de carnali fiat spirituale coniugiū, oportet eos nec dimittere vxores: licet qui habent, sic habere videātur quasi non habeant: quo & salua sit castitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

*Sedit anno Christi 1048. regnante Henrico Francorum rege. Iuo Carn. lib. 3. de con. cle. id refert.

ITEM * Leo ix. contra epistolam Nicetæ abbatis.

Episcopus vel presbyter vxorē propriam à sua cura non abijciat. 12

OMnino cōfitemur non licere episcopo, presbytero, diacono propriam vxorem causa religionis abijcere à cura sua: sed vt ei victum & vestitū largiatur: sed non vt cum illa carnaliter ex more iaceat: sicut & sanctos Apostolos legimus egisse: beato Paulo apostolo dicente: Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circunducendi, sicut & frater 1. Cor. 9.

domi-

domini, & Cephas? Vide insipiens quia non dixit, nunquid non habemus potestatẽ sororẽ mulierem amplectendi, sed circunducendi, scilicet vt mercede prædicationis sustentaretur ab eis: nec tamẽ deinceps vlterius foret carnale inter eos cõiugiũ.

" Hinc & illud Grego. in Dialogo. lib. iiij. Presbyter quidam, " require infrà distin. seq. ca. presbyter. Vt igitur ex his aucto- " ritatibus apparet, sacerdotes vxoribus quas in laicali habitu, " vel in minoribus ordinibus constituti sibi legitimè copula- " uerunt, necessaria ministrare, & debita reddere non valent. GRATIAN. Greg. cap. 11. lib. 4. dia.

SED obijcitur illud tripertitæ historiæ cap. xiiij. *lib. ij. [* qui locus est ex Sozomeno decerptus.]

Dissuasu Paphnucij Nicena synodus non constituit quòd presbyteri cum suis vxoribus non dormirent. 13

NIcena synodus volẽs corrigere hominum vitam in ecclesiis commorantium, posuit leges quas canones vocamus. in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi cum coniugibus quas ante consecrationẽ duxerũt, non dormirent. Surgens aũt Paphnucius confessor contradixit: honorabiles cõfessus nuptias, & castitatẽ dicẽs esse cum propria coniuge cõcubitum. Suasit itaq; concilio, ne talem poneret legẽ, grauem esse asserens causam, quæ aut ipsis aut eorũ cõiugalibus occasio fornicationis existeret; & hoc quidem Paphnucius (licet nuptiarũ esset inexpertus) exposuit, synodusq; laudauit sentẽtiam eius: & nihil ex hac parte sanciuit: sed hoc in vniuscuiusq; voluntate non necessitate permisit.

ITEM synodus sexta. *Cap. xiij. syn. 6. in Trullo.*

Non in perpetuum sed tempore oblationis à complexu suarum vxorum Sacerdotes abstineant. 14 [Iuo Carn. lib. 3. de can. ordinib. id refert.]

QVoniam in Romani ordine canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt [a] diaconi vel presbyteri, confiteri quòd non suis iam copulẽtur vxoribus: *nos* antiquũ sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorũ, legales nuptias amodo valere volumus: nullo modo cũ vxoribus suis eorũ cõnubia dissoluẽtes, aut priuãtes eos familiaritate adinuicẽ in tẽpore oportuno. Quicũque ergo [b] diligens inuẽtus fuerit in subdiaconali ordinatione aut diaconali aut [c] sacerdotali, hi nullo modo ꝓhibeantur ad talẽ ascẽdere gradũ pro vxoris suę cohabitatione: nec etiã tẽpore ordinationis suæ ꝯfiteri castitatẽ cogãtur, ꝙ abstinere debeãt à legalis vxoris familiaritate. Item *post pauca. Sua cuiq; negocio tẽpestiuitas est & maximè ieiunio & orationi.* oportet eos qui altari ministrãt in tẽpore oblationis sanctorũ cõtinentes esse in omnibus, vt à Deo possint cõsequi quæ suppliciter postulant. Si quis igitur præsumpserit contra apostolicos canones aliquos presbyterorum & diaconorũ priuare à contactu, & à communione le-

[a legend. qui ordinandi sunt, ex Græco]
[b dignus]
[c presbyterali]

ne le-

ne legalis vxoris suę deponatur. Similiter & presbyter, aut diaconus qui religionis causa vxorem suam expellit, excommunicetur: si verò in hoc permanserit, deponatur.

Verba Gratiani.

Hoc aūt ex loco intelligendum est. Orientalis enim ecclesia (cui sexta synodus regulam viuendi præscripsit) votum castitatis in ministris altaris non suscepit.

Tertius circa annū Christi. 770. Ivo Carn. lib. 3 de cōsi. ordinandorum id refert.

VNDE Stephanus papa ait:

Occidentalis non Orientalis ecclesia castitatis votum obtulit. 15

ALiter se Orientalium traditio habet ecclesiarum: aliter huius sanctæ Romanæ ecclesiæ. nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem ecclesiæ vel occidentalium nullus sacerdotum à subdiacono vsque ad episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.

Verba Gratiani.

Similiter & capitulum Nicolai ex loco consideratur: quia gens Bulgarorum nouiter ad fidem conuersa propositum sacræ religionis ex integro assumere nondum didicerat. Quòd autem in cap. vj. synodi presbyter non legitimis nuptiis detētus punitur: non legales nuptiæ, sed secundæ intelligendæ sunt, à quibus auctoritate canonica sacerdos quilibet debet esse immunis. Illud autem Gangrensis concilij, Si quis discernit presbyterum coniugatum, &c. similiter intelligendū est, vel localiter traditum, vel coniugatum ab ea esse appellatum, quam ante tēpus ordinationis suæ duxerat. Illud quoq; Martini papæ, Si subdiaconus secundam duxerit vxorem, nō dissimiliter intelligendum est: primam enim vxorem ante subdiaconatum habere permittitur, qua defuncta vel castitatē professa promouetur iste ad subdiaconatum. promotus autē si secundas desiderauerit nuptias, sententiæ Martini papæ subiacebit.

VERSVS.*

Hæc sublevitam vult castam ducere vitam.

ECCLESIASTICI ETIAM SVBDIACONI CONTINENTES SINT.

DISTINCTIO XXXII. 1

Verba Gratiani.

SEruanda est ergo continentia ab omnibus in sacris ordinibus constitutis. VNDE Leo papa ait:

Epist. 82. ad Anastasium episcopum.

Non etiam connubium subdiaconis conceditur. 2.

OMnium sacerdotum tam excellēs est electio, vt hæc quæ in aliis membris ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. cùm enim extra clericorum ordinē cōstitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorū studere sit liberū, ad exhibendam tamen perfectę continentiæ puritatē, nec subdiaconis carnale connubium quidem conceditur, vt etiam qui habent, sint tanquā non habentes: & qui non habent, permaneāt singulares[& innupti.] quod si in hoc ordine qui quartus extat à capite, dignū est custodiri: quāto magis in primo vel in secun-

Al. decst.

secūdo tertióve seruādum est? ne aut leuitico aut presbyterali honore, aut episcopali excellētia quisquā idoneus existimetur, qui se à voluptate *luxuriæ necdum refrenasse detegitur.

*legend. vxoriæ.

ITEM Gregorius Leoni episcopo Catinensi.

Epist. 34. lib. 3.

Palea. 3

MVltorum relatione comperimus hanc apud vos consuetudinem olim tenuisse, vt subdiaconi suis licitè misceātur vxoribus. quod ne denuò quisquam præsumeret, à seruo Dei sedis nostræ diacono ex auctoritate nostri prædecessoris est isto modo prohibitum, vt eodem tempore hi qui iam vxoribus fuerant copulati, vnum de duobus eligerent, id est, aut à suis vxoribus abstinerent, aut certè ministrare nullo modo præsumerēt: & quātum dicitur, *Speciosus, tunc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio, & vsque in [a] obitum sui temporis notarij quidem gessit officium, & à ministerio quod subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit. Et post aliqua[b]. De cætero verò fraternitas tua sit omnino solicita, vt quos ad hoc officium contigerit promoueri, hoc quāmaximè diligenter inspiciat, ne si vxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem apostolicæ sedis, eos cuncta obseruare sua nihilominus districtione constituat. ITEM Gregorius August. Anglorum episcopo.

In meo manusc. notatur hoc caput in quibusdam exemplaribus haberi. Contius.

* est nomen proprium.

a leg. in obitus sui tempus.

b In ead. epist.

Extra sacros ordines constituti ducant vxores, & ab ecclesia stipendia accipiant. 4

Cap. 2. ad secundā interr. Aug. respondens.

SI qui verò sunt clerici extra sacros ordines constituti qui se continere non possunt, sortiri vxores debent, & stipendia sua exterius accipere, quia & de eisdē à patribus nouimus scriptum, quòd diuidebāt singulis prout cuique opus erat. de eorum ergo stipendiis cogitādum atque prouidēdum est, & sub ecclesiastica regula sunt tenendi: vt bonis moribus viuant, & canendis psalmis inuigilēt, & ab omnibus illicitis, & cor & linguam & corpus deo auctore conseruent.

Actor. 2. g.

ITEM Nicolaus papa [c] Odoni Viennensi archiepiscopo.

Subdiacono vxorem ducere non licet. 5

DE illo clerico [d] Aluerico nomine quem per ordines ecclesiasticos vsque ad subdiaconatū castum vixisse dicitis: cur vestra auctoritate vxorem duxerit, miramur: eò quòd nulli vnquam (exceptis illis quibus ecclesiastica regula habere permittit) vxorem habendi licentiam damus.

c al. Othoni Coloniensi. sed malim legere Adoni Viennensi, &c. vt apud Iuonem p. 6.
d al. Albino.

ITEM Nicolaus papa omnibus episcopis.

Non audiatur missa presbyteri, concubinam habentis. 6

NVllus missam audiat presbyteri, quem scit concubinā indubitanter habere, aut subintroductam mulierem.

2. pars. Iuo Carn. decretum Nic. Iunioris. & Alexand. li. 3. de lapsis refert vtrumque.

 Vnde

GRATIA. Vnde etiam ipsa sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicunque sacerdotum & diaconorum, &c. sicut in subsequenti capitulo Alexandri secundi continetur.

ITEM Alexander ij.

Non est audienda missa à presbytero qui concubinam habet. 7

PRæter hoc autē præcipiendo mandamus, vt nullus missam audiat presbyteri quem scit concubinam habere indubitanter, vel subintroductā mulierem. vnde etiam sancta synodus hoc capitulum sub excōmunicatione statuit, dicēs: Quicunq; sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sancti Leonis papæ, & Nicolai, de castitate clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate principum apostolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, vt missas non cantet, nec etiā euangelium legat, neque epistolam ad missam, neque in presbyterio cum his ad diuina officia qui præfatæ cōstitutioni obediētes fuerint, maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat. ¶ Præcipientes etiam statuimus, vt hi prædictorū ordinum, qui eisdem prædecessoribus nostris obedientes castitatem seruauerint, iuxta ecclesias (sicut oportet religiosos clericos) simul manducent & dormiant, & quicquid eis ab ecclesiis competit, hoc cōmuniter habeant. ¶ Deinde vt decimæ & primitiæ seu oblationes viuorum & mortuorum ecclesiis Dei fideliter reddantur à laicis, & vt ipse in dispositione episcoporum sint: quas qui retinuerint, à sanctæ ecclesiæ communione separentur.

3. pars.

GRATIAN. Verum principia harum auctoritatum contraire videntur Hieronym. August. & cæteris, qui Christi sacramenta neque in bono neque in malo homine fugienda demonstrant, sicut subsequens causa simoniacorum plenius demonstrat. Sed Vrbanus[a] ij. in epistola destinata pręposito S. Vincentij hanc cōtrarietatem determinat, dicens:

a Qui sedit anno Christi 1088. tempore Iuonis Carnot.

Ad hoc verò quod subiungitur in eadē epistola, id est, vtrū sit vtendum ordinationibus & reliquis sacramentis à criminosis exhibitis, vt ab adulteris, vel sanctimonialium violatoribus, vel huiusmodi: Ad hoc inquam respondemus. si schismate vel hæresi ab ecclesia non separētur, eorundem ordinationes & reliqua sacramenta sancta & veneranda non negamus, sequēdo beatum August. qui super Ioan. de huiusmodi tam copiosè quàm veraciter differit. Ait enim: Baptizat seruus, siue bonus siue malus: nesciat se ille qui baptizatur, baptizari, nisi ab eo qui sibi baptizādi dedit potestatem. & paulò post. Non abhorreat columba ministerium malorum, sed respiciat domini potestatē. Attamen prædecessores nostri Nico.

August. tractatu. 5. ad cap. 1. Ioan.

&

& [a] Greg. à missis sacerdotum, quos tales reuera esse cōstiterit, fideles abstinere decreuerunt, vt & peccandi licentiam cæteris auferrent, & huiusmodi ad dignæ pœnitentiæ lamenta reuocarent. Scribit enim prædecessor noster Gregor. Rodolpho & [b] Bertulpho ducibus inter cætera: Officium simoniacorum & in fornicatione iacentium scienter nullo modo recipiatis, & quantum potestis, tales à sanctis ministeriis vbi oportuerit, prohibeatis, &c.

a Greg. 7. septimū intelligit hūc Quintinus.

b Bertoldo. al. Bertolpho.

Porrò ad hæc quæ tibi syllogisticè in eadem epistola obiiciuntur, & si corpus & sanguis Christi nō sunt, & alia quę prędiximus, suæ virtutis effectū nō habeát, quid hoc agētibus obsunt? quòd si habēt, cur spernūtur si ab indignis præsumūtur? Ad hæc inquā ita respondemus, proprias quidem habēt virtutes & dignitates, vt præfatus Augu. ait super Ioan. contra Donatistas, sed agentibus vel suscipientibus hæc eadē sacramēta contra præfatorum pontificum instituta, (nisi fortè sola morte interueniēte, vtpote ne sine baptismate vel cōmuniōe quilibet humanis rebus excedat) eis inquā agētibus vel suscipientibus intantum obsunt, vt verè idololatræ sint: cum talibus & ordinationū & sacramentorū confectio, & aliterquàm permissum est scienter susceptio, vehemēter à sanctis canonibus prohibeantur. ait enim Samuël propheta: Quasi peccatū ariolādi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. 1. Reg. 5.

Hæc de malis catholicis qui intra ecclesiam sunt. Cæterū schismaticorum & hæreticorum sacramenta, quoniam extra ecclesiam sunt, iuxta sanctorum patrum traditiōes, scilicet Pelagij, Gregorij, Cypriani, Augustini, & Hieronymi, formam quidem sacramentorum habent, non autē virtutis effectū habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam redierint vnitatem.

GRATIAN.

» Sciendum verò quòd canones Apostolorum (quorū auctoritate orientalis, & ex parte Romana vtitur ecclesia) etiam insignis Cyprianus martyr, & lxxx. episcopi cum eodē, baptisma hæreticorum, lauacrum diaboli appellant: Stephanus verò & Cornelius martyres & pontifices Romani, & venerabilis Augustinus in lib. de baptismo, eundem Cyprianum & præfatos episcopos ob hanc causam vehementer redarguunt, affirmātes baptisma, siue ab hæretico, siue schismatico ecclesiastico more celebratū ratum esse baptisma: & meritò: quia alia in baptismo, & alia in reliquis sacramentis consideratio est, quippe cùm in ordine prior & necessarior sit. subitò enim morituro prius baptismate, quàm dominici corporis communione, vel aliis sacramētis consulitur, & dum fortè catholicus non inuenitur, sanctius est ab hęretico baptismi sacramentum sumere, quàm inæternū perire. & hanc sententiā præscriptorū ponti-

Canone. 44. 45. & 46. 47. Cyprianus scribens ad Iubaianū, & in conc. Steph. pa. Augu. in 7. libr. de bapt. cōtra Donatist.

pontificum Cornelij, Stephani, & Augustini, secuti sunt Siricius, Innocentius, Leo, Anastasius, & magnus Gregorius, & omnis catholica ecclesia tenet.

4. pars. Prohibentur ergo de manibus talium sacerdotum sacramẽta suscipi: non quin sint vera quãtum ad formam & effectum: sed quia dum huiusmodi sacerdotes se à populo contemptos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam prouocentur.

ITEM ex sexta synodo, *cap. vj.*

Qui vxorem ducere volunt, ante ordinem subdiaconatus hoc faciant. 8

Iuo. Carn. li. 3. de conti. clerico.

SI quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari: hoc ante ordinationem subdiaconatus faciat.

ITEM ex concilio Carthaginensi iiij.

Lectores aut vxores ducant, aut continentiam profiteantur. 9

Cap 10. ci. 3. Carth. habetur.

LEctores cùm ad annos pubertatis veniunt, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.

ITEM Gregorius Bonifacio episcopo Rhegino.

Subdiaconos continentiam obseruare oportet. 10

Epist. 5, lib. 3. epist. Rhegio.

SVbdiaconis tuis hoc quod de singulis statuimus, decernimus obseruari: nec illam diffinitionem nostram cuiusquam contumacia sinas aut temeritate corrumpi.

a al. Meldem.

ITEM Vrbanus secundus in sinodo apud [a]Melchiam.

Beneficio & officio careant, qui post diaconatum vxoribus vacant. 11

Iuo Carn. li. 3. de cõ. Cle. id refert.

EOs qui post diaconatum vxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine remouemus: officioq́; atque beneficio ecclesiæ carere decernimus, quod si ab episcopo commoniti nõ se correxerint, principibus indulgemus licentiam, vt eorum fœminas mancipent seruituti. Si verò episcopi cõsenserint eorum prauitatibus, ipsius officij interdictione mulctentur.

ITEM Grandensi patriarchæ Dominico.

Excludendi sunt à suorum graduum dignitate subdiaconi, & deinceps si continentes esse nolunt. 12

Iuo Carn. li. 3. de continen. cleric. refert.

ERubescant impij, & apertè intelligant iudicio sancti spiritus, eos qui modo in sacris tribus gradibus, scilicet presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu positi mulierculas nõ abiecerint, & castè non vixerint, excludẽdos ab eorundem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur: secretorum autem & cognitor Deus & iudex est.

IDEM in Meldensi synodo præsidens ait.

Ad sacros ordines non accedat, nisi virgo aut probatæ castitatis. 13

Vrbanus 2. vt Iuo ibidem habet.

NEmo ad sacrum ordinẽ permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis, & qui vsq; ad subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.

ITEM in concilio Carthaginensi quinto, cap. 3.

In tribus gradibus constituti etiam ab vxoribus abstineant.

PLacuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos, secundum priora cõstituta etiam abstinere ab vxoribus: quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueãtur officio: cæteros verò clericos ad hoc non cogi, sed secundum vniuscuiusque ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.

ITEM Leo contra epistolam Nicetæ abbatis.

In minoribus ordinibus constituti vxorem ducant, nisi voto aut religioso habitu prohibeantur. 14 — *Ivo Carn. li. 3. de continent. cle. refert.*

SEriatim & apertè prosequamur, quod sancta Romana ecclesia de gradibus clericorum ait: Clericos, ostiarios, lectores, exorcistas, acolytos, si extra votum & habitum monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerint: vxorem ducere virginem, cum benedictione sacerdotali permittuntur: non autem viduam aut repudiatam, quia propter hoc deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt: quia nec laicus nisi virginem sortitus vxorem, aut digamus ad clericatum potest ascendere: vel si quis ex præfatis ordinibus desiderat ad subdiaconatum ascendere, non potest sine consensu vxoris suæ, vt fiat de carnali deinceps spirituale coniugium, nemine cogente eos. Neq; permittitur postea vxor iungi eidem marito suo carnaliter: nec cuiquam nubere in vita, aut post mortẽ illius.

ITEM ex concilio Chalcedoñ. cap. 14.

Non liceat clericis alterius secta vxorem accipere. 15

QVoniam in quibusdam prouincijs concessum est lectoribus & psalmistis vxores ducere, constituit sancta synodus cuiquam ex his nõ licere accipere *sectæ alterius vxorem. — *a ἑτερόδοξον.*

ITEM in Nicæno concil. cap. iij.

Non habitent cum clericis mulieres, nisi quæ naturali fœdere omnem suspicionem excludunt 16 — *Ca. 3. habetur Nicæni concil. 5. pars.*

INterdixit per omnia sancta synodus non episcopo, nõ presbytero, non diacono, nõ subdiacono, nõ alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierẽ, nisi fortè aut matrẽ, aut sororem, aut amitam, aut [etiam] eas [idoneas] personas quæ fugiant *omnes* suspiciones. — *pro inclus. lege tantum.*

ITEM Hieron. ad Nepotianum de vita clericorum.

Palea. 17

HOspitiolum tuum, aut rarò, aut nunquã mulierum pedes terant: quia non potest toto corde cum deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Fœmina conscientiã secum pariter habitantis exurit. Nunquã de mulierum formis disputes. Fœminæ nomen tuum nesciãt. Fœminam quam bene videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere.

ITEM Gregorius in dialog. lib. iiij. cap. 11.

Presbyter

Presbyter vxorem suam quasi sororem diligat, & quasi hostem fugiat. 18

PResbyter quidam sibi commissam regebat ecclesiam cum magno timore Domini, qui ex tempore accepti ordinis presbyteram suam vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens; ad se propius accedere non sinebat: eamque sibi appropinquare nulla occasione permittebat: ab ea sibi communionem funditus familiaritatis abscidit.

6. p. trs.

GRATIAN. Presbyteram verò quam debeamus accipere, Laodicense concilium ostendit cap. 11. dicens. "

Viduæ vel seniores presbyteræ appellantur. 19

MVlieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ aut seniores vniuiræ & matricuriæ appellantur, in ecclesia tanquam ordinatas constitui non debere decernimus.

VERSVS.

Terna tricena docet bigamos non esse sacrandos.

DIGAMVS ET QVI PRAETER VXOREM HABVIT CONCVBINAM NON ORDINETVR. DISTINCT. XXXIII.

confer cum dist. 26. supr.

1

GRATIAN. ECCE quòd in sacris ordinibus constituti vxores habere non possunt: vel si digami aliqui fuerint inuenti, ad sacros ordines ascendere non valent. Sed quæritur si quis præter vxorem suam concubinam habuerit, vtrum in sacerdotem promoueri valeat? Tales à sacris ordinibus auctoritate canonum Apostolorum prohibentur, in quibus sic statutum legitur cap. 17. "

Secundis nuptiis post baptisma copulatus, aut concubinam habens, ad sacrum ordinem conscendere non valet. 2

SI quis post acceptum sacrum baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest fieri episcopus, nec sacerdos, nec diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui in ministerio sacro deseruiunt.

GRATIAN. Deseruiētes sacro ministerio, intelliguntur subdiaconi, qui calicem diacono offerunt: & acolyti qui cum cereis diaconos præcedunt: vnde ceroferarij dicūtur, qui etiam vinum & aquā præparando calici subministrant. Concubina intelligenda est præter vxorem: vt iste sit sensus capituli: Si quis post acceptū sacrum baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, distinguendum est, antequā vxorem duxerit, siue post mortem vxoris. VNDE B. *Greg. ait. "

* August. id habet. c. 72. de dogma. eccl. Grego. id non scripsit, sed aut Augu. aut Isidor. in lib. de doctrina eccl. dog.

Duarū matronarū maritus post baptismū clericus non ordinetur. 3

MAritum duarum matronarum post baptismum, clericum non ordinandum censemus: nec eum quidem qui vnam concu-

concubinam vel meretricẽ in matrimonium assumpserit. Nec illum qui semetipsum abscindens, quodlibet membrum indignatione aliqua vel iusto vel iniusto timore superatus truncauerit: neque illos qui vsuras accepisse conuincuntur: aut in scæna lusisse noscuntur, nec eum qui publica pœnitentia mortalia crimina defleuit: neq; illum qui in furiam aliquando versus insaniuit, vel afflictione diabolica vexatus est: neque eum qui per emptionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam obtulerit. *Act. 8.c.* ITEM *Pius papa. *primus, circa annum 154. sub Antonino Pio.*

Arrepticij vel epileptici, sanctis altaribus non ministrent. 4

COmmuniter diffinimus vt nullus de ijs qui aut in terra arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussè se ingerant sacramentis diuinis: exceptis illis qui corporum incommoditati dediti, sine huiusmodi passionibus in terra probantur elisi: qui tamẽ & ipsi tandiu erunt ab officij sui ordine & loco suspẽsi, quousque vnius anni spatio per discretionem episcopi inueniantur ab incursu dæmonum liberati. *2. pars.* ITEM Nicolaus papa.

De eodem. 5

CLerici qui in adolescentia à dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt.

ITEM Gelasius pa. c. 21. epist. ad vniuersos episcopos per Lucaniam.

De eodem. 6

VSqueadeo sanè comperimus illicita quæque prorumpere, vt à dæmonibus similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur: quibus si in hoc opere positis aliquid propriç necessitatis occurrat, quis de sua fideliumque salute confidit, vbi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? atque ideo necessariò remouendi sunt, ne quibuslibet pro quibus Christus mortuus est, scandalum generetur infirmis. Postremò si corpore sauciatũ fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex diuina permisit: quanto magis doni cælestis dispensatores esse nõ conuenit (quod est deterius) mente percussos?

ITEM Innocentius papa primus, Fœlici episcopo Capuano, epist. 4. cap. 4.

Qui tempore baptismi vxores habent, si postea religiosè vixerint, clerici fieri non prohibentur. 7

LAici qui habentes vxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, vt in nullo eorum opinio vacillet, aut clericis iuncti sunt, aut monasteriis ex quo baptizati sunt adhæserunt: si non concubinam, si non pellicem nouerint, si in bonis operibus vigila-

vigilauerint: non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem assumi.

1. pars. Gratianus. Cæterum ante susceptum sacrum ordinem quosdam legimus concubinam habuisse, quos tamen sacri canones non reijciunt, si post sacrum ordinem ab eius commixtione sese immaculatos custodiunt.

VNDE Gregorius Andreæ Tarentino episcopo, epist. 44. libr. 2. siue cap. 83.

De quodam episcopo, qui ante sui episcopatus apicem concubinam habuit. 8

HAbuisse te concubinam manifesta veritate comperimus, & te illius criminis participationem habere: de qua etiam contraria est quibusdā innata suspicio. Sed quia in ambiguis rebus absolutum non debet esse iudicium: hoc tuæ cōscientię cōmittendum eligimus. qua de re si in sacro ordine constitutus eius te recolis permixtione maculatum: sacerdotij honore deposito ad ministrandum, nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare: & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huius sceleris conscius in eo quo es ordine celans veritatem, permanere volueris.

VERSVS.

Fœmina pontifici quod nulla domestica fiat.

EPISCOPVS MVLIERVM CONSORTIA VITET. DIGAMVS ET QVI PRAETER VXOREM HABVIT CONCVBINAM, NON ORDINETVR. DISTINCT. XXXIIII. 1

Gratianus. DOmesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem episcopum vitare oportet.

VNDE Nicolaus papa ad Aluinum archiepisc.

Etiam consanguinearum immoderatam familiaritatem episcopum vitare oportet. 2

Ex magn. Iuo. P. 5. QVorundam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quòd Lanfredus episcopus, qui & iuuenis dicitur, venationi sit deditus, quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo genere duntaxat Germanos & Gallos irreuerentes implicat. verùm iste (si ita est vt audiuimus) meritò iuuenis dicitur: quia iuuenilibus desiderijs occupatus, nulla grauitate constringitur. †nam (vt beatus dicit Hieronymus) venatorē nunquā legimus sanctum. ‡ Nihilominus autem de hoc episcopo relatum est apostolatui nostro, quòd cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem: & ob id mala fama ei orta sit. pro qua re à sanctitate tua cæterisque coepiscopis suis admonitus atq; correptus est, sed nullatenus emendatus:

qu-

quæ res in hoc maximè displicet, & magis ac magis deteriorem de se reddit opinionem, in quo beatitudini tuæ & cæterorum coepiscoporum suorum rationibus non obedit, & per inobedientiam in culpam protoplasti relabitur. Oportet ergo fraternitatem tuã synodale cum episcopis & suffraganeis tuis conuocare cõcilium: & hunc salutaribus eloquiis episcopum conuenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere, quatenus ab omnium bestiarum vel volucrũ venatione penitus alienus existat: atque ab immoderata filię suę familiaritate semet omnino coërceat. Quòd si parere contempserit: & tam pro venationis delectatione, quàm pro immoderata filiæ suæ conuersatione vitanda vobis admonentibus obedire distulerit, à vestro collegio excommunicatus abscedat. Quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, à ministerio cessare debebit. *Id ca. 55. concil. Agathen. habetur.*

E x concilio Aurelian. 4. *Add. ex mag. Ion.*

†*Item. O miseram vitam hominum & maximè sacerdotum qui dum lucrandis fidelib. debent insistere, venandis feris incumbunt, & quos capere oportet homines, capiũt aues & bestias! qui dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum! O infelicem vitam super omnem vitam! Nam in quo magis quisque carnalis apparet quàm in tali vita! Venatorum enim vita, nil præter carnes capit. In qua dum quisque permansit, nunquam probatus est.*

‡ *Væ huiusmodi præsulib. qui dum debent Petrum, Andream, Iacobum & Ioannem, quib. à Domino dictum est, Venite post me, faciam vos piscatores hominum, ad imitationem suam eligere; quorum & discipuli sunt magis Nembroth, & Ismaëlem, atque Esau reprobos imitantur, qui huiusmodi adinuentionib. incubuisse referuntur.*

Palea. 3

EPiscopum, presbyterum, aut diaconum, canes ad venãdum aut accipitres, aut huiusmodi res habere non licet. Quòd si quis talium personarũ in hac voluptate sæpius deteẽtus fuerit: si episcopus est, tribus mensibus à communione suspendatur. Diaconus verò ab omni officio & communione suspendatur.

ITEM

Palea. 4

OMnibus seruis Domini venationes, & syluaticas vagationes cum canibus: & vt accipitres aut falcones habeãt; interdicimus.

Concubina autem hic intelligitur quæ cessantibus legalibus instrumentis vnita est: & coniugali affectu asciscitur: hanc coniugem facit affectus, concubinam verò lex nominat. *2. pars.* GRAT.

D E hac dicitur in concilio Toletano. *Cap. 17. conc. Tolet. 1.*

Qui non habet vxorem, loco illius concubinam licet habere. 5

IS qui [a] non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet: à communione non repellatur: tamẽ vt vnius mulieris, aut *a Aliàs, si quis.*

vxoris aut concubinæ sit coniunctione contentus.

Ivo Carn. lib. 6. de concubi. idrefert.

ITEM Isido. de distan. noui & vet. test. 6

CHristiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi vnam tantum aut vxorem, aut certè loco vxoris (si coniunx deest) concubinam.

Aug. hom. 49. li. Sol.

Ex dictis Augustini. *Palea.* 7

AVdite charissimi membra Christi, & matris catholicæ ecclesiæ filij. Quod dico competentibus, audiant fideles: quod dico fidelibus, audiant *cõpetentes: quod dico fidelibus & competentibus & pœnitentibus, audiãt & catechumeni: audiant omnes, & timeant, & nemo contẽnat: sic sit mihi in consolatiõe vester auditus, ne vobis sit in testimoniũ dolor meus. Competentibus dico, fornicari vobis non licet: sufficiant vobis vxores. audiat Deus si vos surdi estis: audiant angeli si vos contemnitis. Concubinas habere non licet vobis: etsi non habetis vxores, tamen non licet vobis habere concubinas: quas postea dimittatis, & ducatis vxores. tãto magis damnatio erit vobis si volueritis habere vxores & concubinas.

* Sic dicebãtur hi qui post instructionem fidei competebant gratiã Christi. Isidor. li. 7. etymol. cap. 14. Contius.

GRATIAN.

Cæterum si non talis cõcubina fuerit: & ætas illius de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dinoscitur: apostolica concessione ad ordinẽ diaconatus prouehi potest.

VNDE Pelagius papa scribit Florentino episcopo.

Qui post mortem vxoris habuerit de ancilla filios, diaconus fieri permittatur. 8

FRaternitatis tuæ relatione suscepta eius latorem secundas quidem nuptias expertum non fuisse didicimus: castitatem tamen cum priori non seruasse cõiugio designasti: & quamuis multa sint quæ in huiusmodi casibus obseruari canonicè iubeat sublimitatis auctoritas, tamen quia defectus nostri temporis quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram: & ætas illius de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionẽ auferre dinoscitur: vt ad diaconatus ordinem possit prouehi, concessisse nos noueris. Micenam verò ancillam eius, de qua se post vxoris transitum filios habere confessus est: iubemus vt tua dispositione cuiquam monasterio continentiam professura tradatur.

GRATIAN.

Hoc ex dispensatione misericordiæ. Cæterum ex rigore disciplinæ intelligitur illud [a] Aurelian. concil.

a Ca. 8. concil. Gerunden. habetur.

Non admittatur ad clerum qui præter vxorem aliam cognouerit. 9

SI quis de laicis post vxorem suam aliam cuiuscunque conditionis cognouerit mulierem, in clerum nullatenus admittatur.

4. pars. GRATIAN.

Quòd ergo de pellice & meretrice apud Gregorium & Innocentium scribitur, propter spem futuræ incontinentiæ constitu-

" stiturum esse creditur: quia difficilè continentiam seruat, qui
" se illicito concubitu maculare non metuit. vel prohibetur
" ordinari qui pellicem vel meretricem cognouerit marita-
" li affectu, vel quia corrupta florem virginitatis amiserit, vel
" quia meretricari non desinit: licet in vxorem ducatur. vtrun-
" que enim impedimentum cuilibet præstat, quo minus ad sa-
" cros ordines pertingere valeat.

VNDE *Hilarius papa scribit dicens. * Circa annum Christi 467.

Qui virginē non duxit vxorē, ad sacros ordines non accedat. 10 In syn. Ro. ca. 2.

CVrandum ergo in primis est ne ad sacros ordines (sicut gestis prioribus ante scriptum est) quisquam qui vxorem non duxit virginem, aspiret.

ITEM Greg. vrbis Romanæ præsul, [a] Silitano episcopo. Epist. 25 lib. 2. a al. Squilatino.

Digamus vel pœnitens, corpore vitiatus, literas ignorans, curiæ vel conditioni obnoxius, clericus non fiat. 11

PRæcipimus ne vnquam illicitas ordinationes facias, nec digamum, aut qui virginem non est sortitus vxorē, aut ignorantem literas, vel qualibet parte corporis vitiatum, vel pœnitentiæ, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxiū ad sacros ordines permittas accedere: sed si quos huiusmodi repereris, non audeas promouere. ITEM in Neocæsariensi concil. Cap. 8.

Non fiat sacerdos cuius vxorē euidenter cōstat adulteriū admisisse. 12

SI cuius vxorē adulterium commisisse cùm esset laicus, euidenter fuerit probatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quòd si in clericatu eo iam constituto, adulterauit, dato repudio dimittere eā debet. Si verò retinere eius consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.

ITEM ex concilio Martini papæ. De eodem. 13 Ca. 28. S. Mar. epi. Brach. ex syn. Græc.

SI laici vxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicuius clerici vxor adulterata fuerit, dimittat eam. Si autem cum ipsa voluerit permanere, à ministerio existat alienus.

" Præmissis auctoritatibus digami, & qui virgines non sunt GRATIAN.
" sortiti vxores, à sacris ordinibus prohibentur. Sed quæritur
" si quis ante baptisma viduam duxerit vxorē, an postea sit pro-
" hibendus à sacris ordinibus? DE his ita scribit Innocētius
papa [b] Victori [c] Rotho. episcopo. Victricio.

Qui ante baptisma seu post baptisma viduam duxerit vxorē, non admittatur ad clerum. 14

SI quis viduam (licet laicus) dūxerit vxorē seu ante baptismum seu post baptismum, nō admittatur ad clerum: quia eodem vitio videtur exclusus. in baptismate enim crimina dimittuntur, non acceptę vxoris consortium relaxatur: quòd si non putatur vxor esse cōputanda quæ ante baptismum ducta Innoc. pa. pri. epist. 2. cap. 5. Ca. 6. eiusdem.

 est:

est: ergo nec filij qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habeantur.

GRATIAN. Prohibentur etiam digami à quolibet ordine clericatus: iuxta illud Ambros. ad Vercellenses.

Epi.82.ad Vercel.

Qui secunda coniugia sortitur, clericus non fiat. 15

COgnoscamus non solum de episcopo & presbytero apostolum statuisse, sed etiam patres in concilij Niceni tractatu addidisse clericum quenquã non debere esse qui secunda coniugia sit sortitus.

6. part. ca. 18. GRATIAN. Similiter etiam viduarum mariti, vel ancillarum, vel meretricum, clerici fieri non possunt. Vnde in canonibus apostolorum legitur.

Spectaculis publicis mancipatam, vel reiectam, vel ancillam ducens vxorem, diaconus non fiat. 16

SI quis viduã vel eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de his quæ publicis mancipãtur spectaculis: non potest esse episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut ex numero eorum qui ministerio sacro deseruiunt.

Tomo 3. GRATIAN. Quæ autem sit vidua, quæ eiecta vel meretrix, Hiero. ad Fabiolam de veste sacerdotali ostendit, dicens:

Quæ sit vidua, vel eiecta, vel meretrix. 17

VIdua est cuius maritus mortuus est. Eiecta est quæ à marito viuente eiicitur. Meretrix, quæ multorum libidini patet.

7. part. c. 44.

GRATIAN. Sed postea temporum defectui condescendens papa Martinus in minoribus ordinibus constitui eos permisit, non regulam præfigendo, dicens:

Inter lectores vel ostiarios deputetur subdiaconus secundam ducens vxorem. 18

SI subdiaconus secundam vxorem duxerit, inter lectores vel ostiarios habeatur: ita vt apostolum non legat.

GRATIAN. Ca. 43. lib. Martin. Bracha. episc. Necessitate tamẽ exigente digamus vsque ad subdiaconatum potest promoueri.

VNDE Martinus papa ait.

Viduam ducens vxorem, subdiaconus fieri non potest. 19

LEctor si viduam alterius vxorẽ acceperit, in lectoratu permaneat: aut si necessitas fuerit, subdiaconus fiat: nihil autẽ supra. similiter si digamus fuerit.

8. pars. GRATIAN. Quibus autem propria coniugia prohibentur, interdicitur etiam nuptialibus conuiuijs interesse.

VNDE in Agathen. concil. cap. 39. legitur.

Nuptiarum conuiuijs presbyteri interesse non debent. 20

PResbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia modo non est, etiam aliarum nuptiarum euitent conuiuia: nec his cœtibus misceantur vbi amatoria can-

cantantur & turpia, aut obſcœni motus corporum choreis & ſaltationibus efferuntur: ne auditus & obtuitus ſacris miniſteriis deputati, turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.

Vidua verò eſt intelligenda ſi poſt ſolenne fœdus nuptiarũ, morte interueniente à viro ſuo diuiſa fuerit. Cæterum ſi antequam conueniant, fatali neceſſitate ab alterutro diuiſi fuerint: licet ex ſponſalibus vxor ſit appellata, non tamen poſt mortem ſponſi, etiam ſi in propria ſit ducta, & etiam cum eo velata, vidua appellatur: nec ex eius copula à ſacris ordinibus aliquis prohibetur. *9. pars.* GRATIAN.

VNDE Pelagius papa ſcribit[a].

Qui cum alio velatam, non tamen illi nuptam, vxorem duxerit, ſacerdos fieri non prohibetur. 21

a Marcello epiſcopo Atonienſi. vt eſt in mag. ſuo. par. 6.

VAlentino clerico cui mulier cum alio ante velata; non tamen illi nupta, ſed virgo permanens, poſt mortẽ eius cum quo velata fuerat ſponſa, cõiugali eſt copula ſociata: quia [b] iterum velamen accepit, nullum in promouendo generatur obſtaculum: quia nihil eſt (quãtum ad hunc articulum pertinet) quod ei de canonicis obuiet inſtitutis.

b *al. interim.*

VERSVS.

Quinta tricena monet, quod epiſcopus ebrius abſit.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT SOBRII. DISTINCT. XXXV. I

A Quibus ordinibus digami prohibeantur, & vtrum reputentur digami qui ante baptiſmũ habuerunt vnã, & poſt baptiſmum habuerunt alterã: & an liceat ſortiri vxores in ſacris ordinibus conſtitutis, multorum auctoritatibus breuiter mõſtratum eſt. Sequitur autem in deſcriptione illa apoſtolica, VT SIT SOBRIVS, qui ordinandus eſt, non vinolentus: quod ex auctoritate veteris teſtamenti introductum eſt. Miniſtri enim templi prohibentur vinum & ſiceram bibere, ne ebrietate grauẽtur corda eorum, vt ſenſus eorum vigeat ſemper, & tenuis ſit: vel quia venter mero æſtuãs facilè deſpumat in libidinem. Vnde Noe in ebrietate nudauit fœmora. Loth autem quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. Quòd autem vinolentus eſſe prohibetur: non ſemel, ſed frequenter vino repletus debet intelligi. Hinc etiam in canonibus apoſtolorum legitur:

GRATIAN. 1. Timot. 3. Leuit. 10. b Geneſ. 9. & 19. Cap. 41. & 42.

Diaconus, presbyter, & epiſcopus ebrietati & alea deſeruientes, niſi deſierint, communione priuentur.

EPiſcopus, aut presbyter, aut diaconus aleæ atque ebrietati deſeruiẽs, aut deſinat, aut certè damnetur. ſubdiaconus autem aut lector, aut cantor ſimilia faciens: aut deſinat, aut communione priuetur, ſimiliter & laicus. ITEM Hieronym.

Lib. 1. aduerſus Io. Deut. 24.

Esus carnium & vini potus, post diluuium concessus legitur, post Christi aduentum inhibitus. 3

AB exordio conditionis humanæ nec carnibus vescebamur, nec dabamus repudium, nec præputia nobis eripiebantur in signum, & hoc cursu vsque ad diluuium peruenimus. Post diluuium autem cum datione legis datæ per Moysen, quā implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescendum, & [a]repudij concessa duritia, & cultellus circuncisionis appositus: quasi, Dei [b]munus plus in nobis creauerit, quàm necesse est. Postquàm autē Christus venit in fine tēporum, & ω, [c]reuoluit ad α, [id est] extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circuncidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo: Bonum est vinum non bibere, & carnes nō comedere: vinum enim cum carnibus post diluuium dedicatum est.

Genes. 17. b.

a *al.* repudia duritiæ. inuersia casio. b manus

c *reuelauit. pro inclusis, & legēd.*

Ro. 14. d.

Hieron li. 2 contra Io. ad baiet.

ITEM ex epistolis eiusdem.

Alienum est à sapiente potationibus & ebrietatibus vacare.

LVxuriosa res est vinum, & contumeliosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens.

Prouerb. 20. a

IDEM in Micheam.

Hiero. ad ca. secundū Mich. 3. a.

Ignominiosum est sacerdoti affluere deliciis, epulis, atq; lasciniis. 4

ECclesiæ principes qui deliciis affluunt, & inter epulas atq; lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quòd eiiciendi sunt de spatiosis domibus, lautisque conuiuiis, & multo labore epulis cōquisitis. Et si vis scire quo eiiciendi sunt, propter malas cogitationes & opera sua: euangelium lege, in tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. An non cōfusio & ignominia est, Iesum crucifixum pauperem & esurientem fartis prædicare corporibus? & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre? Si in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam cōuersationem & abstinentiam.

Math. 8. b.

Hieron. ad Oceanū. circa fi. epist.

IDEM.

De eodem. *Palea.* 5

VEnter mero æstuās citò despumat in libidinē. [Vbi ebrietas, ibi libido dominatur & furor.]

Pro inclusis sunt alia verba apud Hieron. prolixiora, idem tamē signifi.

IDEM.

De eodem. *Palea.* 6

Hier. ad Nepotianū de vita cle.

VInolentum sacerdotem & apostolus damnat, & vetus lex prohibet. Sacerdotes qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere, ne crapula & ebrietate aggrauentur corda eorum. Sicera Hebræo sermone, omnis potio nuncupatur qua quis inebriari potest. Quicquid inebriat, statum mentis euertit. fuge similiter [d]& vinum, ‖in quo est luxuria‖. Nolite (ait Apostolus) inebriari vino, in quo est luxuria. Qui altari deseruit, vinum & siceram non bibat. Sponsa

Leuit. 10. b. Num. 6. a.

d *leg. vt pro &.* *Ephes 5. d.*

ſa Chriſti vinum fugiat vt venenum: vinum & ebrietas incendium eſt. ITEM Proſper. Proſper.li 2.c.22. de vita contemplatiua.

De eodem. 7

LVxuriam facit & nutrit vini perceptio nimia, non natura. ITEM Ambroſ. in ſermone de ieiunio qui ita incipit: Diuinum ad patrem reſultat oraculum. Ambr.c.4.li.de Helia & ieiun.ad habet.

In paradiſo abſtinentia, poſt paradiſum edendi laſciuia incœpit 8

SExto die beſtiæ ſunt creatæ, & cum beſtiis orta eſt edendi poteſtas,& vſus eſcarum. vbi cibus cœpit, ibi finis factus eſt mundi, ibi cœpit ſua incrementa neſcire, vbi cœperunt diuina opera circa eum feriari. quo indicio declaratum eſt quòd per cibos mundus haberet minui, per quos deſijt augeri. & infra.

Vt ſciamus non eſſe nouellum ieiunium, primam illic legẽ conſtituit de ieiunio. Et infra. Eouſque nemo præuaricari nouerat, cùm adhuc orta nõ eſſet quæ prima eſt præuaricatio. Indictum eſt ieiunium abſtinentiæ lex à Domino Deo, præuaricatio legis à diabolo, culpa per cibum, latebra poſt cibũ, cognitio infirmitatis in cibo, firmitatis virtus in ieiunio, ſerpens ſuaſit gulæ, dominus ieiunare decreuit. Itaque gula ĩ paradiſo regnantem expulit, abſtinentia ad paradiſum reuocauit errantem.. Et infra. In principio generis humani ignorabatur ebrietas: primus Noë vineam plantauit, dedit naturã, ſed ignorauit potentiam. Itaque vinum nec ſuo pepercit auctori, ſed illius ebrietas nobis ſuadet ſobrietatem. ſemel enim inebriatus eſt Noë. vbi malum ebrietatis agnouit, ‖a iumentum‖ ſuum ad remedium tẽperauit, nec effudit ad vitium. Manebat autem antequàm vinum inueniretur, omnibus inconcuſſa libertas: nemo ſciebat à conſorte naturæ ſuæ obſequia ſeruitutis exigere. Non eſſet hodie ſeruitus, ſi ebrietas non fuiſſet. Obrepſerat quidem *iam* fraternæ prælationis inuidia, manebat tamen adhuc paternæ pietatis reuerentia. læſa pietas eſt dum irridetur ebrietas. non illis itaque ſolis nocent vina quos tentant, ſed etiã illis amplius oculis quorum temulenta ebrioſorum membra nudantur. & infra. Legimus etiã quòd patrem Loth inebriauerunt filiæ in monte, ad quem timentes incendium Sodomitarum confugerant,& habitabant in ſpelunca. Fuit itaque ebrietas origo inceſti concubitus, peſſimæ regeneratricis partus deterior. At non Abraham vina in ſuo conuiuio miniſtrabat, ſed immolabat vitulum, butyrum & lac, etiam angelis hoſpitibus exhibebat. Rectè enim illic deerat materia peccati, vbi erat remiſſio peccatorum. Denique annunciauit Dominum Ioannes non manducans panẽ, neque bibens vinum. Qui enim Chriſtum annunciat, ab omni vitiorum incentiuo præſtare ſe debet alienum.

Cap.5.eiuſdem. a iumentum. Geneſ.19.g. Geneſ.18.a. Matth.11.c. Cap.41.

ITEM ex concilio Agathenſi.

Triginta diebus à communione abstineat clericus, quem ebrium fuisse constiterit.

9

ANte omnia clericis vetatur ebrietas, quæ omniū vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque cum quem ebrium fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut xxx. dierum spatio à cōmunione submoueatur, aut corporali subdatur supplicio.

VERSUS.

Sena tricena probat u quod prudens habeatur.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT PRVDENTES.

DISTINCTIO XXXVI.

1

GRATIAN. * Verba Hierony. ad Oceanum.

OPortet ordinādum esse prudentem, *quod contra eos notandum est, qui sub nomine simplicitatis excusant stultitiam sacerdotum *. Prudētem autem episcopum oportet intelligi non solum literarum peritia, verumetiam secularium negotiorum dispensatione.

Gela. pa. 1. epist. per Lucaniam. cap. 16.

VNDE in epistola Gelasij papæ legitur.

Illiterati & corpore vitiati, non promoueantur ad clerum. 2

ILliteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere: quia literis carens, sacris non potest esse aptus officiis, & vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt.

Epi. 1. ad Hesichium. b Sedit anno 421. sub Honor. imper.

Similiter qui seipsos abscindunt. ITEM [b] Zozimus papa.

Ad summum sacerdotium non aspiret, qui diuinis stipendijs vel disciplinis non est eruditus. 3

QVi ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum approbatione diuinis stipēdiis nō est eruditus: nequaquam ad summum ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumat: & non solum in eo ambitio inefficax habeatur, verumetiam ordinatores eius careant eo ordine quē contra præcepta patrum crediderunt præsumendum.

GRATIAN.

Ecce quòd sacrarum literarum oportet episcopum habere peritiam. vnde in veteri testamento, inter cætera ornamenta pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio & veritas: quia in pectore pontificis manifesta debet esse cognitio veritatis. Hinc etiam vectes quibus arca portabatur, iugiter annulis erant inserti: vt cum arca esset portanda, nulla esset vel fieret mora de intromittēdis vectibus: quia prædicatores per quos ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quærant discere cum ex officio alios debeant docere. Hinc etiam Dauid prius ex gratia spiritus sancti donum scientiæ percepit: & postea administrationem regni assecutus est. Salomon quoque non diuitias, non longa tempora huius vitæ, sed sapientiam à Deo expetiit, &

Exod. 28. a

Exod. 25.

1. Reg. 2. a.

3. Regum 3. a.

,, & impetrauit. Hinc etiam Dominus prius posuit verba sua 2 Par.1.b.
,, in ore Prophetæ: & postea constituit eum super gentes & re-
,, gna, dicens ad Hieremiam: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ec- Hier.1.b.
,, ce constitui te super gentes & regna. Hinc etiam Malachias: Mala.2.b.
,, Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & legē exquirut de ore
,, eius: quia angelus domini exercituum est. Hinc etiā idem sal- Luc.2.g.
,, uator noster prius in medio doctorū sedit audiēs illos & inter-
,, rogans: & postea prædicare cœpit: quia prius quisq; discere, &
,, postea prædicandi officium vsurpare debet. Hinc etiam Salo- Eccles.3.b
,, mon ait: prius tempus tacendi, & postea loquendi: quia veritas
,, prius tacendo discitur, & postea loquendo prædicatur. Hinc Apoc.22.d
,, idem dominus ait: qui audit, dicat veni. Hinc etiā prius aposto
,, los docuit: deinde eos ad prædicandū misit, dicens: Estote pru Matth.10.
,, dentes sicut serpentes, & simplices sicut columbę. Sic etiā post
,, resurrectionē prius illis sensum aperuit, & scripturas explana-
,, uit: & postea dixit eis: Euntes in mundū vniuersum &c. Vnde Matth.vlt.
,, cùm de quinque panibus quinq; milia hominum vellet refi- Matth.14.b
,, cere, prius panes accipiens fregit, & postea discipulis dedit: &
,, per eos demum turbis apposuit: quia sacramenta legis & pro-
,, phetarum prius differendo exposuit: & postea eorum scientiā
,, discipulis dedit: & per eos tandem illam fidelibus dispensauit.
,, Hinc Petrus etiam cùm rectoribus ecclesię scriberet, ait: Pa 1.Pet.3.
,, rati esse debetis reddere rationem omni poscenti vos satisfa-
,, ctionem de ea fide & spe quæ in vobis est. Hic etiā Paulus scri
,, bens ad Timotheū ait: Attēde lectioni & exhortationi & do- 1.Tim.4.d
,, ctrinæ. Ex quibus omnibus liquido colligitur, quod non sufficit
,, prælatis bona cōuersatio, & morum honestas, nisi addatur sciē-
,, tia doctrinę. Vnde sacerdotes ingressuri templum tabernaculi Exod.38.
,, prius lauabantur in labio æneo quod fecerat Moyses ex spe-
,, culis mulierum. Hinc etiam in Canticis Cāticorum oculi per Cantic.5.
,, quos pręlati ecclesiæ intelliguntur, assimilātur columbis, quæ
,, resident iuxta fluenta plenissima.
,, HINC etiam Hierony. in Leuit. Origenes homil. 6. ad cap. 8. Leuitici.

Sacerdotis est legis scientiam habere: non bellis, sed orationibus vacare. 4

SI quis vult pontifex esse non tam vocabulo quàm merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron: quid enim dicitur de eis? quòd non discedūt de tabernaculo domini. erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo domini. Quid autem ei opus erat? vt aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, vt aut à Deo discat legēdo scripturas diuinas, & sæpius meditando: aut populum doceat. sed illa doceat quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ spiritus sanctus docet. Est & aliud opus quod fecit Moyses. ad bella non vadit: non pugnat contra ini- Exod.17.c.
micos:

micos: sed quid facit? orat: & donec orat, vincit populus eius: si relaxauerit & dimiserit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo sacerdos ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes eos qui volunt piè viuere in Christo.

VERSVS.

Gentiles libros is ne doceat prohibetur.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI LITERAS SECVLARES SCIANT AD NECESSITATEM.

DISTINCTIO XXXVII.

1

GRATIAN. Cap. 16.

SEd quęritur, an secularib' literis oporteat eos esse eruditos? " De his ita scribitur in concilio Carthaginensi quarto. "

Libros gentilium non legat episcopus. 2

EPiscopus gentilium libros non legat: hæreticorum autem perlegat pro necessitate aut tempore.

Tomo. 3. de filio prodigo & filio frugi. Ex Iuo. mag. p. 4.

Item Hierony. ad Damasum papam de filio prodigo.

Reprehenduntur sacerdotes qui omißis euangelijs comœdias legunt. 3

SAcerdotes dei omissis euangeliis & prophetis videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus, & id quod in pueris 'ad' est [causa] necessitatis, crimen in se facere voluptatis. Idem.

Hiero. ad cap. 4. epistola ad Ephe. lib. 2. commentar. to. 9.

In vanitate & obscuritate sensus ambulant, qui secularibus disciplinis occupantur. 4

NOnne vobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mētis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui physicus perscrutator oculos trans cælos leuat, & vltra profundum terrarum & abyssi in quoddā inane demergitur, qui iambum[a] feruet, qui tantam metrorum syluā in suo studiosius corde distinguit & congerit: & (vt ad alteram partem transeam) qui diuitias per fas & nefas quærit, qui adulatur regibus, hæreditates captat alienas, & opes congregat quas in momento cui sit relicturus ignorat? Idem in Esaiam.

a al. struit

Hier. lib. 9. cōmentar. ad cap. 28. Esaia.

Qui scripturas sacras malè intelligit, vel seculari sapientia abutitur, vino inebriatur & sicera. 5

VIno inebriantur qui scripturas sacras malè intelligunt atque peruertunt: sicera, qui abutuntur seculari sapientia & dialecticorum tendiculis: quæ non tam tendicula sunt appellanda, quàm [b] phantasmata, id est, vmbræ quædā & imagines quæ citò pereūt & resoluūtur. Idē secundum tropologiā pseudoprophetas eos debemus accipere qui aliter scripturarū verba accipiunt, quàm spiritus sanctus sonat & diuinos, eos qui coniectura mentis suæ, & incerta futurorum, quasi vera pronunciant absque diuinorum auctoritate verborū. Idem. Quicunque

b al. φάσματα.

Hiero. lib. 5. comment. ad cap. 29. Hie.

Hier. lib. 6. comment. ad cap. 33. Hier.

Hier. li. 3. comment. ad ca. 6. epi. ad Ephe.

cunque scripturas non ita intelligunt vt rei veritas habet, vuã acerbam comedunt. IDEM in epistola ad Ephesios.

Reprehenduntur episcopi qui filios suos secularibus erudiunt literis. 6

LEgant episcopi atque presbyteri qui filios suos secularibus erudiunt literis, & faciunt illos comœdias legere, & mimorum turpia scripta cantare, de ecclesiasticis sumptibus forsitan eruditos. Et quod in corbonam pro peccato virgo vel vidua, vel substantiam suam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Kalendarũ strenã, & saturnaliũ sportulam, & mineruale munus grãmaticus & orator: aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut sordidum[a] conuertit in lucrũ. Heli sacerdos ipse sanctus fuit: sed quia filios suos non erudiuit in omni disciplina & correctione, supinus cecidit, & mortuus est.

a al. in sordida scorta

1. Reg. 2. c

ITEM ex respõsalibus [b] Vrbani papę ad Carolũ, cap. [*]47.

b Hadriani sub quo Imperauit Carolus.

* 4.

Palea. 7

OMnem vim inuentorũ suorum in dialectica[*] disputatione ponunt hæretici: quę Philosophorum sententia diffinitur non astruendi vim habere, sed studium destruẽdi: sed non in dialectica placuit[c] deo saluare populum suum. regnum enim dei in simplicitate fidei est: non in contentione sermonis.

* al. disputantes

c patri filio & spiritui sancto. &c.

ITEM Rabanus de pressuris ecclesiasticis.

parte 2.

Beatus Hieronymus ab angelo verberatur, quia Ciceronis libros legebat. 8

Id Hiero ad Eustochiũ de custodia virginitatis asserit. Ex luo.

LEgimus de beato Hierony. quòd cùm libros legeret Ciceronis, ab angelo est correptus: eo quòd vir Christianus paganorum figmentis intenderet.

GRATIAN.

„ Hinc etiam filius ille prodigus in euangelio reprehẽditur, „ qui de siliquis, quas porci manducabant, ventrem suum reple„ re cupiebat. Hinc etiã Origenes ciniphes & ranas quibus Ae„ gyptij sunt percussi, vanam dialecticorũ garrulitatẽ, & sophi„ stica argumẽta intelligit. Ex quibus omnibus colligitur, quòd „ nõ est ab Ecclesiasticis secularium literarum quærẽda peritia.

Origenes ad cap. 7. Exod. homilia. 4.

GRATIAN.

„ Sed econtra legitur quòd Moyses & Daniel omni sciẽtia „ Aegyptiorum & Chaldæorũ eruditi fuerunt. Legitur etiam „ quòd præcepit dominus filiis Israël, vt expoliarent Aegyptios „ auro & argento: moraliter instruens vt siue aurum sapientiæ, „ siue argentum eloquentiæ apud poëtas inueniremus: in vsum „ salutiferæ eruditionis vertamus. In Leuitico etiam primi„ tias mellis, id est, dulcedinem humanę eloquentiæ domino iu„ bemur offerre. Magi quoque tria munera obtulerunt: in „ quibus nonnulli tres partes philosophiæ volunt intelligi. de„ niq; in expositione psalterij Cassiodorus testatur: omnis splẽ„ dor rhetoricæ eloquentiæ: omnis modus poëticæ locutionis: „ quælibet varietas decoræ pronuntiationis à diuinis scripturis „ sumpsit exordium. Hinc etiam Ambro. ait super epistolam

Dan. 1. a
Exod. 3. & 11.

Math. 2.
Raba. ad hunc locum Matthæi. Cassiodo. cap. 14. prologi in psalterium.

Co-

Amb. ad cap. 2. epi. ad Coloss.

Colossensiũ. Omnis ratio supernæ sciẽtiæ vel terrenę creaturæ in eo est, qui est caput earum & auctor: vt qui hunc nouit, nihil vltra quærat: quia hic est perfecta virtus & sapiẽtia, quicquid alibi quæritur, hic perfectè inuenitur. In Daniele, & in Salomone ostendit infidelibus se esse auctorem totius eloquẽtiæ & sapientiæ: quod infideles non putant, quia non legunt in euangelijs & prophetis astrologiam & alia huiusmodi, quæ despecta sunt: quia nil valent ad salutẽ, sed mittunt in errorẽ: & dum his student, curam animæ non habent. qui verò Christum nouit, thesaurũ sapiẽtiæ & sciẽtiæ inuenit: quia id nouit quod vtile est. HINC etiam ait Beda in lib. Regum.

Non prohibeantur clerici seculares literas legere. 9

Ivo Carn. lib. 2. qui lib. ab eccl. id refert.

TVrbat acumen legentium & deficere cogit, qui eos à legendis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos: in quibus si qua inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet: alioquin Moyses & Daniel sapientia & literis Aegyptiorum Chaldæorũq; non paterentur erudiri: quorum tamẽ superstitiones simul & delicias horrebant: nec etiam ipse magister gentium aliquot versus poëtarum suis vel scripturis vel dictis indidisset.

2 pars. GRATIAN.

Cur ergo legi prohibentur, quæ tam rationabiliter legẽda probantur? Sed seculares literas quidam legunt ad voluptatem, poëtarum figmentis, verborumque ornatu delectati: quidam verò ad eruditionem eas addiscunt, vt errores gentiliũ legendo detestentur: & vtilia quæ in eis inueniunt, ad vsum sacræ eruditionis deuoti vertant. tales laudabiliter seculares literas addiscunt. Vnde beatus Gregorius[a] quendam episcopum non reprehendit quia eas didicerat: sed quia contra episcopale officium pro lectione euangelica grammaticam populo exponebat. HINC etiam Ambro. scribit super Lucam.

a locus extat infr. dist. 86. c. 6.

Seculares literæ legendæ sunt ne ignorentur. 10

Ambr. in explanat. proœmij euang. secundum Lucam.
b legend. legantur.

LEgimus aliqua ne[b] negligamus; legimus ne ignoremus, legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus.

Item Hierony. super primum cap. epistolæ ad Titum.

Grammatica legenda est vt per eam sacra scriptura intelligantur. 11

SI quis artem nouerit grammaticam vel dialecticam, vt rectè loquendi rationem habeat, & inter falsa & vera dijudicet; [non[c] improbamus]. Geometria & arithmetica & musica habent in sua scientia veritatẽ: sed nõ est scientia illa scientia pietatis. Sciẽtia pietatis est nosse legẽ, intelligere prophetas, euangelio credere, Apostolos nõ ignorare. Grammaticorũ[d] autem doctrina etiã potest proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vsus assumpta. IDEM in primum cap. Danielis. to. 5.

c desunt sed addita sunt à Gratia.

d Verba Isid. lib. 3. de summ. bo. c. 13.

Exẽplo Danielis probatur nõ esse peccatũ secularibus literis erudiri. 12

QVi de mensa & vino regis nolunt comedere, ne polluantur

tur vtique, si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent esse peccatum, nunquam acquiescerent discere quod non licebat. Discunt autem non vt sequantur, sed vt iudicent atque conuincant: quomodo si quispiam aduersus mathematicos velit scribere imperitus matheseos, risui pateat, & aduersus philosophos disputans, si ignoret dogmata philosophorum. discant ergo ea mente doctrinam Chaldaicam. qua & Moyses omnem sapientiam Aegyptiorum didicerat. Idem. Siquando cogimur literarũ secularium recordari, & aliqua ex his discere quæ olim omisimus: non nostræ est voluntatis, sed (vt ita dicã) grauissimæ necessitatis: vt probemus ea quæ à sanctis prophetis ante secula multa prædicta sunt, tam Græcorum quàm Latinorum & aliorum gentilium literis contineri.

ITEM ex synodo Eugenij* papæ.

*Eugenius 3. sedit circa annum Christi M. C. X L V. ad eum scripsit S. Bernardus.

Magistros & doctores episcopi congruis locis constituant. 13

DE quibusdam locis ad nos refertur neq; magistros neque curam inueniri pro studio literarum. Iccirco ab vniuersis episcopis subiectis plebibus, & aliis locis in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, vt magistri & doctores constituãtur, qui studia literarũ liberaliumq; artium dogmata assiduè doceant: quia in his maximè diuina manifestantur atque declarantur mandata.

ITEM August. lib. xiij. cap. x v. contra Faustum Manichæum. to. 6.

Auctoritatibus gentiliũ eorum vanitas retũditur atq; conuincitur. 14

SI quid veri de Deo Sibylla vel Orpheus aliíve gẽtilium vates, aut philosophi prædixisse perhibentur: valet quidem ad reuincendam paganorum vanitatem: non tamen ad istorum auctoritatem complectendam. Quantum enim distat de Christi aduentu inter prædicationem angelorum, & confessionem dæmonum, tantùm inter auctoritatem prophetarum, & curiositatem sacrilegorum.

ITEM [a] Clemens papa epistola quinta ad discipulos.

a Clemens Petri successor hic citatur.

Ad intelligentiam sacrarum scripturarum, secularium peritia necessaria ostenditur. 15

RElatum nobis est quòd quidam in vestris partibus commorantes aduersantur sacris doctrinis, & prout eis videtur, non secundum traditionem patrum, sed iuxta suum sensum docere vidẽtur. multas enim quidam (vt audiuimus) vestrarum partium ingeniosi homines ex his quæ legunt, verisimilitudines capiunt, & ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, nõ secundum propriam ingenij virtutem vel

3. pars.

vel intelligentiã legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſponte præſumpſerit, ſed non oportet. non enim ſenſum extrinſecus alienũ & extraneũ debetis quærere, vt quoquo modo ipſum ex ſcripturarum auctoritate cõfirmetis, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis oportet. Et ideo oportet ſcientiam ab eo diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecũdum veritatem ſibi traditam ſeruat: vt & ipſe poſſit eam quàm rectè ſuſceperit, competenter aſſerere: cùm enim ex diuinis ſcripturis integram quiſque & firmã regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit ſi aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus ſtudiis, quæ fortè etiã in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis cõferat: ita tamen, vt vbi vera didicit, falſa & ſimulata declinet.

Iſid. c. 13. lib. 3. de ſummo bono habet. vt in mag. Iuo. notatur.

ITEM Iſidorus in libro ſententiarum.

Quare prohibeatur Chriſtianis poëtica figmenta legere. 16

IDeo prohibetur Chriſtianis legere figmenta poëtarum: quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiua libidinum. Non enim thura ſolùm offerẽdo dæmonibus immolatur, ſed etiam eorum dicta libentius capiendo.

5. pars. GRATIAN. *a ex Greg. paſtorali c. 1.* *Pſal. 48.* *Luc. 12. f* *1. Cor. 14.*

[a] Vt itaq; ex præmiſſis auctoritatibus apparet, imperitia ſacerdotibus ſemper eſſe debet aduerſa: quoniam ſi per ignorantiam cæcitatis alijs ducatum præſtare cœperint, ambo in foueam cadunt. vnde dicitur in Pſalmo: Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Cùm enim obſcurantur illi qui præeunt, ad ferenda onera peccatorum facilè ſequentes inclinantur. Elaborandum eſt itaque ſacerdotibus vt ignorantiam à ſe quaſi quandam peſtẽ abiiciát. Licet enim ſeruus neſciens voluntatem domini ſui, & non faciens dicatur vapulare paucis: non tamen hoc de omnibus generaliter intelligitur. Ait enim Apoſtolus: Qui ignorat, ignorabitur. quod de eo intelligendum eſt qui noluit intelligere, vt bene ageret. Vnde Auguſtinus ait in lib. quæſtionum veteris ac noui teſtamenti. quæſt. lxvij. 17

b pro Inclu. leg. à quo

NOn omnis qui ignorat, immunis eſt à pœna. Ille enim ignorans poteſt excuſari à pœna, qui [[b] quod] diſceret non inuenit. Illis autem hoc ignoſci non poterit, qui habentes à quo diſcerent, operam non dederunt.

VERSVS.

Clerus in hoc ſacram ſcripturam ſcire iubetur.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SACRAS LITERAS SCIANT.

DISTINCT XXXVIII. I

CVm itaque voluntaria ignorantia omnibus ſit noxia, ſacerdotibus eſt periculoſa.

VNDE

VNDE in concilio Toletano iiij. cap. xxiiij. legitur.

Sacerdotibus maximè ignorantia vitanda est. 2

IGnorantia mater cunctorum errorum, maximè sacerdotibus dei euitanda est: qui docendi officium in populo dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonentur scripturas, Paulo apostolo dicente ad Timotheum: Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ: & semper permane in his. Sciant ergo sacerdotes sanctas scripturas & canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat: atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina. 1.Tim.4.d.

ITEM ex eodem.

Officialem libellum ad episcopum accipiant presbyteri cùm ordinantur. 3

Cap.25 eiusd.concil. Tolet.4.

QVando presbyteri in parœcijs ordinantur, libellum officialem à sacerdote suo accipiant, vt ad ecclesias sibi deputatas instructi accedant, nec per ignorantiam etiam in ipsis diuinis sacramentis Christum offendant. Cùm verò ad litanias vel ad concilium venerint, rationem episcopo suo reddant qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent. Cap.26.eiusdem.

ITEM [a] Leo episcopis Constantin.

a 1.ad clerum & pleb.Constantinop. vrbis.

Inscitia sacerdotum nec excusatione est digna, nec venia. 4

SI vix in laicis videtur intollerabilis inscitia, quanto magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia? Epi.22.Leo pap.1.

ITEM Cœlestinus orthodoxis omnibus episcopis. Cœlest.pa.pri.epi.3.

Canones non licet sacerdotibus ignorare. 5

NVlli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquã facere quod patrum possit regulis obuiare. quæ enim à nobis res dignè seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliorum libitu licentia populis permissa frangatur? Ivo Carn.lib.3 de con.sec.epi.& cler. refert.

ITEM ex dictis August.

Quæ sint sacerdotibus necessaria ad sciendum. 6

QVæ ipsis sacerdotibus necessaria sint ad discendum, id est sacramentorum liber, lectionarius, antiphonarius, baptisterium, computus, canones pœnitentiales, psalteriũ, homiliæ per circulũ anni in dominicis diebus & singulis festiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si vnum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosæ euangelicæ minæ sunt quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Math.15. ITEM ex vij. synodo.

Quæ oportet scire eum qui episcopus est ordinandus. 7

OMnes psallentes repromittimus Deo, In tuis iustificationibus meditabor, non obliuiscar sermones tuos. quod omnes quidem Christianos obseruare saluberrimum est, sed præcipuè hos qui ecclesiasticam consecuti sunt dignitatem. Vnde Psal.118.

defini-

definimus omnem qui ad episcopatus est prouehēdus gradū, modis omnibus psalterium nosse, vt ex hoc etiam omnis clerus qui sub eo fuerit, ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano si in promptu habeat legem scrutabiliter, & non transitoriè tam sacros canones & sanctum euangelium quàm diuini Apostoli librum, & omnem diuinā scripturam, atque secundum mādata conseruare, & docere sibi populum commissum. substantia enim summi sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est vera diuinarū scripturarum disciplina, quēadmodum magnus perhibet Dionysius. Quòd si disceptauerit, & ita libenter facere & docere minimè spoponderit, nullatenus consecretur: ait enim prophetæ Deus. Tu scientiam repulisti, & ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. ITEM ex concil. Carthagin. iiij.

Ca. 1. Ecclesiastice Hierarc.
Osee. 4. b
Cap. 3. can. Cartha. 3.

De eodem. 8

PLacuit vt ordinandis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorū inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilij fecisse pœniteant.

ITEM Zepherinus papa epist. j. ad episcopos Sicilien.

Sacra scripturæ inhærentes non obscurantur iniquitate mundana. 9

SIcut stellas cæli non extinguit nox: sic mentes fidelium & inhærentes firmamento sanctæ scripturę nō obscurat mundana iniquitas.

ITEM Hieronymus scribens ad Eustochium in prooemio commentariorum in Esaiam.

Ignorantia scripturarum est ignorantia Christi. 10

SI iuxta apostolū Paulum Christus Dei virtus est, & dei sapientia: & qui nescit scripturas, nescit dei virtutem, eiusq; sapientiam. scripturarum[a] ignorantia, Christi est ignorantia.

a ergo ignorantia. &c.

ITEM Gregor. in Moralibus.

Greg. cap. 1. prima parte pastoral habeti.

A domino sciuntur vel ignorantur, qui ea quæ dei sunt sapiunt vel ignorant. 11

QVi ea quæ dei sunt sapiunt, à domino sapiuntur, & qui ea quæ dei sunt nesciunt, à domino nesciuntur: Paulo attestante, qui ait: Si quis ignorat ignorabitur. Idem, quicunque stultus est in culpa, erit sapiens in pœna.

1. Cor. 14 g

ITEM Augustinus cap. 17. Enchiridij ad Laurentium. to. 3.

Non qui aliquid nescit, sed qui putat se scire quod nescit, errare probatur. 12

2. pars.

QVamuis errare quanta possumus cura cauendum sit, non solùm in maioribus, verumetiam in minoribus rebus; nec nisi rerum ignorantia possit errari, non est tamen consequens vt continuò erret quisquis aliquid nescit: sed si quis existimet se scire quod nescit. pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium: verumtamen in qua re quisquis erret,

interest

interest plurimũ. nã in vna eadẽq; re & nesciẽti sciens, & erranti non errans recta ratione præponitur. in diuersis autem rebus, id est cũ iste scit alia, ille alia, & iste vtiliora, & ille minus vtilia vel etiã noxia: quis nõ in eis quæ ille scit, ci præferat nescientẽ? sunt enim quædam quæ nescire melius est q̃ scire.

» Sed licet per ignorantiã grãmaticæ artis aliquid vitiosum proferãt episcopi vel presbyteri, nõ tamen ideo à scholasticis sunt despiciẽdi, quia morũ vitia magis quã verborũ sunt præcauenda. GRATIA. 3. pars.

Cap. 9.

VNDE August in lib. de catechizandis rudibus.

Non contemnant scholastici ecclesiasticam simplicitatem. 13

SEdulo monendi sunt [scholastici [a]] vt humilitate induti Christiana, discãt non contẽnere quos cognouerint morũ vitia magis quàm verborũ deuitare: sed cordi casto linguam exercitatã nec conferre audeãt, quã etiam præferre cõsueuerunt. His maximè vtile est nosse ita esse præponendas verbis sentẽtias, vt præponitur animus corpori: ex quo fit vt ita malle debeãt veriores quàm disertiores audire sermones, sicut malle debent prudẽtiores quàm formosiores habere amicos. nouerint enim nõ esse voces ad aures Dei, nisi animi affectum. Ita enim nõ irridebũt, si aliquos antistites & ministros ecclesiæ fortè animaduerterint vel cũ barbarismis vel solœcismis Deũ inuocare: vel eadẽ verba quæ pronũciant, nõ intelligere, perturbatéque distinguere: non quia ista minimè corrigenda sunt, vt populus ad id quod planè intelligit, dicat amen: sed quia piè toleranda sunt ab eis qui didicerunt vt sono in foro, sic voto in ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnunquã fortè bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest.

a pro inclus. erat apud Augu. à grãmaticorum oratorũq; scholis veniẽtes, sed ante Gratia. sic Iuo immutauit in mag. dec. p. 6.

IDEM ad Alexandrinum episcopum. 14

INdignum vehementer existimo vt verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. *Augu. cap. 50.*

IDEM de vera religione. *Palea.* 15

LOcutio diuinarũ scripturarũ secundũ cuiusq; linguæ proprietatẽ accipiẽda est. habet enim omnis lingua quædam propria locutionũ genera: quæ cũ in aliam transferuntur, videntur absurda. ITEM Hieronymus ad Pãmachium. 16 *Ex libris suis cõtra Iouinianum.*

ECclesiastica interpretatio etiã si habeat eloquentiæ venustatem, dissimulare eam debes, non fugere: vt non in ociosis philosophorum scholis, paucisque disciplinis, & vniuersa [b] loquantur hominum genera.

ITEM Clemens papa episto. 3. ad omnes Christianos.

b leg. vniuerso loq. ho. generi.

Propter opprobrium senectutis à paruulis & à minimis non erubescat discere episcopus. 17

NVllus episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatẽ generis, à paruulis vel minimis [c] eruditis, si quid fortè est

c leg. minus.

I

tè est vtilitatis aut salutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter viuit, & discere atque agere bona recusat: magis diaboli quàm Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis quàm fidelis esse monstratur.

VERSVS.

Hac deponis eum qui non extrinseca nouit.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI NEGOTIA SECVLARIA SCIANT. DISTINCTIO XXXIX.

GRATIA. ECce plenariè monstratum est quòd sacerdotes oportet literarum tam sacrarum quàm secularium esse peritos. Nunc autem quæritur an secularium negociorũ oporteat eos habere peritiam. Hanc prælatis ecclesiæ esse necessariam multis rationibus probatur. debent prælati subditis non solum spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare, exẽplo Christi, qui turbas sequẽtes non solum verbo docebat, sed etiam virtute sanabat, & corporalibus alimentis reficiebat. vt autem prælati hæc omnia plenè perficere possint, secularium negociorum oportet eos habere solertiam: vt eorum cautela & ecclesiæ seruentur indemnes: & cuique necessaria pro suo modo ministrẽtur. Vnde quidam in episcopum electus à beato Gregorio pro sua simplicitate repellitur, ne eius occasione res ecclesiæ dilapidarentur. VNDE Gregorius episto. 40. lib. 8. scribit nobilibus ciuibus Neapolitanis.

Secularium negociorum imperiti non sunt in episcopos ordinandi. 1

PEtrus diaconus quem à vobis electũ asseritis, omnino (vt dicitur) simplex est: & nostis quia hoc tẽpore talis in regiminis arce debet cõstitui, qui non solũ de salute animarũ, verumetiã de extrinseca vtilitate & cautela sciat esse solicitus.

VERSVS.

Quadragena docet ornatum in omnibus esse.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT ORNATI INTERIVS. DISTINCTIO XL.

GRATIA. 1. Tim. 3. 4. OPortet quoq; esse episcopum ornatum, & hospitalem. per ornamẽta episcopalia, virtutes debẽt intelligi: quę à domino eis repromittuntur, dum dicitur: Sacerdotes eius induentur salutari. Vnde in veteri testamento variis vestibus ex præcepto domini sacerdotes ornati leguntur: quia multimodis virtutibus debet splendere vita pontificis: vt gradui conferat decorem quem ab eo non accepit. non enim loca, sed vita & mores sanctum faciũt sacerdotem. vnde ex officio

Psal. 131. Exo. 28.

" ficio suscepto non licentiam peccandi, sed necessitatem bene
" viuendi se nouerint assecutos.

VNDE Symmachus papa ait.

Officium sacerdotum non confert, sed amittit licentiam delinquẽdi. 2

NOn nos beatum Petrum (sicut dicitis) à domino cum sedis priuilegio vel successores eius peccandi iudicamus licentiam suscepisse. Ille quippe perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ transmisit ad posteros. quod illi concessum est per actuũ lucem, ad illos pertinet quos par conuersationis splẽdor illuminat. Quis enim sanctũ dubitet esse quẽ apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritũ, sufficiũt quæ à loci prædecessore prçstãtur. aut enim claros ad hæc fastigia erigit: aut qui eriguntur illustrat.

*Ennodius in li. pro defensione quarta & quinta synodorũ Romanarum.

* diaconus Symmachi. Ideo Symmacho tribuit hunc li. Gratia.

ITEM Hierony.[b] epistola ad Heliodorum.

b Paulo aliter se habent verba Hiero. sed idem manet sensus.

Filij sanctorum sunt qui exercent opera eorum. 3

NOn est facile stare in loco Petri & Pauli, scilicet tenere * cathedram regnantiũ cum Christo, quia hinc dicitur: non sanctorum filij sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. ITEM Gregorius.

* al. & tenere.

Morum nobilitas, non loci vel generis sacerdotes notificet. 4

NOs qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus: nec vrbium claritate, sed fidei puritate.

IDEM Gregorius Anastasio presbytero in episto. 19. seu cap. 193. lib. 6.

Non loca vel ordines, sed merita Deo coniungunt. 5

NOn loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciũt: sed nos aut merita bona ei cõiungũt: aut mala disiũgũt.

ITEM Ioan.[c] Chrysost. homil. 40. ad ca: 21. Matthæi.

c claruit anno Chri 400.

Magnitudo peccati vel dignitatis quemquam fortiter deiicit. 6

2. pars.

HOmo Christianus fortiter cadit in peccatũ propter duas causas, aut propter magnitudinẽ peccati, aut propter altitudinem dignitatis. ITEM ex dictis Bonifacij martyris.[d]

d qui archiepiscopus Moguntinus creatus erat anno 730. Tritem. Abbas.

Damnatur apostolicus qui suæ & fraternæ salutis est negligens. 7

3. pars.

SI papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operib⁹, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus nihilominus, innumerabiles populos cateruatim secum ducit [primo] mãcipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternũ vapulaturus. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus: nisi deprehẽdatur à fide deuius. pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutẽ post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensius pendere.

ITEM Augustinus ad Valerium, epistola. 148.

Non ordines, sed vitæ merita nos deo commendant. 8

4. pars. ANte omnia peto vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè in hoc tempore facilius & leuius [a], & hominib⁹ acceptabilius, episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserabilius & tristius & damnabilius. Idē: Nihil est in hac vita, & maximè in hoc tēpore, difficilius & laboriosi⁹ & periculosius, episcopi, & presbyteri aut diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur quo noster imperator præcipit. Quis autem sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici: & eo tēpore quo discere cœperā, vis mihi facta est merito peccatorum meorum. nam quid aliud existimem nescio, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.

a lætius

ITEM Isidorus.

Corrumpitur & ad terram sacerdotium trahitur, nisi legaliter & iustè seruetur. 9

SIcut viri & mulieris digna coniunctio vnū facit matrimonium, & sicut duorum copulatio vnum perficit corpus: ita clericatus & sacerdotium vnum faciunt presbyterum: & electio & consecratio vnum facit episcopum: quæ omnia vnum faciunt corpus, quod citius corrumpitur & ad terram trahitur, nisi legaliter conseruetur, nisi iustè viuendo laudetur.

Tom. 4. ITEM Ambrosius cap. 4. libri de paradiso.

De eodem. 10

5. pars. ILlud autem animaduerte, quòd extra paradisum vir factus est, intra paradisum mulier: vt aduertas quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisq; gratiam comparat sibi. denique extra paradisum (hoc est in inferiori loco) vir factus melior inuenitur: & illa quæ in meliori loco (hoc est in paradiso) facta est, inferior inuenitur.

ITEM Gregorius episto. 57. siue cap. 169. lib. 6. ad Ciriacum episcopum Constantino.

Gratia non locus saluat animam. 11

a Quamlibet. QVælibet a occulta loca sine gratia animā saluare non possunt: quod aliquando in ipsis quoq; conspicimus erratis electorum. Nam Loth in ipsa peruersa ciuitate fuit iustus, in monte peccauit. Sed ista cur dicimus, cū maiora nouerimus? Quid enim paradiso iucūdius? quid cœlo securius? & tamen homo ex paradiso, & angelus de cœlo peccando cecidit.

Gene. 19. g

IDEM Gregorius homilia. 9. super Ezechielem lib. 1.

De eodem. 12

ADam primus homo pro peccato de paradiso eiectus est, hoc est, quia Dei nobilitatē à se deiecit, nobilitate loci priuatus est. ITEM Ioan. Chrys. homil. 43. ad cap. 23. Matth.

Non

Non est verus sacerdos omnis qui nominatur sacerdos. 13

MVlti sacerdotes, & pauci sacerdotes. multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo fratres quomodo sedetis super cathedram: quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus, est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit [cathedræ[a]] : qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, nõ dignitatem. in iudicio enim tuo sedes: si quidem bene vixeris, & bene docueris [populum instruis[b]:] si bene docueris, & malè vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene viuendo, & bene docendo, populum instruis quomodo viuere debeat. bene autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. Idem. Quicunque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, nec inter seruos Christi computabitur qui de primatu tractauerit: nec vnusquisque eorum festinet quomodo aliis maior appareat, sed quomodo omnib^9 inferior videatur: quoniam non qui maior fuerit in honore inter homines, ille est iustior: sed qui fuerit iustior, ille maior.

6. pars.

a ab illa

b pro inclus. omnium iudex es.

Chrys. hom. 35. ad c. Matt. 20.

VERSVS.

Sit modus in clero gressus vestisque cibique.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT ORNATI EXTERIVS.

DISTINCTIO XLI. 1

GRATIA.

" ECce quibus oporteat sacerdotem esse ornatũ moribus. Sed præterea oportet illum esse ornatũ in exterioribus, habitu videlicet & incessu. Habitu, vt nec fulgidis nec sordidis, se vestibus ornet. vt enim ait Hieronymus[a]: Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ delitiæ laudes pariunt.

" Quod tam de vestibus quàm de cibis intelligendum est. VNDE Augustinus ait in libro. 3. cap. 12. de doctrina Christiana.

a verba Hieron.

Hier. ad Nepotianũ de vita clericorũ et ad Eustochium de custo. virg.

Pro moribus eorum cum quibus viuimus, etiam vti debemus alimẽtis. 2

QVisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quàm sese habent mores eorum cum quibus viuit, aut intemperans, [b] aut superstitiosus est. quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat: aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus nõ vsus rerum, sed vtentis libido in culpa est. Quod igitur locis, & temporibus, & personis conueniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. fieri enim potest, vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis preciosissimo cibo sa-

b quidã legit tẽperans. sed Gratia. postea in f. huius dist. iterũ dicit intẽperans

 bo sa-

Lucæ vlt. bo sapiens vtatur: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in
Genes. 25. vilissimum olus ardescat, & sanius quisque maluerit more domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau nepotis Abrahæ, aut ordeo more iumentorum. Non enim propterea cõtinentiores nobis sunt pleræq; bestiæ: quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus huiuscemodi rebus non ex earum rerum natura quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum est quod facimus.

ITEM Augustinus super epistolam Ioannis.

Non cibus sed appetitus in culpa est. 3

DEliciæ quælibet si absque desiderio percipiantur, non officiunt: & viles cibi appetenter accepti impediunt profectũ
1.Reg. 23. & abstinentiæ. Dauid enim aquam malè concupitam effudit, &
3.Reg. 17. a Helias carnes comedit. IDEM Augustin. in lib. de verbis domini, sermone v. secundum Matthæum.

Contra suæ infirmitatis consuetudinem aliquibus cibis diuites vti non cogantur. 4

NOn cogantur diuites pauperum cibis vesci. vtantur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse sustentari. Si consuetudinem mutant, ægrotant. Vtantur superfluis, dent inopibus necessaria. Vtantur preciosis, dent pauperibus vilia.

IDEM in lib. quæstionum euangeliorum, quæst. 1. lib. 2.

Aequanimitas tolerandi non vsus vel abstinentia cibi iustitiam facit. 5

Matth. 11. QVod dicit Dominus in euangelio, iustificata est sapientia
Luca 7. ab omnibus filiis suis: ostendit filios sapientiæ intelligere nec in abstinendo nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam & temperantiam: per abundantiam non se corrumpendi, atque opportunè sumendi vel non sumendi ea quorum non vsus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas vt succurras necessitati corporis, dummodo cõgruat in generibus alimentorum his cum quibus tibi viuendum est, neque quantum sumas interest multum: cùm videamus aliorum stomachum citius saturari cibis: & eos tamẽ illi ipsi paruo quo satiãtur, ardẽter & intolerabiliter & omnino turpiter inhiare: alios autẽ paulo plus poculo quidem saturari, sed to-
a tolerabilius lerabiliter [a] inopiam perpeti: vel ante[†] horam positas epulas,
† ora. si id in tempore aut opus sit aut necesse sit, cum trãquillitate aspicere, neq; tangere. Magis ergo interest nõ quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personę suæ, & pro suæ valetudinis necessitate quis accipiat: sed quan
b al. serenitate ta facilitate & seueritate [b] animi careat, cùm his vel oportet vel necesse est carere: vt illud in animo Christiani complea-

tur

tur quod apostolus dicit: Scio & minus habere: scio & abundare, vbique & in omnibus imbutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. *Philip.4.c.*

ITEM ex concilio Gangren. cap.21. seu vlti.

Temperantia ciborum & vestium, non dissolutio eorum laudatur. 6

PArsimoniã cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum præter corporis diligẽtiam infucatum laudamus: dissolutos autem & fractos vestibus & incessu nõ recipimus; pietatem in priuatis domibus non includentes omnẽ locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem in ecclesia Dei factam ad vtilitatem communem recipimus, & bona opera quæ supra vires in fratres pauperes exercentur, secundum ecclesiasticas traditiones beatificamus, & omnia quæ conueniunt traditionibus apostolicis, & sanctarum scripturarum præceptis, in ecclesia fieri exoptamus. *Epi. 24. ad Ioan. episc.*

ITEM Gregorius.

Sub specie virtutum sæpe se vitia ingerunt. 7

SAepe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur. vt tenacia [a], parcimonia, effusio, largitas, credulitas, zelus iustitiæ, remissio, pietas velit videri. *a leg. tenacitas*

ITEM ex concilio Cartha.4. cap.17.

Meritis fidei & vitæ, non diuitiis episcopalis auctoritas quæritur. 8

EPiscopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatẽ, fidei & vitæ meritis quærat: hospitium quoque non longè ab ecclesia habeat.

ITEM ex eodem, cap. 45.

De eodem. 9

CLericus professionem suam, & habitu, & incessu probet; & ideo nec vestibus nec calciamentis decorem quærat. GRATIA.

„ Sicut ergo in cibis mores eorum cum quibus viuimus, obseruare monemur: sic & de indumentis intelligendum est. vt enim alibi dicitur: quisquis contemptis his cum quibus viuit, lautiora sibi vel austeriora præ cæteris indumenta vel alimẽta quærit: aut intemperans sui, aut superstitiosus est. In incessu autem debet esse sacerdos ornatus, vt grauitate itineris, mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (vt Augustinus ait) inæqualitatem indicat mentis. Vnde historiographus ille cùm eius mutabilitatem describeret, cuius conscientia excitata curis mentem vastabat: inter cætera hoc etiam notabile indicauit dicens: Incessus eius modo citus, modo tardus.

VERSVS.

Qui vult præsens, debet bonus hospes haberi.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT HOSPITALES.

DISTINCTIO XLII. I

GRATIA, Matth. 25.

HOspitalem verò sacerdotem esse oportet, ne sit de numero eorum quibus in iudicio dicetur: Hospes fui, & non suscepistis me. Qui enim Apostolum secutus fuerit, alios ad hospitalitatem debet inuitare. Quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim sacerdos primùm à seipso, & à domestica sua ecclesia debet exigere quod postea populis imperet, si primùm imitando Christum ipse debet facere quæ postea populũ doceat: necesse est vt pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat. Ordinandus itaque sacerdos ad memoriã reuocet quomodo Abraham & Loth per hospitalitatis opera deo placere, & angelos hospitio meruerunt recipere: & quomodo angeli Sodomis hospitalem domum ingressi, Loth cum familia sua liberauerunt: quomodo clausas domos cum hospitibus ignis ingressus perdiderit. Quomodo etiam secundum Hieronymum aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur: ac si per opera omnia pietatis se instituat, vt & præsentis vitæ subsidia, & æternæ claritatis præmia à Deo percipiat. vtrunque enim pietati promittitur. Vnde Apostolus scribens ad Timotheum ait: exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis quidem exercitatio ad modicũ vtilis est, pietas autem est vtilis ad omnia, habens promissionem vitæ quę nunc est, & futuræ. Ab hac quisquis alienus fuerit, in sacerdotem ordinari nõ poterit. Si enim vidua ab ecclesia recipi prohibetur, quæ pauperes nõ recipit hospitio, quæ pedes sanctorum non lauit, quæ omne opus bonum non est executa: multo magis sunt prohibendi à sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Vnde quidem hospitalitatis opera despicientes, in Gangrensi concilio cap. 11. excommunicantur. sic enim in eo statutum est.

Hiero. in regula monachorũ. c. de paupertate.

1. Timo. 4. b

Non sunt despiciendi qui conuiuia pauperibus exhibent. 2

SI quis despicit eos qui fideliter agapas, id est conuiuia pauperum exhibent, & propter honorem domini conuocant fratres: & noluerit communicare huiuscemodi conuocationibus paruipendens quod geritur, anathema sit.

GRATIA.

Hinc etiam Ioannes euangelista in epistola sua iij. quendam Diotrephen excommunicauit, qui nec pauperes recipiebat, & recipientes de ecclesia deiiciebat.

In

In hospitalitate autem non est habēdus delectus personarum,
" sed indifferenter quibuscunque sufficimus, hospitales nos ex-
" hibere debemus.
" VNDE Ioannes Chrysostomus homilia II. ad cap. 6. epistolæ ad Hebræos.

In recipiendis hospitibus nulla debet esse distinctio. 3

QVIescamus ab hac absurda curiositate & diabolica, & [a] peremptoria. Si enim in clero se electum esse dicat, si sacerdotem se nominet, scrutare. non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est. Circa maiora maius periculum vertitur. non enim das, sed accipis. Si verò pro nutrimento postulat, ne in his examines: inquire quomodo Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat. si scrutator [b] esset circa refugientes ad se, nunquam angelos hospitio recepisset. fortassis enim non putasset eos angelos, sed cum reliquis [c] repelleret: sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & angelos. Non enim ex vita eorum quos accipis, mercedem tibi retributurus est deus, sed ex voluntate & [d] honorificentia multa, & misericordia & bonitate.

a perniciosa. legend.

2. *pars.*

b fuisset. legen.

c repulisset.

d leg. beneficentia.

Sed licet ipsa conuiuia despicienda non sint, tamen non in ecclesiis celebrari, nec clericos ad ea conuocatos partes ex eis sibi tollere oportet. VNDE in Laodicen. concilio, cap. 27.

3. *pars.*

Clerici ad agapen vocati, partes sibi non tollant. 4 Cap. 28. eiusdē concil. Laodic.

NOn oportet ministros altaris vel [g] quoslibet [g] clericos, *aut laicos* ad agapen vocatos partes tollere; propter iniuriam quæ ex hac occasione ecclesiastico ordini poterit deputari.

In locis deo dedicatis nec comedere, nec accubitus sternere liceat. 5

NOn oportet in basilicis seu in ecclesiis agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere [g] non licet. [g]

ITEM ex concilio Carthag. iiij.

Nisi necessitate coacti clerici in ecclesia non conuiuentur. 6 Cap. 30. concil. Carthag. 3.

NVlli episcopi vel clerici in ecclesia conuiuentur: nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. populi etiam ab huiusmodi conuiuiis (quantum potest fieri) prohibeantur. ITEM ex dictis beati Benedicti abbatis.

4. *pars.* Ex regula S. Benedicti.

DE eodem. 7 *Palea.*

ORatorium hoc sit quod dicitur: nec ibi quicquam aliud [e] geratur vel [f] condatur quàm quod diuinis [g] ministeriis conueniat. ITEM August. epist. 109. ad monachas. 8

e *quaratur.*

f *tradatur.*

g *laudibus. rectè.*

IN oratorio præter orandi & psallendi cultum penitus nihil agatur, vt nomini huic & opera iugiter impensa concordent.

VERSVS.

Verbis & factis clerum docet esse pudicum.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI PVDICI SINT, ET DOCTORES.

DISTINCTIO XLIII.

GRAT. PVdicus quoque debet esse sacerdos, vt & moribus & verbis pudorem indesinenter exhibeat. Vnde in canticis canticorum genæ sponsæ, id est prædicatores, turturi comparantur. Debet etiam gratiam docendi habere: quia vt Hieron. ait, *innocentis absque sermone conuersatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. nam latratu canum, & baculo pastorum lupi sunt arcendi. " " " " " " "

Cantic. 5.c

HIERON. Ad Oceanum de vnius vxoris viro.

GRAT. *In ipsa autem doctrina discretum oportet esse rectorem, ne aut tacenda proferat, aut dicenda taceat. " "

VNDE Gregorius in iiij. cap. sui pastoralis parte ij. ait.

De discretione prædicationis & silentij. 2

SIt rector discretus in silentio, vtilis & cautus in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentiũ eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe nanque rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt: quia veniente lupo fugiunt dum se sub silentio abscondunt. Hinc nanque eos per prophetam dominus increpat, dicens in Esaia: Canes muti, non valentes latrare. Hinc rursus quæritur dicens [in Ezechiele:] Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel vt staretis in prælio in die domini. Ex aduerso quippe ascẽdere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire. Et in die domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere. Pastorem enim recta timuisse dicere, quid est aliud quàm tacendo terga præbuisse? qui nimirum si pro grege se obijcit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursus delinquenti populo dicitur in Hieremia: Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Prophetæ quippe in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur: qui dum fugitiua esse præsentia indicant, quę futura sunt manifestant. quos diuinus sermo falsa videre redarguit: quia dum culpas corripere metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blãdiuntur, qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt: quia ab increpationis voce conticescunt. Clauis quippe apertionis, est sermo correctionis,

Ioan. 10.c

Esa. 56.d

Ezech. 13.a

Thren. 2.

quæ

quæ increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetrauit. Hinc etiam Paulus ait ad Titum: Vt potens sis in doctrina sana exhortari, & eos qui contradicunt, redarguere. Hinc per Malachiam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Hinc per Esaiam dominus monet dicens: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit quisquis ad sacerdotium accedit, vt ante aduentum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet declamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam tibi clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod in actibus Apostolorum legitur: Super pastores primos in linguarum specie spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleuerit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur in Exodo, vt tabernaculum sacerdos ingrediens tintinabulis ambiatur: vt videlicet prædicatoris voces habeat, ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: Vt audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu domini, & non moriatur. Sacerdos nanque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Aptè autem tintinabula vestimentis illius describuntur inserta. vestimenta enim sacerdotis quid aliud quàm recta opera debemus accipere? Propheta testante qui ait in psalmis: Sacerdotes tui induantur iustitia. Vestimentis itaque illius tintinabula inhærent, si vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament. Sed cum rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur attendat: ne si inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere corda audientium feriantur, & cùm fortasse sapientem se videri desiderat, †virtutis compagem insipienter abscindat. Hinc nanque veritas dicit in Marco: Salem in vobis, & pacē habete inter vos. per salem quippe verbi sapientia designatur. Qui ergo loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne eius eloquio audientium vnitas confundatur. Hinc Paulus ait ad Romanos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hinc in Exodo in sacerdotis veste iuxta diuinam vocem tintinabulis mala punica coniunguntur. Quid ergo per mala punica, nisi fidei vnitas designatur? Nam sicut in malo punico vno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ ecclesiæ populos vnitas fidei contegit, quos intus diuersitas meritorum tenet. Ne igitur rector incautus ad loquendū prorūat: hoc quod iam prēmisimus, per semetipsum veritas discipulis clamat in Marco: Habete salem in vobis, & pacem

ad Tit. 1. b *Malach. 2. b* *Esa. 58. a* *Act. 2. b* *Exod. 28.* *Psalm. 136.* *†vnitatis.* *Marc. 9.* *Roman. 12. a* *Exod. 28. f* *Marc. 9. g*

pacem inter vos. ac si figuratè per habitum sacerdotis dicat: Mala punica tintinabulis iungite, vt per omne quod dicitis, vnitatem fidei cauta obseruatione teneatis. Prouidendum quoque est solicita intentione rectoribus, vt ab eis non solum praua nullo modo, sed nec recta quidē nimiè & inordinatè proferantur: quia sæpe dictorum virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitas incauta opportunitate leuigatur: & auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, qui seruire auditoribus ad vsum profectus ignorat. Vnde bene per Moysen dicitur in Leuitico: Vir qui fluxum seminis patitur, immundus erit. In mente quippe audiētium semen futuræ cogitationis est audita æqualitas locutionis: quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Vnde & ab huius mundi sapientibus in Actibus Apostolorum prædicator egregius seminiuerbius est vocatus: qui ergo fluxum seminis sustinet, immundus asseritur: quia multiloquio subditus, ex eo sese inquinat; quod si ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis ædere in audiētium corde potuisset: dúmque incautus per loquacitatem defluit, non ad vsum generis, sed ad immunditiam semen fundit. Vnde Paulus quoque cùm discipulum de instantia prædicationis admoneret, dixit ad Timotheum epistola secunda: Testificor coram deo & Christo Iesu qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnū eius: prædica verbum, insta opportunè & importunè, dicturus importunè, præmisit opportunè: quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua vtilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit. ITEM [Origenes.]

Leuit. 15. a

Act. 17. d

2. Timoth. 4. a

Clemēs papa I. epist. 3. id habet in fine. 2. pars.

Porcis, & canibus sacra non sunt committenda. 3

IN mandatis habemus vt venientes ad ciuitatem discamus prius, quis in ea dignus sit, vt apud eum cibum sumamus: quanto magis nosse oportet quis qualisve sit is, cui immortalitatis verba credēda sunt? Soliciti enim debemus esse ne margaritas nostras mittamus ante porcos. Sed ob alias causas vtile est viri huiusmodi habere notitiam. Si enim sciam, quia in his de quibus non potest dubitari quòd bona sint, emendatus est & inculpabilis, hoc est, si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis & humanus est: (quæ vtique bona esse nullus ambigit) tunc consequens videbitur vt ei qui obtinet bona virtutum, etiam quod deest fidei & scientiæ, conferatur: & in quibus maculari eius vita videbatur, quæ est in reliquis probabilis, emendetur. Si verò in his quæ palam sunt, peccatis inuolutus permanet & inquinatus: non me oportet aliquid de secretioribus & remotis diuinæ scientiæ proloqui, sed magis protestari & conuenire illū vt peccare desinat, & actus suos à vitiis emendet. Quòd si ingesserit se, & prouocauerit nos dicere ea quæ eum minus

Matth. 7. a

rectè agentem non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere. nam nihil omnino respondere, auditorum causa vtile non videtur, ne fortè existiment nos responsionis penuria declinare certamen: & sic fides eorum lædatur, non intelligentiũ propositum nostrum. ITEM Anacletus. Epist. 1. omnibus episcopis.

Verba prædicationis persecutoribus suis prælati non subtrahant. 4 3. pars

SCimus autem multos ob id infestare doctores suos, vt eos perdant, & placita propriæ voluntatis adimpleant: non propterea tamen doctores (inquantum vires suppetunt) à recta æmulatione & bona intentione recedere debent: scientes quia beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Matth. 5.

ITEM Gregorius Venantio episcopo. Epist. 33. lib. 1. Venantio cancellario Italiæ.

Non est mundus à sanguine subiectorum, qui dei consilium illis non annunciat. 5

EPhesiis Paulus dicit: Mundæ sunt *hodie* manus meæ à sanguine omnium vestrûm. non enim subterfugi quo minus annunciarem omne consilium dei vobis. Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis dei consilium annunciare noluisset, quia cùm increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit. ITEM Nicolaus papa. Act. 20. f

Nicol. papa 1. ad Michaelem imperatorem.

Aeternæ damnationis pœnam incurrit prædicator, qui semen verbi dei non spargit. 6

DIspensatio est nobis cœlestis seminis iniuncta: væ si non sparserimus: væ si tacuerimns. quod cùm electionis vas formidet, & clamet: quanto magis cuilibet exiguo metuendũ est? proinde sicut non leue discrimen incumbit pontificibus siluisse quod congruit, ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui cùm debeant, parêre despiciunt.

4. pars. GRATIA.

„ Pariter quoque obseruare debet sacerdos ne indignis & nõ intelligentibus secreta mysteria sua prædicatione reserare incipiat. Qui enim ea docet quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, sed sui ostentationem facit. Vnde in expositione Beati immaculati, dicitur: Vitium animi est indignis secreta vulgare. quod fit vel loquacitate incauta, dum sine iudicio volat irreuocabile verbum: vel adulatione, vt ei placeat cui secreta reuelat: vel iactatione scientiæ, vt plura scire videatur. In quibus omnibus profectò datur intelligi quanta debet esse discretio in prædicatione sacerdotis: qua si fortè caruerit, tanquam torto naso sacerdotalis officij iudicatur indignus.

In glossa ordinaria quæ est ex Ambr. serm. in psalm. 118.

VER-

VERSVS.

Esuries non ingluuies sit præsulis vsus.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI NON SINT VINOLENTI.

DISTINCTIO XLIIII.

GRAT. CVm autem vinolentus esse prohibetur, gulæ intemperantiam nequaquam habere permittitur. neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur, vtrumque enim inter opera tenebrarum Apostolus commemorat, scribens Romanis: (*Rom. 13. d*) Non in comessationibus & ebrietatibus. ventris nanque ingluuies ad luxuriam prouocat facile, & omne opus bonum dissoluit. Vnde Hieronymus: (*ad Amandum & Au. ser. 65. de tempore qui est 2. dominica prima quadragesimæ hic in commen. ad ca. 3. Michea.*) Venter & genitalia sibimetipsis vicina sunt, vt ex vicinitate membrorum cō fœderatio intelligatur vitiorum. Hinc Nabuzardam princeps cocorum muros Hierusalem destruxisse legitur: quia venter cui multitudo cocorum deseruit, ædificia virtutum ad solum redigit. Sacerdos itaque de altari viuere, non luxuriari quærat. vnde ait Hiero. Tibi, ô sacerdos, de altari viuere, non luxuriari permittitur. Sunt autem comessationes non solum sacerdotibus sed etiam laicis noxiæ, qui festiuos & solennes dies non aliter se dignè celebrare putāt, nisi comessationibus deseruiāt.

(*Epist. 64.*) VNDE August. scribit ad Aurelium episcopum.

Non est vacandum comessationibus & ebrietatibus. 2

COmessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem beatissimorum martyrum non solum per solennes dies (quod vnusquisque lugendum videat qui hęc non carneis oculis inspicit) sed etiam quotidie celebrentur. Et post pauca: Non ergo asperè (quantum existimo) non duriter, non modo imperioso ista tollūtur: sed magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando: sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum, & si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram: ne nosipsi in nostra potestate, sed deus in nostro sermone timeatur. Itaque prius monebuntur spirituales, aut spiritualibus proximi: quorum auctoritate & lenissimis quidem & instātissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur.

(*Cap. 24.*) ITEM ex concilio Laodicensi.

Nulli clericorum aut continentium licet tabernas intrare. 3

NOn oportet clericos seruientes à presbyteris vsque ad diaconos, & deinceps ordinis ecclesiastici omnes vsque ad ministros, aut lectores, aut exorcistas, aut ostiarios, aut psalmistas, aut etiam eos qui in proposito continentiæ sunt, tabernas [nisi causa necessitatis] intrare.

(Hoc deest, sed additur à Grat. propter cap. 5. infra e.)

ITEM

ITEM ex sexta [a] synodo.

Deponatur clericus qui tabernam aut ergasterium habere voluerit. 4

NVlli clerico licet [b] tabernam aut ergasterium habere. si enim huiusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur. ITEM ex concil. Carthag. iiij.

Nisi necessitate compulsi clerici tabernas non ingrediantur. 5

CLerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

ITEM Gregorius Natali episcopo.

Corripiendus est episcopus qui conuiuijs occupatur. 6

MVltis ab vrbe tua venientibus, frater charissime, didici pastorali cura derelicta, solis te conuiuijs occupatum: quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis probarem. Nam quia nequaquã lectioni studeas, nequaquã exhortationi inuigiles, sed ipsum quoque vsum ecclesiastici ordinis ignores: hoc est in testimonium, quod his sub quibus es positus, seruare reuerentiam nescis. IDEM ad eundem.

De eodem. 7

COnuiuia communia quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, rectè vestra fraternitas in suis epistolis laudat: sed tamen sciendum est: quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur: nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes secularium negociorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cùm non plus quàm necesse sit seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. hæc itaque si vos in vestris conuiuijs agitis, abstinentium* (fateor) magistri estis. ITEM ex concilio Nanetensi.

Palea. 8

NVllus presbyterorum quando ad anniuersarium diem xxx. aut vij. vel iij. alicuius defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam conuenerit, se inebriare vllatenus præsumat: nec precatus amore sanctorum vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus incõditos & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat: aut turpia ioca vel vrso vel tornatricibus ante se fieri patiatur: nec laruas dæmonum ante se ferri consentiat: quia hoc diabolicum est, & sacris canonibus prohibitum.

ITEM ex eodem.

De eodem. 9 *Palea.*

QVando autem conueniunt presbyteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat: & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes: & per vices cibum & po-

tum

---

a Ca. 9. 6. synodi in Trullo.

b Forte leg. tabernarium habere ergasterium.

Cap. 27. concil. Carthag. 3. epi. 14. lib. 2.

2. pars.

Gregor. epi. 37. lib. 2. ad Natalem episcopum.

* *abstinentiæ.*

tum benedicant: & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant ad exemplum domini, sicut in cœna fecisse legitur: & se contineant omnes presbyteri maximè in talibus locis: vt non vituperetur ministerium eorum. ITEM ex eodem.

De eodem. 10 *Palea.*

QVando presbyteri per calendas simul conueniunt post peractum diuinum ministerium ad necessariam collectionem: non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium ibi ad tabulas resideant: ne per talia inhonesta conuiuia se inuicem grauent: quia indecēs est & onerosum: sæpe etiam tardè ad ecclesiam redeuntes maius damnum de reprehensione consequuntur (quod de grauedine mutua cōtrahunt) quàm lucrum ibi faciant. nam de huiusmodi conuentu Paulus Co-
1. Corint. 11. rinthios reprehendit: quia inconuenienter cœnam dominicā manducare conueniebant. Sic & qui ad cœnam dominicam, id est, ad collationem verbi sub occasione conueniunt, & ex ingluuie ventris causa coniunguntur: reprehensibiles coram deo & hominibus habentur: & ideo peractis omnibus qui volunt panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant: & singuli singulum bibere faciant: & maximè vltra tertiam vicem poculum non contingant: & sic ad
Cap. 55. ecclesias redeant. ITEM ex concil. Laodicen.

Christiani ex symbolis conuiuia non celebrent. 11

3. pars. inclus. desunt NOn oportet ministros altaris vel quoslibet clericos, aut etiam laicos Christianos ex symbolis [quæ vulgus comessalia appellat] conuiuia celebrare.

Cap. 7. ITEM ex concilio Tolet. iiij.

Sacrarum scripturarum lectio sacerdotalibus semper conuiuiis misceatur. 12

PRo reuerentia dei & sacerdotum id vniuersa constituit synodus, vt (quia solent crebro mensis ociosæ fabulæ interponi) in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum immisceatur. per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.

Cap. 62. lib. Martini Brach. pi. de syno. Græcorum. ITEM ex concilio Martini papæ.

De confertis nec conuiuia facere, nec ante horam diei tertiam clericis comedere licet. 13

NOn liceat sacerdotes vel clericos, sed nec religiosos laicos conuiuia facere de confertis.

†Cap. 66. eiusdem. †Nec oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia: nec aliquando clericos non hymno dicto comedere panem: & post cibos gratiam auctori deo referre.

GRAT. Si ergo laicis comessationes damnabiles sunt, multo magis

gis sacerdotibus imputantur ad gehennam. venter enim pinguis (vt Hieron. ait) crassum sensum generat, cùm sacerdotalis sensus econtra vigil esse debeat & tenuis: atque ideo edacitatis vitio obnoxij in sacerdotes vngi non debent. Hi enim (vt ait Gregorius in Moral.) qui adhuc vitiorum bello subiacent, nequaquam per prædicationis vsum præesse magisterio cæterorum debent.

Hieron. ad Nepotianum.

Gregor. cap. 12. lib. 23. expositionis in Iob.

VERSVS.

Non sis percussor si vis bonus esse sacerdos.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI NON SINT PERCVSSORES, SED MODESTI.

DISTINCTIO XLV.

GRAT.

" SEquitur: NON PERCVSSOREM. non enim oportet episcopum ita esse irascibilem & perturbati sensus, vt percutiat, qui debet esse patiẽs: sed sequatur eum qui dorsum posuit ad flagella.

VNDE Gregorius scribit Ioanni episcopo Constantinopolitano.

Epist. 52. & cap. 91. lib. 2.

Verborum correctione, non verberibus timeri debet episcopus. 2

QVid autem de episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant: bene fraternitas vestra nouit. pastores enim facti sumus, non percussores. egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Noua verò atque inaudita est ista prædicatio quæ verberibus exigit fidem. ITEM in quodam concilio.

De eodem. 3

NEminem quisquam peccantem clericum cæde attingat: non presbyter diaconum, non episcopus clericum vel seruitorem ecclesiæ ad cædem perducat. quod si ita causa exigit, id est si incorrigibilis extiterit clericus, triduo priuetur honore, vt pœnitens redeat ad matrem ecclesiam.

ITEM Gregor. Paschasio episcopo Neapolit.

Epist. 14. libri 11.

Non asperis, sed blandis ad fidem verbis sunt aliqui prouocandi. 4

QVi syncera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis debent non asperitatibus studere: ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat reuocare, pellat procul aduersitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui voluerint cultura remouere, suas illic magis quàm dei causas probantur attendere. Iudæi siquidem Neapolim habitantes questi sunt nobis asserentes, quòd quidam eos à quibusdam feriarum suarum solennitatibus irrationabiliter nitantur arcere: ne illis sit licitum festiuitatũ suarum solennia colere, sicut eis nunc vsque & parentibus eorum longis retro tempori-

bus licuit obseruare. quòd si huius rei veritas ita se habet, superuacuæ rei videntur operam dare. Nam quid vtilitatis est quando etsi contra longum vsum fuerint vetiti, ad fidei illius conuersionem nihil proficit: aut cur Iudæis qualiter ceremonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus? Agendum est ergo vt potius ratione & man suetudine prouocati sequi nos velint, nō fugere: vt eos, ex eorū codicibus ostēdentes quæ dicimus, ad sinū matris ecclesię deo possimus auxiliante conuertere. Itaque fraternitas tua eos monitis prout poterit deo adiuuante ad conuertendum accēdat, & de suis illos solennitatibus inquietari denuo non permittat: sed omnes festiuitates feriasque suas (sicut hactenus tam ipsi quàm parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt) liberam habeāt obseruandi celebrandique licentiam.

ITEM vniuersis episcopis per Galliam, & Europam, & Germaniam constitutis.

Non seueritate sed beneuolentia subditos prælati corripiant. 5

LIcet plerunque accidant sacerdotibus quæ sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigēdos agat beneuolētia quàm seueritas, plus cohortatio quàm comminatio, plus charitas quàm potestas: cùm nemo nostrum sine reprehensione, aut sine peccato viuat. Nam si dominus statim post trinā negationem beatum Petrum apostolum præceptorem nostrum iudicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset. Expectādi ergo atque corrigēdi magis sunt rectores ecclesię, quàm statim iudicandi. Vnde necesse est quæque negocia ecclesiastica post multarū experimenta causarū solicitius perspici, & diligentius pręcaueri: quatenus per spiritum charitatis & pacis omnis materies scandalorū, & præsumptio inuidorum, atque oppressio simplicium fratrum de ecclesiis domini auferantur. Et sicut non vult quisquā fratrū se aliorum iudicio prægrauari: ita non audeat alij inferre quod sibi non vult fieri.

GRAT. Iudæi non sunt cogendi ad fidem: quam tamen si inuiti susceperint, cogendi sunt retinere. "

Cap. 56. concil. Tolet. 4. VNDE in Tolet. concil. statutum est. *anno Christi* 645.

Sicut non sunt Iudæi ad fidem cogendi, ita nec conuersi ab ea recedere permittuntur. 6

Ex mag. Iuone pa. 1. — Roman. 9. d — a cuius

DE Iudæis autem pręcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credēdum vim inferri. [a] cui enim vult deus miseretur, & quem vult, indurat. non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volētes, vt integra sit forma iustitiæ. sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se gratia dei, propria mentis conuersione quisque credēdo saluatur: ergo non vi, sed libera arbitrij sui voluntate & facultate vt cōuertantur, suadendi sunt, non [potius] impellendi. Qui autem iam

Iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est tẽporibus religiosissimi principis [a]Zizebuti, quia iã constat, eos sacramentis diuinis associatos & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate vnctos esse, & corporis domini extitisse participes: oportet vt fidẽ quam etiam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogãtur, ne nomen domini blasphemetur, & fides quã susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

a Sisebuti, sub eo floruit Isidorus. al. apud I nomen legend. Sisemandi.

ITEM Leo papa episcopis.

Beneuolentia plusquam seueritas erga corrigendos agat. 7

Epist. 82. Leo papa 1. Anast. episc. Thessal.

LIcet nonnunquam accidant quæ in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis: plus tamen erga corrigẽdos agat beneuolentia quàm seueritas, plus exhortatio quàm cõminatio, plus charitas quàm potestas, sed ab his qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi, facilè ab hac lege disceditur, & dũ dominari magis quàm cõsulere subditis *queãt*, [b]placet honor, [c]inflat in superbiam, & quod prouisum est ad concordiã, tendit ad noxam. ITEM ex canone apostolorum.

b honor placet, inflat superbia, &c. vt hic.

Deiciatur ab officio presbyter & diaconus & episcopus verberibus timeri quærens. 8

Cap. 28. iuxta veterem translationem.

EPiscopum, aut presbyterum, aut diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per huiusmodi volentem timeri, deiici ab officio suo præcipimus, quia nunquam nos docuit hoc dominus, sed econtrario ipse cùm percuteretur, non repercutiebat: cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.

ITEM ex concilio Bracha. *circa annum Christi 670.*

Non verberibus, sed verbis subditos episcopi corripiant. 9

Cap. 6. concil. Brach. 3.

CVm beatus Paulus apostolus arguere & obsecrare vel increpare in omni bonitate & patientia præcipiat, extra hãc doctrinam nouimus quosdam ex fratribus tantis cædibus inhonoratos efferuescere, quantas poterãt latrocinantiũ promereri personæ: & ideo qui gradus iam ecclesiasticos meruerũt, id est, presbyteri, abbates, [b]siue leuitę, qui exceptis grauioribus & mortalibus culpis, nullis debent verberibus subiacere, non est dignum vt passim vnusquisque prȩlatus honorabiliora mẽbra sua prout voluerit, & ei placuerit, verberibus subiiciat & dolori: ne dũ incautè subdita percutiat membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat, iuxta illud quod quidam sapiens dicit: Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiæ increpatio nec increpationem recipit nec salutem. Et ideo si quis aliter quàm dictum est, prædictos honorabiles subditos licentia perceptæ potestatis elatus malitia animi tantum crediderit verberãdos, iuxta modum verberum quæ intulerit, excommunicationis pariter & exilij sententiam sustinebit.

2. Timoth. 4.

b &

2. pars. GRAT. Prouerb.23.b Cap.4.lib.2. Dialog. Ioan.2.c. 1.Corinth.5. Elymam.

Salomon verò econtra admonet dicens: Percute filium tuũ virga,& liberabis animam eius à morte. Hinc etiam beatus Gregorius scribit in dialogo,beatum Benedictum quendã monachum virga percutiendo sanasse, quem crebra admonitione curare nõ poterat. Hinc etiam dominus flagello facto de funiculis malè versantes in templo flagellauit, & de orationis domo eiecit. Hinc etiam Apostolus fornicatorem illum satanæ corporaliter vexandum tradidit: & magum *illum corporali cæcitate damnauit. Hinc etiam in canonibus pueri qui ante rationales annos irrationabiliter versantur,verberibus castigari iubentur. Virgines quoque si religionis veste deposita aliis se copulauerint,ergastulis retrudi præcipiuntur.

HINC etiam Gregor. in moralibus 20.lib.parte 4.cap.6.

Disciplina non est seruanda sine misericordia, nec misericordia sine disciplina. 10

Gregor.c.6. lib. 20.ad cap.29. Iob. † consolans. a sæuiens

DIsciplina vel misericordia multũ destituitur si vna sine altera teneatur,sed circa subditos inesse debet rectoribus & iustè †consules misericordia, & piè [a]seruiens disciplina. Hinc est quòd semiuiui illius vulneribus qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum:vt per vinũ mordeantur vulnera,per oleum foueantur: quatenus vnusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat;in oleo mollitiem pietatis. Per vinum mundantur putrida; per oleum sananda fouentur. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate,faciendumque quoddam ex vtraque temperamentũ,vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat,in qua cum tabulis virga simul & mãna est, quia cùm scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis:sit & mãna dulcedinis. Hinc etiã Dauid ait: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur,& baculo sustentamur. [b]Sit ergo districtio iustitiæ,quæ feriat:sit & cõsolatio baculi,quæ sustẽtat. Sit itaque amor,sed non emolliens:sit rigor,sed non exasperãs: sit zelus, sed non immoderatè sęuiens:sit pietas,sed non plusquàm expediat parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiam simul cum seueritate sociatã. Videamus amantẽ piè, & districtè sæuiẽtem. Certè cùm Israeliticus populus ante dei oculos pene inueniabilem contraxisset offensam, ita vt eius rector audisset:Descende,peccauit populus tuus, ac si ei diuina vox diceret:Qui in tali peccato lapsus est,meus nõ est. atque subiungeret:Dimitte me,vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos:faciamque te in gentem magnam: ille semel & iterũ pro populo cui præerat obicem se ad impetum dei irascentis opponens ait:Aut dimitte eis hanc noxam,aut si non facis,de-

2.Paral.5. Psalm.22. b Si ergo est, &c. Ibid.Greg. continuo. Exod.32.b.

le

le me de librò tuó, quem scripsisti. Pensemus ergo quibus visceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petiit. Sed tamen iste qui tanto amore eius populi cõstringitur: contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt culpæ veniam ne delerentur obtinuit, zelo rectitudinis succensus inquit: Ponat vir gladium super femur suũ, ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, vxorem, & amicum, & proximũ suum. ceciderũtque in illo die quasi xxiij. milia hominum. Ecce qui vitam hominũ etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit igne amoris, foris accensus est zelo seueritatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram domino morti offerre non dubitaret: tanta seueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persecutus est quos amauit, vt eos etiam domino parcente prosterneret. Vtrobique legatus fortis, vtrobique admirabilis mediator, causam populi apud deum precibus, causam dei apud populũ gladiis allegauit. Intus amans diuinæ iræ supplicando obstitit, foris sæuiens culpam feriendo consumpsit. In regimine ergo vtrũque Moyses miscuit, vt nec disciplinæ deesset misericordia, nec misericordiæ disciplina. Vnde in Iob iuxta vtranque virtutem dicitur: Cumque sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Sedere quippe circunstante exercitu, vigor est [a] disciplinæ regiminis: mœrentium verò corda consolari, est ministerium pietatis. [b] IDEM.

Exod. 32. f

Iob. 29. d.

a ac disciplina.
b Isidorus.
Isid. c. 54 li. 3. de summo bono id habet.

Iustè iudicans misericordiam cum iustitia seruat. 11

OMnis qui iustè iudicat, stateram in manu gestat. In vtroque penso iustitiam & misericordiam portat: sed per iustitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccati tẽperat pœnam, vt iusto libramine quædam per æquitatem corrigat: quædam verò per miserationem indulgeat. Qui dei [c] iustitiam oculis suis proponit, semper timens & tremens in omni negocio formidat, ne de iustitiæ tramite deuians cadat: & vnde non iustificatur, inde potius condemnetur.

c al. Iudicia

ITEM August. in enchiridio cap. lxxij.

Qui remittit, & qui corripit, vterque miseretur. 12

ET qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non solum in eo quòd dimittit ex corde atque orat, verũ etiam in eo quòd corripit, & aliqua emẽdatoria pœna plectit, eleemosynam facit, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis quando eorum consulitur vtilitati, nõ

voluntati, quia ipsi inueniuntur sibi inimici.

Iuo Carn. lib. 2. de eleemosyn. refert.

SVNT enim multa genera eleemosynarum, de quibus Albinus ait. *De multiplici genere eleemosynarum.* 13

TRia sunt genera eleemosynarum. vna corporalis, egenti dare quicquid poteris. altera spiritualis, dimittere à quo lęsus fueris. tertia delinquentes corrigere, & errantes in viam reducere veritatis. ITEM August.

Homil. 6. lib. 50. homiliarū.

Eleemosynis pecuniæ præfertur eleemosyna cordis. 14

DVæ sunt eleemosynæ, vna cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est dimittere ei à quo læsus es. nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes: [a] indulgere peccanti quantum volueris, redundat tibi. Eleemosyna cordis multo maior est quàm eleemosyna corporis. Charitatis eleemosyna sine substātia terrena sufficit *sibi*. Illa verò quæ corporaliter datur, si sine benigno corde tribuitur, omnino non sufficit.

a leg. indulge.

ORAT. 3. pars.

Ex his omnibus apparet, quòd nec lenitas mansuetudinis sine rectitudine seueritatis, nec zelus rectitudinis sine māsuetudine in prælatis debet inueniri. Percussores ergo qui præmissis auctoritatibus ab episcopali officio remouētur: non quilibet corporaliter flagellantes, sed prætermissa mansuetudine ad verbera semper parati intelligendi sunt, qui per flagella nō vitia corrigere, sed timeri appetunt; quibus Petrus scripsit: Ne sitis dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.

1. Pet. 5. a.

Hinc etiam Greg scribit in moral. li. xix. parte iiij. ca. xxiij.

Cap. 16. lib. 19. ad cap. 29. Iob.

Mansuetudo & districtio abinuicem non separentur. 15

SVnt nanque nonnulli ita districti, vt etiam omnem māsuetudinem benignitatis amittant, & sunt nonnulli ita māsueti, vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus vtraque summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudinē districtionem deserant disciplinæ; quatenus nec à compassione pietatis obdurescant cùm contumacem corrigunt; nec disciplinæ vigorem molliant cùm infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor disciplinæ mansuetudinē, & mansuetudo ornet [sermone] vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

IDEM homilia 34. [b] euangeliorum.

b In cap. 15. Lucæ initio statim homeliæ.

Verè iustus miseris compatitur, delinquentibus indignatur. 16

VEra iustitia compassionem habet, falsa verò [c] designationē, quamuis & iusti soleant rectè peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Indignantur etenim, sed non dedignantes [sunt] *persecutionem commouent, sed amantes.* At contra hi qui de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt: & quo se peccatores esse nō cre-

c dedignationē.

credunt, eo deterius peccatores fiunt.

ITEM Hieron. ad cap. 4. lamentationum Hierem.

Peccantes mansuetudine prouocentur, non austeritate abijciantur. 17

RECedite (inquiunt) polluti, recedite, abite, nolite nos tangere, nobiscum nolite communicare. Talis loquela non illuminat cæcum, non sanat ægrotum, non curat infirmum, sed magis occidit, atque in desperationem periclitantem mittit. Boni etenim rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humanitatis & mansuetudinis †leuamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatem in foueam perditionis nutantes propellere. †lenimentum

» Vnde doctor gẽtium: Factus sum, inquit, infirmus infirmis. 1. Cor. 9. d

IDEM. Origenes homil. 7. ad c. 6. & 7.

In populum ira dei desæuit cùm prædicator delinquentes palpat, & non corripit. 18

SEd illud non ociose transcurrendum est, quòd vno peccante ira dei super omnem populum venit. hoc quomodo accidit? quanto sacerdotes qui populo præsunt, ergo delinquentes beneuoli videri volunt, & verentes peccantium linguas, ne fortè malè de eis loquãtur: sacerdotalis seueritatis immemores nolunt complere quod scriptum est: Peccantem coram omnibus argue, vt ceteri metum habeant. Et iterum: Auferte malum à vobisipsis. nec zelo dei succensi imitantur Apostolum dicentem: Tradidi huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Neque illud euangelij implere student. vt si viderint peccantem, primò secretè eum conueniãt, post etiã duobus vel tribus [adhibitis testibus,] qui si cõtẽpserit & post ecclesiæ correctionem non fuerit emendatus, de ecclesia expulsum velut gentilem habeant aut publicanum, & dũ vni parcunt, vniuersæ ecclesiæ moliuntur interitum. quæ est ista misericordia, quæ ista bonitas, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficitur: sic & vno fornicante, vel aliud quodcunque scelus committente, plebs vniuersa polluitur.

Iosue id habet. 1. Tim. 5. d 1. Cor. 5. d Ibidem. Matth. 18. arbitris

» Hinc etiam alibi dicitur: Rectorem subditis pietas matrẽ,
» disciplina verò patrem exhibeat. Percussor quoque dicitur, qui
» sermone inutili infirmorum conscientiam vulnerat.

GRAT. 4. pars.

VNDE Anacletus papa epist. ij.

Qui sermone incauto cõsciẽtiã percutit infirmorũ, percussor vocatur. 19

SAnè percussor ille doctor dicitur, qui sermone inutili conscientiã percutit infirmorũ. Ideo tenere vos & omnes fideles oporte: eũ qui secundũ doctrinã fidelis est sermonẽ, vt potens sit cõsolari in doctrina sancta, & cõtradicẽtes redarguere, & rectè viuentes atque etiam rectam fidẽ tuentes consolidare. ad Tit. 1. d

VERSVS.

Presbyter vt mitis sit, vitet iurgia litis.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI NON SINT LITIGIOSI.

DISTINCTIO XLVI.

GRATIA. 1.Timoth.3.

SEquitur in epistola ad Timotheum: NON LITIGIOSVM. Nihil est enim impudentius arrogantia rusticorũ, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ad lites, in subiectos tumidè intonant, quod ex arrogantia superbiæ prouenire manifestum est.

Greg. lib. 23. cap. 12. ad cap. 33. Iob.

VNDE Gregorius scribit in Moralibus, libro vicesimotertio, parte quinta cap. xij.

Arrogantes nesciunt inferre humiliter quæ docent.

HOc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre quæ docent, & recta quæ sapiunt, etiã rectè ministrare non possunt. In verbis enim eorum proditur, quod cùm docent, quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere, eosque quos docent, vt lõgè infra se positos velut in imo despiciũt, quibus non cõsulẽdo loqui, sed vix dominando dignantur. Rectè autẽ his per prophetam dominus dicit: Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potẽtia. Cum austeritate enim & potentia imperant, qui subditos suos non cum tranquillitate ratiocinãdo corrigere, sed asperè inflectere dominãdo festinant. At cõtra vera doctrina tãto vehementius hoc elationis vitium fugit per cognitionẽ, quanto ardentius verborum suorum iaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cauet enim ne eũ elatis moribus prædicet, quẽ in cordibus audientium sacris sermonibus insectatur.

Ezech. 34.

2. pars.

Ecce quare litigiosi prohibentur in episcopos ordinari. Est & alia causa huius prohibitionis. litigiosi nãque vel adulationibus animos principum sibi conciliant, vel fratribus suis detrahendo, infamiæ notam ingerunt, vel inter fratres discordiã seminando, seditionem nunquam facere cessant, quæ omnia in prælatis damnabilia esse probantur.

Greg. cap. 30. lib. 18. ad cap. 27. Iob.

VNDE Gregor. scribit in moralibus lib. xviij. parte iiij. cap. iij.

De his qui peccatoribus adulantur. 3

SVnt nonnulli qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerant. Hinc enim per prophetam dicitur: Væ his qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe sub cubito puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt molliter quiescat. Quisquis ergo malè agẽtibus adulatur, puluillum sub cubito, vel ceruical [sub] capite iacẽtis ponit,

Ezech. 13. c

ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursus scriptũ est: Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum. Parietis quippe nomine, peccati duritia designatur. Aedificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietẽ liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruersè agentes ædificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant. Sed sanctus vir sicut mala de bonis non æstimat, ita iudicare bona de malis recusat, dicẽs: Absit hoc à me, vt iustos vos iudicem. donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Ezech. 13. b Iob. 27. a

HINC etiã in concilio Carthaginen. iiij. ca. *vj. legitur. *54.

Adulator vel proditor clericus ab officio degradetur. 4

CLericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

ITEM cap. lv. eiusdem.

Excommunicentur ab episcopo, qui fratribus non probanda obiiciunt.

ACcusatores fratrum episcopus excommunicet, qui non probanda fratribus obiiciunt: & si emendauerint vitium recipiat eos ad communionem, non ad clerum.

ITEM cap. lvij. eius. concil. Carth. 4.

Remoueatur ab officio clericus maledicus, scurra, fratrum profectibus inuidens non promoueatur. 5

CLericus maledicus (maximè in sacerdotibus) cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur: nec vnquam absque satisfactione ad officium reuocetur.

ITEM cap. 60. eiusdem.

De eodem. 6

CLericum scurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio esse retrahendum censemus.

ITEM cap. 54. eiusdem.

De eodem. 7

CLericus inuidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoueatur. ITEM cap. 67.

Non sunt ordinandi qui seditionibus vacant. 8

SEditionarios statuimus nunquam ordinandos clericos, sicut nec vsurarios, vel iniuriarum suarum vltores.

ITEM ex concilio Laodicensi cap. 5. [a]

Vsuras exigere clericus minimè licet. 9

NOn licet fœnerari ministris altaris, vel in sacerdotali ordine constitutis, vel vsuras vel lucra quę sescupla[b] dicũtur accipere. ITEM Leo papa. 1. episto. 1. cap. 4.

Nec suo nomine nec alieno clericus fœnerator existat. 10

SIcut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens est enim crimẽ suum commodis alienis impendere & exercere. Fœnus autẽ hoc solum aspi-

a hæc pertinent ad sequentem distinctionem. 3. pars.

b ἡμιόλιας .i. cũ stata die redditur totũ quod mutuo datũ est & præterea vsuræ nomine dimi-

diū: quod in frugibus veteri Iure erat permissum. C. Theodosia. sub ti. de vsuris. l. 1.

aspicere & exercere debemus, vt quod hic misericorditer tribuimus, à domino (qui multipliciter & in perpetuum mansura tribuit) recipere valeamus.

VERSVS.

Exercens fœnus absit quasi crimine plenus.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI NON SINT AVARI NEC VSVRARII.

DISTINCTIO XLVII.

GRATIA.

1 Quod autē in fine huius capituli vsurarij ordinari prohibentur, inde est, quòd vsuram exercentes cupiditati deseruire probantur, cupidi autem ab Apostolo ordinari prohibentur: quia tales facilè à iusto deuiarent.

VNDE in canonibus Apostolorum cap. xliiij. legitur.

Diaconus, presbyter, & episcopus, exigens vsuras nisi desierit, deponatur. 2

EPiscopus, aut presbyter, aut diaconus vsuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certè deponatur.

Cap. 17.

ITEM ex concilio Niceno. cap. xviij. †*

†* *Quidam male interpretando, sequētem canonē corrūpunt. Breuiter explicabo. Biennio antequam ederetur hic canō, Lex Constātini interuenerat, qua definierat hunc vsurarum modum vt in pecunia numerata singulas centesimas, in frugibus verò vel liquidis vel aridis mutuo datis singulas hemiolias. seu sesquialteras partes recipere liceret. Itaque vsura quadruplo maior in frugib. quàm in pecunia numerata permittebatur. Extat lex illa Constantini in codice Theodosianarum legū lib. iiij. tit. de vsuris l. 1. Cum autem catholicæ ecclesiæ, cum omnis vsura, tum illud tam immoderatum lucrum & fœnus ea lege permissum, Christiano homine videretur indignum: omnibus regulæ Christianæ obnoxiis has vsuras interdixit. Quin etiam Iustinianus hanc immoderationem detestatus, centesimas pecuniæ restrinxit ad trientes, sesquialteras verò frugum, ad centesimas. l. eos. §. 1. c. d. vsuris. Nouell. XXXII. XXXIII. XXXIIII. ad quas hæc plenius enarraui. Ergo post legem Iustiniani Christianis licebit ea moderatione fœnerari? Minime vero. Canoni enim cui derogare non potuit Imperator, parendum, quam legi. Quærant ergo vsurarij Christiani alium defensorem. Contius.*

Vsuras exigens siue clericus, siue subiectus regulæ, deiiciatur. 3

2. Cor. 5.

† *centesimam*

a Inclusa verba sunt interpretis recte sane inter-

QVoniam multi sub regula constituti auaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique diuinæ scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: mutuum dantes † centesimas vsuras exigūt, iustè censuit magna & sancta synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem vsuras accipiens, aut aliquam adinuentionem faciēs, vel quolibet modo negocia transigens, aut hemiolia, [id est sescupla] exigens, vel aliquod tale prorsus excogitans turpis lucri gratia: deiiciatur

tur à clero, & alienus existat à regula. HINC etiam Gregorius in xix. lib. moralium. cap. xxv. ad cap. xxviij. Iob scribit dicens. pretátis, neque (vt quidá) verba ecclesiæ corrumpentes.

Temporalibus lucris deseruientes Deo nequaquã militare probantur. 4

OMnes huius seculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus debiles. Nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua nec parũ quidem in labore subsistunt. pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, & pro cælesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino vel vnius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatẽ, deiectionem, famam pro acquirendis diuitiis atque honoribus tolerant, & earum rerum se abstinentia cruciant, ad quas adipiscendas festinant, superna autem laboriosè quærere tanto magis dissimulant, quanto ea retribui tardius putant. Hi itaque quasi aliarũ [a]arborum more deorsum vasti sunt, sursum angusti, quia fortes in inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt, at contra ex qualitate palmarum designatur proficiens vita iustorum, qui nequaquã sunt in terrenis desideriis fortes, & in cœlestibus debiles, sed longius atq; distantius studiosos magis deo se exhibẽt, quàm seculo fuisse meminerint. Nam cùm quibusdam per prędicatorem nostrum dicitur: Humanum dico propter infirmitatẽ carnis vestræ. sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, eorum procul dubio infirmitati condescenditur, ac si eis apertius diceretur: Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum: nec debiliores vos habeat sancta libertas *aëris, quos in carne validos habuit vsus terrenæ voluptatis.

[a] *malarum*

Roman. 6. c.

* *charitatis, quàm vos in carne, &c.*

IDEM Greg. ciuibus Neapolitanis epist. xl. lib. viij.

Ad sacros ordines vsurarij promoueri non debent. 5

DE Petro insuper peruenisse an nos cognoscite, quia solidos dedit ad vsuram, quod vos oportet cum omni subtilitate perquirere, & si ita cõstiterit, alium eligite, & ab huiusmodi vos persona sine mora suspendite. Nam nos [b]amatoribus vsurarum nulla ratione manus imponimus. Si verò subtili habita inquisitione hoc falsum esse putaueritis, quia persona eius nobis ignota est. & vtrum ita sit de simplicitate quod ad nos perlatum est, ignoramus: cùm decreto à vobis facto, ad nos eum venire necesse est, vt vitam moresque illius solicitius inquirentes, sensum quoq; pariter cognoscamus, vt si iudicio huic aptus extiterit, vestra in eo (adiuuante Domino) desideria compleamus. ITEM ex concilio Elibertano, cap. xx.

[b] Sententia Christiano digna.

Degra-

Degradetur clericus qui vsuras accipere detegitur. 6

Leo papa I. epi. 51. SI quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere.

2. pars. ITEM Leo episcopus Anatholio episcopo *Cóstátinopolitano.*

Nec implicari errore, nec cupiditate violari sacerdotem oportet. 7

VIrum catholicum, & præcipuè domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari: ita nulla oportet cupiditate violari, dicente sancta scriptura: Post concupiscentias tuas ne eas. Mens enim potentiæ auida nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.

Eccles. 18. d

ITEM Gregor. epist. cxj. lib. vij. ad Syagrium.*

*Heduorú episcopum.

Qui cupiditatem à se non abscindit, bonorum auctori inhærere non valet. 8

Luc. 12. c. BOnorum auctori inhærere aliter non valemus, nisi cupiditatem à nobis (quæ omnium malorum radix est) abscindamus.

Ambr. ser. 81. ITEM Ambr. de eo quod scriptum est in euangelio: Hominis cuiusdam diuitis fructus vberes ager attulit.

Auari est hominum bona inuadere quorum necessitatibus subuenire valet.

SIcut hi qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed phantasias passionis suæ vident, ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat, gratius intuetur aurum quàm solem. ipsa eius oratio & supplicatio ad deum aurum quærit. Et post pauca.[a] Interdú etiá vsuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur: sed nec satietas vnquam nec finis aderit cupiditati. & infrà. Sed ait aliquis*: quid iniustum est, si cùm aliena non inuadam, propria diligentius seruo? O impudens, dic tu: quid propria dicis? quæ [ex quibus [b] recondis,] in hunc mundum detulisti? Quando ingressus es in hanc lucem, quando de matris vẽtre existi, quibus facultatibus quæso, quibus subsidiis stipatus ingressus es? Et post pauca: [c] Proprium nemo dicat quod est commune: quod plusquam sufficeret sumptui, etiam violenter obtentum est. & infrà: Nunquid iniquus est deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? vt tu quidem esses affluens & abundans: aliis verò deesset, & egerent? An idcirco magis, quia & tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? tu verò susceptis dei muneribus, & in sinũ tuum redactis, nihil te reputas agere iniquum si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam iniustus, tam auarus, quàm qui tam multorum alimenta non suum vsum, sed abundantiam & delicias facit? Neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundans

a Per ironiam alludit ad iniquitatem vsuræ: cum nihil sterilius sit pecunia, arte tamen fœneratorum effectum sit vt pariat.

*auarus

b pro inclus. quid ex reconditis.

c Terra communiter omnibus hominibus data est, proprium nemo dicat quod è communi plusquam suf ficeret sumptũ & violenter obtentum est.

dans sis, indigentibus denegare. esurientium panis est quem tu detines. nudorum indumentum est quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia quam tu in terram defodis. Tantorum te ergo inuadere scias bona, quantis ipse possis præstare [a]quod velis.

[a] si Episcopi & ecclesiastici domui suæ bene præsint.

" Necesse est etiam vt ille qui ordinandus est, suæ domui sit " bene pæpositus, id est, si in laicali habitu vxorē habuit vel fi- " lios, à vitiis ad virtutū studia & verbo & exēplo prouocet, vt " quod postea præcepturus est populis, prius exigat à domesti- " cis. Vnde Apostolus Ephesiis scribit, vt vxores suas sicut sua " corpora diligant, & filios suos non ad iracundiam prouocēt: " sed enutriant illos in omni disciplina & correctione domini. " Vnde cùm Paulus ad Timotheum scribens dixisset: Suæ do- " mui bene præpositum, statim subiunxit: Habentem filios sibi " subditos in omni castitate, & non in accusatione luxuriæ. " non enim talium cohabitator frontē habet alios redarguen- " di. Vnde de beato Iob legitur quòd pro filiis suis quotidiana " offerebat Deo sacrificia, offerēs holocausta per singulos, quos " tanta charitatis perfectio in vnum cōstrinxit, vt quisque eo- " rum in suo die conuiuium fratribus præpararet, & ad epulan- " dum secum tres sorores suas pariter inuitaret. Quod quia " Hely facere dissimulauit, ac falsa pietate superatus delinquen " tes filios ferire noluit, (sicut in libro Regum legitur) apud di- " strictum iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione " percussit. vnde ei diuina voce dicitur: Honorasti filios tuos " magis quàm me. Hinc etiam Dauid erga filios bonitatē non " disciplinæ seueritatem exercens, eorum iuuentutem experi- " mento didicit esse perniciosam, quorum pueritiam vaga li- " centia permisit esse voluptuosam. Vnus quippe eorum soro- " rem suam stupro corrumpens, à fratre eius Absalone videlicet " inter epulas quas fratribus suis fraudulenter parauerat, ob- " truncatus est. Absalon verò postquam veniam à patre ob- " tinuit, de regno illum expulit, & ad concubinas eius ingressus " est: demum per inuia deserti patrem persequens, quercui in- " hæsit, atque ita suspensus interiit. Hinc etiam Paulus ad " Timotheum scribit dicens: Qui suorum & maximè dome- " sticorum curam non habet, fidem negauit: & est infideli de- " terior. Iure ergo qui domui suæ nescit præesse, in episcopum " ordinari prohibetur: quia qui in re minima de qua sibi fami " liarior debet cura inesse, fidelis non est: quomodo in eccle- " sia Dei, vbi tot sunt alieni, solicitam diligentiam exhibebit? " vnde Hieronymus. Non enim iustus polluitur ex viciis fi- " liorum: sed libertas ab Apostolo ecclesiæ principi reserua- " tur, vt talis fiat qui non timeat propter vitia liberorum ex- traneos reprehendere. Quod tunc fiet, si non erit quod sibi impu-

3. pars. GRATIA. Interpretratur verb. Apost. Domui suæ bene præpositum. Ephes. 5. c. 1. Tim. 3. a. Iob. 1. b. 1. Reg. 2. f. 2. Reg. 13. a. 2. Reg. 16. 1. Tim. 5. a. Hieron. in comment. ad ca. 1. episto. ad Ti.

4. pars. Psalm. 36. imputetur. cùm enim gressus hominis à domino dirigantur, nec sint in homine eius viæ, corripere quidem potest: corrigere autem non valet. pulsare potest, non aperire: manus comprimere, no animum mutare.

Aug. epist. 137. ad Hipponenses. VNDE Augustinus ad Vincentium Donatistam.

Bonorum hominum disciplina, mores immutare non valet. 10

QVantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo; nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit quàm arca Noe, vbi tantum inter octo homines vnus reprobus inuentus est. Aut melior sit quàm domus Abrahæ, cui dictum est: Eiice ancillam, & filium eius. Aut melior sit quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram domino Deo nostro, qui est testis mihi super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi: quoniam sicut difficilè sum expertus meliores quàm qui in monasteriis profecerunt: ita non sum deteriores expertus, quàm qui in [a] monasterio defecerunt. Hinc arbitror dictum in Apocalypsi: Iustus iustificetur adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.

Genes. 9. Genes. 21. d Malach. 1.

a monasteriis ceciderunt.

Apoc. 22. b

ITEM Cypriano Cornelius papa. [b]

b Contemporaneus eius, ambo martyres.

Conuitia perditorum à via rectitudinis nos mouere non debent. 11

QVod ad nos attinet, conscientiæ nostræ conuenit semper dare operá, ne quis culpa nostra de ecclesia pereat. Si quis autem vltrò & crimine suo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad ecclesiam redire noluerit: nos in die iudicij inculpatos futuros credimus, qui eorum consulimus sanitati; illos solos in pœnis remásuros, qui noluerint consilij nostri salubritate sanari. nec mouere nos debẽt conuitia perditorum quo minus à via recta & à certa regula non recedamus, quam Apostolus instituit dicens: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.

VERSVS.

Neophytus prohibetur in hac ne promoueatur.

Non Neophyti.

EPISCOPI ORDINANDI ET ECCLESIASTICI NON SINT NEOPHYTI.

DISTINCTIO XLVIII. 1

GRATIA. Ex Hiero. tacite transsumpta ex epi. ad Ocean. in fi. To. 2.

PRohibentur autem Neophyti in episcopos ordinari, vt " qui heri erat catechumenus, hodie non fiat episcopus. " qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in ecclesia. qui " vespere erat in circo, hodie non ministret altario. qui du- " dum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator " virgi-

" virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum
" Apostolum, ne elatus in superbiam tanquam religio Christia-
" na plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momen-
" taneus nanque sacerdos nescit humilitatem obseruare & mo-
" dos personarum, vel sese contemnere: non ieiunauit, non fle
" uit, non se correxit, non pauperibus erogauit. In arrogãtiam
" (quæ est ruina diaboli) incidunt, qui in puncto horæ necdum
" discipuli fiunt magistri: & sicut Innocentius ait. Miserum est *Inno.pa.pri.epi.*
" eum fieri magistrum, qui necdum didicit esse discipulus. *12.ad Aurelii.*

VNDE de eisdem in Niceno concil c.ij.legitur.

Neophytus in episcopum non est ordinandus. 2

QVoniam multa sunt siue per necessitatem, siue ex quacunque causa contra regulam gesta, ita vt homines ex vita gentilium nuper adhuc catechizati vel instructi statim ad spirituale baptisma venissent: & continuo cũ baptizati sunt, etiam ad episcopatum vel presbyterium prouecti sunt: rectè igitur visum est de cætero nihil tale fieri. Nam & tempore opus est vt sit catechumenus: & post baptisma multa probatione indiget. euidens nanque est apostolicum præceptum dicens: Non neophytum: ne fortè elatus in superbiam in iudicium incidat, & in laqueum diaboli. *1.Tim.3.b* Si verò præcedente tempore aliquod mortale peccatum admiserit: & conuictus duobus vel tribus testibus fuerit: cessabit à clero qui huiusmodi est. Si quis verò præter hoc fecerit, tanquam contraria statutis sancti concilij gerens, etiam ipse præcipitabitur de statu ‖ sui ³ cleri.

" Neophyti verò hodie appellantur propositum sacræ reli- GRATIA.
" gionis nouiter assumentes.

VNDE beatus Gregorius scribit Syagrio episcopo, epistola.111.lib.7.

Quis dicatur Neophytus, & vnde sit. 3

SIcut Neophytus dicebatur, qui in initio sanctæ fidei erat eruditione plãtatus: sic modò neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos sacros ordines irrepserit. Ordinatè ergo ad ordines ascendendum est. nam casum appetit qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Scimus autem quòd ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis suæ humore siccentur: ne si antè pondera quàm solidentur accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant.

VERSVS.

Clericus esse nequit in corpore si viciatur.

EPISCOPI ORDINANDI ET ECCLESIASTICI SINT VIRTVTIBVS PRAEDITI. DISTINCT. XLIX. I

GRATIAN.

ECCE à quibus vitiis debeant esse immunes, qui in episcopum sunt ordinandi, apparet. Qui enim intercessores pro populo ad Deũ parantur, necesse est vt eius gratiam bene viuendo mereantur. Vnde Greg. ait in pastorali.

Verba Gregor. Greg. c. 11. pri. partis pastoralis

Solicitè formidãdum est ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. cuncti enim liquidò nouimus: quia cùm is qui displicet, ad intercedendũ mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Qui ergo desideriis terrenis adstringitur, caueat ne districti iram iudicis grauius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Solerter ergo se quisque metiatur: nec locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium dãnabiliter regnat: ne is quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.

Greg. c. 11. pri. part. continuo.

IDEM in eodem pastorali.

Sacrificium Deo non offerat, qui vitiis est maculatus. 2

Leuit. 21.

HInc etenim superna voce ad Moysen dicitur in Leuitico: Loquere ad Aaron: Homo de semine suo per familias qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo: nec accedat ad ministerium eius. vbi repente subiungitur. Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si mancus, si lippus, si gibbosus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel *ponderosus.

*In bibliis legitur herniosus. sed Gregor. pro eodem accipit ponderosum.

Regum 2.

Cæcus quippe est qui supernæ lucem cõtemplationis ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum lucem venturam nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Hinc etenim per prophetantem Annam dicitur: Pedes sanctorum suorum seruabit: & impij in tenebris conticescẽt.

Gregor. ibidem

Claudus verò est, qui quidem quo peragere debeat, aspicit: sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectæ non valet tenere quam videt: qũia videlicet dum quis ad virtutis statum fluxa consuetudine non erigitur: quò desiderium eius nititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc etenim Paulus dicit: Remissas manus & dissoluta genua erigite: & gressus rectos facite pedibus vestris, vt nõ claudicãs quis erret: magis autem sanetur. Paruo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. naso quippe odores

Hebr. 12

odores fœtoresq́ue discernimus. rectè ergo per nasum discretio exprimitur: per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. vnde & in laudibus sponsæ dicitur: Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano. quia nimirũ sancta ecclesia quę ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit: & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli qui dum se existimari hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plusquã necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. vnde hoc quoque subditur, vel grandi vel torto naso. Nasus quippe grandis & tortus est discretionis subtilitas immoderata: quæ dum plusquam decet excreuerit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est, qui viam domini pergere omnino non valet: atq; à bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc nõ vt claudus saltem cum infirmitate teneat: sed ab his omnibus alienus omnino existat. Gibbosus verò est quẽ terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad superna respiciat: sed solis his quæ in infimis calcãtur intendit. qui & siquando aliquid ex bono patrię cælestis audierit, ad hoc nimirum peruersæ consuetudinis pondere prægrauatus cordis faciem non attollit: quia cognitionis statum erigere non valet, quẽ terrenæ solicitudinis vsus curuum tenet. Ex eorũ quippe specie Psal. dicit: Incuruatus & humiliatus sum vsquequaq;. quorum culpã per semetipsam veritas reprobãs ait: Semen autem quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt verbum, & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus huius vitę euntes suffocantur, & non referunt fructum. Lippus vero est, cuius quidem ingenium ad cognitionẽ veritatis emicat: sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt: sed humore defluente infirmantes palpebræ grassescũt: quæ quia infusione crebra atterũtur, etiam acies pupillæ vitiatur. & sunt nõnulli quorũ sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingeniũ poterãt, sed vsu prauorum actuum caligant. Lippus itaq; est cuius sensum natura exacuit, sed cõuersationis prauitas confundit: cui bene per angelum dicitur: Collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Collyrio quippe oculos vt videamus inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine operationis bonæ adiuuamus. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucẽ videre non sinitur: qui arrogãtia sapientiæ seu iustitiæ execęcatur. Pupilla nãq; oculi nigra videt: albuginẽ tolerans nihil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultũ se peccatoremq́; intelligit, cognitionẽ intimæ claritatis appræhendit. Si autẽ sibi candorẽ iustitię seu sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit: & eo claritatẽ veri luminis

Cantic. 7.

Ibidem continuo Greg.

Psal. 118.

Luca. 8.

Apoc. 3.

Greg. ibid. continuo.

L

minis nequaquam penetrat, quò se apud se per arrogantiã exaltat: sicut de quibusdam dicitur: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Iugem verò scabiem habet, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim feruor viscerum ad cutem trahitur: per quam rectè luxuria designatur: quia si cordis tentatio vsq; ad operationẽ prosiliit, nimirũ feruor intimus vsque ad cutis scabiem prorũpit: & foris iam corpus sauciat: quia dum in cogitatione voluptas nõ reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginẽ Paulus curabat astergere, cum dicebat: Tentatio vos non apprehendat nisi humana. ac si apertè diceret: Humanũ quidem est in corde tentationem perpeti; dæmoniacum verò est tentationis certamine & operatione superari. Impetiginem quoq; habet in corpore quisquis auaritia vastatur in mente: quæ si in paruis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat: & absq; occupati tædio excrescẽs membrorũ decorẽ fœdat: quia & auaritia captiuam animã dum quasi delectat, exulcerat; dum adipiscenda quæq; cogitationi obijcit, ad inimicitias accẽdit: & dolorẽ in vulnere non facit: quia æstuanti animo ex culpa abundãtiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarũ quoq; virtutum per hanc pulchritudo deprauatur: & quasi totũ corpus exasperat: quia per vniuersa vitia animũ supplantat: Paulo attestante qui ait: Radix omnium malorum est cupiditas. Ponderosus vero est qui turpitudinem opere non exercet: sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine grauatur in mente: qui nequaquam quidem vsq; ad opus nefariũ rapitur, sed eius animus voluptate luxuriæ sine vllo repugnationis obstaculo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad virilia labitur: quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est qui totis cogitationibus ad lasciuiã defluens, põdus turpitudinis gestat in corde: & quamuis praua non exerceat opere, ab his tamen non auellitur mẽte: nec ad vsum boni operis in aperto valet assurgere, quia grauat hunc in absconditis pondus turpe. Quisquis ergo cuilibet horum vitiorum subiicitur, panes domino offerre prohibetur: ne profecto diluere aliena delicta nõ valeat is quem adhuc propria deuastant. Quia igitur paucis ad pastorale magisterium dignus qualiter veniat, atq; hoc indignus qualiter pertimescat ostendimus: nunc is qui ad illud dignè peruenerit, in eo qualiter viuere debeat demonstremus.

Ad Rom. 1. — *1. Cor. 10.* — *1. ad Tim. 6. b* — *Greg. ibid.* — *Hiero. ad cap. 1. Malachiæ.*

ITEM Hierony. super Malachiam.

Indoctus terrena lucra sectans, vitiatus ordinari non debet. 5

SAcerdotes nomen domini despiciunt & quantum ad se panem pollutum offerunt, qui ad altare indignè accedũt, quique

que dato munere sacerdotium præsumunt. Panem quoq; polluit qui doctrinã domini in populo malè dispergit: & qui honorat potentem, & despicit pauperem. & infra. Si offeratis cæcum animal ad immolandũ: nomine malũ est? &c. Superius accusati de panibus nunc accusantur de victimis. Cæcũ animal offert qui ordinat indoctum in loco docti: magistrumq; facit qui vix discipulus esse poterat. Claudum offert qui lucra terrena quærentem locat: vtpote pedem in diuersa ponentem: vnum in diuinis: alterum in carnalibus: cui potest inferri illud de libro Regũ: Vsquequo claudicatis in duas partes? Languidum offert qui vitiosum habet pro religioso: quiq; tardum & pigrum probat patientẽ: dicens illum negligentiæ redarguendum. Indignum est enim dare Deo quod dedignatur homo.

Hieron. ibid. paulo inferius.

3. Reg. 10. d

VERSVS.

Quinquagena malos punit quos post reparabit.

ECCLESIASTICI CRIMINOSI DEPONENDI SVNT AB ORDINIBVS.

DISTINCTIO L.

GRATIAN.

„ EX præmissis auctoritatibus liquido mõstratum est, quòd
„ variis criminibus irretiti, in sacerdotes ordinari nõ pos-
„ sunt: nunc autem de eisdem quæritur, vtrum post per-
„ actam pœnitentiam, vel in propriis ordinibus remanere, aut ad
„ maiores gradus conscendere valeant. Multorum auctoritati-
„ bus variis criminibus irretiti à propriis ordinibus deiiciuntur,
„ & ab accessu maiorum prohibentur.

„ VNDE Gregorius ait Constantio Mediolan. episcopo.

Greg. epl. 17. lib. 4. ad Costantium fine ca. 61.

Lapsi in suum ordinem reparari non possunt. 2

SI lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia cõceditur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ: dũ pro reuersionis spe, prauæ actionis desideria quis concipere nõ formidat. & post pauca. Illud autem præ omnibus studere cauere, vt lapsos in sacro ordine nulla nobis supplicatio aliquo modo reuocare studeat: ne huiusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur eis esse vindicta.

ITEM Martinus papa Amando episcopo.

Mart. pa. pri. ad Amandum.

Qui post suam ordinationem labitur, depositus permanebit. 3

QVi semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit: nullumq; gradum, sacerdotij poterit adipisci. ITEM Gregor. papa [a] Fabiano episcopo.

a al. Sabino in manuscrip. sed legẽd. Sabiniano vt apud Iuonem part. 3.

Presbyter post lapsum nulla ratione in sacro ordine reparari valet. 4

Greg. epi 25. lib. 7. ad Sauinianum.

PResbyterum de quo nos fraternitas tua latoris pręsentium [b] legatione cõsuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere, aut reuocari posse cognoscat. Circa quẽ

b apud Greg. est relatione.

tamen mitius agendum est: quia cōmissum facinus facili dicitur professione confessus.

ITEM Ioannes viij. Cœnomantico Vricensi episcopo.

Post perpetratum homicidium sacerdotale officium ministrari non potest. 5

[a] nimis. MIror minus [a] doctam scientiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidiū posse in sacerdotio ministrare: immo (quod est ineptius) nobis suadere velle, vt ipsi tali præsumptioni prębeamus assensum. Quis enim tam demens, tamque peruersi sensus tale quid existimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendū: cum [b] omnino canonicæ disciplinæ sit cōtrarium? Debet ergo sacerdotio priuatus, lacrymarum fonte flagitiū tam immane diluere, vt talibus saltem remedijs curatus, salutis possit inuenire suffragiū.

[b] omni

ITEM Nicolaus papa.

Ad maiorem gradum clericus peruenire non potest qui paganū occidit. 6

CLericum qui paganum occiderit, non oportet ad gradum maiorem prouehi: qui carere etiam debet acquisito. homicida enim est. Nam cùm discreti sint milites seculi à militibus ecclesiæ: non conuenit militibus ecclesiæ militare seculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit peruenire.

ITEM Osbaldo [c] coepiscopo Quadrantino.

[c] In manuscrip. corepiscopo. Contius.

Qui defendendo se paganum occiderit, sacerdotali careat officio. 7

DE his clericis pro quibus cōsuluistis, scilicet qui se defendendo, paganum occiderunt: si postea per pœnitentiam emendati possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere: scito nos nullam occasionē dare, nec vllā tribuere eis licentiam quemlibet hominum quolibet modo occidendi. Verumtamen si contigerit, vt clericus sacerdotalis ordinis saltem paganum occiderit, multū sibi consulit si ab officio sacerdotali recesserit: satiusq; est illi in hac vita domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, quàm alta indebitè appetendo damnabiliter in profundum inferni demergi.

Cap. 50. ITEM ex concilio Agath.

Cadat ab officio episcopus presbyter aut diaconus capitale committens crimen. 8

SI episcopus aut presbyter, aut diaconus capitale crimen cōmiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimoniū dixerit: ab officio honore depositus, in monasterium detrudatur: & ibi quandiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat. ITEM ex concilio Martini papæ.

Ca. 26. lib. Martini Brach. episcopi de synod. Græcorum.

Qui homicidij facto aut præcepto aut consilio post baptismum conscius fuerit, clericus non ordinetur. 9

SI quis viduam aut ab alio relictam duxerit: non admittatur ad clerum. quòd si irrepserit, deijciatur. Similiter si homici-

dij

dij aut facto, aut pręcepto, aut cõsilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam surreptionẽ ad clericatum venerit, deijciatur: & in fine vitæ suæ laicam communionem tantummodo accipiat.

IDEM Grego. Ianuario episcopo Caralitano. *Epi. 26. lib. 3.*

De sacris ordinibus lapsi reparari non possunt. 10

PEruenit ad nos quosdã de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante ad ministerij sui officium reuocari: quod omnino prohibemus: & in hac re sacratissimi quoq; canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrũ ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit: sacro ordine careat, & ad altaris ministerium non accedat.

ITEM Venantio Lunensi episcopo. *Greg. epi 5. siue cap. 49. lib. 4.*

De eodem. 11

ACcedens ad *Gorgoniam insulam fraternitas vestra discutiat id quod ad nos de Saturnino [a]presbytero relatum est. peruenit nanq; ad nos quòd postquam de sacris ordinibus lapsus, à sui sacerdotij ordine est deiectus: ad explendum ministerium presbyterij [b] præsumpserit accedere, & omnipotenti Deo hostias immolare. quod si ita factũ esse vestra fraternitas repererit, eum sacri corporis & sanguinis domini participatione priuatum in pœnitentiam redigat, ita vt vsque ad diẽ vltimum in eadem excõmunicatione permaneat: & viaticũ tantummodo exitus sui tempore percipiat. [c] Si autẽ eum talẽ pœnitẽtiam agere fraternitas vestra cognouerit, vt ei iustè ad recipiendam inter laicos cõmunionem, etiam ante exitũ [vitæ] debeat misereri: hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate: [d] & infra. Præterea ad fraternitatis tuæ consulta respõdentes, statuimus diaconum [e] abbatem, quem de portu Veneris in crimen indicas cecidisse, ad sacrũ ordinẽ non debere vel posse aliquo modo reuocari. quem quidem sacro ordine priuatum, in pœnitentiam deputare te conuenit. cuius si postea actus cõuersatioq́ue meruerit, priorẽ inter alios monachos vbi decreueris standi locum non ordinẽ obtineat. Subdiaconi quoq; quos similis culpa cõstringit, ab officio suo irreuocabiliter depositi inter laicos communionem accipiant. In portu aũt Veneris loco lapsi diaconi aliũ qui hoc officium implere debeat, ordinabis. Saturninum verò [f] presbyterum vt nunquã ad sacri ordinis ministerium præsumat accedere, scriptis cauere decreuimus: sed eum in insula [g] Gorgonia atq; Capraria solicitudinem monasterij gerere: & in quo statu est, sine cuiusquã aduersitate manere permittimus. IDEM.

** al. Gorginam al. Gorgonam*
a al. expresbytero.
b præsumpsit
c Sin autem
d In impressis Gregorij epistolis hic finis est epistolæ sup. citatę, & principiũ ep. 60. e. li.
e diaconem & abbatem. vet.
f exp. in manusc.
g Gorgona
Greg. ad eundem Venantiũ epist. 16. siue c. 60. lib. 4.

Loco lapsi alius ordinandus est. 12

POstquam quemquam criminaliter cadẽtem in locum quo lapsus est, nulla ratio permittit reuocari: & vltra tres men- *non inueni, nec est quę hic citatur. Contius.*

ses ecclesiam vacare pontifice statuta sanctorum canonũ non permittunt,ne cadente pastore dominicũ gregẽ hostis (quod absit) antiquus insidiando dilaniet: fraternitas vestra deprecationi eorum consentire, & in lapsi loco debet episcopum ordinare. ITEM Martinus papa.

Mart.pa.1.ad Amandum.

Qui post ordinationem suam in lapsum ceciderit: sacra mysteria non debet tractare. 13.

SI post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit,& præuaricationis peccato fuerit deprehensus obnoxius: omnimodo prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysteria nostræ salutis [a]tractare.

a contrectare. vet.

GRATIAN. *2.pars. Criminosi post lapsum ecclesiastici pœnitentes restitui possunt & promoueri.*

b al. prophetãdi

c quod tamen ei prædictum erat, canes eius sanguinem mortui lingere debere, non multũ post tempus, accidit. 3.Reg.6.

Econtra exemplis & auctoritatibus probatur post actam pœnitentiam proprios gradus licitè posse administrare, & ad maiores posse conscendere. Maria enim soror Aaron postquam lepra percussa est; quia in Moysen murmurauerat: acta pœnitentia à peccato mundata est, & pristinam gratiã [b]prophetizandi recepit. Aaron autem post conflatũ vitulum etiam in summum sacerdotem consecratus est. Dauid post adulterium & homicidium spiritum prophetiæ recepit,& in proprio gradu permansit. Achab quoque post mortem Nabuthæ viri sanctissimi per pœnitentiam humiliatus,in regia sede permansit. [c] Et vt prætereamus multa exempla veteris testamenti, Petrus negauit Christũ: & postea princeps apostolorũ factus est: Paulus Stephanũ lapidauit: & tamen à Deo in Apostolum electus est. Multi quoque ab hæresi ad vnitatem catholicæ fidei reuertentes in suis ordinibus sunt recepti: alij vero ad episcopalem etiam gradum sunt promoti: vtpote Augustinus & alij quàm plures.

ITEM ex epistola Cyrilli ad Ioannem Antiochenum.

De eodem. *Palea.* 14

d Hęc palea deest in meo Gratiano manuscripto. sumpta est autẽ à Gratiano à glossographis adiecta ex præfatione Iuonis in suam ἀνακομίαν. Côci?

e Lucianus

f Hadrianopolites legendum.

g Misenum

h & cõmunicauit apud Iuoné.

[d]IOannes Chrysostomus à duabus synodis orthodoxorum episcoporũ fuit diiudicatus:sed iterum fuit restitutus. Marcellus episcopus Ancyræ Galatiæ depositus fuit: sed postmodum proprium recepit episcopatũ. Asclepius diiudicatus à synodo,ecclesiã suã postea recepit. [e]Martianus episcopus [f]Andronopolites damnatus à papa Iulio, recepit ecclesiã sui episcopatus. Cyrillus episcopus Hierosolymitanus depositus fuit: postea reccõciliatus est ecclesiæ suæ. Simili modo Policromiũ eiusdem ecclesiæ Hierosolymitanæ pontificẽ Sixtus papa dãnauit, & iterum ipse eum reconciliauit. Innocentius papa Fortunatum episcopũ damnauit: sed ipse postea eum in proprium locum restituit ecclesiæ suæ. [g]Nicenum episcopũ à Felice papa damnatum Gelasius papa successor illius [[h]reconciliauit] & ecclesiæ suæ restituit. Leontius dum esset presbyter, depositus fuit:sed postea in Antiochia patriarcha extitit. Greg. verò quar-

quartus papa Theodosiū quē Eugenius eius antecessor pres-
byterij honore priuauerat, sanctæ ecclesiæ[a] Seguinæ consecra- a Siguinæ
uit episcopum.[b] Abbas namque episcopus diiudicatus fuit: sed b Ybas apud Iuonē manuscr.
sancta synodus canonicè suam illi restituit ecclesiam. Rothar- rectè. Contius.
dum verò episcopum sanctæ Suession. ecclesiæ à synodo, cui
Carolus interfuit rex, condemnatum: & [c] Sophidinum Pla- c Sophrenum. vet. Iuo.
centinum episcopum merito reprobatum, Nico. papa ambos
reconciliauit.

PRAETEREA Calixtus papa de huiusmodi scribit ita. Epi. 2. ad episcopos Galliarum.

Clerici post lapsum in suis ordinibus reparari possunt. 15

POnderet vnusquisq; sermones suos: & quod sibi loqui non vult, alteri non loquatur. Vnde bene sacra scriptura ait: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Nos enim tēpore indigemus vt aliquid maturius agamus, non præcipitemus cōsilia & opera nostra: neque eorum ordinē corrumpamus. Sed si aliquis lapsus quoquo modo fuerit: & portemus eū, & fraterno corripiamus affectu: sicut ait beatus Apostolus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiuscemodi in spiritu lenitatis, alter alterius onera portātes: & sic adimplebitis legē Christi. Porrò sanctus Dauid de mortiferis criminibus pœnitētiam egit, & tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando dominum se negasse pœnituit: sed tamen apostolus permansit, & dominus per prophetam pollicetur dicēs: Peccator in quacunq; hora cōuersus fuerit & ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Errant itaq; qui putant sacerdotes post lapsum si condignam egerint pœnitentiā, domino non posse ministrare, & suis honoribus[d] frui, si bonā deinceps vitā duxerint, & suū sacerdotium dignè custodierint. Et ipsi qui hoc putant non solum errant: sed etiam traditas ecclesiæ claues despicere videntur, de quibus dicitur: Quodcunque solueritis in terra, erit solutum & in cælo. alioquin hæc sententia aut domini non est, aut vera est. Nos verò indubitāter tam domini sacerdotes quàm reliquos fideles post satisfactionem dignam posse redire ad honorē credimus: testante domino per prophetā: Nūquid qui dormit, nō adiiciet vt resurgat? Et propheta Dauid pœnitentiam agens dixit: Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali cōfirma me. Ipse nanq; post pœnitentiā & alios docuit, & sacrificium Deo obtulit, dans exemplum doctoribus sanctæ ecclesiæ, si lapsi fuerint, & condignam pœnitentiam Deo gesserint, vtrunq; facere posse: docere, & sanctificari. Docuit enim quādo dixit: Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te cōuertentur. Sacrificiū Deo obtulit pro se dum dicebat: Sacrificium Deo spiritus cōtribulatus: cor contritum, &c. Vidēs autem propheta sua sce-

Tob. 4. c. — Gal. 6. a. — 2. Reg. 11. & 21 — Matth. 26. g. — Eze. 33. c. — d fungi — Matth. 16. c. — Psalm. 40. — Psalm. 50. — Psalm. 50. — Ibidem.

[a] al. Mundetur. lera mundata per pœnitentiam, non dubitauit prædicando & domino libando curare etiā aliena.[a] Mutatur ergo homo à peccato, & gratia Dei resurgit à lapsu: & in pristino manet officio iuxta prædictas auctoritates. videat ne amplius cadat: sed euangelica sententia in eo maneat, quæ ait: Vade, & amplius noli peccare. vnde Apostolus ait: Nō ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt non obediatis concupiscētiis eius. Sententiam quæ vetat misericordiā non solum tenere fratres, sed etiam audire, fugire: quia potior est misericordia omnibus holocautomatibus & sacrificiis. ITEM Hieronymus.

Ioan. 8.

Ad Rom. 6.

In pristinum gradum post pœnitentiā reuocari possunt pœnitentes. 16

Hiero. ad cap. 3. Malachia. Malac. 3.

ET purgabit filios Leui; tempus enim est vt iudicium à domino dei incipiat. Et alibi scribitur: A sanctis meis incipite. In filiis autem Leui omnem sacerdotalem intelligit dignitatem. Si autem sacerdotes purgandi sunt & colandi, vt purum aurū remaneat & argentum: quid de cæteris est dicendū? qui cùm emēdati fuerint & colati, tunc offerāt Deo iusta sacrificia: & placebit domino sacrificium eorum quod offertur pro Iuda & Hierusalem: hoc est pro his qui dominum cōfitentur, & pacē eius mēte cōspiciunt sicut dies seculi, & sicut anni antiqui: hoc est vt cōmodo in principio placuerunt Deo, sic post peccatū & pœnitētiam placere incipiāt, cū omniū fuerint peccatorum sorde purgati. ITEM Greg. Secundino.

Greg. epi. 53. lib. 7.

Lapsi reparari possunt. 17

QVia sanctitas tua requisiuit vt tibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritates scriberemus, dum dicis de hoc canonum diuersorum te legisse diuersas sententias: alias resurgendi, alias nequaquàm posse: ideo [[b] nos generales synodos à Nicena synodo incipientes [c] hanc [c] cum reliquis quatuor veneramur: quia ipsam sequētes cęteræ in cūctis canonicis sententiis vnanimiter concordant:] nos verò præcedentes patres sequimur: quia auctore Deo à sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, vsque in quartum altaris ministrum hanc formam seruandam cognouimus, vt sicut minorē maior præcedit honore, ita etiam crimine, & quem maior sequitur culpa, maiori plectatur vindicta, [& sic postea pœnitentia] credatur esse fructuosa. quid enim prodest triticum seminare, & fructum eius non tollere: aut domum construere, & non illic habitare? Post dignam itaque satisfactionem credimus posse [d] redire ad honorem, & [e] ad fontem misericordiæ recurrentes euangelicam sententiam proferamus. Gaudeo inquit super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super xcix. iustis qui non indigent pœnitentia. Et ouem perditam (xcix. non errantibus relictis in deserto) humero pij pastoris ad ouile reportandam

b pro inclus. leg. apud Greg. generalissima quæ à Niceno concilio incipiunt, cū reliquis 4. inuenimus concordantia.

c pro inclu. quę post pœnitentia

d rediri

e infra. Ad fontem.

Luc. 15. b.

tandam

ta ıdam dominus ipſe teſtatur. Si ouis perdita errans poſt inuentionem ad ouile humero deportatur, prædictis xcix. non errantibus in deſerto relictis: cur iſte poſt pœnitentiam ad eccleſiæ miniſterium lapſus non reuocetur?[Sicut in Apocalyp. dicitur de miniſtro eccleſiæ: Memento vnde excideris, & age pœnitentiã: & prima opera fac.] Quid enim grauius eſt, aut carnale delictum committere, ſine quo pauci inueniuntur: aut Dei filium iureiurando negare? in quo verbo hunc ipſum beatum Petrum apoſtolorum principẽ (ad cuius ſacrum corpus indigni ſedemus) lapſum eſſe cognouimus: ſed poſt negationem pœnitentia ſecuta eſt: & poſt pœnitentiam miſericordia data eſt: quia ab apoſtolatu eum non expulit, qui antè quidem ipſum ſe negare prædixit.

Inclusa desunt? apud Gregoriũ ĩ ꝑreſſum.

Apocal.2.a.

Matth.26.

Grego.homil.9. ad c.2.Ezech.

IDEM ſuper Ezechielem.

Poſt acerrimam pœnitentiam lapſi reparantur. 18

QVid eſt hoc quòd prophetæ iacẽti dicitur: Sta ſupra pedes tuos, & loquar tecum; qui enim iacenti loquebatur, cur ſtanti promittit ſe locuturum? ſed ſciendum eſt quia alia ſunt quæ iacentes, alia quæ ſtantes audire debemus. Iacenti enim dicitur vt ſurgat: ſtanti autem præcipitur, vt ad prædicationẽ proficiſci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confuſiõe iacentibus præberi non debet authoritas prædicationis: ſed cũ iam in bono opere ſurgimus: & cùm iam recti ſtare cœperimus: dignum eſt vt ad lucrandos alios in prædicationẽ mitti debeamus. Stans ergo propheta viſionem ſpiritualem vidit, & cecidit: cadens verò admonitionis verba ſuſcepit vt ſurgeret: ſurgens autem pręceptum audiuit vt prædicaret. Nam qui adhuc ex ſuperbiæ vertice ſtamus, cùm iam de ęternitatis timore aliquid ſentire cœperimus, dignum eſt vt per pœnitentiã cadamus. & dum infirmitates noſtras ſubtiliter cognoſcentes humiliter iacemus, per diuini verbi conſolationem ad fortiora opera reſurgamus. IDEM.

Ezech.2.a

Greg.ca.16.lib.18.ad cap.28.Iob.

De eodem. 19

FErrum de terra tollitur, cùm fortis propugnator eccleſiæ à terrena (quam prius tenuit) actione ſeparatur. non ergo in eo debet deſpici quod fuit: quia iam incipit eſſe quod nõ fuit.

ITEM †Auguſtinus.

†*Hier.ad ca.3. Mich. id habet.*

Poſt condignam pœnitentiam priſtina recipiuntur officia. 20

CVm exaudiero eos, dabo eis virtutem ſpiritus mei: & implebo eos iudicio meo & fortitudine. Animaduertite in præſenti loco poſſe docere aliquem poſt peccatum, ſi tamen vitia priſtina pœnitentia digna diluerit. Vnde Dauid poſt adulterium & homicidiũ loquitur in Pſal. Aſperges me hyſſopo & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor: nec ſua tamen puritate contentus eſt, ſed infert: Redde mihi lætitiam

Eſaia.37.

Pſalm.50.

 ſalutaris

ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me. Cumque hoc feceris: docebo (ait) iniquos vias tuas: *& impij ad te conuertentur.*

Hieron. ad cap. 3. Zacharia. Zach. 3. a.

ITEM Hieronymus.

De eodem. 21

IEſus filius Ioſedech, ſacerdos magnus, quanquam in typo aduentum præceſſerit ſaluatoris, qui noſtra peccata portauit, & alienigenam ſibi ex gentibus copulauit eccleſiã: tamen ſecundum literã poſt ſacerdotium ſordidatus inducitur: aſtat diabolus à dextris eius: & candida illi deinceps veſtiměta redduntur.

cap. ſecundo.

ITEM ex concilio Agathenſi.

Poſt pœnitentiam clerici correcti gradum ſuum & dignitatem recipiant. 22

COntumaces clerici prout dignitatis ordo permiſerit, ab epiſcopo corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia communionem fortaſſe contempſerint, aut eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita vt cùm eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemq́ue recipiant.

ca. 17. li. Mart. Brac. epi. de ſynod. Græcorum.

ITEM ex concilio Martini papæ.

De eodem. 23

SI quis presbyter aut diaconus aut ſubdiaconus inuentus fuerit aliquid de miniſteriis eccleſiæ venundaſſe: quia ſacrilegium commiſit, placuit eum in ordinatione eccleſiaſtica non haberi. In iudicio tamen epiſcopi dimittědus eſt, ſi in ſuo debeat recipi gradu: quia multoriens hoc ipſum quod de ſacroſancto altario contaminatum eſt, in epiſcopi poteſtate dimiſſum eſt.

Auguſt. epi. 50.

ITEM Auguſt. ad Bonifacium.

[a] Palea. 24

a b Hæ duæ Paleæ deſunt in meo manuſcr.

BEne valet ſacerdos reſtitui ad honorem ſuum poſt peractã pœnitentiã: licet in hoc diuerſi diuerſa ſentiãt, dicentes nõ poſſe reſtitui ad honorem: ſed ſic dictum eſt propter ſimulatas pœnitentias quorundã, & propter affectatas honorum dignitates.

ITEM Auguſtinus.

[b] Palea. 25

SAcerdos quidem ſi cadit, valet & habet reſtitutionis locum poſt dignam peractam pœnitentiã in honorem ſuum, propheta atteſtante, qui ait: Nunquid qui cadit, non adiiciet vt reſurgat? Et B. Grego. hoc dicit ad Secundinum epiſcopum incluſum amicum ſuum. Etiam ab ipſo propheta in hoc argumentum habemus: qui cùm poſt peractum adulterium, & homicidium perpetrauit: tamen poſtea peracta digna pœnitẽtia per Dei gratiam ad priſtinum officium reſtituitur.

Pſalm. 40. Greg. epiſt. 53. li. 5. ad Secũdinum. 3. pars.

GRATIAN.

“ Quomodo igitur huiuſmodi auctoritatum diſſonantia ad concordiam reuocari valeat, breuiter inſpiciamus. Sunt tamen quidã quos nõ odium criminis, ſed timor vtilitatis, & amiſſio

proprij

„ proprij gradus,& ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit.hos „ sacri canones irreparabiliter deiiciunt, quia qui simulatione „ pœnitentiæ, vel affectione honoris à Deo non consequitur „ veniam:nec ab ecclesia reparationem meretur.

VNDE Augustinus scribit ad Bonifacium. *epist. 50.*

Quare constitutum est in ecclesia ne post pœnitentiam quis ad clericatum redeat. 26

VT constitueretur in ecclesia ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat: non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ, alioquin contra claues ecclesiæ datas disputabitur. de quibus dictum est: Quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo. *Matth. 16.c* Sed ne fortè etiá de cæteris criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, seuerissimè placuit vt post actam pœnitentiá de damnabili crimine nemo sit clericus: vt desperatione tẽporalis altitudinis medicina maior & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam: & tamẽ in honore suo perstitit. *1. Reg. 11.* *Matth. 26.g* Et beatum Petrum, quando amarissimas lachrymas fudit, vtique Deum negasse pœnituit: & tamen Apostolus permãsit. Sed non ideo opinanda est superuacua posteriorum doctorũ diligentia: quia vbi saluti nihil detrahebatur: humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius inueniretur. Expertus credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborũ, verum in huiusmodi causis vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis periculum, sed populorum plurimorum strages iacet: detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus sanandis malis charitas syncera subueniat. ITEM ex epistola Cleri Romani missa papæ Cypriano. *epi. 1. lib. 2. epistola. Cypriani.*

Reparationis beneficium non nisi post pœnitentiam potest cõcedi. 27

ABsit à Romana ecclesia vigorem suum tam prophana facilitate dimittere, & neruos seueritatis euersa fidei maiestate dissoluere, vt cùm adhuc non tantum iaceãt [in peccatis] *deest in manus.* sed etiam cadãt euersorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum vtique non profutura præstentur. vbi enim poterit pœnitentiæ medicina procedere, si etiá ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? Hoc est nõ curare: sed (si verum dicere volumus) occidere est.

ITEM Cyprianus de lapsis. *Sermone 5.*

Impœnitentibus venia concedi non potest. 28

SI quis præpostera festinatione temerarius remissionem peccatorum cunctis putat se dare posse, aut audet Domini

præ-

præcepta rescindere: non tãtum nihil prodest, sed obest lapsis. prouocasse enim iram Dei est, non seruasse sentẽtiam: nec misericordiam piissimi Domini deprecari. sed contempto domino de sua facilitate præsumere. & infra. Mandant enim aliqua martyres fieri: sed si iusta, si licita, si nõ contra ipsum Dominum ac Dei [sacerdotes] sunt, facienda [sunt.] Si obtemperantis facilis & prona confessio, si pœnitentis fuerit religiosa moderatio. Mandant Martyres aliqua fieri: sed si scripta non sunt in lege Domini quæ mandant: antè est vt sciamus illos à Deo impetrasse quæ postulant: & tunc facere [a] quod mandãt. Neque enim statim videri potest *de* diuina maiestate concessum, quod fuerat humana pollicitatione promissum. Nam Moyses pro peccatis populi petiit, nec tamẽ peccantibus veniam à Deo cùm petiisset accepit.

Sacerdotium.
a quæ
Exod. 32. in fi.

Item Isidorus ad *Massanum episcopum.

al. Massianum.
Rabanus cap. 1. li. pœnitentium.

Qui sunt reparandi post lapsum, vel qui non. 29

DOmino sancto, meritisque beato, fratri [b] Massano episcopo Isidorus episcopus salutem. Quod in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, videlicet quòd in canone Ancyritano capitulo xix. legitur post lapsum corporalem [c] restaurandum honoris gradum post pœnitentiam: alibi legitur post huiusmodi delictum nequaquam reparãdum antiqui ordinis meritum: hæc diuersitas hoc modo soluitur. Illos enim ad pristinos gradus redire canones præcipiunt, quos pœnitẽtiæ præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At cõtra hi qui neque à vitio corruptionis emẽdantur, atq; hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, vendicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum vtiq; honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Ergo ita est determinanda sententia, vt necesse sit illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiã reconciliationem recepisse merentur diuinæ pietatis. Hi enim non immeritò consequuntur ademptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur remedium vitę. Id autẽ ne fortè magis sit ambiguum, diuinæ authoritatis sententia confirmetur. Ezechiel quidem propheta sub typo præuaricatricis Hierusalem ostendit post pœnitentiæ satisfactionem pristinum restaurari posse honorem. Confundere (inquit) ô Iuda, & porta ignominiam tuam. & post paululum: Et tu, inquit, & filiæ tuę reuertimini ad antiquitatẽ tuam. Quod dixit confundere, ostendit post opus peccati debere quemque erubescere, & post confessionem pro admissis sceleribus verecundam frontem humo postratam demergere, pro eo quòd dignum confusione perpetrauerit opus. Deinde præcepit vt post ignominiam [d] & deiectionem sui nominis siue dignitatis reuertatur ad suam antiquitatem. Ergo dum

b al. Maximiano.
Eadẽ Isi. refert.
c reparandum.
Ezech. 16.
d id est. in manu script.

dum quisque post opus confessionis suæ confunditur, atque ignominiam portans, depositionem suam cum humilitate luget, reuocari secundum prophetam ad prioré statum poterit.

Item Ioannes euangelista angelo Ephesi ecclesiæ inter cætera quędam similia scribit: Memor esto vnde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: alioquin veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco eius. Ecce inquantum valui: concilij [a] Ancyritani antiquam planè, & plenam authoritatem sacris testimoniis explanaui, ostendens eum posse restaurari in proprio gradu qui per pœnitentiæ satisfactioné nouerit priora delicta deflere. Qui verò negligit nec luget quæ gessit, & lugenda sine vllo pudore religionis, vel timore diuini iudicij cómittit, eum nullo modo posse ad pristinum gradum restaurari cognoscas. In fine autem huius epistolæ hoc adiiciendum putaui, vt quotienscunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilij sententia magis teneatur, cuius [b] antiquior & potior extat authoritas.

Apocal. 2.b.

a Acquiritani. vet.

b etiam tempore.

GRATIAN.

" *Quicunque igitur pro criminibus suis dignè Deo pœnitentiam obtulerint, authoritate Gregorij, & Augustini, & Hieronymi, & Isidori, gradum pristinæ dignitatis recipere possunt. Qui autem non odio criminis, sed timore vilitatis, vel ambitione dignitatis vel honoris, falsas Deo pœnitétias offerunt, in pristini honoris gradum reparari minimè poterunt. Sed obiicitur illud Hormisdæ papæ, qui scribit omnibus episcopis per vniuersas prouincias.

Iuo refert lib. 3. de continentia clericorum.

*Obserua differentiam iuris diuini siue canonici à iure ciuili. In hoc enim quòd postremum plebes sciscit, id ius ratumq. esse iubet lex XII. vt ait Liuius. Videturque semper posterior legislator priore prudentior. At in illo omnia in contrarium se habent. Contius.

Diaconus aut presbyter in adulterio deprehésí reparari nó possunt. 30

S†I quis diaconus aut presbyter post acceptam benedictionem leuiticam, cum vxore sua incontinens inueniatur, ab officio [suo] abiiciatur. Ecce manifestè constat, quia secundum titulos antiquorum patrum sancto spiritu suggerente cóscriptos, & secundum sententias cccxviij. episcoporum, quas etiam Gallicani canones continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis conuicti, ad honorem redire non possunt. Sed quia fortè non desunt quibus pro nimia pietate suprascripta sanctorum patrum seueritas minimè placeat, sciant se cccxviij. episcoporum, qui & reliquos statuerunt canones, sententias reprehendere vel damnare: sed quia fortè maior est in illis pietas, quàm in suprascriptis cccxviij. episcopis: maior est in illis misericordia, quàm in sancto Ioanne papa: maior charitas, quàm in reliquis sanctis sacerdotibus, qui

ho

hoc exemplo remedia ecclesiarum suis diffinitionibus delibe- rarunt: & ideo aut prona voluntate præceptis illorum consen tiant, aut omnibus illis contrarios & inimicos se esse cogno- scant. Quæ est ista iustitiæ inimica bonitas, palpare crimino- sos, & vulnera eorum vsque in diem iudicij incurata seruare? Quòd si eos durissimam pœnitentiam per plurimos annos viderimus agere: tunc nos & saluti eorum possemus consu- lere, & statuta canonum deberemus temperare. Cùm verò in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instãtia orandi ap- pareat, nec beatum Dauid imitentur, qui dicit: Lauabo per sin-
Psalm. 6. gulas noctes lectũ meũ, lachrymis meis stratum meũ rigabo.
Psalm. 101. & illud: Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam: nec eos ieiuniis vel lectionibus vacare videamus, possumus agnoscere si ad pristinos gradus vel honores redirent, cum quanta negligentia, & cum quanto
[a] *torpore* [a] tepore, & animæ suæ inimica securitate permanerent, credẽ- tes quòd sic eis non acta pœnitentia digna dimiserit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse videntur. Verè dico quia ipsi quibus cum periculosa & falsa misericordia indulgere vide- mur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos causam dicturi sunt dicentes, quòd dũ ad duram asperitatẽ linguæ eorum expauimus, aut falsa blan- dimenta & periculosas adulationes ipsorum libenter accepi-
[b] *indulgebamus:* mus, in eisdẽ permanere peccatis eis inutiliter [b] indulgemus:
[c] *permisimus.* aut ipsa peccata augere [c] permittimus, non recordantes illud
Num. 6.c. quod in veteri testamento scriptũ est: quia vno peccante, con- tra omnes ira Dei desæuiit.

ITEM Hieronymus.

†Falso hic astruunt glossographi hæc verba esse Nicæni concilij, cùm disertè scribat Sozomenus libro secundo Tripartit. histor. ecclesiast. obtineri non potuisse in eo concilio, vt episcopi, presbyteri, diaconi, & subdiaconi, cum coniugibus quas ante consecrationem acceperant, non dormirent, dissuadente Paphnutio. Verum id postea 33. cap. concilij Elibertini, apud Latinos decretum est. Non defuerunt tamen qui dicerent Paphnutij sententiam non fuisse admissam, sed ea explosa, continentiam fuisse clericis indictam. Et id eo argumento probant, quòd in eodem concilio prohibentur habere συνείσακτον mulierem. Nam quid ab ea metuendum erat, (inquiunt) si domi erat iusta vxor, cùm nec id à laicis metueretur? Sed quid hac de re veriùs dicatur, iudicent docti. Ant. Contius.

Difficile est post lapsum ad pristinum gradum redire. 31

QVicunque dignitatem diuini gradus non custodiunt, con- tenti fiant animam saluare. Reuerti enim in pristinum gradum post lapsum difficile est.

ITEM Basilius.

Lapsus

Lapsus post pœnitentiam, altario tantum ministret. 32

QVi sub gradu ceciderit post pœnitentiam, contentus fiat baptizare, communionem infirmis dare, & altario tātummodo ministrare. ITEM ex concilio Ancyritano. *Cap. 1.*

De sacerdotibus, diaconis, vel laicis qui idolis thurificant. 33

PResbyteros qui immolauerunt, & postea iterum certamen inierunt, si ex fide luctati sunt, & non ex cōpacto ad ostentationem vt offerent ipsi fecerunt: hos placuit honorem quidem sedis propriæ retinere, offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi non liceat. Diaconi similiter qui immolauerunt, postea verò iterum reluctati sunt, aliàs quidem honorem habere oportet: *Ca. 2. eiusdem.* cessare autem debent ab omni sacro ministerio, ita vt nec panem, nec calicem offerant, nec euangelium pronuncient: nisi fortè aliqui episcoporum conscij laboris eorum & humilitatis, & mansuetudinis voluerint eis amplius tribuere vel adhibere. penes ipsos ergo de his erit potestas. Qui autē fugientes comprehensi sunt, vel à domesticis traditi, vel ademptis *Ca. 3. eiusdem.* facultatibus sustinere tormenta, aut in custodiam detrusi proclamauerunt se Christianos esse, & eousque astricti sunt, vt manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funestis sacrificiis admouerent, vt aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur: in omni deiectione & habitu & humilitate vitæ fidem cōfitentes, hos velut extra delictum constitutos, à communionis gratia nō prohiberi decernimus.

Si verò prohibiti sunt ab aliquibus, propter cautelam ampliorem, vel propter quorundam ignorantiam statim recipiantur. Hoc autem similiter & de clericis, & de laicis obseruare conueniat. Perquisitum est autem & illud, si possunt etiam laici qui in has necessitatis angustias inciderunt, ad clericatus ordinem promoueri? Placuit ergo & hos tanquam qui nihil peccauerint, si præcedens eorum vita probauerit, ad hoc officium prouehi. De his autem qui negauerunt præter necessitatem, aut præter oblationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid huiuscemodi (quod factum est sub tyrannide Licinij) placuit sanctæ synodo; quāuis humanitate probentur indigni; tamen eis beneuolentiam commodari. *Ca. 11. concil. Niceni, & ca. 5 cōc. Ancyritani.*

„ Sed illud Hormisdæ papæ desidiosos & negligentes, non *GRATIAN.*
„ verè pœnitentes reparari prohibet. Illud autem Hieronymi
„ fatetur hoc esse difficile, non impossibile. Basilius autem circa
„ delinquentes rigorem iustitiæ seruandum ostendit, quem cir-
„ ca pœnitentes alij relaxandum misericorditer affirmant.

Possunt & aliter distingui præmissæ auctoritates, secundū iustitiæ rigorē, quorum crimina manifesta sunt, ante vel post ordina-

ordinationem à sacris ordinibus deiiciendi sunt. quorum autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundum sacerdotis edictum purgant, in propriis ordinibus remanere possunt. VNDE Nicolaus papa Carolo archiepiscopo & eius suffraganeis.

In gestis concilij Vormatien. etiã habetur.

Non potest restitui in sacerdotiũ, cuius crimẽ fuerit manifestum. 34

SAcerdotes si in fornicationis ceciderint laqueum, & criminis manifestus siue ostensus sit actus, sacerdotij honorem habere non possunt secundum canonicæ institutionis authoritatem. ITEM Rabanus archiepiscopus scribit ad Heribaldum.

Rabanus cap. 1. lib. pœnitentium

Ex Iuone par. 3 vbi additur ex concilio Ilerdẽsi cap. 10.

Qui valeant reparari post lapsum, vel non. 35

DE his verò visum est nobis scribendum esse qui sacros ordines habentes, & ante vel post ordinationem contaminatos se esse in capitalibus criminibus confitentur. In quibus (vt mihi videtur) hæc distantia esse debet, vt hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta à proprio gradu decidant, quia scandalum est populo dei tales personas supra se positas habere, quas vltra modum vitiosas esse constat, nempe inde retrahuntur homines à sacrificio Dei, sicut quondã Heli filiis peccantibus fecisse leguntur, & rebelles huic atque contrarij existentes eorum prauis exemplis quotidie peiores fiunt. Qui autem de prædictis peccatis absconsè à se admissis peccata per occultam confessionem coram angelis Dei præsente etiam sacerdote qui eis indicturus est pœnitẽtiam, confitentur, & semetipsos grauiter deliquisse queruntur, si se per ieiunia & eleemosynas vigiliasque & sacras orationes purgare certauerint, his etiã gradu seruato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.

4 pars. GRATIA.

De lapsis etiam in hæresim hoc obseruandum est, vt ante sententiam concilij nullus eis communicet.

Cyprian. e visc. Carth. epist. 2. lib. 4. ad Antonianum.

VNDE Cyprianus papa Antonio ait inter cætera.

A communione abstineant, qui lapsis ante restitutionẽ cõmunicant. 36

DE eo autem quod statuendũ esset circa causam lapsorum, distuli, vt cùm quies & tranquillitas data esset, & episcopos in vnum conuenire, indulgentia diuina permitteret, tunc communicato & librato de omnium collatione concilio statuerem quid fieri oporteret. Si quis verò ante concilium nostrũ, & ante sententiam de omni concilio statutam communicare voluisset temere lapsis, ipse à communione abstineat.

5. pars. GRATIAN.

Quod verò supra de homicidiis statutũ legitur, intelligitur quando facultas effugiendi datur, nec necessitate clauduntur obsidionis. Cæterùm cùm necessitate angustati effugere non possunt: si tunc homicidium admiserint, purgati per pœnitentiam

tentiam & communioni & officio reddantur. VNDE in Hilerdens. concilio cap. j. legitur. Cap. 1.

Post duorum annorum pœnitentiam officio & communioni restituantur clerici, qui in obsidionis positi necessitate sanguinem fuderunt. 37

DE his clericis qui in obsidionis necessitate positi fuerint, id statutum est, vt qui altario ministrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine (etiam hostili) se abstineãt. quod si in hoc cæciderint, tam officio quàm communiõe corporis Domini duobus annis priuentur, ita vt in duobus annis vigiliis & ieiuniis & orationibus & eleemosynis pro viribus quas Dominus donauerit, expientur, & ita demum officio vel communioni reddantur: ea tamen ratione, ne vlterius ad officia potiora promoueantur. Quòd si in definito tẽpore negligentiores circa salutem suam extiterint, protelandę ipsius pœnitentiæ tempus in potestate maneat sacerdotis.

" Casu quoque si clericus homicidium fecerit, in proprio gra" du ex dispensatione remanere permittetur. GRATIAN.

VNDE Vrbanus ij. scribit Guernerio Narbonensi episc.

Qui casu homicidium facit, ex dispensatione in ordine suo [illegible] permaneat. 38

Iuo Carn. lib. 3. de clerico homicida refert.

CLerico iaciente lapidem puer dicitur interemptus. nos pro amore Dei & tuo, in suo ordine eum permanere permittimus: vt tamen semper in pœnitentia & timore permaneat.

ITEM Stephanus v.[a] Sichiberto Corsicæ episcopo. Iuo ibidem.

De eodem. 39

a Sichiperto.

QVia te quasi obnoxium iudicas, eo quòd à Sarracenis captus homines interfecisse videris, bene facis: sed quoniã non tua spõte id fecisse cognosceris, inde canonicè nullo modo iudicaris.

" Si verò ira presbyter commotus aliquem interfecerit, etsi " animum occidendi non habuerit, perpetuò tamen depositus " erit. VNDE Nicolaus papa scribit Hosbaldo [b] coepiscopo Quadrantino. GRATIAN.

b corepiscopo legend. ex manuscript.

Perpetuo careat officio presbyter qui ira commotus, licet extra animum aliquem interfecerit. 40

STudeat sanctitas tua persuadere episcopo tuo sibi canonicum consociare numerum collegarum, id est, sex ex vicinis prouinciis fratres & coepiscopos suos: quibus tecum coniunctis & decernentibus diligenter inuestigate, & omni nisu perscrutari procurate quatenus inuenire valeatis, vtrum[l] pro percussione iam nominati presbyteri, an ceruicis fractione idem diaconus (vt fertur) extinctus est: qui si quidẽ à præfato presbytero non ad mortem percussus est, sed ex equo cadens ceruice fracta interiit: secundum arbitriũ vestrum pro percussiõe incautè

deest pro.

incautè agenti presbytero, pœnitentiam competentem indicite: & aliquanto tempore à missarum solenniis suspendatur: denuò post hoc ad sacerdotale rediturus officium. Quòd si veraciter qualicunque percussione presbyteri ille mortuus est diaconus, hunc nulla ratione ministrare sacerdotis more decernimus: quoniam etsi voluntatem occidendi nō [a]habuerit, furor tamē & indignatio, ex quibus motio illa mortifera prodijt: in omnibus & præcipuè in dei ministris multipliciter inhibetur atque damnatur. Verum si presbyter adeò vestro studio obnoxius [fortè] claruerit, præcipimus vt tale beneficiū sibi ecclesiæ suæ concedatur: quo & ipse & sui [b]sufficiēter possint habere suæ sustentationis solatium.

a habuit

b sufficiens

In gestis Vormaticen. conci. ferè his verb. legitur Duæ sequentes paleæ desunt in meo manuscr.

ITEM ex concilio Maticen. cap. 6.

Palea. 41

QVi verò odij meditatione, vel propter cupiditatem Iudęū vel paganum occiderit quia imaginem Dei, & spem futuræ conuersionis exterminat: quadraginta dies in pane & aqua pœniteat.

Palea. 42

SI quis homicidium fecerit: si episcopus est, quindecim annis pœniteat, & deponatur: cunctos quoque dies vitæ suæ peregrinando finiat. Presbyter duodecim annis pœniteat: tres ex his in pane & aqua, & deponatur superioris sententia. Diaconus decem annis pœniteat: tres ex his in pane & aqua. Clericus & laicus septem annis pœniteat, tres in pane & aqua: & ad gradum cuiuslibet sacerdotij accedere non præsumat.

ITEM ex concilio Neocæsariensi.

Quinquennio a communione abstineant, qui casu homicidiū faciunt. 43

EOs verò qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint: [c]prior quidem regula post septem tantum annorum pœnitentiam communioni sociauit, secundum gradus constitutos. hæc verò [d]humana diffinitio quinquennij tempus tribuit.

Id habetur cap. 22 con. Ancyr. sic in manuſ. sed nō inuenitur tamen in Neocæs. c quænam erat prior Ancyranaȝ Nam nec in canonib. apostolorū id canebatur. d humanior *legendum.*

ITEM ex concilio Elibertano, cap. 5.

Quibus temporum spatiis à communione abstineat, quæ voluntate vel casu ancillam suam interfecerit. 44

SI qua fœmina zeli furore accensa, flagellis verberauerit ancillam suam, ita vt intra certum diem animam cum cruciatu emittat: eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit. Si voluntate, post septem annos: si casu, post quinque annorū tempora (acta legitima pœnitētia) ad cōmunionē placuit admitti. Quòd si intra cōstituta tēpora fuerit infirmata: accipiat communionem. ITEM ex concilio Martini papæ.

Ca. 79. si. Martini Brachar. episc. ex synodis Græcorum.

De his qui voluntate vel casu homicidium faciunt. 45

SI quis voluntate homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiæ catholicæ semper iaceat: & communionem in exitu vitæ

suæ

suæ recipiat. Si autem non voluntate, sed casu aliquod homicidium fecerit: prior canon septem annis agere pœnitentiam iussit: secundus canon quinque mandauit.

ITEM ff. tit. de Furtis l. Qui saccum. 46 Pomponius lib. XIII. ex variis lectionibus.

QVi saccum habentem pecuniam surripuit, furti etiam sacci nomine tenetur: quamuis non sit ei animus sacci surripiendi.

„ Contrà animum non est opus puniri: vt libro ix. C. tit. ad „ l. Cornel. de sica. [a]exẽplis sacrarum literarum Diocletiani & „ Maximiani colligitur. GRATIAN. C. ad l. Cornel. de sic. Eum qui. a exemplo

De eodem. 47

EVm qui asseuerat homicidium se non voluntate, sed casu fortuito fecisse cùm calcis ictu mortis occasio præbita videatur: si hoc ita est, neq; super hoc ambigi poterit: omni metu ac suspicione quã ex admissæ rei discrimine sustinet, secundum id quod annotatiõe nostra cõprehẽsum est, volumus liberari. ITEM imperator Antoninus C. ad l. Cor. de sica. l. j.

Palea. 48 hæc palea deest in meo manusc. Contius.

FRater vester rectius fecerit, si se præsidi prouinciæ obtulerit. Quòd si probauerit non occidendi animo hominem, à se percussum esse: remissa homicidij pœna secundum militarem disciplinam sententiam proferri. Crimen enim contrahitur si & voluntas nocendi intercedat. Cæterum ea quæ ex improuiso casu potius quàm fraude accidunt: fatò plerunque, nõ noxæ imputanda sunt. HINC & Gelasius papa. Ibidem, Frater.

De eodem. 49

QVantum dicit iste placidus, anno præterito dictum est de vxore illius, [b]quæ subitò inter caballos inuenta est: & dũ traherentur caballi, collisa est illa: & abortum fecit. b quia, in manuscriptis.

Quod si ita est, fortè si caballos alienos [furatos] tulerit: inde est culpabilis. Nam de muliere quæ casu inter caballos confracta est: vbi voluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse: non potest addici & occidi per leges.

ITEM Nicolaus papa.

De eodem. 50

HI qui arborem incidere videntur, si contigerit vt cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt atq; innoxij: quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidiũ perpetratum est. Si verò aliqua culpa eorum vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur aduenisse, abiiciẽdi sunt à gradu, & in sacro ordine nullatenus suscipiendi.

ITEM ex concilio Guarmaciensi. Ex concil. Varmaciensi.

De eodem. 51

SAepè contingit dùm quis operi necessario insistens arborem inciderit, vt aliquis subtus ipsam veniens deprimatur:

& iccirco si voluntate vel negligentia incidentis arborem factum est, vt homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quod si non ex voto, sed incuria illius mortuus est, non hæc eum sententia contingit. Si enim dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrerit sub arbore, & sub ipsa oppressus est: incisor arboris non tenetur pro homicida. ITEM ex concilio Triburiensi, cap. 36.

De eodem. 52

SI duo fratres in sylua arbores succiderint: & appropinquãte casura ipsius arboris, frater dixerit fratri, caue: & ille fugiens, in pressuram arboris ceciderit, & mortuus fuerit: viuẽs frater innocens de sanguine germani diiudicatur.

GRATIAN. Præmissis auctoritatibus lapsis permittitur, vt post pœnitentiam in suis ordinibus reparari valeant: ad maiorem autẽ conscendere, post lapsum nulla eis auctoritate permittitur, immo penitus prohibetur.

VNDE in Hilerdensi concilio cap. 5. legitur.

Lapsi in suis ordinibus reparari possunt, sed non ad maiora conscendere. 53

HI qui altario sancto deseruiunt, si subitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & domino respiciente dignè pœnituerint, ita vt mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab ecclesiæ corpore segregare: ita tamẽ, vt sic officiorum suorũ loca recipiant, ne possint ad altiora officia vlterius promoueri. [Quòd si iterato velut canes ad vomitum reuersi fuerint, & velut sues in volutabris euersi iacuerint: non solum dignitate officij careant, sed etiam sanctam communionem non nisi in exitu percipiant.] Sed exemplo B. Petri, qui postquam trinæ negationis maculas confessione diluit amoris: non solum in gradu sui apostolatus remãsit, verumetiam in pastorem totius ecclesiæ à Christo institui meruit: probãtur lapsi post dignam pœnitentiam, non solum propria officia retinere, sed etiam ad maiora posse conscendere.

Inclusa desunt in manusc. Grat.

Matth. 26.

GRATIAN. Quod autem B. Petrus post negationem pastor ecclesiæ à Domino sit institutus, probatur auctoritate beati Gregorij, qui in homilia dominicę resurrectionis de eodẽ principe apostolorum scribit, dicens:

Greg. hom. 21. euangeliorum.

Petrus post culpam negationis princeps apostolorum à Domino est institutus. 54

COnsiderandum nobis est, cur omnipotens Deus eum quẽ cunctæ ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirũ magnæ esse actum pietatis dispẽsatione cognoscimus: vt is qui futurus

rus erat pastor ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret quàm misericorditer alienas infirmitates toleraret.

ITEM Ambrosius in homilia lib. j. *Ambro. serm. 47 de fide Petri id habet.*

Post negationem in fide & gradu Petrus profecit. 55

FIdelior factus est Petrus postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. tanquam enim bonus pastor tuendum gregem accipit: vt qui sibi ante infirmus fuit, fieret omnibus firmamentum: & qui se interrogationis tentatione mutauerat, cæteros veræ fidei stabilitate fundaret: denique propter soliditatem deuotionis ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamentum posuerit, & tãquam saxum immobile totius corporis Christianitatis compagem molemque contineat. *6. pars.*

GRATIAN. " Item obiicitur: pœnitentes ad sacros ordines promoueri nõ " debent. non ergo lapsi post pœnitentiam ad maiora pertinge- " re possunt. VNDE in concilio Carthaginensi quarto, cap. 68. legitur.

Non ordinetur clericus ex pœnitẽtibus: & si ordinatur, deponatur. 56

EX pœnitentibus quamuis sit bonus, tamen clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, à clero deponatur: quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitẽtem. Si autem sciens episcopus ordinauerit talem: etiã ipse ab episcopatu suo ordinandi duntaxat potestate priuetur. *cap. 69. eiusdẽ.* Simili sentẽtiæ subiacebit episcopus, si sciens ordinauerit clericum, qui viduam aut repudiatam vxorẽ habuerit aut secundam. ITEM Siricius papa *Imerio episcopo. *epist. 1. cap. 15.* *a Igmaro*

Digamus, pœnitens, viduæ maritus, sacræ militiæ se ingerens, sine spe promotionis in suo ordine permaneat. 57

QVicunque pœnitens, quicunque digamus, quicunque viduæ maritus ad sacram militiam indebitè & incompetenter irrepserit: hac sibi conditione veniam à nobis intelligat relaxatam, vt in magno debeat cõputare beneficio si adempta sibi omni spe promotionis, in hoc quo inuenitur ordine perpetua stabilitate permaneat.

ITEM ex concilio Gerundensi cap. 9.

Non prohibeatur à clero qui pressus languore per communionem pœnitentiæ benedictionem accepit. 58

SI verò qui in ægritudinis languore depressus pœnitentiæ benedictionẽ (quam viaticum dicimus) per cõmunionem acceperit, postmodum reconualescens caput pœnitentiæ in ecclesia publicè non subdiderit: si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

ca.1.epi. ad :opos Hispa. ITEM Hormisda papa omnibus episcopis per vniuersas prouincias constitutis.

Qui ad pœnitentiam agendam in monasterio recluditur, presbyter non ordinetur. 59

SI ille qui vltro petit pœnitentiã: quanuis eam perfectè agat, non potest episcopus aut presbyter ordinari, ita vt etiam si per ignorantiam ordinatus fuerit, & postea conuincitur pœnitentiam accepisse, deiiciatur: ille ergo qui inuitus ad pœnitentiam agendam mittitur in monasterium, (qui vtique nihil aliud quàm pœnitens dicendus est) qua conscientia ad sacerdotium peruenire permittitur? Nemo mihi talia quælibet contra auctoritatem sedis apostolicæ, vel cõtra cccxviij. episcoporum & reliquorum canonum constituta obiiciat: quia quicquid contra illorum diffinitionẽ (in quibus spiritum sanctum credimus locutum) dictum fuerit, recipere non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.

Gelas. pa. 1. epi. ad episcopos per Lucaniam & C :m. cap. 5. ITEM Gelasius vrbis Romæ episcopus omnib. episcopis.

Digamus vel quilibet post pœnitentiam sacris non applicetur ministeriis. 60

NOn confidat quisquam pontificum fas esse digamos, aut coniugia sortiẽtes ab aliis relicta, siue quoslibet post pœnitentiam, vel sine literis, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ publicarumq́; rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis expectatione discussos, diuinis seruituros applicare ministeriis.

Inno. pa. 1. epist. 6. ad Agapitum & Macedoniũ. ITEM Innocentius.

Pœnitentes nec etiam clerici fieri possunt. 61

CAnones apud Nicenam constituti, pœnitẽtes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.

GRATIAN. " Hoc non de quibuslibet pœnitentibus intelligitur, sed de " illis tantum qui post actam pœnitẽtiam secularis militiæ cin- " gulum accipiunt. DE quibus Innocent. episcopus scribit " Victori Rothomagensi episcopo.

Inn. epist. 2. c. 2

Non debet fieri clericus qui post remissionem peccatorum militiæ cingulum habuit. 62

SI quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ secularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

GRATIAN. " Potest & aliter intelligi: est quædam pœnitentia quæ solen- " nis appellatur, quæ solum semel tantũ in ecclesia conceditur: " de qua Ambrosius ait: Sicut vnum est baptisma, ita vnica est " pœnitentia. Item. Non est secundus locus pœnitentiæ. Item " †Hieronymus: Reperiuntur quàm plurimi qui sæpius agen- " dam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo. Nam si " verè pœnitentiam agerent, nunquam iterandam putarent.

Ambr. ca. 10. l. 2. de pœnitẽtia. †Ambr. id habet ibidem.

Aug. epist. 54. ITEM Augustinus ad Macedonium.

De

De eodem. 63

QVanuis caute [& subtiliter] & salubriter prouisum sit, vt locus humillimæ pœnitentiæ semel tantum in ecclesia concedatur, ne medicina nimis vtilis *vilis habeatur: tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam venia negatur. HAEC autem pœnitentia quomodo imponenda sit, in Agathensi concil. legitur, in quo sic statutum est.

In manusc. deest. & subtiliter. rectè. quid .n. huc pertinet subtilitas? *vilis vel minus esset ægrotis cap. II.

Quomodo pœnitentes ad pœnitentiam accedant. 64

POenitentes tempore quo pœnitentiam petunt: impositionem manuum, & ciliciũ super capita sua à sacerdote (sicut vbiq; statutum est) consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abiiciantur: & nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuuenibus etiam pœnitentia non facilè committenda est, propter ætatis fragilitatem: viaticum tamen omnibus in morte positis nõ est negandum.

ITEM ex eodem.

non inuenitur hodie in eo.

Quæ sint seruanda in solenni pœnitentia. 65

IN capite quadragesimæ omnes pœnitẽtes qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiã, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo ciuitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram dimissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, id est, archipresbyteri, [presbyteri] parœciarum, & presbyteri pœnitentium, qui eorum pœnitentiã & conuersationẽ diligẽter inspicere debent: & secundum modum culpæ pœnitentiã per præfatos gradus iniungere. Post hæc eos in ecclesiã introducãt, & cum omni clero septẽ pœnitentiales psalmos in terra prostratus episcopus cum lachrymis pro eorum absolutione decãtet: tunc resurgens ab oratione (iuxta quod canones iubent) manus eis imponat, benedictam aquã super eos spargat: cinerẽ prius mittat: deinde cilicio capita eorum operiat: & cum gemitu crebris suspiriis denunciet eis, quoniã sicut Adam proiectus est de paradiso, ita ipsi pro peccatis ab ecclesia abiiciũtur. postea iubeat ministris, vt eos extra ianuas ecclesiæ expellant: clerus verò prosequatur eos cum responsorio, scilicet: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, *&c.* vt vidẽtes sanctã ecclesiã pro facinoribus suis tremefactã atq; commotã, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autẽ Domini cœna rursus ab eorum decanis & eorum presbyteris ecclesiæ liminibus repræsententur. Hãc pœnitentiam nulli vnquam clericorum agere conceditur: atq; ideò huiuscemodi pœnitẽtes ad clerum admitti prohibentur.

Genes. 3.

VNDE in Cartha. conci. v. statutum est. *Cap. II.*

Clericis non imponitur manus tanquam pœnitentibus. 66

COnfirmandum est, vt siquando presbyteri vel diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint, qua eos à ministerio

rio necesse sit remoueri ad tempus: nõ eis manus tanquã pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur: neq; vnquam permittendum est, vt rebaptizati ad clericatus gradum promoueantur. VNDE Siricius papa.

Epist. 1. ad Himerium ca. 14.

Nec clerico pœnitentiam agere, nec pœnitenti ad clericatum accedere permittitur. 68

ILlud quoque nobis par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere nulli vnquam conceditur clericorum, ita post pœnitudinem ac reconciliationem cuiquam laicorum non licet honorem clericatus adipisci: quoniã quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamẽ gerendorum sacramentorum debent instrumenta accipere, qui dudum fuerunt vasa vitiorum. ITEM Leo papa.

Leo pa. 1. epist. 90. ad Rusticũ Narbonẽ. episc.

Presbyteris & diaconis tanquam pœnitentibus non debent manus imponi. 69

ALienum est à consuetudine ecclesiastica, vt qui in presbyterali honore, aut diaconij gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiãt pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit: secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro eo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, priuata est expetenda successio: vt illis si satisfactio fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Leuit. 4. a.

PROBANTVR etiam auctoritate Toletani concilij huiuscemodi pœnitentes ad clerum non admittendi. In quo sic statutum est.

Ca. 2. cõ. Tol. 2

Causa necessitatis ad clerum pœnitentes admittantur. 70

PLacuit vt pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas aut vsus exegerit, tunc deputentur inter ostiarios vel inter lectores, ita vt epistolam vel euangeliũ non legant. Si qui autem ordinati sunt in diaconos, inter subdiaconos ita habeantur, vt manus non imponant, nec sacra contingant. Eum verò pœnitentẽ dicimus, qui post baptisma aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio diuino fuit reconciliatus altario. Apostatæ quoque ad clericatus officiũ admitti non debent. VNDE in concil. Arelatensi ij.

6. pars. Cap. 25.

Ad clericatus officium non admittantur apostatæ. 71

H*I qui post sanctã religionis professionẽ apostatant: & ad secularẽ redeunt cõuersationẽ: & postmodũ pœnitẽtiũ remedia nõ requirunt: sine pœnitẽtia communionẽ penitus nõ accipiãt: quos etiã iubemus ad clericatus officiũ non admitti: & quicunque ille sit, post pœnitentiam habitum secularem accipere non præsumat: quod si præsumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

**Si qui*

CVRIA-

CVRIALES MILITES FORENSES NON ORDINENTVR.
DISTINCT. LI.

GRATIAN.

„ ECce quòd criminosi, vel non verè pœnitentes, vel publicam pœnitentiam agentes, à sacris prohibentur ordinibus. Adiecit quoque sancta mater ecclesia, vt curiales aut post baptisma militantes, aut in foro decertantes, à sacris prohibeantur ordinibus. VNDE ait Innocentius papa.

Post baptismum militantes, vel in foro decertantes, à sacris prohibentur ordinibus. 1

Episto. 24. ad episc. in Toletana synodo constitutos.

ALiquantos ex his qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt: accitos ad sacerdotium esse comperimus: è quorum numero aliqui prohibentur ad sacerdotium assumi. aliquantos ex militia, qui cùm potestatibus obedierunt, sæua necessariò præcepta sunt executi. aliquantos ex curialibus: qui dum parerent potestatibus, quæ sunt sibi imperata fecerunt. aliquãtos qui voluptates & æditiones populis celebrauerunt, ad honorẽ summi sacerdotij peruenisse, quorum omnium neminem ad societatẽ quidem ordinis clericorum oportuerat peruenire. quæ si singula discutienda mãdaremus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus prouinciis quibus mederi cupimus, de studio emendationis induceremus. Idcirco remittẽda potius hæc putamus. Sed ne deinceps similia cõmittantur, dilectionis vestræ maturitas prouidere debebit vt tãtæ vsurpationi nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet cõstituto, vt quicunq; tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur. ITEM Felici episcopo Miceriano.

Idem Innocen. epist. 4. ad Felicem Nucerianũ episcopũ cap. 3.

De quibus laicis aliqui ad clericatum non possunt peruenire. 2

DEsignata sunt genera laicorum de quibus ad clericatum aliqui venire non possunt, id est, si quis fidelis administrauerit. De curialibus autem manifesta est ratio, quoniam etsi inueniãtur huiusmodi viri qui debeant clerici fieri, tamẽ quoniam sæpius à curia repetuntur, cauendum est ab his propter tribulationem quæ sæpe de his ecclesiæ prouenit. IDEM.

Inno. epist. 2. ad Victricium Rothomagen. episcopum. cap. 11.

Non admittantur curiales ad clericale officium. 3

PRæterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt: pro quibus postea maior [est] tristitia, [tunc] cum [iam] de reuocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quàm gratia nascatur de accito. Constat enim eos in ipsis muneribus [a id est ministeriis & officiis] etiã voluptates exhibere, quas a diabolo inuentas esse non dubium est: & ludorum & mimorum apparatibus aut præesse, aut forsitan interesse

a Inclusa desunt in manuscripto. Contius.

esse. Sit certè in exemplum solicitudo & tristitia fratrũ, quam sæpe pertulimus imperatore pręsente, cùm pro his sæpius rogaremus: quam ipse nobiscum positus cognouisti: quibus non solùm inferiores clerici ex curialibus, verum etiam in sacerdotio constituti, ingens molestia vt redderentur instabat.

Cap. 8. conci. Toleta. prim.

ITEM ex concilio Toletano ij.

Non promoueatur ad diaconatum qui post baptismum ad fidelem necandum accinctus fuerit. 4

SI quis post acceptum baptismũ militauerit, & chlamydem sumpserit ac cingulum ad necãdum fideles: etiam si grauia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem. ITEM ex concilio Toletano. iiij.

Cap. 18.

A quibus debet esse immunis qui in episcopum ordinatur. 5

QVi in aliquo crimine detẽti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam se admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati sunt, aut rebaptizati esse noscuntur: qui semetipsos absciderunt, aut qui naturali defectu membrorum minus habere noscuntur, qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt, aut numerosa coniugia frequẽtauerunt, qui viduã vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerũt, qui seruili conditioni obnoxij sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti vel laici, qui seculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscij literarũ, qui nondũ ad triginta annos peruenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non ascenderunt, qui ambitu honorem quærũt, qui honorem muneribus obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eligũtur. Sed nec ille deinceps sacerdos erit quem nec clerus nec populus propriæ ciuitatis elegit, vel auctoritas metropolitani, vel comprouincialium sacerdotum assensus non exquisiuit. Quicunque igitur deinceps ad ordinem sacerdotij postulatus, & in his quæ prædicta sunt exquisitus, in nullo horũ deprehensus fuerit, & examinatus probabili vita & doctrina exstiterit, tunc secundum synodalia vel decretalia constituta: cum omnium clericorũ vel ciuiũ voluntate ab vniuersis comprouincialibus episcopis aut certè à tribus in sacerdotem die dominico cõsecrabitur: cõuenientibus cæteris qui absentes sunt suis literis, & magis auctoritate vel pręsentia eius qui verè Metropolitan' episcopus est constitutus. Episcopus autẽ comprouincialis ibi cõsecrandus est, vbi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autẽ non nisi in ciuitate Metropoli à comprouincialibus ibidẽ conuenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad sacerdotij gradum indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

NE-

NEMO PER SALTVM ORDINETVR.

DISTINCTIO LII.

" QVi verò prætermissis aliquibus gradibus non superbia, GRATIAN.
" sed negligentia ad maiorem adscenderit gradum: tan-
" diu à maioribus abstineat, quousque congruo tempore
" prætermissos accipiat.

VNDE Alexãd. ij. scribit Grimaldo Cõstãtiensi episcopo.

De eo qui subdiaconatus ordine postposito diaconus & presbyter. est ordinatus. I

SOlicitudo dilectionis tuæ studuit consulere vtrum portator istarum literarum diaconatus & presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cùm ad id pręposteto cursu subdiaconatus ordine postposito negligentia potius quàm superbia cognoscatur ascẽdisse. vnde nos cõsulendo charitati tuę mandamus vt ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas. VERSVS.

Hi non sacrentur nec sacrati repetantur.

CVRIALES, MILITES, FORENSES CVR NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LIII.

" CVriales autem (vt supra scriptum est) ideo ordinari pro- GRATIAN.
" hibentur, quia frequenter, dum ab ecclesia repetuntur,
" plurima incommoda ecclesia consequitur: vel quia
" ijdem curiales non voto religionis, sed vt officiorum suorum
" ratiocinia fugiant, ad ecclesiam se tranferunt.

VNDE Gregorius papa scribit libro octauo Regesti omnibus episcopis de lege Mauricij Augusti. *Greg. epist. 11. lib. 7. ad episcopos Siciliæ.*

Quare sit constitutum ne curiales ordinentur. I

LEgem quam pijssimus imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarũ suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum veniãt, vel in monasteriis conuertantur, vestræ studui fraternitati trãsmittere, ob hanc maximè causam, ꝙ hi qui seculi actionibus implicati sunt, in clero ecclesię pręposterè suscipiendi non sunt, quia dũ in ecclesiastico habitu nõ dissimiliter quàm prius vixerant, viuunt, nequaquam student seculum fugere, sed mutare. quòd si etiam tales quique monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à ratiociniis publicis fuerint absoluti. Si qui verò ex militaribus viris anumerati in monasteriis festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi vita eorum subtiliter inquisita fuerit: & iuxta normam regularem in suo habitu per triennium probati, tunc monasticum habitum deo auctore suscipiant.

VER-

VERSVS.

Serui sacrati sine libertate vetantur.

SERVI SINE DOMINORVM CONSENSV ET LIBERTATE NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LIIII.

GRATIAN.

SErui autem ordinari prohibentur, nisi à proprijs dominis libertatem legitimam consequantur. "

VNDE Leo episcopus scribit omnibus episcopis.

Leo pap. I. epi. I episco. omnibus.

Seruus ad clericatus officium non promoueatur. 1

NVllus episcoporum seruum alterius ad clericatus officium promouere præsumat, nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vendicant potestatis. debet enim esse immunis ab alijs, qui diuinæ militiæ est aggregandus: vt à castris dominicis quibus ascribitur nomen eius nullius necessitatis vinculis abstrahatur.

Cap. 29.

ITEM ex concilio Triburiensi.

De seruili conditione nullus ad sacros ordines deueniat. 2

NVlli de seruili conditione ad sacros ordines promoueantur, nisi prius à propriis dominis legitimam libertatē consequantur: cuius libertatis charta ante ordinationem in ambone publicè legatur: & si nullus contradixerit, ritè consecrabuntur. Porrò seruus non canonicè consecratus postquam de gradu ceciderit, eius conditionis sit cuius fuerat ante gradum.

a apud Mag. Iuo. inscribitur ex concil. Kartag. rectè.

[a]Ex concilio Maguntinensi capitulo viij.

Cap. 8. concil. Carthagi. primi id habetur.

Palea. 3

MAgnus episcopus [[b] Augustudunēsis] dixit. quid, [[c] dilectionis vestræ] ꝓcuratores, [d] actores, & executores, seu curatores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus episcopus dixit, si post deposita vniuersa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debere eos cū laude cleri (si postulati fuerint) honore munerari. Si enim ante libertatem negociorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, ab ecclesia infirmentur. Vniuersi dixerunt: Rectè omnia statuit sanctitas vestra. ideoq; ita nostra quoque est ista sententia.

b Astuagensis

c pro inclus. dilectioni videtur vestræ.

d al. auctores

Cap. II.

ITEM ex concilio Toletano. ix.

Post donum libertatis famuli ecclesiæ reuocentur in clerum. 4

QVi ex famulis ecclesię seruituri vocātur in clerum ab episcopis suis, necesse est vt libertatis percipiant donum: & si honestæ vitæ claruerint meritis adiuti, tunc demum maioribus fungātur officiis. Quos verò flagitij sordidauerit incorrigibilis noxa, perpetua seruitus cōditionis religet in catenam.

GRATIAN.

Qui autē ordinandi à dominis suis libertatem cōsequuntur, ab eorum patrocinio penitus debēt esse alieni: vt in nullo "

co-

eorum obsequiis inueniantur obnoxij.

V N D E in concilio Toletano.iiij.legitur. Cap.72.

Ad clericalem gradum suscipiuntur, qui nullo obsequio retento à dominis suis libertatem percipiunt. 5

QVicunque libertatem à dominis suis ita recipiunt, vt sibi in eis nullum obsequium patronus retentet, si isti sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur: quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò retento obsequio manumissi sunt: pro eo quod adhuc patroni seruitute tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad clericatus ordinem promouendi: ne quãdo voluerint eorum domini, fiant ex clericis serui. E x concilio Toletano.lxxxij.cap.

Palea.[a] 6

a deest hoc cap. in meo manusc. Contius.

DE seruorum ordinatione qui passim ad gradus ecclesiasticos promouentur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare: & statutum est vt nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promouere præsumat, nisi prius à propriis dominis libertatem cõsecuti fuerint: & si quilibet seruus dominum fugiens, aut per literas, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit: decretum est vt deponatur, & dominus eius eum recipiat. Si verò auus aut pater ab alia patria in aliam migrans, in eadẽ prouincia filium genuerit: & ipse filius ibidẽ educatus est, & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit ignotum sit, & postea veniens dominus illius legibus eum acquisierit: sancitum est, vt si dominus eius illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eũ catena seruitutis à castris dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat. quia iuxta sacros canones vilis persona manens sacerdotij dignitate fungi non potest.

I T E M ex concilio Martini papæ. Cap.46. libri Martini Brac. epi. ex synod. Græcorum.

Sine patroni consensu non ordinetur, qui patrocinio cuiuslibet est obligatus. 7

SI quis obligatus fuerit tributo seruili, vel aliqua cõditione, vel patrocinio cuiuslibet domus: non est ordinandus clericus, nisi probatæ vitæ fuerit, & patroni consensus accesserit.

E x concilio Toletano, cap.ij.

Palea. 8

[b] DE rebus verò illorum vel peculio qui à propriis dominis libertate donãtur, vt ad gradus ecclesiasticos promoueri debeant, statutum est vt in potestate dominorum consistat quicquid ante libertatem habuerunt, vtrum illis concedere, an sibi retinere voluerint.]

b deest in meo manuscripto. GRATIAN.

GRATIAN.

„ Cæterum si à dominis suis libertatem consecuti non fue-
„ rint, & ad ecclesiasticos ordines aliquo modo irrepserint: presbyter

byter peculij amiſſione mulctetur: diaconus verò factus aut "
vicarium pro ſe præſtabit:aut in ſeruitutē reuocabitur. cæteri "
verò gradus nō poſſunt quemquā à nexu ſeruitutis abſoluere. "

Ivo id refert lib. 3. de seruis non ordinandis.

VNDE Gelaſius ſcribit Martino & Iuſto epiſcopis. "

Seruus ſi latenter irrepſerit ad ſacerdotiū, peculij amiſſione mulctetur. 9

** Et antiquis*

EX antiquis*regulis & nouella ſynodali explanatione comprehenſum eſt, perſonas obnoxias ſeruituti, cingulo cæleſtis militiæ non præcingi: ſed neſcio vtrum ignorantia, aut volūtate rapiamini:ita vt ex hac cauſa nullus pœnæ epiſcoporum videatur extorris. ita enim nos frequēs & plurimorū querela circūſtrepit, vt ex hac parte nihil penitus putetur cōſtitutum. Actores ſiquidē illuſtris viri filij noſtri amandi grauiter conqueruntur homines ſuo iuri debitos alios iam in clericos, alios iam in diaconos ordinatos: cùm nō ſolùm poſt modernum concilium (quod tantorum collectione pontificum ſub omnium ſaluberrimæ prouiſionis aſſenſu cōſtat eſſe perfectū) huiuſcemodi perſonæ ſuſcipi non deberent: verū etiam ſi qui fortè in diuinæ cultu militiæ antè fuerint ignorantia faciente ſuſcepti, eliminari prorſus, & exuti religioſo priuilegio, ad dominorū ſuorū poſſeſſiones iuſta debuerunt admonitione compelli. Et ideo fratres chariſſimi eos quos ſupradicti viri actores in clericatus officio mōſtrauerint detineri, diſcuſſos & obnoxios approbatos cuſtodito legum tramite ſine intermiſſione reſtituite: ita vt ſi quis iam ex his presbyter reperitur, in eodē gradu peculij ſui amiſſione mulctatus maneat. Diaconus verò aut vicariū præſtet: aut ſi non habuerit, ipſe reddatur. Reliqua verò officia ſciant neminem poſſe ab hac noxietate (ſi conuincitur) vendicari, quatenus hoc ordine cuſtodito, nec dominorum iura, nec priuilegia vlla ratione turbentur.

Ivo id refert vbi ſupra ex eodem.

IDEM Herculentio Stephano & Iuſto epiſcopis.

Seruus clericus factus ſeruituti obnoxius maneat. 10

FRequens equidem & aſſidua nos querela circūſtrepit de his pōtificibus qui nec antiquas regulas nec decreta noſtra nouiter directa cogitantes, obnoxias poſſeſſionibus obligataſq; perſonas venientes ad clericale cingulum non refutant. Nuper etenim rectores illuſtris fœminæ Placidæ petitorij oblatione conqueſti ſunt Sabinum Marcellianēſis ſiue Cluſionatus vt bis antiſtitem Antiochum ſeruū iuris patronæ ſuæ (abſentis dominæ occaſione captata) ad presbyterij honorē vſq; perduxiſſe: eiuſq; fratrē Leontium clericalis officij priuilegio decoraſſe. Et ideo fratres chariſſimi, inter ſupradictos actores, & eos qui extremæ conditionis repetuntur obiectu, cognitionem vobis noſtra auctoritate deputamus: vt omni veritate diſcuſſa, ſi reuera obiectam ſibi maculam iuſtè refragationis non poterit ratione diluere, Leontium clericum quem gradus

præfinitus

præfinitus legibus non defendit, ad sequendā conditionis suæ necessitatem modis omnibus [a] reddi iubeatis. Antiochū verò, quia per sacerdotium [b] reconciliari nō potest: si in sua ecclesia in hoc in quo est honore collocare eū desiderat domina, non velut redditū sibi habeat, sed pro ministeriorum celebratione susceptum. IDEM Ruffino & Aprili episcopis.

[a] redhibere. [b] al. retolli.

De eodem. 11

QVis aut leges principum, aut patrum regulas, aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi existimat transire commissum? Actores siquidem filiæ nostræ illustris & magnificæ fœminæ Maximæ petitorij nobis insinuatione conquesti sunt Siluestrum atque Candidum originarios suos contra constitutiones quæ supradictæ sunt & contradictione præeunte nō legitimè à Lucerino pontifice diaconos ordinatos. Ideo fratres charissimi tantæ præuaricationis excessus noueritis sagacius inquirendos: & si constiterit querelam veritate fulciri, continuo qui contradictione præeunte non legitimè sunt creati, à sacris officijs repellantur.

IDEM eisdem.

Gelas. pri. epist. episc. per Lucaniam & Brutios. Cap. 16.

Nec ad religiosā vitæ propositum, nec ad clericatus officium serui sine dominorum consensu admittantur. 12

GEneralis querelæ etiam vitanda præsumptio est, qua propemodum causantur vniuersi passim seruos & originarios dominorum iúra possessionemq; fugiētes sub religiosæ conuersationis obtentu vel ad monasteria sese conferre, vel ad ecclesiasticum famulatum conniuentibus quoque pręsulibus indifferenter admitti, quæ modis omnibus est amouenda pernicies: ne per Christiani nominis institutū, aut aliena iura peruadi, aut publica videatur disciplina subuerti: præcipuè cū nec ipsam ministerij clericalis hac obligatione fuscari dignitatem conueniat: cogaturq; pro statu militārium sibi conditioneq; iurgari, aut videri (quod absit) obnoxia: quibus solicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus vel presbyter & diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, huiusmodi personas apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiæ seruituti, vel religionis cōgregationibus putauerint applicādas, nisi voluntate forsitan dominorum suorum subscriptionis testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas: periculum se proprij honoris non ambigant cōmunionisq; subituros, si super hac re cuiusquā verax nos querela pulsauerit. Magnis quippe studiis secundum beatum Petrum apostolum præcauendū est, ne fides & disciplina domini blasphemetur. Idem: Nihil perire credimus ecclesiasticis vtilitatibus, si quę sunt aliena reddātur.

GRATIAN.

Hoc tunc obseruandū est cum dn̄s & seruus eiusdem professionis

2. pars. fessionis inueniuntur, cæterũ si Iudæus mancipium Christianum emerit: iudicis vel episcopi auctoritate etiam eo inuito ad libertatem debet perduci.

Greg. Libertino præfecto Siciliæ epist. 37. siue cap. 76. lib. 2.

VNDE Grego. Libertino episcopo.

Ad libertatem perducantur mancipia Christiana à Iudæis cõparata. 13

MAncipia Christiana quæcunque Iudæum comparasse patuerit, ad libertatem iuxta legum præcepta sine omni ambiguitate perducite, ne (quod absit) religio Christiana Iudęis subiecta polluatur. ITEM ex concilio Toleta. iiij.

Cap. 14. conc. Tolet. 3. id habetur.

Officia publica Iudæis non sunt committenda. 14

NVlla officia publica Iudæis iniungantur per quæ eis occasio tribuatur pœnam Christianis inferre. Si vero Christiani ab eis in Iudaismo ritu sunt maculati, vel etiã circuncisi, nõ reddito precio ad libertatem & religionẽ redeant Christianã.

GRATIAN. DE his autem qui in infidelitate empti, ad gratiam baptismi venire desiderant, quid fieri debeat, Gregor. papa scribit Fortunato Neapolitano episcopo.

Epist. 31. siue cap. 131. lib. 5.

In libertatem vendicentur serui, qui ab infidelitate ad fidem accedunt. 15

FRaternitatem vestram primo oportet esse solicitam, si de Iudæorum seruitio non solum Iudæus, sed etiam quisquam Paganorum fieri voluerit Christianus, postquã voluntas eius fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio vel argumẽto cuipiam Iudæorum venundãdi facultas sit: sed is qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vendicetur. Hi verò, quos huiusmodi oportet seruos amittere, ne forsitan vtilitates suas irrationabiliter existiment impediri, solicita vos hoc conuenit consideratione seruare, vt si Paganos quos mercimonij causa de extraneis finibus emerint, intra tres menses dum emptor cui vẽditi fuerint, non inuenitur, fugere ad ecclesiam fortè contingit, & velle se dixerint fieri Christianos, vel extra ecclesiã hanc talem voluntatem prodiderint: precium eorum ibi à Christiano emptore percipiant. si autem post pręfinitos tres menses quisquam huiusmodi seruorum Iudæorum velle suum dixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodũ emerit, nec dominus qualibet occasionis specie, hunc audeat venundare: sed ad libertatis proculdubio præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad sibi seruiendum dicitur comparasse. IDEM Ianuario Caralita. episcopo.

Grego. Ianuario Caralitano epi. 9 lib. 3.

Palea. [a] 16

SI quilibet Iudæorum seruus ad venerabiliora loca fidei causa confugerit: nullatenus eum patiamini præiudicium sustinere: sed siue olim Christianus, siue nunc fuerit baptizatus, sine

a tres sequentes paleæ desunt in meo manusc.

sine vllo Christianorum pauperum damno religioso ecclesiasticæ pietatis patrocinio modis omnibus defendatur.

ITEM ex concilio Toletano.

Palea. 17 *Cap.9.con.Toletan.12.*

ET si Iudæorum serui in ecclesiis conuersi ad Christi gratiam conuolauerint, libertate donentur.

EX concil.Maticen.xvj. *Palea.* 18 *Ca.16.con.Matiscon. primi.*

PRæsenti concilio Deo auctore sancimus, vt nullum Christianum mancipium Iudæo deinceps seruiat, sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mãcipium quicũq; Christianorũ ad ingenuitatẽ seu ad seruitium licentiã habeat redimendi. Et si Christianus fieri desiderat, & non permittitur, similiter faciat: quia nefas est quẽ Christus dominus sanguinis sui effusiõe redemit, blasphemũ Christianæ religionis vinculis tenere. Quòd si acquiescere statutis nostris quicũq; Iudæus noluerit, quãdiu ad pecuniã constitutã venire distulerit, liceat mancipiũ ipsum cũ Christianis (vbicunque voluerit) habitare. ITEM ex concilio Aurelianensi. *Ca.10.con.Aurel.1.*

De eodem. 19 *3.pars.*

SI seruus absente domino aut nesciẽte, episcopo tamẽ sciente quòd seruus sit, aut presbyter, aut diaconus ordinatus fuerit, ipso in clericatus officio permanente, episcopus eũ domino suo cum duplici satisfactione recompenset. Si verò episcopus eum seruum nescierit, qui testimonium perhibent, aut supplicauerint eum ordinari, simili redhibitione teneãtur obnoxij. ITEM Leo imperator omnibus episcopis. Constitutio noua.

De eodem. 20

SI seruus sciente & non contradicente domino suo in clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso liber & ingenuus erit. Sed si ignorante domino, licet ei intra spacium vnius anni & seruilem fortunã probare, & seruum suum accipere, verũ etiam si legitimo probato experimento monachus efficiatur, euadit jugum seruitutis. Debent enim per triennium antequam monachi efficiantur, in monasterio permanere, postea verò si monachi effecti fuerint, liberi efficiuntur. Episcopalis enim ordo liberat à fortuna seruili vel asscripticia, sed non à curiali siue officiali. nam & post ordinationem durat. Sed & ius patriæ potestatis soluit episcopalis dignitas. Asscriptitios verò in ipsis possessionibus clericos etiam præter voluntatem dominorum fieri permittimus, ita tamen vt clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant.

Iuo Carn.lib.3. de seruis nõ ord. id refert ex eod. Verum in cõstitutione 123. de ecclesiasticis diuer. cap.Iustiniani imperatoris dicitur esse.

ITEM Leo papa omnibus episcopis. 21 *Leo pap.1. epist.1.*

ADmittuntur passim ad sacrum ordinem quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur, & qui à domi-

nis suis consequi libertatem minimè potuerunt, ad fastigium sacerdotij (tãquam seruilis vilitas hunc honorem capiat) prouehuntur. Ab his itaque fratres charissimi omnes vestræ prouinciæ abstineãt sacerdotes, & non tantum ab his, sed etiã ab aliis originariis, vel qui alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari: nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis.

GRATIA. 4. pars. De seruis monasterij quæritur an ecclesiasticis officiis possint aggregari, an non. Sed famuli ecclesiarum non sunt ordinãdi, sicut supradictum est, nisi à propriis episcopis libertatem consequantur. Porrò seruus monasterij libertatem consequi non valet. Non ergo ad clericatum sibi accedere licet. Quod autem liber fieri non possit, probatur auctoritate viij. synodi, in qua sic statutum legitur.

Monasterij seruum abbati vel monacho non licet liberum facere. 22

ABbati vel monacho monasterij seruum non licebit facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest. Nam & sicut seculi leges sanxerunt, non potest possessio alienari nisi à proprio domino.

GRATIA. Hac autem auctoritate prohibentur serui adipisci libertatem recedendi ab obsequio monastreij: sed non prohibentur nancisci libertatem promouendi ad sacros ordines. Potest enim in sacris ordinibus cõstitutus monasterij obsequio perpetuo deseruire, ac si seruus monasterij & libertatem adipisci, & sacris officiis associari valet. Vnde in alio cap. præfatæ constitutionis hæc causa redditur. Iniustum enim est vt monachis rurale opus facientibus, serui eorum ocio torpeant, ac deliciis

5. pars. affluant. Quod autem serui ecclesiarum (quo nomine etiam monasterij seruos significari intelligimus) ad sacræ religio-

Grego. epi. 44. seu c. 88. lib. 4. nis propositum debeant assumi, auctoritate Gregorij probatur, qui in generali synodo residens dixit.

Si conuersationis probatæ fuerit famulus ecclesiæ, potest ordinari. 23

MVltos de ecclesiastica familia nouimus ad omnipotentis seruitium festinare, vt ab humana seruitute liberi, in diuino seruitio valeãt in monasteriis conuersari. Quod si passim admittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici iuris dominium occasionem præbemus. Si verò festinantes ad omnipotentis seruitium, incautè retinemus, illi inuenimur negare quædam qui dedit omnia. vnde necesse est vt si quis ex viris ecclesiasticis vel secularis militiæ seruitute ad Dei seruitiũ cõuerti desiderat, probetur prius in laicali habitu constitutus, & si mores eius atq; cõuersatio bono desiderio illius testimoniũ ferunt, absq; vlla retractatione in monasterio omnipotenti domino seruire permittatur, vt ab humano seruitio liber recedat, qui diui-

diuino amore districtiorem appetit subire seruitutẽ. Si autem & in monachali habitu secundum patrum regulas irreprehensibiliter conuersatus fuerit, post præfixa à sacris canonibus tempora iam ad quodlibet ecclesiasticum officium proueharur, si tamen illis non fuerit criminibus maculatus quæ in veteri testamento morte multantur.

GRATIA.

„ Ecce quando serui ad clericatum assumi valeant, vel quan„ do non admittantur. Liberti quoque non sunt promouendi „ ad clerum, nisi ab obsequiis sui patroni fuerint absoluti.

VNDE in concilio Elibertano. Cap. 80.

Absque patroni assensu liberti non promoueantur ad clerum.

PRohibendum est vt liberti quorum patroni in seculo fuerint, ad clerum non promoueantur.

VERSVS.

Absit castratus & corpore qui vitiatur.

CORPORE VITIATI SPONTE NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LV.

GRATIA.

„ COrpore verò vitiati similiter à sacris officiis prohiben„ tur. VNDE Gelasius papa scribit dicens. *Gela. pa. 1. epi. ad vniuersos episco. per Lucaniã*

Qui de monasterialibus disciplinis ad clericale munus accedit, & de laicis, anteacta eius vita examinetur. 1

PRiscis igitur pro sua reuerentia manentibus institutis (quę quidem vbi nulla rerum vel temporum vrget angustia, regulariter conuenit custodiri) quia eatenus ecclesiæ vel cũctis, vel sufficiẽtibus priuatæ sunt ministris, vt plebibus ad se pertinentibus diuina munera supplere non valeant: concedimus, vt si quis monasterialibus disciplinis eruditus, ad clericale munus accedit etiam de laicis, anteacta eius vita requiratur. Ne sit aliquo facinore infectus, vel illiteratus, vel digamus, vel ab adolescentia sordidatus, vel corpore vitiatus, vel seruilis, vel originatiæ conditionis, vel curiæ, vel publicarum rerum nexibus implicatus, vel publica pœnitentia notatus, vel nulla congruentis temporis expectatione discussus.

ITEM ex concilio Arelatensi iij. Cap. 3.

Annua suspensioni subiaceat, qui præter canonum formam aliquem ordinat. 2

NVllus pœnitẽtem, nullus digamũm, nullus viduarum maritum in prædictis honorib⁹ audeat ordinare: & licet hoc iam omnium propè canonum instituta contineant, tamen ne cuiquam sacerdotũm supplicãtium (sicut iam supra diximus) importunitas vel suggestio iniqua subrepat, necesse fuit vt nũc seueriorem regulam sibi velint domini sacerdotes imponere: & ideo quicunque ab hac die contra ea quæ superius cõprehensa

hensa sunt, clericum ordinare præsumpserit, ab ea die qua hoc ei potuerit approbari, anno integro missas non præsumat celebrare. Quam rem si quis obseruare noluerit, & cõtra statuta fratrum faciens, missas celebrare præsumpserit: ecclesiæ cõmunione priuetur, & ab omnium fratrum communione nouerit se alienum: quia dignum est vt seueritatem ecclesiasticæ disciplinæ sentiat, qui salubriter à sanctis patribus instituta obseruare contemnit. ITEM Hilarius papa.

Ca. 3. synodi Romanæ cui præfuit.

Non ordinentur pœnitentes vel illiterati. 3

POenitentes vel inscij literarum, aut aliqua membrorũ damna perpessi ad sacros ordines aspirare non audeant. Quisquis autẽ talium cõsecrator extiterit, factũ suũ ipse dissoluet.

GRATIAN.

Cap. 22.

" Corpore aũt vitiati intelligũtur non casu sed propria volũtate abscissi. VNDE in canonibus apostolorum legitur. "

Qui semetipsum absciderit, non ordinetur. 4

SI quis absciderit semetipsum, id est si quis amputauerit sibi virilia, non fiat clericus, quia sui est homicida, & Dei conditioni inimicus. Si quis cùm clericus fuerit, absciderit semetipsum, omino damnetur: quia sui homicida est.

Cap. 23. eiusd.

Cap. 7.

ITEM ex concilio Arelatensi. ij.

Non producantur ad clerum qui seipsos abscindunt. 5

HI qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum peruenire non possunt.

Inno. pa. 1. epi. 4. Felici Nuceriano.

ITEM Innocentius scribit Felici Maceriano episcopo.

Non est ordinandus qui partem digiti volens sibi abscidit. 6

QVi partem cuiuslibet digiti sibiipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigerit, dum operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percutit, hos canones præcipiunt & clericos fieri: & si in clero reperti fuerint, non abiici. In illis enim voluntas est vindicanda: quæ sibi causa fuit ferrũ iniicere: in istis autem casus veniam meruit.

GRATIA.

Cap. 1.

" Similiter verò intelligendum est de his qui per languorem à medicis secantur, aut à barbaris abscinduntur, aut à dominis castrantur. VNDE in Niceno concilio legitur. "

Qui per languorem à medicis desecatur, ad clerum valet admitti. 7

SI quis à medicis propter languorem defectus est, aut à barbaris abscissus: hic in clero permaneat. Si quis autẽ se cùm sanus esset abscidit. hunc & in clero constitutũ abstinere conueniet, & deinceps nullum debere talium promoueri. Sicut autem hic claret quòd de his qui hanc rem affectant, audétq; seipsos abscindere, hæc quæ diximus sunt statuta: sic eos quos aut barbari aut domini castrauerunt, si inueniuntur alias dignissimi, tales ad clerum suscipit ecclesiastica regula.

Cap. 21.

ITEM ex canone Apostolorum.

Licitè

Licitè ordinetur episcopus, qui per hominum insidias eunuchizatur. 8

EVnuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, fiat episcopus. ITEM ex concil. Martini papę.

Ca. 21. lib. Martini Bracharen. episc. ex synodis Graecorum.

Non excluduntur à clero qui à medicis vel à barbaris vel à dominis suis castrantur. 9

SI quis pro ægritudine naturalia à medicis secta habuerit, similiter & qui à barbaris aut qui à dominis suis castrati fuerint, & moribus digni inueniuntur, hos canon admittit ad clerum promoueri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis & abstinētiæ, sed per abscissionem à Deo plasmati corporis existimat posse à se carnales concupiscentias amputari, & ideo se castrauerit, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si iam fuerit antè promotus ad clerum, prohibitus à suo ministerio deponatur.

ITEM ex concilio Hylerdensi.

Iuo Carn. lib. 3. de ordinādorum qualitate ex eodem habet.

Non prohibetur à sacris ordinibus qui à medicorum incisione claudus efficitur. 10

SI quis in infirmitate positus clericus medicorum incisione claudus efficitur: promoueri ad sacros ordines eū non denegamus. ITEM Stephanus Roberto [a] Marensi episcopo.

a Apud mag. Iuo. Metensi.

Non prohibetur à clero qui digitum sibi casu abscidit. 11

LAtor præsentium [b] Flauius scilicet clericus ad sedē apostolicam veniens detulit à te directam nobis epistolā, qua indagare studuisti eum à Normannis nuperrimè captū, sinistræ manus digitum habere abscissum: sciscitaris si ob hoc ad ecclesiasticū ordinem valeat promoueri, an non. Quod etiam nos reperientes verum esse, quia solertia tua magis super hoc solicita à sede apostolica doceri flagitat, normam iustitiæ semper sequi desiderans: studium tuæ sanctitatis meritò collaudamus, reuerentiam tuam scire volentes; quoniam si ita est quòd à Normannis digitum ipse habeat abscissum: ad promouendum (si aliàs dignus fuerit) nil ei nocebit: eò quòd qui de his qui à medicis vel dominis siue paganis, non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones: dilectionem tuam latere non credimus. [c]

b Flauinus. Iuo refert ibidē. vbi extat prolixius.

c Ex mag. Iuo. lib. 6.

ITEM Gelasius papa Palladio episcopo.

Iuo Carn. refert ex eodem lib. 3. de ordinan. qualitate.

Tempore synceritatis dignitas accepta, sequenti debilitate non amittitur. 12

PRæcepta canonica quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles corpore: ita & si quis in eo *actu* fuerit constitutus: ac [si tunc] fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suæ synceritatis accepit. Stephanus siquidem presbyter petitorio nobis defleuit oblato, quòd haberet in subditis olim sibi, & ante annos

nos plurimos collatam presbyterij dignitatem: quam reuera immaculati corporis iudicio susceptisset: sed nuper propter prouinciæ vastitatem Thusciæ (quam præ omnibus prouinciis Barbarorum feritas diuersa sectantium, & ambiguitas inuexit animorum) dum imminentes gladios euadere fugæ præsidio niteretur, acutis sudibus occurrentia sibi septa transiliens, inferiores partes corporis inseruisse suggessit: quæ vix adhibita curatione biennio potuissent abstergi: & ideo frater charissime, supradicto locum suum dignitatemque restitue: quatenus sacrosancta mysteria(sicut consueuit) exerceat. nec enim conuenit ob hoc auferri ante susceptum ordinē, in quo postmodum in inualitudinem corporis casu probatur faciente prolapsus.

GRATIA. Hoc autem non de omnibus membris intelligendum est. " qui enim oculum casu amiserit, licet desit voluntas: tamen " sacerdotium adipisci non potest. "

VNDE Gelasius scribit Ruffino episcopo.

Non sunt præstanda iura sacerdotij cui oculus erutus est. 13

Matth. 5. a SI euangelica admonitio iracundiam nec vsque ad verbum furentem prosilire permittit: vt si Racha fratri suo quis dixerit, reus sit gehennæ ignis: quali putamus pœna plectendum esse qui non solum pugno impiè percussit in Leuitici ordinis hominem ministerio seruientem: sed quasi non sufficeret ad cædem manus, ita(instigante se diabolo)raptus est ad iracundiam, vt fuste non sòlum percuteret, sed etiam erueret oculum fratris? Et quāuis huiusmodi excessus grauiori esset pœna plectēdus, bene tamen fraternitas tua fecit ab officio eū presbyterij remoueri. hoc tamen solicitudinis tuæ sit, vt locum ei pœnitentiæ constituas, & in aliquo eum monasterio retrudas, laica tantùm sibi communione concessa. in loco autem illius alium te necesse est ordinare presbyterum. Nam illi cui erutus est oculus, non possunt secundum canones sacerdotij iura concedi. neque enim aliquid ei prodest qui oculum inuitus amisit: cùm nec volens quisquam oculum amisisse credendus est: nec sacratissimos canones aliquem casum in amissione oculi, ei qui sacerdotium adipiscendum non impediret, suis excepisse regulis inuenimus: sed hoc tantummodo ad prohibitionem fecisse videmus, vt qui caret oculo, sacerdotij officium adipisci non possit. Sed nec illi vllatenus quasi in compensatione iniuriæ sacratus ordo concedi poterit, qui ad tantam sacerdotem proprium potuit iracundiam prouocare: vt & ille officium in quo erat amitteret, & iste prouectus sui perderet facultatem.

PRES-

VERSVS.

Non est legalis generatio presbyteralis.

PRESBYTERORVM FILII INCONTINENTES NON ORDINENTVR.
DISTINCTIO LVI.

" PResbyterorum etiam filij ad sacra officia non sunt admit- GRATIA.
" tendi. VNDE Vrbanus papa .ij ait.

Filij presbyterorum à sacris prohibentur officiis. 1

PResbyterorum filios à sacris monasteriis remouemus: nisi aut in cœnobiis, aut in canoniis religiosè probati fuerint conuersati.

Sed hoc intelligendum est de illis qui paternæ incontinen- GRATIA.
" tiæ imitatores fuerint: verùm si morum honestas eos cōmen- 2.pars.
" dabiles fecerit: exemplis & auctoritatibus non solùm sacer-
" dotes, sed etiam summi sacerdotes fieri possunt.
" VNDE Damasus papa scribit Hieronymo presbytero.

Palea. 2

OSius papa fuit filius Stephani subdiaconi. Bonifacius papa fuit filius Iucundi presbyteri. Felix papa filius Felicis presbyteri de titulo fasciolæ: Agapitus papa filius Gordiani presbyteri. Theodorus papa filius Theodori episcopi de ciuitate Hierosolyma. Siluerius papa filius Siluerij episcopi Romæ. Deusdedit papa filius Iucundi presbyteri. Felix enim tertius natione Romanus ex patre Felice presbytero fuit. Item Gelasius natione Apher ex patre episcopo Valerio natus est. Item Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano presbytero originem duxit. complures etiam alij inueniuntur qui de sacerdotibus nati, apostolicæ sedi præfuerunt.

Iuo Carn. in prologo sui decre. id refert. et li. 3. de qualit. ordinād. Deest in meo man. & quidam etiā falsa hic referri asserunt.

HINC Augustinus ait. *Augu. c. 16. lib. de bono cōiugali.*

Vitia parentum filiis non imputentur. 3

VNdecunque homines nascantur: si parentum vitia non sectantur, honesti & salui erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine, Dei creatura est: & eo malè vtentibus, malè erit: non ipsum aliquando malum erit. Sicut autē boni filij adulterorum nulla est defensio adulterij: sic mali filij coniugatorum nullum est crimen nuptiarum.

ITEM Ioannes Chrysostomus super Matthæum, homilia quarta. *Homil. 3. ad locum Mat. Iudas autē genuit Phares, cap. 1.*

4

NVnquam de vitiis erubescamus parentum, sed illud vnum quæramus, & semper amplectamur, virtutē videlicet. huiusmodi etiam si alienigenam quis habeat matrem, etiam si fornicatione pollutā, vel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine

polluetur. Quòd si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum nequaquam prior vita cõmaculat, multo magis ex meretrice natus & adultera, si propria virtute decoretur, parentũ suorum non dedecoratur opprobriis. Item non est omnino, nec de virtute, nec de vitio parẽtum, aut laudãdus aliquis, aut culpandus: nemo verè inde aut obscurus, aut clarus est, immo etiã (vt considerantius aliquid dicamus, aut expressius) nescio quomodo ille magis resplendet qui natus est ex parentibus à virtutibus prorsus alienis, quàm ipse qui fuerit Dei virtute mirabilis. ITEM Hieronymus in epistola contra Ruffin.

Non parentum, sed propria culpa quémque condemnat. 5

NAsci de adulterio, nõ est eius culpa qui nascitur, sed illius qui generat. Quomodo in seminibus non peccat terra quæ confouet: non semen quod in sulcis iacitur: non humor vel calor, quibus temperata frumenta in germen pullulant: sed (verbi gratia) fur & latro qui fraude & vi eripuit semina: sic genus humanum recipit terra (id est, vulua) quod suum est, & receptum confouet: & confotum corporat: corporatum in membra distinguit, & inter illas sacri ventris angustias Dei manus semper operatur: idemq; coporis creator & animæ est. Noli despicere bonitatem figuli (id est Dei) qui te plasmauit
Ecclef 33.b & fecit vt voluit. Ipse est Dei virtus, & Dei sapientia: qui in
1 Cor 1.d vtero virginis Mariæ ædificauit sibi domum. Iepte inter vi-
Iud.11.a ros sanctos Apostoli voce numeratus, meretricis est filius.
Gen.25.c Esau de Rebecca & Isaac hispidus tam mente quàm corpore, quasi bonum triticum inter lolium auenasque degenerat: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum.

ITEM Augustinus.

Iniquitates parentum filijs obesse non possũnt. 6

SPonsus ille qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, congruens inuitatis, nasci etiam voluit de bonis & malis: quo exemplo discant parentum suorum filij iniquitates sibi obesse non posse.

ITEM Gregorius.

Non aliena culpa, sed propria aliquem ab eo quo fungitur deiicit gradu. 7

SAtis peruersum, & contra ecclesiasticam probatur esse censuram, vt frustra quorundam parentum voluptatibus, suis quis priuetur officiis, quẽ sua culpa, vel facinus ab officij quo fungitur gradu non deiicit. ITEM Hieronymus.

Ex adulterio natus, à sacerdotio non prohibetur. 8

DOminus noster Iesus Christus voluit non solũ de alienigenis cõmixtionibus, sed etiã de adulterinis nasci: nobis magnã fiduciã præstãs, vt qualicunq; modo nascamur: dũ tamen

men vestigia eius imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cuius per fidem membra effecti sumus. Et sicut ille verus est pontifex, ex adulterinis natus coniunctionibus: ita qualicúque ordine natus sit aliquis, tamen vt perfectam fidem habeat, & quod fide tenet, operibus impleat: sitq́ue literatus, & vir vnius vxoris, nequaquam à sacerdotio repellitur. Iudas enim patriarcha concubuit cum Thamar nuru sua: & ex illo concubitu nati sunt Phares & Zaran: inde postea Salmon, qui fuit dux in deserto. Inde Obeth. Inde quoque Booz. Inde postea Isai, qui fuit pater Dauid. ex illa ergo progenie origo ducitur Christi, qui verus sacerdos est: ideoque si filij eius sumus, quæ ipse fecit, nos imitari debemus. Genes.38.b Ruth.4.d

ITEM Augustinus de vnico baptismo lib. j. Cap.13.lib.1. de bapt. contra Donatistas.

A populo dei non separat aliquem materna cōditio, sed propria culpa. 9

ISmael vt separaretur à populo dei, non obfuit mater ancilla Agar, sed obfuit fraterna discordia: nec profuit potestas vxoris, cuius magis filius erat: quia per ipsius iura coniugalia & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus est. Genes.21.a

CONTRA Bonifacius martyr scribens regi Anglorum. 3.pars.

Vitia parentum etiam ad posteros transferuntur. 10

SI gẽs Anglorum (sicut per istas prouincias diuulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperatur, & ab ipsis paganis improperium nobis obiicitur) spretis legalibus connubiis, adulterando & luxuriando ad instar Sodomiticæ gentis fœdam vitam duxerit: de tali cōmixtione meretricum æstimádum est, degeneres populos & ignobiles & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouissimè nec bello seculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilẽ hominibus, nec deo amabilem esse venturã: sicut aliis gẽtibus Hispaniæ, & Prouinciæ, & Burgundionum populis contigit, quæ sic à deo recedentes fornicatæ sunt, donec vindex talium criminũ vltrices pœnas per ignorantes legem dei, id est per Saracenos venire & sæuire permisit.

VNDE idem Vrba. in fine superioris cap. presbyterorum, distinguendo subiunxit. GRAT.

Si religiosi inuenti fuerint filij sacerdotum, ordinentur. 11

NIsi aut in cœnobiis, aut in canoniis religiose probati fuerint conuersari filij sacerdotum, non admittantur ad clerum. ITEM Alexander ij. 12

De eodem.

APostolica auctoritate præcipimus vobis, vt si eũ qui ab ecclesia electus est, altero digniorẽ esse, canonicamq́ue eius electionẽ probaueritis: fulti nostra auctoritate consecretis. nã pro eo quod filius sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conue-

conueniant, non reiicimus: sed suffragantibus meritis conniuendo eum recipimus.

GRAT. Hoc autem quod de filiis sacerdotum dicitur, ex dispensatione ecclesiæ introduci videtur:& quod ex dispensatione introducitur, ad sequentiam regulæ generalis trahi non potest. "

VNDE Vrban. scribit Bar. Turonen. archiepiscopo. "

Iuo Carn. lib. 3. de qualitate ordinand. id refert ex eodem.

Filij sacerdotum non prohibentur ab episcopatu, si cæteræ virtutes in eis inueniantur. 13

COenomanensem electum, pro eo quòd filius sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conueniunt, non reiicimus, sed suffragantibus meritis eum patienter suscipimus: nõ tamẽ vt hoc pro regula in posterum assumatur: sed ad tempus ecclesiæ periculo consulitur.

GRAT. Cùm ergo ex sacerdotibus nati in summos põtifices suprà legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugiis nati: quæ sacerdotibus ante prohibitionem vbique licita erant, & in orientali ecclesia vsque hodie eis licere probantur. Quod autem vitium originis semini imputari negatur, videtur esse contrarium illi sententiæ: Adulterorum filij abominatio sunt domino. Sed sicut suprà dictum est de presbyterorum filiis, ita & hoc de filiis adulterorum intelligendum videtur, vt illi dicantur esse abominatio domino, ad quos paterna flagitia hæreditaria successione descendunt. Similiter & illud Vrbani intelligendum est quod ipse scribit Petronio Legionensi episcopo. "

Oseæ 2. a

De eodem. 14

Iuo Carn. lib. 3. de qualitat. ord. eidem tribuit.

QVia simpliciter ad sedem apostolicam veniens humiliter peccatum confessus es quod pontificij tui videbatur officium impedire, videlicet quòd ex matre non legitima procreatus sis, quam viuente propria vxore pater tuus cognouisse dignoscitur: nos apostolicæ mansuetudinis gratia admonente à cæteris quæ sacerdotium impediũt criminibus, tam tui professione, quàm fratrum testimonio qui tecum sunt, immunem te agnoscentes, & vitam tuam religiosam audientes: ab huius te peccati vinculo absolutum, in suscepto sacerdotali officio confirmamus.

BAPTIZATI IN AEGRITVDINE NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LVII.

ITem qui in ægritudine constitutus baptizatur, presbyter ordinari non debet.

VNDE in Neocæsariensi concilio legitur.

Cap. 12.

Non ordinetur presbyter qui in ægritudine constitutus baptizatur.

SI quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, sed ex

ex necessitate est, nisi fortè postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.

MONACHI SINE CONSENSV ABBATIS NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LVIII.

ITem ex monachali habitu nullus assumatur ad ecclesiasticum officium, nisi fuerit oblatus proprij volũtate abbatis. GRAT.

VNDE Gregorius scribit. Epist. 18. ad Marinianũ epi.

Monachus non ordinetur clericus, nisi voluntate abbatis episcopo fuerit oblatus. I

NVllus ad ecclesiasticum officium ex monasterio producatur monachus, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit episcopo.

ITEM ex concilio Carthaginensi v. Cap. 13.

De eodem. 2

SI quis de alterius monasterij conuentu repertum vel ad clericatum promoueri voluerit, vel in suo monasterio maiorem personam monasterij constituere, sine licentia abbatis & monachorum episcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione seiunctus, suæ tantummodo plebis communione contentus sit: & ille neque clericus, neque canonicus, neque propositus perseueret.

RVDES ET IDIOTAE NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LIX.

ITem qui ecclesiasticis disciplinis imbuti non sunt, & temporum approbatione discussi non sunt, ad summum sacerdotium prouehi non aspirent. GRAT.

VNDE ait papa Zozimus. Epist. 1. ad Isychium Salonitanum episcopũ.

Non aspiret ad summum sacerdotium qui ecclesiasticis disciplinis non est imbutus. I

QVi ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, nec temporum approbatione diutnis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum sacerdotium ecclesiæ aspirare vel præsumere debet, & non solum in eo ambitio inefficax habeatur, verùm ordinatores eius careant eo ordine quem contra præcepta crediderant præsumendum.

ITEM Vrbanus papa.

Ad sacerdotale officium nullus nisi per singulos gradus approbatus accedat. 2

SI officia secularia principalẽ locum non vestibulum actionis ingressis, sed per singulos gradus examinatis deferunt: quis tam arrogãs, tam impudẽs inuenitur, qui in cælesti militia quæ propẽsius põderanda est, & sicut aurum repetitis igni-

bus

bus exploranda, statim dux esse desideret, cùm tyro antè non fuerit, & prius velit docere, quàm discere? Assuescat in domini castris in lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitij: nec illi vilescat exorcistam, acolytum, subdiaconũ, & diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam verò ad presbyterij fastigium talis accedat, vt & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia anteacta testentur, inde summi pontificis iure locum sperare debebit. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa pluralitas etiam in his locis vbi solitudo est, taliũ reperitur, dũ per parœcias extendi cupiunt: aut quibus aliud præstare non possunt, diuinos ordines largiũtur: quod oportet districti semper esse iudicij. Rarum est enim omne quod magnum est.

ITEM Gregorius.

Cuiuslibet meriti laicus ad summum non adspiret sacerdotium. 3

HOc ad nos peruenisse noscas, quod non dissimili dignum est detestatione complecti, quòd quidã honoris desiderio inflammati defunctis episcopis tonsurantur, & fiunt repẽte ex laicis sacerdotes, atque inuerecundè & repentè religiosi propositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt. quid putamus quod isti subiectis præstaturi sunt, qui antequã disciplinatus limen attingant, tenere locum regiminis non formidant? qua de re necesse est vt quamuis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distincta ecclesiastici ordinis se exerceat officia. ITEM Cœlestinus episcopis Galliarum.

Cœlestinus papa I. epist. 2.

Non aspiret ad summum sacerdotium, qui ecclesiasticis disciplinis non est imbutus. 4

ORdinatos verò quosdam, fratres charissimi, episcopos qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium constituti fuerint, contra patrum decreta huius vsurpatione qui se hoc recognoscit fecisse, didicimus, cùm ad episcopatum his gradibus quibus frequentissimè cautum est, debeat peruenire, vt in minoribus initiati officijs, ad maiora firmentur. debet enim antè esse discipulus quisquis doctor esse desiderat, vt possit docere quod didicit. Omnis enim vitæ institutio ad id quò tendit, se ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creuerit, ad meritum stipendij ordinem non potest peruenire. solum sacerdotium inter ista rogo vilius est? cur facilius tribuitur cùm difficilius impleatur?

EX

EX ORDINE DIACONORVM ARCHIDIACONVS, PRESBYTERORVM ARCHIPRESBYTER, EPISCOPORVM, ARCHIEPISCOPVS ASSVMATVR.

DISTINCTIO LX.

"ECce ostensum est ex parte qui possunt ad sacerdotij ordi- GRAT.
"nem promoueri,& qui non. Nunc autē considerandum
"est ex quibus ordinibus in archipresbyterū, vel prępositū,
"vel episcopum, vel archiepiscopum sint eligendi. DE his ita
"statutum est in conci. Vrbani papæ, celebrato Aluerniæ.

Archipresbyter, vel decanus, aut archidiaconus: non nisi diaconus, aut presbyter ordinetur. I

NVllus episcopus in ecclesia sua, nisi diaconus sit, archidiaconum instituere, nec archipresbyterum aut decanū, nisi presbyteri sint, ordinare præsumat: quod vt districtius teneatur, apostolica auctoritate prohibemus & interdicimus.

ITEM Calixtus papa.

Nullus in præpositum, vel archiepiscopum, vel archipresbyterum, vel archidiaconum, nisi presbyter vel diaconus ordinetur. 2

NVllus in præpositum, nullus in archiepiscopum, nullus in archipresbyterum, nullus in decanum, nisi presbyter vel diaconus, nullus in archidianum nisi diaconus ordinetur.

Iuo Carn. li. 8. id refert in decreto.

ITEM Innocentius secundus.

De eodem. 3

INnouamus autē & præcipimus vt nullus in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus vel presbyter ordinetur. Archidiaconi verò vel decani vel præpositi qui infra ordines prænominatos existunt: si inobedientes ordinari contempserint, honore suscepto priuentur. Prohibemus autem ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia & merito vitæ clarescunt, prædicti concedantur honores.

"Horum vnum, propter procacitatem quorundam statutum GRATIA.
"est, qui nomen præpositurae adepti, officium contemnunt, no-
"lentes fieri sacerdotes: aliàs autem inane esset, cùm etiam in
"episcopum eligi possunt in subdiaconatu constituti.

IVXTA illud Vrbani papæ.

Non eligatur in episcopum, nisi in sacris ordinibus constitutus. 4

Iuo Carn. li. 3. de electione sum. pōtificis refert.

NVllus in episcopatum* eligatur, nisi in sacris ordinibus religiosè viuens fuerit inuētus. Sacros autē ordines dicimus diaconatum & presbyteratum. hos siquidem solos primitiua legitur habuisse ecclesia. subdiaconos verò (quia & ipsi altaribus ministrant) opportunitate exigente concedimus, si tamen spectatæ sint vitæ, religionis & scientiæ: quod ipsum non sine Romani pontificis vel cum metropolitani scientia fieri fir-

** Episcopum.*

miter

miter permittimus. Alterum verò vt in episcopum vel archiepiscopum, nisi in sacris ordinibus constitutus non eligatur, propter dignitatem ordinis statutum est.

LAICI NON IN EPISCOPOS ELIGANTVR.

DISTINCTIO LXI.

Gregor.

ITem laici non sunt in episcopos eligendi, sed per singulos ordines prius sunt probandi.

Greg. epist. 113. lib. 7.

VNDE Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Sacerdotes ex laicis non sunt ordinandi. 1

SAcerdotale officium vestris in partibus in tantam (sicut diximus) est ambitionem perductum, vt sacerdotes subitò (quod nimis graue est) ex laicis ordinentur.

Hormisda epist. ad episcopos Hisp.

ITEM Hormisda papa omnibus episcopis.

De eodem. 2

IN sacerdotibus eligendis vel ordinandis curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles esse cõuenit, quos præesse necesse est corrigendis. longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula cõmittuntur ecclesiæ. IDEM. 3

Hormisda ibidẽ continuo.

NOn negamus esse in laicis deo placitos mores: sed milites suos probatos sibi quærunt instituta fideliũ. discere prius quisque debet antequam doceat, & exemplum religiosæ conuersationis de se potius aliis præstare quàm sumere. Emendatiorem esse conuenit populo quem necesse est orare pro populo. longa obseruatione religiosus cultus tradatur, vt luceat, & clericalibus obsequiis erudiendus inseruiat: vt ad venerãdi gradus perductus summam, quis sit fructus humilitatis ostendat. Nec tantum consecrare de laicis inhibemus, sed nec de pœnitentibus quidem quisquam ad huiusmodi gradum profanus temerator aspiret: satis illi sit postulanti veniam concedi. Qua conscientia absoluat reum qui se peccata sua scit populo teste confessum? Quis enim quem pauloante iacentem viderat, veneretur antistitem? Perferens memorandi criminis labẽ non habet lucidam sacerdotij dignitatem.

Innoc. papa 1. epis. 12. ad Aurelium.

ITEM Innocentius papa.

De eodem. 4

MIserum est eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus: eumque summum sacerdotem fieri, qui in nullo gradu vnquam obsecutus fuerit sacerdoti.

Leo papa 1. epi. 85. ad episcopos Aphricanos.

ITEM Leo episcopus.

De eodem. 5

MIramur tantum apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambiẽtium præsumptionem, aut tumultum valuisse

luisse popularem, vt indignis quibuslibet & longè extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio ecclesiæ crederetur. Non enim est hoc consulere populo, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum. Et vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem quem aut seditio extorsit, aut ambit' occupauit: etiam si moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo: & vix bono peraguntur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Quòd si in quibuslibet ecclesiæ gradibus prouidenter scienterque curandũ est vt in domo domini nihil inordinatũ sit, nihilque præposterum: quãto magis elaborandum est vt in electione eius qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. nam totius familiæ domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite. Vbi est illa beati Pauli apostoli per spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, & inde vnicuique nostrum dicitur: Manus nemini cito imposueris, neque communices peccatis alienis. Quid est cito manus imponere, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante tempus emeritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non comprobatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici voluntate, qualis est qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo sacerdotem iudicium: ita graui semetipsum afficit damno qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Nõ enim in cuiusquam persona prætermittendũ est quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis præcepta collatus. Meritò patrũ beatorũ venerabiles sanctiones cùm de electione sacerdotum loquerentur, eos demum sacris administrationibus idoneos cẽsuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis vsque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia ecclesiasticæ cucurrisset, & vnicuique testimonium prior vita præberet. Nec potest de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis, celsioris loci præmium debetur. Si enim ad honores mundi sine suffragatione tẽporis, sine merito laboris indignum est perueniri, & notari ambitus solent quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cælestium dignitatum!

1.Timo.5.d

Ibidem paulo inferius.

ITEM ex concilio Laodicen. *Cap.12.*

Non

Non sunt eligendi ad episcopatum, nisi quos probabilis vita commendat. 6

EPiscopum non oportet præter iudicium metropolitanorũ & finitimorum episcoporum constitui ad ecclesiæ principatũ, nec eligantur nisi hi quos multo antè nota probabilisq; vita commendat: & nihilominus si in sermone fidei & recta ratione pro sua conuersatione probati fuerint.

Cælestinus epistola 3. cap. 2.

ITEM Cælestinus omnibus orthodoxis.

De eodem. 7

QVid proderit per singula stipendia clericos militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem, si hi qui futuri sunt sacerdotes, ex laicis requirantur: qui vacantes seculo & omnem ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpostero in alienum ambiunt honorem immoderata cupiditate transcendere, & in aliud vitæ genus (calcata reuerentia ecclesiasticæ disciplinæ) transire? Talibus itaque fratres charissimi necesse est vt obuiemus. His itaque fraternitatem vestram decretis commonemus, ne quis laicum ad clericatus ordinem admittat & sinat fieri: vnde & illum decipiat, & sibi causas generet quibus reus constitutorum decretalium fiat.

Leo pa. epi. 85. ad episcopos Africanos.

ITEM Leo.

Rudibus & imperitis gubernacula ecclesiæ non sunt cõmittenda. 8

STatuimus ne in aliquo apostolica & canonica decreta violentur, & ne his regenda domini ecclesia credatur qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, nõ ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium, cùm valde iniquum sit absurdumque, vt imperiti magistris, noui antiquis præferantur, rudes emeritis.

GRATIAN. *In legendis sanctorum, & vitis*

" His omnibus auctoritatibus laici prohibẽtur in episcopatum eligi. Econtra B. Nicolaus ex laico electus est in episcopum: B. Seuerus ex lanificio assumptus est in archiepiscopum: B. Ambrosius cùm nondum esset baptizatus, in archiepiscopum est electus. Sed sciendũ est quòd ecclesiasticæ prohibitiones proprias habẽt causas, quibus cessantibus cessant & ipsæ, vt enim laicus in episcopũ nõ eligeretur, hæc causa fuit: quia vita laicalis ecclesiasticis disciplinis per ordinem nõ erudita nescit exẽpla religionis de se præstare aliis, quæ in seipsa experimento non didicit. Cùm ergo quilibet laicus merito suæ perfectionis clericalẽ vitã transcendit: exẽplo B. Nicolai, & Seueri, & Ambrosij eius electio potest rata haberi. VNDE idem Ambr. in epist. ad Vercellenses ait de seipso. 9

Ambro. epi. 82. lib. 10. ad Vercellensem eccles.

NEophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in superbiã: sed si non deest humilitas competens sacerdotio: vbi causa non adhæret, vitiũ non imputatur. Itaque ordinationẽ meã occidentales episcopi iudicio, orientales etiam exemplo probarunt.

barunt. ITEM obiicitur illud Sardicensis concilij. *Cap.13.*

Scholasticus ex foro aut ex administratione postulari potest episcopus. 10

OSius episcopus dixit (& hoc necessarium arbitror vt diligentissimè tractetur) si fortè aut diues laicus, aut scholasticus de foro aut de administratione episcopus fuerit postulatus, vt non prius ordinetur, nisi antè lectoris munere, & officio diaconi aut presbyteri fuerit perfunctus, & ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen episcopatus.

" Sed aliud est postulari, aliud eligi. Postulatur nexibus curiæ " adstrictus ab imperatore, clericus alterius ciuitatis à suo episcopo, sed non eligitur aliquis nisi in sacris ordinibus constitu" tus. Fit enim electio cum solennitate decreti omnium subscri" ptionibus roborati: postulatio verò simplici petitione. " *3. pars.* GRAT.

QVAM distinctionem beatus Gregorius innuit in registo scribens cuidam episcopo. *Gregor. epis. 19. lib. 2. ad Benenatũ episc.*

Electio episcopi debet fieri cum solennitate decreti omnium subscriptione roborati. 11

EPiscopus dum fuerit postulatus, cũ solennitate decreti subscriptionibus omnium roborati, & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos consecrandus occurrat.

Sic beatus Ambrosius ante susceptum baptisma ab imperatore est postulatus, non electus. Item clerici alterius ecclesiæ " non sunt præferendi in electione his qui bene militant in pro" pria ecclesia. VNDE Cœlestinus papa. " *4. pars.* GRAT.

Extranei emeritis in suis ecclesiis non præponantur. 12

NEc emeritis in suis ecclesiis peregrini & extranei, & qui antè ignoti sunt, ad exclusionem eorum qui bene ciuium suorum merentur testimonium, præponantur. IDEM. *Cœlestinus papa epist. 2. epis. Galliæ.*

De eodem. 13

NVllus inuitis detur episcopus. tunc autem alter de altera eligatur ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero cuius est episcopus ordinandus, nullus (quod euenire non credimus) dignus poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis ecclesiis meritò præferantur. Habeat vnusquisque suum fructum militiæ in ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem: in aliena stipẽdia minimè alter obrepat, nec alij debitã, alter sibi vendicare audeat mercedẽ. Sit facultas clericis renitendi si se viderint prægrauari: & quem sibi ingeri ex transuerso viderint, non timeant refutare: qui etsi non debitum episcopatus præmium, vel liberum de eo qui eos recturus est, debent habere iudicium. *Idem Cœlest. in eadem epist. cap. 5.*

Palea. 14

IN ordinatione præpositi illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur quem omnis concors congregatio secun- **deest in meo manuscripto.*

dum timorem dei, siue etiam pars congregationis (quamuis prauua) saniori consilio elegerit. vitæ autem merito & sapientia eligatur qui ordinandus est, etsi vltimus est in congregatione. quòd si omnis congregatio vitiis suis consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi vel ad alios vicinos præpositos vel Christianos claruerint, prohibeatur prauorum præualere consensum: sed domui dei episcopus constituat cum aliis dignum dispensatorem. ITEM Gregor. ciuibus Neapol.

al. prauua

Grego. epis. 40. lib. 8. ad Neapolitanos.

De eodem. 15

STudij vestri sit etiam alium qui aptus sit prouidere: vt si fortè Petrus quem à vobis electum asseritis, huic ordini non videatur idoneus: sit in quem declinare vestra electio possit. nam graue cleri illius erit opprobrium, vt si hic fortasse probatus non fuerit, alium se dicant qui eligi debeat non habere.

Greg. epis. 16. lib. 11. ad Barbarum episcopū.

ITEM Gregor. in regesto.

De eodem. 16

OBitum Victoris Panormitanæ ciuitatis antistitis directa relatio patefecit. quapropter visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Et ideo fraternitas tua ad prædictam ecclesiam ire properet, & assiduis exhortationibus clerum plebemque eiusdem ecclesiæ admonere festinet: vt remoto studio, vno eodemque consensu talem præficiendum sibi expetant sacerdotem, qui tanto ministerio valeat dignus reperiri: & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Commonemus etiam fraternitatem tuam vt nullū de alia eligi permittas ecclesia, nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus (quod euenire non credimus) poterit inueniri: prouisurus ante omnia ne ad cuiuslibet conuersationis meritū laicæ personæ aspirare præsumant: ne & illæ personæ voluntatis affectum non inueniant: & tu periculum ordinis tui (quod absit) incurras. monasteria autem si qua sunt in ipsius constituta parœcia, sub tua cura dispositioneq; (quousque illic proprius fuerit ordinatus episcopus) concedimus.

ITEM Pelagius papa Eucarpo Messanensi episcopo.

De eodem. 17

CAtinensis ecclesiæ visitationem tibi iniungimus, cuius episcopum de hac luce transisse suscepta cleri ratione didicimus. Impossibile est enim vt nos in prouincia illa duntaxat in Syracusanis partibus alij cuilibet causas quæ ad deum pertinent committamus, nisi fortè talem per te deus nunc in Catinensi ecclesia eligere voluerit, de cuius conscientia possimus esse securi, vt à te labores istos paululum remouere possimus. Mox ergo dilectio tua ad supradictam Catinēsem ecclesiam

Idem Nouella 6. c. 5. à Iustiniano cautum est.

pergat:

pergat:& hominem de clero qui nec vxorem habeat, nec filios, nec crimē aliquod canonibus inimicum, eligi [illegible] auxilio dei compellat atque suadeat: & statim eum ad vrbem Romam cum decreto & testificatione relationis tuæ transmitte.

ITEM Gregor. Passino episcopo. Greg. epist. 13. lib. 10.

Qui in episcopum eligitur, non sit reus criminum quæ sacra lex morte punit. 18

BEne nouit fraternitas tua quàm longo tempore Aprucium ciuitas pastorali sit solicitudine destituta: vbi diu quæsiuimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus inuenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis valde laudatus, religiosam vitam omnino dicitur agere: hunc volumus vt fraternitas vestra ad se faciat venire: & de anima sua admoneatur quatenus in bonis studiis crescat:& si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obuient: tunc hortandus est vt vel monachus vel à vobis subdiaconus fiat:& post aliquantum temporis (si deo placuerit) ipse ad pastoralem curam debeat promoueri.

" Cui autem visitatio iniungitur, nihil de rebus eiusdem ec-
" clesiæ à quoquam præsumi patiatur. VNDE Gregorius. GRAT. epist. 11. fine ca. 56. lib. 4. ad Gaudentium episcopum.

Non patiatur à quoquam præsumi de rebus ecclesiæ nisi cui fuerit iniuncta visitatio. 19

QVoniam Festus Capuanæ ecclesiæ episcopus in Romana ciuitate positus de hac luce migrauit: curæ nobis fuit, quæ vniuersis ecclesiis impenditur, fraternitati tuæ præsentia scripta dirigere: vt memoratæ ecclesiæ visitator accedas: sic tamen vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu ministeriisque, vel quicquid præfati loci esse poterit, à quoquā præsumi patiaris: sed omnem vigilantiam atque cautelam circa clericos plebemque eiusdem ecclesiæ exhibere te conuenit: vt in vigiliis obsequioque ecclesiastico sedulè ac deuotè debeant deseruire.

EPISCOPI AB ECCLESIASTICIS ELIGANTVR CONSENTIENTE PRINCIPE ET REQVIRENTE PLEBE.

DISTINCTIO LXIII.

" BReuiter monstratum est ex quibus ordinibus in quos
" gradus sunt eligendi. Nunc vidēdum est à quibus sunt
" eligendi & consecrandi. Electio clericorum est consen-
" sus [a]principis, petitio plebis. GRAT.

" VNDE Leo papa.

a videtur legendum, cleri.

Non sunt habendi inter episcopos qui nec à clericis eliguntur, nec à plebibus expetuntur. 1

NVlla ratio sinit vt inter episcopos habeantur qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti: nec à comprouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio cõsecrati. Vnde cùm sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur: quis ambigat nequaquam ab istis esse tribuendum quod nec doceatur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in *eorum ecclesiis ordinati sunt &c. vt infrà in causa Simoniacorum. ITEM Cœlestinus papa.

*els

Cœlestinus pap. 1. epi. 3. cap. 3.

Populus non debet præire, sed subsequi. 2

DOcendus est populus, non sequendus. nos quoque, si nesciunt, eos quid liceat, quidúe non liceat, commonere, nõ his cõsensum præbere debemus. Quisquis conatus fuerit tentare prohibita: sentiet censuram sedis apostolicæ minimè defuturam. quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus: necesse est vt per seueritatem congruentem regulis vindicemus. Per totas ergo quæ propriis rectoribus carent, ecclesias volumus vt hoc innotescat, vt nullus sibi aliqua spe forsitan blanditiis illudat.

GRATIAN.

Nisi autem canonicè electus fuerit, consecrari non debet. VNDE Calixtus papa.

Non consecretur in episcopum nisi canonicè electus. 3

NVllus in episcopum nisi canonicè electum consecret: quod si præsumptum fuerit, & consecrans & consecratus absq; recuperationis spe deponatur.

LAICI ETIAM PRINCIPES MAGNI EPISCOPOS NON ELIGANT.

DISTINCTIO LXIII.

GRAT.

LAici nullo modo se debent inserere electioni. VNDE Hadrianus papa.

Iuo Carn. li. 3. de consect. epis. id refert.

Laici electioni pontificum non se ingerant. 1

NVllus laicorum principum vel potentum semet inserat electioni aut promotioni patriarchæ metropolitæ, aut cuiuslibet episcopi: ne videlicet inordinata & incongrua fiat electio vel confusio, vel contentio: præsertim cùm nullam in talibus põtestatem quemquam potestatiuorum vel cæterorum laicorum habere conueniat & infrà. Quisquis secularium principum, vel potentum, vel alterius dignitatis laicus aduersus communem consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentauerit: anathema sit donec obediat & consentiat, quicquid ecclesia de electione & ordinatione proprij præsulis se velle monstrauerit.

Iuo Carn. lib. 8. de electione pontific. & lib. 3. de consect. epis.

ITEM ex viij. synodo.

De

De eodem. 2

HAdrianus papa secundus (quod Nicolaus prędecessor eius disposuerat) missos suos, Donatum scilicet Hostiensem episcopum, & Stephanum Neophesinum episcopum, & Marinum diaconum sanctæ Romanæ ecclesiæ ad Basilium imperatorem, & ad filios eius Cōstantinum & Leonem Augustos, Constantinopolim direxit: cū quibus & Anastasius bibliothecarius Romanæ sedis vtriusque linguæ Græcæ & Latinæ peritus perrexit: & synodo congregata (quam octauam vniuersalē synodum illuc cōuenientes appellauerunt) exortū schisma de Ignatij depositione, & Fotini ordinatione sedauerunt, Fotinū anathemizantes, & Ignatiū restituentes. in qua sic statutū est: Cōsecrationes & promotiones episcoporum cōcordans prioribus conciliis clericorum electione ac decreto, & episcoporū collegio fieri hęc sancta & vniuersalis synodus diffiniuit & statuit, atque iure promulgauit, neminem laicorum principū vel potētum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ, vel metropolitani, aut cuiuslibet episcopi: ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat electio, contēptio vel cōfusio: præsertim cum in talibus nullam potestatem quemquam potestatiuorum vel laicorum cæterorum habere conueniat: sed silere, vel attendere sibi vsquequo regulariter à collegio ecclesiæ suscipiat finem electio pontificis futuri. Si verò quisquam laicorum ad contractandum vel cooperandū inuitatur ab ecclesia, licet huiusmodi laico cum reuerentia, si fortè voluerit, obtemperare seasciscentibus. Taliter enim dignum pastorem sibi regulariter ad suam & ecclesiæ salutem promouet clerus.

ITEM ex historia tripertita. *cap. 8. lib. 7.*

Electioni episcoporum imperator interesse non debet. 3

VAlentinianus imperator veniens ab oriente ad Hesperias partes (vt refert historia ecclesiastica) mortuo Auxentio Arrianæ perfidiæ magistro, qui Mediolanensem ecclesiā vt lupus dilaniauerat: cùm vellet imperator catholicum deo ordinante ibi consecrari episcopum, euocans episcopos, hęc eis locutus est: Nostis apertè, eruditi, diuinis eloquiis qualē oporteat esse pontificem: & quia nō decet eum verbo solo, sed etiā cōuersatione gubernare subiectos, & totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conuersationem habere bonam, talem itaque in pontificali constituite sede, cui & nos qui gubernamus imperiū, syncerè nostra capita submittamus, & eius monita dum tanquā homines delinquimus, necessariò veluti curātis medicamina suscipiamus. Hæc autē cùm dixisset imperator, petiit synodus vt magis ipse decerneret, sapiens & pius existens: atque ille ait, Super vos est talis electio. Vos enim gratia diuina potiri, & illo splendore fulgentes,

gentes, melius poteritis eligere. Tunc sacerdotes egressi de episcopali sede tractabant. Cùm autem ordinatione diuina Ambrosius nōdum baptizatus electus fuisset, exultans imperator ait: Gratias ago tibi, domine omnipotens, & saluator noster: quoniam huic viro ego quidam commiseram corpora, tu autem animas: & meam sententiam ostendisti iustitiæ tuæ conuenire. Cumq; sanctus Ambrosius contristaretur de hoc quod acciderat (vt idem ipse in suis epistolis scribit) confortauit eum imperator, & ait: Noli timere: quia deus qui te elegit, semper te adiuuabit, & ego adiutor tuus (vt meum ordinem decet) semper existam. ITEM Nicolaus papa Lothario regi.

Auctoritate apostolica non regio fauore episcopus est eligendus. 4

PОrro scias quia relatum est nobis quòd quicunque ad episcopatum in regno tuo prouehendus est: non nisi fauentem tibi permittas eligi. Idcirco apostolica auctoritate sub diuini iudicij obtestatione iniungimus tibi vt in Treuerensi vrbe, & in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris antequam relatū super hoc nostro apostolatui fiat.

Cap. 8. concilij Parisiensis I.

ITEM ex concilio Parisiensi.

Non recipiatur à comprouincialibus qui regia ordinatione episcopale culmen est adeptus. 5

SI per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus illius loci episcopis recipi nullatenus mereatur. Quē verò indebitè ordinatum agnoscunt, si quis de comprouincialibus recipere eum contra interdicta præsumpserit: sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omni charitate semotus. ITEM ex concilio Laodicensi.

Cap. 13.

De eodem. 6

NOn est permittendum turbis electionem eorum facere qui sunt ad sacerdotium promouendi.

ITEM ex secunda actione. vj. synod. ccel. episcoporum.

Irrita sit electio episcopi vel presbyteri à principibus facta. 7

OMnis electio episcopi vel presbyteri vel diaconi à principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quæ dicit: Si quis episcopus secularibus potestatibus vsus ecclesias per ipsos obtinuerit, deponatur, & segregētur ab ecclesia omnes qui illi communicant. ITEM ex concilio Martini papæ.

Cap. 1. lib. Martini Brac. epi. ex synodis Graecor.

Non eligantur à populo qui sunt promouendi ad clerum. 8

NOn licet populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium promouentur: sed in iudicio episcoporum sit: vt episcopi eum probent si in sermone & fide & spirituali vita edoctus sit.

GRAT. 2. pars.

His omnibus auctoritatibus laici excluduntur ab electione sacerdotum: atque iniungitur eis necessitas obediendi, non liber-

libertas imperandi. Cōtra verò scribit beatus Gregorius Ioan. episcopo primæ [a] Iustinianæ Illyricæ.

Voluntas principis in ordinatione pontificis desideratur. 9

QVia igitur suscepta fratrum atque coepiscoporum relatio ad locum vos sacerdotij totius concilij vnito consensu, & serenissimi principis voluntate declarat accersiri: gratias saluatori nostro magna cum exultatione retulimus, nos quoque in persona fraternitatis tuæ per omnia cōsentimus: atque omnipotentem deum deprecamur vt charitatem vestram sicut gratia sua elegit, ita in omnibus sua protectione custodiat.

[a] Ciuitas in qua natus est Iustinianus, appellata fuit Iustinianea prima in Illyrico: & ei sedē archiepiscopalē quæ antea erat Thessalonicæ, concessit. vide hac de re propriam Nouellam, quam nunquam hactenus editam typis, nuper ex manuscriptis meis nouellis in lucē dedi. An. Contius.

ITEM Greg. Ioanni subdiacono.

Clerus & populus pontificis electioni intersunt. 10

QVanto Apostolica sedes sua auctoritate cunctis prælata constat ecclesiis, tanto inter multiplices curas & illa nos valde solicitat, vbi ad consecrandum antistitem nostrum expectatur arbitrium. Defuncto igitur antistite Laurentio ecclesiæ Mediolanensis archiepiscopo, sua nobis relatione clerus innotuit, in electione se filij nostri Constantij diaconi sui vnanimiter consensisse. sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio: ne aliquid quod ad cautelam pertinet omittamus, idcirco huius præcepti auctoritate suffultum Genuam te proficisci necesse est; & quia illic multi Mediolanensium coacti barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet conuocatis clericis in cōmune perscrutari: & si nulla eos diuersitas ab electionis vnitate disterminat: si quidem in prædicto filio nostro Constantino omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis: tūc eum à proprijs episcopis (sicut antiquitatis mos exigit) cum nostræ auctoritatis assensu solatiante & auxiliante domino facias consecrari: quatenus huiusmodi seruata consuetudine & apostolica sedes proprium vigorem retineat: & à se concessa alijs iura non minuat.

Greg. epi. 15. sine cap. 59. lib. 4. ad Ioan. episcopum.

Greg. epi. 30. sine cap. 69. lib. 2.

ITEM Gelasius papa Philippo & Geruntino * episcopis.

* *al. Gerentio.*

In electione episcopi populus debet adesse. 11

PLebs Diotrensis data nobis petitione defleuit diu se sine rectoris proprij gubernatione dispergi: ac (sicut asseritur) is qui à vobis iam probatus dicitur, a paucis & tenuibus putatur electus: cùm ad vos pertineat vniuersos assidua admonitione compellere, vt omnes in vnum quem dignum sacerdotio viderint, & sine aliqua reprehensione, consentiant. Et ideo, fratres charissimi, diuersos ex omnibus sępedicti loci parœciis & presbyteros, & diaconos: & vniuersam turbam vos oportet sæpius conuocare: quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vobis admonentibus sibi quærant sola diuinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas

rietas à constitutis possit reuocare rescriptis.

GRATIA. ITEM Stephanus episcopus seruus seruorum Dei Romano archiepiscopo Rauennati. "

De eodem. 12

NOsse tuam fraternitatẽ volumus ad nostras aures fore peruentum, Imolẽsem episcopum ab hac luce migrasse: in cuius successoris electione populi diuisionem prouenisse audiuimus: quod quia sæpe contingere solet, quærẽtibus singulis quę sua sunt, non quæ Iesu Christi, non adeo miramur. Veruntamẽ in hoc tuam plurimum oportet adhiberi solicitudinem, vt cõuocato clero & populo talis ibi eligatur per dei misericordiã, cui sacri non obuient canones. Sacerdotum quippe est electio: & fidelis populi consensus adhibendus est: quia docendus est populus, non sequendus.

Philipp. 2.

ITEM Nicolaus papa Ioanni Rauennati archiepiscopo.

De eodem. 13

EPiscopos per Aemiliam non consecres nisi post electionẽ vel consensum cleri & populi.

ITEM Pelagius papa [a] Iuliano episcopo Grumentino.

De eodem. 14

LIteras charitatis tuæ suscepimus, quibus significas, Latinũ diaconum tuum ad episcopatum ecclesiæ Marcellianensis à clero & omnibus qui illic conueniunt, postulari. [b] hoc itaque dicimus, vt si omnes eum eligunt, & vis eum concedere: gratum nobis esse cognosce: & si potest ante diem sanctum festinet occurrere, vt vel sabbato ipso noctis magnæ post baptismum cum dei gratia valeat ordinari [c].

a al. Tulliano, ex mag. Iuone.

b multa intersecta sunt, vt ex mag. Iuone par. vi. liquet.

c Additur apud Iuonem. Alioqui necesse est eos vsque ad quarti mensis ieiunia sustinere.

IDEM Laurentio episcopo Centumcellensi.

Sacra principis auctoritas ordinandis est necessaria. 15

PRincipali deuotissimorum militum qui illic in ciuitate Cẽtumcellensi consistunt relatione ad nos directa, sacram epistolam insinuant se clementissimi principis impetrasse, quì eis presbyterum diaconum & subdiaconum fieri debere pręcipit. Ideo hortamur dilectionem tuam vt personas ipsas videas, & diligenter requiras ne aliquid contra canones commisissent: & si eas inculpabiles repereris, & vitæ ipsorum laudabile testimonium videris: veniente mediana septimana Paschæ (si dominus voluerit, & si vixerimus) vnumquemque per officia quæ prædiximus, non differas promouere.

ITEM Leo iiij. Lothario & Lodouico Augustis.

Papa rogat Augustum vt Reatinam ecclesiam cuidam electo dignetur concedere. 16

REatina ecclesia quæ per tot temporum spatia pastoralibus curis destituta constitit: dignum est vt brachio amplitudinis vestræ subleuetur, ac gubernationis regimine protegatur. Vnde

Vnde salutationis alloquio præmisso vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eandem ecclesiam ad regendum concedere dignemini: vt vestra licentia accepta ibidem deo adiuuante eum consecrare valeamus episcopum. Sin autem in prædicta ecclesia nolueritis vt præficiatur episcopus, Tusculanam ecclesiam quæ viduata existit, illi vestra serenitas dignetur concedere: vt consecratus à nostro presulatu, deo omnipotenti vestroque imperio grates peragere valeat. ITEM Ritæ comitissæ.

Regio præcepto ab apostolico Colonus Reatinæ ecclesiæ ordinatur episcopus. 17

NObis dominus imperator & imperatrix per suas epistolas dixerunt, vt Colonum in Reatina ecclesia, quę pastoris officio per longa iam tempora destituta videbatur, episcopum facere deberemus: sicut & fecimus.

ITEM Stephanus Guidoni comiti.

Imperatoris epistola in electionis confirmatione desideratur. 18

LEctis sagacitatis vestræ apicibus, qui defuncto ecclesiæ Reatinæ antistite clerum & plebem eiusdem elegisse sibi futurum antistitem, & à nobis consecrandum vestro studio directú esse, ne ipsa ecclesia diu sine proprio constet pastore, fatebantur: nos de obitu prioris dolentes, nunc ipsum electum vnanimitate, & canonica ipsius ecclesiæ electione: vt mádastis, tam citissimè ordinare omisimus, eo quòd imperialem nobis (vt mos est) absolutionis minimè detulerit epistolam: pro qua scilicet re ambiguum est nobis: ideo voluntati vestræ in hoc parêre distulimus, ne augustalis animus durissimè hoc quocúque modo perciperet. Sed scientes ecclesiá dei sine proprio diu pastore nó debere cósistere: gloriæ vestrę mandamus (quoniá aliter nos agere nó debuimus) vt à vestra solertia imperiali (vt prisca consuetudo dictat) percepta licentia, & nobis, quemadmodum vos scire credimus, imperatoria directa epistola, tunc voluntati vestræ de hoc parebimus, eundemque electum domino adiuuante consecrabimus: quod, charissime fili, molestè nullo modo suscipias. ITEM Leo papa.

Clericorum & ciuium voluntate Metropolitanus est ordinandus. 19 *Leo papa 1. epi. 82. ad Anastasium episcopum.*

MEtropolitano defuncto, cùm in loco eius alius fuerit subrogandus: prouinciales episcopi ad ciuitatem Metropolim conuenire debent: vt omnium clericorum atque ciuiú voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiæ vel diaconis optimus ordinetur.

ITEM Isidorus in libro officiorum. *Cap. 5. lib. 2. de officijs ecclesiasticis.*

Cum clero & populo archipresbyteri fiat electio. 20

SI in plebibus archipresbyteri obierint, aut pro aliquo reatu exinde eiecti fuerint: archidiaconus quàm citius proficiscatur

ſcatur illuc:& cum clericis & populis ipſius plebis electionem faciat:quatenus dignus paſtor domui dei conſtituatur:& dum ordinatur,eius prouidentia ipſa plebs cuſtodiatur.

ITEM ex geſtis Romanorum pontificum.

Electus in Romanum pontificem non ordinetur, niſi eius decretum imperatori primum præſentetur. 21

Vide Platinam in vita Agathonis papæ primi.

AGatho natione Siculus, cuius legatione fungens Ioannes epiſcopus Portuenſis dominico die octauo Paſchæ in eccleſia ſanctæ Sophiæ publicas miſſas coram principe,& patriarcha Latinè celebrauit: hic ſuſcepit ab illo diualem,id eſt,regiã epiſtolam ſecundum ſuam poſtulationem: per quam releuata eſt quantitas pecuniæ quæ ſolita erat dari pro ordinatione põtificis facienda:ſic tamen , vt ſi contigerit poſt eius tranſitum electionem fieri: non debeat ordinari qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in regiam vrbem ſecundum antiquam conſuetudinem: vt cum eorum conſcientia & juſſione debeat ordinatio proſperari. Item Vitalianus natione Signenſis direxit reſponſales ſuos cum ſynodica epiſtola, juxta conſuetudinem in regiam vrbem apud piiſſimos principes,ſignificans de ordinatione ſua.

ITEM ex hiſtoria eccleſiaſtica.

Imperator ius habet eligendi pontificem. 22

Ivo Carn. lib. 8. de electione pontificis id refert.

HAdrianus papa Romam venire Carolum regem ad defendendas res eccleſiæ poſtulauit:Carolus verò Romam veniens,Papiam obſedit:ibique relicto exercitu,in ſancta reſurrectione ab Hadriano papa Romæ honorificè ſuſceptus eſt. poſt ſanctam reſurrectionẽ reuerſus Papiam, cepit Deſideriũ regem:deinde Romam reuerſus conſtituit ibi ſynodum cum Hadriano papa in patriarchatu Lateranenſi , in eccleſia ſancti Saluatoris:quæ ſynodus celebrata eſt à cliij. epiſcopis religioſis & abbatibus. Hadrianus autem papa cum vniuerſa ſynodo tradiderunt Carolo ius & poteſtatem eligendi pontificem, & ordinandi apoſtolicam ſedem:dignitatem quoque patriciatus ei conceſſerunt.Inſuper archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere diffiniuit:vt niſi à rege laudetur & inueſtiatur epiſcopus,à nemine cõſecretur: & quicunque contra hoc decretum ageret,anathematis vinculo eum innodauit:& niſi reſipiſceret, bona eius publicari præcepit. ITEM Leo papa.

Electio Romani pontificis ad ius pertinet imperatoris. 23

Ivo Carn. lib. 8. id ex eodem refert de electione pontific.

IN ſynodo congregata Romæ in eccleſia ſancti Saluatoris ad exemplum beati Hadriani apoſtolicæ ſedis antiſtitis,qui domino Carolo victorioſiſſimo regi Francorum ac Lõgobardorum patritiatus dignitatem,ac ordinationem apoſtolicæ ſedis , & inueſtituram epiſcoporum conceſſit:Ego quoque Leo

ſeruus

seruus seruorum Dei episcopus cũ toto clero ac Romano populo constituimus & confirmamus & corroboramus, & per nostram apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur domino Ottoni primo regi Theutonicorum, eiusq; successoribus huius regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis apostolicæ pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiscopos seu episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram accipiant, & consecrationem vnde debent: exceptis his quos imperator pontificibus & archiepiscopis concessit, & vt nemo deinceps cuiuscũque dignitatis vel religionis, eligendi vel patricium vel pontificem summæ sedis apostolicæ, aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius imperatoris. Quod tamen fiat absque omni pecunia, & vt ipse sit patricius & rex. Quòd si à clero & populo quis eligatur episcopus, nisi à supradicto rege laudetur & inuestiatur, non consecretur. Si quis contra hanc apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subiacere decernimus, & nisi resipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis suppliciis affici.

ITEM Gregorius. *Grego. epist. 34. siue ca. 78. li. 4 24 ad Constantiam Augustam.*

Præcepto principum maximo remittitur quod absque auctoritate apostolica ordinatur.

SAlonitanæ ciuitatis episcopus me nesciente ac responsali meo ordinatus est, & facta est res quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens, ad eundem præuaricatorẽ qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, vt omnino missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à serenissimis dominis cognoscerem si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excõmunicationis interpositione mandaui, qui contempto me atque despecto, in audacia quorundã secularium hominum (quibus denudata sua ecclesia, præmia multa præbere dicitur) nunc vsque missas facere præsumit, atque ad me venire secundum iussionem dominorum, noluit. Ego autem præceptioni *pietatis eorum obediens, eidem Maximo qui me nesciente, ordinatus est: hoc quòd in ordinatione sua me vel responsalẽ meum prætermittere præsumpsit, ita ex corde relaxaui, ac si me auctore fuerit ordinatus: alia verò illius peruersa, scilicet mala corporalia quæ cognoui, vel quia cum pecunia est electus, vel quòd excommunicatus missas facere præsumpsit: propter Deum irrequisita præterire non possum: & si ad me venire diu distulerit, exercere in eo districtionem canonicam nullo modo cessabo. **alias, pietatis causa eorum.*

ITEM ex concilio Toletano, *Cap. 6. concilij Tolet. 12.*

In electione episcoporum, principis desideratur assensus. 25

CVm longè latèque diffuso tractu terrarum commeàtium impeditur celeritas nunciorum, quo aut nequeat regibus audientibus decedentis præsulis transitus notificari, aut de successore morientis episcopi libera principis electio expectari: nascitur sæpe aut nostro ordini de relatione talium difficultas, aut regiæ potestati, dum consultum vestrum subrogandis pontificibus sustinet numerosa necessitas. Vnde placuit omnibus pontificibus Hispaniæ atque Galliciæ, vt saluo priuilegio vniuscuiusque prouinciæ, licitum maneat, deinceps Toletano pontifici quoscũque regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani episcopi iudicium dignos esse probauerit: in quislibet prouinciis, & in præcedentium sedibus pręficere præsules, & decedentibus episcopis eligere successores: ita tamen, vt quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis suæ tempus infra trium mensium spatiũ Metropolitani proprij præsentiam visurus accedat.

GRAT. Electiones quoque summorum pontificũ atque aliorum infrà præsulum quondam imperatoribus repræsentabantur: sicut de electione beati Ambrosij & beati Gregorij legitur. Quibus exemplis & pręmissis auctoritatibus liquidò colligitur laicos non excludendos ab electione, neque principes esse reiiciendos ab ordinatione ecclesiarum. Sed quòd populus aut princeps iubetur electioni interesse, non præcipitur aduocari ad electionem fatiendam, sed ad consensum electioni adhibendum. Sacerdotum enim (vt in fine superioris capituli Stephani papæ legitur) est electio, & fidelis populi est humiliter consentire. Desiderium ergo plebis requiritur, vt clericorum lectioni concordet. Tunc enim in ecclesia Dei ritè pręficietur antistes, cùm populus pariter in eum acclamauerit, quem clerus communi voto elegerit.

Cœlestin. pa. I. epist. 2. Cap. 5.

VNDE Cœlestinus papa ait.

Plebis non est eligere, sed electioni consentire. 26

CLeri plebisque consensus & desiderium requiratur.

ITEM Leo primus.

De eodem. 27

Leo papa epi. 8. 7.

VOta ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum constituantur. & infra. Per pacem & quietem sacerdotes qui futuri sunt postulentur, teneatur subscriptio clericorum: honoratorum testimonium, ordinis conuentus & plebis.

GRATIA. Principibus verò atque Imperatoribus electiones Romanorum pontificum atque aliorum episcoporum referendas, vsus & constitutio tradidit pro schismaticorum atque hæreticorum dissentionibus, quibus nõnunquã ecclesia Dei concussa

„ cussa periclitabatur: contra quos legibus fidelissimorum Imperatorum frequenter ecclesia munita legitur. Repræsentabatur ergo electio clericorum principibus, vt eorum auctoritate roborata, nullus hæreticorum vel schismaticorum auderet contraire, & vt ipsi principes tanquam deuotissimi filij in eum consentirent, quem sibi in patrem eligi viderent: vt ei in omnibus suffragatores existerent, sicut Valentinianus B. Ambrosio suprà legitur dixisse: Noli timere, quia Deus qui te elegit, semper te adiuuabit. & ego adiutor & defensor tuus (vt meũ ordinem decet) semper existam.

VNDE Stephanus papa statuit dicens.

Præsentibus legatis Imperatoris ordinetur pontifex Romanus. 28

QVia sancta Romana ecclesia (cui Deo auctore præsidemus) à pluribus patitur violentias pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque imperiali notitia põtificis fit electio & consecratio, nec canonico ritu & cõsuetudine ab imperatore directi sunt nuncij, qui vetent scandala: fieri volumus vt cùm instituendus est pontifex, conuenientibus episcopis & vniuerso clero eligatur præsente senatu & populo qui ordinandus est, & sic ab omnibus electus, pręsentibus legatis imperialibus consecretur, nullusque sine periculo sui iuramẽta vel promissiones aliquas noua adinuentione audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne vel ecclesia scandalizetur, & imperialis magnificentia minuatur. 4.p.ns.

GRATIAN.

„ Verũ quia imperatores quãdoq; modũ suum ignorãtes nõ in numero cõsentientium sed primi distribuentiũ, immo exterminantiũ esse voluerunt, frequenter etiã in hæreticorũ perfidiam prolapsi, catholicæ matris vnitatẽ ecclesiæ impugnarę conati sunt: ideo sanctorũ patrũ statuta aduersus eos prodierũt, vt semet electioni nõ insererẽt, & quisquis eorũ suffragio ecclesiã obtineret, anathematis vinculo innodaretur: sicut scriptura quoq; diuina dicit, ꝙ Ezechias dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, & fregit serpentẽ æneum quem fecit Moyses. videlicet quia illũ serpentẽ deus fieri iusserat, ne serpẽtina morte populus interiret, ideo ipse populus colere & venerari eũ cœperat: & iccirco destruxit iste quod iubẽte deo fecerat ille: ac per hoc magna auctoritas ista est habẽda in ecclesia, vt si nõnulli ex prædecessoribus & maioribus nostris fecerũt aliqua quę illo tẽpore potuerũt esse sine culpa, & postea vertũtur in errorẽ & superstitionẽ, sine tarditate aliqua, & cum magna auctoritate à posteris destruãtur. Postremò pręsentibus legatis imperatorũ, & incõsultis, electiones Romanorũ põtificum legũtur celebratæ, & tandẽ ijdem imperatores religioso mẽtis affectu præfatis priuilegiis renũciauerũt, multa insuper donaria ecclesiæ dei cõferentes. VNDE Greg. iiij. scribit.

4. Reg. 18. a. 2. Paral. 29.

Iacos-

Inconsultis legatis imperatoris, Hadrianus ad pontificatum eligitur. 29

CVm Hadrianus ij ad Romanum pontificatum ab ecclesiæ Dei genitricis dominæ nostræ quæ dicitur Ad præsepe, traheretur ad Lateranense patriarchiũ. certatim à populo & clero & proceribus deportatus est: quod audientes missi Lodouici imperatoris molestè tulerunt, & indignati sunt quòd dum præsentes essent, non fuerunt inuitati, nec optatæ à se futuri præsulis electioni interesse meruerunt: qui accepta ratione quòd non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu hoc cõmissum fuerat, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præsulum expectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret: omnem indignationem medullitus sedauerunt: & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt. ITEM pactum constitutionis imimperatoris primi Lodouici cum Romanis pontificibus.

Electio Romanorum pontificum à Lodouico conceditur Romanis. 30

EGo Lodouicus imperator Romanus Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi apostolorum, & per te vicario tuo domino Paschali summo pontifici, & successoribus eius in perpetuum, sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis Romanam ciuitatem cum ducatu suo & suburbanis atque villiculis omnibus & territoriis eius montanis & maritimis, littoribus & portubus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, ac villis in Tusciæ partibus. Idem quando diuina vocatione huius sacratissimæ sedis põtifex de hoc seculo migrauerit, nullus ex regno nostro aut Francus, aut Longobardus de qualibet parte homo sub nostra potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut priuatim conueniendi, aut electionem faciendi, nullusq; in ciuitatibus aut in territoriis ad ecclesię beati Petri apostoli potestatẽ pertinẽtibus aliquod malũ prætterea facere præsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione, & sine qualibet perturbatione honorificam suo pontifici exhibere sepulturam, & cum quẽ diuina inspiratiõe, & beati Petri intercessione omnes Romani vno consilio atque vna concordia sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate atque contradictione more canonico consecrare, & dum cõsecratus fuerit, legati ad nos vel ad nostros successores reges Francorum dirigantur, qui inter nos & inter illum amicitiam & charitatẽ & pacem consocient. ITEM Leo iiij. Lothario & Lodouico Augustis.

Electio & consecratio Romani pontificis non nisi iustè & canonicè fiat. *Palea.* 31

INter nos & vos pacti serie statutum est & confirmatum quòd electio & consecratio futuri Romani pontificis non nisi iustè & canonicè fieri debeat.

IDEM.

Ab imperatore vel nunciis eius, electioni Romani pontificis nullum obstaculum generetur.

Palea. 32

COnstitutio primi Henrici & primi Ottonis cum Romanis pontificibus. vt nullus missorum nostrorum cuiuscunque impeditionis argumentum in electione Romani pontifi cis componere audeat omnino prohibemus. Item in electione Romanorum pontificum neque liber neque seruus ad hoc venire præsumat, vt illis Romanis quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, faciat aliquod impedimentum. Quòd si quis contra hanc nostram constitutionem præsumpserit: exilio tradatur. ITEM constitutio Ottonis.

Iuramentum Ottonis quod fecit domino papæ Ioanni. 33

TIbi domino Ioanni papæ, ego rex Otto promittere & iurare facio per patrem & filium & spiritum sanctum, & per lignum hoc viuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quòd si permittente domino Romam venero, sanctam Romanā ecclesiam, & te rectorē ipsius exaltabo secundū meum posse, & vitam aut mēbra nunquā neq; ipsum honorē quē habes, mea volūtate, aut meo cōsilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Roma nullū placitum aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad te aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam: & cuicunq; Italicum regimē commisero, iurare faciam illum, vt adiutor tui sit ad defendendum terram sancti Petri secundū suum posse.

ITEM ex primo lib. [capitulorum [a]]Caroli & Ludouici imperatorum. a Capitularium

Liberum sit clero & populo de propria diœcesi episcopum eligere. 34

SAcrorum canonum non ignari, vt Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico prębemus: vt scilicet episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum de propria diœcesi (remota personarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur: vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.

" Ex his cōstitutionibus & pacto Ludouici imperatoris de-
" prehenduntur, imperatores illis renunciasse priuilegiis quæ GRATIA.
de

Ab omnibus comprouincialibus episcopi ordinentur. 1

EPiscopi ab omnibus qui sunt in prouincia sua, debent ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, vel vrgente necessitate, vel itineris longitudine, tres episcopi debent in vnum cōgregari: ita vt cæterorum qui absentes sunt, consensum literis teneant. Potestas sanè vel confirmatio pertinebit per singulas prouincias ad Metropolitanum episcopum. ITEM Anacletus. *Epist. 2. ad episcopos Italiæ.*

De eadem. 2

ORdinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus qui in eadem prouincia sunt episcopis celebrandæ sunt. quod si omnes simul minimè conuenire poterunt, assensum tamen præbeant suis apicibus: vt ab ipsa ordinatione animo non desint. Ex concilio Aurasico. cap. xx. *Cap. 20. conc. Arausican.*

Palea. 3

DE abiectione & ambitione eius quem duo præsumpserunt ordinare episcopi in vestris prouinciis, placuit de præsumptionibus vt sicubi contigerit duos episcopos tertium ordinare: & episcopi & auctores dãnabuntur, quo cautius ea quæ sunt antiquitus statuta seruentur. ITEM Anitius papa.

Cæteris assentientibus cum tribus comprouincialibus ordinetur episcopus. 4 *Anicetus papa epist. ad episcopos Galliæ.*

COmprouinciales episcopi (si necesse fuerit) cæteris consentientibus à tribus episcopis iussu archiepiscopi consecrari possunt. ITEM Innocentius papa.

Non ordinetur episcopus extra conscientiam Metropolitani. 5

EXtra conscientiam Metropolitani nullus audeat ordinare episcopum. integrum enim est iudiciũ quod plurimorum sententiis cõfirmatur. Nec vnus episcopus præsumat ordinare episcopum, ne furtiuum beneficium præstitum videatur. hoc enim & synodus Nicena cõstituit, atq; custodiẽdo definiuit. *Innoc. papa 1. epist. 2. ad Victricium episcopum Rothomagen.*

ITEM Gelasius vniuersis episcopis per Dardaniã cõstitutis.

Episcopi à suo metropolitano, & ipse ab eisdem consecretur. 6

QVia per ambitiones illicitas nos pudet quosdam ecclesiarum iura turbare: ac priuilegia quæ metropolitanis vel prouincialibus episcopis decreuit antiquitas temeraria præsumptione peruadere: propterquod etiam communionis apostolicæ desiderant dissidium tenere, quod scilicet ab eius auctoritate diuisi, vel impunè proprias vsurpationes exerceant, non respicientes quia æterno iudici rationẽ tam de catholicæ synceritatis iniuria, quàm de traditionum præiudicijs paternarum non sine perpetuæ sint damnationis interitu reddituri, si in hac obstinatione permãserint: charitatem vestram duximus instruẽdam vt vos omnes in communefratres, siue per Dardaniam, siue per vnãquanq; contiguam prouinciam constituti, qui vos sub Metropolitanis vestris esse meministis, & ab eisd *2. pars.*

ſubſtitui, decernentes (ſicut vetus conſuetudo depoſcit) vnanimiter ſtatuatis antiſtites, & viciſſim ſi Metropolitanus humanæ cōditionis ſorte deceſſerit, à cōprouincialibus epiſcopis (ſicut forma trāſmiſit) ſacrari modis omnibus cenſeatis: neq; ſibi quēquam quod vobis antiqua diſpoſitione conceſſum eſt, patiamini vēdicare: quatenus & inter ipſas aduerſantiū voluntatum procellas veterum regulas nullatenus cuſtodire ceſſetis: ſicut perſecutionū tempore diuerſarū patres noſtros conſtanter feciſſe non dubium eſt. ITEM ex concilio Martini papę.

Cap. 2. lib. Martini Bracharen. epiſcopi ex ſynodis Græcorum.

De eodem. 7

EPiſcopum oportet maximè quidem ab omni concilio conſtitui, ſed ſi hoc aut pro neceſſitate, aut pro longinquitate itineris, difficile fuerit, ex omnibus tres eligantur, vt omnium præſentium vel abſentium ſubſcriptiones teneantur, & ſic poſtea ordinatio fiat.

3. pars. GRATIAN. *Ibidē continuò.*

" Huius autem rei poteſtas in omni prouincia ad Metropolitanum pertinet epiſcopum. ITEM ex concilio Niceno. "

Cap. 6.

Non erit epiſcopus qui præter Metropolitani conſcientiam fuerit ordinatus. 8

ILlud generaliter eſt clarum, quòd ſi quis præter ſententiam vel cōſcientiam Metropolitani fuerit factus epiſcopus, hunc magna ſynodus diffiniuit epiſcopum eſſe non oportere.

CONSENSVS EPISCOPORVM MAIOR IN EPISCOPI ORDINATIONE SERVETVR CONSENTIENTE PRIMATE.

DISTINCTIO LXV.

COmprouincialium epiſcoporum vniuerſaliter deſideratur cōſenſus in ordinatione epiſcopi. Quòd ſi aliqui animoſitate ducti contradicere voluerint, obtineat ſententia plurimorum. VNDE in Niceno concilio.

Cap. 6.

Si cæteris conſentientibus ordinationi epiſcoporum duo vel tres contradicant, obtineat ſententia plurimorum. 1

SAnè ſi communi omnium conſenſu rationabiliter probato, ſecundum eccleſiaſticā regulam duo vel tres animoſitate ducti per contentionē contradicant, obtineat plurimorum ſententia ſacerdotum. ITEM ex concilio Martini papæ.

Cap. 3. lib. Martini Bracharen. epiſcopi ex ſynodis Græcorū.

De eodem. 2

NOn debet ordinari epiſcopus abſq; concilio & præſentia Metropolitani epiſcopi. adeſſe autem oportet omnes qui ſunt in prouincia ſacerdotes, quos per ſuam epiſtolam debet Metropolitanus conuocare. Et ſi quidem omnes concurrant, bene eſt, ſi autem hoc difficile fuerit, plures oportet concurrere. qui autem non conueniūt, præſentiā ſui per epiſtolas ſuas faciant: & ſic omnium facto conſenſu, ordinationem epiſcopi fieri

pi fieri oportet. Si autem aliter præterquam à nobis terminatum est, fuerit factū: talem ordinationē nihil valere decernimus. Si autē secundū canones ordinatio episcopi fuerit facta, & aliquis cum sua malitia in aliquo contradixerit, plurimorū consensus obtineat. ITEM ex concilio Antiocheno. Cap. 19.

De eodem. 3

EPiscopus nō est ordinandus sine consilio & præsentia Metropolitani episcopi: cui melius erit, si ex omni prouincia congregentur episcopi. quod si fieri non potest, hi qui adesse non possunt propriis literis consensum suum designēt: & tūc demum post plurimorū episcoporum siue per præsentiam, siue per literas consensum, sententia consona ordinetur. quòd si aliter quàm statutū est fiat, nihil valere huiusmodi ordinationem sciat. Si verò etiā secundū diffinitas regulas ordinatio celebretur, contradicant autem aliqui propter proprias & domesticas simultates: his contemptis sententia de eo obtineat plurimorum. Si autem prouinciam primatē habere cōstiterit: nec etiam Metropolitano absq; conscientia eius episcopum consecrare licebit. VNDE Leo papa Anastasio episcopo. *Ibidem cōtinuò.* *Leo papa 1. epist. 82.*

Absque primatis consensu Metropolitanus episcopum non ordinet. 4

DE persona autem consecrandi episcopi, & de cleri plebisque consensu Metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat: quodq; in prouincia bene placuit, scire te faciat vt ordinationem* rite celebrandam tua quoque confirmet auctoritas, quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debebit afferre: ne gregibus domini diu desit cura pastorū. ITEM ex concilio Carthaginen. iiij. **ordinem ritè celebrandum.* *Cap. 12. conc. Cartha. 2.*

De eodem. 5

PLacet omnibus vt inconsulto primate cuiuslibet prouincię tam facilè nemo præsumat, licet cum multis in quocunq; que loco sine eius (vt dictū est) pręcepto episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi in quocunque loco sint cum primatis præcepto ordinare debent episcopum. ITEM ex concilio Niceno. Cap. 6.

Vnicuique ecclesiæ proprius honor obseruetur. 6

MOs antiquus perduret in Aegypto vel Libya & Pētapoli, vt Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam quidē & Romano episcopo parilis est mos. Similiter autem apud Antiochiam & cęteras prouincias honor suus vnicuique seruetur ecclesiæ. ITEM ex eodem. Cap. 7. Niceni conci.

De eodem. 7

QVoniā mos antiquus obtinuit & vetusta traditio vt Aelię (id est Hierosolymorum) episcopo honor deferatur: habeat consequenter honorem: manente tamen Metropolitanæ ciuitatis honore proprio.

GRATIAN. Qui verò à comprouincialibus suis cum Metropolitani licentia fuerit ordinatus, intra constituta tempora eius se repræsentet conspectibus.

Cap. 5. VNDE in Terraco. concilio legitur.

De eodem. 8

SI quis Metropolitana ciuitate episcopus non fuerit ordinatus: posteaquã suscepta benedictione per Metropolitani literas honorẽ fuerit adeptus episcopi, id optimum esse decernimus, vt postmodũ statuto tempore (id est impletis duobus mensibus) se Metropolitani sui pręsentet aspectibus: vt ab illo monitis ecclesiasticis instructus, plenius quid obseruare debeat recognoscat. Quòd si fortè hoc implere neglexerit, in synodo increpatus à fratribus corrigatur: etsi fortè infirmitate aliqua ne hoc impleat fuerit impeditus, hoc suis literis Metropolitano indicare procuret.

GRATIAN. 3. pars. His auctoritatibus datur intelligi quòd episcopi à comprouincialibus suis debeant ordinari. Sed quæritur si in prouincia plurimi episcopi fuerint, & contigerit fortè vnum remanere episcopum: quid fieri debeat. ille, quia solus est, ordinare non potest episcopũ. comprouinciales enim nõ habet cum quibus episcopum consecrare valeat. Cùm ergo talis necessitas fuerit, quid faciendum sit in Sardicensi concilio diffinitur: in quo sic statutum legitur.

Cap. 6.

Si fortè vnus tantum in prouincia remanserit episcopus ad consecrationem episcopi de vicina prouincia conuocentur. 9

SI fortè in prouincia vnum tantum contigerit remanere episcopum, superstes episcopus cõuocet episcopos vicinæ prouinciæ, & cum eis ordinet cõprouinciales sibi episcopos. quod si facere neglexerit, populi conueniant episcopos prouinciæ vicinæ: & illi prius commoneant episcopum qui in eadẽ prouincia commoratur: & ostẽdant quomodo populi petant sibi rectorem: & doceant iustum esse vt veniat ipse, & cum eis ordinet episcopum. & si literis conuentus tacuerit & dissimulauerit, nihilq; rescripserit: tunc satisfaciẽdum est populis vt conueniant ex vicina prouincia, & episcopum ordinent.

ARCHIEPISCOPVS A SVIS EPISCOPIS ORDINETVR.

DISTINCTIO XLVI.

GRATIAN. *Anicetus epist. ad Galliæ episcopos.* ARchiepiscopus autem ab omnibus suę prouinciæ episcopis debet ordinari.

VNDE Anitius papa ait.

Ab omnibus suffraganeis suis archiepiscopus ordinetur. 1

ARchiepiscopus ab omnibus suæ prouinciæ episcopis ordinetur. Hoc autem quod de archiepiscopi ordinatione præ-

præceptum est, vt omnes suffraganei eum ordinent: nullatenus liceat immutari: quia ille qui præest, ab omnibus episcopis quibus præest, debet constitui. Sin autē aliter præsumptū fuerit, viribus carere non dubium est: quia irrita erit secus acta ordinatio archiepiscopi.

» De episcopis non ordinandis à paucioribus quàm à tribus » episcopis Anacletus papa scribit, dicens. 2

GRATIAN. 2. pars. Epi. 2. ad Italiæ episcopos.

POrrò & Hierosolymitanus primus archiepiscopus beatus Iacobus qui Iustus dicebatur, & secundum carnē frater domini nuncupatus est· à Petro Iacobo, & Ioanne apostolis est ordinatus: successoribus suis formā dantibus videlicet vt minus quàm à tribus episcopis reliquísque omnibus assensum præbentibus nullatenus episcopus ordinetur: & cōmuni voto ordinatio celebretur.

PRESBYTERI AB VNO EPISCOPO ORDINANTVR.

DISTINCTIO LXVII.

GRATIAN. Anacle. epist. 2. ad episcopos Italiæ.

» PResbyteri verò & chorepiscopi ab vno episcopo ordina- » ri possunt. VNDE Anacletus.

Sacerdotes ab vno episcopo possunt ordinari. 1

REliqui sacerdotes à proprio ordinentur episcopo: ita vt ciues & alij sacerdotes assensum præbeant & ieiunantes ordinationem celebrent: similiter & diaconi ordinentur. Cæterorum autem graduum distributioni, trium veracium testimonium cum episcopi approbatione sufficere potest.

ITEM in Hispalensi concilio legitur.

De eodem 2

Cap. 6. conc. Spalensis. 2. 2. Pars.

EPiscopus sacerdotibus ac ministris solus honorē dare potest, solus auferre non potest.

NON EPISCOPI ORDINARE PRESBYTEROS, NEC CHOREPISCOPI POSSVNT.

DISTINCTIO. LXVIII.

GRATIAN.

» QVæritur de illis qui ordinantur ab his quos non con- » stat fuisse episcopos, an sint iterum consecrādi, an nō. » Quòd verò consecrādi non sint, probatur auctoritate » Gregorij, qui scribens Ioanni Rauennati archiepiscopo ait.

Greg. pap. I. epist. 32. lib. 2.

Semel consecratus, iterum consecrari non debet. 1

SIcut semel baptizatus, iterum baptizari non debet: sic & semel consecratus, iterum consecrari non potest. Sed si quis cum leui culpa ad sacerdotium venerit, pro culpa pœnitentia debet indici: & tamen ordo seruetur.

ECONTRA idem Gregorius testatur scribens cuidam episcopo.

Greg. pa. 3. epi. ad Bonifacium.

De presbyteris qui ordinantur ab eis quos constat episcopos non fuisse. 2

PResbyteri quos reperisti, si incogniti fuerint viri illi qui ordinant: & dubium est eos episcopos fuisse, aut qui eos ordinauerunt: si bonę actionis, virique catholici sint, & ipsi presbyteri in ministerio Christi Dei sancta lege edocti: ab episcopo suo benedictionē presbyteratus suscipiant, & consecrētur: & sic ministerio sacro fungantur.

GRATIAN.

" Quòd ergo consecratus, in eodem ordine iterum consecrari prohibetur, de eo intelligendum est qui consecratus est ab illo quem certum erat consecrandi ius habere. Qui autem ab illo consecratur quem non constat ius consecrandi habuisse, iterum consecrandus est: quia si ille consecrādi ius non habuerit, iste ex olei effusione nil consecrationis accepit, & quia in ipso ordine consecratus non erat: nunc quasi primum ad consecrationem veniens, ab episcopo sacerdotalem benedictionem & consecrationem consequitur. Si autem ius consecrandi habuerit, in prima vnctione consecutus est consecrationē. in secūda verò nō reiteratur cōsecratio, sed sola vnctio: sicut de quo dubiū est an sit baptizatus vel non, debet baptizari. Quòd si prius baptizatus nō fuerat, cōsequitur gratiam baptismi. si autem baptizatus erat, nihil accipit in secūda vnctione, nec pertinet hoc ad reiterationem baptismi, sed ad cautelam salutis. Hoc etiā de ecclesijs consecrandis similiter obseruandum est. "

VNDE in Niceno concilio legitur.

Non debet iterum consecrari ecclesia semel consecrata. 3

ECclesiis semel consecratis Deo non iterum debet cōsecratio adhiberi: nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine fuerint pollutæ: quia sicut infans à qualicunq; sacerdote in nomine patris & filij & spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari: ita nec locus Deo dedicatus est iterum consecrandus, nisi propter eas causas quas superius nominauimus: si tamen fidē sanctæ trinitatis tenuerunt qui eas consecrauerunt.

2. pars. GRATIAN.

" Inter episcopos autem & chorepiscopos hæc est differentia, quòd episcopi non nisi in ciuitatibus: chorepiscopi & in vicis ordinari possunt, episcopi formatas tribuunt literas: chorepiscopi non nisi commendatitias & pacificas dare valent. episcopi ius consecrandi habent: chorepiscopi tantum minores ordines tribuūt. leuiticam autem & sacerdotalem benedictionem non valent præstare, "

DE his ita scribit Leo episcopus omnibus episcopis.

Leo pap. 1. epist. 86 ad episco. Germaniæ.

In quibus chorepiscopi ab episcopis differant. 4

QVanuis chorepiscopis & presbyteris plurima cum episcopis ministeriorum communis sit dispēsatio: quædam tamen

men sibi prohibita nouerint: sicut est presbyterorum, diaconorum, & virginum consecratio: constitutio altaris ac benedictio vel vnctio. si quidem nec erigere altaria, nec ecclesias consecrare eis licitum est, nec per impositionē manuum fidelibus baptizatis, vel cōuersis hęreticis paracletum spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in missa quenquā pœnitentē reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere.

GRATIAN.

" Hæc omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exēplum & " formā .lxxij. discipulorum esse noscuntur: vel presbyteris qui " eandem gestant figurā: quoniam quanquā cōsecrationem ha- " bent, pontificatus tamen apicem non habent. Hi verò propter 3. pars. " insolentiam suam qua officia episcoporum sibi vsurpát, ab ec- " clesia prohibiti sunt. VNDE Damasus papa ait.

Epist. 4. ad omnes episcopos.

Ordo chorepiscoporum à sacra sede reprobatur. 5

CHorepiscopi tam ab hac sacra sede, quàm ab episcopis totius orbis prohibiti sunt. Nimis enim eorū institutio improba est & praua: quia etsi de summo sacerdotij ministerio aliquid præsumant, omni tamen auctoritate carent. Nam non amplius quàm duos ordines inter discipulos dñi esse cognouimus, id est duodecim apostolorum, & septuagintaduorum discipulorū. vnde iste tertius processerit, ignoramus: & quod ratione caret, extirpare necesse est.

GRATIAN. 4. pars.

" Quod autem episcopi non sint qui minus quàm à tribus " sunt ordinati episcopis, omnibus patet, prohibitum est enim " à sanctis patribus, vt qui ab vno vel à duobus sunt ordinati " episcopis, non nominentur episcopi. si enim nomen non ha- " bent, qualiter officium habebunt?

" ITEM Vrbanus papa.

Apostolorum in ecclesia locum episcopi tenent. 6

August. in comment. ad Psal. 44.

QVorum vices in ecclesia habeant episcopi, & quis eis hanc dignitatem dare debeat, Augustinus ostendit inquiens: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres missi sunt apostoli. pro apostolis filij nati sunt & constituti episcopi. hodie enim episcopi qui sunt per vniuersum mundum, vnde nati sunt, ipsa ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrū. Non ergo te putes desertam, quia non vides Paulum, non vides Petrum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua creuit tibi paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. filios genuit ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram.

ORDINES INFERIORES A QVIBVS CONFERANTVR.

DISTINCTIO. LXIX.

GRATIAN. "Tonsura verò clerici de manu abbatis suscipi potest, si eidem abbati manus impositio ab episcopo facta noscatur. VNDE in vij. synodo legitur."

Abbates quibus ab episcopis manus imponitur, aliquos tonsurare possunt. 1

QVoniam videmus multos sine manus impositione à paruula ætate tonsuram clerici accipientes, nondumque ab episcopo manus impositione percepta super ambonem irregulariter in collecta legentes. præcipimus amodo id minimè fieri: idipsum quoq; obseruandum est, etiam inter monachos. 2 *pars.* Lectores autem manus impositione licentia est vnicuique abbati in proprio monasterio solummodo faciendi: si duntaxat abbati manus impositio facta noscatur ab episcopo secũdum morem præficiendorum abbatũ, dum constet illum esse presbyterum. 3 *pars.* Simili modo secundum antiquam consuetudinem chorepiscopum præceptione oportet episcopi promouere lectores. *Cap. 26.* ITEM ex concilio Laodicensi.

Non exorcizent qui ab episcopo prouecti non sunt. 2

NOn oportet exorcizare eos qui necdum ab episcopis suis sunt promoti, nec in ecclesiis neque in domibus.

NVLLVS SINE TITVLO ORDINETVR.

DISTINCTIO LXX.

GRATIAN. "Ab episcopis alterius ciuitatis clericus ordinari non poterit: nec etiam à proprio absolutè ordinandus est, absoluta enim ordinatio in Chalcedonensi concilio prohibetur, & vacuam habere manus impositionem præcipitur: in quo sic statutum est."

Nullus ordinandus est absolutè. 1

Cap. 6. actionis. 15. NEminem absolutè ordinari iubemus presbyterum, neque diaconum, nec quẽlibet in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifestè in ecclesia[a] suæ ciuitatis siue possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio hic qui ordinatur, mereatur ordinationis publicè vocabulum. eos aũt qui absolutè ordinantur, decreuit sancta synodus vacuã habere manus impositionem: & nullum tale factum valere, ad iniuriam ipsius qui eum ordinauit. ITEM ex concilio Vrbani habito Placẽtię.

[a] Deest verbum suę. in manuscripto Gratiano & tomo concilij. & ex hoc ita corrupto textu glossa intulit sufficere titulũ profanum patrimonij. Contius.

Irrita sit ordinatio sine titulo facta. 2

Vrbanus pap. 2. SAnctorum canonum statutis consona sanctione decernimus, vt sine titulo facta ordinatio irrita habeatur. Et in qua ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuò perseueret.

Omnino

Omnino autem in duabus aliquem intitulari nō liceat: sed vnusquisque in qua intitulatus est, in ea tātum canonicus habeatur. licèt enim episcopi dispositione vnus diuersis præesse possit ecclesijs: canonicus tamē præbēdarius nisi vnius ecclesiæ in qua conscriptus est, esse non debet. Si quæ tamē capellæ sunt quæ suis redtibus clericos sustentare nō possunt, earū cura ac dispositio præposito maioris ecclesiæ cui capellæ subditæ esse videntur, immineat: & tam de possessionibus quàm de ecclesiasticis capellarum officiis ipse prouideat. In eodem etiam concilio antiquis nouem præfationibus decima addita est. quæ ita se habet: Aequum & salutare: & te in veneratiōe, vel assumptione beatæ virginis Marię collaudare, benedicere, & prædicare. quæ & vnigenitum tuum sancti spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit Iesum Christu Dominū nostrum.

EPISCOPVS ALTERIVS CLERICOS SINE EIVS CONSENSV NON ORDINET. DISTINCT. LXXI.

" DE clericis verò non ordinādis ab episcopo alterius ciuitatis, in Sardicensi concilio statutum est. GRATIAN.
" IN quo Ianuarius episcopus dixisse legitur. Cap. 18.

Clerici ab episcopo alterius ciuitatis non ordinentur. 1

ILlud quoque sanctitas vestra statuat, vt nulli episcopo liceat alterius ciuitatis ecclesiasticum hominē solicitare, & in sua diœcesi clericum ordinare: quia ex his contentionibus solent nasci discordiæ: & ideo prohibeatur omni sententia, ne quis hoc facere audeat. Osius episcopus dixit. Et hoc vniuersi cōstituimus, vt quicunque ex alia parœcia voluerit alienum ministrum sine consensu episcopi sui & sine voluntate ordinare: non sit rata eius ordinatio. *Cap. 19. eiusdē.* ITEM Innocentius. *Innoc. pa. 1. epi. 2. ad Victricium Rothomagen. episcopum.*

De eodem. 2

DE aliena ecclesia ordinare clericum nullus præsumat, nisi eius episcopus precibus exoratus concedere voluerit.

ITEM ex Niceno concilio. *Cap. 16.*

Qui sine sui episcopi consensu ordinatur, irrita sit eius ordinatio. 3

SI quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet, in ecclesia ordinare: cùm non habeat consensum illius episcopi à quo recessit clericus, irrita sit huiusmodi ordinatio. *Cap. 20.*

ITEM ex concilio Chalcedon̄.

Clericus vnius ecclesiæ, in aliena non ordinetur. 4

CLericos in singulis ecclesiis constitutos non liceat (sicut iam diffiniuimus) in alterius ciuitatis ecclesijs ordinari: sed quiescant in ea in qua ab initio ministrare meruerunt: exceptis illis qui proprias ciuitates perdiderunt, & ex necessitate ad

 alias

alias ecclesias migrauerunt. Si verò quicunque episcopus post diffinitionē istam ad alium episcopum pertinentem clericum susceperit: placuit sanctæ synodo & hunc qui suscepit, & eum qui susceptus est, tandiu excōmunicatos manere, quandiu ipse clericus reuertatur ad propriam ecclesiam.

Epist. 11. siue cap. 3. lib. 5.

ITEM Gregorius Fortunato episcopo Neopolitano.

Apostolica permissione unius ecclesiæ clericus in altera valet ordinari. 5

FRaternitatem tuam à nobis petiisse recolimus vt Gratianū ecclesiæ Venefranæ diaconum tuæ concederemus ecclesiæ ordinandum: & quoniam nec episcopum cui obsecundare debeat, propria ecclesia habeat (hoste scilicet prohibēte) quo suū debeat ministerium exhibere: petitionem tuā nō præuidimus differendam. iccirco tibi scriptis præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habiturus licentiam illum diaconum nostra interueniente auctoritate ecclesiæ tuæ Deo propitio constituere cardinalem. ITEM ex concil. Carthag. j.

Cap. 5. concil. Carthag. pri.

Sine literis episcopi sui in aliqua ecclesia clericus non suscipiatur. 6

P†Rimatus episcopus Begeselitanus dixit. Suggero sanctitati vestræ vt statuatis nō licere clericum alienum ab aliquo episcopo suscipi sine literis episcopi sui: neq; apud se retinere, neque laicum vsurpare sibi de plebe aliena, vt eum obtineat sine conscientia eius episcopi de plebe cuius est. Gratus episcopus dixit: Hæc obseruantia pacē custodit. Nam & memini in sanctissimo concilio Sardicensi similiter statutū, vt nemo alterius plebis hominem sibi vsurpet: sed si fortè erit necessarius petat à collega suo, & per consensum sui episcopi habeat.

†Primatus

cap. 13. actionis 15.

ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Sine literis commendatitijs clericus extra suam ecclesiam non ministret. 7

EXtraneo clerico & lectori extra suam ciuitatem sine commendatitiis literis proprij episcopi nusquam penitus liceat ministrare. ITEM ex sermone sancti Augustini ad populum.

De eodem. 8

HOrtamur Christianitatem vestrā iuxta sanctorum canonum instituta, vt in ecclesiis à vobis fundatis aliunde veniens presbyter non suscipiatur, nisi à vestræ fuerit ecclesiæ consecratus episcopo, aut ab eo per commendatitias literas suscipiatur.

cap. 7.

ITEM ex concilio Antiocheno.

Absque formata clerici peregrini non suscipiantur.

NVllum absque formata (quam Græci epistolam dicunt) peregrinorum clericorum suscipi oportet.

EPI.

EPISCOPVS DIMISSORIAS NISI ROGATVS TRIBVAT. DISTINCTIO LXXII.

DImissorias verò literas episcopus nisi rogatus non tribuat: sicut statutum est in synodo habita Romæ. GRATIAN.

VNDE Leo papa ait.

Nisi eodem petente, nulli dimissoriæ literæ præstentur. I

EPiscopus subiecto sibi sacerdoti vel alij clerico nisi ab ipso postulatus dimissorias non faciat: ne ouis quasi perdita aut errans inueniatur. ITEM ex concil. Carthagineñ. iiij. *cap. 21. concil. Carth. 3. habetur.*

De eodem. 2

CLericum alienum (nisi concedente eius episcopo) nemo audeat vel retinere, vel promouere in ecclesia sibi credita. Clericorum autẽ nomẽ etiam lectores & psalmistæ & ostiarij retinent. ITEM ex concilio Mileuitano. *cap. 15.*

In vna ecclesia ordinatus, in alia non suscipiatur. 3

PLacuit vt quicunque in vna ecclesia semel eligitur, ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur.

LITERAE DIMISSORIAE QVOMODO FIANT. DISTINCT. LXXIII.

QValiter verò commẽdatitia vel dimissoria seu formata epistola facienda sit, videndum est. debent nanque literæ Græcæ interponi in ea epistola, & non sine causa. Græca enim elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciẽdis epistolis canonicis (quas mos Latinus formatas vocat) aliqua fraus falsitatis* temerè præsumeretur, hoc à patribus cccxviij. Nicenæ congregatis saluberrimè inuentum est & constitutum, vt formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem, vt assumãtur in supputationem prima Græca elementa patris & filij & spiritus sancti. hoc est π. υ. α. quæ elementa octogenarium quadringentesimum & primum significant numeros. Petri quoque apostoli prima litera, id est, π. quæ numerum *lxxx. significat. eius qui scribit episcopi prima litera: cui scribitur secunda, accipientes tertia litera: ciuitatis quoque de qua scribitur, quarta: & indictionis quæcũque est id tẽporis, id est, qui fuerit numerus, assumatur: atq; ita his omnibus Græcis literis quæ (vt diximus) numeros exprimũt, in vnũ ductis: vnũ quæcunque collecta fuerit summã epistola teneat. hanc qui suscipit, cum omni cautela requirat expresse: addat prǽterea separatim in epistola etiã nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa [significat Amen.] GRATIAN.

*al. qui numerus.

b c. 20. Mileuit. concil. videt diẽ quoque Paschæ apponi infra de consecra. dist. 3. cap. 3.

legendum. significatur, υ. θ. ex vet. lib. ex canonib. exceptorũ, quem habeo. Nam hæc duo elementa nonagenarium & nonum significat numerũ. De epistola formata vide Sidoniũ, Apollinarem, lib. 7. epi. 2. Cont.

Exem-

Hoc translatum est ex Burchardo.

Exemplar formatæ epistolæ quæ in Nicena synodo à cccxviij. patribus facta est. 1

IN nomine patris. π. & filij. υ. & spiritus sancti. α. Vvalterio Spirensis ecclesiæ episcopo ego Brocardus sanctæ Vvarmaciensis ecclesiæ deuotus gregis Christi famulus in deo summæ fœlicitatis beatitudinem. Cùm sancta catholica ecclesia prompta sit sequi documenta euangelica quæ dicunt. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedē iusti accipiet, &c. Et Apostolus iubeat hospitalitatē sectari, & necessitatibus virorum sanctorum communicare: tamē propter eos qui cauteriatam habent suam conscientiam, dicētes se esse simplices, cùm sint astutia diaboli repleti, & pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cùm sint fugitiui sua malitia faciēte: & dicunt se esse ministerio sacro insertos: cùm non sint: statutum est à patribus sanctis, neminem clericum alienum & ignotum recipi ab aliquo episcopo, & inthronizari in sua ecclesia nisi habeat à proprio episcopo epistolā, quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus paternitati vestræ, quòd præsens frater noster harum literarum portitor, nomine Hermannus, non pro sua nequitia expulsus est à nobis: sed postulantibus fratribus, eo quòd ex familia nostra fuit, & noster baptizatus: fecimus ei libertatem receptā in cornu altaris canonicè, & ordinauimus eum ad gradū presbyterij. cui etiam has dimissorias siue commendatitias literas facimus: & eum ad vestram dilectam fraternitatē dirigimus: vt in vestra parœcia sub vestro sacro regimine & defensione consistere valeat. Ego inquam Brocardus humilis episcopus, in nomine patris. π. & filij. υ. & spiritus sancti. α. & in vnitate sanctæ ecclesiæ, in qua Petro datum est ius ligandi atque soluendi, absoluo Hermannum presbyterum de ciuitate Vvarmaciensi indictione x. & licentiā do vobis inthronizandi eū in quacunq; ecclesia vultis vestræ parœciæ. Hanc ergo epistolam Græcis literis hincinde munire decreuimus, & anulo nostræ ecclesiæ firmare censuimus. Fraternitatem vestram Christus nobis incolumen conseruet. [ἀμήν] Data Vvarmaciæ idibus Marij, anno dominicæ incarnationis. M. ij. mense xij. indictione x.

Matth. 10.

Roman. 12.

pro hoc incluso legitur in manuscript. & Burchardo, π. υ. α. π. β. ε. β. ξ. κ. η. θ.

Incipit epistola formata à cccxviij. episcopis & abbatibus Constantinopolitanæ vrbis episcopo edita. 2

SAnctissimo in Christo fratri summa dulcedine charitatis amplectendo. A. illius ciuitatis episcopo. Y. illius ecclesiæ præsul, perpetuæ beatitudinis optat in Christo salutem. π. υ. α. π. β. β. ξ. κ. η. θ. De cætero nouerit sancta fraternitas vestra, quòd iste clericus, Hermānus nomine, nostra in parœcia instructus

ac

ac detonsus paruitatem nostrá rogauit, quatenus illi commendatias literas scriberemus, quibus vestri celsitudini commēdatus, sub tuitione vestri regiminis degere posset: cuius voluntati consentientes secundum canonicam auctoritatē literas ei dimissorias dedimus, per quas ipsi concedimus, vt sub vestro magisterio diuinæ seruituti insistēs, suæ seruiat vtilitati: & vobis licentiā tribuimus, vt si dignū eum iudicaueritis, ad sacros ordines promoueatis. commendatum ergo eum curæ vestræ suscipite: & nostris ex partibus absolutum in vestratum ouiū numero custodite. Quas literas vt vigore veritatis firmatę indubitanter à vobis suscipiātur, literis Gręcis (vt canonica docet auctoritas) confirmare satagimus. Sancta trinitas vestram beatitudinē ad regimē sanctæ suæ ecclesiæ perpetualiter bene valere concedat. * vel sic, * quòd eandem summā exprimūnt. Indictione x. Continet hæc formata epistola summā numeri. M. cccxv. Y. Græcam in nomine illius primā ponimus: quia Græci eam in quibusdam locis pro, u, cōsonante ponunt: sicut est *ἀπουσία. id est absentia.

*In exemplari quodā nostro antiquo legitur, sicut est ὁ υἱός, ἡ υἱοῦ, εἶναι.

INVITUS NEMO ORDINETUR.

DISTINCTIO LXXIIII.

GRATIAN.

„ QVæritur de his clericis qui ab episcopis suis promoue-
„ ri contemnunt, an inuiti sint sublimandi, an non.

De his ita statutum est in conci. Aurelianensi. *Ca. 7. conc. Aurel. tertij.*

Annuæ suspensioni subiaceat episcopus, qui inuitū ordinare præsumit. 1

EPiscopus qui inuitum aut reclamantem ordinare præsumpserit, annali pœnitentiæ subditus missas facere non præsumat.

ITEM Gregorius in regesto Natali episcopo, in primo libro. *epist. 19. lib. 1.*

Nullus promoueatur inuitus. 2

GEsta quæ nobis concilij vestri confecta secretario direxistis: in quibus archidiaconus Honoratus adducitur: plena esse cognouimus semine iurgiorū: cum vno eodemq; tēpore vna persona nolens ad sacerdotij ordinē, prouehitur: quæ tanquā immerita à diaconatus officio remoueatur: & sicut iustū est vt nemo crescere cōpellatur inuitus, ita cēsendum puto ne quisquā insons ab ordinis sui ministerio deiiciatur iniustè.

CONTRA inuenitur in concilio Carthaginensi.

Qui ab episcopis suis promoueri contemnunt: à locis suis deiiciantur. 3

SI qui clerici ab episcopis suis promoueri contēpserint: nec illic maneant vnde recedere noluerunt.

ITEM.

De eodem. 4

PLacuit vt quicunque clerici vel diaconi pro necessitatibus ecclesiasticarum rerum non obtēperauerint episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorē in ecclesia sua promouere:

uere: nec illi ministrent in suo gradu, vnde noluerunt recedere.

Cap. 23. Item ex concilio Agathen.

Posteriores prioribus episcopi non præponant. 5

EPiscoporum etiam quorum vita non reprehenditur posteriorem priori nullus præponat: nisi fortè superbia elatus, quod pro necessitate ecclesiæ episcopus iusserit, implere contemnat. *2. pars. Ibidē continuò.* Sanè si officium archidiaconus, aut propter simpliciorem naturam implere, aut expedire nequiuerit: ille loci sui nomen teneat, & ordinationem ecclesiæ quem elegerit episcopus præponendum.

epist. 34. li. 11. ITEM Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.

A loco quo quisque ordinatus est, inuitus teneri non debet. 6

QVorundam ad nos relatione peruenit Cosmã, qui ex monacho monasterij sanctæ Luciæ, à decessore tuo venerandæ memoriæ Maximiano in ecclesia Syracusana subdiaconus est factus, atque à te postea in possessione quæ Iuliana vocatur, presbyter dicitur ordinatus: ita nimia tristitia, & loci qualitate vehementer afflictum, vt vitam sibi pœnam existimet, & cõtritionis suæ fugæ quærat auxilium. Et ideo quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nos si subiecti fuissemus, nostros vellemus esse præpositos: magnæ benignitatis est si eum in ecclesiam vbi subdiaconi functus est officio, sanctitas tua reducere, atque illic studuerit constituere cardinalem: quod etiam facere (quantum arbitramur) debes, si nihil est quod iustè contra eum animum tuum exasperet. Si verò aliqua culpa est, suis nobis epistolis hoc vestra fraternitas (vt scire possimus) insinuet.

GRATIAN. Verum illud Greg. de his intelligendum est, qui non causa « necessitatis, sed causa ingratitudinis callidè ab episcopis suis « promoueri queruntur. Illud autem Carthaginensis conci. de « his intelligitur, qui nolunt obtẽperare episcopis suis, propter « necessitatem ecclesiæ volentibus eos ad altiora promouere. «

Epist. 2. HANC distinctionem ex decreto Simplicij papæ quilibet corroborare valet: qui scribẽs Ioanni Archiepiscopo Rauennati ait inter cætera.

Non est aliquis inuitus ad episcopatum pertrahendus. 7

VBi ista didicisti quæ in episcopum & fratrẽ nostrũ Greg. non dilectione sed inuidia perpetrasti: quem inexcusabili violentia pertrahi à te passus es atque vexari, vt ei tantum honorem non per animi trãquillitatem, sed per amentiam (sicut dictum est) irrogares? Neque enim talia potuissent fieri sanitate consilij. Nolumus exaggerare quod gestum est: ne cogamur iudicare quod dignum est. Nam priuilegium dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Denunciamus autem quod si post hoc tale aliquid præsumpseris, &

aliquem

aliquem talem seu episcopum vel presbyterum vel diaconum inuitum facere posse credideris, ordinationes tibi Rauennatis ecclesiæ vel Aemiliensis noueris auferendas.

ITEM Gregorius Antonio subdiacono. *Lib.2.epist.16*

De eodem. 8

HOnoratus archidiaconus Salonitanę ecclesię à sanctę memoriæ prędecessore meo missa supplicatione poposcerat, vt ab antistite suo prouehi inuitus ad fortioris gradus ordinē contra morem nullo modo cogeretur. hoc enim sibi fieri nō causa prouehendi, sed ingratitudinis perhibebat. pro qua re tunc etiam sanctæ memoriæ prædecessor noster scriptis suis Natali fratri & coepiscopo nostro interdixerat, ne prædictum Honoratum archidiaconum inuitum proueheret, néve dolorem conceptæ ingratitudinis in corde retineret. Cumq; etiā à me hæc summopere fuerant interdicta: non solum mandata Dei negligens, sed etiam scripturam meam contemnens, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorē honorem prouehens, conatus est callidè degradare. Vnde actum est vt eodem archidiaconatus submoto loco, alium adsciseeret qui eius obtemperare moribus posset: quē Honoratum archidiaconum arbitramur antistiti suo aliunde displicere nō posse, nisi quòd cum sacra vasa suis parentibus dare prohibuerat, quā causam subtili voluimus, & tunc sanctæ memoriæ prædecessor meus (& nunc ego, indagatione perquirere: sed sui suorūq; actuum conscius) personā suam ad iudicium postposuit destinare. vnde experientiā tuam præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendam, quatenus veniés in Saloniam, Natalē fratrem nostrum & coepiscopum saltem tot scriptis admonitum studeas adhortari, vt supra memoratum archidiaconum in statu suo suscipiat. Quòd si facere hoc contumaciter (vt consueuit) fortè distulerit: vsum ei pallij (qui ab hac sede cōcessus sibi fuerat) ex auctoritate sedis apostolicæ contradices: quem si etiam in eadem pertinacia (amisso pallio) adhuc perseuerare perspexeris, dominici corporis & sanguinis eundem antistitem participatione priuabis.

" Adhibenda est etiam disciplina qua nolentes promoueri ad " sacros ordines, ad obediendum episcopis prouocentur. In mi- " noribus siquidem ordinibus cōstituti, paulatim per singulos " gradus sunt promouendi: vt alij contemnentes suis obedire " episcopis, doleant sibi illos esse prælatos quos habebant sub- " iectos. VNDE Gelasius scribit Victori episcopo. GRATIAN. *Ex mag.Iuo.p.6*

Cùm maiores ordinari contempserint, de minoribus promoueantur ordinibus. 9

COnsuluit dilectio tua de suorum promotione clericorū, perhibens quòd diaconi ad presbyterij gradum (quo ecclesiam

ecclesiam tuam memoras indigere) venire detrectāt. Quapropter quia inuitos fieri ecclesiastica moderatio grauitasq; non
a al. sint
b al. perficere
patitur, vt ex nolentibus [a] fiant volentes, ordinatio illa potest [b] proficere: *Quia scilicet* si quos habes in acolytis vel subdiaconis maturiores ætate, & quorum sit vita probabilis, hos in presbyteratum studeas promouere: vt qui in suis ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus: post minores ipsa commoda presbyteri propensius quàm diaconi consequantur, vt hac saltem ratione constricti, & honorem quem fugerent, appetere nitantur & quæstum.

DE TEMPORE ORDINVM CONFERENDORVM.
DISTINCT. LXXV.

GRATIAN. Tempus autem consecrationis (sicut in ordine Romano habetur) ad episcopi benedictionem non eligitur. omni enim tempore benedicuntur, dummodo ieiuni in hora tertia benedictionem accipiant.

Epist. 2. ad episcopos Italiæ. VNDE Anaclet. papa scribit omnib. episcopis.

Ordinationes episcoporum, qua hora fieri debeant. 1

ORdinationes episcoporū auctoritate apostolica ab omnibus qui in eadem prouincia fuerint episcopis, sunt celebrandæ: qui simul conuenientes scrutinium cum precibus celebrent, manus cum sanctis euangeliis imponentes dominica die, hora tertia, orantes: sacraque vnctione, prophetarum exēplo regum capita perungentium, eos more apostolorum & Moysi vngentes, quia omnis sanctificatio constat esse in spiritu sancto: cuius virtus inuisibilis sancto est chrismati permixta, & hoc ritu solennem celebrent ordinationem.

2. pars. GRATIAN. Tempus autem cōsecrationis, trium mensium spatio clauditur: vltra quod (nisi necessitate cogente) episcoporum consecrationes post electionem differri non licet.

Cap. 25. VNDE in Chalcedoñ. concilio legitur.

Vltra tres menses non differatur episcoporum ordinatio. 2

QVoniam quidā Metropolitanorum (sicut ad nos perlatū est) negligunt sibi greges creditos, & differūt ordinationes facere episcoporum, placuit sanctę synodo intra tres menses fieri ordinationes episcoporum: nisi fortè inexcusabilis necessitas coegerit ordinationis tempus amplius protelari. Si autem quis episcoporum hóc nō obseruauerit, ipsum debere ecclesiasticæ condemnationi subiacere: reditus verò eiusdē viduatæ ecclesiæ integros reseruari apud œconomum eiusdem ecclesiæ censemus.

3. pars. GRATIAN. Cæterorum verò clericorum ordinationes non nisi in temporibus certis & diebus maximè sacerdotum & leuitarū fieri debent,

" debet, vespera videlicet sabbati, vel mane diei dominicæ con-
" tinuato ieiunio.

VNDE Zepherinus papa scribit omnibus episcopis. Epist. 2. ad episcopos Aegypti.

Ordinationes presbyterorum & leuitarum, qua hora fieri debeant. 3

ORdinationes presbyterorum leuitarumque tempore congruo multis coram astantibus solenniter agite: & probabiles ac doctos viros ad hoc opus prouehite: vt de eorum societate & adiumento plurimum gaudeatis.

ITEM Leo episcopus Dioscoro Alexandrino episcopo. Leo pa. I. epistola 79.

Presbyteri & leuita qua hora ordinandi sunt. 4

QVod à patribus nostris propensiori cura nouimus esse seruatum, à nobis quoque volumus custodiri: vt non passim diebus omnibus sacerdotalis vel leuitica ordinatio celebretur: sed post diem sabbati eiusdē noctis quæ lucescit in prima sabbati, exordia consecrandi eligantur: in quibus his qui consecrandi sunt, ieiunis & à ieiunantibus sacra benedictio conferatur, quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso die dominico continuato ieiunio sabbati ordinatio celebretur: à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quod ad diē resurrectionis (sicut in pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est. IDEM. Leo in eadem epist. 79.

Quare die dominico sacerdotum ordinationes celebrentur. 5

QVòd die dominico ordinationes sacerdotum celebrentur: non tantùm ex cōsuetudine, sed etiam ex apostolica nouimus venire doctrina: scriptura manifestante quòd cum apostoli Paulum & Barnabā ex spiritus sancti præcepto, ad euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quāta & dantium & accipientium deuotione curandū sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum: & ideo piè & laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formā per ecclesias quibus dominus præesse te voluit, etiam ipse seruaueris: vt his qui consecrandi sunt, nunquā benedictio nisi in die dominicæ resurrectionis tribuatur, cui à vespere sabbati initium constat ascribi: quæ tantis diuinarum dispensationum mysteriis consecrata est, vt quicquid à domino est insigne constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac die mundus sumpsit exordiū. In hac per resurrectionem [a]&[a] mors interitum, & vita accepit principium. Ex ordine Romano.

De eodem. *Palea.

" QVando & vbi libitum fuerit vsque ad subdiaconatus offi-
" cium ordinantur clerici, diaconi verò & presbyteri nun-
" quam, nisi in publica ordinatione.

ITEM *Gelasius omnibus episcopis.

a deest in meo manuscr. Grat.
*Gela. pa. I. ca. 13. epist. ad episco. per Lucaniā

De temporibus ordinationis. 6.

a id est, Iunii. Nam à Martio primum mēsem Christiani numerant. Contius.
b id est, Septembris.
c id est, Decembris.

ORdinationes presbyterorum & diaconorum nisi certis tēporibus & diebus exerceri nō debent, id est, quarti [a] mensis ieiunio, & [b] septimi, & [c] decimi, sed etiam quadragesimalis initij ac medianæ hebdomadæ & sabbati ieiunio circa vesperam ipsas ordinationes nouerint celebrandas, nec cuiuslibet vtilitatis causa seu presbyterum, seu diaconū his præferre audeant, qui ante ipsos fuerint ordinati.

5. pars.

QVIBVS TEMPORIBVS IEIVNIA SINT SERVANDA.

DISTINCTIO LXXVI.

GRATIAN.

QVIBVS temporibus ieiunia celebranda sint, Calixtus papa determinat scribens Benedicto episcopo.

Epist. 1.

Quibus temporibus ieiunia celebrentur. 1

IEiunium quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientius nunc per quatuor tēpora fieri decernimus, vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternū solenne agamus ieiunium per quatuor anni tempora.

cap. 34. concilij Maguntia.

ITEM ex concilio Magunt.

De eodem. 2

d al. Septēbrio & Decembrio.
e al. Sagunti.

COnstituimus vt quatuor tēpora anni ab omnibus hominibus cōmuni ieiunio obseruentur, id est, in Martio hebdomada prima, in Iunio secunda, in [d] Septembri tertia, in Decembri quarta. ITEM ex concilio [e] Salegustæ habito.

De eodem. 3

Iuo Carn lib. 2. de ieiunio refert ex eodem.

DE ieiunio autem quatuor temporum hanc certitudinem statuimus, vt si calendæ Martij in quarta feria siue antea euenerint: eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem calendæ Martij in quintam feriam, aut in sextam, aut in sabbatum distendantur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si calendæ Iunij in quarta feria aut ante euenerint, in subsequenti hebdomada ieiunium celebretur, & si in quinta aut in sexta feria, aut in sabbato cōtigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam reseruetur. Et hoc sciēdum est, quòd si quādo ieiuniū mensis Iunij in vigilia pentecostes secundū prædictā regulā euenerit, non ibi celebrandū erit: sed in ipsa hebdomada solenni pentecostes: quia vigilia simul & ieiunium celebrari nō debēt, & tunc propter solennitatem sancti spiritus diaconi dalmaticis induantur, & alleluia decantetur, & flectamus genua, non dicatur. Eodem modo de septimi mensis ieiunio cōstitutum est, vt si calendæ Septembris in quarta feria euenerint, aut antea: in tertia hebdomada ieiuniū celebretur: & si in quinta aut sexta aut in sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri

verò

verò illud obseruandum erit, vt in proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur ieiunium, quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrari non conuenit. CONTRA Vrbanus.

De eodem. 4

STatuimus etiam vt ieiunia quatuor temporũ hoc ordine celebrẽtur. Primũ in initio quadragesimę. Secundũ in hebdomada pentecostes. Tertiũ verò in Septẽbri. Quartũ in Decẽbri more solito fiat. ITEM, ex sermone Leonis papæ.

De eodem. 5

IGitur post sanctæ Lætitiæ dies, quos in honorẽ Domini à morte resurgentis ac deinde ascendẽtis exegimus, postq́ue acceptũ sancti spiritus donũ salubriter & necessariè cõsuetudo est ordinata ieiunij: vt si quid fortè inter ipsa festiuitatis gaudia negligens libertas & licentia immoderata præsumpserit, hoc religiosè abstinentiæ censura castiget. ITEM.

De eodem. 6

HVius obseruantiæ vtilitas fratres dilectissimi in ecclesiasticis præcipuè est cõstituta ieiuniis, quę ex doctrina sancti spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit ascripta tempoñbus. Siquidem ieiunium vernum in quadragesima, æstiuũ in pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale in hoc qui est decimus celebremus, intelligentes diuinis nihil vacuum esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa seruire, dum per ipsius mundi cardines quasi per quatuor euãgelia incessabili tuba discimus quod & prædicamus & agimus.

„ Primum verò mensem, quartum, septimum, & decimũ, non „ Hebræorũ ratione, sed nostra[a] debemus accipere. Primus enĩ „ mensis apud illos est Aprilis: quartus, Iulius: septimus Octo- „ ber: decimus, Ianuarius: in quibus etiã ieiunabant. Pręterea in „ quinto mense (qui est Augustus) quæ fuerit eius causa ieiunij. Hieronym. super Zachariam exponit dicens.

2. pars. GRATIAN. a Christianorũ.

Quare in suprascriptis temporibus ieiunia lex imperauit. 7

IEiunium quarti, & ieiunii quinti, & ieiuniĩ septimi, & ieiunium decimi, *subauditur mensis*, domui Iudæ & Hierusalẽ in dies festos vertetur & gaudiũ.] Hoc loco nostrorũ multi multa dixere, & inter se dissonantia. Cogimur itaque ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatẽ de fonte magis quàm de riuulis quærere. Ieiuniũ quarti mensis, qui apud Latinos vocatur Iulius, die vij. & x. eiusdẽ mensis illud[b] arbitrantur: quãdo descendẽs Moyses de monte Sina, tabulas legis abiecerit atq; confregerit: & iuxta Hieremiã muri primum rupti sint ciuitatis. In v. verò mense, qui apud nos appellatur Augustus: cùm propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo:

Hieron. ad c. 8. Zachariæ in cõmentarijs.

Verba Zachariæ

b arbitramur

Hierem. 52. b. iussi sunt in montem non ascendere: sed per xl. annos longis à
Nume. 14. c terra sancta circuire dispendiis: vt (exceptis duobus Caleph &
4 Reg. 14. c. Iosue) omnes in solitudine caderent. In hoc mense [l] & [l] à Nabuchodonosor, & multa post secula à Tito & Vespasiano téplum Hierosolymis incensum est atq; destructum: capta vrbe Bethel, ad quam multa milia cōfugerant Iudæorum: Aratum templum in ignominiā gentis oppressæ à Tito Annio Rufo.
Ezech. 39. In septimo verò, qui apud nos appellatur October: occisus est Godolias: & Iudę tribus, ac Hierusalē reliquię dissipatę [l] sunt [l]. Mense x. qui apud nos Ianuarius dicitur, eo quòd ianua sit anni atque principium. Ezechiel in captiuitate positus, audiuit & cunctus populus captiuorum, quinto mense templum esse subuersum, quòd plenissimè in eodē propheta cognoscimus. Hoc igitur est omne quod dicitur: Dies planctus & ieiuniorum quos hactenus habuistis in luctum, sciatis vobis (quia cogitaui vt beneficiam Hierusalem & domui Iuda) in lætitiam & gaudium & solennitates esse vertendos: ita duntaxat, si veritatem diligatis & pacem. Iuxta Anagogem, quia tunc ieiu-
Ioan. 16. namus quando sponsus aufertur à nobis, & nō meremur eius habere præsentiam. Cùm reuersus fuerit ad nos Dominus, & cogitauerit vt benefaciat nobis: omnis tristitia vertetur in gaudium: & fames pristina sermonis Dei, pręsentia doctrinarum eius, & cælestis panis saturitate compensabitur.

3. pars. Non autem videntur ieiunia quarti mensis posse celebrari ante diem pentecostes, à die enim dominicę resurrectionis vsque in diem pentecostes nō indicuntur obseruanda ieiunia.

Ambr. serm. 61. VNDE Ambr. in eiusdem diei sermone, qui sic incipit.

De eodem. 8

SCire debet sanctitas vestra, Per hos quinquaginta dies nobis est iugis & continuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum dominum genibus [a] succidamus. & infrà. Ad instar ergo dominicæ resurrectionis tota l. dierū curricula celebrantur: & omnes isti dies velut dominici reputantur. resurrectio enim dominica [l] dies [l] est. in dominica enim resurgens saluator reuersus est ad homines: & post resurrectionē tota quinquagesima cum hominibus commoratus est. æqualis ergo eorum dierum necessarium est, vt sit festiuitas, quorum æqualis est & sanctitas. Nō ergo ieiunamus in [b] hac [l] quinquagesima, quia in his diebus nobiscū Dn̄s [b] commoratus est. Item in Apologia Dauid: Hunc numerum, quinquagesimum videlicet, lęti celebramus: & post domini passionē remisso culpæ totius debito, chirographoq; euacuato, ab omni nexu liberi suscipimus aduenientem in nos gratiā spiritus sancti. In die pentecostes vacant ieiunia: laus dicitur deo, & oratio, & alleluia cantatur.

a In manuscr. succedamus. Contius.

Ibi paulò inferius. al. non habetur dies.

b conuersatur

Ambr. c. 8. libr. Apologiæ Dauid

Necessariò

" Necessariò ergo ecclesia constituit, vt post diem pentecostes ieiunia celebrētur. Sed quòd in illis quinquaginta diebus ieiunandum esse negatur, ex obseruantiæ necessitate intelligitur. VNDE in eiusdem diei sermone qui sic incipit. *Ambros. de festo pentecostes, sermone 60.*

De eodem. 9

NOsse credo vos fratres: Non minore lætitia celebramus diē pentecostes, quàm diē sanctū paschæ celebrare curauimus. tunc enim (sicut modò fecimus) ieiunauimus: sabbato vigilias celebrauimus, oratiōibus pernoctātes institimus: vnde necesse est vt similē obseruantiā similis lætitia subsequatur.

" Obseruantia verò similis dicitur quo ad factum, nō quo ad necessitatem. ITEM Isidorus. GRATIAN.

De eodem. 10 *Isidor. ca. 40. li. 1. de eccle. offi c.*

POst pascha autem vsque ad pentecosten, licèt traditio ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxauerit, tamen si quis monachorum vel clericorum ieiunare cupit, non sunt prohibendi: quia & Antonius & Paulus & cæteri patres antiqui, etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neq; soluisse abstinentiam, nisi tantum die dominico.

ITEM Hieronymus ad Lucinum. 11 *Hier. ad Lucin.*

VTinam omni tempore ieiunare possemus, quod in actibus Apostolorum diebus pentecostes & die dominico apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus: Nec hoc dico quòd festiuis diebus ieiunandum esse putem, & cōtextas quinquaginta diebus ferias & solennitates auferam: sed vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorū, leges apostolicas arbitremur. *Ibidem paulò inferius.*

ITEM Pelagius papa Petro episcopo Pontino.

Sabbato magno post horam baptismi episcopus valet ordinari. 12

DIlectionis tuæ scripta suscepimus, quibus significas Latinum ecclesiæ Grumentinæ diaconū ad episcopatū Marcellianeñ. ecclesiæ siue Clusitanæ ab omnibus fuisse electum: quod iam ante hoc tempus retulisti: & iussimus vt veniret, credentes eos de persona eiusdē ab episcopo suo dimissorias accepisse. quod si modò fecerunt, facite eum velociter ad vrbē Romam occurrere: vt si deus iusserit, in sabbato magno post horā baptismi ordinetur. Quòd si ante memoratū diē nō occurrerit, cogetur vsque ad quarti mensis ieiunia sustinere.

ORDINES SACRI PER INTERVALLA CONFERANTVR. DISTINCTIO LXXVII.

" HIs tēporibus secundū Anacletum & Zepherinū, Gelasium & Pelagium, episcopi, presbyteri, diaconi sunt ordinandi. Metropolitanus autē iuxta Leonē papam GRATIAN. *Leo pa. 1 epist. 82. ad Anastas.*

ex presbyteris eiusdem ecclesiæ vel ex diaconis optimus ordi- "
netur. Ex monachis autem vel laicis nullus nisi per gradus ec- "
clesiæ debet ad summum sacerdotium peruenire. "

VNDE Gelasius papa.

Non nisi per distinctos gradus quisquā ad sacerdotium aspiret. 1

ILlud nos statuentes vobis & omnibus seruare mandamus, vt omnes ad ecclesiasticos ordines si accedant in ecclesia qui ordinari merentur, id est, si quis episcopus esse meretur, sit primum ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolytus, deinde verò subdiacon⁹, deinde diaconus, & postea presbyter: exinde (si meretur) episcopus consecretur.

VNDE Zozimus episcopus vrbis Romæ ait.

Epist. 1. ad Isychium episcopū.

Quæ interualla temporis in singulis gradibus seruanda sint. 2

IN singulis gradibus hæc tempora sunt obseruāda, si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomē dederit, vt inter lectores & exorcistas quinquennio teneatur, exinde acolytus vel subdiaconus xiiij. annis fiat: & sic ad benedictionē diaconatus (si meretur) accedat: in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, adhærere debebit. Exinde suffragantibus sibi meritis, stipendiis per tot gradus datis, propriæ fidei documentis poterit sacerdotium promereri: de quo loco (si eum exactior ad bonos mores vita perduxerit) summum pontificatum sperare debebit. Defensores autē ecclesiæ etiā qui ex laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus.

Sirytius epist. 1. ad Himeriū Taraconē. episc. c. 9 Ex magno Iuo.

ITEM Syricius papa.

De eodem. 3

QVicunque itaq; se vouerit obsequiis ecclesiæ à sua infantia: ante pubertatis annos baptizari, & delectorū debet ministerio sociari: qui ab accessu adolescētiæ vsq; ad [a] xx. suæ ætatis annum si probabiliter vixerit: vna tantùm, & ea quam virginem benedictione communi per sacerdotē percepit vxore contentus, acolytus, & subdiaconus esse debebit: posteaq; ad diaconij gradum (si seipse primitus continentia præeunte dignum probauerit) accedat: vbi si [b] infra quinq; annos laudabiliter ministrauerit, congruè [c] presbyteriū cōsequatur: exinde post decennium episcopalē cathedram poterit adipisci. Si tamen per hæc tēpora integritas suæ vitæ ac fidei eius fuerit approbata. Qui verò iam ætate grādęuus melioris propositi cōuersatione prouocatus, ex laico ad sacrā militiam peruenire festinat, desiderij sui fructū non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizetur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero socictur, si tamen eum vnā habuisse vel habere, & hanc virginem accepisse cōstet vxorem: qui tum initiatus fuerit, expleto biēnio per quinquenniū aliud acolytus & subdiaconus fiat, & sic ad diaconatum (si per hæc tēpora dignus iudicatus fuerit) proue

a In vet. xxx.
b vltra
c presbyteratū

Cap. 10. eiusdē continuò.

prouehatur: exinde iam accessu téporum presbyterio vel episcopatui (si eum plebis aut cleri euocauerit electio) non immerito societur. ITEM ex sexta synodo. Cap. 15. synodi sextæ, in Trullo

De eodem. 4

SVbdiaconus non minor xx. annorum ordinetur. Si quis verò in aliquo sacro ordine sacerdotali præter constituta tépora ordinatus fuerit, deponatur. ITEM ex conci. Carth. ca.4.cõ.Cart.3

De eodem. 5

PLacuit vt ante xxv. annos ætatis nec diaconi ordinẽtur, nec virgines consecrentur, & vt lectores populũ non salutent. ITEM ex concilio Agathensi. Cap.16

Minoribus xxv. annis leuitica non præstetur benedictio, 6

EPiscopus benedictioné diaconatus minoribus xxv. annorum penitus non committat. Sanè si coniugati iuuenes se cõsenserint ordinari: etiã vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conuersi fuerint, ordinentur. Presbyterum verò vel episcopum ante xxx. annos, id est, antequã ad perfecti viri ætatem perueniant, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem (quod aliquotiens euenit) aliquo errore culpentur. ITEM ex concilio Toletano iiij. Cap. 19.

De eodem. 7

IN veteri lege ab anno vigesimoquinto leuitæ tabernaculo seruire iubentur: cuius auctoritatem in canonibus & sancti patres secuti sunt: nos & diuinæ legis & præceptorum canonum immemores, & infantes & pueros leuitas facimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ: ideoq; ne vlterius fiat à nobis, & diuina lege & canonicis admonemur senteñtiis, vt xxv. anno suæ ætatis leuitæ consecrentur, & à xxx. presbyteri ordinentur. ITEM Gelasis papa. Gelas pa.1. epi. ad episc. per Lucaniam. cap.3.

Per ua intervalla téporũ ordinetur qui de monachis in clericatũ eligitur. 8

SI quis de religioso proposito & de monasterialibus disciplinis eruditus, ad clericale munus accedit: in primis eius vita anteacta temporibus requiratur, si nullo graui facinore probatur infectus: si secundam fortè non habuerit vxorem: neque à marito relictam sortitus ostendatur. ITEM. Idem Gelas ibidem continuò

De eodem. 9

MOnachus verò nouitius morum honestate fulcitus, continuò lector vel notarius aut certè defensor effectus, post tres menses existat acolytus: maximè si huic ætas suffragatur: sexto mẽse subdiaconi nomẽ accipiat. At si modestę cõuersationis, honestęq; voluntatis existat: nono mense diaconus, cõpletoq; anno sit presbyter, cui tamen quod annorum fuerãt interstitia collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse deuotio. Si verò laicus quispiam ecclesiasticis cap.4. eiusdem.

 est

est aggregandus officiis: tanto solicitius in singulis quæ superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinare personã: quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis: quia vtique conuenientia ecclesię ministeria sunt deputanda, non inconuenientibus meritis ingerenda: tantoq; magis quod sacris aptum possit esse seruitiis, in eorũ quærendum est institutis: quantum de tempore quo fuerint hæc assequenda, decerpitur, vt morum hoc doceatur habere probitas, quod prolixior consuetudo non contulit: ne per occasionem supplendæ penuriæ clericatus vitia potius diuinis cultibus intulisse, non legitimæ familiæ domini computemur procurasse compendia, quorum promotionibus super anni metas nihilominus sex menses subrogamus: quoniã (sicut dictum est) distare debet inter personam diuino cultui dedicatam, & de laicorum conuersatione venientem. quæ tamen eatenus indulgenda credimus, vt ecclesiis ab hac occasione cessantibus canonum paternorum vetus forma seruetur.

IN QVA AETATE ECCLESIASTICI SINT ORDINANDI. DISTINCT. LXXXVIII.

Ivo Carn. lib. 3. de ætate ordi. id refert ex Fabiani decret.

QVA verò ætate sacerdotes ordinari debeãt, Bonifaciu papa diffiniuit dicens.

Ante annnos xxx. presbyter non ordinetur.

SI quis xxx. ætatis suæ annum non impleuerit, nullo mod presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus.

ITEM in nouellis.

De eodem. *Palea.*

deest in meo manuscrip.

NEmo presbyter consecretur qui minor xxx. annis sit. Nemo diaconus vel subdiaconus fiat qui minor xxv. anis sit. Nemo lectoribus cõnumeretur qui minor xviij. annis fu-rit. Nemo inter diaconissas consecretur sacrosanctæ ecclesiæ quæ minor sit xl. annis, vel ad secundum matrimonium peruenerit. ITEM Leo papa.

Leo pa. 1. epist. 85. ad episcopos Aphricanos.

Non est ordinandus sacerdos, nisi longo sit probatus examine. 2

QVid est manus citò imponere, nisi ante ætatis maturitatẽ, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccato alieno, nisi idem effici ordinantem, qualis ille est qui non meruit ordinari?

Cap. 11.

ITEM ex concilio Neocæsarieñ.

Ante xxx. annorum ætatem presbyter non ordinetur. 3

PResbyter ante xxx. annorũ ætatẽ non ordinetur, quanuis sit probabilis vitæ, sed obseruetur vsq; ad præfinitũ tẽpus. Dominus enim xxx. anno baptizatus est: & tunc prædicauit.

Hoc

" Hoc regulare est: vnde & Christus & Ioannes baptista, & " & Ezechiel & nonnulli prophetarum non leguntur ante hoc " tempus prophetasse vel prædicasse. verum quia Hieremias & " Daniel ante iuuenilem ætatem spiritum prophetiæ accepisse " leguntur: Dauid quoque & Salomon in adolescentia vncti in- " ueniuntur: & Ioannes euangelista cùm adhuc esset adolescẽs, " à domino in apostolum electus, & cum alijs ad prædicandum " missus inuenitur. Paulus quoque apostolus in adolescentia à " domino electus, & ad prædicandum missus asseritur: ecclesia " similiter necessitate exigẽte nõnullos ante xxx. annos ordinare " consueuit. VNDE Zacharias papa Bonifacio episcopo.

GRATIAN. Hiere. 1. b Dan. 1. d Matth. 4. Acto. 7. g.

Necessitate exigente, xxv annorum presbyteri ordinentur. 4

SI triginta annorum non reperiuntur, & necessitas exposcit, à vigintiquinque annis sacerdotes ordinentur.

A QVIBVS SVMMVS PONTIFEX SIT ELIGENDVS.

DISTINCTIO LXXIX.

" APostolicus autem non nisi à cardinalibus & religiosis " clericis est inthronizãdus. VNDE Nicolaus pap. ait.

GRATIAN. Nicolaus pa. 2.

De eo qui sine concordi cardinalium electione inthronizatur. 1

SI quis apostolicæ sedi sine concordi & canonica electione cardinalium eius ecclesiæ ac deinde sequentiũ clericorũ religiosorum inthronizatur: nõ papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur. ITEM Symmachus papa.

In synodo cap. 3

Papa superstite, eo inconsulto de electione futuri pontificis nemo audeat loqui. 2

SI quis papa superstite pro Romano põtificatu cuiquã quolibet modo fauorem præstare conuincitur, loci sui honore priuetur: & infrà. Si quis presbyter aut diaconus, aut clericus papa incolumi, & eo inconsulto, aut sub scriptionẽ pro Romano pontificatu accommodare, aut pictatia promittere, aut sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod certè suffragiũ polliceri, vel de hac causa priuatis conuenticulis factis deliberare aliquid atque decernere præsumpserit: loci sui dignitate vel cõmunione priuetur, & infra. Propter occultas fruades & coniurationum secretas insidias quas sententia huius districtionis persequitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum qui contra hanc synodũ de pontificali egerint ambitu, & rationabili probatione conuicerit particeps huiusmodi actionis: non solùm purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione quæ non indigna sit subleuetur.

ITEM ex concilio Stephani papæ.

Stephanus pa. 3

In apostolatus culmen nullus nisi ex cardinalibus promoueatur. 3

OPortebat vt hæc sacrosancta domina nostra Romana ecclesia (iuxta quod à beato Petro & eius successoribus institu-

tum est) ritè ordinaretur: & in apostolatus culmẽ vnus de cardinalibus presbyteris aut diaconis consecraretur.

ITEM ex eodem.

De eodem. 4

NVllus vnquã laicorum neque ex alio ordine prçsumat, nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter factus fuerit cardinalis, ad sacrũ pontificatus ordinẽ promoueri.

ITEM ex eodem.

Anathematizetur episcopus monachus vel laicus Romanam ecclesiam inuadens, & in gradum filiorum eius prorumpens. 5

SI quis ex episcopis vel monachis vel laicis cõtra canonum & sanctorum patrum instituta prorumpens, in gradũ filiorum sanctæ Romanæ ecclesiæ, id est, presbyterorum cardinalium & diaconorũ ire præsumpserit, & hanc apostolicã sedem inuadere quilibet ex supradictis tentauerit, & ad summũ pontificalem honorem ascendere voluerit: ipsi & sibi fauentibus fiat perpetuum anathema. & infrà. Si quis resistere præsumserit sacerdotibus atque primatibus ecclesiæ vel cuncto clero ad eligendum sibi Romanum pontificem, secundum canonicam tradionẽ anathema sit. ITEM ex conci. Leonis papæ quarti.

Anathema sit qui canonicæ electioni Romani pontificis contradicere præsumpserit. 6

SI quis ex sacerdotibus seu primatibus nobilibus, seu cũcto clero huius sanctæ Romanæ ecclesiæ electioni Romani põtificis contradicere præsumpserit: sicut in concilio beatissimi papæ Bonifacij & Stephani legitur statutum, anathema sit.

ITEM ex concilio Bonifacij papç tertij.

Nullius episcopi fiat electio nisi post diem tertium depositionis alterius. 7

2. Pars. NVllus põtifice Romano viuẽte aut episcopo ciuitatis suæ præsumat loqui, aut partem sibi facere, nisi tertio die depo-

3. pars. sitionis eius adunato clero & filiis ecclesiæ: & tũc electio fiat.

GRATIAN. Sed quæritur si duo concertantium temeritate electi fuerint, quis eorum alteri præferendus sit? "

Honorius imper. ad Bonifac. pap. I. DE his ita scribit Honorius Augustus ad Bonifaciũ papá. "

Si temeritate concertantium duo fuerint ordinati. 8

SI duo fortè contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex eis futurum sacerdotem permittimus: sed illum in sede apostolica permansurum censemus, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium & vniuersitatis consensus elegerit.

4. pars. GRATIAN. Hoc autem capitulum non de eo intelligendum est qui vno per apostasiã ordinato, à cardinalibus & religiosis clericis apostolicæ sedis inthronizatur: etiam si ille apostaticus ita cathedram beati Petri violẽter tenuerit vt canonica & catholica ec- "

clesiæ

ecclesiæ electio intra vrbem fieri non valeat.

VNDE Nicolaus papa statuit dicens. *Nicolaus papa secundus.*

De eo qui per pecuniam vel popularì tumultu non canonica electione ordinatur. 9

SI quis pecunia, vel gratia humana, aut populari seu militari tumultu, sine concordi & canonica electione & cardinaliũ & sequẽtium religiosorum clericorum fuerit apostolicæ sedi inthronizatus: nõ apostolicus, sed apostaticus habeatur: liceatque cardinalibus & aliis clericis deum timẽtibus & laicis inuasorem illũ anathematizare: & humano auxilio à sede apostolica pellere. Quòd si hoc intra vrbẽ perficere nequiuerint, apostolica auctoritate extra vrbem congregati loco quo eis placuerit electionem faciant: concessa electo auctoritate regẽdi & disponendi, res in vtilitatẽ Romanæ ecclesiæ iuxta qualitatem temporis, quasi inthronizatus sit.

5. pars. GRATIAN.

" Electio verò Romani pontificis etiam cum deliberatione " prædecessoris fieri debet.

VNDE Symmachus papa ait. *Cap. 4. in synodo præsidens Symmachus.*

Si papa de electione sui successoris antè decernere non potuerit. 10

SI trãsitus papæ inopinatus euenerit, vt de sui electione successoris antè decernere non possit, vt suprà placuit: si quidẽ totius in vnum conuenerit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus. Si verò (vt fieri solet) studia cœperint esse diuersa eorum de quibus certamen emerserit, conuincat sententia plurimorũ: sic tamen, vt sacerdotio careat qui captus promissione non recto iudicio de electione decreuerit. *eorum quibus.*

6. pars. GRATIAN.

" Sicut suprà monstratum est, electio summorũ sacerdotũ à " cardinalibus religiosis clericis fieri debet: electio verò eorum " iudicio diuino reseruata est. VNDE Anacletus papa ait. *Anacletus epist. 2. ad episcopos Italia.*

Summorum pontificum electionem sibi dominus reseruauit. 11

ELectionem verò summorum põtificum vel sacerdotum sibi dominus reseruauit, licet electionẽ eorum bonis sacerdotibus & spiritualibus populis concessisset.

QVIBVS LOCIS PRAELATI ECCLESIAE PRAEFICIANTVR.

DISTINCTIO LXXX.

" LOca verò in quibus primates patriarchæ, archiepisco- " pi, episcopi, presbyteri sint ordinandi, hæc sunt secun- " dum Lucinum papam & Clementem atq; Anacletum. GRATIAN.

" AIT enim Lucinus papa. *Steph. pap. 1. epi. 2. id habet.*

In quibus locis primates vel patriarchæ debeant ordinari. 1

VRbes & loca in quibus primates præsidere debent: non à modernis, sed multis ante aduentum Christi statutæ sunt tem-

temporibus: quarum primates gentiles etiam pro maioribus negociis appellabant. In ipsis verò vrbibus post aduentũ Christi apostoli, & eorum successores patriarchas & primates posuerunt ad quas episcoporũ negocia (salua tamẽ in omnibus apostolica auctoritate) & maiores causæ post apostolicam sedem sunt referendæ. ITEM Clemens papa.

Epist. 1. ad Iacobum fratrem domini.

De eodem. 2

IN illis verò ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorũ atq; primi legis doctores erant, episcoporum primates vel patriarchas beatus Petrus poni præcepit: qui reliquorum causas episcoporũ & maiora negocia in fide agitarẽt. in illis autẽ in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum archiflamines, quos tamen minores esse tenebãt quàm memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit. in singulis verò reliquis ciuitatibus singulos, & nõ plures episcopos constitui præcepit: qui episcoporũ tãtum vocabula sortirentur: quoniam nec inter ipsos apostolos par fuit institutio: sed vnus præfuit omnibus. ITEM Anacletus.

Epist. 3.

De eodem. 3

EPiscopi non in castellis, neque in modicis ciuitatibus debent constitui: sed presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas debent ab episcopis ordinari & poni: singuli tamen per singulos titulos suos: episcopus verò non ab vno, sed à pluribus episcopis debet ordinari. Et (vt dictum est) non ad modicam ciuitatem, (ne vilescat nomen episcopi, sed ad honorabilem locum titulandus est & denominandus: presbyter verò ad qualemcunque locum in eo constitutæ ecclesiæ præficiendus est. ITEM Leo papa.

Leo pap. 1. epist. 85. ad episcopos Aphricanos.

De eodem. 4

ILlud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta seruari, vt nõ in quibuslibet locis, neque quibuscunq; castellis, & vbi antè non fuerunt, episcopi consecrentur, cùm vbi minores sint plebes, minoresq; conuentus: presbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autẽ gubernacula non nisi in maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oportet præsidere: ne (quod sanctorũ diuinitus patrum inspirata decreta vetuerunt) viculis & possessionibus, vel obscuris & solitarijs municipiis tribuatur sacerdotale fastigiũ.

Cap. 57.

ITEM ex concilio Laodicensi.

De eodem. 5

NOn debere in vicis & in castellis episcopos ordinari,[a] [sed visitatores, id est qui circumeant] constitui: hos autẽ qui antè ad hoc ordinati sunt, nihil agere cẽsemus sine cõscientia episcopi ciuitatis. Similiter autem presbyteri nihil sine præcepto & consilio episcopi agant.

a pro inclusis legitur in Græco. περιοδευτάς. Itaque videtur hic legendũ seu visitatores. i. qui circumeant, &c.

Sedes

Sedes autẽ episcoporũ non longo interuallo debẽt disiũgi: vt ad consecrationẽ sui cõprouincialis sine difficultate possint occurrere. VNDE Gregorius Augustino Anglorũ episcopo.

2. pars. GRATIAN. Gre. c. 8. responsionum ad Augustinũ Cantuariẽ. archiepiscopũ.

Episcopales sedes non longo interuallo à se debent disiungi. 6

FRaternitatem tuã ita volumus ordinare episcopos, vt sibi ipsi longo interuallo minimè disiungantur: quatenus nulla sit necessitas, vt in ordinatione episcopi conuenire non possint. nam episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus aut quatuor episcopis fieri nullatenus debet.

CRIMINOSI NON ORDINENTVR, ORDINATI DEPONANTVR.

DISTINCTIO. LXXXI.

GRATIAN.

HAec de ordinandis & ordinatoribus, atque de singulorum graduum distinctionibus & officijs dixisse nos sufficiat. verùm quia aliquantulum diffusius in his immorati sumus: præcedentibus cohærentia quædam sub epilogo ad memoriam subijciamus.

Debet ordinandus in episcopum (vt Apostolus scribit) esse, sine crimine, id est sine peccato mortali: quod non solũ de episcopo, sed etiã de quolibet electo ad aliquã præpositurã ecclesiæ oportet intelligi. Ad Tit. 1.

VNDE August. scribit super Ioannem.

Sine crimine & graui peccato debet esse qui ordinatur episcopus. 1

Aug. tra. 41 ad cap. 8. Ioannis.

APostolus Paulus quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos: & quicunq; ordinandus est ad præposituram ecclesiæ, non ait: Si quis sine peccato est. hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, & nullus ordinaretur. sed ait, sine crimine est: sicuti est homicidium, adulteriũ, aut aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cętera huiusmodi. Crimẽ autem est graue peccatum accusatione & damnatione dignissimum.

2. pars. GRATIAN.

Quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet: vel si iam ordinatus ante tempus, vel si post tempus suæ ordinationis aliquod eorum admisisse conuincitur: suscepti gradus officio priuabitur. VNDE Symmachus papa ait.

Ennodius id habet in libro defensionis synodorũ Romanarũ.

Monitoris personam non rectè suscipit qui verbis nõ operibus docet. 2

NEmo rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat: & amorem innocentiæ conuersatione demonstrat. ITEM Cælestinus papa.

Cælesti. 1. epist. 2 ad episc. Gall.

Careat ordine quem præstat, qui indignum sublimare non metuit. 3

TAntis Daniel grauatus testimonijs facinorum, tanta accusatione pulsatus, sacrarum (vt dicitur) virginũ pollutus incestu, episcopus asseritur ordinatus: & vt in nostri libellis scrinij continetur, quorum ad vos quoque exemplaria direximus in

in pontificij dignitatem hoc tempore quo ad causam dicendam missis à nobis literis vocabatur: obrepsit: sacro nomini absit iniuria. facilius est enim vt hanc dignitatē tali dãdo amiserit ordinator, quàm eam obtineat ordinatus: cui cõuicto sociabitur, qui eum sibi credidit largiendo pontificium sociandum qualis enim sit ipse quisquis tales ordinauerit ostendit.

Cap. 9. ITEM ex concilio Niceno.

Non recipit ordo ecclesiasticus eum qui sine examinatione vel postea confessus ordinatur. 4

SI qui sine examinatione promoti presbyteri sunt: & postea examinati, sunt cõfessi peccata sua: & cùm confessi fuissent, venientes homines contra regulam eis manus imposuerunt: hos ecclesiasticus ordo non recipit. in omnibus enim quod irreprehensibile est sancta defendit ecclesia.

Cap. 10. conc. Nicen. ITEM eiusdem consilij.

Lapsi per ignorantiam, aut contemptu ordinantium consecrati deiiciantur. 5

QVicunque ex his qui lapsi sunt, per ignorantiam iam ordinati sunt: vel contemptu eorum qui eos ordinauerunt: hoc non præiudicat regulæ ecclesiasticæ. cùm enim compertum fuerit, deponentur. ITEM Innocentius.

Inn. pap. 1. epist. epist. 5. ad Maximinum.

Alienus fiat à ministerio, qui illud viuendo illicitè polluit. 6

M†Aximianus filius noster qualem detulerit quærelam, libelli, eius series annexa declarat: qui zelo fidei atque disciplinæ ductus non patitur ecclesiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio filios asserit procreasse: & ideo fratres libelli huius qui subiectus est tenore perspecto: eos qui talia perpetrasse dicuntur, debetis in medio collocare: discussisq; obiectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si conuinci potuerint, à sacerdotali remoueantur officio: quia qui sancti non sunt, sancta tractare nõ possunt: atq; alieni efficiantur à ministerio quod viuendo illicitè polluerunt.

† Maximinus.

ITEM Eugenius papa.

Cuilibet ab ordine deponendo, episcopi prouidentia locus pœnitentiæ deputetur. 7

SAcerdos aut quiuis alius in ordine ecclesiastico prouectus si in eo scelere inuenitur quo abiiciendus comprobetur, depositus prouidentia episcopi bene prouiso loco constituatur vbi peccata lugeat: & vlterius non committat.

ITEM ex concilio Maguntiensi.

Retrudantur in monasterium presbyteri qui pœnitentiam agere contemnunt. 8

DIctum est nobis presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos & seculariter gradu amisso viuere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Vnde statuimus vt gra-

gradu amisso, agendæ pœnitētiæ gratia in monasteriū, aut in canoniam regularem mittantur. Si verò hoc fieri causa quælibet prohibuerit: vbicunq; sint, pœnitentiam agere non desistant. Si autē amisso gradu seculariter viuere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint: ab ecclesiæ communione separentur. ITEM Isidorus.

Mutatio loci aliquando valet conuersis ad pœnitentiam. 9

VAlet interdum conuersis pro salute suæ animæ mutatio loci. plerunq; enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est ergo inde etiam corporaliter euelli, vbi quisque illecebris deseruiuit. Nam locus vbi quisque prauè vixerit, in aspectu mentis apponit quod sæpe ibi quisq; cogitauit vel gessit. ITEM ex vj. synodo Aurelianensi. Cap. 7. conc. Aurel. 3.

Clericus adulterasse conuictus vel confessus, in monasterio retrudatur. 10

SI quis clericus adulterasse, aut confessus, aut conuictus fuerit: depositus ab officio communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.

ITEM Pelagius papa Constantino defensori.

De eodem. 11

ROmanus ecclesiæ Thianensis clericus pro crimine adulterij quod admisisse perhibetur, à clericatus ordine depositus in monasterio hic in vrbe Romana ad agendā pœnitentiā ex nostra iussione detrusus est. ITEM ex canone apostolorū. Cap. 25.

In crimine captus presbyter vel diaconus deponatur, sed non communione priuetur. 12

PResbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut furto, aut homicidio captus est, deponatur, non tamen communione priuetur si paruerit sententiæ. dicit enim scriptura: Non iudicat Deus bis in idipsum. ITEM. Nū. 1. secundū aliam literam.

De eodem. 13

SI quis episcopus aut presbyter aut diaconus post diaconij gradum acceptum fuerit fornicatus aut mœchatus, deponatur: & ab ecclesia proiectus, inter laicos agat pœnitentiam.

ITEM ex consilio Aurelianensi. Cap. 11. conc. Aurel. 1.

De eodem. 14

SI diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, simul & ab officio & à communione pellatur. Si verò pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis professione submouerit: his quoq; si alij defuerint, & causa certa necessitatis exoritur: poscentem baptisma liceat baptizare.

VNDE Grego. omnibus per regnū Italicū & Theutonicorū. Iuo lib. 3. de lapsis refert ex eodem.

Non ingrediantur ecclesiam presbyteri, diaconi, subdiaconi, qui in fornicationis crimine iacent. 15

SI qui sunt presbyteri, diaconi, vel subdiaconi, qui in crimine

ne fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei patris omnipotentis, & sancti Petri auctoritate ecclesiæ introitum vsque dum pœniteant & emendent. Si qui verò in peccato suo perseuerare maluerint, nullus vestrũ eorum præsumat audire officiũ: quia benedictio eorũ vertetur in maledictionẽ, & oratio in peccatum: testante domino per prophetam. Maledicam (inquit) benedictionibus vestris. Qui verò huic saluberrimo præcepto obedire noluerint: idololatriæ peccatũ incurrent, Samuele testante, & beato Grego. instruente: Peccatũ ariolandi est non obedire, & scelus idololatriæ non acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis dũ Christianum se esse asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit.

Mala. 2. a.
1. Reg. 15. c.

ITEM Alexand. ij. episcopus regi Dalmaticorum.

Iuo Carn. vbi supra refert.

Officio & beneficio priuetur episcopus presbyter vel diaconus vxorem suscipiens, vel susceptam retinens. 16

SI quis amodo episcopus presbyter aut diconus fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit: à proprio gradu decidat vsque dum ad satisfactionẽ veniat: nec in choro psallentium maneat: nec aliquam portionem de rebus ecclesiasticis habeat.

ITEM clero Mediolanensi.

Iuo, Ibidem.

De eodem. 17

SI quis sacerdotum vel diaconorum & subdiaconorũ officium contumaciter deserens, fœminam sibi potius eligit: sicut spontè ob fornicationẽ dimittit officium, ita ob præuaricationem dimittere cogatur etiam inuitus beneficium.

ITEM populo Mediolanensi.

Iuo vbi suprà refert lib. 3.

De eodem. 18

EOs etiam qui vt fornicari eis liceat, diuinum officium derelinquunt: & à Deo recedentes, diabolo & operibus eius seruiunt: sicut se iustissimè ab officio alienos faciunt, ita beneficio ecclesiarum priuatos esse iudicamus.

ITEM Lucius papa.

Clemens epi. 2. ad Iacobũ fratrẽ domini id habet.

De eodem. 19

MInistri altaris presbyteri siue diaconi ad dominica tales eligantur officia qui continentiam seruent. Si verò post ordinationem suam ministros contigerit propriæ vxoris inuadere cubile, sacrarij nõ intrent limina: neque sacrarij portitores fiant, neque altare contingant: neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiant: neque ad dominici corporis portionem accedant, neq; propinent: neque sine maioris natu auctoritate minora gerant officia: vrceum sanè ad altare, vel calicem non suggerant. IDEM.

Idem Clemens ibid. paulo inferius habet.

Clericus matronarum domicilia frequentans deponatur. 20

CLericus solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet sine maioris natu sacerdotis iussione: nec solus

lus presbyter cum sola fœmina fabulas misceat: nec archidiaconus sub prætextu humilitatis, aut officij frequenter intret domicilia matronarum: aut fortè per clericos aut domesticos matronæ mandet aliquid secretè. si agnitum fuerit: & ille deponatur: & illa à liminibus ecclesiæ arceatur.

a extat in meo manuscripto cõtinenter.

De eodem. [a] *Palea.*

SEd si fortè aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur: & si talis est ad quam ire debeat, ipse per interuentum pergat. sin autem, de latere suo dirigat cum duobus aut tribus testibus: Nemo tamen cum extranea habitet fœmina: nisi soror aut proxima fuerit: & cum magna sollicitudine fiat, nõ enim ignoro malitias sathanæ. Ex decreto Eugenij papæ.

Clemens ibid. *continuo habet.*

De eodem. [b] *Palea.*

b deest in meo manuscripto.

SI quispiam sacerdotum, id est presbyter vel diaconus vel subdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam secundam & tertiam admonitionem inueniatur fabulari cum ea, & aliquo modo conuersari, excommunicetur: fœmina verò canonicè iudicetur.

ITEM Gregorius.

Simul cum mulieribus sacerdotes habitare non licet. 21

OPortet sacerdotes (quibus domini populus cõmissus est) cum magna constantia vigilare super dominicas oues, ne lupinis morsibus (id est diaboli stimulis) lanientur. Neque enim hoc silere debeo (quod cum graui animi tristitia & amaritudine dico) sacerdotes cum fœminis habitare conspicio. quod nefarium est dicere vel audire, & contra sanctorum canonum sancita. vbi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt. Ideoque admonendi sunt, vt non antiqui hostis decipiantur fraude: quatenus iuxta apostoli vocem, non vituperetur ministerium nostrũ. Cauere enim oportet nos fratres ab illicitis, vt mundas valeamus manus ad dominũ leuare. scriptum est enim: Sancti estote: quoniam sanctus ego sum. Si quis verò præsumpserit aliter agere, sacerdotij sui honore priuetur. Vnde omnimodo cauendum est fratres ne fallamus populum: & illud prophetę dictum impleatur in nobis: Sacerdotes mei cõtaminaut sancta & reprobant legem. quos & alius propheta increpauit dicens: O vos sacerdotes qui fallitis nomẽ meum: & dixistis, in qua re fallimus nomen tuum? quibus responsum est: Offerentes ad altare meum panes pollutos. Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus: & sacrificium non accipiam de manibus vestris: quia polluti estis. ITEM Symmachus.

4. pars. *2. Cor. 6.* *Leuit. 20. b.* *Sopho. 3. a.* *Mala. 1. b.* *Mala. 1.*

De eodem. 22

VOlumus vt sacerdotes prohiberi debeant ne cum mulieribus conuersentur: excepta duntaxat matre vel sorore vel

vxore: quæ castè regenda est. IDEM in regesto.

De eodem. 23

LEgitur quòd beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: quæ cum sorore mea sunt, sorores meę non sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio. ITEM ex septima synodo.

De eodem. 24

IN omnibus obseruare conuenit, vt certus quis & certo tempore, & certo loco, & certis personis, vel apparere clericus, vel loqui debeat mulieribus: vt excludatur omnis nefanda suspicio: certè solum ad solā accedere nulla religionis ratio permittit. melius est enim duos esse simul quàm vnum. simul enim & fidelius & tutius res geritur. væ enim vni: quia si ceciderit, non est qui erigat eum.

Eccle. 4.

ITEM ex concilio Carthaginensi. iiij.

Ca. 17. con. Cartha. 3.

De eodem. 25

CVm omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent: sed solæ matres, auiæ, & materteræ, amitæ, sorores, filiæ fratrum aut sororū, & quicunq; ex familia domestica necessitate etiam antequam ordinarentur iā cum eis habitabant: vel si filij eorum iam ordinatis parētibus vxores acceperunt: aut seruis non habētibus in domo quas ducant, aliūde ducere necessitas fuerit. ITEM ex concilio Laodicensi.

Cap. 30.

De eodem. 26

NOn oportet ministros altaris vel clericos quoslibet, aut se continentes, & omnino Christianum, cum mulieribus lauacra habere cōmunia. hæc est enim apud Gentiles prima reprehensio. ITEM Greg. Ianuario episcopo Carolitano.

Epist. 26. lib. 4.

De eodem. 27

ARchidiaconum tuum (vt audio) habitare cum mulieribus prohibuisti: & nunc vsque in ea prohibitione despiceris: qui nisi iussioni tuæ paruerit, eum sacro ordine volumus esse priuatum. ITEM ex concilio Toletano.

Cap. 42. con. Toleta. 4.

Venundentur ab episcopo quæ appetunt consortia clericorum illicita. 28

QVidam clerici legitimum non habentes coniugium extranearum mulierum, vel ancillarum suarum (quæ interdicta sunt) consortia appetunt. Ideo quæcunque clericis taliter coniunctæ sunt, ab episcopo auferantur, & venundentur: illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos sua libidine infecerunt. VNDE Syritius papa Imerio episco. ca. xij.

Siritius epist. 1. ad Hymerium. Tarraconem ca. 12.

Non habitent mulieres cum clericis, nisi quas necessitudo excusat. 29

FOeminas nō alias in domo clericorū esse patimur, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinū causas habitare cū eis synodus Nicena permisit. ITEM ex cōcilio Aphri. iiii.

Cap. 5. con. Aphrycani & c. 25. conc. Cart. 3.

Nisi ma-

Nisi maiorum iussione ad fœminarum domicilia clerici non accedant. 30

CLerici vel continentes ad viduas vel virgines (nisi ex iussu vel permissu episcoporum aut presbyterorum)non accedant,& hoc non soli faciant,sed cum clericis, vel cum quibus episcopus aut presbyter iusserit:nec episcopi ipsi aut presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi fœminas : sed vbi aut clerici præsentes sunt,aut graues aliqui Christiani.

ITEM ex concilio Cartha.iiij. Cap.102.

Episcopi prouideant ne occasione temporalium, clericorum familiaritatibus virgines socientur. 31

AD reatum episcopi pertinet , vel presbyteri qui parœciæ præest , si sustentandæ vitæ præsentis causa adolescentiores viduæ vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subiiciantur. ITEM ex eodem. 32 *Ibidem cōtinuo.*

VIduæ quæ stipendio ecclesiæ sustentantur : tam assiduæ in dei opere esse debent , vt meritis & orationibus suis ecclesiam adiuuent. *Cap.103.*

EPISCOPVS VIDVIS, PAVPERIBVS SVBVENIRE DEBET.

DISTINCTIO LXXXII.

GEneraliter etiam pauperibus & his qui suis manibus laborare non possunt: episcopus necessaria prouideat. GRATIA.

VNDE in Aurelianensi concilio legitur. *Cap.18.conc.*

De eodem. 1 *Aurel.1.*

EPiscopus pauperibus vel infirmis qui debilitate faciente suis manibus laborare non possunt : victum & vestimentum (inquantum sibi possibile fuerit) largiatur.

ITEM Innocentius Exuperio Tolosano archiepiscopo. *Inno.pa.1. epi.*

Qui voluptatem officio præposuerit,modis omnibus submoueatur. 2 *3.c.1.*

PRoposuisti quid de his obseruari debeat , quos in diaconij ministerio aut in officio presbyterij positos incontinentes esse aut fuisse generati filij prodiderunt.De his etiam manifesta est diuinarum legū disciplina,& beatæ recordationis Syritij episcopi[a] monita euidentia cōmearunt,* vt incontinētes in officiis positi talibus,omni honore ecclesiastico priuarētur: nec admittantur ad tale ministeriū quod sola cōtinētia oportet impleri.Est enim vetus admodum sacræ legis auctoritas iā inde ab initio custodita, quòd in tēplo anno vicis suæ habitare præcepti sunt sacerdotes: vt seruientes sacris oblationibus, puros & ab omni labe purgatos sibi vēdicent diuina ministeria:neq; eos ad sacra officia fas sit admitti qui exercent etiam cum vxore carnale consortiū : quia scriptum est : Sancti estote,quoniā ego sanctus sum : dicit dominus deus vester. Quibus vti-

2.pars.

a Ad Himerium episcopū Tarraconensem. perperā quidā hoc Siritij decretum falsi accusat, cū & in optimis libris manuscr. veterū canonū reperiatur , & ab Innocentio hic laudetur.

**emanarunt.*

Leuiti.20.b.

bus vtique propter sobolis successionem, vxoris vsus propterea fuerat relaxatus, quia ex aliena tribu ad sacerdotium nullus fuerat ausus accedere: quo magis ipsi sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus & sacerdotium vel ministerium sine successione est: nec præterit dies qua vel à sacrificiis diuinis vel baptismatis officio vacent.

1.Cor.7.a. Nam sic Paulus ad Corinthios scribit dicẽs: Abstinete vos ad tempus, vt expeditius vacetis orationi. & hoc vtiq; laicis præcepit. multo magis igitur sacerdotes, quibus & sacrificandi & orandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere: quia si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo merito se posse exaudiri credit, cum dictum sit:

Tit.1.b. Omnia munda mundis. coinquinatis autẽ & infidelibus nihil est mundum: sed coinquinata est eorũ mens & cõscientia. sed fortasse hoc sibi licere credit: quia scriptum est, vnius vxoris virum. non dixit hoc vt permaneat in concupiscentia generãdi: sed propter incontinentiam futuram. quod apertius declarauit dicens:

Roma.8.b. Qui autẽ sunt in carne, deo placere non possunt. vos autẽ iam non estis in carne, sed in spiritu. sed ea planè dispar & diuersa sententia est. nam si ad aliquos forma ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinę quæ ab episcopo Syricio ad oẽs prouincias cõmeauit, non probatur peruenisse: his ignorantibus venia non negabitur: ita vt de cætero penitus incipiãt abstinere: & ita gradus suos in quibus fuerint inuẽti retentẽt, vt eis non liceat ad potiora conscendere, quibus in beneficio esse debet quòd tunc ipsum locum quem retinent, non amittunt.

Si qui autem scisse formam viuendi missam à Syricio deteguntur, neq; statim cupiditatẽ libidinis abiecisse: illi sunt modis omnibus submouẽdi, qui post admonitionẽ cognitã, præponendam arbitrati sunt voluptatem. ITEM Syricius papa.

Epi. 1. ad Himerium episcopum Terraco. cap.7.

De eodem. 3

PLurimos sacerdotes Christi atq; leuitas post longa consecrationis suæ tempora tam de coniugiis propriis, quàm etiam de turpi coitu sobolẽ didicimus procreasse, & crimẽ suũ hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generãdi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinũ, præceptor vitiorum, si existimat quòd in lege Moysi passim sacris ordinibus à deo nostro relaxata sunt frena luxuriæ: cur eos quibus cõmittebantur sancta sanctorũ, præmonet dicens:

Leui.20.b. Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus deus vester? cur etiam procul à suis domibus anno vicis suę in templo habitare iussi sunt sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum vxoribus suis possint carnale exercere commercium: vt conscientię integritate fulgentes munus acceptabile deo offerrent, quibus expleto deseruitionis

tionis suæ tempore, vxoris suæ vsus solius successionis causa fuerat relaxatus: quia non ex alia nisi ex tribu Leui quisquam ad dei ministerium præceptus fuerat admitti.

a Hæc videntur addenda, vt quæ contineāt præcipuum Syritij mandatum.

[a] *Vnde & dominus Iesus cùm nos suo illustrasset aduentu: in euangelio protestatur, quia legem venerit implere, non soluere. & ideo ecclesiam cuius sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare vt in die iudicij, cùm rursus aduenerit sine macula & ruga eam possit, sicut per apostolum suum instituit, reperire. quarum sanctionum sacerdotes omnes atq; Leuitæ indissolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora.* ITEM.

Idē Syritius ibi. paulo inferius.

De eodem. 4

QVia aliquanti de quibus loquimur (vt tua sanctitas retulit) ignorantia lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, vt sine vllo honoris augmento in hoc quo deiecti sunt, quandiu vixerint officio perseuerent, si tamen post hoc continētes se studuerint exhibere. hi verò qui illiciti priuilegij excusatione vtuntur: & sibi asserunt veteri hoc lege cōcessum: nouerint se ab omni ecclesiastico honore (quo indignè vsi sunt) apostolicæ sedis auctoritate deiectos, nec vnquā posse venerāda tractare mysteria, à quibus se ipsi dū obscœnis cupiditatibus inhiāt, priuauerūt. Et quia exempla præsentia cauere nos præmonent in futurum, si quilibet episcopus presbyter aut diaconus (quod nō optam⁹) fuerit talis inuentus: iam nunc sibi omnē per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est vt abscindantur vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam.

3. pars. GRATIAN.

" Qui autem propter peccata iubentur deponi, post condi-
" gnam pœnitentiam in suo ordine poterunt reparari.

VNDE in Gangrensi concilio legitur.

Quæ pœnitentia sit imponenda sacerdoti qui de fornicatione conuictus fuerit. 5

PResbyter si fornicationem fecerit, quanquam secundum canones apostolorum debeat deponi, tamen iuxta auctoritatem beati Syluestri si in vitio non perdurauerit, si sua sponte confessus adiecit vt resurgat, decem annis in hunc modū pœniteat: tribus quidē mensibus à cæteris remotus, pane & aqua à vespera in vesperam vtatur: tantum autem diebus dominicis & præcipuis festis modico vino & pisciculis atque leguminibus recreetur sine carne & sagimine, ouis & caseo vtatur: sacco indutus humi adhæreat, die ac nocte misericordiam dei omnipotentis imploret. finitis tribus mensibus continuis exeat, tamen in publicum non procedat: ne grex fidelis in deo scandalum patiatur. nec enim debet sacerdos publicè pœnitere sicut laicus. Postea aliquantisper viribus resumptis, vnum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis domi-

nicis diebus & præcipuis festiuitatibus, in quibus vino & sagimine, ouis & caseo iuxta canonicam mensuram vti poterit. Finito primo anno & dimidio, corporis & sanguinis domini (ne induresca) particeps fiat: & ad pacem veniat: psalmos cum fratribus in choro vltimus canat, ad cornu altaris non accedat, iuxta beati Clemētis vocē, minora gerat officia. Deinde verò vsq; ad expletionem septimi anni omni quidem tempore (exceptis paschalibus diebus) tres legitimas ferias in vnaquaque hebdomada in pane & aqua ieiunet. Expleto septimo anni circulo si fratres apud quos pœnituerit, eius congruam pœnitentiam laudauerint: episcopus in pristinum honorem iuxta beati Calixti papæ auctoritatem eum reuocare poterit. Sanè sciendum quòd secundam feriam vnum psalterium canēdo, aut vnum denarium pauperibus dando (si opus est) redimere poterit. Finitis autem septem annis, deinde vsq; ad finem decimi anni sextam feriam (nulla interueniente redemptione) obseruet in pane & aqua. Eadem quoque pœnitentia erit sacerdoti de omnibus aliis peccatis & criminibus quæ in depositionem eum inducunt, neque hoc cuilibet onerosum videatur si sacerdos post lapsum dignè (vt suprà dictū est) pœnitens ad pristinos redeat honores.

CONSENTIENTES ET PECCATIS FAVENTES NON ORDINENTVR.

DISTINCTIO LXXXIII.

GRATIA. PRouidendum quoque est ne is qui ad ordinandum eligitur: etsi à proprio vitio videatur alienus, consentiendo alienis coinquinetur: vt Symmachus papa ait. Non est grandis differentia an lethum inferas, vel admittas. mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc cùm possit non excludit. HINC Gregorius.vij.ait.

Ennodius li. pro defensione synodorum Romanorum habet.

Suspendatur episcopus ab officio clericorum suorum fornicationi consentiens 1

SI quis episcopus fornicationem presbyterorū, diaconorū, vel crimen incestus in sua parœcia precio vel precibus interueniente consenserit, vel commissum auctoritate officij sui non impugnauerit, ab officio suspendatur.

ITEM August.

Maximè ecclesiam lædit, qui sub nomine sanctitatis delinquit. 2

NEmo quippe nocet in ecclesia dei amplius, quàm qui peruersè agens nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentem nanque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Episcopus itaque qui ta-

qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus quàm episcopus. ITEM Innocentius.

Qui non resistit erroribus, consentit. 3

ERror cui non resistitur, approbatur: & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe cùm possis perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. ITEM Pius papa. *epist. prima.*

Non prodest suo errore non pollui, qui alieno consentit. 4

QVid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? ITEM Gregorius.

Qui non occurrit, consentit erranti. 5

COnsentire videtur erranti qui ad resecanda quæ corrigi debent, non occurrit. Sicut autem quis aliorum vitia palpare non debet, ita nec malorum laudibus delectari.

VNDE Anacletus papa cunctis fidelibus. *Epist. prima.*

Miserrimus est episcopus, qui malorum laudibus gloriatur. 6

NIhil illo pastore miserius qui gloriatur luporum laudibus: quibus si placere voluerit, atq; ab his amari elegerit, erit hinc ouibus magna pernicies. Nullus igitur pastor placere lupis & gregibus ouiũ potest. perdit enim memoriam labiorũ mens terrenis obligata carceribus. Sicut autem artium in suo quoque opere inuenitur mater instãtia, ita nouerca eruditionis est negligentia. Quanquam sacerdotem tam à suis quàm ab alienis criminibus oportet esse immunẽ: tamen si aliorsum sese habuerit, non ideo verba suæ prædicationis debent contemni. Sicut enim (vt ait Hier.) lixiuium per cinerẽ humidũ fluens lauat, & non lauatur, ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lauat à sordibus peccatorum. *2. Pars.*

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT VIGILANTES, CASTI, NON DIGAMI.

DISTINCTIO LXXXIIII.

„ SOlicitum quoque & vigilantem oportet esse episcopum GRATIAN.
„ circa defensionem pauperum, releuationem oppresso-
„ rum, tuitionem monasteriorum. quod si facere negle-
„ xerit, asperè est corrigendus.
„ VNDE Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ. *epist. 29. li. 11.*

Corripiatur episcopus qui circa officium suum negligens extiterit. 1

PEruenit ad nos fratrem & coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem & negligentem in cunctis existere, vt in nullo quia est episcopus cognoscatur, adeò vt neque ecclesia ipsius, neque monasteria, siue filij ecclesiæ, vel oppressi, vel pauperes eius erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquã

ſupplicantibus ſibi in quibus iuſtũ eſt opem defenſionis accõ modet: & (quod eſt grauius dici) cõſilia ſapientũ & recta ſuadentium nulla ratione patiatur ſuſcipere, vt quod per ſe nequit attendere, ab altero ſaltem poſſit addiſcere. quod ſi ita eſt, nõ ſine tua culpa eſſe cognoſcas, qui eum obiurgare atque coercere vt dignum eſt, diſtuliſti. Volumus itaque vt eum coram aliis ſacerdotibus & quibuſdam de filiis ſuis nobilibus conteſtari pro hac re debeas & hortari. Si verò (quod nõ credimus) poſt hanc adhortationẽ veſtram ſolito adhuc more negligens eſſe tentauerit, ad nos eſt omnibus modis tranſmittendus, vt hic poſitus diſcere poſſit quid vel qualiter ſecundum dei timorem agere conueniat ſacerdotem. IDEM ad eundem.

Idem Greg. epiſto. 33. lib. vndecimi.

De eodem. 2

NVnciatum eſt nobis Campaniæ epiſcopos ita negligentes exiſtere, & immemores honoris ſui, vt neque erga eccleſias, neque erga filios paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monaſteriorum ſolicitudinem gerant, ſeu in oppreſſorum ſiue pauperum ſe tuitionem impendant. Ideoq́ue hac tibi auctoritate præcipimus, vt eis ad te conuocatis ex noſtro illos mandato diſtrictè commoneas, quatenus ita in his quæ eos iuſtè ſecundum deum agere conuenit, vigilantes exiſtant, vt nullum nos de his denuo murmur exaſperet. Si quem verò eorum poſt hæc negligentem eſſe cognoueris, ad nos eum ſine aliqua excuſatione tranſmitte, vt quàm ſit graue nolle ab his quæ reprehenſibilia & valde vituperanda ſunt corrigi, regularum in ſe valeat diſtrictionem ſentire.

2. pars. Quod autem de mũditia caſtitatis ſacerdotibus imperatur, „
GRATIAN. hoc etiam de quibuſlibet altari ſeruientibus intelligendũ eſt. „
VNDE in Carthaginen. conci. ij. cap. ij. Aurelius epiſcopus dixiſſe legitur. „

Qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentiã in omnibus ſeruẽt. 3

CVm in præterito concilio de continẽtiæ & caſtitatis moderamine tractaretur: iſti tres gradus conſcriptione quadam caſtitati per conſecrationem annexi ſunt. Epiſcópos inquam, presbyteros, & diaconos ita placuit (vt condecet ſanctos antiſtites, ac dei ſacerdotes, necnon Leuitas, vel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt) continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter quod à domino poſtulant impetrare, vt quod apoſtoli docuerunt exemplo, & ipſa ſeruauit antiquitas: nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis epiſcopis eſt dictum: Omnibus placet vt epiſcopi, presbyteri, & diaconi, & qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur qui altario deſeruiunt.

Cap. 3. conc. Carth. 5. ITEM ex concilio Carthagiuen. vj.

De ea-

De eodem. 4

CVm de quorundam clericorum, quãuis erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit episcopos, presbyteros, & diaconos secundum priora statuta etiam ab vxoribus continere: quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueantur officio, cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum vniuscuiusque ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.

„ Contrà Martinus papa. Si lector viduam duxerit, vt supra GRATIA.
„ legitur, sed illud vbi necessitas, hoc vbi nulla necessitas vrget. 3. pars.
„ Similiter quòd monogamus episcopus esse iubetur, etiam ad
„ reliquos ordines ecclesiasticos deriuari oportet.
„ VNDE Syricius papa scribit Imerio Terraconen. episcopo. *Syritius epist. 1. ad Himerium. cap. 11.*

Laica sit tantum communione contentus clericus viduam ducens, aut secundam vxorem. 5

QVisquis clericus aut viduam aut secundam duxerit vxorem, omni ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox denudetur, laica sibi tantum communione concessa: quam ita demum poterit possidere, si nihil postea propter quod hac carere debeat, admittat.

„ Presbyterorum verò nomen quanquam à senectute sit GRATIA.
„ sumptum, magis tamen maturitatem indicat sapientiæ, 4. pars.
„ quàm caniciem corporis. VNDE Anacletus.

Presbyteri seniores dicuntur non tam ætate quàm sapientia. 6 *Epist. 2. ad episcop. Italiæ.*

POrrò Moysi præcipitur vt eligat presbyteros, id est seniores. Vnde & in Prouerbiis dicitur: Gloria senum est canicies. hîc verò canicies sapientiam designat: de qua scriptum est: Canicies hominum prudentia est. Cumq; non gentis & amplius annis ab Adam vsque ad Abraham vixisse homines legamus: nullus alius prius appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham: qui multo paucioribus vixisse annis conuincitur. Non ergo propter decrepitam ætatem vel senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. *Nume. 11. Prou. 20. Sapien. 4.*

EPISCOPI SINT HOSPITALES.

DISTINCTIO LXXXV.

„ HOspitalitas verò vsqueadeo episcopis est necessaria, vt GRATIA.
„ si ab ea inueniantur alieni, iure prohibeãtur ordinari. *Epi. 6. libr. 12.*
„ VNDE Gregorius scribit Ioanni episcopo.

Hospitalitatem nesciens non fiat episcopus. 1

ARchidiaconum Florentinum ecclesiæ Anconitanæ qui ad episcopatum fuerat electus, scripturę quidem sacræ scientiam habere: sed ita ætatis senio iam cõfectum accepimus, vt ad regiminis officium non possit assurgere: adiicientes etiam illum ita tenacẽ existere: vt in domo eius amicus nunquã ad charitatem introeat. Rusticus autem diaconus eiusdem ecclesiæ

siæ qui similiter electus fuerat, vigilās quidem homo dicitur: sed (quantum asseritur) psalmos ignorat. Florentinum verò diaconum ecclesiæ Rauennatis, qui ab omnibus electus memoratur, solicitum esse nouimus: sed qualis sit interius, omnino nescimus. Ideoque fraternitas tua vnà cum fratre nostro & episcopo Armenio suprascriptæ ecclesiæ Anconitanæ visitatore illuc festinet accedere, & diligenter de vita ac moribus singulorū requirere, si nullo crimine sint conscij quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est hoc quod de præfato archidiacono dictum est, quia nunquam amicus eius domum ingressus est, si ita se veritas habeat, & vtrum ex necessitate, an ex tenacitate talis sit: aut si ita est senex, vt ad regendum non possit assurgere, vel si tactis sanctis euangelijs (sicut nobis nunciatum est) iusiurandum præbuerit, nunquam se ad episcopatum accedere. Sed & de Rustico diacono quantos psalmos minus tenet, scrutandum est. Florentino autem diacono Rauennati si nullum (sicut diximus) crimen est quod obsistat: apud episcopum eius necesse est agere vt ei debeat cessionem concedere: non tamē ex nostro mandato vel edicto, ne contra suam voluntatem eum concedere videatur.

EPISCOPI DOCEANT, ET CORRIPIANT, ET LIBERALES SINT.

DISTINCTIO LXXXVI.

GRATIA. DOctorem autem episcopum oportet esse: ne inferiorum culpæ in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi nescit vel negligit.

Leo papa. 1. epist. 3. VNDE Leo episcopus scribit Aquileiensi episcopo.

Negligentiæ rectorum imputantur culpæ inferiorum. 2

INferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referēdæ sunt, quàm ad desides negligentesq; rectores, qui multā sæpe nutriunt pestilentiā, dum austeriorē dissimulant adhibere medicinam. ITEM Leo episcopus Rustico Narbonen. episcop.

Item epist. 90. ad Rusticum.

Homines sunt diligendi, peccata odio habenda. 3

ODio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi: tolerentur infirmi, & quod seuerius castigare necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis.

ITEM Ioannes viij.

Qui negligit emendare quod valet, facientis culpam habet. 4

FAcientis culpam proculdubio habet qui quod potest corrigere, negligit emendare. scriptum quippe est: Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur. Et libat domino prospera qui ab afflictis pellit aduersa. Et negligere cùm possis perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere. Nec caret scrupulo consensionis occultę, qui ma-

qui manifesto facinori desinit obuiare. Et probat odisse se vitia qui condẽnat errantes. Neq; reliquit sibi locum deuiandi qui nõ pepercit erranti: Et primus innocẽtiæ gradus est odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum. Et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est de alieno peccato. γνώμη.

,, Si aũt in corripiẽdo quis modũ excesserit, nõ à subditis, sed
,, à domino veniam petat. VNDE Aug. de vita clericorum. 2. pars.

Veniam à subditis non petat, qui in corripiendo modum excesserit. 5 Augu*st*. epist. 109. ad monachas.

QVando necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit: si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur vt vos à subditis veniã postuletis: ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas, & tamen petenda est venia ab omniũ domino qui nouit eos, quos plus iusto fortè corripitis quanta beneuolentia diligatis. GRATIA. Ex mag. Iuo.

,, In doctrina verò sacræ scripturæ auctoritatem debent epi- GRATIA.
,, scopi præferre, non secularium literarum peritiam ostentare. 3. pars.
,, Non enim est episcopalis officij grammaticam exponere: nec
,, laudes Iouis personent in ore pontificis.
,, VNDE Gregor. scribit Desiderio episcopo. Epist. 48. lib. 9.

Sacram scripturam non grammaticam debet episcopus exponere. 6

CVm multa nobis de vestris studiis fuissent nunciata: ita nostro cordi est innata lætitia, vt negare ea quæ sibi vestra fraternitas concedenda deposcit, minimè valeremus. Sed post hoc peruenit ad nos (quod sine verecũdia memorare nõ possumus) fraternitatem vestram grammaticam quibusdam exponere, quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementer aspernati, vt ea quæ prius dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in vno ore secum laudibus Iouis Christi laudes non capiunt. Et quàm graue nefandumq; sit episcopis canere quod nec religioso conueniat, considera. Supr. distin. 37. cap. 9.

,, Liberalem quoque necessitatem patientibus sacerdotem GRATIA.
,, esse oportet, aliàs autem vacuum portabit nomen episcopi. 4. pars.
,, VNDE Grego. scribit Secundo seruo dei inter cætera. Gregor. Secundino epist. 29.

Sine liberalitate inane portatur nomen episcopi. 7 siue c. 129. li. 5.

FRatrem nostrum Marianum episcopum verbis quibus vales excita, quia eum obdormisse suspicor. dic ergo illi vt cum loco & mentem mutet, nec sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus nihil studeat de manu fructificare: sed largam manum habeat: necessitatem patientibus concurrat. * alienam inopiam suam credat: quia si hoc non habet, vacuum nomen episcopi tenet. *al. succurrat.

,, In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum & GRATIAN.
,, personarum. Rerum, vt nõ omnia vni: sed singulis quædã præ- 5. pars.
stentur,

Psal. 111. stentur, vt pluribus prodesse possimus: iuxta illud prophetæ: Dispersit, dedit pauperibus. Personarum: vt primùm iustis, deinde peccatoribus: quibus tamen dare prohibemur, non quia homines sunt, sed quia peccatores.

Tractatu 100. ad c. 16. Ioan. Vnde Augustinus super Ioannem parte secunda.

Immane peccatum est res suas donare histrionibus. 8

Psal. 9. DOnare res suas histrionibus vitiū est immane, non virtus, & scitis de talibus quàm sit frequens fama cū laude: quia laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. ITEM in psalmo. cij.

Grauiter delinquunt, qui venatori aliquid donant. 9

August. ad versiculum: Faciens misericordias. Psal. 102. QVi venatoribus donant, quare donant? dicant mihi, quare dant venatori? hoc in illo amant in quo nequissimus est: hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt, ipsam nequitiam publicant spectaculis hominum. Qui dant histrionibus, qui donant meretricibus, quare donant? nunquid non & ipsa hominibus donantur? non tantum naturam ibi attendunt operis dei, sed nequitiam operis humani. ITEM.

De eodem. 10

Idem August. in eodē Psal. paulo inferius. QVi venatoribus donant, non hominibus donant, sed arti nequissimæ. Nam si homo tantum esset, & venator nō esset, non ei donares. honoras in eo vitium, non naturam.

August. ad Psal. 147. ITEM in Psal. cxlvij.

De eodem. 11

VIdent homines venatores, & delectantur. væ miseris si se non correxerint. qui enim venatorem vident, & delectantur: videbunt saluatorem, & tristabuntur.

Hierony. ad versum Psal. 90. Sperabo in domino. ITEM Hieronymus in Psalmo lxxxij.

De eodem. 12

ESau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non inuenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem. piscatores inuenimus sanctos.

Ambros. sermone 33. ITEM Ambrosius in homilia de quadragesima.

De eodem. 13

QVid prodest ieiunare visceribus, & luxuriari venatibus? abstinere à cibis, & errare peccatis? ITEM.

Idem Amb. ibid. paulo inferius.

De eodem. 14

AN putatis illum ieiunare fratres qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum sancta loca perquirit, sed surgens congregat seruulos: disponit retia, canes producit, saltus syluasque perlustrat? seruulos inquam secum pertrahit fortasse magis ad ecclesiam festinantes, & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quàm de perditione seruorum.

Ambr. cap. 30. lib. 1. officiorū. ITEM Ambrosius in lib. de officiis.

Qui

NOn satis est bene velle, nisi studeas etiam benefacere: neque satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte procedat: hoc est, ex bona volūtate proficiscatur. Item perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commēdatur: vt primum operetur circa domesticos fidei. Grandis culpa est si sciente te fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, & famem tolerare: ærumnam perpeti: qui præsertim egere erubescit. si in causa ceciderit, aut captiuitatis suæ vel suorum filiorum, aut calumniæ, & non adiuues. si sit in carcere positus, & pœnis & suppliciis propter debitum aliquod iustus aliquis excrucietur. Nā etsi omnibus debetur misericordia, iusto amplius. Si tempore afflictionis suæ à te nihil impetret, si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri: non est leue peccatum. ITEM. *Ambr. ibidē ca. 30. lib. 1. Offic.*

De eodem. 16

DOminus non vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi fortè vt Helisæus qui boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinā se propheticam daret. ITEM. *3. Reg. 19.* *Ambros. ibidem continuo.*

De eodem. 17

EST probanda & alia liberalitas, vt proximos seminis tui nō despicias si egere cognoscas: melius est enim vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitatis: non tamen vt illi ditiores fieri velint ex eo quod tu potes conferre inopibus, causam enim natura præstat, non gratia: neque enim propterea te deo dedicasti, vt illos diuites facias: sed vt tibi vitam perpetuam in fructu boni operis acquiras, & precio miserationis peccata tua redimas. Putant se parum poscere. præmium quærūt tuum, vitæ tuæ adimere contendunt fructum, & accusant quòd eos diuites non feceris: cùm te velint illi æternæ vitæ fraudare mercede. ITEM. *Ambro. ibidem.*

De eodem. 18

COnsideranda est in largiendo, ætas atque debilitas: non nunquam & verecundia, quæ ingenuos prodit natales: vt senibus plus largiaris, qui sibi iam nequeunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis promptiùs est adiuuanda, tum si quis ex diuitiis cecidit in egestatem, & maxime si sine suo vitio sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis quæ habebat amisit. ITEM. *Ambr. cap. 21. lib. 2. officiorū.*

De eodem. 19

PVlchra etiam liberalitas est in ipso quoque pauperis dato mensuram tenere, vt abundes pluribus, nec conciliandi fauoris gratia vltra modum fluere. quicquid enim ex affectu puro

puro ac syncero promitur, hoc est, decorum: non superfluas ædificationes aggredi: nec prætermittere necessarias. Et maximè sacerdotibus hoc conuenit, ornare dei templum honore congruo, vt etiam cultu aula dei resplendeat: misericordiæ impensas frequentare quantum oporteat: largiri peregrinis non superfluas, sed competētes. Item. Compatiamur itaq; alienis calamitatibus: necessitates aliorum quantū possumus iuuemus, & plus interdū quàm possumus. melius est enim causas præstare pro misericordia, & inuidiā perpeti, quàm prætendere inclementiam: & nos aliquando in inuidiam incidimus, quòd confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus.

Ambr. cap. 28. eiusdem.

IDEM super Lucam.

Ad ca. 3. Lucæ. Generatio viperarum.

De eodem. 20

IN singulis quoque generibus hominum conueniēs tribuit sanctus Ioannes Baptista responsum vnum omnibus, ita: publicanis, ne vltra præscriptum exigant militibus, ne calumnias faciant, ne prædam requirant: docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. sed hæc & alia officiorum præcepta propria sunt singulorum: misericordiæ est communis vsus: ideo commune præceptum est, omnibus ætatibus, omnibus officiis necessaria, & ab omnibus deferenda. non publicanus, non miles excipitur, non agricola vel vrbanus, diues & pauper, omnes in communi admonentur, vt conferant non habenti. misericordia enim plenitudo virtutum est: & ideo omnibus est præposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisq; suis parcant: misericordiæ tamē ipsius pro possibilitate cōditionis humanæ mensura seruetur: vt non sibi vnusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere patiatur. IDEM.

Ambr. ad c. 18. Luc.

De eodem. 21

Matt. 15. a.

CAeterùm dei traditio est vt prius pascas parentes. nam si iuxta diuinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames, quæ multo grauior est? quo loco insolentem dominus infrenat iactantiam.

IDEM in lib. de officiis.

PAsce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, fame occidisti.

ITEM Hierony.

De eodem. 22

QVi clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lachrymarum: quamuis spiritualis sit, non adimplet legem Christi.

GRATIAN.

Greg. epist. 49. li. 11. ad Ioannē Panor. episcopū.

Similiter etiam oportet episcopum non esse percussorem, ⸗ id est, ad vindictam facilem. ⸗

VNDE Gregorius scribit Ioanni episcopo Corinthiorū. ⸗

Ad vin-

Ad vindictam facilis episcopus esse non debet. 23

SI quid verò ad aures tuas de quocunque clerico peruenerit quod te iustè possit offendere, facilè non credas: nec ad vindictam te res accendat incognita: sed præsentibus ecclesiæ tuæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda: & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis. IDEM Ianuario episcopo. *Epi. 1. lib. 7. ad Ianuarium episcopum Caralitanum.*

De quodam episcopo qui antequam missarū solennia celebraret, die dominico ad exarandam messem cuiusdam profectus est. 24

TAnta nequitia ad aures nostras de senectute tua peruenit, vt eam nisi humanitus pēsaremus, fixa iam maledictione feriremus. dictum quippe est mihi quòd dominico die priusquam missarum solennia celebrares, ad exarandā messem laboris præsentium perrexisti, & post exarationem eius missarū solennia celebrasti, post missarū solennia etiam terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. quod factū quę debeat pœna sequi, omnes qui audiunt, sciunt. dubij autē de tāta peruersitate fueramus: sed filius noster Cyriacus abbas à nobis requisitus ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur vt aliquando resipiscas miser senex, atq; à tanta leuitate morum, & operum peruersitate cōpescere: & quanto morti vicinior efficeris, tanto solicitior atq; timidior esse debes. & quidē pœnæ sententia in te fuerat iaculanda: sed quia simplicitatē tuam cum senectute cognouimus, interim tacemus: eos verò quorū consilio hoc egisti, in duobus mensibus excōmunicatos esse decernimus: ita vt si quid eis intra duorum mensium spatiū humanitatis aduenerit, benedictione viatici non priuentur: deinceps autē ab eorū consiliis cautus existe. Te quoque solicitè custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus in bono magister esse debuisti: neque simplicitati tuæ, neque vlterius senectuti parcamus.

„ Vel* percussor esse prohibetur, ne videlicet propriis mani- *item percussor.*
„ bus aliquem cædat. VNDE in Agathen. concilio legitur. *7. pars.*

Non licet episcopo propriis manibus aliquem cædere. 25 GRATIA.

NOn liceat episcopo manibus suis aliquem cædere. hoc enim alienum à sacerdote esse debet. *Exod. 21.*

„ Prohibetur etiam episcopus turpis lucri esse cupidus: ne *8. pars.*
„ aliquo etiam inhonesto negocio victū vel cætera sibi necessa- GRATIA.
„ ria quęrat. quod generaliter etiam de omnibus diuino cultui
„ mancipatis, id est clericis vel monachis intelligere oportet.
„ VNDE in Chalcedonensi concilio legitur. *cap. 3.*

Qui connumerantur in clero, turpibus lucris non inseruiant. 26

PEruenit ad sanctam synodum quia de his qui in clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam aliorum possessionum cōductiones & caussas secularium negotiorum suscipiunt,

Tueatur ecclesia quos in sui defensione suscepit. 6

IRreligiosum prorsus & execrabile iudicamus si quisquã clericos vel extraneos in sua tuitione susceptos, non omni fide & tota animi sui educauerit sanctitate. Ac cum Olympius diaconus dilectionis tuæ Felicis atque Olympij suggeratur auunculus: eiusq; paruulos tutelæ vice susceperit nutriendos: vltra latrocinium esse iudicamus, quod eos bonisculis parentum (sicut asserunt) reliquit extorres: alia retinendo, alia contra leges & iura vendendo. ITEM ex concilio Auralicco. *Cap. 5. concilij Auraficē primi.*

Confugientes ad ecclesiam extrahere non licet. 7 *Cap. 6. eiusdem*

EOs qui ad ecclesiam confugiunt, tradi non oportet: sed loci sancti reuerentia & intercessione defendi. Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiá confugientibus crediderit occupanda: per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur. In ecclesia quoque manumissos, & per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in seruitutem, vel obsequium, vel ad colonariam conditionem reuocare tentauerit, animaduersione ecclesiastica coerceatur. *Cap. 7. eiusdē.*

ITEM ex concilio Agathensi. *Cap. 29.*

In libertate ecclesia tueatur libertos. 8

LIbertos legitimè à dominis suis factos ecclesia (si necessitas exegerit) tueatur: quos si quis ante audientiam, aut peruadere aut expoliare præsumpserit, ab ecclesia repellatur. *2. pars.*

ITEM ex concilio Toletano quarto. *Cap. 71. con. Toleta. 4.*

A sacerdotibus defendantur liberti ne in seruitutem reuocentur. 9

LIberti qui à quibuscunque manumissi sunt, atq; ecclesiæ patrocinio commẽdati existunt: sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorũ, seu in peculio quod habere noscuntur. ITEM ex concilio Toletano.

Expositos defendat ecclesia si quis eorum calumniator extiterit. 10

SI expositus ante ecclesiam cuiuscunq; sit miseratione collectus, contestationis ponatur epistola: vt si is qui collectus est intra decem dies quæsitus agnitusq; non fuerit: securus habeat qui collegit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit autoritas.

VERSVS.

Sit pius & mitis, nec auarus in ordine cleri.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SECVLARIA NEGOCIA NON CVRENT.

DISTINCTIO LXXXVIII.

PRohibentur ergo clerici cupiditatis negocia suscipere, non pietatis curam viduis & orphanis impendere. *GRATIA. Id habetur in priuilegio Constantini imper.*

VNDE Melchiades papa.

De eodem. 1

DEcreuit sancta synodus nullum deinceps clericum, aut possessiones conducere, aut negociis secularibus se immiscere nisi propter curam, aut pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si fortè episcopus ciuitatis ecclesiasticarum rerum solicitudinem eum habere præcipiat.

GRATIA. Vbi patet quòd alia sunt negocia secularia, & alia ecclesiastica. Nónne Moyses in seculo erat cùm crebro intraret tabernaculum & exiret qui intus contemplatione rapiebatur, foris infirmantium negocio vrgebatur? Sed & Iacob ascendentes & descendentes angelos vidit: quia rectores ecclesiarũ non solum contemplando ascendunt, sed deorsum quoq; ad membra illius miserando descendunt: & dum sacerdotes corũ facta imitantur, & se custodiũt, & subditorum onera portant.

Exod. 32.b. *Gene. 28.c.*

Gela. 1. epist. ad episcopos, per Lucaniam.

ITEM Gelasius papa.

De eodem. 2

COnsequens est, vt illa quoq; quæ de Picenis partibus nuper ad nos missa relatio nunciauit. non prætereunda putaremus, id est plurimos clericorum negotiationibus inhonestis & turpibus lucris inhiare, nullo pudore censentes euangelicam lectionem, qua ipse dominus negociatores ex templo verberatos asseritur expulisse, nec apostolica verba recolentes quibus ait: Nemo militans deo, implicat se negociis secularibus: Psalmistam quoque Dauid surda dissimulantes aure cantantem: Quoniam non cognoui negociationes. introibo in potentias domini. Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio cupiditateq; cessandum: aut in quocũque gradu sint positi, mox à clericalibus officiis cogantur abstinere, quoniam domus dei, domus orationis & esse & dici debet: ne per officia negociationis potius sit latronũ spelunca.

Ioan. 2. c. *2. Tim. 3. a.* *Psal. 70.* *Hiere. 7.* *Matth. 21. b.*

Cap. 7.

ITEM ex canone apostolorum.

In sacris ordinibus constitutus seculares curas assumere non debet. 3

EPiscopus, aut sacerdos, aut diaconus nequaquam seculi curas assumant: sin aliter, deiiciantur.

Epist. 11. lib. 11.

ITEM Gregorius Romano defensori.

Episcopus secularibus causis occupari non debet. 4

† al. Relatum.

PErlatum† est ad nos reuerendissimũ fratrem nostrum Basilium episcopum velut vnũ de laicis in causis secularibus occupari, & prætoriis inutiliter deseruire: quæ res quoniã ipsum vilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat: statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, ad reuertendũ eum districta executione compellat: quatenus ei illic te insistente quinque diebus sub qualibet excusatione immorari nõ liceat: ne si quolibet modo eum ibidem amplius morã habere permiseris,

miseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.

ITEM ex concilio Carthaginen. iiij. In ma. Cap. 18. conc. Cartha. 4.

Testamentorum tuitionem, & curam rei familiaris episcopus non suscipiat. 5

EPiscopus tuitionem testamentorum non suscipiat.

ITEM ex eodem. Cap. 20. eiusdem.

De eodem.

EPiscopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet: sed lectioni & orationi & verbo prædicationis tantummodo vacet. ITEM ex eodem. Cap. 17. eiusdem.

De eodem. 6

EPiscopus gubernationẽ viduarum & pupillorum ac peregrinorum non per seipsum, sed per archipresbyterum aut archidiaconum agat. ITEM Gregor. Quartano præfecto. Epistol. 30. lib. 10. ad Quartianum.

Ratiociniorum causas clericus suscipere non debet. 7

INutile & valde laboriosum est hominem literatum ratiociniorum causas assumere: & in eis (quod non expedit) se obligare. ITEM Hieronymus. Hierony. ad Nepotianum de vita cleri.

Fugiendus est clericus negociator. 8

NEgociatorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.

ITEM August. in libro quæstionum vet. & no. testamẽti.

Clerico negociari non licet. 9

FOrnicari hominibus semper non licet, negociari verò aliquando licet, aliquando non licet. antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negociari: facto iam non licet.

ITEM Ioannes Chrysostomus super Matthæum. Chrysost. homil. 38. ad cap. Matth. 21.

De eodem. [a] Palea.

EIiciens dominus vendentes & emendes de templo, significauit quia mercator nunquam potest deo placere, & ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, proiiciatur de ecclesia, dicente propheta. Quia non cognoui negociationes, introibo in potentias domini. Quemadmodũ enim qui ambulat inter duos inimicos, volẽs ambobus placere, sine alloquio mali esse nõ potest: sed necesse est vt isti malè loquatur de illo, & illi malè de isto: sic mercator sine mẽdacio & periurio esse nõ potest. Sed substantia talium stabilis esse nõ potest: neque ad bonum proficit quod de malo congregatur. Quemadmodum enim si triticum aut aliud tale cernas in cribro: dum huc & illuc iactatur, omnia grana paulatim deorsum cadunt, & tandẽ in cribro nihil remanet nisi stercus: sic de substantia negociatorũ nouissimè nil remanet nisi solũ peccatũ. Sed omnes videntur esse mercatores. Ostendã ergo quis nõ est negociator, vt qui talis nõ fuerit, eum intelligas esse negociatorem. Quicunque rem comparat non vt ita integram & immuta-

a deest in manu scr. quidam tamen ait has paleas esse meliores granis.

Psal. 70.

mutatam vendat, sed vt materia sibi sit inde aliquid operandi: ille non est negociator. Qui verò rem comparat vt integrã & immutatam vendendo lucretur: ille est mecator qui de tẽplo dei eiicitur. Vnde super omnes mercatores maledictus plus est vsurarius. ipse nanq; rem datam à deo vendit, non comparatam vt mercator. post fœnus rem suam repetit, tollens aliena cum suis: mercator autem non repetit rem venditam. Dicit aliquis: qui agrum locat vt agrariam* accipiat, aut domum vt pensiõnem recipiat: nónne est similis ei qui pecuniam dat ad vsuram? Absit. Primò quidem, quoniã pecunia non est disposita nisi ad emendum. Secundò, quoniã agrum habens arando accipit ex eo fructum: habens domum, vsum mansionis capit ex ea: & ideo qui locat domum vel agrum, suũ vsum dare videtur, & quodammodo videtur mutare cum lucro lucrũ. ex pecunia reposita nullũ vsum capis. Tertiò ager vel domus veterascit. Pecunia spiritualiter intelligũtur homines: quia sicut nummus habet charagma Cæsaris, ita homo charagma dei: & sicut nummus qui non habet charagma Cæsaris, reprobus est: ita homo qui non ostendit imaginẽ dei. vnde Esaias ad Hierusalem: Caupones tui miscent vinum cum aqua. Ideo ergo mensas nummulariorum euertit, significans quia in templo dei non debent esse nũmi nisi spirituales, id est, qui dei imaginem non diaboli portãt. aut certè mẽsas nummulariorũ, id est sacerdotum dicit scripturas. nouo enim testamento succedente priori, euersæ sunt scripturæ illorum. ITEM August.

*granum

Esaie 1.

Matth. 21. b.
Ioan. 2. c.

August. ad psal. 70. versu. Quoniam non cognoui.

Palea.

QVoniam non cognoui literaturam, aliqui codices habent negociationes: in quo diuersitas interpretum sensum ostendit, non errorem inducit. Si ergo iste propter assiduam laudem dei dicit, quia non cognoui negociationes: non negocientur Christiani. Sed ait ipse negociator: Affero ex longinquo merces: mercedem laboris mei vnde viuam peto. dignus est enim mercenarius mercede sua. De mendacio & de periurio agitur: non de negocio. Ego enim mentior, non negocior. Nam possum dicere, tanto emi, sed tanto vendam: si placet, eme. quomodo ergo reuocas me à negociatione? omnes artifices mentiuntur, sutores, agricolæ. Vis vt optem carum tempus, vt possim vendere annonam quam seruaui. sed hoc non faciunt boni agricolæ (inquit) neq; illa boni negociatores. Est peccatũ habere filios: quia quãdo eis dolet caput, matres infideles quærunt eis ligaturas sacrilegas, & incãtationes. omnia ista sunt peccata hominũ, non rerum. quæro ergo (ipse dicit mihi negociator) quomodo Psalmistã intelligas: & noli me prohibere à negociatione. negociatio enim me non facit malũ: sed iniquitas mea, & mendaciũ meum. Quæramus ergo

ergo negociatores qui præsumunt gloriari ex suis operibus, si sunt cõtra illam gratiã, quàm hic Psalmista cõmendat, vt nemo de suis operibus glorietur. Et sicut cõtra medicos superbè pollicitantes salutẽ, vigilat hoc quod dictũ est: Tota die salutare tuum: sic contra negociatores operibus suis gloriantes vigilat hoc quod dictũ est: Os meũ annunciabit laudẽ tuam. Vnde & dominus eiecit eos de templo volentes suam iustitiã statuere: & ignorantes iustitiã dei. Meritò dictum est negociũ quia negat ocium quod malum est: neq; quærit verã quietem, quæ est deus. ITEM Cassiodorus in eodem Psalmo.

Psal. 70.

Psal. 50.

Cassio ad. Psal. 70. versu Quoniam non cognoui.

De eodem. *Palea.*

QVid est aliud negocium nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere? Negociatores verò illi abominabiles existimantur, qui iustitiam dei minimè considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluunt merces suas plus periuriis onerando quàm preciis. tales eiecit dominus de templo, dicens: Nolite facere domum patris mei, domum negociationis. ITEM Cyprianus.

Ioan. 2. b.

Cypria. epist 9. lib. 1. ad Furnitenses.

Nomine sacerdotis careat, qui dei ministros suis euocat officiis. 10

2. Pars.

NEque apud altare dei merentur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros volunt auocare, & ideo Victor cùm contra formam nuper in concilio à sacerdotibus datam, Geminum Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere: ob dormitionem eius apud vos non fiat oblatio: neque aliqua deprecatio pro nomine eius frequẽtetur in ecclesia. vt sacerdotum decretum religiosè aut necessariè factum obseruetur à nobis.

VERSVS.

Hunc puto prodesse qui nouit iure præesse.

EPISCOPI NVLLI DVO OFFICIA TRADANT, NEC SECVLARIBVS ECCLESIASTICA. DISTINCT. LXXXIX.

1. Tim. 3. a.

GRATIAN.

„ DOmui quoque suæ oportet episcopum esse bene præ-
„ positum: vt quædam inde quodãmodo futuræ dispen-
„ sationis argumenta sumantur. In dispositione verò
„ ecclesiæ hanc regulam abseruandam nouerit, vt nulli quan-
„ tumlibet exercitatæ personæ duo simul officia committat;
„ neque secularibus viris res ecclesiasticas gubernandas com-
„ mittat. VNDE Gregor. scribit omnibus episcopis.

Vni personæ duo non committantur officia. 1

SIngula ecclesiastici iuris officia, singulis quibusq; personis singillatim committi iubemus. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita in ecclesiæ corpore multa mẽbra sunt secũdum veridicam Pauli sententiam, in vno eodemque spirituali

Roma. 12.

corpore conferendum est hoc officium vni: alij committendum est illud. neq; enim quantumlibet exercitatæ vni personæ vno tempore duarum rerũ officia cõmittenda sunt: quia si totum corpus est oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia & robur corporis seruat, & pulchritudinẽ repræsentat, ita varietas personarũ per diuersa nihilominus distributa officia, & fortitudinem & venustatem sanctæ ecclesię dei manifestat. Et sicut indecorũ est in corpore humano vt alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium simulque turpissimum est si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.

Greg. epist. 66. lib. 9. 2. Pars. ITEM Gregorius Anthemio subdiacono.

Quilibet episcopus vicedominum & œconomum habeat. 2

VOlumus vt frater noster Paschasius & vicedominum sibi & maiorem ordinet domus: quatenus possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis quæ eueniunt, idoneus & paratus existere. Si verò negligentem eum perspicis: vel ea quæ dicimus implere differentem: omnis clerus eius abhiberi debet: vt communi consilio episcopi eligantur quorum personæ ad ea quæ prædiximus valeant ordinari.

GRATIAN. Hinc colligi potest archidiaconi electionem á cuncto clero si episcopus negligens vel differens fuerit, canonicé fieri posse. Officium vicedomini est episcopatum disponere.

Grego. epist. 11. lib. 1. VNDE Gregorius Clementinæ patriciæ post alia.

Quod sit officium vicedomini. 3

DIaconum verò Anatolium quem ad vos dirigi poposcistis, hoc nos facere non posse, causæ magis modus quàm rigoris auctoritas facit. vicedominum enim eum constituimus: cuius arbitrio episcopium commisimus disponendum.

Cap. 26. ITEM ex conci. Chalcedonensi.

De eodem. 4

QVia in quibusdam ecclesiis (sicut ad nos peruenit) sine œconomo episcopi res ecclesiasticas tractant, placuit omnes ecclesias habentes episcopos etiam œconomos habere de proprio clero qui gubernẽt res ecclesiæ cum arbitrio sui episcopi: vt non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum: neque ex hoc eueniat res eiusdem ecclesiæ dispergi: & sacerdotali dignitati obtrectatio generetur. si verò quis hoc non obseruauerit: diuinis subiacebit regulis.

Epist. 66. li. 7. ad Ianuarium Caralitanum. ITEM Gregorius Ioanni Carolitano episcopo.

Secularibus viris res ecclesiastica non committantur. 5

INdicatum est nobis quòd laicis quibusdam curam vestri patrimonij commiseritis: qui postmodum in rusticorum vestrorum deprædationibus atque fatigationibus fuerint deprehensi. Quod si ita est, districtè à vobis discuti conuenit: atque

atque inter eos ecclesiæq; vestræ rusticos causam examinare subtilius: & quicquid fraudis inuentum fuerit, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. De cætero verò cauendum est à fraternitate vestra ne secularibus viris, atque sub regula vestra non degentibus, cuiuslibet res ecclesiæ cōmittantur, sed probatis de officio vestro clericis: in quibus si quid reperiri poterit prauitatis, vt in subditis emendare quod illicitè gestum fuerit valeatis: quo videlicet apud vos habitus sui officij magis conuenienter administrent quàm accusent.

›› Propinquis etiam vel fauore sibi coniunctis ecclesiastica ›› officia episcopus committere non audeat. VNDE in To- ›› letano concilio. x. legitur. cap. iij. — 3. pars. GRATIA.

Ecclesiastica officia non committat episcopus propinquis, vel fauore coniunctis. 6

DEcenter omnibus placet in præsenti tale rescindere factum, & non esse de cætero faciendum. Quicunque igitur pontificum deinceps aut sanguine propinquis, aut fauore personis quibuscunque sibi [a] coniunctis talia lucra * commendare [b] tentauerit [d] ad sui [c] [d] nefandę præsumptionis [d] excidiū [d]: & quod iussum fuerit, reuocetur in irritum: & qui ordinauerit, annuæ excommunicationi subiaceat. quæ verò ablata fortasse fuerint, ab eo qui tulerit reddantur in duplum.

a deuinctis
* loca
b commodare
c ausu

›› Porrò ipsa officia quare sint ita distinguenda, & non vni ›› personæ omnia committenda: ex auctoritate †Gregorij & ›› Bonificij papæ datur intelligi, qui ait. — GRATIA.

†Grego. epi. 52. siue ca. 96. lib. 4. ad episcopos Galliarum. Bonifac. pa. 2. epis. Eulalio scribens.

Graduum & ordinum distributio ecclesiasticā vnitatem conseruat. 7

AD hoc dispensationis prouisio gradus diuersos & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerētiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionē impenderent: vera concordia fieret, & ex diuersitate contextio: & rectè officiorū gereretur administratio singulorum. neq; enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret, quia verò quæq; creatura in vna eademq; qualitate gubernari vel viuere non potest: cœlestium militiarum exēplar nos instruit: quia dum sunt angeli, & sunt archangeli: liquet quia non sunt æquales: sed in potestate & ordine (sicut nostis) differunt alter ab altero.

VERSVS.

Sit pius & mitis fugiendo iurgia litis.

EPISCOPI NON SINT LITIGIOSI, ET DISCORDES CONCORDENT.

DISTINCTIO XC.

›› LItigiosus quoq; prohibetur ordinari: quia qui sua pote- ›› state discordantes ad concordiā debet attrahere: qui ob- ›› lationes dissidentium prohibetur recipere: nequaquam litigan- — GRATIAN.

litigandi facilitate alios ad dissidium debet prouocare.

Cap. 59. VNDE in concilio Carthaginensi. iiij. legitur.

Clerici discordes deiiciantur, vel reuocentur ad concordiam. 1

DIscordantes clericos episcopus, vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat: inobedientes synodus per audien-
Ex eodem conci. tiam damnet. ITEM ex eodem.

Cart.4. ca.93. *Dissidentium fratrum, in ecclesia oblationum dona non recipiantur.* 2

OBlationes dissidentium fratrum neque in sactario neque in gazophylacio recipiantur: similiter dona eorum qui pauperes opprimunt, à sacerdotibus refutanda sunt.

Tracta. 3. de simplicitate prælatorum. ITEM Cyprianus.

Extra ecclesiam esse probatur, qui pacem cum proximo non habet. 3

Gene.4.c. NEque ad Cain neque ad munera eius respexit deus, neque enim habere placatum deum poterat, qui cum fratre non pacem, sed zeli discordiā habebat. quam sibi igitur pacē promittunt inimici fratrū? quæ sacrificia se celebrare credūt æmuli sacerdotum? secum esse Christum cùm collecti fuerint, opinantur hi qui extra ecclesiam Christi colliguntur? Tales etiam si occisi in cōfessione nominis Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. inexpiabilis enim & grauis culpa discordiæ neque passione purgatur. ITEM ex. viij. synodo.

Murmurantes à fratrum vnitate alieni efficiantur. 4

ALienus sit à fratrum vnitate qui murmurat: & opus eius abiiciatur qui murmurans extiterit: ne pœnam murmu-
1.Cor.10.b. rantium incurrat: de qua Apostolus scribit: neq; enim murmurraueritis sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore: iuxta mensuram itaque operis peccator (quod in hac sententia Apostoli plenius declaratur) sacerdotis iudicio pœniteat. ITEM ex eodem.

Corripiantur qui rixas & contentiones amant. 5

SI quis monachus contentiones vel rixas amauerit, vel manifestum conuitium fratri intulerit: iuxta arbitrium rectoris, modumq; peccati, diuturna expietur pœnitentia. Item qui contentiosus aut murmurans extiterit: secundū arbitrium prioris tam diu pœniteat quàm diu culpæ qualitas extat.

Cap.26. eiusdē continuo. ITEM ex concilio Carthagiñ. iiij. cap. 25.

Dissidentes episcopi ad concordiam redire cogantur. 6

DIssidentes episcopos si non timor dei, synodus recōciliet. ITEM ex eodem.

De eodem. 7

STudendum est episcopis vt dissidentes fratres siue clericos siue laicos ad pacem magis quàm ad iudicium coerceant. ITEM ex eodem cap. 94.

Non recipiantur dona eorum qui pauperes opprimunt. 8

EOrum qui pauperes opprimunt, dona à sacerdotibus sunt

refutan-

refutanda. ITEM ex concilio Agathensi, cap.xxxj.

A cœtu alienentur fidelium qui ad concordiam redire contemnunt. 9

PLacuit etiam vt (sicut plerunque fit) quicunq; odio aut lõginqua inter se lite dissenserint, & ad pacem reuocari diuturna obstinatione nequiuerint: à sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur: qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de ecclesię cœtu iustissima excommunicatione pellantur. ITEM Fabianus papa.

Inediis maceretur acerrimis qui fratri suo reconciliari non vult. 10

SI quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo qui contristauit, acerrimis maceretur inediis vsq; dum gratanti animo satisfactionem recipiat.

ITEM Innocentius secundus.

Episcopi ad pacem firmiter tenendam vicissim sibi concilium & auxilium præstent. 11

PRæcipimus enim vt episcopi ad solum deum & salutẽ populi habẽtes respectum, omni tepiditate seposita ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxiliũ impendant: neque hoc alicuius amore vel odio prætermittãt. Quòd si quis in hoc dei opere tepidus inuentus fuerit: damnum propriæ dignitatis incurrat. ITEM Victor papa. 2. pars. Epist. 2. ad Afros

Expellendi sunt a communione fidelium qui sibi inuicem reconciliari noluerint. 12

PErlatum est ad sedem apostolicam aliquos vestrum nocere fratribus velle: & vt cadant, decertare: similiter in sacramentis discrepare: & ob id contentiones & æmulationes fieri inter vos: à quibus dissensionibus vos auertere, & in his omnibus concordare, & opem ferre vicissim mandamus. Nam si hoc agere citò neglexeritis, & vicissim reconciliari non studueritis: ab apostolicæ sedis & totius ecclesiæ communione vos pelli non dubitetis.

VERSVS.

Arte petat victum cui res non est & amictum.

ECCLESIASTICI ITA LABORENT, VT CVLTVM DIVINVM NON DESERANT.

DISTINCTIO XCI.

GRATIAN.

QVi autem turpi lucro vel inhonesto negocio victum sibi quærere prohibetur, de oblationibus ecclesiæ stipendia consequatur. Quòd si ecclesia ei sufficere non potuerit: proprio artificio vel agricultura (exemplo Apostoli, qui de labore manuum viuebat) sibi necessaria inueniat: ita tamen, vt occasione sui operis, ecclesiæ vigiliis nõ desit: quod absque inæqualitate sui corporis nulli impunè conceditur.

VNDE Pelagius papa.

Corripiantur clerici qui officiis matutinis vel vespertinis se subtrahunt. 1

ELeutherius frater & coepiscopus noster queritur clericos suos sibi contra canones superbire: & id quod nobis iubẽtibus facta in scrinio cautione promisit, vt quotidianis diebus vigiliæ in eius celebrarẽtur ecclesia, illis contemnentibus implere non posse: sed magis vnumquemq; suis (postposito ecclesiæ seruitio) vacare negociis. Et ideo experientia tua eos quos tibi esse ostenderit contumaces, debita obiurgatione compesce: & modis omnibus vigiliis vacare compelle.

ITEM ex concilio Ananethensi.

a deest in meo manuscrip.

De eodem. [a] *Palea.*

PResbyter mane matutinali officio expleto: pensum seruitutis suæ canendo, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamq; persoluat: ita tamen, vt horis competentibus & signis designantibus iuxta possibilitatẽ aut à se aut à scholaribus publice compleantur. Deinde peractis horis, infirmis visitatis, si voluerit ad opus rurale exeat ieiunus: vt iterum necessitatibus peregrinorum & hospitum, siue diuersorum cõmeantium, infirmorum quoque atque defunctorum succurrere possit vsque ad statutam horam, pro qualitate temporis & opportunitatis.

Psal. 118. Itẽm ex dictis sancti Benedicti, propheta dicẽte: Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic impletur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperi, completorij tempore nostræ seruitutis officia persoluamus:

Psal. 118. quia de his dixit propheta: Septies in die laudẽ dixi tibi. nam de nocturnis vigiliis ipse idem propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi &c. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ.

Cap. 52. *conc. Carthα.* 4. VNDE in Carthaginensi concilio legitur.

Sine officij detrimento, artificiolo sibi clericus necessaria quærat. 2

Cap. 49. *eiusdem.* CLericus victum & vestitum sibi artificiolo vel agricultura absque officij sui duntaxat detrimẽto paret. clericus enim qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio

Cap. 51. *eiusdẽ.* priuatus excommunicetur. ITEM ex eodem.

ca. 53. *eiusdem concil. Carthα.* 48. *cap.* 50.

De eodem. 3

CLericus quilibet verbo dei eruditus, artificiolo victum quærat. Item omnes clerici qui ad operãdum validi sunt: & artificiola & literas discant. Qui verò non pro emendo aliquid in nundinis vel foro deambulant: ab officio suo degradentur. † [b] Interemptores [b] autem ab officio declinãtes, vel negligentius agentes, ab officio remoueantur.

†*tentationes.*
b Interẽptiones

Cap. 30. *conci. Aure. pri.* ITEM ex concilio Aurelianen.

De eodem. 4

CLerici verò qui ad opus sanctum adesse contempserint: secundum

secundum arbitrium episcopi ecclesiasticam suscipiant disciplinam.

ECCLESIASTICI QVOMODO, ET QVID CANTARE DEBEANT.

DISTINCTIO XCII.

CVm autem ad ecclesiam venerint, corde magis quàm voce Deo cantandum meminerint. GRATIA.

ITEM Hieron. in epistola ad Ephesios. *Ephes. 5. ad ca.*

Corde, non voce, deum laudare debemus. 2 *5. epi. ad Ephe. lib. 3.*

CAntantes & psallentes in cordibus vestris domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus in ecclesia est psallendi officium: deo non voce, sed corde cantandum, nec in Tragœdorũ modũ guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, *vt in ecclesia theatrales moduli audiãtur & cantica. ** al. liniendæ sunt.*

,, Ab officio autem cantandi & psallendi diaconi inueniun-
,, tur exempti: ne dum vocis modulationi student, altaris mini- GRATIA.
,, steria negligant. VNDE Gregorius. *Epist. 44. seu*

Cantandi officium diaconi sibi non vsurpent. 2 *cap. 88. lib. 4.*

IN sancta Romana ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium constituti cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studia vacare congruebat. vnde fit plærunque vt in sacro ministerio dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur: & cantor minister deum moribus stimulet, cùm populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituo vt in hac sede sancti altaris ministri cantare non debeant: solumq; euangelicæ lectionis officium inter missarum solennia exsoluant: psalmos verò ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel (si necessitas exigit) per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerint: anathema sit.

,, A quibus ordinandos oporteat esse immunes, breuiter *2. pars.*
,, monstratum est: de quorum verò manibus suos ordines susci- GRATIA.
,, pere debeant, facilè patet. sacerdos enim & cuncti infra ipsum
,, constituti ab episcopis debent ordinari.
,, VNDE in concil Martini pa. legitur. *Ca. 45. li. Martini Brach. ex synodis Græcorum.*

Qui non sunt ordinati ab episcopo, in pulpito non psallãt neq; legãt. 3

NOn liceat in pulpito psallere aut legere nisi qui ab episcopo sunt ordinati lectores. De episcopis autem à quibus vel in quibus locis ordinari debeant, suprà diffinitum est. *3. pars.* Nunc autem quæritur de his qui ordinati à parœcia sua non recipiuntur, vel pro aliqua causa eas adire noluerint, an in alterius parœcia episcopale possint officium celebrare. *cap. 10. eiusdẽ lib. Marti.*

DE his in concil. Martini papæ sic statutum est.

Sacerdo-

Sacerdotis officium gerat episcopus, quem sua paroecia non recipit. 4

SI quis ordinatus episcopus ad parœciam cuius est electus, pro contentione populi aut pro aliqua ratione non pro sua culpa in parœcia quæ ei fuerit data non ierit, hunc honorem oportet sacerdotij tantummodo contingere: ita vt de rebus ecclesiæ in quam venit, nihil præsumat: sustineat autem quid de eo sanctum concilium iudicare voluerit.

Cap. 18. IDEM ex concil. Antiocheno.

De episcopo ordinato quem sua parœcia non recipit. 5

SI quis episcopus ordinatus ad parœciam cuius est electus, minime accesserit, non suo vitio, sed quòd eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetratam: hic & honoris sit & ministerij particeps, dummodo rebus ecclesię vbi ministrare cognoscitur, in nullo molestus existat, quem etiam obseruare conuenit, quicquid synodus prouinciæ perfectè iudicando decreuerit.

Cap. 17. ITEM ex concilio Ancyritano.

A sua parœcia non recepti, aliis molestiam non inferant. 6

SI qui episcopi ordinati sunt, neq; recepti ab illa parœcia in qua fuerant denominati, voluerintq́; alias occupare parœcias, & vim præsulibus earum inferre, seditiones aduersus eos excitando: eos abiici placuit. Quòd si voluerint in presbyterij ordine (vbi prius fuerãt) vt presbyteri residere, non abiiciãtur à propria dignitate. si autẽ seditiones cõmouerint ibidem cõstitutis episcopis, presbyterij quoque honor talibus auferatur: fiantq́; dãnatione notabiles.

Cap 17. ITEM ex conci. Antiocheno.

Communione priuetur episcopus, qui sibi commissam ecclesiam adire neglexerit. 7

SI quis episcopus per manus impositionẽ episcopatum acceperit, & sibi commissum ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiam sibi cõmissam, hunc oportet communione priuari donec susceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreuerit eiusdem prouinciæ synodus sacerdotum.

Cap. 16. eiusdem. ITEM ex eodem.

Sine concilio integri ordinis vacantem episcopus ecclesiam non adeat. 8

SI quis episcopus vacans in ecclesiam non habẽtem episcopum surripiens populos sine concilio integri ordinis irruerit, etiã si populus quem seduxit, desideret illum, alienũ tamẽ eum ab ecclesia esse oportet. Integrum autẽ & perfectũ concilium dicimus illud cui Metropolitanus episcopus interfuit.

4. pars.

Cap. 64. lib. Martini Bracaren. ex synodis Græcorum.

» Quòd autem suprà clerici se vigiliis subtrahentes excommunicari iubentur: de his intelligendum est, qui ab episcopo frequenter admoniti, negligentiam suam corrigere contemnunt. VNDE in concilio Martini papæ legitur.

Excommu-

Excommunicetur clericus qui ab episcopo commonitus matutinis vel vespertinus horis adesse neglexerit. 9

SI quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus in quolibet loco fuerit in quo ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non conuenerit: deponatur à clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

SVMMO PONTIFICI OMNES OBEDIANT, ET SVPERIORIB. INFERIORES.

DISTINCTIO XCIII.

GRATIA.

» OBedientiam autem inferiores ex ordine superioribus
» debent. summo enim pontifici ea debetur ab omni-
» bus obedientia, vt nulli liceat ei communicare cui
» pro actibus suis inimicus ipse extiterit, nec in ecclesia esse po-
» terit qui eius cathedram deserit.
» VNDE beatus Petrus princeps apostolorum in ordina-
» tione Clementis populum alloquens inter cætera ait.

Clemens epist. ad Iacobum fratrem domini.

Cui pro actibus suis prauis apostolicus inimicatur, ei communicare non debemus. 1

SI inimicus est iste Clemēs alicui pro actibus suis prauis: vos nolite expectare vt ipse vobis dicat. Cum illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absque commonitione* obsecundare: & auertere vos ab eo cui ipsum sentitis aduersum: neq; loqui his quibus ipse nō loquitur. Vnde vnusquisq; qui in culpa est, dum cupit omniū vestrum amicitias habere: festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest: & per hoc redeat ad salutē, cùm obedire cœperit monitis præsidentis. Si verò quis amicus fuerit his quibus ipse nō loquitur, vnus est ipse ex illis qui exterminare ecclesiam dei volunt: & quum corpore videatur esse nobiscum, mente tamē & animo cōtra nos est: & est multo nequior hostis hic, quàm illi qui foris sunt, & euidenter inimici sunt. hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, & ecclesiam dispergit & vastat. Ideoq; huiusmodi apostolicis institutis vos monentes instruimus, vt effecta certior charitas vestra solicitius deinceps agere studeat & cautius, ne peruersi & infideles homines lædendi fideles & beneuolos habeant facultatem.

** Communicatione.*

ITEM Gregorius.

A nullo debet suscipi, quem Romana depellit ecclesia. 2

MIratus valde sum, quia in tanto Salonitanæ ecclesiæ clero & populo vix duo in sacris ordinibus inuenti fuerūt, frater scilicet & coepiscopus meus Paulinus, & dilectissimus filius meus Honoratus archidiaconus eiusdem ecclesiæ, qui cōmunicare Maximo sacerdotiū rapienti minimè consentirent,

& se

& se Christianos esse cognoscerent. debuistis enim filij charissimi pensare ordines vestros, & quem sedes apostolica repellebat, repulsum cognoscere vt prius (si posset) ab illatis criminibus mundaretur: & tunc ei vestra dilectio cõmunicaretur, ne particeps obligationis existeret. ITEM Cyprian.

Epist. 9. lib. 4.

Non est in ecclesia, qui cathedram Petri non sequitur. 3

QVi cathedram Petri (supra quam fundata est ecclesia) deserit: in ecclesia se esse non confidat.

GRATIAN. Episcopi verò qui apostolicæ ordinationi subiacent, etiam hanc ei reuerentiam debent, vt singulis annis apostolorum liminibus sese repræsentent.

VNDE Anacletus & Zacharias papa.

Singulis annis apostolorum limina visitent episcopi, qui ordinationibus apostolicis subiacent. 4

IVxta sanctorum patrum & canonum instituta omnes episcopi qui huius apostolicæ sedis ordinationi subiacent, & qui propinqui sunt annuæ circa idus Maij sanctorum principum Petri & Pauli liminibus præsententur omni occasione seposita. Qui verò de longinquo sunt, iuxta chirographum suum impleant. Qui autem huiusmodi constitutionis contemptor extiterit (præterquam si ægritudine fuerit detentus) sciat se canonicis subiacere sententiis.

2. pars.

GRATIA. Reliqui verò in ecclesia minores semper debent maioribus subesse, sicut in synodo sancti Siluestri legitur.

Cap. 7. synodi Romana sub Siluestro.

Minores maioribus obedientiam exhibeant. 5

A Subdiacono vsq; ad lectores omnes subditi sint diacono cardinali viro reuerendissimo in ecclesia repræsentantes ei honorem. Porrò pontifici presbyter, presbytero diaconus, diacono subdiaconus, subdiacono acolytus, acolyto exorcista, exorcistæ lector, lectori ostiarius, ostiario abbas, abbati monachus in omni loco repræsentet obsequiũ, siue in publico, siue in gremio ecclesiæ. ITEM ex epistola Clementis papæ.

Epi. 1. ad Iacobum fratrem domini.

Quod sit officium diaconorum. 6

DIaconi ecclesiæ sint tanquam oculi episcopi oberrãtes & circumlustrantes cum verecundia actus totius ecclesiæ, perscrutantes diligentius si quem videant fieri vicinũ præcipitio, & proximum esse peccato: vt referant hoc ad episcopũ, & ita episcopo suggerere quæ ad cultum ecclesiæ, & disciplinam eius pertinent, diaconis cura sit. ITEM in eodem.

Idem Cle. in eadem epi.

De eodem. 7

SAcerdotes verò dicebat beatus Petrus sal terræ, & mundi lumen, docens eos in splendore bonorum operum glorificare deum patrem: de quibus ait dominus: Beati estis cùm maledixerint vobis homines: & reliqua. & iterum: Vos estis sal terræ. ITEM ex concilio Parisieñ.

Matth. 5. b.
Ibidem.
Ibidem. cap. 10.

Hi non

Hi non sunt habendi clerici, qui episcopali prouidentia non gubernantur. 8 — Ex mag. Iuo.

NVlla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina & prouidentia gubernantur. tales enim *ἀκεφάλους*, id est, sine capite prisca ecclesiæ consuetudo nuncupauit. ITEM. — Iuo.

De eodem. 9

QVi suis episcopis non obediunt, indubitanter reprobi & rei existunt. Porrò ipsi à deo donum summi muneris cõsequuntur qui suis doctoribus (qui rectè episcopi intelliguntur) libenter obediunt. ITEM Anacletus. — *Epist. 1. ad omnes epis.*

Illi in Deum scandalizantur, qui suo non obediunt episcopo. 10

ILle proculdubio scandalizatur in deum, qui rectè non docet, & qui eius scandalizat episcopum vel sacerdotem.

ITEM Euaristus omnibus episcopis. — *Epi. 1. ad epis. Aphricanos.*

Septem esse debent diaconi in vnaquaque ciuitate. 11

DIaconi qui quasi oculi videntur esse episcopi, in vnaquaq; ciuitate septem debent esse: qui custodiant episcopũ prædicantem, ne ipse episcopus ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur à suis, aut verba diuina detrahendo, aut insidiando polluantur vel despiciantur: sed veritas spirituali redoleat feruore: & pax prædicata labiis, cum voluntate animi concordet. ITEM ex concilio Neocesarieñ. — *Cap. 14.*

De eodem. 12

DIaconi septem debent esse secundum regulam, quamuis non magna sit ciuitas. Regulæ autem auctoritas est ista, quòd & liber actuum apostolorum idem insinuat.

›› Vt igitur ex præmissis apparet auctoritatibus, diaconi de- — *3. pars.*
›› bent obedientiam presbyteris, sicut presbyteri episcopis: sed — GRATIA.
›› diaconi superbientes sacerdotibus exæquari vel potius præ-
›› ferri quærebant: contra quorum insolentiam multorũ aucto-
›› ritates emanauerunt eorum supercilium reprimẽtes: atque vt
›› sacerdotibus condignam obedientiã exhibeant decernentes.
›› VNDE Pelagius papa ait. — *Gela. pa. 1. epi. ad episcopos per Lucaniã cap. 9.*

Nihil eorum quæ sunt decreta primis ordinibus, vendicent diaconi. 13

DIaconos propriam constituimus obseruare mẽsuram: neque vltra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus: & nihil horum in suo ministerio penitus applicare quæ primis ordinibus propriè decreuit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortassis longius cõstitutis necessitas extrema compellat: quod etiam laicis Christianis facere plerunque conceditur. Sacri corporis erogationem sub cõspectu episcopi seu presbyteri (nisi his absentibus) ius non habeant exercendi. ITEM in Niceno concilio legitur. — *Cap. 10. eiusdẽ.*

Inferio-

Inferiores presbyteris se diaconi cognoscant. 14

Cap.14.&18. PEruenit ad sanctum cōcilium quòd in locis quibusdam & ciuitatibus presbyteris sacramenta diaconi porrigant. hoc neque regula neq; consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant. Sed & illud innotuit, quòd quidam diaconi etiã ante episcopos sacramenta sumunt. Hæc ergo omnia amputentur & excidantur, & in sua diaconi mensura permaneant: scientes quòd quia episcoporũ ministri sunt, inferiores à presbyteris habentur. per ordinem ergo post presbyteros sacræ gratiam communionis accipiant, aut episcopo aut presbytero porrigente eis. Sed nec sedere in medio presbyterorum diacono liceat: quia si fiat hoc, præter regulam probatur existere. Si quis autem post has diffinitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

Cap.20. ITEM ex concilio Laodicensi.

Diaconus honorem exhibeat presbytero, & ipse ab inferioribus honoretur. 15

NOn oportet diaconum coram presbytero sedere: sed iussione presbyteri sedeat. Similiter autem diaconus honorem habeat à sequentibus, id est à subdiaconis & ab omnibus clericis.

Cap.25.eiusdem. ITEM ex eodem.

Calicem benedicere, & panem dare diacono non licet. 16

NOn oportet diaconos panẽ dare, nec calicem benedicere.

Cap.37. ITEM ex concilio Carthaginensi. iiij. cui papa Zozimus interfuit per vicarios.

Sicut episcopis, ita & presbyteris diaconi ministrent. 17

DIaconi ita se presbyteri sicut episcopi ministros esse cognoscant.

Cap.38. eiusdẽ conc. Carth. 4. ITEM ex eodem.

De eodem. 18

PRæsente presbytero diaconus eucharistiam corporis Christi populo (si necessitas cogit) iussus eroget.

Cap.39. eiusdẽ ITEM ex eodem.

ca.40. eius. item.

De eodem. 19

DIaconus sedeat iubente presbytero in quolibet loco. Itẽ diaconus in cōuentu presbyterorum interrogatus loquatur. alba verò tantum tempore oblationis & lectionis vtatur.

Cap.38. ITEM ex concilio Toleta. iiij.

Diaconi presbyteris se superiores non cognoscant. 20

NOnnulli diaconi in tantam prorumpunt superbiam, vt sese presbyteris anteponant, atque in primo choro & ipsi priores stare præsumant, presbyteris in secundo choro constitutis. ergo vt sublimiores se presbyteros agnoscant, tam illi quàm hi in vtroque ordine consistant.

3. pars. GRATIA. Compagis verò calciari absq; apostolica licentia diaconis ›› non permittitur. sicut nec mappulis vti absque eius auctoritate ››

" tate quibuslibet clericis conceditur.

VNDE Gregorius Ioanni episcopo Syracusano. *Epist.28.lib.7*

Absque apostolica licentia diaconi cõpagis vti non præsumant. 21

PEruenit ad nos quòd diaconus ecclesiæ Catien. calciatus cõpagis procedere præsumpsisset, quod quia hactenus nulli per totam Siciliam licuit nisi tantùmodo diaconis Messanẽsis ecclesiæ, quibus olim à prędecessoribus nostris nõ dubitatur esse cõcessum, bene recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus leuiter non est attendendus: * cum omni hoc fraternitas vestra subtilitate perquirat, vt an per se, vel alicuius hoc auctoritate pręsumpserit, nobis subtiliter innotescat. Nã si negligenter ea quæ malè vsurpantur omittimus, excessus viam alijs aperimus. ** attentandus.*

ITEM Io. Rauennati episcopo. *Greg.epi.93. lib.2.*

Mappulis clerici sine apostolica licentia vti non debent. 22

ILlud autem quod pro vtendis à clero vestro mappulis scripsistis, à nostris clericis fortiter est obuiatum, dicẽtibus nulli hoc vnquam alij cuilibet concessum fuisse ecclesiæ: nec Rauennates clericos vel illic, vel in Romana ciuitate tale aliquid cum sua conscientia præsumpsisse: nec si tentatũ esset, ex furtiua vsurpatione sibi præiudicium generari: sed etiam si in aliqua ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emẽdandum, quod non concessione Rom. ponti. sed sola vsurpatione vel surreptione præsumitur.

ITEM Hieronymus ad Rusticum episcopum Narbon̄. *Hiero.de septem ordinibus eccles.*

Sicut in ministerio, ita in dispensatione sine diacono episcopus non vi nat. 23

DIaconi sunt quos in Apocalypsi legimus, septem angeli ecclesiarum, hi sunt septem cãdelabra aurea, hi sunt voces tonitruorum virtutum operatione præclari, humilitate præditi, quieti, humiles, euãgelizantes pacẽ, annunciantes bona, dissensiones & rixas & scandala resecantes: docentes: soli deo colloquentes in tẽplo, nihil penitus de mundo cogitantes: dicentes patri & matri, Non noui vos: & filios suos nõ agnoscẽtes. Sine his sacerdos nomen non habet, ortũ non habet, officiũ non habet. hic minister dei dicitur: quia scriptũ est: Maior est qui ministrat, quàm cui ministratur. & sicut est in sacerdote ministratio, * ita in ministro sacramenti dispensatio. Sacerdotibus etiam propter præsumptionem non licet de mensa domini calicem tollere, nisi eis traditus fuerit à diaconis. ita enim dominus noster omnipotens vniuersa disposuit, vt qui maiorem se esse crediderit, minor esset: & qui minor videretur, maior existeret. Denique quàm hoc verum sit, tuipse perpende. leuitæ componunt mensam domini: leuitæ sacerdotibus cum sacramenta benedicunt, assistunt, leuitæ ante sacerdotes orãt: vt si distinctio locorum creditur in mundo, etiã in *5. pars. Apoc.1.b.* **al. consecratio.* *Mat. 20.g*

T altari

altari dei videant sibi episcopi qui superbi sunt, diaconos anteponi. si humilitatem diligunt,&*diaconi maiores se esse in eo quòd sunt humiles recognoscant. tunc demum vt aures habeamus ad deum, diaconus acclamat, ipse prædicat, ipse hortatur, ipse etiam commonet astātibus sacerdotibus, ne leuiter hanc vocem qua loquitur hæc, & pacem annunciat, audiant, aut negligenter aspiciant. Sufficit huic ordini tantū fuisse per deum concessum, vt non solus sacerdos in templo dei totum agere & implere videatur. & infrà. Nunc autem ex quo in ecclesijs, sicut in Romano imperio creuit auaritia: periit lex de sacerdote, & visio de propheta. Singuli quique per potētiam episcopalis nominis quam sibi ipsi illicitè absq; ecclesia vendicauerunt: totum quod leuitarum est, in suos vsus redigunt: nec hoc solum quod sibi asscriptum est vendicant, sed cunctis auferunt vniuersa. Mendicat infœlix in plateis clericus: & seruili operi mancipatus, publicam à quolibet poscit eleemosynam: *qui ex eo magis despicitur à cūctis, quo miser & desolatus iustè putatur ad hanc ignominiam deuenisse. Solus episcopus incubat bonis, solus vtitur ministerio, solus vniuersa sibi vendicat, solus partes inuadit alienas, solus occidit vniuersos. Hinc propter auaritiam sacerdotum sępe odia consurgūt: hinc episcopi accusantur à clericis: hinc principum lites, hinc detractionis* causa, hinc origo fit criminis. Etenim si vnusquisque ita in hoc mundo visibili aliquid possidere iubetur, vt sua tantum possessione sit contentus: ac res non inuadat alienas: non agrum pauperi tollat, non vineam, non subiectorum aliquod, non famulos, non fructum, quanto magis qui ecclesiæ dei pręest, debet ita seruare in omnibus iustitiam, vt solum sibi vendicet, quod sui iuris esse cognoscit, aliena non rapiat, aliena non contingat, æqualem se cæteris faciat: & sicut sine his in ministerio non viuit, ita in dispensatione non viuat. Certè (vt ipse nosti) qui visibiliter in hoc mundo ius inuadit alienum, accusatur à paupere, damnatur à iudice: ita & in ecclesia dei dum quisque stipendia sua perdit, clamat ad dominum, & exauditur à Christo, nec differtur vltionis sententia, si non reddantur vniuersa. Moderatio enim dei ac pietas solum nostrum reditum quærit: ac nos cupit longa bonitate sua saluari. Si non conuertimur, si duri colli sumus: si in peccatis vsque ad mortem illicitè perduramus: assiduè peccantium non miseretur deus.

** in aditione Hieron. apud Frobenių non habetur hoc loco, et diaconi.*

Ezec. 7. g

** alimoniam.*

** al. desolatione causa.*

6. pars. GRATIANI

“ Hoc capitulo sacerdotum auaritia reprehenditur, diaco-
“ norum dignitas siue officium commendatur. Sed quia (vt su-
“ prà dictum est) diaconi insolescentes etiam presbyteris se prę-
“ ferendos arbitrati sunt: contra eorum supercilium scribit
“ Hieronymus ad Euagrium episcopum.

Hieron. to. 2.

Diaconi

Diaconi presbyteris debent subesse. 24

Legimus in Esaia: Fatuus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam: vt diaconos presbyteris, id est episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat eosdem esse presbyteros quos episcopos: quid patitur mensarum & viduarum minister, vt supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quæris auctoritatem? Audi testimonium. Paulus & Timotheus serui Christi Iesu, omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconis. Vis & aliud exemplum? In Actibus apostolorum, ad vnius ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos fratres spiritussanctus posuit episcopos, vt regatis ecclesiã dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in vna ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audiat & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur eundem esse episcopum atque presbyterum: Propter hoc reliqui te in Creta, vt quæ deerant corrigeres, & constitueres presbyteros per ciuitates, sicut ego tibi mandaui: si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi dei dispensatorem. Et ad Timotheum: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est * per prophetiã, & per impositionem manuum presbyterij. Sed & Petrus in prima epistola: Presbyteros, inquit, qui in vobis sunt, precor ego compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ quæ reuelanda est gloriæ particeps, regite gregem Christi, & inspicite non ex necessitate, sed voluntariè iuxta deum. Quod quidem Græcè significantius dicitur, ἐπισκοποῦντες, id est superintendentes: vnde & nomen episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba euangelica, filius tonitrui, quem Iesus plurimum amauit, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit: Presbyter, Electe domine, & filijs eius: quos ego in veritate diligo. Et in alia epistola: Presbyter Caio charissimo, quem ego in veritate diligo. Quòd autem postea vnus electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium episcopos presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant: quomodo si exercitus sibi imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem industrium nouerint, & archidiaconum nuncupent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? Nec altera

Esa. 32. b
Philip. 1. a
Act. 20. f
Ad Tit. 1. b.
1. Tim. 4. b
* al. quæ tibi data est prophetia.
1. Pet. 5. b
Mat. 3. b
2. Ioan. a
3. Ioan. 5. a

Romanæ vrbis ecclesia, altera totius orbis existimāda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbarę nationes vnum Christū adorant, vnam obseruant regulā veritatis. Si auctoritas quęritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Thebis, *siue Guarmatiæ: *eiusdem meriti, eiusdē est & sacerdotij. Potētia diuitiarū, & paupertatis humilitas, vel sublimiorē vel inferiorem episcopū non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Sed dices: quomodo Romæ ad testimoniū diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers vni* vrbis cōsuetudinem? Quid paucitatē de qua ortū est supercilium, in leges ecclesiæ vendicas? Omne quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere preciosius est. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterum etiā in ecclesia Romæ presbyteri sedent, & stant diaconi: licet paulatim increbrescētibus vitiis inter presbyteros absente episcopo diaconos sedere videamus, & in domesticis conuiuijs benedictionem coram * presbyteris dare. Discāt qui hoc faciūt, non se rectè facere: & audiāt Apostolos: Non est dignū vt nos relinquentes verbum dei, ministremus mensis. Sciant diaconi quare constituti sunt. Legāt acta apostolorū, & recordētur cōditionis suæ. Presbyter & episcopus, aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen: Vnde & ad Titū & ad Timotheū de ordinatione episcopi & diaconi dicitur: de presbyteris omnino reticetur: quia in episcopo & presbyter continetur. Qui prouehitur, de minori ad maius prouehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, vt presbytero* maior cōprobetur, in quem concrescit ex paruo, aut si ex diacono ordinatur presbyter, nouerit se laicis maiorem sacerdotibus esse minorem. ITEM Cyprianus.

* al. thanis.

* al. non habetur, siue Guarmatia.

* al. non habetur coram.

Act. 6. a

* aliàs, vt presbyter minor diacono comprobetur.

De eodem. 25

Epi. 9. li. 3. ad Rogatianum.

DOminus noster Iesus Christus rex & iudex & deus noster vsque ad passionis diem seruauit honorem pōtificibus & sacerdotibus: quamuis illi nec timorem dei, nec agnitionem Christi seruassent. Nam cùm leprosum mundasset, dixit illi: Vade & ostende te sacerdotibus: & offer donum: humilitatem nos Christus humilis docuit: sacerdotē adhuc appellās quem sciebat esse sacrilegum. Item subditus passioni cùm alapam accepisset, & ei diceretur: Sic respondes pōtifici? nihil illi contumeliosè locutus est in personam pontificis: sed sic magis innocentiam suam tutatus est dicens: Si malè locutus sum, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis? Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atq; patienter, vt nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. docuit enim

Matt. 8. a

Ioan. 18

sacer-

ſacerdotes veros legitimè & plenè honorari, dum circa falſos ſacerdotes ipſe talis extirit. Meminiſſe autem diaconi debent quoniam apoſtolos, id eſt epiſcopos & presbyteros dominus elegit: diaconos autem poſt aſcenſum domini in cælum Apoſtoli ſibi conſtituerunt epiſcopatus ſui & eccleſiæ miniſtros. quod ſi nos aliquid audere cõtra deum poſſumus, qui epiſcopos facit: poſſunt & contra nos audere diaconi, à quibus fiunt.

›› Hoc autem quod de diaconorum minoritate dicitur, vbique ſeruandum eſt, niſi cùm locum diaconus habuerit aut proprij patriarchæ, aut ſui metropolitani. *7. pars* GRATIANI

›› VNDE in ſexta ſynodo legitur.

Diaconus ſacerdotibus non præferatur, niſi locum metropolitani ſui obtineat. 26 *cap. 7.*

PRæcipimus ne diaconus (quamuis etiam in dignitate, hoc eſt in officio quolibet eccleſiaſtico ſit) ante presbyterum ſedeat, niſi cùm locum habuerit proprij patriarchæ, aut metropolitani ſui in alia ciuitate addi in Græc. pro aliquo capitulo. tunc enim ſicut illius locum tenens honorabitur. Si quis verò præſumpſerit hoc tyrannicè facere: à proprio gradu repulſus, vltimus omnium fiat in ordine ſuo.

INFERIORES NONNVNQVAM EX PRIVILEGIO SVPERIORIBVS PRAEFERVNTVR. DISTIN. XCIIII.

›› SVdiacono etiam ſummus patriarcha vices ſuas committere valet. VNDE Symmachus papa ait. GRATIANI

Etiam ſubdiaconus vices ſuas apoſtolica committit eccleſia. I *Greg. epiſto. I. lib. I. ad epiſco. Siciliæ.*

VAlde neceſſarium proſpeximus eſſe, vt ſicut prædeceſſorum noſtrorum fuit iudicium, ita vni eidemque perſonæ omnia cõmittamus: & vbi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum cui præcipimus repręſentetur auctoritas. quãobrem Petro ſubdiacono ſedis noſtræ intra prouinciam Siciliam vices noſtras (auxiliante deo) commiſimus. nec enim de eius actibus dubitare poſſumus, cui deo auxiliante totum noſtræ eccleſiæ noſcimur † patrocinium commiſiſſe. *† patrimonium.*

›› Legatũ verò apoſtolicæ ſedis quicunque impedierit, vſque ad ſatisfactionẽ excõmunicetur. VNDE Alexander papa. *2 pars.* GRATIANI

Excommunicetur qui legatum ſedis apoſtolicæ impedire tentauerit. 2 *Epiſt. 10. epiſcopis omnibus.*

SI quis autem legationem impedit, non vnius, ſed multorum profectum † auertit. & ſicut multis nocet, ita à multis arguendus eſt: & bonorum ſocietate priuandus. Et quia dei cauſam impedit, & ſtatum conturbat eccleſiæ: ideo ab eius liminibus arceatur. Ab omnibus itaque talis eſt cauendus: & non in communionem fidelium vſque ad ſatiſfactionem recipiendus. *† euertit.*

3. pars. GRATIANI Archidiaconus quoque quanuis ex officio suo clericorum vitam diligenti examinatione debeat inquirere, & quæ corrigenda inuenit episcopo nunciare: tamen dominationem super eos exercere, & censum ab eis exigere prohibetur.

VNDE in Cabilonensi concilio legitur.

Archidiaconi super presbyteros iurisdictionem non exerceant. 3

DIctum est quòd in plerisq; locis archidiaconis super presbyteros parœcianos quandã exercent dominationẽ, & ab eis censum exigũt, quod magis ad tyrannidẽ quam ad rectitudinis pertinet formã. Si enim (iuxta apostoli sententiã) episcopi non debẽt esse dominãtes in clero, sed forma facti gregis ex animo: multo minus facere hoc isti debent. Sint itaq; contenti regularibus disciplinis: & teneant propriam mensuram: & quod ab episcopis eis iniungitur, hoc per parœcias suas exercere studeãt: nihil per cupiditatem & auaritiã præsumẽtes.

1. Pet. 5. a

AN LICEAT PRESBYTERIS CHRISMATE ET OLEO SANCTO LINIRE.

DISTINCTIO XCV.

GRATIANI QVod autem sacerdotes suprà iubentur episcopis tanquam subditi obedire: non ita intelligendũ est quasi non liceat eis præsentibus episcopis sacra mysteria celebrare: sicut episcopali supercilio quidam ab his volebant presbyteros prohibere, sed quia presbyteri pontificibus tanquam filij parentibus debent obedire. & baptizatos etiam chrismate eis tangere conceditur.

VNDE Gregorius scribit Ianuario episcopo Caralitano.

Epistol. 26. li. 3

Vbi episcopi desunt, baptizatos in frontibus presbyteri chrismate tangant. 1

PEruenit quoque ad nos quosdam scãdalizatos fuisse quòd presbyteros tangere chrismate eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem vsum ecclesiæ nostræ fecimus: sed si omnino de hac re aliqui contristantur, vbi episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.

GRATIANI Supra Leo episcopus contra, quanuis chorepiscopi.

Leo epist. 86. ITEM Gelasius papa.

Gelasius ad episcopos per Lucaniam.

Vltra suum modum presbyteri contendere non præsumant. 2

PResbyteros vltra suum modum contendere prohibemus: nec episcopali fastidio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.

GRATIANI Sed istud Gregor. pro scãdalo sedãdo semel cõcessum legitur. illud autẽ Leonis papæ & Gelasij vsu approbãte præualuit: nisi fortè vbi aliquorũ cõsuetudo hoc admisit, vt in absentia episcopi extrema necessitate cogente, & ex concessione Grego-

,, Gregorij presbyteri baptizatos in frontibus liniant. Prohi-
,, bitio verò Leonis & Gelasij in eo casu intelligatur, cùm epis-
,, copi præsentes sunt vel cùm non cogit vltima necessitas. oleo
,, verò sanctificato permittitur eis vngere infirmos. Vnde Ia- Iaco. 2
,, cobus ait: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ec-
,, clesiæ, qui orent super eum, vngentes eum oleo in nomine
,, domini: & oratio fidei saluabit infirmum.

,, Sed quæritur an episcopis liceat eodem oleo vngere infir- 2. pars.
,, mos: vel si impœnitētibus huiusmodi vnctio sit concedēda.

,, De his verò ita scribit Innocentius papa. Inno. pa. I.

Oleo sanctificato non prohibetur episcopus infirmos tangere. 3 *epist. I. ad Decentium Eugubinum episcopū*

Illud superfluum videmus esse adiectum, vt de episcopo ambigatur quod presbyteris licere non dubium est. nam idcirco de presbyteris dictum est, quia episcopi præoccupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cęterū si episcopus aut potest aut dignū ducit aliquē à se visitandū & benedicere, & tangere chrismate: sine cūctatione potest, cuius est ipsum chrisma cōficere, nā non pœnitētibus istud fundi non potest: quia genus est sacramēti. nam quibus reliqua sacramēta negātur: quomodo hoc vnū genus putatur posse concedi? His igitur frater charissime omnibus quæ tua dilectio voluit à nobis exponi, prout potuimus respōdere curauimus.

Chrisma verò à suis episcopis ad baptismi sanctificationem presbyteri petant. 3. pars.

Vnde in concilio Carthaginensi. iiij. Cap. 36.

De eodem. 4

Presbyteri qui per diœceses ecclesias regūt, non à quibuslibet episcopis, sed à suis: nec per minorem clericū, sed omni anno aut per seipsos, aut per illum qui sacrarium tenet, & ante paschæ solennitatem chrisma petant.

Item Hieronymus super epistolam ad Titum. Ad cap. I Et cōstituas per.

Presbyter idem est qui episcopus, ac sola consuetudine præsunt episcopi presbyteris. 5

Olim idem erat presbyter, qui & episcopus: & antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autē Cephæ: cōmuni presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem vnusquisque eos quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi: in toto orbe decretum est vt vnus de presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur & paulo post. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispensationis dominicæ veritate presbyteris esse maiores: & in communi debere ecclesiam regere. I. Cor. I.

De septem gradibus ecclesiæ. IDEM ad Rusticum Narbonensem episcopum.

Coram episcopis, presbyteris docere licet. 6

† Nec ego. †ECce ego dico præsentibus episcopis suis atque astantibus
1. Tim. 5. c. in altario presbyteros posse sacramenta cõficere: sed quia scriptum est: Presbyteri duplici honore honorentur, maximè qui laborant verbo dei: prædicare eos decet, vtile enim est benedicere, congruum est confirmare: & conuenit reddere communionem, necesse est visitare infirmos, orare pro inualidis, atque omnia dei sacramenta complere. nemo hinc episcoporum inuidia diabolicæ tentationis inflatus irascatur si plebem interdum presbyteri exhortentur, si in ecclesijs prædicent, si plebi (vt dictum est) benedicant. Etenim abnuentibus mihi ista, sic dicam. Qui non vult presbyteros facere quæ iubentur à deo dicat, quid magis est Christo: aut quid poterit corpori & sanguini eius anteponi? Si presbyter Christum consecrat cùm in altari dei sacramenta benedicit, benedicere populum non debet, qui Christum consecrare non metuit? Circa laicos ac mulieres, iubentibus vobis ô iniustissimi sacerdotes, presbyter dei benedictionis perdit officia, amittit linguæ opus, non habet confidentiam prædicandi, & truncatus est omni parte virtutum, solùm presbyteri habet nomen, plenitudinem ac perfectionem quæ consecrationi eius competit, non retẽtat. Quis igitur hic rogo sacerdotes honor vester est, vt damnum gibbi inferatis? quoniam quum pastoribus per potentiam aufertur deo digna diligentia, contagium quoddam & calamitas crescit in gregibus: ac dominici patrimonij damna conquiritis, dum soli vultis in ecclesijs potentari. Presbyteri verò ab initio iudices negotiorum esse mandati sunt: presbyteri sacerdotum interesse debent concilijs: quoniam & ipsi presbyteri (vt legimus) episcopi nominantur, secundum
2. Tim. 3. d quod dictum est ad episcopum. Noli negligere gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum presbyteri. &
Act. 20. f alibi ad maiores natu. Qui vos posuit episcopos regere ecclesiam suam. Sed oderunt hoc superbi sacerdotes in presbyterij nomine, qui nolunt hoc esse quod Christus, qui di-
Ioan. 13. a scipulorum pedes lauit, qui batizatus à Ioanne est, licet bap-
Matt. 3. d tizandum à domino se esse ille proclamaret. Quod propterea scribo vobis, vt si præteriti temporis error iam non potest reuocari, vel ad præsens in ecclesijs faciant quod Romæ fit, quod in Africa, quod in Oriente, quod in Hispania, quod in Gallia, quod in Britannia, quod in omnibus locis vbi humilitas perseuerat: quod etiam in cælis fit (quod maius est) vbi sedes angelorum legitur disposita.

Idẽ Hier. de vita clericorum. ITEM ad Nepotianum.

Episcopi

Episcopi & clerici inuicem sibi honorem exhibeant. 7

ESto subiectus pontifici tuo, & quasi parentem animę ama. Sed episcopi sacerdotes sciant se esse, non dominos. Honorent clericos quasi clericos, vt ipsis episcopis à clericis quasi episcopis honor deferatur.

,, Scitum est illud oratoris Domitij: Cur ego, inquit, te habeam vt principem, cùm tu me non habeas vt senatorem? Quod autem Aaron & filios eius hoc esse episcopum & presbyteros nouerimus. Vnus dominus, vnus baptismus, vnum templum, vnum sit ministerium. Recordemur semper quod apostolus Petrus præcipit sacerdotibus: Pascite eũ qui in vobis est gregem domini: præuidentes non coactè, sed spontaneè secundum domini præceptum, neque turpis lucri causa, sed voluntariè: neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, vt cùm apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam. Pessimæ consuetudinis est in quibusdam ecclesijs tacere presbyteros, & præsentibus episcopis non loqui, quasi eis inuideant, aut eos dedignentur audire. Sed si aliquid (vt inquit Apostolus Paulus) fuerit reuelatũ sedenti, prior taceat. Gloria patris est filius sapiens. Gaudeat episcopus in iudicio suo, cùm tales elegerit sacerdotes. ITEM ex concilio Laodicensi. cap. 56.

Idem ferè de Philippo narrat Cicero. libro 3. de oratore.

1. Pet. 5. a.

1. Cor. 14.

Prou. 10. a. & 13.

Presbyteri episcopos non precedant, sed comitentur vel subsequantur. 8

NOn oportet presbyteros ante ingressum episcopi ingredi & sedere in tribunalibus, sed cũ episcopo ingredi: nisi fortè aut ægrotet episcopus, aut in peregrinationis* cõmodo esse eum constiterit. ITEM ex concilio Carthaginensi. 4. ca. 34.

*in peregrinatione modo cum esse, &c.

Episcopus non dominum sed collegam se presbyterorum cognoscat. 9

EPiscopus in quolibet loco sedens stare presbyterum non patiatur. ITEM ex eodem.

Cap. 35. eiusdẽ continuo.

De eodem. 10

EPiscopus in ecclesia in concessu presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam presbyterorum se esse cognoscat. ITEM ex concilio Martini papæ.

Cap. 52. li. Martini Bracharen. episcopi.

Sine præcepto episcopi presbyter non signat infantes.

PResbyter præsente episcopo non signet infantes, nisi ab episcopo fuerit illi præceptum.

ITEM ex concilio Genuen. cap. iiij.

De eodem. *Palea.*

,, PResbyteri ruris in ecclesia ciuitatis episcopo præsente vel presbyteris ipsius vrbis offerre non possunt: nec panem sacrificatum dare, calicemque porrigere. si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debent.

Deest in manuscr.

VERSVS

Princeps nundinas, res non regat ecclesiarum.

confusionis atque dispendij aliquid venerabilis ecclesia sustineret, miramur prætermissis nobis quicquam de rebus ecclesię fuisse tentatum: cum sacerdote nostro superstite nihil debuisset assumi. quare si amplitudini vestræ & sanctitati placet, incolumia omnia quæ ad futuri antistitis electioné respiciunt, religiosa veneratione seruemus: hanc legem specialiter præferentes, quam nobis hæredibúsq; nostris Christianæ métis deuotione sancimus, ne vnquam prædium, siue rusticũ, siue vrbanum, vel ornamenta aut ministeria ecclesiarum quæ nunc sunt, vel quæ ex quibuslibet titulis ad ecclesiarum iura peruenerint, ab eo qui nunc antistes sub electione communi fuerit ordinandus, & illis qui futuris seculis sequuntur, quocunq; titulo atque commento alienari liceat: & quicunque hoc facere voluerit, inefficax atq; in irritum reuocetur: sitque facienti & consentienti, danti accipientique anathema. Maximus episcopus Bletanæ ecclesiæ dixit: Modò sancta synodus dignetur edicere si licuerit laico homini anathema in ordinem ecclesiasticum dictare: aut si potuit laicus sacerdoti anathema dicere: & contra canones quod ei non competebat cóstituere. dicite quid vobis videtur: de me licuit laico legem dare? Sancta synodus dixit, Non licuit: & adiecit Lege sequentia. Hormisda diaconus legit: Et is qui prædium siue rusticum siue vrbanum iuris ecclesiastici fuerit cósecutus, nouerit se nulla lege vel præscriptione munitum; sed siue is qui alienauerit, siue qui eũ sequens voluntate contraria prædiũ huiusmodi alienatum, retinere voluerit: id cum fructibus restituat quos illic cósecutus fuerit. Hæc cũ legeret, Stephanus Venusinæ ecclesiæ episcopus, surgens ex cóceßu dixit, Perlegatur. Hormisda diaconus legit. Qua pœna placuit accipientis etiam hæredes afficere: in qua re cuilibet clericorum nulla contradicendi, libera sit facultas. Iniquũ est enim, & sacrilegij instar, vt quæ pro salute & requie animarũ suarum vnusquisq; venerabili ecclesiæ pauperum causa cótulerit, aut certè reliquerit: ab his quos maximè seruare conuenerat: in alterũ trásferantur. Planè quæcunq; in gemmis vel auro atque argento, necnon & vestibus, minus apta vsibus vel ornatui videbuntur ecclesiæ, quę seruari ac diu manere non possunt, sub iusta æstimatione vendantur: & erogatio religioni proficiat. Cumque lecta esset, Laurentius episcopus Mediolanensis ecclesiæ dixit: Ista scriptura nullũ Romanæ ciuitatis potuit obligare pontificem: quia nó licuit laicis statuendi in ecclesia præter Romanum pontificem habere aliquam potestatem: quos obsequédi manet necessitas, nó auctoritas imperandi: maximè cùm neq; papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundum canones Metropolitani legatur assensus. Petrus episcopus Rauennatis ecclesiæ dixit: Scripturam quæ

al. Byletranæ

ram quæ in nostra cōgregatione vulgata est, nullas vires habere manifestū est: quia nec canonibus conuenit, & à laicali persona cōcepta videtur: maximè quia in ea nullus apostolicę sedis præsul interfuisse, vel propria subscriptione eam firmasse mōstratur. Eulalius episcopus Syracusanæ ecclesiæ dixit: Scripturam quæ in sacerdotali concilio recitata est, euidentissimis documentis constat esse inualidam, primum quòd contra patrum regulas à laicis quamuis religiosis (quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas) facta videtur. Deinde quòd nullius præsulis apostolicæ sedis subscriptione firmata docetur. Quod si cuiuslibet prouinciæ sacerdotes intra suos terminos concilio habito quicquid sine Metropolitani sui auctoritate tractauerint, irritum esse debere sancti patres sanxerunt: quanto magis quod in apostolica sede nunc extante præsule (qui merito beati Petri apostoli per vniuersum orbem primatum obtinens sacerdotij, statutis synodalibus cōsueuit tribuere firmitatem) à laicis (licet consentientibus aliquantis episcopis, qui tamen pontifici à quo consecrati probantur, præiudicium inferre nō potuerunt) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est: nec posse inter ecclesiastica vllo modo statuta censeri. Sancta synodus dixit, Licet secundum prosecutionē venerabilium fratrum nostrorum Laurentij, Petri, Eulalij, Cresconij, Maximi, vel Stephani, nec apud nos incertum habetur hanc ipsam scripturam nullius esse momēti: veruntamē etiam si aliqua possit ratione subsistere: modis omnibus in synodali conuentu prouida beatitudinis vestræ sententia eneruari conueniebat, & in irritum deduci, ne in exemplū remaneret præsumendi quibuslibet laicis quamuis religiosis vel potentibus in quacunque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse à Deo cura commissa docetur.

In actione sexta Chalcedo. conci. habetur.

VNDE in septima actione Chalcedonensis concilij Marcianus imperator dixit inter cætera.

Imperatores ad fidem confirmandam, non potentiam ostendendam, synodo interesse debent. 2

NOs ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostēdendam, exemplo religiosissimi principis Constātini synodo interesse volumus: vt veritate inuenta non vltra multitudo prauis doctrinis attracta discordet. ITEM ex eadem.

In fine actionis sexta eiusdem conci.

De eodem. 3

QVædam capitula sunt quæ ad honorem vestræ reuerentiæ vobis reseruauimus, decorū esse iudicantes à vobis hæc regulariter potius firmari per synodum, quàm nostra lege sanciri. ITEM Nicolaus papa.

Nicol. papa ad Mich. imperatorem.

Syno-

Synodali conuentui imperatores interesse non conuenit, nisi vbi de fide agitur. 4

VBinam legistis imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus interfuisse? nisi forte in quibusdam vbi de fide tractatum est: quæ vniuersalis est: quæ omnium communis: quæ non solùm ad clericos, verumetiam ad laicos & omnes omnino pertinet Christianos. IDEM. *Nico. paulo inferius ibidem.*

De præsulibus diuinarum rerum: qui humanis rebus præsunt, indicare ius non possunt. 5

DEnique hi quibus tãtum humanis rebus non diuinis præesse permissum est: quomodo de his per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus. IDEM. *Idem Nico. in eadem epistolo. ferè continuo.*

Nec etiam imperator iura pontificis, nec pontifex iura regia vsurpet. 6

CVm ad verum ventum est, vltra sibi nec imperator iura pontificatus arripuit: nec pontifex nomen imperatorium vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri: non humana superbia rursus in infernum demergi: & vt Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent: & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & Deo militans, minimè se negocijs secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur qui esset secularibus negocijs implicatus. IDEM. *Idem Nico. ibidem.*

A seculari potestate pontifex prorsus nec solui nec ligari valet. 7

SAtis euidenter ostẽditur à seculari potestate nec solui prorsus nec ligari pontificem: quem constat à Pio principe Constantino (quem longè superius memorauimus) Deum appellatum: cùm nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum sit. Sed & Theodosius minor sanctæ synodo scribens Ephesinæ primæ dixit. Deputatus ergo est Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum transire vsque ad sanctissimam synodum nostram: & in nullo quidem quæ faciẽdæ sunt de pijs dogmatibus quæstiones seu potius expositiones, communicare. Illicitum nanque est eum qui non sit in ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis intermisceri tractatibus. & post pauca. His itaque manifestè repertis apparet comministrum nostrum Ignatium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus expelli: in cuius damnatione quia præsulum quoque assensus est subsecutus, apparet id causa patratum fuisse adulationis, non legitimæ sanctionis. *Idem Nico. ad eũdem Michaelem in eadem epistola.*

IDEM Lodouico imperatori.

Facta

Facta pontificum imperator iudicare non debet. 8

IN scripturis narratur Constantinus imperator dixisse: Verè si proprijs oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui monachali habitu circumamicti sunt, peccâtem: chlamidem meã [a]expoliarem, & cooperirem eũ, ne ab aliquo videretur. In quibus desideratissime fili necessario cõmonemini, vt quemadmodũ fide & religione ac honoris parilitate ei adæquari videmini: ita quoq; humilitate atque deuotione æquiparari nihilominus anheletis: ita vt in nullo inferior eo, sed potior inueniamini post illius exẽpla qui talem se exhibuit ante talia prorsus exempla. Sed hoc quidem diximus cautos vos reddere cupiẽtes: vt si de domini sacerdotibus (qui iure patres animarum dicuntur) aliquid contigerit vos audire quod confusionem pijs mentibus ingerat: non infrunitum, sed pudoratos filios Noë imitantes, paternam de reliquo verecundiam contegatis: vt affluenti (quemadmodum & illi) benedictione repleti (moderante domino) mereamini.

a explicarem

Iuo Carn. lib. 5. de sentẽ. excommuni. refert ex eodem.

ITEM ex epistola Greg. ad Hermannũ Metẽsem episcopũ.

Regum & principum patres & magistri sacerdotes esse censentur. 9

QVis dubitet sacerdotes Christi, regum & principum omniumq; fidelium patres & magistros cẽseri? Nónne miserabilis insaniæ esse cognoscitur si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere: à quo credit non solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solui?

Iuo ibidem refert quæ est Gelasii primi.

ITEM Gelasius papa Anastasio imperatori.

Auctoritas sacra pontificum & regalis potestas huius mundi gubernacula regunt. 10

DVo sunt quippe imperator Auguste quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra pontificum: & regalis potestas. In quibus tanto grauius est põdus sacerdotũ, quanto etiam pro ipsis regiminibus* hominum in diuino sunt reddituri examine rationem. & post pauca. Nosti itaq; inter hæc ex illorum te pẽdere iudicio, non illos ad tuã posse redigi voluntatem. Talibus igitur institutis, talibúsq; fulti auctoritatibus plærique pontificum alij reges alij imperatores excõmunicauerunt. Nam si speciale aliquod de personis principũ requiratur exemplum: beatus Innocentius papa Arcadiũ imperatorem (quia cõsensit vt sanctus Ioãnes Chrysostomus à sua sede pelleretur) excommunicauit. Beatus etiam Ambrosius, licet sanctus, non tamen vniuersalis ecclesiæ episcopus, pro culpa quæ alijs sacerdotibus non adeò grauis videbatur, Theodosium magnũ imperatorem excõmunicans ab ecclesia exclusit: qui etiam in suis scriptis ostendit quòd aurum non tã preciosius sit plumbo, quàm regia potestate sit altior ordo sacerdotalis:

** al. regibus, vel legib. &c.*

dotalis: hoc modo circa principium sui pastoralis scribẽs: Honor fratres & sublimitas episcopalis nullis poterit cõparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati: longè erit inferius quàm si plumbi metallũ ad auri fulgorem compares: quippe cùm videas regũ colla & principum submitti genibus sacerdotum: & osculata eorũ dextra, orationibus eorum credant se communicari, vel muniri. Item Ioannes papa.

Imperatores debent pontificibus subesse, & non præesse. 11

SI imperator catholicus est, (quod salua pace ipsius dicimus) filius est non præsul ecclesiæ. quod ad religionẽ competit, discere ei conuenit, non docere, habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est: & eius beneficijs non ingratus cõtra dispositionem cœlestis ordinis nil vsurpet. Ad sacerdotes enim Deus voluit quæ ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subiectas. Non sibi vindicet alienum ius, & ministeriũ quod alteri deputatum est: ne contra eum contendat abrumpi, à quo omnia constituta sunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam consecutus est potestatem, non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à pontificibus & sacerdotibus omnipotẽs Deus Christianæ religionis clericos & sacerdotes voluit ordinari & discuti, & recipi de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre. IDEM.

De eodem. 12

NVnquam de pontificibus nisi ecclesiam iudicare debere: non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque ecclesiæ principaliter constitutis, pontificibus obsequi solere principes Christianos, decretis ecclesiæ non suam præponere potestatem, episcopis caput subdere principes solitum est: non de eorum capitibus iudicare. IDEM.

De eodem. *Palea.* 13

COnstantinus imperator coronam & omnem regiam dignitatẽ in vrbe Romana, & in Italia, & in partibus Occidentalibus apostolico concessit. Nam in gestis beati Siluestri (quæ beatus papa Gelasius in conci. lxx. episcoporum à catholicis legi cõmemorat, & pro antiquo vsu multas hoc imitari dicit ecclesias) ita legitur.

Sequentia vsque ad cap. 15. sunt notata in manuscri. pro palea. nec glossis, aut notis vllis digna visa.

De eodem. *Palea.* 14

" COnstantinus imperator quarta die sui baptismi priuile-
" gium Romanæ ecclesiæ pontifici contulit, vt in toto orbe
" Romani pontifices vel sacerdotes ita hunc caput habeant, si-
" cut iudices regem. In eo priuilegio ita inter cætera legitur.

Ex edicto Constantini imperatoris.

Ino. lib. 4. de dig. & priuileg. Ro. eccle.

Vtile

nunquam obſcuratur mutatione prouinciæ: decretum eſt ſacris canonibus vt peregrini niſi quinq; vel eo amplius ſuorum epiſcoporum fuerint commẽdati chirographis, nõ ordinẽtur.

VNDE Siluester papa in generali concilio præſidens dixit. *Silueſter in epilogo conci. Roma.*

Niſi quinque epiſcoporum literis deſignatum tranſmarinum hominem ad clericatum nullus ſuſcipiat. 1

NVllus aliqua ratione trãſmarinum hominem penes vos in clericatus gradus ſuſcipiat, niſi quinq; aut eo amplius epiſcoporum deſignatus ſit chirographis.

ITEM Anaſtaſius vrbis Romanæ epiſcopus oĩbus epiſcopis, *Epi. 1. ad Germaniæ & Burgundiæ epiſc.*

De eodem 2

TRanſmarinos homines in clericatus honorem nemo ſuſcipiat niſi quinque, aut eo amplius epiſcoporum chirographis fuerint deſignati: quia per ſurreptionem multa ſolent euenire. ITEM Gregor. Romanæ eccleſiæ præſul Squilitano epiſcopo, *Greg. epi. 25. li. 2. ad Ioannem Squilatinum.*

De eodem. 3

AFros paſſim & ignaros peregrinos ad eccleſiaſticos ordines accedentes nulla ratione ſuſcipias: quia Afrorum alij quidem Manichei, alij rebaptizati ſunt: peregrini verò plurimi in minoribus ordinibus conſtituti fortiores de ſe prætendiſſe honores ſæpe probati ſunt. ITEM ex concilio Elibertano. *Cap. 24.*

Non ſunt promouendi ad clerum qui peregre fuerint baptizati. 4

OMnes qui in peregrinatione fuerint baptizati: eo quòd eorum minimè ſit cognita vita, placuit ad clerum nõ eſſe promouendos in alienis prouincijs.

PATRIARCHIS ET PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPI OBEDIANT.

DISTINCTIO XCIX.

GRATIA.

DE primatibus autem (quorum ſuprà mentionem fecimus) quæritur quem gradum in eccleſia obtineant: an in aliquo à patriarchis differant: quam obedientiam archiepiſcopi eis debeant. Primates & patriarchæ diuerſorum ſunt nominum, ſed eiuſdem officij. Ab archiepiſcopis autem quotiens neceſſe fuerit epiſcopi ad primates appellant: ſed à primatibus ad archiepiſcopos appellare non licet. debent ergo obedientiam primatibus archiepiſcopi in omnibus quæ ſibi fuerint ab eis iuſtè imperata.

VNDE Anacletus papa ait.[a] *Epi. 2. ad epi. Italiæ.*

Quæ obedientia ſit exhibenda primatibus & patriarchis. 1

PRrouinciæ multo ante Chriſti aduentũ tẽpore diuiſæ ſunt maxima ex parte: & poſtea ab apoſtolis & beato Clemẽte prædeceſſore noſtro ipſa diuiſio eſt renouata in capite omniũ prouinciarũ, vbi dudum primates erant legis ſæculi, ac prima iudicaria poteſtas: ad quos qui per reliquas ciuitates cõmorabantur,

a Hæc epiſtola falſo effectu eſt Anacleti, vt in præfatione monui. In veteri libro diſcribitur ex vita beati Gregorij Papæ.

bantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorũ vel regũ confugere non poterãt, vel quibus permissum non erat: confugiebant pro oppressionibus eorum, vel iniustitiis suis, ipsosque appellabant quotiens opus erat. sicut in lege eorum scriptũ erat. ipsis quoq; in ciuitatibus vel locis nostros patriarchas vel primates qui vnam formã tenẽt, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & ecclesiasticæ poni & esse iusserunt: ad quos episcopi (si necesse fuerit) confugerẽt, eosque appellarẽt: & ipsi nomine primatum fruerẽtur. Reliquę verò metropolitanæ ciuitates quæ minores iudices habebãt, licet maiores comitibus* essent: haberent metropolitanos suos, qui prædictis iustè obedirẽt primatibus: sicut in legibus sæculi olim ordinatũ erat: qui non primatum, sed aut metropolitanorũ aut archiepiscoporum nomine fruerentur. ITEM Anitius.

* comitatibus.

Anicetus pa. ad episc. Galliæ. 2. pars.

Non vocentur primates, nisi qui primas sedes tenent. 2

NVlli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas sedes tenent: quarum episcopos apostoli eorumque successores regulariter patriarchas vel primates esse constituerunt: nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit præ multitudine primatem constitui. Reliqui metropolitani nominentur qui alias metropoles tenent.

Ca. 26. con. Cartha. 3.

ITEM ex concilio Africano.

Princeps sacerdotum vel summus sacerdos non appelletur nisi primæ sedis episcopus. 3

PRimæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotũ, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantùm primæ sedis episcopus. Vniuersalis autem nec etiam Romanus põtifex appelletur. VNDE Pelagius omnib' episcopis.

3. pars. Pela. pa. 2. ad omnes episcopos.

Nec etiam Romanus pontifex vniuersalis est appellandus. 4

NVllus patriarcharum vniuersitatis vocabulo vnquam vtatur: quia si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cęteris derogatur: sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam etiam suis in epistolis vniuersalẽ nominet: ne sibi debitũ subtrahat: cũ alteri honorẽ infert indebitũ. ITEM Greg. Eulogio patriarchę Alexãdrino.

Greg. epist. 30. li. 7. ad Eulogium episc.

De eodem. 5

ECce in præfatione epistolæ quam ad meipsum qui prohibui direxistis: superbæ appellationis verbum vniuersalem me papam dicẽs imprimere curastis: quod (pero) mihi dulcissima sanctitas vestra vltrà non faciat: quia vobis subtrahitur quod alteri plus quàm ratio exegit præbetur. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec honorem esse deputo in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus

nanque

nanque est honor, vniuersalis ecclesiæ: meus honor est frattum meorum solidus vigor. Tunc ego honoratus sum, cùm singulis quibúsq; honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum: sed absit hoc: recedant verba quæ vanitatẽ inflant, & charitatem vulnerant.

PALLIVM EPISCOPIS NECESSARIVM. DISTINCTIO C.

EPiscopos autem ordinare ante pallium acceptũ, nec archiepiscopo, nec primati, nec patriarchæ licet. Quod ex auctoritate Pelagij papæ (licet minus euidẽter) datur intelligi. Ait enim Pelagius papa. *Iuo Carn. li. 3. de consecra. episcoporum refert.*

Intra tres menses fidem suam exponere, & pallium postulare à Romana ecclesia quisque metropolitanus studeat. 1

QVoniam quidam metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctæ sedi apostolicæ exponere detrectantes, vsum pallij neque expetunt neque percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio viduatis ecclesijs non sine periculo protelatur: placuit vt quisquis metropolitanus vltra tres menses consecrationis suæ ad fidem suã exponendam, palliumque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit: commissa sibi careat dignitate: sitque metropolitanis alijs licentia post secũdam & tertiam commonitionẽ viduatis ecclesijs cum concilio Romani põtificis ordinãdo episcopum subuenire. Si verò consecrandi episcopi negligentia prouenerit, vt vltra tres menses ecclesia viduata cõsistat: communione priuetur quousq; aut loco cedat, aut se consecrãdum offerre nõ differat. Quòd si vltra quinq; menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam, neque ibi neq; alibi consecrationis donum percipiat, immò metropolitani sui iudicio cedat. ITEM Gregorius papa Brunichildæ reginæ. *Epist. 5. lib. 7.*

Honor pallij non detur nisi meritis exigentibus, & fortiter postulãti. 2

PRisca consuetudo obtinuit, vt honor pallij nisi exigentibus causarum meritis & fortiter postulanti dari non debeat. *2. pars.*

IDEM Ioanni Corinthiorum episcopo. *Idem Greg. epi. 55. siue ca. 99. lib. 4.*

Palea. 3

NOuit sanctitas tua quia prius pallium nisi dato cõmodo non dabatur: quod quia incongruum erat, facto concilio ante corpus Petri apostolorum principis, tam de hoc quàm de eorum ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo vt neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationibus aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Causarum verò merita accipienda sunt, vt & is qui postulat mereatur accipere, & fidei suæ professionem prius iuramento confir- *3. pars.* *GRATIA.*

confirmet: & apostolicis decretis atque synodalibus statutis ,,
se obediturum, nihilominus caueat. Pallio autem non nisi ,,
diebus. certis temporibus * & intra ecclesiam ad missarum solennia ,,
cuiquam metropolitano vti liceat. ,,

VNDE Ioánes episcopus Gilberto Agrippinési episcopo. ,,

Nisi post consuetam fidei professionem pallium dari non debet. 4

OPtatum tibi pallium nunc cóferre nequiuimus: quia fidei tuæ paginam minus quàm oporteat cótinere reperimus: cum videlicet nullam in ea sanctarum vniuersalium synodorum, in quibus fidei nostræ symbolum continetur, nec decretalium pontificum Romanorú constitutorum secundú moré feceris mentionem. Sed nec illam propria subscriptione munieras: ne aliquem qui hanc iureiurando firmaret miseras.

Epist.111.lib.7. ITEM Gregorius Aregio episcopo Francorum.

Qui pallium desiderat accipere, prius à se amouere illicita promittat. 5

IN ea synodo quam contra simoniacam hæresim per fratré & coepiscopum nostrum Syagrium decreuimus cógregari sanctitatem vestram volumus interesse. atque eidem fratri ita pallium quod trásmisimus tribui, si prius se promiserit illicita quæ prohibuimus per diffinitioné synodi, à sancta ecclesia remouere: de qua synodo omnem nobis subtiliter ordiné tuam fraternitatem volumus scriptis discurrétibus nunciare: vt ipse cuius nobis sanctitas valde experta est, nos reddat de omnibus certiores. IDEM Vigilio episcopo Arelatensi.

Idem Greg. Virgilio epist. 51. lib. 4.

Non nisi ad missarum solennia archiepiscopo vti pallio licet. 6

PAllium tibi transmisimus, quo fraternitas tua intra tuam ecclesiam ad sola missarum solennia vtatur.

4. pars.

ITEM Ioanni Rauennati archiepiscopo.

Idem Greg. epi. 54. seu cap. 93. lib. 2.

De eodem. a *Palea.* 7

a deest in meo manuscri.

NOn multum temporis interuallum est, quòd quædá nobis de tua fraternitate fuerunt nunciata: de quibus veniéte illuc Castorio notario sanctæ ecclesiæ, cui deo auctore præsidemus, subtiliter nos iudicasse meminimus. peruenerat náque ad nos quædá in ecclesia vestra contra vtilitaté ecclesię, & consuetudinis tramitem geri: quæ sola (vt bene nostis) est officij sacerdotalis ereptio. Quæ si sapientia vestra vel mansuetè, vel cum episcopali suscepisset studio: non de illis accendi debuerat, sed oportuerat hæc eadem cum gratiarum actione corrigere. IDEM Ioanni archiepiscopo Rauennati.

Idem Greg epis. 54 lib. 2. ibidé continuò.

De eodem. 8

COntra morem quippe ecclesiasticum est, si non patientissimè toleratur (quod à vobis absit) etiam iniusta correctio. & infra. Illud frater charissime non putamus tibi ignotum, quòd pené de nullo metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra missarum tempus vsum sibi pal-

lij

lij vendicasse: & quòd bene hanc consuetudinem generalis ecclesiæ noueritis, vestris nobis manifestissimis significastis epistolis, quibus præceptum prædecessoris nostri Ioannis papæ nobis in subditis transmisistis annexum, continens omnes consuetudines ex priuilegio prædecessorum nostrorum concessas vobis, vestræque ecclesiæ debere conseruari. confitemini igitur esse aliam generalis ecclesiæ consuetudinem, postquam ea quæ geritis, vobis ex priuilegio vendicatis. Nulla ergo nobis in hac re (vt arbitramur) poterit remanere dubietas. aut enim mos omnium metropolitanorum etiam à tua est fraternitate seruandus: aut si tuæ ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum, præceptúmve à prioribus Romanæ vrbis pontificibus: quòd hæc Rauennati ecclesiæ sint concessa, à vobis oportet ostendi. Quod si hoc non ostenditur, restat postquam talia agere neque consuetudine generali, neque priuilegio vendicas: vsurpasse te comprobes quod fecisti. & infra. Decorari pallio nolumus, forsan moribus indecori: dum nihil in episcopali ceruice splendidius fulgeat quàm humilitas. Oportet ergo fraternitatem tuam si honores suos sibi quibuslibet argumentis stabili proposuit mente defendere: aut generalitatis vsum ex non scripto sequi, aut ex scriptis priuilegiis se tueri. Quòd si postremo nihil horum est aliis metropolitanis huiusmodi te præbere nolumus præsumptionis exemplum.

,, Priuilegia quoque semper cum vsu pallij debent concedi.

,, VNDE idem Gregor. Syagrio episcopo Augustudinensi. 5. pars.

Cum vsu pallij aliqua priuilegia debent concedi. 9 GRATIA.

RAtionis ordo omnino nos admonet vt cum vsu pallij aliqua priuilegia largiri debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque solicitudinis debet excrescere: vt cultui vestium, actionis quoque ordinamenta conueniant: oportet vt enixius in cunctis studiis se vestra fraternitas exerceat: & circa subiectorum actus sit cura vigilans. Epist. 12. lib. 7.

IDEM Ioanni episcopo primæ Iustinianæ Illyricæ. Epist. 15. seu ca. 59. lib. 4.

Vsus pallij concedatur: & antiqua priuilegia innouentur. 10

PAllium[a] vobis ex more trāsmisimus: & vices vos apostolicæ sedis agere, iterata innouatione decreuimus.

a Vide Nouellā Iustiniani de Archiepiscopo Iustinianæ primæ.

IDEM episcopis Epiri. Epist. 7. seu ca. 107. lib. 5.

De eodem. 11

SCriptorum vestrorum insinuatio fratres charissimi patefecit Andream Nicomedianæ ciuitatis episcopum deo propitio solenniter ordinatum: cui pallium nos direxisse cognoscite: atque priuilegia cuncta concessisse, quæ prædecessores nostri eius prædecessoribus contulerunt.

IN VNA PROVINCIA DVO NON SINT METROPOLITANI.

DISTINCTIO CI.

GRATIAN. Cap. 2. IN vna autem prouincia duo metropolitani esse non debent: sicut in Chalcedonensi concilio legitur statutum esse.

Duo metropolitani in vna & eadem prouincia esse non debent. I

PEruenit ad nos quòd quidam præter ecclesiasticas ordinationes affectantes potentiam, per pragmaticum sactum vnam prouinciam in duas diuidant: ex hoc inueniantur duo metropolitani episcopi in vna eademq; prouincia esse. statuit ergo sancta synodus deinceps nihil tale attentari à quolibet episcopo: eos verò qui aliquid tale tentauerint, cadere de proprio gradu.

GRATIA. Hactenus de electione & ordinatione catholicorum clericorum tractauimus. Nunc ad simoniacorum ordinationes transeamus. Et vt facile liqueat quid super hac hæresi sanctorum patrum decreuit auctoritas, causa deducatur in medium: cuius negocium & de scienter à simoniacis ordinatis, & de ignoranter à simoniacis consecratis, & de ordinationibus quæ per pecuniam fiunt, contineat.

SECVN-

SECVNDA PARS DECRETORVM QVAE CAVSAS COMPLECTITVR TRIGINTASEX, INTERMIXTO DE POENITENTIA TRACTATV, IN SEPTEM DISTINCTIONES DIVISO.

QVIDAM habens filium obtulit eum ditissimo cœnobio, exactus ab abbate & à fratribus decem libras soluit vt filius susciperetur: ipso tamen (beneficio ætatis) hoc ignorante: creuit puer: & per incrementa temporum & officiorum ad virilem ætatem & sacerdotij gradum peruenit: exinde suffragantibus meritis in episcopum eligitur: interueniente obsequio & paternis precibus, data quoque pecunia cuidam ex consiliariis archiepiscopi, consecratur iste in antistitem, nescius paterni obsequij, & oblatæ pecuniæ. procedente verò tempore nonnullos per pecuniam ordinauit: quibusdam verò gratis benedictionem sacerdotalem dedit. tandem apud metropolitanum suum accusatus & conuictus sententiam in se damnationis accepit. GRATIA.

Hinc primùm quæritur, an sit peccatum emere spiritualia? *quæst.* 1.

Secundò, an pro ingressu ecclesiæ sit exigenda pecunia? vel si exacta fuerit, an sit persoluenda? *quæst.* 2.

Tertiò, an ingressum vel præbendas ecclesiæ emere sit simoniacum? *quæst.* 3.

Quartò, an sit iste reus criminis quod eo ignorante pater admisit. *quæst.* 4.

Quintò, an liceat ei esse in ecclesia, vel fungi ea ordinatione quam paterna pecunia est assecutus? *quæst.* 5.

Sextò, an illi qui ab eo iam simoniaco ignoranter ordinati sunt, abiiciendi sint, an non? *quæst.* 6.

Septimò, si renuncians suæ hæresi sit recipiendus in episcopali dignitate, vel non? *quæst.* 7.

QVAESTIO PRIMA.

SPIRITVALIA EMERE NON LICET NEC VENDERE.

QVod autem spiritualia emere peccatum sit, probatur multis auctoritatibus. AIT enim Leo papa.

Simoniaci gratiam non præstant, quam vendere quærunt. 1

GRatia si nō gratis datur vel accipitur, gratia nō est. Simoniaci autem non gratis accipiunt. igitur gratiā quæ maximè in ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si aūt non

non accipiunt, non habẽt, si autem non habent, nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant? profecto quod habent. Quid habent? spiritum vtique mẽdacij. Quomodo hoc probamus? quia si spiritus veritatis (testante ipsa veritate, de qua procedit) gratis accipitur: proculdubio spiritus mẽdacij esse cõuincitur qui nõ gratis accipitur vel datur.

Epist. 110. li. 7

ITEM Gregorius Syagrio episcopo Augustudunensi.

Inaniter sacerdos dicitur, quicunque simoniacè ordinatur. 2

QVicunque studet per precij dationem sacrum ordinem accipere, sacerdos non est: sed inaniter tantummodo dici non concupiscit. ITEM in regesto.

Spolietur honore qui ecclesiam per pecuniam obtinet. 3

PResbyter si per pecuniam ecclesiam obtinuerit: non solum ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotij honore spolietur: quia altare, & decimas, & spiritum sanctum emere vel vendere, simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat.

De eodem. 4

BEnedictio illi in maledictionem conuertitur, quid ad hoc vt fiat hæreticus promouetur. ITEM in eodem.

Partem habebit cum Simone, qui contra simoniacos vehementer non exarserit. 5

QVisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc vt fiat hæreticus promouetur. Quisquis ergo cõtra simoniacam & Neophytorum hæresim pro officij sui loco vehementer non exarserit: cum eo se non dubitet habiturum portionem qui prius commisit hoc piaculare flagitium. ITEM Gelasius papa.

Gela. pa. 1. cap. 26. epist. ad episcopos Lucaniæ. Ex ma. Iuo.

Simonis damnatio pariter dantem & accipientem inuoluit. 6

QVos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse precio dignitatem, conuictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes: quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis (quam sacra lectio testatur) inuoluit. ITEM Ambrosius in lib. pastorali.

Anathematis sententia damnatur, qui simoniacè ordinatur. 7

REperiuntur quam plurimi negociatione muneris mercari velle gratiam spiritus sancti, dum illi preciũ donant vt pontificalis ordinis sublimitatem accipiant obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia existimasti donum dei posse pecunia possideri. Proinde quia & vsitatũ est tantũ malũ, & maiorũ extat frequẽter mucrone succisum: nos quoque huic vulneri cãcroso igni tum (quod superest adhuc) iniicimus ferrum, decernẽtes omnino vt quicuque deinceps pro accipiẽda diuini dignitate doni quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse: ex eodem tẽpore se nouerit anathematis opprobrio condẽnatum, atq; à participatione corporis & sanguinis Christi alienũ, ex quo illum

Actuum 8.

lum

lum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis eius accusator extiterit: ille qui hunc ordinem munerum fuerit datione lucratus: & suscepto honoris gradu priuetur, & in monasterio sub perenni pœnitentia retrudatur. Illi verò qui hac causa muneru acceptores extiterint si clerici fuerint, honoris sui amissione mulctētur: si verò laici, perpetuo anathemate condēnentur. ITEM ex cōcilio Chalcedon. Cap. 2.

Damnatur episcopus qui per pecuniam ordinationem facit. 8

SI quis episcopus per pecuniam ordinationē fecerit, & precio redegerit spiritus sancti gratiam, quæ vēdi non potest: ordinaueritque per pecuniam presbyterum aut diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in clero, promouerit: & dispensatorem aut defensorem vel quemlibet qui subiectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri cōmodo: is qui hoc attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione quæ est pro negotiatione facta proficiat: sed sit alienus à dignitate vel solicitudine quā pecuniis acquisiuit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit: si quidem clericus fuerit, à proprio gradu decidat: si verò laicus, anathematizetur. ITEM ex octaua synodo.

A sacerdotio est alienus qui per pecunias ordinat vel ordinatur. 9

QVi per pecuniam quenquam consecrauerit, vel ab alio consecratus est: alienus à sacerdotio fiat.

ITEM Calixtus papa.

Nec ordinari nec promoueri in ecclesia dei per pecuniā aliquis valet. 10

SAnctorum patrum exempla sequentes, & officij nostri debito innouantes, ordinari quemquam per pecuniam in ecclesia dei vel promoueri, auctoritate sedis apostolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis verò in ecclesia ordinationē vel promotionem taliter acquisierit: acquisita prorsus careat dignitate. ITEM Gregorius Nazianzenus.

De eodem. 11

QVi studet donum dei precio mercari, in sacro ordine nulla ratione de cætero permanere, aut reuocari posse dubium non est. talis à communione omnibus modis abscindatur. Nam spiritus sancti donū precio cōparari, quid aliud est quàm capitale crimē, & simoniaca heresis? quod quàm detestabiliter in vtroque testamento vindicatum sit, multorum exemplis facile apparet: Giezi enim quia gratiā sanitatis Naaman Syro vendidit: eandem gratiam sanitatis Heliseo vindicante, leprosus factus amisit. Iudas qui omnium redēptorem vendidit: mox laqueo suspēsus, eandem redemptoris gratiam non obtinuit, & meritò: quia nemo potest retinere quod vendidit. Simon etiam magus cum eandem spiritus sancti gratiam

tiam emere vellet, damnationis sententiam à Petro audiuit: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia donū dei existimasti pecunia possideri. Dominus etiam vt vendentes & ementes huius gratiæ expertes ostenderet, cūctos alios peccatores per gratiam in tēplo dimisit: singulariter vendentes & ementes increpans & flagellans de tēplo eiecit, in quo venditores & emptores suos gratia spiritus sancti cōstat destitutos esse & vacuos. Quos enim Christus eiecit de templo, nunquam spiritus Christi sibi faciet tēplum. ITEM Gregorius.

Simoniaci sacerdotes esse non possunt. 12

QVicunque sacros ordines vendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt, vnde scriptum est: Anathema danti, anathema accipienti: hoc est simoniaca hæresis. Quomodo ergo si anathematizati sunt & sancti non sunt: sanctificare alios possunt? & cùm in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere vel accipere possunt? Qui maledictus est, quomodo benedicere potest? IDEM.

Greg. epi. 110. lib. 7. ad Syagrium.

De eodem. 13

CVm liqueat hanc hæresim ante omnia radice pestifera surrepsisse, atq; in ipsa origine sua apostolica esse detestatione damnatã: cur non cauetur? cur non perpenditur? quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, quia ad hoc vt fiat hæreticus promouetur. ITEM Ambrosius de ministerijs.

Ambr. ca. 5. li. de dignitate sacerdotali.

Qui precio ordinat, lepram, non officium confert. 14

CVm ordinaretur episcopus, quod dedit aurum fuit: quod perdidit anima fuit. cùm alium ordinaret: quod accepit, aurum fuit: quod dedit, lepra fuit. IDEM.

Ambros. ibidem

De eodem. 15

GRatiam cùm ordinareris, non suscepisti: quia gratuitò eam non meruisti. ITEM idem de Giezi.

Ambr. ad ca. 4. Luca. li. 4. in commentariis.

De eodem. 16

CItò turpem sequitur lepra mercedē: & pecunia malè quæsita corpus animamque commaculat. Vides quia facto auctoris successio dãnatur hęredis. Inexpiabilis est enim culpa vēditi ministerij, & vindicta gratiæ cælestis trãsit in posteros.

Denique Moabitæ & cæteri non intrabãt ecclesiam dei vsque in tertiam & quartam generationem. tandiu videlicet (vt simplicius interpretemur) donec culpam auctorū, multiplicis successio generationis aboleret. Sed cùm illi qui in deum idololatriæ errore deliquerunt, in tertiam & quartam generationem videantur esse mulctati: profecto durior esse videtur sententia qua Giezi semen vsque in æternum pro cupiditate habendi prophetica auctoritate damnatur: præsertim cùm dominus Iesus Christus per lauacri regenerationē omnibus remissionem dedit peccatorū. Cur ergo Giezi semen in æternū dam-

Deut. 24. 6. Nee. 13. a. Mat. 28. d

damnatur? nisi vt vitiorũ magis quàm generis semen sectatores intelligas. sicut enim qui filij promissionum sunt, existimantur in semen bonũ. ita etiam qui erroris sunt, existimãtur in semen malum. Nam & Iudæi ex patre diabolo sunt, non vtique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes auari, Giezi leprã cum diuitijs suis possident, & malè quæsita mercede non tã patrimonij facultatem, quàm thesaurũ criminũ cõgregauerunt æterno supplicio, & breui fructu. *Ioan. 8. f*

„ Quia ergo auctoritate Leonis papæ, simoniaci, nõ nisi spiritum mendacij accipiũt: secundũ Gregoriũ apud simoniacos sacerdotium non subsistit: benedictio eorum in maledictionẽ cõuertitur, apud eos manet anathema danti & accipiẽti, cùm sancti non sint, nec in Christi constituti corpore, cùm sint maledicti, nec sanctificare alios possunt, nec corpus Christi tradere vel accipere, nec benedicere alijs valent: secũdum Ambrosium verò anathematis opprobrio condemnantur, atque à participatione corporis & sanguinis Christi alienantur, cùm accipiatur aurum, & lepra detur: cùm inexpiabilis sit culpa venditi ministerij: secundum Chalcedonẽse concilium ex tali ordinatione nihil proficere iudicantur: secundum Gelasium Simonis damnatione inuoluuntur: secundũ Gregoriũ Naziáz. in sacro ordine permanere, aut renouari nulla ratione possunt: ab Helisæo lepra perfunduntur: à Petro in perditionem damnantur, à Christo verò de templo eijciuntur: quid aliud simoniacus simoniaco in sua ordinatione potest cõferre, nisi quod Innocentius de cæteris hæreticis testatur, dicens. *2. pars. GRATIANI*

Inno. pri. epi. 18 ad Alexandrũ episcopum.

Qui spiritum perfectionem non habent, ipsam dare non possunt. 17

QVi perfectionem spiritus sancti quam acceperant, perdiderunt, non dare eius plenitudinem possunt: quæ maximè operatur in ordinationibus: quam per suam perfidiam perdiderunt. Et iterum. Qui honorem non habuit, honorem dare non potuit: nec aliquid ille accepit, quia nihil erat in dante: sed damnationem quam habuit, per prauam manus impositionem dedit. *Idem epist. 22. ad episcopos Macedoniæ.*

Idem ad Rufum & Eusebium.

Simoniacus per prauam manus impositionem non benedictionem, sed damnationem præstat. 18 *Idem in Ibidem.*

VEntum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem, cùm nos dicimus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionẽ habere caput. vbi vulnus infixum est, medicina est adhibenda qua possit recipere sanitatem: quæ sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit: atque vbi pœnitẽtiæ remediũ necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere nõ posse decernimus. nam (sicut legitur, qui tetigerit immundũ,

im-

immundus erit) quomodo ei tribuetur quod mūditia & puritas consueuit accipere? Sed econtra asseritur eum qui honorem amisit, honorem dare non posse: nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est certe, quia quod non habuit, dare non potuit: damnationem vtique quam habuit, per prauam manus impositionem dedit, & qui particeps factus sit damnationis: quomodo honorem debeat accipere, inuenire non possum: Sed dicitur vera & iusta legitimi sacerdotis benedictio auferre potest omne vitium quod à vitioso fuerat iniectum. ergo si ita est, applicentur ad ordinationē sacrilegi, atque omniū criminū rei, quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. nullus pœnitentiæ locus sit: quia potest id præstare ordinatio quod longa satisfactio præstare consueuit. Sed nostræ lex ecclesiæ venientibus ab hæreticis qui tunc illic baptizati sunt, per manus impositionē laicam tantummodo tribuere communionem consueuit, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum surrogare.

Leuit. 15.

3. pars GRATIANI

Sed obiicitur: alij hæretici à fide exorbitāt: simoniaci autē etsi gratiam spiritus sancti venalem putant, tamen à fide alieni non sunt: atque ideo quod ab Innocentio de cæteris hæreticis decernitur, non valet de his consequenter intelligi.

His ita respōdetur: Simoniaci etsi fidē tenere videātur, infidelitatis tamen perditione subiiciuntur.

VNDE beatus Ambrosius in lib. j. de pœnitentia ad Nouatianum scribit, dicens.

Amb. ca. 4. li. 2 de pœnit. aduersus Nouatianos.

Simoniaci fidei integritatem non habent. 19

PEtrus cum Simon magicę artis cōsuetudine deprauatus putasset quòd gratiam Christi per impositionem manus, & infusionem spiritus sancti pecunia compararet, ait: Non est tibi sors neque pars in hac fide, quia cor tuum non est rectum apud deum. Vides quod hunc magica vanitate blasphemantē in spiritum sanctum apostolica auctoritate condemnat: & eo magis, quòd puram conscientiam fidei non habebat.

Acto. 8. b.

ITEM Gregorius in regesto.

Greg. epi. 53. li. 9. ad Theodoricum regem Francorum.

Simoniacus infidelis esse probatur. 20

CVm omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc, & maximè in dandis ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subiicitur, etiam si tenere fidem verbis (quam negat facto) videatur.

Coloss. 3. a

GRATIANI

ITEM ex epistola Tharasij Constantinopolitani episcopi, missa papæ Hadriano.

Simoniacorum hæresis cæteris damnabilior esse probatur. 21

EOs qui per pecunias manus imposuerunt vel imponūt, Petrus diuinus apostolus cuius cathedram sortita est sanctitas vestra,

vestra, tanquam Simonem magum deponit. Tolerabilior est enim Macedonij & eorum qui circa ipsum sunt spiritus sancti impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam & seruum Dei patris & filij spiritum sanctum delyrando fatentur, isti verò spiritum sanctum efficiunt suum seruum. Omnis enim dominus quod habet si vult vendit, siue seruum, siue aliquid aliud eorum quæ possidet. Similiter & qui emit, dominus eius volens esse quod emerit, per precium pecuniæ illud acquirit. Ita & hi qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt spiritui sancto: æqualiter peccantes his qui blasphemauerunt dicentes Christum in Beelzebub eiicere dęmonia, *Matth. 12.b* atque (vt verius dicamus) Iudæ comparantur proditori, qui *Matth.26.b* Iudæis occisoribus Christum vendidit. Cùm ergo spiritus sanctus consubstantialis sit Christo, eiusdem ipsi portionis erunt. & proculdubio in eis non est gratia spiritus sancti, id est sacerdotij sanctitas: nam quod non acceperunt, non habent, Ait enim Petrus Simoni: Non est tibi pars neque sors in *Acto.8.b* sermone isto, quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Nam & vicesimus nonus canon sanctorum apostolorum, & actus eorundem, & tertius & quartus liber Regum alienum omnino à sacerdotio pronunciant eum qui aliquando dederit vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, siue ante manus impositionem siue post. Accipere enim est quandocunq; accipere. ITEM ex concilio Bracharensi ij. *Cap. 3.*

Et qui dat, & qui accipit vt ordines sacri præstentur, anathema sit. 22

PLacuit vt de ordinatione clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed (sicut scriptum est) quod gratis donante *Matth.10.c* Deo accipiunt, gratis dent: non aliquo precio Dei gratia & impositio manuum venundetur: quia antiqua diffinitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti & accipienti. Propterea enim quia multis sceleribus aliquanti obruti sancto altario indignè ministrantes, non hoc testimonio bonorum operum, sed profusione munerum obtinent, oportet non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium clericos ordinare.

„ Ex illa auctoritate beati Ambrosij & Gregorij patet, quod *GRATIA.*
„ simoniaci (sicut & alij hæretici) à fide exorbitant: & ideo con-
„ sequenter de illis intelligitur quod de aliis decernitur. Item
„ opponitur quòd prophetia donum spiritus sancti est, hoc au- *4.pars.*
„ tem in veteri testamento à sanctis prophetis vendi consueue-
„ rat. Vnde Saul ad Samuelem pro vaticinio expetendo non ni- *1.Reg.9.a*
„ si cum munere ire præsumpsit. Vxor etiam Hieroboam ad *3.Reg.14.a*
„ hominē Dei non nisi cum munere accessit. Item Christus à *Luc.22.c*
„ Iuda venditus, auriculā serui sanauit. Exēplo itaque Saulis &

vxoris Hieroboam patet quòd donum spiritus sancti emere vel vendere non est peccatum. Exemplo Christi liquet quòd spiritus sanctus etsi iniustè à simoniacis venalis putetur, virtutis tamen suæ gratiam non obliuiscitur, nec desinit effectū suæ gratiæ etiam venditus præstare. Sed de prophetia beatus

Hiero. ad locum Michea 3. Audite hæc principes Hieronymus in Micheam competenter soluit, malos tantùm accepisse, & non bonos denuncians.

Mali prophetæ, non boni prophetiam vendebant. 23

Mich. 3. d IVdices, inquit, eius in muneribus iudicabāt, sacerdotes eius in mercede respondebant: & prophetę eius in pecuniis diuinabant, & super dominum requiescebant, dicētes: Nónne dominus est in nobis? Non venient super nos mala. Idcirco propter vos Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem vt custodia pomarij erit. Nemo ambigat Hierusalem propter scelera quę in hoc capitulo leguntur, fuisse subuersam. Et paulò post. Poterat Petrus Simoni mago vendere quod petebat, imò poterat simulare vendentem: spiritus enim sanctus, nec vendi, nec emi potest: sed oblatam pecuniam cum offerente damnauit.

Acto. 8. d Nec quenquam moueat illud quod in primo Regum libro legimus Saulem volentem ire ad Samuelem dixisse puero suo, ad eum se ire non posse, quia precium quod offerret pro vaticinio non haberet: & puerum respondisse: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli pecuniæ. Hāc dabo viro Dei, & annunciabit nobis viam nostram. Non enim scriptu est quòd Samuel acceperit, aut quòd illi obtulerint: quin potius pascuntur à propheta. Sed fac eum accepisse. stipes magis æstimandę sunt tabernaculi, quàm munera prophetæ. Siclus enim viginti obolos habet, & quarta pars sicli quinque sunt oboli. Et nostri ergo sacerdotes si volunt vendere prophetiam, & colūbas in cathedris suis proponere quas dominus flagello subuertit: quinque tantùm obolorum sint mercede contēti. qui vtinam non precia villarum, sed quinque obolos acciperent. Hoc ipsum sonat & in tertio regnorum libro, quòd vxor Hieroboam infirmante filio, pergit ad Achiam hominem Dei, & defert ei decem panes, & crustulā, & vas mellis: quia hæc magis in sumptum prophetæ, quàm muneri prophetiæ reputanda sunt: licet potuerunt hi qui ad ariolos ire consueuerant, ex mala eorum cōsuetudine idipsum existimasse etiam de prophetis: & voluisse sanctis viris offerre, quod diuinis offerre consueuerant. Vnde in quarto libro Regum legitur, quòd Helisæus venit ad Damascum, & Benadab rex Syrię ægrotabat, annunciaueruntque ei dicentes: Venit vir Dei huc. Ait rex ad Azaelem: Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule dominum per eum dicens: Si euadere de infirmitate hac potero? Iuit igitur Azael in occursum eius, habens

Margin notes: 1. Reg. 9. — Ezec. 45. d — Ioan. 2. c — 3. Reg. 14. c — 4. Reg. 8. b

habēs secum munera & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Sed non est credendum accepisse: sicut de eodem Elisæo legitur quòd Naaman mundatus à lepra obtulit ei munera, dicens: Obsecro te vt accipias benedictionem à seruo tuo. At ille respondit: Viuit dominus ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquieuit. IDEM in eodem. *Ibidem 5. e*

Idem Hiero. ad ca. Michea. 3.

Quòd diuinatio in bonum non accipitur. 24

NVnquam diuinatio in bonam partem accipitur. Videbantur quidē sibi esse prophetæ: sed quia pecuniam accipiebant, prophetia eorum facta est diuinatio.

Cùm ergo secundum Hieronymum boni prophetæ non munera prophetiæ accipiebant, sed stipes tabernaculi, mali autem quia accipiebant, prophetiam quæ Dei erat donum, in diuinationem quæ diabolica est, conuertebant: quid aliud colligitur nisi quòd in simoniacis (quod superius dictum est) nulla spiritualis gratia cooperatur? Cùm enim in sacramentis neque qui plantat, neque qui rigat, sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus: quis operatur in eis si dominus qui incrementum dat, in eis non lucet, sed est ociosus? *GRATIAN.* *1. Cor. 3. b*

Item, quod dicitur de Christo, quòd sicut Christus venditus auriculam restituit Malcho, & fecit miracula: sic & spiritus sanctus possit vendi, & in ipsa venditione suam gratiam operari: non valet hæc similitudo. Non enim operatur spiritus sanctus spiritualiter in perfidis mercimoniis auaritiæ, quod Christus gessit corporaliter certi mysterij causa ad exēplum patiētiæ. Si enim omnifaria est similitudo: cùm credatur posse vendi, sicut Christus credatur etiam spiritus sanctus posse crucifigi, quod impossibile est. Potest etiam intelligi (vt à similitudine non recedamus) quod sicut Christus venditus non venditori vel ementi: sed eis qui nescientes aderant, dona suæ gratiæ contulit, pro quibus etiam in cruce supplicauit: sic & spiritus sanctus non vendenti vel ementi, sed his qui de manibus eorum ignorantia ducti, sacramenta dominica accipiunt, suæ gratiæ effectum largiri probatur. Item obiicitur quòd etsi malum sit ecclesiastica emere, tamen sæpe sinistra principia ad fœlices perueniunt exitus. Vt enim Iacob per supplantationem peruenit ad benedictionem: vt seges quæ leprosa manu seritur, munda tamen metitur, vt ex adulterino concubitu pulchra soboles nascitur: sic & pecunia quæ per simoniam acquiritur, fœlicem habet exitum cum pauperibus profutura erogatur. Sed nihil horum simoniacis patrocinatur. *Luc. 22 e* *Ioan. 18. b* *Luc. 23. e* *Gen. 27. f*

AIT enim Leo episcopus ad Mauros episcopos. *Leo pa. 1. epist. 85. ad episcopos Africa.*

Quæ malo inchoantur principio, non peraguntur bono exitu. 25

PRincipatus quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit: etiam si morib⁹ aut actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo. Et difficile est vt bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio.

Epist.47.lib.7. ITEM Gregorius Antiocheno episcopo.

Non superædificatur bonum opus vbi Christus fundamentum non est. 26

1.Cor.3.c CVm Paulus dicat: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: consequenter probatur, quia vbi Christus non est fundamentum, nullius boni operis est superædificium.

ITEM Syagrio episcopo.

Idem Greg Epi. 110.lib.7. *Non potest fieri eleemosyna ex pecunia simoniacè acquisita.* 27

NOn est putanda eleemosyna si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur: quia qui hac intentione mala accipit vt bene dispenset, grauatur potius quàm iuuetur. Vnde etiam certum est quia etsi monasteria vel xenodochia, vel quid aliud ex pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur: non proficit mercedi. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeam⁹ accipere, prohibet scriptura dicens: Hostiæ impiorum abominabiles sunt domino, quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hunc rursum scriptū est: Honora Deum de tuis iustis laboribus. Qui ergo malè tollit, vt quasi bene præbeat: constat quia sine dubio dominum non honorat.

Prou.21.d

Ibidem 3.b

Eccle.34.d Hinc quoq; per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantia pauperis: idem est ac si victimet filium in conspectu patris. Quantus autem dolor sit patris perpendamus, si in eius conspectu filius victimetur: & hinc facilè cognoscitur quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est sub obtentu eleemosynæ peccata symoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere: aliud propter eleemosynas peccata perpetrare. & post pauca. Quisquis ergo sacerdotium non ad elationis pompam sed ad vtilitatem adipisci desiderat: prius vires suas cum eo quod est subiturus onere metiatur: vt si est impar, abstineat: & ad id cū metu etiam cui se sufficere existimat, accedat. IDEM Theodorico & Theodeberto regibus Francorum.

Greg.epi. 114. lib.7.

Vide Volaterranum charta.29. *Pastor Simoniacus nullam ouibus præbet medicinam.* 28

FErtur Simoniaca hæresis (quæ prima cōtra Dei ecclesiā diabolica supplātatione subrepsit, & in ipso ortu suo zelo apostolicæ vltionis percussa atque dānata est) in regni vestri finibus dominari: cùm in sacerdotibus fides sit eligēda cum vita. si enim

si enim vita deest, fides meritum nõ habet: beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus mortua est. Quæ enim opera esse valeãt sacerdotis qui honorẽ tanti sacramenti cõuincitur obtinere per præmium? & post pauca. Hinc igitur non solũ in ordinatoris & ordinati animã lethale vuln⁹ infligitur, verũetiam excellentiæ vestræ regimẽ vestrorũ episcoporum culpa (quorũ magis intercessionibus iuuari debuerat) prægratatur. Si enim dignus is sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorũ copia suffragatur: restat vt nihil sibi in ecclesiasticis honorib⁹ grauitas, nihil sibi defendat industria: sed totum auri profanus honor * obtineat: & dũ vitia honor remunerat, in locum vltoris is fortasse qui fuerat vlciscẽdus adducitur: atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius iudicantur. Vulnerato namq; pastore quis curandis ouibus adhibet medicinam? Aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis hostium sese feriendum exponit? Aut qualem fructum de se producturus est, cui graui peste radix infecta est? Maior ergo metuenda est locis illis calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis in se iracundiam prouocant, quàm per semetipsos placare debuerant.

Iaco. 2. e

* *amor*

In hanc rem vide miras Tragœdias principum Francorum & Brunichildis. in veris chronicis.

GRATIAN. Cùm ergo secundũ Leonem simonia nõ bono peragatur
" exitu: secundũ Gregorium nullũ boni operis sequatur ædifi-
" cium: nec est putanda eleemonsyna quæ ex precio simoniæ
" erogatur pauperibus, vulnerato pastore medicina nõ adhibe-
" tur curãdis ouibus: de infecta radice fructus non producitur,
" maior etiam calamitas in futuro metuitur: ergo de tã sinistro
" principio quis fœlix exitus speratur. HINC. etiã Aug. ait.
"

Simoniacorum sacramenta effectu gratia carent. 29

SIcut eunuchus fuit qui Ioseph comparauit: ita qui gratiam mercatur, viuum semen non habet siccis genitalibus. Sic quoque ignis sacrificij qui per septuaginta annos Babylonicę captiuitatis sub aqua vixerat, extinctus est Antiocho Iasoni vendente sacerdotium: quod significauit spiritus sancti ignem non lucere in simoniacis sacramentis. Quid in his similitudinibus beatus Augustinus notare voluit, nisi quia sacramenta simoniacorum (sicut & cæterorum hæreticorum) licet sint vera quantum ad formam, inania tamen & falsa sunt quãtum ad effectum, cùm non possint in cordibus hominum gignere vel accendere cœlestem gratiam. SED obiicitur illud Augustini contra hæreticos.

2. Mac. 1. f. & 4. a.

Aug. tra. 5. super euang. Ioan. 5. pars.

Siue bonus siue malus sit minister: per vtrunque effectus gratia confertur. 30

SI iustus fuerit minister, computo eum cum Paulo, qui gloriam suam non quærit, dicẽs: Ego plantaui, Apollo rigauit:

1. Cor. 3. b

Deus autem incrementũ dedit. Qui verò superbus fuerit minister, cum Zabulo computabitur: sed non contaminatur donum Christi: quia per illum purus fluuius transit, & venit ad fertilem terram. Scio quia lapis ex aqua fructum ferre non potest: etsi per lapideos canales transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generatur: sed ortus plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus sacramenti, vt lux pura ab illuminandis excipitur: sed per immundos transiens, non coinquinatur.

Aug. epist. 48. to. 2. IDEM ad Vincentium Donatistam.

De eodem. 31

EX Catholica ecclesia sunt omnia sacramẽta dominica: quæ sicut habetis & datis, sic habebantur & dabãtur priusquam inde exiretis. ITEM ad Donatistas.

De eodem. 32

SIc autem Deus adest sacramẽtis & verbis suis per quoscunque administrentur quorum sacramẽta & verba recta sunt: sicut mali homines, quibus nihil prosunt, vbiq; peruersi sunt, id est intus & foris. IDEM 33

NEc foris ergo nec intus quisquã qui ex patre diabolo est, potest in se, vel in quoquam maculare sacramentum quod Christi est. IDEM ad Demetrium.

Sacramenta quæ non mutantur, catholicis & hæreticis communia probantur. 34

SAcramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur à nobis: ne fortè cùm vestrã prauitatem corrigere volumus, illis mysteriis quę in vestra prauitate deprauata non sunt, sacrilegam faciamus iniuriam. Neque Saul deprauauerat vnctionem quam acceperat: cui vnctioni Dauid pius sæpius exhibuit tantum honorem. IDEM ad Donatistas.

Aug. cap. 13. lib. 2. de baptismo contra Donatistas, tom. 7.

De eodem. 35

SIcut ficti veraciter nõ fictè recipiunt, nec eorum baptisma reprobatur: sic & illa quæ schismatici & hæretici non aliter habent, nec aliter agunt quàm vera ecclesia: dum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus.

IDEM contra Petilianum.

Non effugiantur sacramenta à quocunque ministrentur. 36

NEque in homine bono aliquis Dei sacramẽta fugiat, neq; in homine malo. IDEM in lib. de baptismo. li. 6. cap. 44.

Hominum malitia sacramenta non profanat. 37

Matth. 10. NOnne Sodomitæ ethnici erant, id est gentiles? peiores ergo Iudæi, quibus dominus dicit. Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quàm vobis, & quibus propheta dixit: Iustificastis Sodomam, id est comparatione vestri iusta facta est. Nunquid tamen ideo sacramenta diuina quæ apud

Ezech. 16. f.

Iudæos

Iudæos erant, talia erant quales & ipsi erant? quæ Dominus quoque ipse suscepit: & ad ea celebranda leprosos quos mundauerat, misit: & ea Zachariæ ministranti, angelus assistit: eumque in templo sacrificantem exauditum esse nunciauit. Hæc eadem sacramēta, & in bonis hominibus illius temporis erāt, & in malis peioribus quàm sint ethnici, quandoquidē in malitia prælati sunt Sodomitis: & tamen illa sacramenta erant in vtrisque integra & diuina. Nam & ipsi gentiles si quid diuinum & rectum in doctrinis suis habere potuerunt, non improbauerunt sancti viri: quamuis illi per suas superstitiones & idololatriam superbiamque, & cæteros perditos mores detestandi essent: & nisi corrigerentur, diuino iudicio puniendi. Luca. 1. b

IDEM. Aug. c. 16 li. 3. de baptismo.

Sacramenta mali habere possunt, licet virtutem spiritus sancti habere non possint. 38

MVltæ autem operationes sunt spiritus sancti: quas cùm Apostolus in quodam loco cōmemorasset, ita concludit: Omnia autē hæc operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Cumque aliud sit sacramētum, quod habere etiam Simon magus potuit: & aliud prophetia, quæ in malis hominibus etiā fieri solet, vt in Saul: aliud operatio eiusdem spiritus sancti, quā nisi boni habere nō possunt, id est charitas: quodlibet horum hæretici & schismatici accipiunt. Charitas quæ operit multitudinem peccatorum, propriū donum est catholicæ vnitatis & pacis: nec est in omnibus donum eius: quia nec omnes sunt eius. 1. Corinth. 12. b

IDEM. August. libr. 3. c. 16. de baptis.

Licet sacramenta mali ministrent, remissionem peccatorum non præstant. 39

REmissionem peccatorum auari non dant: quæ per orationem, id est per columbæ gemitum datur, quicunque baptizat, si tamen ad eius pacem illi pertinent quibus datur: non enim raptoribus & fœneratoribus dixit dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur illi: si cui tenueritis: tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquis potest, nec solui. vbi nō sit qui alium ligare possit aut absoluere: sed soluitur qui cum columba fecit pacem: & ligatur qui cum columba non habet pacē: siue apertè foris sit, siue intus esse videatur. Ioan. 20. e

GRATIAN.

" Si ergo sacramenta in modum lucis ab immundis coinquinari non possunt: si in modum puri fluuij per lapideos canales ad fertiles areolas perueniunt: patet quòd simoniaci sacramentum vnctionis sibi quidem inutiliter & perniciosè habent, aliis vtiliter & salubriter eandem vnctionem administrant. Sicut ergo sunt vera sacramenta hæreticorum quantum ad formam: ita sunt vera & non inania quantum ad effectum. Sed notandum est, quòd sacramentorum alia 6. pars.

ſunt neceſſitatis, alia dignitatis. Quia enim neceſſitas non habet legem, ſed ipſa ſibi facit legem: illa ſacramenta quæ ſaluti ſunt neceſſaria, quia iterari non poſſunt, cùm ſint vera: auferri vel amitti non debent: ſed cum pœnitentia rata eſſe permittuntur. Illa verò ſacramenta quæ ſunt dignitatis, niſi dignè fuerint adminiſtrata, ita vt digni dignè à dignis promoueantur: dignitates eſſe deſinunt: nō vt minuatur veritas ſacramenti, ſed vt ceſſet officium adminiſtrandi, vel loco, vel tempore, vel promotione. LOCO, vt ait Leo.

Leo pa. I. epiſt. 90. ad Ruſticū epiſcopum.

De his qui à pſeudoepiſcopis ordinantur. 40

SI qui à pſeudoepiſcopis ordinati fuerint, poteſt rata haberi talis ordinatio, ita vt in ipſis eccleſiis perſeuerent. aliter vana habenda eſt talis ordinatio.

GRATIAN. Ecce aliquis à pſeudoepiſcopis ordinatus, ſi locum ſuæ ordinationis mutauerit, vana eſt: & ſine adminiſtratione erit talis ordinatio. TEMPORE, vt ait Innocentius de ordinatis à Bonoſo hæretico.

Inno. I. epi. 22. ca. 5.

Quæ pro neceſſitate conceduntur, eadem ceſſante ceſſabunt. 41

QVod pro neceſſitate temporis ſtatutum eſt, ceſſante neceſſitate debet ceſſare pariter quod vrgebat: quia alius eſt ordo legitimus, alia vſurpatio.

GRATIA. Ergo aliquis alio tempore ab eo qui Bonoſo ſimilis ſit ordinatus, ceſſabit ab adminiſtratione: quæ pro neceſſitate illius temporis fuit permiſſa.

Leo pa. 1. epi. 3 ad Iulianum.

ITEM promotione, vt ait Leo.

Qui ab hæreticis redeunt, ſine ſpe promotionis in ſuis ordinibus recipi poſſunt. 42

SI quis hæreticæ communionis contagione ſe maculauerit, hoc in magno beneficio habeat, ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inuenitur ordine permaneat.

GRATIA. Ecce ſi clericus vel ordinatione vel quolibet ſacramento hæreticis communicat: ceſſans à promotione vix in ſuo ordine perſeuerat. Non eſt enim de ſacramēto hoc, vt de cæteris. Cætera enim vel ad culpas abluendas dantur, vt baptiſmus & pœnitentia: vel pro culpis non in æternum ſed ad horam negantur, vt Euchariſtia, quæ in articulo mortis pœnitēti etiam de nefariis peccatis conceditur. hoc non ſolùm pro culpa, ſed etiam pro infamia, interdum etiam pro munditiæ ſuæ imminuta vel extrinſecæ vel intrinſecæ perfectionis prærogatiua, vt digamis, vel viduæ maritis, vel illiteratis, vel corporis qualibet parte vitiatis denegatur: quibus tamen baptiſmus vel Euchariſtia non negatur. Poteſt etiam talis cætera ſacramenta ſacerdotaliter adminiſtrare, qui iſtud ſolum non valet conferre. VNDE Leo ait.

Idē Leo epi. 85. ad epiſcopos Africanos.

De

De episcopis qui talem consecrant, qualem consecrare non licet. 43

SI qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem nō liceat esse: etiam si aliquo modo damnum proprij honoris euaserint: ordinationis tamen ius vlterius non habebunt: nec illi vnquā sacramento intererunt quod immerito præstiterūt.

" Ecce cùm honoris periculum euadant, vt cætera sacramenta sacerdotaliter administrare admittantur: ab hoc solo non modò pro hæresi vel pro qualibet maiori culpa, sed etiam pro negligentia remouentur. In quibus omnibus solicitè notandum est quòd sacramentum sacerdotalis promotionis præ cæteris omnibus magis accuratè & dignè dandum vel accipiendum est: quia nisi ita collatum fuerit, eo desinet esse ratum quo nō fuerit ritè perfectum. Cætera enim sacramēta vnicuique propter se dantur, & vnicuique talia fiunt, quali corde vel conscientia accipiuntur. Istud solum non propter se solum, sed propter alios datur: & ideo necesse est, vt vero corde mundaq; conscientia quantum ad se sumatur, quantum ad alios verò non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia propter scandalum fratrum, ad quorum vtilitatem non solum vt præsint, sed etiam vt prosint, sacerdotium datur. GRATIA.

VNDE Hieroymus in Micheam. *ad cap. 3. in commentarijs.*

Simoniaci rei sunt infidelitatis eorum qui à se scandalizantur. 44

HI quoscunque de affeclis suis ordinantes, & vitam eorum in scandalum populi exponentes: rei sunt infidelitatis eorum qui scandalizantur. Reuera enim qui ad hoc eliguntur vt cæteris præsint: sicut præordinantur dignitate, sic præeminere debent sanctitate. Alioquin cur cæteris præferuntur, qui nulla meritorum gratia à cæteris assumuntur?

HINC etiam Symmachus Laurentio Mediolanen. episcopo.

Sicut honore, ita & scientia quisque precellere debet. 45

VIlissimus computandus est nisi pręcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior. *7. pars.*

" Patet ergo illud Augustini, sacramenta videlicet Christi per hæreticos ministrata, suo non carere effectu: non de omnibus intelligi generaliter, sed de sacramento baptismi. GRATIA.

VNDE idem Augustinus ait. *Augu. tract. 5. in Ioan.*

Baptismus siue per bonum, siue per malum ministretur, reiterari non debet. 46

DEdit baptismum Iudas, & non baptizatum est post Iudā: dedit Ioannes, & baptizatum est post Ioannem: quia qui datus est à Iuda, baptismus Christi est: qui à Ioanne, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiā per Iudę manus datum, baptismo Ioannis rectè præponimus. Item: Quos Iudas baptizauit, & Christus. sic ergo quos baptizat *Ibi paulo inferius.*

 ebrius,

ebrius, homicida, adulter: Christus baptizat. Hoc enim sacramentū ecclesię tam magnum est, vt nec ab homicida ministrante polluatur. IDEM contra Donatistas.

De eodem. 48

Aug. cap. 4. lib. 4. de baptismo.

SIcut vrgeri videor dum mihi dicitur, ergo hæreticus dimittit peccatum cùm iustè baptizat: sic & ego vrgeo dum dico: ergo auarus religionis simulator peccata dimittit. Si per vim sacramenti: sicut ille, ita & ille. & si per meritum suum: nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum Christi & in malis hominibus esse cognoscitur. In corpore autem vnicæ columbæ immaculatæ, nec ille, nec ille inuenitur: vt si cuius manus esset arida, verum quidem esset membrum, quamuis sine sanguine & inefficax esset & mortuum. sic & si les cùm sit vera, tamen sine operibus mortua est. Item sic in hæresi baptizatus in nomine sanctæ trinitatis, non fit tamen templum dei si ab hæresi non recesserit: quoniam neque in auaritia in eodem nomine baptizatus fit templum dei, si ab auaritia non recedat, quæ est idolorum seruitus.

GRAT. 8. pars.

Ex his itaque verbis apparet baptisma, quod ab hæreticis tribuitur, virtute sua remissionem conferre peccatorum. Sed idem Aug. econtra testatur in lib. de baptismo dicens.

Cap. 1. lib. 6. de baptismo.

Baptisma Christi etsi nulla peruersitate violetur: apud hæreticos tamen caret effectu. 49

ETiam corde tardiores intelligunt baptismum Christi nulla peruersitate dantis vel accipientis posse violari. Sed quia aliud est sacramentum ab effectu sacramenti: cùm eos qui in ipsa vnitate ecclesiæ perditè viuunt, constet remissionem peccatorum, nec dare nec habere posse: quia non malignis, sed bonis filijs dictum est: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur, cui tenueritis, tenebuntur: patet ergo hæreticos tantum dare vel accipere sacramentum baptismi, & non dare remissionem peccatorum.

Matth. 6. b

Aug. serm. 11. tomo 10.

IDEM in verbis domini de blasphemia spiritus sancti. 50

COrporalia sacramenta quæ portant & celebrant etiam segregati ab vnitate corporis Christi, formam habere pietatis possunt: virtus verò inuisibilis & spiritualis ita in eis esse non potest, quemadmodum sensus non sequitur membrum quando amputatur à corpore.

Ambr. de ijs qui mysterijs initiantur. Cap. 4.

ITEM Ambrosius in libro de initiandis rudibus.

De eodem. 51

NOn sanat baptismus perfidorum: non mūdat, sed polluit: qui in diluuio aquarum ad deum ipsum non approximabunt: quia vt per Apostolum dicitur: Quicquid non est ex fide, peccatum est. & ipsis qui faciunt, & quibus faciunt, non solum non prodest, sed & ad iudicium est.

Roman. 14.

ITEM

ITEM Leo ad Niceetem episcopum. Leo pap. I. epi. 77. ad Nicetam cap. 7.

Per manus impositionem confirmentur qui ab hæreticis baptisma accipiunt. 52

HI qui baptisma ab hæreticis acceperunt cùm antea baptizati non fuissent: sola spiritus sancti inuocatione per impositionem manus confirmandi sunt: quia formam tãtum baptismi sine sancti ficationis virtute sumpserunt. & hanc regulam (vt scitis) seruandam in omnibus ecclesiis prædicamus, vt lauactum semel initum nulla iteratione violetur: dicente apostolo, Vnus deus, vna fides, vnum baptisma. cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (vt diximus) sola sanctificatio spiritus sancti inuocanda: vt quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur. Ephes. 4. a

" Sed notandum est quòd hæretici, vt Ariani & Sabelliani, 9. pars.
" quorum alij inæqualitatem, alij indiscretionem personarum GRAT.
" confitebantur: baptisma non in forma ecclesiæ, sed suæ peruer
" sitatis ministrabant. De his specialiter Ambrosius locutus est
" dicens: Non sanat baptismus hæreticorum, &c. sed etiam reba
" ptizentur & reordinentur, &c.

VNDE in concilio Nice. statutum est. Cap. 19. Nicen.

Rebaptizentur & reordinentur qui de Paulianistis & Cataphrygis ad ecclesiam redeunt. 53

SI quis confugerit ad ecclesiam catholicam de Paulianistis & Cataphrigis, statutum est rebaptizari eos omnino debere. Si qui verò clerici erant apud eos: si quidem inculpati fuerint & irreprehensibiles, rebaptizandi sunt: & rursus etiam ab episcopo ecclesiæ catholicæ ordinẽtur. Si verò examinati minus apti fuerint deprehensi: deponi eos oportet. Similiter autẽ & circa diaconos, & de omnibus qui in eodem clero inueniuntur, eadem forma seruabitur. ITEM Innocentius. Innoc. pap. I. epist. 22. ca. 5. ad episc. Macedonia.

De eodem. 54

PAulianistæ in nomine patris & filij & spiritus sancti minimè baptizant, & Nouatiani eisdem nominibus tremendis baptizant: nec apud istos de vnitate potestatis diuinæ, hoc est, patris & filij & spiritus S. quæstio aliquando cõmota est, &c.

" Alij formam ecclesiæ in baptizando seruant: sed dum ab GRAT.
" eis baptizantur qui in hæresi vel schismate eis communicant:
" sacramentum quidem baptismi ab eis accipiunt: virtutem ve-
" rò non consequuntur quam sine fide nullus consequi potest.
" vnde de domino dicitur quòd in patria sua non poterat facere Luc. 4. d
" signum propter incredulitatem eorum.

VNDE Augustinus in homil. lxxx. Aug. tract. 80. ad ca. 15. Ioan.

Dum verbum accedit ad elementum, fit sacramentum. 55

DEtrahe verbum ab aqua, quid erit nisi aqua? accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. vnde ista tanta

virtus

virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur: sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens: aliud virtus manens. De his etiam

Cap. 27. qui in hæresi vel schismate baptizantur, scribit Augustinus ad Petrum diaconum dicens.

Extra ecclesiam baptizati perniciem sibi cumulant, si ad ecclesiam non redierint. 56

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites extra ecclesiam baptizatis si ad ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis communio ad salutem, vt baptismo non saluetur, cùm ibi non datur

Aug. tract. 13. super Ioannem. vbi oportet vt detur. IDEM.

Inutilia sunt dona quæ præter vnitatem ecclesiæ habentur. 57

TEneamus, fratres mei, vnitatem. Præter vnitatem etiam qui facit miraculũ, nihil est. In vnitate erat populus Israel, & non faciebat miracula. Præter vnitatem erãt magi Pharao-

Exod. 7. d. nis, & faciebãt similia Moysi. populus Israel (vt dixi) nõ faciebant miracula. Qui erant saluãdi apud deum? qui faciebãt miracula, an qui non faciebant? Petrus apostolus resuscitauit mor-

Act. 9. g tuum. Simon magus fecit multa. Erant quidam Christiani qui non poterant facere quod faciebat Petrus: nec quod faciebat Simon: sed inde gaudebant quia nomina eorum scripta erant

Leo pap. 1. epist. 77. cap. 7. in cœlis. ITEM Leo ad Nicetem episcopum.

Baptisma semel traditum, amplius non est reiterandum. 58

HAnc regulam conseruandam in omnibus ecclesiis prædicamus, vt lauacrum semel initum, nulla iteratione viole-

Ephes. 4. a tur, dicente Apostolo: Vnus deus, vna fides, vnum baptisma: cuius ablutio nulla reiteratione violanda est: sed sola spiritus sanctificatio inuocanda, vt quod ab hæreticis nemo accepit, à catholicis sacerdotibus consequatur.

Nemo in hæresi vel schismate constitutus intelligẽdus est.

10. pars. Cæterùm si cum fidei integritate, & animi puritate de manu hæreticorũ in forma ecclesię aliquis baptisma acceperit, tunc

Aug. tract. 5. in Ioannem. impletur illud Augustini. Per lapideum canalem aqua transit ad areolas. & iterum, Spiritualis virtus sacramenti. &c.

ITEM in libro de blasphemia spiritus sancti.

Etiam per malos boni colliguntur. 59

SPiritus sanctus in sancta ecclesia etiam in isto tempore quo velut granum atteritur cum palea, sic operatur, vt nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, vt etiam per illorum ministeriũ probos colligat.

GRAT. Ecce quandoque ab hæreticis baptisma cum sua virtute accipitur: cuius tam necessaria administratio est, vt nec etiam à paganis datum possit reiterari. vnde in ecclesiastica historia le-

gitur

„ gitur quòd Alexander episcopus Alexandriæ cùm Petri Martyris solennia celebraret: post expleta missarum sacramenta vidit super oram maris puerorum ludum, imitantium (vt fieri solet) episcopũ, & gerentiũ ea quæ in ecclesia geri mos est. Mox eos ad se perduci iubet, & quid egissent, percunctatur. Illi rei ordinem pandunt, baptizatos à se esse quosdam catechumenos confitentur per Anastasium puerum qui illis fuerat episcopus simulatus. Vbi ex responsis eorum vidit secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, statuit illis quibus integris interrogationibus & respõsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ sacerdotibus mos est. HINC etiam Isidorus ait.

De his qui per ignorantiam ordinantur antequam baptizentur. 60

SI quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse vlterius non ordinetur: sed Romanus pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed tantum spiritum dei subministrare gratiam credit baptismi, licet paganus sit qui baptizet.

Iuo Carn. refert ex eodem lib. I. de sacra. bapt.

**Palea.* 61

SI presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatũ, baptizetur & ordinetur iterum: & omnes quos prius baptizauit. Quòd autem cætera sacramenta ab hæreticis ministrari non possint, testatur Hieronymus in Aggeum prophetam.

*In veteri manuscrip. non est palea, sed idem contextus cum superiore.

Iuo ibid. refert. Hieron. ad cap. 2. Aggei.

Non placent deo quæ ab hæreticis offeruntur. 62

SIc populus iste hæreticorum omniũ est in conspectu meo, dicit dominus, Omne quod fecerint, quod mihi obtulerint, vel vota, vel pro salute, vel pacifica, vel pro peccato, vel holocausta, vel eleemosynas, siue ieiunia, vel corporis castitatem, contaminata erunt in conspectu meo, quanuis enim sancta videantur specie sui quæ offeruntur, tamen quia tractata sunt ab illo qui pollutus est in anima, polluuntur omnia.

ITEM in Amos propheta.

Amos. 5. f

Hieron. ad cap. 5. Amos.

De eodem. 63

ODit deus sacrificia hæreticorum, & à se proiicit, & quotienscunque congregati sunt in nomine eius, detestatur fœtorem eorum, & claudit nares suas. ITEM in Osee.

Osee 8.

De eodem. 64

ILli offerunt sacrilegum panem, & dant eleemosynas, & sectari videntur humilitatem: quæ ego si verè fiant, holocausta interpretor. cùm autem scientiam dei reliquerint, frustra truncato capite fidei cætera membra habere se iactant.

IDEM in epistola ad Galatas.

Hier. ad cap. 8. Osee.

Idem ad cap. I. epistola. Galat. 3. 4

Sine

Sine fide & charitate nec Euangelium habetur, nec prosunt aliqua bona. 65

MArcion & Basilides & cæteræ hæreticorum pestes non habent dei euangelium: quia non habent spiritum sanctum, sine quo humanum fit euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis. IDEM.

Hier. ad cap. 5. epist. ad Galat.

De eodem. 66

VIde quantum bonum est charitas. si ita martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab omnibus reliquias honorari: & si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus: & substantiam nostram vsque ad mendicitatem propriam dederimus: huic operi non tam præmium quàm pœna debetur: & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ.

Cap. 32. ITEM ex concilio Laodicen.

Hæreticorum benedictio, maledictio est. 67

NOn oportet hæreticorum benedictiones accipere: quoniam magis sunt maledictiones quàm benedictiones.

Cap. 71. li. Martini Brac. epi. de synodis Græcor. ITEM ex concilio Martini papæ.

Neque cum hæreticis neque cum schismaticis licet orare. 68

NOn liceat clericis vel laicis ab hæreticis eulogias, id est, benedictiones accipere: quia maledictiones sunt magis quàm benedictiones: neque liceat aut cum hæreticis aut cum schismaticis orare.

Leo pap. 1. epi. 38. ITEM Leo ad Anatolium Constantinop. episcopum.

Extra ecclesiam non sunt vera sacrificia. 69

IN ecclesia dei (quæ corpus Christi est) aliter nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in proprietate suæ naturæ verus nos pontifex reconciliet. ITEM Leoni Augusto.

Leo pap. 1. ad Leonem Augustum epist. 73.

Impiorum manibus diuina sacramenta se subducunt. 70

MAnifestum est, per crudelissimam & insanissimam vesaniam in Alexandrina sede omne cœlestium sacramentorum lumen extinctum. intercepta est sacrificij oblatio: defecit chrismatis sanctificatio: & paricidalibus manibus impiorum omnia sese subtraxere mysteria.

Epi. 6. ad Magnum lib. 1. ITEM beatus martyr Cyprianus in epistola contra hæreticos.

Sacramenta extra ecclesiam ministrari possunt: salutem verò conferre non possunt.

SI quis, inquit, de ecclesia hæretica præsumptione exierit, à semetipso damnatus est. Cum huiusmodi (secundum Apostolum) nec cibum quidem sumere debemus. Declaratur hoc in libro Regum: vbi cùm homo dei ad Hieroboam missus esset quòd peccata sua exprobraret, atque vltionem suam futuram

1. Corinth. 5. d
3. Reg. 13. e

ram prædiceret: panẽ apud illum edere, & aquam bibere prohibitus est. quod cùm non custodisset, diuina sententia inde rediens morsu leonis in itinere interijt. An debet quisquam dicere sacramẽtum salutare & gratiam cœlestem communem cũ hæreticis esse posse, cum quibus nec terrestris cibus, nec secularis potus debet esse communis? Constat autem oleum vt de baptizati vnguntur, sanctificari: & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse, vbi spes nulla est, & fides falsa: vbi omnia per mendacium geruntur. Nam hęreticus more simiarum quæ cùm homines non sint, formam humanã imitantur: vultum ecclesiæ catholicæ & auctoritatem sibi & veritatem vendicat: cùm ipse in ecclesia non sit. benedicit, cùm à deo sit maledictus. vitam pollicetur, cùm sit mortuus. deũ inuocat, cùm sit blasphemus. sacerdotium administrat profanus. munus ponit ante altare sacrilegus. Ad hęc omnia accedit & illud malũ, vt antistes diaboli audeat Eucharistiam facere: cùm nec sanctificari oblatio illic possit vbi spiritus sanctus non sit: nec cuiquam dominus per eius preces & orationes prosit, qui deum ipse violat. Si enim qui ecclesiam violant, Ethnici & publicani habentur: multo magis rebelles & hostes falsa altaria & illicita sacerdotia & sacrificia sacrilega & omnia adulterina fingentes, inter Ethnicos & publicanos necesse est vt computentur: quos omnes constat à charitate & vnitate ecclesiæ catholicæ recessisse. Ergo omnia quæcunque faciunt hæretici, carnalia sunt & inania & falsa: ita vt nihil eorũ quæ illi gesserunt, à nobis probari debeat. Non statim suscipienda sunt & assumenda quæ iactantur in Christi nomine, sed quæ gerũtur in Christi virtute. Quomodo enim perficere quæ agunt, aut impetrare aliquid illicitis conatibus à deo possunt, qui contra deu quod eis non licet moliuntur? Quare qui hæreticis & schismaticis patrocinantur, censura diuina in eorum probantur facinore, & pœnis non solum duces & auctores, sed etiam participes destinari: nisi se à cõmunione malorum separauerint: præcipiente domino per Moysen: Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum: & nolite tãgere de omnibus quæ sunt in eis: ne simul pereatis in peccatis eorum. Et quod comminatus dominus per Moysen fuerat, impleuit: vt quisquis se à Chore & Dathan & Abyron non separasset, pœnas statim pro impia communione solueret. Sic etiam per Osee prophetam spiritus sanctus testatur dicens: Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes qui manducant ea, contaminabantur. docens scilicet & ostendens omnes omnino cum auctoribus & fautoribus supplicio coniungi, qui fuerint peccato eorum contaminati. ITEM Augustinus.

Numer. 16.A

Osee 9.a

In lib. sentent. ex Aug. ca. 15. Vera tomo 3.

Vera sacramenta non nisi in fide ecclesiæ celebrantur. 72

EXtra catholicam ecclesiam non est locus veri sacrificij.

Greg ca. 31. li. 3. dialog.

ITEM Gregorius in iij. lib. dialogorum ait de Ermigildo rege Leouigili filio.

De manu hæreticorum communio non est recipienda. 73

SVperueniente paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum episcopum misit, vt ex eius perfidis manibus sacrilegæ consecrationis communionem acciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir deo deditus, Ariano episcopo venienti exprobrauit, vt debuit: eiusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit. ITEM Innocentius cap. vij.

Inno. pap. I. epi. 18. ad Alexandrum episcop. Antiochenum, cap. 3.

Sacerdotes hæreticorum, Christi honoribus non habentur digni. 74

ARianos præterea cæterasque huiusmodi pestes detestamur. Quia eorum laicos conuersos ad deum, sub imagine pœnitentiæ, ac spiritus sancti sanctificatione per impositionē manus suscipimus: non videntur clerici eorum cum sacerdotij aut cuiuspiam ministerij suscipiendi dignitate esse: quoniam quibus solum baptismū ratum esse permittimus, (quod vtique in nomine patris, & filij, & spiritus sancti percipitur) nec spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque ministeriis arbitramur: quoniam cùm à catholica fide eorum auctores discederent, etiam perfectionem spiritus quam acceperant, amiserunt: nec dare eius plenitudinem possunt (quæ maximè in ordinationibus operatur) qui per impietatis suæ perfidiam, fidem domini perdiderunt, propter quod fieri non potest vt eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur: quorum laicos imperfectos (vt dixi) ad spiritus sancti percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipimus. Item legitur: Qui tetigerit immundum, immundus erit. Quomodo ergo ei tribuetur qui immunditias & spurcitias consueuit accipere? & infrà. Qui particeps factus est damnati: quomodo honorem debeat accipere, inuenire non possumus.

Leuit. 22.

GRATIA.

" Ex eo autē quòd manus impositio iterari percipitur, sacra-
" mentum non esse ostenditur.

VNDE Augustinus de baptismo lib. iiij.

Aug. ca. 16. lib. 3. contra Donatistas.

Manus impositio non est sacramenti iteratio. 75

MAnus impositio non sicut baptismus repeti non potest. quid enim est aliud nisi oratio super hominem?

GRAT.

" Cùm ergo Innocentius solum baptisma hæreticis ratū esse
" permittat: cùm Gregorius sacrilegam vocet consecrationem
" Arianorum, cùm Cyprianus quæcunque ab hæreticis fiunt,
" carnalia & inania & falsa iudicet, cùm Hieronymus omnia
" quæ ab eis offeruntur, contaminata in conspectu dei asserat,

cùm

cùm Leo extra ecclesiam, nec rata sacerdotia, nec vera sacrificia esse testetur: patet quòd sacramenta ecclesiastica præter baptisma (vt suprà dictu est) ab hæreticis ministrari non possunt.

ITEM obiicitur illud Hieronymi ad Luciferianum. Hieron. aduersus Luciferianos tom. 2.

Qui in baptismo sanctus est, ad altare peccator non accedat. 76

SIcut Christus est qui baptizat, ita ipse est qui sanctificat. vnde oro te vt aut sacrificandi licentiam ei tribuas, cuius baptisma approbas: aut reprobas eius baptisma, quem non putas esse sacerdotem. neque enim potest fieri, vt qui in baptismo sanctus est, sit ad altare peccator.

Sed hoc de peccatore tantum catholico, non de hæretico intelligendum est, qui quicquid cum fide catholica pro officio suo facit licet indignus, tamen diuina gratia cooperante ratú esse creditur: alioquin si de hæreticis dictum intelligitur, ipse sibi contrarius esset, cùm dicat in Osee: Sacrificia eorum, &c. & alibi in persona domini. GRATIA. Osee 9.a Hieron. ad cap. 8. Osee.

Benedictionibus hæreticorum deus maledicit. 77

MAledicam benedictionibus vestris. Hoc est, quicquid à vobis benedicetur, per me erit maledictum. Hoc ergo intelligendum est de hæretico: illud autem ad Luciferianum de ecclesiastico peccatore. De quo Augustin. ait in libro de corpore domini. Malac. 2.a II. pars.

Boni & mali sacerdotes, æquè corpus Christi conficiunt. 78

INtra catholicam ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrâtis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute spiritus sancti. Si ergo in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. nunc autem sicut qui baptizat, ipse Christus est: ita ipse est, qui per spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit in sanguinem. Credendum est enim quòd in verbis Christi sacramenta conficiantur. Cuius prius creantur imperio, eius vtique verbo recreantur ad melius.

IDEM in libro secundo contra epistolam Parmeniani. Aug ca. 10. lib. 2. contra epist. Parmen.

De eodem. 79

OMnia sacramenta obsunt indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus, sicut & verbum dei. Vnde dictum est: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. IDEM in tractatu epistolæ Ioan. Matth. 23.a Tractat. 7.

De his qui sanctis malè vtuntur. 80

PRophetauit Saul rex malus cùm etiam sanctum Dauid persequeretur. Non ergo se iactent, qui fortè sine charitate habent sanctum munus dei, sed videant qualem rationem sint habituri cum deo, qui sanctis non sanctè vtuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt in iudicio: In nomine tuo prophetauimus. Matth. 7.a

quibus non dicetur, mentimini: sed non noui vos, &c. Spiritum ergo prophetiæ dicendi sunt habuisse, sed non meritum.

Hieron. ad ca. 2. Aggei in cōmen. ITEM Hieron. in Aggeum ij. cap.

Quisquam non tam sanctificatur ex hostijs, quàm pro peccato polluitur. 81

al. ô popule. O *Propheta qui altari tantum extructo, & domo mea diruta hostias mihi offers in altari, & victimis eius sanctificari te putas: scito quoniam sanctum quidem est quod offertur in altari: sed non tam sanctificaris ex hostijs, quàm ex mortuis operibus pollueris.

Aug. serm. 11. de verbis dom. ITEM Augustinus in lib. de verbo domini.

Contra spiritum sanctum verbum dicitur, cùm ex dispersione nunquam reditur. 82

ITa fit verbum contra spiritum sanctum, cùm ex dispersione ad congregationem nunquam venitur, quæ ad remittenda peccata accepit spiritum sanctum. ad quam congregationem etsi per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum reprobum & fictū si aliquis accesserit corde non ficto, in ipso spiritus sanctus operatur remissionem peccatorum, qui in sancta ecclesia ita operatur, vt reprobos fugiat, & tamen per eorum ministerium probos colligat.

Aug. cap. 11. lib. 2. contra epist. Parmeni. IDEM in sermone de remissione peccatorum.

Non meritis hominum, sed virtute spiritus sancti peccata remittuntur. 83

VT euidenter ostenderet dominus à spiritu sancto quem donauit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum: quodam loco sic ait: Accipite spiritum sanctum. & continuo subiecit: Si cui dimiseritis peccata, remittuntur ei. hoc est, spiritus sanctus dimittit, non vos. Proinde sicut is quem sacerdos tolerat in ecclesia, est tamen extra ecclesiam & extra corpus eius, cuius caput est Christus, si ei ostiarius non aperuerit: ita non ideo extra ecclesiam est, & non est de corpore, si quis pastoris præiudicio compellitur foris esse.

Ioan. 20. f

Ambr. lib. de ijs qui initiantur mysterijs, ca. 5. ITEM Ambrosius de sacramentis.

Deus non merita personarum, sed sacerdotum officia considerat. 84

Iudic. 6. f

3. Reg. 10.

CVm scriptura testetur, quòd ad preces Hieroboam ignis descēdit de cœlo, & rursus precāte Helia ignis emissus est qui sacrificia consumeret, datur intelligi quòd deus non merita personarum considerat, sed officia sacerdotum. Ignis ille visibilis mittebatur vt crederent, nobis inuisibilis operatur quòd credimus. Credo ergo adesse dominum Iesum inuocatum precibus sacerdotum, qui ait: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Matth. 18. c

ITEM Gregorius.

Non

Non merita sacerdotum, sed virtus diuina sacramenta sanctificet. 85

MVlti secularium hominũ cùm plus sacerdotis vitã quàm suam discutiunt, in magnum contemptionis diuinorum sacramentorũ crimen incurrunt. magna enim trabe vulneratos habentes oculos, eamque negligẽtes, festucam tenuem in aliorum conspiciunt oculis, quam dum incautè festinant auellere, erroris in foueam dilabuntur, minus quidem considerantes, quòd non eos sacerdotum vita læderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotũ admonitionibus aurem accommodarẽt: sed dũ hypocritarum more plus illorum famam quàm propriam vitã vel vitæ negligentiam diiudicant, spernunt sancta monita, & spiritualia dona: vnde fit vt non solum ab eis dicta respuant, sed (quod est deterius) diuina etiam mysteria contemnant, vt nec corporis cõmunionem nec sanguinis domini nostri Iesu Christi eorum ministerio confectam assumant: putantes hanc minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quàm magnum laqueum incidunt, vt diuina & occulta mysteria plus ab alijs sanctificata posse fieri credant, cùm vnus idemque spiritus sanctus in ecclesia diffusa per totum orbem terrarum incomprehensibiliter ea mysteria occultè atque inuisibiliter & operando sanctificet, & benedicendo benedicat. Mysterium itaque, fratres, ob hoc dicitur, quòd secretam & reconditam habet dispensationẽ. Sacrificium autem, quasi sacrum factũ, quia prece mystica cõsecratur pro nobis in memoriam dominicæ passionis. Sacramentũ verò est in aliqua celebratione, cùm res gesta ita fit, vt aliquid sanctificatè accipiamus quod sanctè accipiendum est. Sunt autem sacramẽta baptisma, chrisma, corpus & sanguis Christi, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegimento corporalium rerũ diuina virtus secretius salutem eorundem sacramentorũ operatur. vnde à secretis virtutibus, vel sacris sacramenta dicuntur. quæ ideo fructuosè penes ecclesiã fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus eorundem sacramentorũ latenter operatur effectũ, cuius panis & calicis sacramentum Græcè Eucharistia dicitur: Latinè bona gratia interpretatur. & quid melius corpore & sanguine Christi? Siue ergo per bonos, siue per malos ministros intra ecclesiam dispensetur, sacramentum tamẽ est: quia spiritus sanctus mysticè illud viuificat: qui quondam apostolico in tempore visibilibus apparebat operibus. Nec bonorum meritis dispensatorum ampliatur, nec malorũ attenuatur: quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementũ dat deus. Hoc de corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi, hoc etiã de baptismate & chrismate sentiendum est & tenẽdum, quia virtus diuina secretius operatur in eis: & diuina solũmodo hæc est vir- *1. Corinth. 3.*

tus siue potestas, non humanæ efficaciæ. Polluimus itaque panem, id est corpus Christi, quando indignè accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus. & infrà. Maledicam (inquit) benedictionibus vestris, hoc est his quæ nũc meis benedictionibus possidetis, seu quicquid à vobis benedicitur, maledicam: vel quoniam non benedicunt sanctis ex vero corde: vel quia qui iniquè agunt, benedicuntur ab eis: adulanturque peccatoribus, dummodo diuites sint.

Malach. 2. a

Fab. epist. 2. ITEM Fabianus papa episcopis orientalibus.

Non sacerdotum merita, sed quæ docent & ministrant, considerare debemus. 86

SIgnificastis insuper plerosque attendere multos in ipsis honoribus ecclesiasticis non congruenter viuere sermonibus & sacramentis quæ per eos populis ministrantur. O miseros homines qui hos intuendo Christum obliuiscũtur, qui & multo antè prædixit vt legi dei potius obtemperetur, quàm imitandi videantur illi qui ea quæ dicunt non faciunt, & traditorem suum tolerans vsque in finem, etiam eum euangelizare cum cæteris misit. nam Apostoli talem consuetudinem non habuerunt, ne habendam docuerunt.

Nicol. pap. 1. ITEM Nicolaus papa Michaeli imperatori.

De eodem. 87

NOn quales sacerdotes domini sint: sed quid de domino loquantur, est vobis magnopere præuidendum: nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum quid sint: sed quid pro correctione ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos inferiores dicetis scribis & pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, de quibus dominus præcepit dicens: Quæcunque dixerint vobis, facite: secundum opera eorum nolite facere. Ergo imperator considera, si illos dixit audiendos qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius qui super cathedram Petri resident, esse existimes obaudiendos? ITEM Augustinus contra Petilianum.

Matt. 23. d

Lib 2. cap. 22. contra literas Petil. tom. 7.

Sacerdotum immunditia sacramentum non polluit. 88

DOminus declarauit in vno cœtu hominum eadem sacramenta sumentium non obesse mũdis aliquorum immunditiam. Petilianus dixit: At si quisquã carmina sacerdotis memoriter teneat, nunquid inde sacerdos est quòd ore sacrilego carmen publicat sacerdotis? Augustinus respondit: Ita istud dicis, quasi modo quæramus quid sit verus sacerdos, & non quid sit verũ baptisma. Vt enim quisquam sit verus sacerdos, oportet vt non solum sacramento, sed iustitia quoq; induatur: sicut scriptum est: Sacerdotes tui induantur iustitia. Qui autem solo sacramento sacerdos est, sicut fuit pontifex Caiphas persecutor vnius & verissimi sacerdotis: quamuis ipse verax non est, quod

Cap. 30. eiusdẽ.

psalm. 131.

Idem continuo.

quod dat tamen verum est, si non dat suum sed dei. Idem Cretenses malæ bestiæ, pigri corde. Si ergo Apostolus alienigenę nescio cuius testimonium quia verum cõperit, etiam ipse attestatus est: cur nos apud quęcunque inuenerimus quod Christi est: & verum est, etiam si ille apud quē inuenimus, peruersus & fallax est: non discernimus propter vitium quod homo habet, veritatem quam nō suam sed Christi habet: & dicimus, sacramētum hoc verum est, sicut ille ait: testimonium hoc verum est? Sed nunquid ideo dicimus, etiã ipse homo verax est: quia dicimus, sacramentum hoc verum est? Vobis autem necesse est vt semper erretis quandiu propter hominũ vitia, dei sacramenta violatis, aut nos propter dei sacramenta quæ in vobis violare nolumus, etiam vestri schismatis sacrilegium assumere putatis. Itē Baptismi ergo puritas ab impuritate vel immunditia consciētiæ siue dantis siue accipiētis omnino distincta est. Itē. Memento sacramentis dei nihil obesse mores malorum hominum quo illa vel non sint, vel minus sancta sint. Item. Si non habebat Saul sacramenti sanctitatem, quid in eo Dauid venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Nam eum propter sacramenti vnctionem & honorauit viuũ, & vindicauit occisum. Et quia vel panniculũ ex eius veste abscidit, percusso corde trepidauit. Ecce Saul non habebat innocētiam, & tamen habebat sanctitatem non vitæ suæ, sed vnctionis. nam hæc sine innocentia haberi non potest: sed sacramentum dei (quod & in malis hominibus est) sanctum est. Item Nos dicimus tale cuique sacrificium fieri qualis accedit vt offerat, & qualis accedit vt sumat: & eos de sacrificijs taliũ manducare, qui ad illud tales accedunt quales & illi sunt. Itaque si offerat deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuique est, qualis quisque fuerit: quia & illud scriptum est: Omnia munda mundis. Per hanc sententiam veridicam & catholicam etiã vos Optati sacrificio non estis polluti, si facta eius displicebant vobis: non vtique panis illius panis luctus erat, sub cuius iniquitatibus Africa tota lugebat. Sed panem luctus omnibus vobis cõmunem esse, omnium vestrum malum schismatis facit. Item: Gratias ago deo quia tandem confessus es posse valere inuocatũ nomen Christi ad aliorum salutē, etiam si à peccatoribus inuocetur. Hinc ergo intellige: cùm Christi nomē inuocatur, non obesse aliorum saluti aliena peccata. IDEM in libro psalmorum.

Ad Tit. 1. Ibidem paulo inferius. Cap. 35. eiusdē lib. 2. Ibidem cap. 47. Ibidem cap. 48. 1. Reg. 24. d. Cap. 52. eiusdē. Ad Tit. 1. d Ibidem columna. Ca. 54. eiusdē.

Etiam per malum ministrum dona dei ad eos perueniunt, qui cum fide accipiunt. 89

CHristus quid fecit nobis, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris apostolis traderet?

Mat. 26. b Ioan. 14. c Ioan. 6. g Mat. 10. a

deret? Quid nobis fecit Christus, qui eundem traditorem suũ quem diabolum nominauit, qui ante traditionem domini, nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris discipulis ad prædicandũ regnum cœlorum misit? vt monstraret dona dei peruenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiam si talis sit per quem accipiunt, qualis Iudas fuit. ITEM Gregor.

Sacramentis, episcopi malitia non nocet. 90

NOn nocet malitia episcopi neque ad baptismum infantis neque ad ecclesiæ consecrationem: quia baptisma à deo datur, non ab homine venit. Sic & Eucharistia & omnia quæcunq; in altari ponũtur, non ab homine, sed à deo sanctificationẽ accipiunt. SED obiicitur illud Hier. in Sophoniam.

Hieron. c. 3.

Non verba sed merita sacerdotum Eucharistiam faciunt. 91

Leuit. 21. c.

SAcerdotes qui Eucharistiæ deseruiunt, & sanguinem domini populis eius diuidunt, impiè agunt in lege Christi putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam: & necessariam esse tantum solennem orationem, & non sacerdotũ merita, de quibus dicitur: Sacerdos [†] in quacunque fuerit macula, non accedat offerre oblationes domino.

† in quo.

Alexand. epi. 2. ITEM Alexander.

Tanto facilius sacerdotes exaudiũtur, quãto apud deũ sunt digniores. 92

IPsi sacerdotes pro populo intepellant: & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt. qui quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur.

a Helpidio. ITEM Gelasius [a] Elpidio episcopo. 93

Nõ adest sacramentis spiritus sanctus qua per criminosos ministrantur.

Ex mag. Iuone.

SAcrosancta religio quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vẽdicat, vt ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini mysterij consecrationem cœlestis spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos & qui eũ adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur? ITEM Gregor. in regesto.

Epist. 24 lib. 1.

Manus immunda tacta inquinat, non mundat. 94

NEcesse est vt munda sit manus quæ diluere sordes curat: ne tacta quæque deterius inquinet si sordida [a] sequens lutum tenet: Scriptum namque est: Mũdamini qui fertis vasa domini. Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad interiora perducendas, in conuersationis suæ exemplo suscipiũt.

a si sordida ipsa stercoris lutum.
Esa. 52. d

Aug. homil. 26. ITEM Augustinus.

lib. 50. homil.

Atquè seruandum est verbum Christi, & corpus Christi. 95

INterrogo vos fratres vel sorores, dicite mihi, quid plus videtur vobis? corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus dei verbum, quàm Christi corpus. Et ideo quanta solicitudine obseruamus

uamus quando nobis Christi corpus ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta solicitudine obseruemus, ne verbum domini quod nobis erogatur: dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro pereat: quia non minus erit reus, qui verbũ dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit. ITEM. *Idem Aug. cap. 14. li. 4. de trin.*

De eodem. 96

NEque potest ritè offerri, nisi per sacerdotem iustum & sanctum, nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur: atque id sine vitio sit, vt pro vitiosis mundandis possit offerri. hoc certè omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium deo volunt.

» Cùm vita sacerdotum Eucharistiæ necessaria esse dicitur, GRATIAN.
» non consecrationi, sed effectui intelligendum est. Non enim
» effectum salutis confert ei quem merita faciunt indignum, po
» tius completur in eo illud Apostoli: Qui mãducat corpus do-
» mini, & bibit eius sanguinem indignè, iudicium sibi mandu-
» cat & bibit. Ergo contra eos qui crebra oblatione sacrificij se
» putant posse mundari, non cessantes impiè agere in lege dei,
» intelligitur illud esse dictum Hieronymi. Quòd verò sacer-
» dos etiam si malus sit, tamen pro officio suæ dignitatis gratiã
» transfundat hominibus: testatur Augustinus in libro quæstio- *Quest. 11. ex*
» num veteris & noui testamenti. *veteri testam.*

Sacerdotes nomen domini inuocant: dominus autem benedictionem præstat. 97

DIctum est à domino in Numeris ad Aaron: Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego dominus benedicam eis: vt gratiam traditam per ministerium ordinati transfundat hominibus: nec voluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem dignitas sit sacerdotalis ordinis vel officij, hinc aduertamus. Dictũ est autem de nequissimo Caipha interfectore saluatoris inter cætera. Hoc autem à seipso non dixit, sed cùm esset princeps & pontifex sacerdotũ anni illius, prophetauit. per quod ostenditur spiritum sanctum datorem gratiarum, non personam sequi digni aut indigni, sed ordinem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus: vel officij ministerium exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis. *Num. 6. d* *Ioann. 11. f*

» Quòd verò per hæreticos sacramenta dignitatis ministra- GRAT.
» ta dicuntur carere effectu, improbatur auctoritate Anastasij
» papæ: qui ordinationem Acatij quanuis hæretici, ita ratam
» approbat, vt etiam eis quos post damnationem baptiza-
» uit vel ordinauit, in nullo ream personam nocuisse asserat.

Sed hoc eum illicitè & non canonicè, imò cõtra decreta suo- "
rum prædecessorum fecisse & successorum, probant Felix & "
Gelasius, qui Acatium ante Anastasium excommunicauerũt: "
& Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acatium "
dãnauit. Vnde etiam ab ecclesia Romana repudiatur, & à deo "
fuisse percussus legitur etiã in gestis Romanorum pontificũ, "
hoc modo: Anastasius secundus natione Romanus, &c. Re- "
quire retro in tractatu decretalium epistolarum. "

Augu. lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. tom. 7.

ITEM obiicitur illud Augustini ad Parmenianum de hæreticis & damnatis.

Qui recedit ab ecclesia, nec baptisma, nec ius dandi amittit. 98

QVod quidam dicunt: Baptisma quod accepit, non amittit qui recedit ab ecclesia: ius tamen dandi quod accepit, amittit: multis modis apparet frustra & inaniter dici.

Primò, quia nulla ostenditur causa cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi possit amittere: vtrunque enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrunque homini datur, illud cùm baptizatur: istud cùm ordinatur. Ideo nõ licet à catholico vtrũque iterari. Nã siquando ex ipsa parte veniẽtes etiam præpositi pro bono pacis correcto schismaticorum errore suscepti sunt: etsi visum est opus esse vt eadẽ officia gererent quæ agebant, non sunt tamen rursus ordinãdi: sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod †vnitate pacis est correctum: non in sacramẽtis, quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt. & cùm ipsi expedire videtur ecclesiæ, vt præpositi earum venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent: nõ eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahũtur, sed manẽt etiam super eos. Ideoq; non eis in populo manus imponitur: ne non homini, sed ipsi sacramẽto fiat iniuria, & infrà. Sicut autem †est in baptismo quòd per *eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est: vtrunq; quidẽ ad perniciem suam quandiu charitatem non habent vnitatis. Sed tamen aliud est prorsus non habere: aliud perniciose habere: aliud salubriter habere. Quicquid non habetur, dandũ est cùm opus est dari. Quod verò perniciose habetur: per correctionem depulsa pernicie agẽdum est vt salubriter habeatur. Quòd etsi laicus alicui pereunti necessitate compulsus baptisma dederit, quod cùm ipse acciperet, quomodo dãdum esset alicui, didicit: nescio an quisquam dixerit piè esse repetẽdum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est. Si autẽ necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictũ est. Sed si in nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur: quod datum fuerit, non potest dici non datum: quamuis rectè dici possit illicitè datum. Illicitam ergo vsurpationem corrigit reminiscentis & pœniten-

Marginal notes: †*vnitatis pace.* †*habent.* **omnes.*

pœnitentis affectus:quod si non correxerit, manebit ad pœnam vsurpationis quod datum est, vel eius qui illicitè dedit, vel eius qui illicitè accepit:non tamen pro non dato habebitur. Si enim aliqui furtim & extraordinariè non in monetis publicis aurum vel argentum percutiendo signauerint:cùm fuerit deprehensum:nónne illis punitis, vel indulgentia liberatis,cognitum regale signum thesauris regalibus congregatur? Et paulò post.

Si fortè militiæ characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruit,& ad clementiam imperatoris cõfugerit, & impetrata venia militare iam cœperit:nũquid homine liberato atque correcto character ille repetitur : an non potius agnitus approbatur? An fortè minus habẽt sacramẽta christiana quàm corporalis hæc nota?cùm videamus nec apostatas carere baptismate:quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus nõ restituitur:& ideo amitti non posse iudicatur. De his qui ab ecclesiæ catholicæ vnitate separati sunt, nulla iam quæstio est quin habeãt & dare possint † sacramẽta:sed perniciose habẽt, perniciosèque tradunt:quia extra vinculũ pacis sunt. Neutri sacramẽto iniuria facienda est,& infra. Sicut non rectè habet qui ab vnitate recedit, sed tamen habet:& ideo redeunti non redditur:sic etiam non rectè dat qui ab vnitate discedit: sed tamen dat quod accepit:& ideo quod accepit,ab eo venienti ad vnitatem non iteratur.& infra. Sicut redeunti non † datur quod & foris habebat:sic venienti repetendum non est quod foris acceperat: Vnde consequenter intelligitur peruersitatem hominũm esse corrigendam:sanctitatem autem sacramẽtorum in nullo peruerso esse violandam. Constat enim eam in peruersis hominibus & sceleratis,siue in eis qui intus sunt,siue in eis qui foris sunt, impollutam atque inuiolabilem permanere:& quòd dicuntur eam mali polluere,quãtum in ipsis est dicuntur:cum illa impolluta permaneat: sed in bonis permanet ad præmium:in malis permanet ad iudicium. & infra. Quomodo catholici non clarificant dominum,qui sacramenta eius tam debita veneratione prosequuntur, vt etiam si ab indignis tractata fuerint, vel sua peruersitate damnatis:illa intemerata sanctitate permanere demonstrantur.

† *baptismum*

† *redditur.*

12. pars. GRATIAN.

„ Ex his verbis Augustini constat in omnibus,tam apostatis „ quàm hæreticis vel damnatis permanere Christi sacramenta „ vera quantũ ad se,& sancta: & nisi pœnitentia vel indulgẽtia „ subuentum fuerit,ad damnationem vsurpatoris peruenient, „ vel habentis,vel dantis,vel accipientis. Quid ergo prodest „ quòd vera & sancta sunt,cũ vsurpatores suos æquè perimãt, „ ac si essent mala & noxia? Crassus aurum sitiuit, aurum bibit, „ æquè periit vero auro sicut vero veneno. Itẽ aurum æquè verũ

est in arca furis, sicut in thesauris regis. sed à fure quia illicitè habetur, illicitè datur vel accipitur: à rege autē licitè habetur, licitè datur & accipitur: ideo ipse fur, & cōmunicator furti (nisi fortè de conscientia furti se purgauerint) vt perhibet Gelasius ad Anastasium imperatorem, vterque iustè & dignè damnabitur. Opponitur autem huic sententiæ Augustini: Potestas dandi baptismum, & ius consecrandi dominicū corpus, & largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspenso enim vel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi. Sacramentum tamen baptismi non solum à sacerdote deposito, vel laico catholico, verumetiam ab hæretico vel pagano si ministratum fuerit: nulla reiteratione violabitur: nulla autem ratio sinit vt inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici vel pagani oleum sacræ (immo execrādæ vnctionis) assumunt. Non ergo consequenter colligitur, vt si recedentibus à fide ius baptizandi relinquitur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur: quamuis vtrūq; à consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatē largiendi sacros ordines non habet: facultatem tamen baptizandi non amisit. Sed ne Augustinū in hac sententia penitus reprobemus: intelligamus aliud esse potestatem distribuēdi ordines sacros: aliud esse executionem illius potestatis. qui intra vnitatem catholicæ ecclesiæ constituti, sacerdotalem vel episcopalem vnctionem accipiunt: officiū & executionem sui officij ex consecratione adipiscuntur. Recedentes verò ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramēto tenus retinent: effectu suæ potestatis penitus priuantur: sicut cōiugati ab inuicem discedentes, coniugiū semel initū non dissoluunt: ab opere tamen coniugali inueniuntur alieni. De his ergo qui accepta sacerdotali potestate ab vnitate catholicæ ecclesiæ recedunt, loquitur Augustinus, non de illis qui in schismate vel in hæresi positi sacerdotalem vnctionem accipiūt: alioquin esset cōtrarius Chalcedonensi concilio, in quo ordinati à simoniacis, in nullo proficere iudicantur: & Innocentio, qui ordinatos à cæteris hæreticis, per prauam manus impositionem solam damnationē & capitis vulnus assecutos testatur. Quamuis possit generaliter dici sacramenta quæ apud hæreticos non aliter quàm in ecclesia dei celebrantur, vera & rata esse quantū ad se, falsa verò & inania quantū ad effectū, & in his à quibus malè tractantur, & in illis à quibus malè suscipiuntur. Nec mirū. Ipsa enim salus nostra buccellam Iudæ dedit: statim cum buccella non bonus sed malignus spiritus intrauit. Quare? Non quia bonus non daret bonum: sed quia malus malè accepit bonum: sic quòd bonum effectum bonum non habuit: quia vbi illud faceret, non inuenit. Item dominus in patria sua præsens & verus affuit: non

non per malum ministrum, sed per seipsum nihil potuit: quia fidem non inuenit. pro perfidia aliorum non caruit sua veritate, sed effectus boni virtute. Quod vt planè in omnibus sacramentis ostenderet, bis est transfiguratus cùm esset in carne. In vna transfiguratione sicut sol apparuit mirabilis: vt fides credentium augeretur ad contemplandam cœlestem gloriam super se eleuatam. In altera vt peregrinus incognoscibilis de se dubitantibus ire longius se finxit: & ne agnosceretur, oculos eorum tenuit. Ad quid aliud, nisi vt quia per fidem non erat in cordibus eorum, longius se ab eis recedere ostenderet: & quia ipsum non credebant esse quod erat, viderent eum alium quàm erat? Ecce in vtraque visione sua erat præsentia & veritas: sed in vna exercebatur fides, vt magis crederent quàm credebant: in altera tenebatur incredulitas, ne etiam agnoscerent quod videbant. Sacramentum ergo corporis & sanguinis sui aliis est ad salutem: aliis est ad iudicium. Fides etiam quamuis sit vera, tamen sine operibus mortua est. Sic & omnes decem virgines æqualiter erant virgines: sed ex his quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. æqua erat virginitatis veritas: sed pro eiusdem virginitatis intentione non omnibus æqua meriti identitas. Sic etiam est æs sonans aut cymbalum tinniens, martyrium vel eleemosyna quam nescit charitas. Si verò cæcus cæco lucernæ ministret veritatem, neuter tamen ideo magis suam illuminat cæcitatem. sic & malus ministrat malo vera sacramenta, sed non ideo dona spiritualia: quia malis eorum meritis spiritus sanctus impeditur ne in eis quod suũ est operetur. vnde Innocentius cùm hæreticorũ baptisma concedat esse ratũ: non tamen ex illo baptismate concedit haberi spiritum sanctum. Et Leo hos qui formã baptismatis acceperunt, non sinit rebaptizari: sed iubet spiritũ sanctũ quem ab hæreticis nemo accipit: per eius inuocationem, & manus impositionem à catholicis sacerdotibus consequi. Sciendũ verò est quòd sacramenta hæreticorũ dicuntur irrita vel damnanda, falsa & inania, non quantũ ad se, cũ sint sancta & vera etiam ab hæretico celebrata: sed quia cũ illicitè dantibus perfidis sint ad iudiciũ, illicitè ab eis accipientibus non conferũt spiritũ sanctũ. Irrita & non vera dicũtur: quia quod promittunt, & conferre creduntur, non tribuunt: & ideo damnanda, vt ea dari vel recipi ab hæreticis non approbentur, sed interdicantur: non enim quantum ad se polluta sunt, quanuis ab hæreticis pollui dicantur. Vnde Gregorius cõmunionem Arrij vocat execrationem: & Innocẽtius vocat Bonosij ordinationem damnationẽ: non quòd ita in se sint, sed quia malè dãtibus vel accipientibus id efficiũt. Sic etiã Hieronymus in

Iacob. 2. d
Matth. 25. a

Osee

Osee.9.a Osee sacrificia eorum panem luctus vocat non quantum ad se, sed quantum ad effectum: quod ipsemet ostendit subiungens: Quicunque comederit ex eo, contaminabitur: quia sibi ad iudicium sumet. Cap. 5. HINC etiam Augusti. lib. ij. contra epistolam Permeniani.

Sacramenta quamuis obsint indignè tractantibus, prosunt tamen dignè sumentibus. 99

Esa.66.a PEr Esaiam dominus dicit: Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi canem occidat: qui coquit similaginē, quasi sanguinem porcinum: & qui offert thus in memoriam, quasi blasphem⁹. Quilibet vbilibet offert sacrificium tali corde vel factis vt hoc mereatur audire, perniciem sibi infert: non illis Ezech.9.b bonis qui secundum prophetam Ezechielem gemunt & mœrent peccata & iniquitates quæ sunt in medio eorum, quamuis inde se non corporaliter separent. & infra. Sacrificia impiorum eis oberunt qui offerūt impiè. nam vnum atq; idem est sacrificium, propter nomen domini quod ibi inuocatur: & semper est sanctum: & tale cuique fit, quali corde ad accipien dum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudiciū sibi manducat & bibit: nō aliis sed sibi. & infra. Hoc pene in omnibus talibus quæstionibus intelligendum esse admonemus, quia simul omnia sacramenta cùm obsint indignè tractantibus: prosunt tamen per eos dignè sumentibus. & infra. Spiritus sanctus in ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, vt si fictus non est operetur per eum: & eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum etiam regenerationem vel ædificationem, qui per eum siue consecrantur, siue euangelizātur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: desit quidem saluti eius, & aufert se à cogitationibus eius, quæ sunt sine intellectu: ministerium tamen eius non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.

Cap.6. paulo inferius. Cap.10. eiusdē. Cap.11. eiusd. Sapien.1.a

GRATIA. Constat ergo (vt Innocentius ait) de cæteris hæreticis ordinatos à simoniacis per prauam manus simoniacæ impositionem vulneratum habere caput. Sed obiicitur quod in ordinatione simoniacorum hoc solum reprehensibile inueniatur, quod gratia spiritus sancti sub precio redigi putetur: aliorsum autem in omnibus integra forma sacramentorum seruetur. Cùm ergo illicita sacramenti vsurpatio per pœnitentiam correcta fuerit, vt gratia spiritus sancti gratuita & non venalis existimetur, integer debet adesse vnctionis effectus: immo etiam si non sequatur pœnitentia: licet simoniacè, tamen teuera cōsecratus reputetur: sicut illi qui quondam nō nisi precio dato, nec ad sacri baptismi regenerationē, nec ad sanctæ communionis participationem admittebantur, licet simoniacè, tamen

" men non ideo minus baptizati, vel sacræ communionis parti-
" cipes reputati sunt: sed hoc tantum sacris canonibus constitu-
" tum est, ne de cætero sacramenta Christi simoniacè distribuan-
" tur. VNDE Gelasius. Cap. 7. epistolæ Gel. pap. 1. ad episcopos per Lucaniam.

A baptizandis vel consignandis precia non exigantur. 100

BAptizandis consignandisque fidelibus sacerdotes precia nulla præfigant: nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. & ideo nihil à prædictis prorsus exigere moliantur: quo vel paupertate cogēte deterriti, vel indignatione reuocati, redemptionis suæ causas iure despiciāt: certum habentes quòd qui prohibita deprehensi fuerint admisisse: vel cōmissa non potius sua sponte correxerint: periculum subeant proprij honoris. ITEM ex sexta synodo[a]. a In Trullo c. 23.

A percipiente gratiam communionis precium exigi non debet. 101

NVllus episcopus, aut presbyter, aut diaconus qui sacram dispensat communionem, à percipiente *in* gratiam communionis aliquod precium exigat. Neque enim venditur gratia, neque pro precio gratiam spiritus sancti damus, sed dignis muneribus sine defraudatione participare cōcedimus. Si quis verò eorum qui connumerantur in clero: ab eo cui sacram cō munionem dispensat, aliquod precium exegerit: deponatur sicut imitator simoniacæ fraudis.

ITEM ex concilio Toletano xj. Cap. 8.

Munera inuisibilis gratie quæstibus non sunt comparanda. 102

QVicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur; nunquā quæstibus vel quibuslibet præmijs venundari penitus debet, dicente domino: Quod gratis accepistis, gratis date. & Matth. 10. ideo quicunque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus pro chrismate vel promotionibus graduum precia quælibet vel præmia (nisi voluntariè oblata) pro huiusmodi ambitione susceperit: equidem si sciente loci episcopo tale quicquam à subditis perpetratum fuerit, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat: pro eo quòd in consciētia mala contexit, & correctionem necessariam non acquisiuit. Sinautem suorum quispiam eodem nesciente quicquam de supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit: si presbyter est, quatuor mensium excommunicatione plectatur. si diaconus, trium. subdiaconus vel clericus his cupiditatibus seruiens, pro arbitrio cōpetenti pœna & debita excommunicatione plectendus est.

ITEM ex concilio Carthaginensi iiij. In cōcilio Brac. 2. cap. 4. habetur.

Nihil à sacerdotib⁹ exigatur pro balsamo quod in chrismate ponitur. 103

PLacuit vt nullus episcoporū pro modico balsami quod benedictum pro baptismi sacramēto per ecclesias datur (quia singuli

singuli tremissem pro ipso exigere solent) aliquid vlterius exigat: ne fortè quod pro salute animarum per inuocationẽ spiritus sancti consecratur: sicut Simon Magus donum Dei pecunia voluit emere, ita nos venundãtes damnabiliter venundemur. ITEM ex eodem.

Ex eodem conc. Brac. cap. 7.

Non est aliquid exigendum ab his qui infantes suos ad baptizandum adducunt. 104

PLacuit vt vnusquisque episcopus per ecclesias suas hoc faciat, vt hi qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo voto offerũt, ab eis suscipiatur. si verò per necessitatem paupertatis aliquid non habeant quod offerant, nullum eis pignus violẽter tollatur à clericis. nam multi pauperes hoc timentes, filios suos à baptismo retrahunt: qui fortè dum differũtur, si sine gratia baptismi de hac vita recesserint, necesse est vt ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes à baptismi gratia se subtraxerunt.

Cap. 48 ITEM ex concilio Eliberitano.

Qui baptizatur, nullos nummos in concham mittere cogatur. 105

EMendari placuit vt qui baptizantur (vt fieri solebat) nummos in concham non mittant. ne sacerdos quod gratis accepit, precio distrahere videatur. neque enim pedes eorum lauandi sunt à sacerdotibus vel clericis.

ITEM ex concilio Triburiensi.

Pro perceptione baptismi vel chrismatis aliquid exigi non debet. 106

DIctum est solere in quibusdã locis pro perceptione chrismatis nummos dari: similiter pro baptismo & communione. Hoc Simoniacæ hæresis detestata est sancta synodus, & anathematizauit: & vt de cætero nec pro ordinatione nec pro chrismate vel baptismo vel pro balsamo nec pro sepultura vel communione quicquam exigatur, statuit: sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.

Iuo Carn. lib. 1. de sacra. baptismi refert ex eodem. ITEM ex concilio Cabilonensi.

Nec pro dedicandis basilicis vel pro sacramentis ecclesiæ conferendis aliquid exigi debet. 107

STatuimus vt sicut pro dedicandis basilicis & dandis ordinibus nihil accipiendum est: ita etiam pro balsamo vel pro luminaribus emendis nihil presbyteri chrisma accepturi dẽt. Episcopi itaque de facultatibus ecclesiæ balsamum emant, & luminaria singuli in ecclesiis suis.

· 13. parti.

GRATIAN. SICVT ergo hæc sacramenta licet simoniacè ministrentur, tamen effectum benedictionis conferunt accipienti: sic & sacedotalis vnctio licet simoniacè ministretur, suo tamen non debet carere effectu: sed sicut suprà dictum est, illa sacramenta sunt necessitatis, hæc dignitatis: & ideo priuilegia illorum non possunt generare communem legem illorum.

Habent

" Habent ergo simoniaci vulneratum caput per simoniacę manus prauam impositionē. Hoc autē de illis intelligitur, quos nec excusat ignorantia, nec attractionis violentia: qui ab illis ordinantur, quos indubitanter sciunt esse simoniacos: siue simoniacè, siue nō simoniacè ordinentur ab eis. Vt enim distinguit Nicolaus papa, alij simoniacè ordinātur à simoniacis: alij simoniacè ordinantur à non simoniacis: alij non simoniacè à simoniacis. HANC distinct. innuit Nicol. papa. ij. dicens.

Iuo lib 3. de simoniace ord refert ex eodem.

De multiplici genere simoniacorum. 108

STatuimus decretum de simoniacis simoniacè ordinatoribus vel ordinatis: & de simoniacis simoniacè à non simoniacis: & de simoniacis nō simoniacè à simoniacis. Simoniaci simoniacè ordinati vel ordinatores secūdum ecclesiasticos canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniacè à non simoniacis ordinati, similiter ab officio malè accepto remoueantur. Simoniacos autem non simoniacè à simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere. Sed hoc intelligendum est de his qui ordinantur a simoniacis quos ignorabant esse simoniacos. hos facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci.

DE quibus Vrbanus papa ait.

De his qui non simoniacè à simoniacis ordinantur. 109

SI qui à simoniacis non simoniacè ordinati sunt: si quidem probare potuerint se cùm ordinarentur nescisse eos simoniacos esse, & quòd tunc pro catholicis habebantur in ecclesia: talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen eos laudabilis vita commēdat. qui verò scienter se à simoniacis consecrari (immo execrari) permiserint: eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus.

IDEM Nicolaus iunior. Hoc idem Alexander ij.

Iuo Carn. lib. 3 vbi supr. refert.

De eo qui ordinatur ab illo quem scit simoniacum esse. 110

DE cætero statuimus, vt si quis in posterum ab eo quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator & cōsecratus non disparem damnationis sententiam subeant: sed vterque depositus pœnitētiam agat: & priuatus propria dignitate persistat. IDEM.

Iuo Carn. lib. 3 tribuit Nicol. ij. Ex magno Iuo. P. 5.

Simoniacis in dignitate seruanda, nulla est impendenda misericordia. 111

ERga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruāda habendam esse decernimus: sed iuxta canonum sanctionem & sanctorum patrum decreta eos omnino damnamus, ac deponendos auctoritate apostolica sancimus. Subaudiendum est, nisi violenter attracti fuerint.

DE his enim & à quibuslibet hæreticis violenter ordinatis ait Innocentius.

Inn pap 1. ad pisc. Macedon.

De

De his qui inuiti ad hæreticorum ordinationem trahuntur. 112

CONstat multos vim passos esse, atque inuitos attractos repugnantesque ab hęreticis ordinatos: sed huiusmodi aliquis si post ordinationē talem non interfuit cùm illi conficerent sacramēta: si communioni eorum participatus non est: si statim discedentibus illis, pessimo conciliabulo eorum abrenunciauerit: si ad ecclesiam redijt: talis potest habere colorem aliquem excusationis. Cęterum qui post mensem aut amplius redierunt cùm se considerarent ab hæreticis ordinatos: quamuis nihil ab eis acceperunt, rei sunt vsurpatæ dignitatis.

GRAT. "Tales plerunq; ex intuitu pietatis reformat catholicæ manus impositio cum satisfactione & medicina pœnitentiæ. Sed dānationem simoniacorum, & eorum qui eis consenserūt, legimus: medicinā verò, authenticam ex hac hæresi nominatim non legimus, nisi quòd sicut vsurpatum est in Nouatianis vel Donatistis, minoribus vtiq; hæreticis, non canonicè, sed ex intuitu pietatis: ita etiam ex his posse fieri colligimus: ideoq; etiam quia aliorsum per omnia orthodoxā habent fidem, nisi quòd spiritum sanctum credunt esse venalem. Et (vt ait beatus Aug.) hæretici cū redierint: qua parte se absciderint, ab ecclesia curentur: qua verò parte adhæserint, cognoscantur. "HINC & Leo scribit Ianuario episcopo."

Leo pap. 1. epi. 3. ad Iulianum episcopum.

Qui ab hæresi ad ecclesiam redeunt, in quo inueniuntur ordine, ex beneficio perseuerent. 113

OMnis cuiuslibet ordinis clericus qui catholicam deserens vnitatem, hæreticæ vel schismaticæ coniunctionis contagione se maculauerit: si ad ecclesiam redierit cum legitima satisfactione, & erroris sui damnatione: hoc in magno beneficio habeat, si adempta spe omnis promotionis, in quo inuenitur ordine permaneat.

GRATIAN. "De his autem qui ordinantur simoniacè à non sim[o]niacis, vtpote illi qui data pecunia archidiacono vel consili[ario]s episcopi episcopo ignorante hoc efficiunt, vt de manu ei[us s]acros ordines accipiant: ita scribit Gregorius iiij."

Ordinationes quæ simoniacè fiunt, falsæ iudicantur. 114

ORdinationes quę interueniēte precio vel precibus vel obsequio alicui personæ ea intentione impenso, vel quæ nō communi consensu cleri & populi secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab ijs ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, falsas esse diiudicamus: quoniam qui taliter ordinantur: non per ostium, id est per Christum intrant, sed (vt ipsa veritas testatur) fures sunt & latrones.

Ioan. 10.

14. pars. GRATIAN. "Quia ergo simonia tripliciter in capitulo notatur, videndū est quot modis precium in hac hæresi detur."

Greg. homilia. 4

HOC beatus Greg. in euangeliorū tractatu exponit dicēs.

De

De multiplici genere simoniacorum. 115

SVnt nonnulli qui quidē nummorū præmia ex ordinatione non accipiunt: & tamen sacros ordines pro humana gratia vel laude largiūtur: atque de ipsa largitate laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod accipiunt gratis, gratis non retribuunt: quia de impēso officio sanctitatis nummum expetunt fauoris. vnde cùm virum iustum propheta describeret, ait: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Nō dixit solùm à munere, sed ab omni munere: quia aliud est munus ab obsequio, aliud à manu, à aliud lingua. Munus ab obsequio est seruitus indebitè impensa. Munus à manu, pecunia est. Munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit: tūc ab omni munere manus excutit, quādo in diuinis rebus non solùm pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit. IDEM in Regesto. *Esa. 33. c.* *Psal. 25.*

Aeternam damnationem inueniet qui quolibet munere ad sacros ordines accedit. 116

SI quis neque sanctis pollens moribus: vel neque à clero populoq; vocatus, vel pulsatione coactus, impudenter Christi sacerdotium iam quolibet facinore pollutus, iniusto cordis amore, vel sordidis precibus oris, siue comitatu, siue manuali seruitio, siue fraudulēto munusculo episcopalē seu sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloriæ auaritia fultus dignitatem acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, eumq; insperata mors pœnitentem non inuenerit: proculdubio in æternum peribit.

Hinc idem Gregorius Ioanni Corinthiorum episcopo. *Greg. epist. 55. siue capit. 99. lib. 4.*

Pro ordinationibus nihil omnino accipiatur. 117

DE ordinationibus accipere aliquid sub districta interdictione vetuimus. oportet ergo vt neque per donum, neq; per gratiam, neque per quorundam supplicationē aliquos ad sacros ordines consentias vel permittas adduci.

ITEM vniuersis episcopis per † Ilerdam prouinciam constitutis. *† Helledam Epist. 56. lib. 4. seu cap. 110. Greg.*

Nec precio, nec prece, nec gratia, nec supplicatione aliqui ad sacros ordines accedant. 118

QVibusdam narrātibus agnoui, ꝙ in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. quod si ita est, flens dico, gemensque denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus ortus occidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex euangelio quid redemptor noster per seipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vēdentium columbas euertit. Columbas enim vendere, est de spiritu sancto (quē Deus omnipotēs consubstantialē sibi per impositionem manuū hominibus tribuit) cōmodum tēporale percipere: ex *Matth. 21. b*

re: ex quo (vt prædixi) malo iam euenire creditur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt: eorum (iudice Deo) cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis propagatur cum augmēto. Nam eo ipso quòd quisque ad sacrum ordinem vel honorē perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus paratior est aliis venundare quod emit: Et vbi est quod scriptum est: Gratis accepistis: gratis date? Et cùm primò contra sanctam ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta; cur non perpenditur, cur non videtur quia eum quē cum precio quis ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Ideoq; hortamur vt vestrum *nullus hoc denuo fieri patiatur: sed neque gratia alicuius nec suplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promouere, nisi eum quem vitæ meritum & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstrauerit. Nā si aliter factum senserimus denuo, districta & canonica illud noueritis vitione compesci. ITEM Symmachus.

Math. 10. 4.

Sym. pa. ad Cæsarium. cap. 5.

Ad episcopalem honorem nullus per ambitum accedat. 119

NVllus itaque per ambitum ad episcopalem honorem permittatur accedere. Nam cùm hic excessus in laicali conuersatione culpetur: quis dubitat quin religiosis & Deo seruientibus iniiciat vel incutiat opprobrium? ITEM Gregorius.

Epi. 48. lib. 2. ad Adeodatum.

De eodem. 120

ESTote ergo in ordinatio præcipuè soliciti, & ad sacros ordines nisi prouectiores ætate & mundos opere * nulllatenus admittatis. Eorum enim qui in sacro sunt ordine collocandi, prius vitam moresque discutite, & vt dignos huic officio adhibere possitis, non vobis potētia aut supplicatio quarumlibet subrepat personarū. Quando igitur de his tractare necesse est, graues expertosque viros consilij vestri adhibere participes: & cum eis communi hoc deliberatione pensate.

*al. corpore.

IDEM Columbo episcopo.

Greg. epi. 47. lib. 2. siue ca. 86

Neque fauore neque venalitate ad sacros ordines quisquam promoueatur. 121

PVeri ad sacros ordines nullatenus admittātur: ne tanto periculosius cadāt, quanto citius conscendere ad altiora festinant. Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia, vel supplicatio personarum: nihil aduersus hæc quæ prohibemus obtineat. Nam proculdubio deus offenditur si ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex fauore (quod absit) aut venalitate prouehitur. Econtra idem Gregorius quibusdam supplicantibus vnum acolytum & alterum diaconum legitur ordinasse, sicut ipse scribit Petro episcopo Corsicæ inter cętera.

Greg. Chrisanto episcopo Spolitano epist. 2. lib. septimi.

Episcopo interueniente papa quendam acolytum ordinauit. 122

LAtorem præsentium per intercessionem vestræ sanctitatis acolytum fecimus: quem ad obsequia vestra transmisimus:

mus: vt si in lucrandis animabus amplius seruierit, proficere amplius possit. IDEM Heliæ presbytero & abbati. Greg. epist. 74. lib. 4.

Quisquis in Romana ecclesia sacrum ordinem acceperit: ab ea vlterius egredi non poterit. 123

FIlium vestrum Epiphanium mandastis vt ad sacrum ordinem promouere deberemus, vobisque transmittere. Sed in vno vos audimus, in altero minimè potuimus audire. Diaconus quidem factus est. Sed quisquis semel in hac ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea vlterius licentiam non habet. Si verò videre vos non potui: ex hac re cōsolationem habeo, quia in filio vestro requiesco.

„ Non itaque quorumlibet precibus ordinationes factæ falsæ diiudicantur, sed hæ demum, quæ precibus ordinandi, vel eius amici, nō spirituali sed carnali affectu porrectis fiūt, cùm aliâs futuræ non essent, quas non charitas interueniens, sed ambitio supplicans extorquet. Non solùm autē clericos cuiuslibet episcopi summus pōtifex in ecclesia Romana valet ordinare: verū etiā opportunitate exigēte monachos & quoscūq; clericos conuocare potest & inuitare. VNDE Nicolaus papa. GRATIAN. Nic. I. ad Michaëlem imperatorem.

De eodem. 124

PEr principalem beatorum Petri & Pauli potestatem ius habemus non solùm in monachos, verumetiam in quoslibet clericos de quacunq; diœcesi, cùm necesse fuerit ad nos cōuocare, atq; ecclesiasticis exigētibus opportunitatibus inuitare. 15. pars.

„ Quolibet ergo munere interueniente falsa diiudicatur ordinatio. Sicut autem precio interueniente sacri ordines non sunt tribuendi, ita nec restituendi, vt enim ait beatus Ambrosius: sacri ordines nec precio sunt emendi, nec redimendi. GRATIAN.

„ HINC etiam Gregorius. vij. ait.

Precio interueniente sacerdotale officium non restituatur. 125

NVllus episcopus grauamen seu seruile seruitiū ex vsu contra ecclesiasticam normam abbatibus seu clericis suis imponat: vel interdictum sacerdotale officiū precio interueniente restituat. quod si fecerit, officij sui periculum subeat.

„ Qui autem pecuniam accipiunt vt ordinandis sacros ordines nō tribuant, vel vt canonicæ electioni assensum nō præbeant, aut ecclesiis ædificandis vel consecrādis lapidem benedictū vel consecrationē subtrahāt: multis argumētis acceptę pecuniæ rei, & infames esse probātur. AIT enim Paschalis. ij. GRATIAN.

Sacrilegi sunt iudicandi qui ecclesiam dei non permittunt regulariter ordinari. 126

SVnt quidam qui vel violentia vel fauore non permittunt ecclesias regulariter ordinari. hos etiam decreuimus vt sacrilegos iudicandos.

Tit. 27. lege 4
a Impp. Valentinianus & Theodos. AA.

CODICE [a] lib. ix. ad. l. Iuliam repetundarum. 127

IVbemus & hortamur vt si quis fortè honoratorum, decurionum, possessorum, postremò etiam colonorum, aut cuiuslibet ordinis à Iudice fuerit aliqua ratione concussus: si quis scit de iure venalem fuisse sententiam: si quis pœnam vel precio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam: si quis postremò quacunque de causa improbũ iudicem potuerit approbare: is vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum procedat: crimen deferat delatum approbet, cùm probauerit, victoriam reportaturus & gloriam.

Lib. 3. digest. tit. 6. le. prima.

ITEM in digestis titulo de calumniatoribus. Vlpianus.

De eodem. 128

IN eum qui vt calumniæ causa negocium faceret vel non faceret, pecuniam detegitur accepisse: intra annum vtilem in quadruplum eius pecuniç quam accepisse dicitur. post annum in simplum in factum actio competit.

Titu. 13. lege. 2
b deest, & in manuscrip.

IBIDEM lib. xlvij. titulo de concussione [iudicis. [b]] 129

COncussionis iudicium publicum non est: sed si ideo pecuniam quis accepit, quòd crimen minatus sit: potest iudiciũ publicum esse ex senatusconsultis, quibus pœna legis Corneliæ teneri iubentur qui in accusationem innocentiũ coierint: quíve ob accusandum vel non accusandum, denunciandũ vel non denunciandum testimonium, pecuniam acceperint.

Tit. ad legem Iuliam repe. leg. 2.
c in veteri libro nec est palea.

IBIDEM lib. xlviij. tit. de lege Iulia repetundarũ, Marcell.

Palea. [c] 130

LEge Iulia repetundarum tenetur, qui cùm aliquam potestatem haberet, pecuniam ob iudicandum vel non iudicandum decernendúmve acceperit. VENVLEIVS vel quo magis aut minus quid ex officio suo facerent. IDEM.

Ibidem lege. 6.

De eodem. 131

EAdem lege tenẽtur qui ob denunciandum, vel non denunciandũ testimonium pecuniã acceperint. *Et postea* lege Iulia repetundarũ cauetur, ne quis ob militem legendum mittendúmve æs accipiat, néve quis ob sententiã in senatu cõcilióve publico dicendam pecuniam accipiat, vel ob accusandum vel non accusandum. [d] Marcellus ibidẽ. Lex Iulia repetundarum præcipit ne quis ob iudicem arbitrúmve dandum vel mutandum, iubendúmve vt iudicet, néve ob non dandum, vel non mutandum, vel non iubendũ, *vt iudicet* néve ob litẽ æstimandam, iudiciúmve capitis pecuniæve faciendũ vel non faciendum, aliquid accipiat. Hodie ex lege Iulia repetundarum extra ordinem puniuntur. & plerunq; vel exilio puniuntur, vel etiam durius prout [e] admiserint. Hac lege damnatus testimonium publicè [f] dare, aut iudex esse, postularéve prohibetur.

d Macer.
Ibidẽ continuò.
e admiserint.
f sumptũ ex l. 6. §. 1. ibidem. vbi legitur dicere.

QVAEST.

QVAESTIO. II.

AN PRO RELIGIONIS INGRESSV SIT EXIGENDA PECVNIA, ET EXACTA SIT PERSOLVENDA.

GRATIAN.

„ SEquitur secunda quæstio, qua quæritur an pro ingressu „ monasterij pecunia sit exigenda, vel exacta persoluen- „ da? Hoc vtrunque [a] licitè fieri, vtriusque testamenti se- „ rie comprobatur. Legitur enim in. 1. lib. Regum quòd An- „ na detulit secum Samuelem postquam ablactatus fuerat, in „ tribus vitulis, & tribus modiis farinæ, & amphora vini ad „ domum domini in Silo. In actibus verò apstolorum legitur „ quòd multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: „ nec aliquid eorum quæ possidebant, quisquam suum propriũ „ esse dicebat: sed erant illis omnia communia: & singuli ven- „ debant prædia sua, & ponebant precia eorũ ante pedes aposto- „ lorum, quorum vnus (Ananias scilicet) dũ partẽ sibi reseruaret, „ cum vxore sua Sapphira sententia maledictionis accepta ante „ pedes Apostoli cecidit mortuus. Hinc liquido apparet ꝙ in- „ gressuri monasterium sua debẽt offerre rectoribus: nec aliter „ sunt recipiendi, nisi sua obtulerint. Sed aliud est sua sponte „ offerre: aliud est exacta persoluere. Anna mater Samuelis non „ exacta neque petita, sed sponte munera sacerdotibus obtulit. „ Credentes, [b] etiam [b] sua sponte offerebant apostolis: vt indigentium necessitatibus deseruirent quæ instante persecutione infidelium eis possidere non licebat. Ananias quoque non ideo damnatus est, quia sua nollet offerre, sed quia spiritui sancto mentitus, precia eorum quę Apostolis obtulerat, ex parte fraudabat. Non ergo his auctoritatibus permittitur rectoribus ab ingressuris aliquid exigere, sed sponte oblata suscipere: quia illud damnabile est, hoc verò minimè.

a al. licitum.
1. Reg. 1. d
Acto. 4. f.
Acto. 5. a.

VNDE in Bracharen. conc. *secundo* legitur.

Cap. 5. conci. Brac. 2.

Pro dedicandis ecclesiis nihil exigatur. 1

PLacuit vt quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi inuitantur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant, sed ipse fundator si quidẽ aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Si verò aut paupertas illum aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tamen vnusquisq; episcoporũ meminerit, vt non prius dedicet ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatam accipiat. Nam non leuis culpa est ista temeritas, vt sine luminariis vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem seruituri sunt, tanquã domus priuata consecretur ecclesia.

ITEM Bonifacius vrbis Romæ episcopus scribit omnibus Carolitanæ ecclesiæ cœnobitis. [b]

b aliàs cœnobjis

Ab his qui ad conuersionem accedunt nihil est exigendum : nec precio aliquis ad conuersionem est inuitandus. 2

QVàm pio mentis affectu fratres charissimi vestræ destitutioni Romana compatitur ecclesia, vobis fortassis est incognitum: sed cognitori omnium non incognitum habetur. Dubitationi autem vestræ quod idoneum demus responsum, Deum testificor, ipsa quoq; me dubitatio reddit anxiũ & ineptum. Nusquam enim legimus domini discipulos, vel eorum ministerio conuersos quempiam ad dei cultum aliquo muneris interuentu prouocasse, nisi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè proponat: quorum nulli cuiuscunque professionis esset, victualia negabantur. Scimus equidem quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminũ, apud quem & à quo bonæ voluntatis donum accipit, qui sancto deliberationis arbitrio gratis Deo seruire disposuit. Restat ergo vt qui pro aliqua ecclesiæ susceptione munus accipit, donum Dei quod à patre luminum descendere debuit, vendat: munus autem largiens importunus emat. Quid autem de diuini doni venditoribus vel emptoribus consequatur, concludi necesse non est. Cauete ergo fratres quàm sit ambiguum quod petistis cõsilium, quod quidem secundum vestræ voluntatis propositum nulla inuenimus ratione confirmatum: veruntamen si vestræ necessitati adeo est opportunus quem reperistis: dum tamen omnis absit pactio omnis cesset conuentio, nullaq; vestræ ecclesiæ fiat distractio, accedat; gratis Deo seruire incipiat, suiq; regiminis deuotè gestet obsequium, & postmodũ vos quasi subsidij gratia aliqua suæ ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit ecclesia. VNDE Vrbanus papa.

Iacob 1.c.

De eodem. *Palea.* 3

NVllus abbas precium sumere vel exigere ab eis qui ad conuersionem veniunt, aliqua pacti obseruatione vel occasione prçsumat. *Greg. in registro.* Regulã antiquã sequẽs, nulli vnquã de ordinationibus aliquid omnino accipiendũ esse constituo, neq; ex datione pallij, neq; ex donatione chartarum, neque ex ea quã noua per ambitionẽ simulatio inuenit, appellatione pastelli: quia enim in ordinãdo episcopo põtifex manũ imponit, euangelicã lectionẽ minister legit, cõfirmationis aũt eius epistolam notarius scribit. ITEM Gregorius in regesto.

Epist. 44. lib. 4. fine cap. 88. eiusdem.

Ab ordinando non debet aliquid exigi, sed nec voluntariè oblata respui oportet. 4

SIcut episcopum non decet manum quã imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione eius vocẽ suam vel calamum venundare. Is autem qui ordinatus fuerit, si nõ ex pacto neq; exactus ac petitus post acceptas chartas & pal-

palliũ offerre aliquid cuilibet ex clero gratię tantúmodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibem⁹, quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.

„ Auctoritate Bonifacij patẽtur ostẽditur quòd sicut nullus precio est inuitandus ad conuersionem, ita nulli pecuniæ interuentu ecclesiæ largiri oportet ingressum. Auctoritate verò Gregorij datur intelligi quòd pro ingressu ecclesiæ non licet pecuniam exigere, sed spontaneè oblatam licet suscipere. GRATIA.

„ ITEM opponitur illud apostoli ad Timotheum. 2. pars.

De eodem. 5 1. Tim. 5. a

VIduas honora quæ veræ viduæ sunt. quæ autem non sunt veræ viduæ, id est quæ suis vel parentum opibus sustentari possunt, non recipiantur: vt ecclesia sufficiat his quæ veræ viduæ sunt. ITEM Hierony. ad Damasum papam.

Qui sumptibus proprijs sustentari potest, ab ecclesia stipendia non accipiat. 6

CLericos autem illos conuenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorũ nulla suffragantur bona. Qui autẽ bonis parentũ & opibus suis sustentari possunt: si quod pauperũ est accipiũt, sacrilegium profecto cõmittunt, & per abusionẽ talium iudicium sibi manducant & bibunt. 1. Cor. 11. f ITEM Prosper in libro de contemplatiua vita. Cap. 10. Prosper ca. 9. li. 2. de vita contempla.

Quibus sua sufficiunt, ecclesiæ alimentis non sustententur. 7 Ca. 10. eiusdẽ.

PAstor ecclesiæ his quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare: quandoquidem nihil aliud sit habẽtibus dare, quã perdere: nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat accipiũt. De clericis quidem dicit spiritus sanctus: Peccata populi mei comedunt. Osee. 4. b Sed sicut nihil habentes propriũ, non peccata, sed alimenta quibus indigere vidẽtur accipiunt: ita possessores non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.

„ Verum his auctoritatibus prohibentur ab ecclesia suscipi, non illi qui quondam fuerant diuites, sed postea omnia reliquerant, vt Petrus & Matthæus & Paulus: aut pauperibus distribuerunt, vt Zachæus, aut ecclesiæ rebus adiunxerunt, sicut illi qui prædia sua vendẽtes ponebant precia ante pedes Apostolorum, vt essent illis omnia communia: sed illi qui in domibus parentum residentes, vel sua relinquere nolentes ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant. DE quibus in eodem libro Prosperi subinsertur. GRATIAN. Matth. 4. c Luc. 19. a Acto. 4. g Prosp. lib. 2. de vita contempla.

Qui sua relinquere nõ vult, non debet sumptibus ecclesiæ sustentari. 8 Cap. 10.

SI quis propter hoc sua relinquere non vult, vt habeat vnde viuat: vt quid accipit vnde rationem reddat? vt quid de peccatis alienis sua multiplicat? Idem. Non est meum dicere

quale peccatum est qui cibos pauperũ præsumendo suscipiũt, qui ecclesiam quam iuuare de propriis facultatibus debuerãt, suis expẽsis insuper grauãt: propter hoc fortassis in congregatione viuẽtes, ne aliquos pauperes pascant, ne aduenientes accipiant, aut ne suum sensum quotidianis expensis minuant. Quod si aliquid de fructibus suis ecclesię velut pro ipsa expẽsa sua cõtulerint, non se præferant inani iactãtia illis quos nihil habentes pascit & vestit ecclesia: quia perfecto perfectior est ille qui se mũdi rebus expoliat, aut qui cùm nihil habuerit, nec habere desiderat: quàm ille qui ex multis quæ possidet, ecclesiæ aliquid præstiterit: ac se de eo quod præstiterit, forsitan iactat.

GRATIAN. Ecce qui prohibẽtur ab ecclesia suscipi. Illi verò qui omnia " sua relinquunt, vel pauperibus distribuunt, vel ecclesiæ rebus " adiungunt, & ab ecclesia laudabiliter suscipiendi sunt, & eius " opibus sustentandi. VNDE in eodem libro legitur. "

Cap. 11. eiusdẽ lib. 2. de vita contem.

Qui sua relinquunt, vel pauperibus distribuunt, vel ecclesiæ rebus adiungunt, laudabiliter ecclesiastica dispensant. 9

SAcerdos cui dispensationis cura commissa est: non solùm sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit à populo dispensanda: & fideliter dispensat accepta. qui omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut ecclesiæ rebus adiunxit: & se in numero pauperum paupertatis amore constituit: vt vnde pauperibus subministrat, inde & ipse tanquam pauper voluntarius viuat. Clerici quoque quos pauperes natiuitas fecit cum perfectione virtutis, vitæ necessaria siue in domibus suis siue in congregatione viuẽtes accipiant: quia ad ea accipienda non eos cupiditas ducit, sed viuendi necessitas cogit. De talibus dicere videtur Apostolus: Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edant: & qui altario deseruiunt, de altario participent. Qui nisi hoc de contemptoribus suarum facultatum vellet intelligi, nunquam secutus adiungeret: Ita & Deus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. De euangelio viuunt, qui nihil habere proprium volunt: qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt: non suorum, sed communium possessores. Quid est aliud de euangelio viuere, nisi laborantem inde vbi laborat necessaria vitæ percipere? Apostolus tamen qui sic prædicauit euangelium, vt necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter loquitur: Ego autem nullo horum vsus sum. & quare dixerit, secutus apparuit dicens: Expedit mihi magis mori, quàm vt gloriam meã quis euacuet. Euacuare dicit gloriam suam, si ab eis quibus prædicabat, voluisset accipere vitæ temporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere.

1. Cor. 9. b.
Cap. 14. eiusdem. lib. 2.

ITEM

ITEM ex concilio Agathensi. *cap. 36.*

Iuxta meritum laboris ecclesiastici stipendia sacerdotes distribuãt. 10

CLerici omnes qui ecclesiæ fideliter vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum seruitij sui meritum per ordinationem canonum à sacerdotibus consequantur.

[ITEM ex concilio Vrbani papæ habito Aluerniæ.] Inclusa desunt in vet. manuscr. & sequentia verba sunt Gratia.

MVltorum auctoritatibus luce clarius constat, quòd ab ingressuris monasterium non licet pecuniam exigere: ne & ille qui exigit, & ille qui soluit, simoniæ crimen incurrat.

QVAESTIO III.

AN SPIRITVALIA ET HIS ANNEXA TEMPORALIA EMANTVR.

SED adhuc obiicitur, quòd qui ingressuri monasterium pecunias tribuunt, non propositum religionis, sed participationem stipẽdiorum ecclesiæ emunt. Temporalia ergo non spiritualia ementes, nequaquam simoniaci habendi sunt. His itaque respondetur non solum qui spiritualia, sed etiã qui temporalia eis annexa precio accipiunt vel tribuunt, simoniaci iudicantur. Vnde Malachias loquẽs ex persona domini, ait: Quis est, inquit, in vobis qui claudat ostia & incendat altare meum gratuito: nõ est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum, & munus nõ suscipiã de manu vestra. Ostia claudere nõ est sacri muneris officiũ, sed tantum sibi adiunctum. GRATIAN. *Malach. 1. c.*

ITEM Gregorius scribit vniuersis episcopis Hispanis.

De his qui sacros ordines munerum acceptione dispensant. 1

AVdiuimus dilectissimi quod nos audire oportuit, sed audisse profecto non libuit: quosdam scilicet esse sacrorum ordinum professores qui sub munerum datione vel acceptione Dei ecclesias vel earum sibi beneficia vsurpant: quod quidem scelus vos non iam dudum acriter correxisse vehementer admiramur. Iustè enim vterque corripiendus est, & à sanctæ liminibus ecclesiæ submouendus: & qui pro ecclesiæ ambitu munera largitur: & qui vt ecclesiam adeat, quicquam præsumit accipere. Ille quippe donum Dei emere, hic autem præsumit vendere. A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim: cùm id quod spontè & sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur. Quare fratres charissimi quæ taliter facta sunt, curiosè refellite, infecta prohibete: vestrisque iussionibus resistentes, digno anathematis vinculo percutere non dubitate.

IDEM Rothomagensi episcopo, & Gallicis omnibus [episcopis.]

De his qui ecclesiam vel ecclesiastica beneficia vendunt. 2

SI quis dator vel acceptor Dei ecclesias vel ecclesiastica beneficia (quæ quidam præbendas vocant) sub pecuniæ interuentu susceperit, siue dando emerit, siue accipiendo vendiderit: à Simonis non excluditur perditione. Sed si perseuerans fuerit, perpetua multetur dãnatione. Nam qui sub religionis obtẽtu deo famulari voluerit: si quid accipit, & meritum perdit, & beneficio accepto frustratur. Rationis ergo vigore cogitur quod iniustè receperit restituere: & quicquid turpis lucri gratia receperat, non tenere. ITEM Greg. vij. papa.

Iuo Carn. lib. 3. de simoniacè ordin.

Ab officio suspendatur episcopus beneficia vel ecclesiastica officia vendens. 3

SI quis episcopus præbẽdas, archidiaconatus, præposituras, vel aliqua officia ecclesiastica vendiderit, vel aliter quã statuta sanctorum patrum pręcipiunt, ordinauerit: ab officio suspendatur. Dignum est enim vt sicut gratis episcopatum accepit, ita membra eiusdem episcopatus gratis distribuat.

*ITEM ex concil. Vrbani papæ habito Aluerniæ.

**In manusc. hic adduntur duæ Paleæ [Ambros. illi soli habent potestatem ligandi atque soluendi, qui sancti Apostoli exempla simul & doctrinam tenent. Augustinus super Matthæum.*

Ridiculum est, &c. reperies infra, Causa XI. quæstio. 3.

Nec altaria nec præbendas episcopis vendere licet. 4

QVæsitum est de episcopis qui altaria monasteriis data frequenter redimi compellebant pecunia: quia quidam simoniacæ prauitatis vsus in Galliarum partibus iã diutius inoleuit, vt ecclesiæ vel decimæ (quę vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur) monasterijs datæ, sępius ab episcopis sub palliata auaritia vẽdantur, mortuis nimirũ seu mutatis clericis quos personas vocant. Nos autem auctore Deo venalitatem omnẽ tam ex rebus quàm ex ministeriis ecclesiasticis propellentes, hoc vlterius fieri auctoritate apostolica prohibemus, sicut etiam præbẽdas omnes venundantes interdicimus. Porrò quæcunq; altaria vel decimas ab annis triginta & suprà sub huiuscemodi redẽptione possedisse monasteria noscuntur: quietè deinceps & sine molestia qualibet eis possidẽda firmamus.

Saluo vtique episcoporum censu annuo quem ab eisdẽ altaribus habere soliti sunt. ITEM Gregorius.

Gregor. 7.

Quicquid data vel promissa pecunia in sacris ordinibus acquiritur, irritum habeatur. 5

EA quæ à sanctis patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoq; & iudicio & apostolica auctoritate firmamus. Quicquid ergo in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia acquisitum est: nos irritũ esse, & nullas

las vnquam vires habere censemus. ITEM Augustinus de doctrina Christiana.

Quicquid possidetur, nomine pecuniæ intelligitur. 6

TOtum quicquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur: seruus, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est, pecunia dicitur. ideo autē pecunia vocata est, quia antiqui quod habebant in pecoribus habebant.

Iuo Carn. lib. 3. ex eodem. refert de simon. ordin.

ITEM Paschalis papa.

Qui ecclesiastica beneficia emerit, ecclesias quoque emere probatur. 7

SI quis obiecerit non cōsecrationes emi, sed res quæ ex consecratione proueniunt: penitus desipere probatur. nā cùm corporalis ecclesia, aut episcopus, aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit: quisquis horū alterū vēdit, sine quo nec alterum prouenit: neutrum inuenditū derelinquit. Nullus igitur emat præbendam vel ecclesiam, vel aliquod ecclesiasticum, nec pastellum, nec pastū antea, nec postea pro huiusmodi soluat. ITEM Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio præposito ecclesiæ sancti Vincentij salutem & apostolicam benedictionem.

Quare in euangelio prohibetur inuestitura ecclesiæ à laicis fieri. 8

SAluator prædicit in euangelio circa finem sæculi pseudoapostolos & pseudoprophetas surgere, & multos seducere, & fideles suos in mundo multas habituros pressuras, sed tamē portas inferi nō præualituras. proinde (vt ait apostolus) oportet hęreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiāt. Oportet nos cū propheta ex aduerso consurgere, & murū opponere pro domo Israël, & cum Apostolo per multas tribulationes intrare in regnum Dei: quoniā nō sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriā quæ reuelabitur in nobis. Igitur quia innotuisti nobis quod tibi obiicitur, vtrū vendere ecclesiasticā rem simoniacū sit: hoc simoniacum esse patenter colligitur, ex hoc quod beatus apostolus Petrus ait Simoni: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Donum quippe Dei est spiritus sanctus: & donū Dei est res ipsi ecclesiæ oblata. & si bene animaduertis, Simō Magus qui ad fidē fictè accessit, nō spiritum sanctū, quo ipse erat indignus (quoniā vt scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: sed donum dei emere voluit, vt ex venditione signorum quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Nec apostolus emptionē spiritus sancti (quā bene fieri non posse nouerat) sed ambitionem quæstus talis & auaritiam (quæ est idolorum seruitus) in eodē Simone exhorruit, & eum maledictionis iaculo percussit. Quisquis igitur res ecclesiasticas & dei dona quę à deo fidelib⁹, & à fidelibus deo donan-

Matth. 24. a *2. Corint. 11 d.* *Ezech. 13 a* *Act. 14. c.* *Rom. 8. d.* *Act. 8. d.* *Sapient. 1 b.*

donantur: quæque ab eodē gratis accipiuntur: & ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit vel emit: cum eodem Simone donū Dei possideri pecunia existimat. Ideo qui eas non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ vel indebiti obsequij, vel pecuniæ largitur vel adipiscitur, simoniacus est: cū principalis intentio fuerit Simonis, sola pecuniæ causa, auaritia videlicet .i. idololatria, vt ait apostolus

Coloss. 3. a. Paulus. alioquin cur sancta synodus Chalcedoneñ. ccccccxxx. episcoporum procuratorē vel defensorem ecclesiæ, vel quenquam regulæ subiectum, adeò per pecuniā ordinari prohibet, vt interuentores quoq; tanti sceleris anathematizet: nisi quòd eosdem simoniacos iudicet? Quod si præfati milites ecclesiæ ob huiusmodi scelus taliter percelluntur: nemo sapiens negabit nō militantes ecclesiæ multo dānabilius ob hanc causam, id est emptionis vel vēditionis, debere percelli. Sed beatus antecessor noster Paschalius libro de consecratione affirmauit, quòd quisquis eorum alterum vendiderit, sine quo alterum nō prouenit, neutrum nō venditum derelinquit: ac per hoc eum qui res ecclesiæ vendit vel emit, simoniacum esse intelligit. In nomine verò procuratoris intelligit præfata synodus quemlibet ecclesiasticarum rerum administratorem, vt verbi gratia præpositum, œconomū, vicedominū, defensoris nomine aduocatum, siue castaldum, & iudicē. In subiecto verò regulę archipresbyterum, archidiaconū, diaconum, canonicum, monachum, vel quemlibet ecclesiastico mācipatum officio. Quòd verò spiritum sanctum quantum in se est, vendat vel emat, qui præpositurā vel aliquid huiusmodi vendit vel emit. Audi Augustinum super Ioannem: O quot præposituras fecerūt. Al-

** Carthaginen. principatus.* terum propositum habet Carthagine Primianus:* alterum in Mauritania Rogatus, alterum habet in Numidia ille & ille: quos iam nec nominare sufficimus. Circuit ergo aliquis emere columbā, vnusquisq; laudat pręposituū suū quod vendit, &c. Ecce venerabilis Augustin. de præposituræ distractione agēs, in nomine columbæ sancti spiritus venditionem vel emptionem accipit: sicut & omnes huius euāgelici capituli tractatores. Pensandum verò est qua pœna mulctentur, qui iam Deo & ecclesiæ suæ oblata vendunt vel emunt. si cū flagellis à Dei templo eiecti sunt, qui quæ deo erant offerenda, vendebāt vel emebant. Si de offerendorum vēditoribus vel emptoribus di-

Esaiæ 56.e. ctum est: Vos fecistis domum patris mei, domum negotiatio-

Matthæi 21.d nis, & speluncam latronum: quid dicetur de ecclesię iam oblatorum venditoribus vel emptoribus? Et ne quis insanus iam obiiciat meritò hoc dominū tam acerbè vindicasse, quia tunc illa in dei templo vēdebantur: ecclesiasticæ verò res modo extra templum distrahuntur. Attende superius Augustinum non deter-

determinantem locum venditionis vel emptionis præpositorum, sed tantùm indefinitè dicentem. Circuit aliquis emere columbam: vnusquisque præpositum suum laudat quod vendit: non adiiciens in templo vel extra templum. Hæc circa venditores vel emptores rerum sacrarum sufficiant.

ITEM Alexander episcopus, seruus seruorum Dei, Lucensis ecclesiæ clero & populo salutem perpetuam.

Ministri & seruitores ecclesiæ absque vlla venalitate ab episcopis ordinentur.

9

EX multis temporibus hoc detestabile malũ in vestra ecclesia inoleuisse cognouimus, vt nulli vnquam clerico, quamuis religioso, quamuis scientia & moribus prædito ecclesiasticum beneficiũ cõcederetur, nisi ei qui profano pecuniæ munere illud emere studuisset: fiebatq; ecclesia & res eius ita venalis, velut quædã terrena & vilis merx à negociatoribus ad vendendum exposita: quod malum quàm detestabile, quãtum Deo sanctisq; suis sit contrariũ, & sacri canones docẽt, & ferè omnibus manifestum existit. Ista sentẽtia inuenitur in ij. cap. Chalcedoñ. concilij. Chalcedonense nãque concilium vnum ex principalibus, simili pœna condẽnat eos qui ecclesiæ beneficium interuentu pecuniæ acquirunt: & eos qui sacrã manus impositionẽ (per quã spiritus sanctus cõfertur) mercari dignoscuntur. vtrosq; enim auctoritate inexpugnabili, illos à beneficio, istos à sacro ordine iubet expelli. Vnde humani generis redemptor omnes ementes & vendentes de tẽplo eiiciens, cathedras vendentium columbas euertit, nũmulariorum effudit æs, præcepti sui auctoritate denunciãs & dicens: Nolite facere domum patris mei domũ negociationis. Illud quoque in eodẽ facto solicitè considerate, quòd per totum textum sancti euangelij nusquã reperitur dominum tanta seueritate, tam districta censura iustitiæ peccantes corripuisse, cùm non solum eloquio increpãs, verumetiam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminauit de tẽplo: apertè demonstrans quòd tales negociatores nõ sicut cæteri peccatores sunt corripiẽdi, sed à templo Dei .i. à sancta ecclesia longius sunt proiiciendi. Nam sicut per columbarũ venditores illi denotãtur, qui sacrã manus impositionẽ vendere conãtur: sic per nummularios ecclesiastici beneficij venditores designãtur: qui domũ Dei (teste euangelio) speluncã latronum efficiunt. Quapropter ego Alexander S. Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedis episcopus (imò minister indignus) tot & tanta mala in multis ecclesijs, & maximè in Lucensi ecclesia, ex iniqua concupiscentia fieri cõspiciẽs, ne sanguis iniquorũ à districto iudice de manu nostra requiratur, illa extirpare & penitus eradicare decreuimus. Constituimus itaq; & præsenti decreto firmamus (sicut olim

Matth. 21.
Esa. 56. c.
Ioan. 2. c.

nostri

nostri prædecessores fecisse noscuntur) vt nullus deinceps episcoporum beneficium ecclesiæ (quod quidã canoniã vel præbendam, seu etiã ordines vocant) pro aliquo precio vel munere clericis audeat vnquã conferre: sed omnes ministros & seruitores ecclesiæ gratis, & absq; vlla venalitate in sancta ecclesia studeãt ordinare. Nec eligãt in domo domini, qui maiores sacculos pecuniæ conferant, sed eos qui moribus & disciplina atq; scientia diuites pro officio suo ipsam valeant sustẽtare ecclesiã. Constituimus & eodẽ modo firmamus, vt nullus cuiuscunque gradus clericus pro ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ ecclesiarũ, vel donariis ecclesiarum, seu etiã quod pauperibus sit tribuendũ: quia (teste scriptura) qui aliquid malè accipit, vt benè dispenset: potius grauatur quàm iuuetur. Quòd si aliquis diuinorum præceptorũ & animarum salutis immemor, præfatum beneficiũ ecclesiæ iniqua cupiditate ductus vendere vel emere temerario ausu præsumpserit: sicut in Chalcedonẽsi concilio diffinitũ est, gradus sui periculo eum subiacere decernimus: nec ministrare possit ecclesiæ quàm pecunia venalem fieri cõcupiuit: & insuper terribilis anathematis mucrone perfossus (nisi resipuerit) ab ecclesia Dei quam læsit, modis omnibus abscindatur.

Greg. hom. 39. euangeliorum.

ITEM Gregorius homilia xiij.

Qui dona Dei vendunt vel emunt, pariter à Deo damnantur. 10

Vendentes & emẽtes de tẽplo eliminauit Christus: quia vel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Dei emere nituntur, damnat. Item in templo vendentes sunt qui hoc quod iure cõpetit quibusdam, ad præmium largiuntur. Iustitiã enim vendere est hanc pro præmij acceptione seruare. Ementes verò in tẽplo sunt, qui dum hoc quod iustum est proximo persoluere nolunt, dumq; rem iure debitam facere contemnunt: dato patronis precio emitur peccatum.

Matth. 21. b

Greg. ibidẽ paulò inferius.

ITEM Beda.

Beda ad cap. 2. Ioan.

Qui gratiam quam à Deo accipiunt, non gratis exercent: venditores columbarum sunt. 11

Non solum venditores sunt columbarũ, & domum Dei faciunt domum negociationis, qui sacros ordines largiendo precium pecuniæ vel laudis vel etiã honoris inquirunt: verùm hi quoque qui gradum vel gratiam in ecclesia spiritualẽ quam Dño largiente perceperunt: nõ simplici intẽtione, sed cuiuslibet humanæ causa retributionis exercẽt, cõtra illud Petri apostoli: Qui loquitur, quasi sermones Dei: qui ministrat, tanquã ex virtute quã administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus. Quicunq; ergo tales sunt, si nolunt veniente domino de ecclesia auferri, auferãt ista de actibus suis ne faciant domum Dei, domum negociationis. ITEM ex epist. Vrbani papę.

1. Petr. 4. c.

Quæ ex consecratione proueniunt, in suum ius vi vel munere nemo conuertat. 12

RES ecclesiæ quæ ex consecratione proueniunt, in suum ius vel vi vel aliquo munere aliquem conuertere non debere docens sanctus Vrbanus ait: Quisquis res ecclesiasticas (quæ dona Dei sunt, quoniã à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur: quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent) propter sua lucra vendit vel emit: cum eodẽ Simone donum Dei pecunia possideri existimat.

ITEM Gregorius septimus.

Simoniacus est episcopus qui decimas & oblationes laicis non clericis distribuit. 13

PERuenit ad nos fama sinistra, quòd quidam episcorum non sacerdotibus proprię diœcesis decimas atq; Christianorum oblationes conferant: sed potius laicalibus personis, militum videlicet siue seruitorum, vel (quod grauius est) cõsanguineis. Vnde si quis amodo episcopus inuẽtus fuerit huius diuini pręcepti transgressor, inter maximos hæreticos, & antichristos nõ minimus habeatur: sicut Nicena synodus de simoniacis censuit: & qui dat episcopus, & qui recipiunt ab eo laici, siue precio, siue beneficio: æterni incendij ignibus deputentur.

ITEM Paschalis ij.

Spiritum sanctum vendit qui decimas pro pecunia tribuit. 14

ALtare & decimas per pecuniam dare, & spiritum sanctum vendere, simoniacã hæresim esse nullus fidelium ignorat.

ITEM Innocentius secundus.

Careat honore malè acquisito, qui ecclesiastica beneficia pro pecunia inuenire tentauerit. 15

SI quis præbendas vel prioratum seu decanatum, aut honorem vel promotionẽ aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, vtputa chrisma vel oleum sanctum, & consecrationes altarium vel ecclesiarum interueniente execrabili ardore auaritiæ per pecuniam acquisiuit, honore malè acquisito careat, & emptor atque venditor & interuẽtor nota infamiæ percellantur, & nec pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante vel post aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat: quoniã simoniacum est: sed liberè absque diminutione aliqua collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur.

DE secunda & tertia quæstione quid sacri canones diffiniant, auctoritatibus hincinde in medium deductis patefactum est.

QVAESTIO IIII.

AN FILIVS SIT CRIMINIS REVS, QVOD EO IGNORANTE PATER COMMISIT.

GRATIAN.

NVnc ergo de quarta quæstione est pertractandum,qua quæritur an paternum crimē huic imputetur quod eo ignorante constat esse admissum. Quòd ignorantia hunc excuset,multorum auctoritatibus probatur.

Aug. epi. 48. ad Vincentium.

AIT enim Augustinus.

Alienum crimen nescientem non maculat. 1

NVllius crimen maculat nescientem. ITEM.

Augu. in eadem epist.

De eodem. 2

QVis locus innocentiæ relinquitur, si alienum crimen maculat nescientem? ITEM in Africano conc. legitur.

Cap. 48. Carth. conc. 3. & cap. 14. African.

De infantibus qui ab hæreticis baptizantur. 3

PLacuit de infantibus qui ab hæreticis baptizantur, neq; suo hoc fecerunt iudicio: cùm ad ecclesiā Dei salubri proposito fuerint reuersi, ne parentum illos error impediat, quo minus promoueantur ad sacri altaris ministerium.

Cap. 24. concil. Africani.

ITEM in eodem.

De eodem. 4

QVi apud Donatistas paruuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris sui interitum: si postquā ad ætatem rationis capacem perueniunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes, ab ecclesia ordine antiquo per manus impositionem recepti sunt: tales ad suscipiendum munus clericatus non debet impedire nomen erroris.

ITEM Leo quartus Ebrunio & Adelfrido episcopis.

Consanguineorū maleficia in nullo clericis obsunt, nisi conscij fuerint. 5

QVia præsulatus nostri (quod bene nostis) magisterium nō solum de sacerdotum, verumetiam de secularium vtilitatibus debet esse solicitum: propterea fraternitatem vestram scire volumus hunc præsentem presbyterum ad sedem apostolicam venisse, nobisque violentiam & excommunicationem suam per ordinem retulisse, quod etiam sine iusto legis tramite illi sua esset ablata ecclesia, similiter indicauit: quam alius dato munere sacerdos zelo ductus inuidiæ vsurpare præsumpsit. Inde parētes eius magno dolore compulsi presbyterum illum qui suam tenebat ecclesiam, mox comprehenderunt, & ei oculos eruerunt: tamē ipse sæpe dictus sacerdos dicit quòd absq; sua voluntate & sine eius cōsilio hoc sit peractū, quod si ita est vt ipse nobis suo ore testatus est, vobis magnopere prouidendum est, vt si canonicè ipse excommunicatus nō est, canonica super eum fiat remissio.

Libr. 48. ff. tit. 19. lect. 26.

Dige-

Digestis titulo de pœnis. 6

CRimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. nam vnusquisq; ex suo admisso sorti subiicitur: nec alieni criminis successor constituitur. Idq; etiam diui fratres Hierapolitanis responderunt. ITEM ex conc. Tole. iiij. *Cap. 60.*

Perfidia parentum filiis obesse non debet. 7

IVdæi baptizati si postea præuaricantes in Christum qualibet pœna damnati extiterint, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit, quia scriptum est: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. *Ezech. 18. c*

ITEM Augustinus ad Bonifacium. *Epist. 23.*

Non imputantur peccata parentum his qui ab eis personaliter diuisi probantur. 8

IAm itaque cùm homo in seipso, ab eo qui genuit eum alter est effectus, peccato alterius sine sua cōsensione nō tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia vnus erat cū illo, & in illo à quo traxit, quando quod contraxit, admissum est: non autem trahit alter ab altero quādo sua vnoquoq; propria vita viuente iam est vt verè dicatur: Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Vt autem regenerari possit per officium voluntatis alienæ cùm offertur consecrandus, facit hoc vnus spiritus ex quo regeneratur oblatus. HINC etiā Greg. in li. xxvj. Moraliū. *Ezech. 18.* *Cap. 8. ad 35. cap. Iob.*

Ei qui imitatur, impietas alterius nocet. 9

HOmini qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adiuuabit iustitia tua. Humana impietas ei nocet quem peruertendo coinquinat. Et rursus: Eum adiuuat nostra iustitia quem à prauis actionibus immutat. nocere enim vel adiuuare nesciunt ea quæ vel à bono corrumpere, vel à malo permutare non possunt.

GRATIAN.

„ Econtra Dominus ad Moysen: Ego sum Deus zelotes, qui visito peccata patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem. licet non inæqualitate iudicij, sed magnitudine clementiæ Augustinus asserit hoc dictum, ita dicens: In tertia & quarta generatione peccatum patrum se dominus comminatur in lege filiis redditurum: non inæqualitate iudicij vt alij peccent, & alij puniantur: sed magnitudine clementiæ, dum semper expectat ad pœnitentiā: & quod in prima generatione delinquitur, nō prius corripit & emēdat, nisi & tertia & quarta generatio euenerit. Cùm ergo de baptizatis ab hæreticis Innoc. scribat, lex est ecclesiæ de his qui ab hæreticis baptizati sunt, per manus impositionē laicam tantum cōmunionē præbere, nec ex his aliquem in clericatus honorē vel exiguū subrogare: patet quòd infantes qui ab hæreticis baptizati sunt, sola excusat ignorantia: vt iuxta illud Africani cōcilij ad suscipiendum clericatus officium nō eos impediat nomē erroris. *Exod. 20. a.* *Inno. epi. 22. ad episc. Macedon.*

ITEM sicut August. scribit ad Auxilium episcopum.

De eodem. 10

NOn imputantur filiis peccata parentum quæ post eorum natiuitatem à parentibus committuntur: nec pro peccatis parentum spirituali pœna filij sunt plectendi. officio autē vel beneficio ecclesiæ priuari. spiritualis pœna est. nō igitur hanc ex peccato patris promeretur filius. Item si excusatur qui igno ranter à simoniaco ordinatur. vt s̄. in cap. Vrbani legitur: & iste excusandus est qui per ignorantiam simoniacè ordinatur.

2. pars. SED obijcitur illud Gregorij.

De ecclesia quæ pactione consecratur. 11

GRATIAN. ECclesia quæ pactione consecrata fuerit, potius execrata quā consecrata dici debet.

Iosue 6.c.
Item peccato ciuium thesauri Hierico anathematizati le-
guntur. Vnde Achor qui regulā auream & quædā alia precio-
1.Regum 15.a sa furatus est, de anathemate dicitur tulisse. Itē peccato Ama-
lechitarū animalia eorum iussa sunt interfici: quibus quia Saul
pepercit, audiuit à Samuele: Nescis quia peccatum ariolandi
Exod.9.d. est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere? Itē
peccato Aegyptiorū possessiones eorum grandini traditæ, iu-
menta & primogenita eorum morte consumpta sunt. Item
1.Regum 4.c. peccato Israëlitarum arca domini Philisteis tradita est. Si er-
go quę sensu carēt, vt ecclesia, altare, arca domini, lapides Hie-
rico, vel execrantur, vel peccatoribus traduntur, vel anathema-
tizantur, vel grandine deuastantur: si ea quæ vim intelligendi
non habent, vt animalia Aegyptiorū & Amalechitarum, pec-
catis hominū perduntur morte, patet quòd nullum excusat ig-
rantia criminis: maximè cùm ex eo vtilitas deferatur ignoran
ti, veluti si quispiam de latrocinio & rapina filio suo ignoranti
diuitias congreget, nō excusat filiū ignorantia quin post mor
Iosue 7.d. tem patris cogatur reddere malè cōquisita. Itē peccato Achor
1 Regum 4.b plebs Israëlitica in manibus hostium tradita est. Item peccato
filiorū Heli populus in manu Philistinorum corruit. Peccato
quoq; plebis electi eorum sæpe sunt impediti: & tandem cum
3.pars. eis prophetæ ducti sunt in captiuitatē. His itaq; respondetur:
insensibilia & irrationabilia peccato hominū vel execrantur,
vel anathematizātur, vel morte perduntur, non participatione
peccati, sed causa sacramēti, vel detestatione peccati, vel flagel-
lo delinquētium causa sacramēti: vt thesauri Hierico, & ani-
malia Amalechitarū. Hierico enim luna interpretatur, & sig-
nificat mundū istum Amalechitæ interpretātur lingentes san
guinem: & significāt cupidos auaros & dæmones. Israëlitę in-
terpretantur viri videntes Deum: & significant multitudinem
sanctorū. Lapides ergo & thesauri Hierico anathematizantur:
animalia Amalechitarum interfici iubentur ad examinādam
cupiditatem

„ cupiditatem Israëliticæ plebis: & vt significaretur quod muri
„ vitiorum, & huius mūdi thesauri, qui per lapides & thesauros
„ Hierico designantur, irrationabiles quoque vitiorum motus,
„ qui per animalia Amalechitarum intelliguntur, non debent
„ transire in sortem sanctorum. Animalia verò Aegyptiorū &
„ possessiones eorum & primogenita grādine & morte cōsum-
„ pta sunt, vt in illis punirentur quorum fœlicitate lætabantur:
„ & vt daretur intelligi quòd mundus peribit, & cōcupiscentia
„ eius. sed & terra Israëlitarum in salsuginē versa est: & segeti-
„ bus eorum imbres aduersi sunt: animalia eorum sterilitate &
„ morbo confecta sunt: vt auctorem suum quem per beneficia
„ cognoscere noluerunt, saltem inter supplicia sentirent.

In detestationem verò peccati, pecunia Simonis damnata est: cui dictum est: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia existimasti donum Dei pecunia possideri. In detestationē quoque eiusdem criminis altare & ecclesia quæ per simoniam cōsecrantur: non tam consecrari, quàm execrari dicuntur: quia qui interuentu pecuniæ oleū consecrationis fundit, non consecrare, sed execrare credendus est. Hinc est quòd beatus Gregorius ecclesias ab Arrianis consecratas, iterum consecrari præcepit: quia sanctificationem consecrationis quæ non nisi in fide Trinitatis perficitur: præstare non poterant qui fide carebant. Arca vere & prophetæ peccato suorum ciuium hostibus traditi sunt. Electi quoque qui murmure eorum impediti sunt: non in pœnam criminis, sed in experimentum & exemplum patientiæ hæc passi sunt. *Actor.8.d.*

Item populus qui peccato Achor & filiorum Heli in manibus hostium traditus est, significat subditos corporaliter flagellari, vt inter ipsa flagella peccata prælatorum feriātur: sicut Achor sorte deprehensus, lapidibus obrutus est. Sic & nauicula Ionæ periclitatur, vt fugitiuus sorte deprehensus, fluctibus immergeretur: Aliquando pro meritis prælatorum deprauatur & damnatur vita subditorum: vt prælatis suis subditi fauentes ad malum, cum eis simul corruant: sicut filij Israël diu portantes peccata sacerdotum, tandem cum eis ceciderunt in manibus hostium. *Iona 1.a.*

Itē Dauid populū numerauit: quo peccato gladius domini desæuit in populum. sed in lata gente gloria regis est: in diminutione plebis contritio principis. Qui ergo de numerositate suæ gētis superbiuit, iure in eius diminutione punitus est. Itē paruulos Sodomitarum nō excusauit ignorantia, quin pro paterno scelere cælesti igne cōsumerentur: sed igne hoc pœna illis diminuta est: quibus successio paterni sceleris est adempta. Pariter etiā demonstratum est peccatis parentū paruulos aliquando corporaliter flagellari. Illud idem etiā intelligendum *2.Reg.vlt.a.* *Genes.19.c* *Numer.16.e*

Genes. 9. d. est de paruulis qui peccato Dathan & Abiron viui descende-
4. Reg 5. g runt ad inferos. Item Cham peccãte, Chanaan filius eius ma-
Matth. 27. e ledicitur. Giezi delinquẽte lepra transmittitur ad posteros. Iu-
3. Reg. 19. a dæis clamãtibus: Sãguis eius super nos & super filios nostros: etiã reliquiæ eorum pœnæ mortis Christi addictę sunt. Achab quoq; peccante posteri eius regni solium amiserunt, & qui de eius semine in regno Iudæ nati sunt, vsq; ad purgatam labem idololatriæ illius familiæ à genealogia Dñi sunt exclusi. Odiũ
Malach. 1. a quoque Esau (vt Malachias testatur, transiuit ad Idumæos. Ex quibus omnibus colligitur quòd ignorantia peccati non excusat aliquem. Sed his exemplis non probantur teneri peccato aliorum, nisi imitatores nequitiæ eorum. Quicunque enim de semine Esau & cæterorum ad Deum conuersi, paternã malitiam detestati sunt: non odium, sed Dei clementiam experti sunt.

Ambr. serm. 11 ITEM Ambrosius ait. 12

TVrbatur nauicula Petri, in qua erat Iudas: quia qui suis meritis erat firmus, turbatus est alienis. Ignorabat autem
Matth. 8. c. Petrus peccatum Iudæ. Non ergo ignorãtia excusauit illum. Sed turbatio hæc non est peccati coinquinatio, sed corporalis persecutio intelligitur: quia meritis malorum nonnunquam adeò premuntur boni, vt eorum turbetur firmitas.

GRATIAN. Non itaq; his auctoritatibus simoniaci probantur, pro quibus ignorantibus pecunia data est. Non ergo potest probari
4. pars. iste reus criminis, cuius non habuit conscientiam. Notandum quoque est, quòd non omnis ignorantia aliquem excusat. Est enim ignorantia alia facti, alia iuris. Facti alia est eius facti quod oportuit eum scire: alia quod non oportuit eum scire. Quod non oportuit eum scire, sicut apostolus ait. Si quis infidelium vocauerit vos ad cœnam: quicquid vobis appositum
1. Corinth. 10. fuerit, comedite, nihil interrogãtes. Si quis vobis dixerit, hoc idolis immolatum est: nolite comedere. Ecce quòd vocatum ad cœnam non oportuit scire carnes sibi apposita idolis fuisse immolatas. Quod oportuit eum scire, sicut ignorãtia Iudæorum, & reliquorum infideliũ: qui ea quæ à prophetis de Christo fuerant prænunciata, adhuc ignorant esse completa. vnde à Iudæis adhuc expectatur venturus. hæc neminem excusat.

Item ignorantia iuris, alia naturalis, alia ciuilis. Naturalis omnibus adultis damnabilis est. Ius verò ciuile aliis permittitur ignorare, aliis non. Iuris ciuilis ignorantia nemini obest in damno vitando, si negocium inde contigerit: vt si minor pecuniam dederit filio familias, repetit: in maiore verò quasi delictum est. Item si successionem etiam tibi maiori delatam cum alio sine iudice diuidas, putans testamentum iure subnixum cùm non esset, solidam successionem obtinebis: vel si id quod nullo iure debuisti, aut iure naturali non debuisti: sed ciuili,

ciuili, tanquam ex chirographo soluas aut promittas, repetis: non ita si delictum. nam si putat rem suam sibi per legem licere rapere: incidit in constitutionem.* *si quis in tantam. Titu.4. unde vi. leg.7.

Palea. 13

SI quis in tantam furoris audaciam peruenerit, vt possessionem rerum apud fiscum vel apud quoslibet homines cōstitutarum ante euentum iudicialis arbitrij violenter inuaserit: dominus quidem constitutus possessionem quam abstulit, restituat possessori: & dominium eius rei amittat. Si verò alienarum rerum possessionem inuasit: nō solum eam possidentibus reddat, verumetiam æstimationem earundem rerum restituere compellatur. Hæc palea deest in vet. manuscr.

In hoc autem non fuit ignorantia iuris, sed facti, & illius quod non oportuit eum scire. A reatu ergo criminis simoniæ eum ignorantia excusat paterni delicti: quod etsi oportuisset eum scire, infirmitate tamē ætatis deprehendere non poterat. Verba Gratian. quæ continēter leguntur in vet. li. post illa verba (incidit in cōstitutionem,) si quis in tantam.

QVAESTIO V.

AN FILIVS IN ECCLESIA PERMANEAT, ET ORDINATIONE GAVDEAT QVAM PATER EMIT.

QVòD verò quinto loco quæritur, an liceat ei esse in ecclesia, vel fungi ea ordinatione quam paterna pecunia est assecutus, auctoritate Vrbani diffinitur: qui scribens de simoniacis ait inter cætera.

De paruulis qui cupiditate parentum ecclesias emunt. I

QVicunque sanè cupiditate parentum, cùm adhuc paruuli essent, ecclesias vel ecclesiarum partes per pecuniā adepti sunt: postquam eas omnino dimiserint: si canonicè in eis viuere voluerint: pro magna misericordia ibidē eos esse concedimus: neque pro hoc facto à sacris ordinibus illos remouemus si aliàs digni inueniantur. Illi verò qui per seipsos, cū maioris ætatis essent, nefanda cupiditate ducti eas emerunt: si in aliis ecclesiis canonicè voluerint viuere: seruatis propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus. quod si ad alias fortassis trāsferri non poterunt, & in eis canonicè viuere promiserint: minoribus ordinibus cōtenti ad sacros ordines non ascendāt, salua tamē in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati sunt: cùm ea quæ emerunt dimiserint, & vitam canonicam egerint: in suis gradibus permittantur: nisi fortè huiusmodi ecclesia sit vbi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel singularem vel præpositur æ locum in emptis ecclesiis eos habere non patimur. 2. pars.

GRATIAN.

» Hoc autem eum non in præiudiciū canonum, sed ex mise-

 ricordiæ

ricordiæ dispensatione dixisse, ex epistola eiusdem colligitur missa Vitali presbytero in hæc verba.

In dignitate seruanda simoniacis misericordia potest impendi, si eos vita commendat. 2

EOs qui ecclesiã emerunt, si persona talis fuerit, quam vita cõmendat, videlicet vt in canonijs vel monasterijs regulariter viuat: in sui honoris officio misericorditer cõdescendẽdo ministrare cõcedim⁹, absq; tamẽ sanctorũ canonũ prçiudicio.

3. pars. GRATIAN. Ex hac itaque auctoritate colligitur quòd ignorantia tales excusat à reatu criminis, vt suprà dictũ est: nõ à fructu emptionis cum in ecclesijs qua parentum pecunia adepti sunt: nõ nisi postquã eas omnino dimiserint, & ex misericordia ibidem eis esse conceditur: in quo patet quòd etsi illis ignorãtibus simoniæ peccatum esset admissum, fructũ tamen paternæ emptionis reportare non possunt. Quod verò à crimine excusentur, hinc patet, quia pro hoc facto à sacris ordinibus non remouentur. Si enim illius criminis participes essent, ad sacros ordines conscendere non possent. Illud idem intelligendum est de eo qui per pecuniam est adeptus sacerdotij dignitatẽ, non episcopo, sed cuidam ex principibus eius datam, vtroque tamen, ordinatore videlicet & ordinato, hoc ignorante.

VNDE Vrbanus ij. scribit Alberto Metensi episcopo.

De quodam pro quo incuria parentum pecuniam dedit non episcopo, sed vni principum. 3

PRæsentium portitorem, quem parentum incuria per pecuniam nõ episcopo, sed cuidã principum eius datam, & inuitum sacerdotij dignitatem obtinuisse significasti: licet sancti canones deponendum esse testentur: tamen quia culpam istam nesciens & coactus commisit: & quia ab eodem ordine vt deponeretur supplicauit vltroneus ex cõsideratione discretionis (quæ mater est omnium virtutũ) magis quàm ex rigore canonum misericordiæ viscera adhibendo, ipsum in eodem ordine esse fraternitati tuæ consulimus: ita tamẽ, vt si ecclesia illa cui deseruit, sacerdotum penuriã non patitur: suspensus à sacerdotali officio permaneat. Quòd si fortasse ecclesiæ vtilitas exegerit vt curam regiminis assumat: licet ei concessione sui episcopi fratrumq; obedientia sacerdotali officio fungi.

QVAESTIO VI.

AN PRO ELECTIONE QVIDPIAM DARI POSSIT.

GRATIAN. QVID verò de his fieri debeat qui ignoranter à simoniacis ordinati sunt (quod vj. loco quæsitum est) supra i. cap. videlicet Vrbani, quod sic incipit. Si qui à simoniacis non simoniacè ordinati sunt: requiratur. Nunc autẽ de illis

» illis quæritur qui non pro ordinatione pecunias offerunt, sed
» pro electione, vel vt decretũ electionis fiat, vel vt subscriptio-
» ne firmetur, vel vt electioni non resistatur, aliquibus præmia
» largiuntur: an eorum electio vitiosa sit iudicanda? Non enim
» videtur spiritus sancti donum emere qui nõ pro cõsecratione,
» sed pro electione munera largiuntur, cùm nullius spiritualis
» gratiæ aliquos faciat electio participes. Sed sicut ecclesiastica-
» rum rerum emptores simoniaci iudicantur, quia ecclesiasticis
» officiis ita adiunctæ sunt, vt alterum sine altero alicui nõ pro-
» ueniat: ita quia per electionem peruenitur ad cõsecrationem,
» perinde simoniacus habetur qui pro electione præmia largi-
» tur, ac si pro consecratione munera dedisset.

VNDE Symmachus scribit Cæsario episcopo. Cap. 5

De his qui pro muneribus ordinationem faciunt. 1

SI quis autem episcopatum desiderat data pecunia, potentes personas minimè suffragatrices sibi adhibeat: nec ad decretum sibi faciendum clericos, vel ciues ad scribendum adhibito cuiuslibet generis timore compellat, vel pręmiis quibuslibet exhortetur. ITEM Greg. Salonis consistentibus. Epi. 26. lib. 5.

Simoniacus est qui vt eligatur, præmia largitur. 2

EGo autem vestræ dilectioni prouidens, & meę animę omnipotentis Dei iudicium pertimescens: eiusdem Maximi causas subtiliter exquiri desidero, si nullis criminibus pressus quæ sacro ordini contradicunt: si nõ per simoniacã hæresim. id est præmia quibusdã se eligentibus præbendo ad sacerdotale pertingere conatur officium. Tunc enim libet pro vobis apud dominum intercessor erit, si non obligatus de suis ad locum intercessionis venerit.

ITEM Greg. Syagrio episcopo Augustudunensi. Epi. 110. li. 7.

Sicut ordinatio, sic electio vel cõsensus sine venalitate debet cõferri. 3

SIcut is qui inuitatus renuit, quęsitus refugit, sacris altaribus est admouẽdus: sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profundum descendat? Itaque frater charissime in sacerdotibus ordinandis syncetitas vigeat: sit simplex & sine venalitate cõsensus: pura præferatur electio: vt ad summum sacerdotij vel pontificij non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio. Si autẽ pecunia promissa fuerit vel soluta electo vel ordinato penitus ignorante, nec eo modo ad electionem vel ordinationem peruenerit: ei nullatenus obesse videtur: nec ad reatum criminis pertinet, cuius conscientiam non habuit: nec ad electionis vel ordinationis cassationem pertinet, ad quam alias nõ per prauam illorum cupiditatem peruenisse docetur.

QVAESTIO VII.

AN RENVNCIANS SVAE HAERESI SIT ACCIPIENDVS IN EPISCOPALI DIGNITATE.

NVNC autem de septima quæstione tractandum est, an renuncians suæ hæresi sit recipiendus in episcopali dignitate, vel non.

Cypr. epist. 1. li. 2. epistolarum.

DE his ita scribit Cyprianus ad Stephanum.

Qui redeuntes ab heresi, in suis ordinibus recipiantur. 1

SI qui presbyteri & diaconi in ecclesia catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi & rebelles extiterint contra ecclesiam, vel apud hæreticos à pseudoepiscopis & antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sunt, & contra altare atq; diuinum verbum sacrificia foris falsa & sacrilega offerre conati sunt: eos quoque hac conditione suscipi conuenit cùm reuertuntur, vt communicent laicis, & satis habeant quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterunt: nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerunt. ITEM ex septima synodo.

De his qui pro muneribus ordinationem faciunt, & qui redeuntes ab hæresi, in suis ordinibus recipiuntur. 2

SI quis omnem traditionem ecclesiasticam scriptam vel non scriptam violat, anathema sit. Omnis episcopus vel presbyter aut diaconus cōuictus quòd pro muneribus ordinationē dederit vel acceperit, à sacerdotio cadat. Sed dicunt quidam quia pœnitentiam agimus pro peccato, & deus indulget illud. ita & ego dico quia omnē pœnitentiam recipit deus, & indulget per pœnitentiam peccata quæ iam facta sunt. Noui enim quòd Dauid fornicatorem & homicidam per pœnitentiā receperit Deus, & quòd dixerit de eo: Inueni virum secundum cor meum. Noui rursus eundē audientē à Deo. Non ædificabis mihi domum: quia vir sanguinum es. Scio Manassen per confessionē dimissam impietatē suam. Scio meretricē & telonarios per pœnitentiā receptos: nullum tamē eorum qui ante baptismum peccauit, sacerdotibus connumeratum. Scio quosdam dū essent in mundo, in multa fornicatione mansisse, monachos verò factos quasi luminaria mundi resplēduisse: nullū tamen ad sacerdotiū ascendisse. Quod etsi rarò contingit: nulla tamē lex ecclesiæ fuit. Nouimus peccatricem prius Mariā, post conuersionē quamuis sancta & casta, tamē inter diaconissas non est cōputata. Sed quid hoc dico? Sequens sanctos apostolos & venerabiles patres cum omni fiducia clamo: Qui per simoniā ordinatus est, siue episcopus, siue presbyter, siue diaconus, alienus est à sacerdotio, neq; enim venalis est gratia spiritus

Act. 13. 1. Paral. 28. 2. Par. 33. b. Matth. 21.

spiritus sancti. Caiphæ traditio, & adinuentio Simonis, à sancto sacerdotio est aliena. Etsi in fornicationē lapsus est aliquis post baptismum in sacerdotiū non recipitur. Canones enim hoc prohibēt. Si quis verò cū hoc peccato ad sacerdotiū prouectus est, cognitus degradetur. Item *de eodem*. Episcopum qui per pecuniā ordinatus est: cōfiteor quia per pœnitentiā recipitur, Deus bonus est in omnibus: & aperta viscera eius omni homini pœnitēti. Sed quoniā iuxta Apostolū oportet episcopum irreprehensibilem esse: quicunque per pecuniā ordinauerit aliquem, vel ordinatus est, ab omni sacerdotio alienus sit. Tharasius patriarcha dixit: Quicunque per pecuniam vel ordinant, vel ordinauerūt, vel ordinati sunt episcopi vel presbyteri vel diaconi vel quilibet de numero sacerdotali, repellātur omnino à sacerdotali honore, sicut Simō Magus à Petro. *Item*. Quicunq; per pecuniam, dispensationē vel curam sortiti sunt monasteriorum, vel ecclesiarum vel religiosarum domorum, Gerontocomiorum, Xenodochiorum, Orphanotrophiorū, cum depositione expellantur à dispensatione illa & cura. Qui post baptismum cadens in fornicationem ordinatus est: si postmodum confessus fuerit, cesset ab administratione, si verò conuictus ab aliquo, deponatur omnino. Similiter percussor episcopus aut presbyter aut diaconus per se vel per aliquem alium quasi per hec hoc timeri volens, deponatur. Item *de eodem*. Qui per seculares potestates ordinatus fuerit, aut ecclesiā obtinuerit, deponatur. Si verò religiosam domum; expellatur.

Ioan. 11. c. *Act. 8. c.* *1. Tim. 3. a.* *Acto. 8. c.*

ITEM *ex eadem synodo*, ex concilio Meldensi.

De eodem. [a] *Palea.* 3

CAuendum[b] est & summopere [studendum] ac per virtutem Christi sanguinis interdicēdum episcopis & regibus & omnibus sublimioribus potestatibus, atq; cūctis fautoribus & electoribus quorumcunque, *atq*; consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, vt nemo per simoniacam hæresim *regiminis* obtineat locū quacūq; [[c] functione,] calliditate, promissione, seu commoditate aut datione per se, aut *per* submissam personam. ITEM in eadem synodo septima.

a Ex mag. Iuo. p. 5. non est Palea.
b precauendum.
c legend. factione. Contius.

Qui redeuntes ab hæreticis recipi possunt, vel non. 4

COnuenientibus apud Nicenam Bithyniæ, & consedentibus Petro archiepiscopo, & Petro presbytero, & abbato monasterij sanctę Sabinæ, locum tenentibus Hadriani papæ, & Tharasio archiepiscopo Cōstanti. & Ioanne & Thoma apocrisariis apostolicarum sedium Oriētalium, & cæteris episcopis, episcopi Siciliæ dixerunt. Dignum est vt de futuris inquiramus. Item Basilius episcopus Ancyræ dixit: Constitutio ecclesiastica habet canonicè tradita ab antiquo à sanctis apo-

3. pars.

stolis & successoribus eorum sanctis patribus nostris apostolicis viris & magistris, & sanctis vniuersalibus sex synodis, & localibus synodis orthodoxis, vt qui ab aliqua hæresi reuertuntur ad orthodoxam fidem & traditionem catholicæ ecclesiæ, scripto negare debeant hæresim suam & confiteri catholicam fidem. Item Tharasius patriarcha dixit, videtur vobis vt sedes suas recipiant qui ab hæresi reuertuntur? Religiosissimi monachi dixerunt: Sicut receperunt vniuersales vj. synodi ab hęresi reuertentes ita & nos recipimus. Sancta synodus dixit: Placet omnibus nobis. Et iussi sunt Basilius episcopus Ancyræ, & Theodorus episcopus Mireæ ciuitatis, & Theodosius episcopus sedere in gradibus & in sedibus suis. Item Constantinus episcopus Cypri dixit: Non oportet nos qui episcopi sumus, indigere doctrina, sed aliorum esse doctores. Item Tharasius episcopus dixit: Malorum doctorum mala est doctrina. ecclesia de malis doctoribus sacerdotes non recipit. Item Ioan. Apocrisarius orientalium sedium dixit: Hęresis separat omnē hominē ab ecclesia. Item Tharasius episcopus dixit: Ecce multi canonici libri & synodici & paterni lecti sunt, & ab hæresi reuertentes docuerunt nos recipere si aliqua alia iusta causa non est in eis.

Itē Petrus Apocrisarius papæ dixit: Romę exulatus est Macarius hæreticus à sancta vj. synodo: & quadraginta dierū inducias dedit illi pater noster Benedictus papa, & quotidie mittebat ad eum Bonifacium consiliariū suum, & instruebat eum cōmonitoriis verbis ex diuina scriptura, & nullatenus voluit emēdari. Hoc aūt faciebat vt eū reciperet in ordine suo. Item Tharasius patriarcha dixit: Quid dicitis de Anatolio? nónne etiā in quarta synodo factus est princeps[a]? & ecce ab impio Dioscoro ordinatus est. Et nos igitur ita recipiamus eos qui ab hæreticis ordinati sunt, sicut & Anatolius receptus est. Itē verè vox Dei est, quoniā non moriūtur filij pro patribus, sed vnusquisq; in peccato suo morietur, quoniā ex Deo est ordinatio. Itē Tharasius patriarcha dixit: Audiuimus paterna mādata. Quid igitur? oportet recipere ab hęreticis ordinatos? Sancta synodus dixit: Audiuimus domine, & oportet nos recipere. Tharasius patriarcha dixit. Plures eorum qui in vj. synodo conuenerunt: à Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro ordinati sunt qui fuerūt & principes hæreseos Monothelitarū: quoniā isti cōtinuatim in Constātinopolitana sede sederunt, & ab vltimo eorum Petro scilicet, & vsq; ad vj. synodum non fuerunt plures quàm xij. anni. Thomas verò & Ioānes Constātinus ab hæreticis illis archiepiscopi facti sunt: & tamen propter hoc non sunt reprobati. Sancta synodus dixit: Hoc manifestum est. Constātinus episcopus Cypri dixit. Sufficienter ostensum est. quòd

a subaudi. hæreseos.

quòd ab hæreticis venientes recipiendi sunt. Si verò quis sponte ad hæreticum vadit, & accipit ordinationem: non recipiatur. Item Tharasius patriarcha dixit: Et ego refuto eos qui ob huiusmodi causam ad fidei subuersionem ordinati sunt, & maximè cùm præsentes essent orthodoxi episcopi à quibus poterant ordinari. sic est paternus intellectus. Si verò synodalis consonantia fuerit, & vnitas ecclesiarum de orthodoxis: qui præsumpserint ab immundis hæreticis ordinari, depositioni subiaceant. Sancta synodus dixit: Hoc est iustum iudicium. 3. pars.

EX hac auctoritate datur intelligi quòd qui ab vnitate catholicæ fidei in hæreticorum societatem transierit, vt de manibus eorum ecclesiasticæ dignitatis sacramenta percipiat: vel qui contemptis orthodoxis ab hæreticis ordinari desyderauerit, & postea suæ abrenuncians hæresi ad ecclesiam redierit, officio tamen accepto fungi nō poterit. Auctoritate verò Cypriani prohibentur ab administratione ecclesiastica qui intra catholicam ecclesiam ordinati, ad fidei impugnationem dilabūtur. Porrò simoniaci nec ab hæreticis ordinantur ad fidei subuersionem, nec intra ecclesiam catholicam ordinati aduersus fidem armantur. quanuis enim nonnullos per pecuniam ordinent, non tamen fidem impugnant, nec gratiam spiritus sancti venalem prædicant. vnde veraci pœnitentia cùm hæresim suam detestati fuerint, præmissis auctoritatibus non prohibentur recipi in suis gradibus, Veruntamē capitulo illo Nicenæ synodi, si quis per pecuniam &c. & illo alio vij. synodi, si quis omnem traditionem &c. & Innocentij, & aliorum multorum auctoritatibus irreparabiliter damnari iubentur. Gratian.

HINC etiam Leo iiij. Episcopis Britanniæ.

In ordine malè accepto simoniaci pœnitentiam agere non possunt.

REquiritis de his qui turpissimo lucro columbas in templo domini vendere non pertimescūt, & sua acta improba temeritate Simonis hæresi cōiungunt: vtrum possint in ordine pœnitentiam agere, an tantummodo extra ordinem & sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem conuictis, & his qui tam detestabile nefas (quod iam multis est damnatū cōcilijs) peregisse noscūtur: nulla possumus pœnitētia subuenire, & tot spiritualibus patribus obuiare: sed in illorum patrum me sententia conuenire omnibus certum sit. 4. pars.

Nisi rigor disciplinæ quādoq; relaxetur ex dispēsatione misericordiæ. Multorū enim crimina sunt dānabilia, quæ tamē ecclesia tolerat ꝓ tēpore, pro persona, intuitu pietatis vel necessitatis, siue vtilitatis, & pro euētu rei. Pro tēpore sicut Gelasius qui cùm necessitate temporis videret Italicam ecclesiam propter belli famisque incursionem ferè omniū clericorum officio destitutā, adeò vt plærisque populis subsidia regendarum dee ssent Gratian. Gela. pap. cap. 1 decret.

decessent animarum: concessit de monachis vel de laicis clericos assumi, ita dicens.

Gela. episcopis per Lucaniam.

Pro temporum necessitate apostolicæ sedis decreta temperantur. 6

NEcessaria rerum dispensatione constringimur, & apostolicæ sedis moderamine conuenimur sic canonum paternorum decreta librare, vt ea quæ præsentium necessitas temporũ in restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit: diligenti consideratione (quantũ potest fieri) tẽperemus. ITEM Priscis igitur.

Require supra in tractatu ordinandorum.

Inno. epi. 22. scribens episcopis Macedoniæ.

ITEM Innocentius papa cùm necessitate temporis, ne nimium scandalum esset in ecclesia, ordinatos à Bonoso hæretico susciperet: ait in decretis suis.

Cessante necessitate debet cessare quod vrgebat. 7

QVod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus nõ fuisse. Quod ergo necessitas pro remedio reperit: cessante vtiq; necessitate debet cessare pariter quod vrgebat: quia aliud est ordo legitimus: aliud quod vsurpatio ad præsens fieri tempus impellit. Similiter ex dispensatione etiam in Niceno concilio de Nouatianis statutum est, vt ad ecclesiam redeuntes ordinentur.

Cap. 8.

Iterum ordinentur qui ex Nouatianis ad ecclesiam redierint. 8

SI qui voluerint ad ecclesiam venire catholicam ex Nouatianis, placet sancto concilio vt ordinentur: & sic maneant in clero. Ante omnia autem hanc ab eis confessionem per scripturam exigi oportet, vt fateantur se cõmuni consensu catholicę ecclesię statuta obseruaturos. ITEM Greg. in regesto.

Greg. epi. 31. lib. 10.

Iuramentum à schismate redeuntium. 9

QVotiens cordis oculus nube erroris obductus, supernæ illustrationis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est, ne latenter auctor schismatis irruat, & ab vnitatis radice eos qui ad eam reuersi fuerint, telo iterum erroris abscindat. Et ideo postquã ego. N. ciuitatis illius episcopus comperto diuisionis laqueo quo tenebar, diutina mecũ deliberatione pertractans prona & spontanea voluntate ad vnitatem sedis apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum, ne non pura mente, sed simulata reuersus existimer, spõdeo sub ordinis mei casu, & anathematis obligatione, atque promitto tibi. N. & per te sancto Petro apostolorum principi atque eius vicario. N. beatissimo, & successoribus eius, me nunquam quorumlibet suasionibus vel quocunque alio modo ad schisma, de quo redemptoris nostri gratia liberante ereptus sum, reuersurum: sed semper in vnitate sanctæ ecclesię catholicæ, & cõmunione Rom. ponti. per omnia permansurum, vnde iuratus dico per Deum omnipotentẽ, & per hæc sancta quatuor [a] euãgelia quæ in manibus meis teneo, & salutem dominorum nostrorũ. N. &. N. temp.

a aliàs propositis tantum euangelijs Iurant. c. vlti. extra. de Iuramẽt, calum.

temp. gubernantium, me in vnitate (sicut dixi) ecclesiæ ad quā Deo propitio sum reuersus, & in communione Ro. pon. semper & sine dubio permanere. Quod si (quod absit) ab hac me vnitate aliqua excusatione vel argumēto diuisero, periurij reatum incurrēs, æternæ pœnæ obligatus inueniar. & cū auctore schismatis habeā in futuro seculo portionē. Hanc autē professionis promissionisq́; meæ chartulam tibi. N. notario meo cum cōsensu presbyterorū, & diaconorum, & clericorum qui me in hac vnitate obligātes, se in suprascriptis omnibus prona similiter volūtate secuti, atque propriis manibus subscripturi sunt, scribēdam dictaui: & propria manu sub scribēs tibi tradidi. Acta in loco tali, die tali, & consulibus suprascriptis. Ego N. episcopus ciuitatis. N. huic confessioni promissioniq́; meę præstito de conseruandis suprascriptis omnibus sacramento subscripsi.

CAETERVM ex canonum rigore contra scribit Felix papa omnibus episcopis. *Felix pap. 3. cap. 5. epistola.*

Qui extra ecclesiam baptizati fuerint, vel rebaptizati: ad ecclesiasticam militiam non admittantur. 10

QVi in qualibet ætate alibi quàm in ecclesia catholica, aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere: quibus satis debet esse quòd in catholicorum numerum sunt recepti: quoniam de suo ordine & communione videbitur ferre iudicium quisquis hoc violauerit institutum, vel qui non remouerit eum que ex eius cœtu ad ministeriū clericale obrepsisse cognouerit. Pro persona: sicut beatus Greg. scribens Ianuario episcopo ait.

Rigor canonum pro persona aliquando dispensatur. 11 *Greg. epist. 1. lib. 7.*

TAnta nequitia in aures meas de tua senectute peruenit, vt eam (nisi adhuc humanitus pensaremus) fixa iam maledictione feriremus. Et quidē penè fuerat in te sententia iaculanda: sed quoniam simplicitatem tuam cum senectute cognouimus, interim tacemus. Pietatis intuitu, sicut de illiteratis & corpore vitiatis Gelasius ait. *Gela. pap. 1. ad episcopos per Lucaniam cap. 18.*

Canonum decreta pietatis intuitu nonnunquam relaxantur. 12

SI qui vel propria temeritate vel incuria præsidentium tales suscepti sunt. nihil vltra promotionem accipiant: satisq́; habeant hoc sibi pro nimia miseratione concessum.

GRATIAN. *Hila. papa ad episc. Terracon.*

„ Necessitatis intuitu, sicut Hilarius papa, qui cùm de quo-
„ dam episcopo præter notitiam vel cōsensum Metroplitani or-
„ dinato loqueretur, ne in vtroque graue scandalum fieret, ait
„ in epistola sua.

Necessitatis causa quædam in ecclesia tolerantur. 13

QVoniam quicquid ab alterutra parte est iudicatum, omni videmus peruersitate confusum: temporum necessitate

tate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam peruenisse quod gestum est, vt deinceps nullus præter notitiam vel consensum Metropolitani ordinetur antistes.

Innoc. papa. I. epist 22. episcopis Maced.

IDEM Innocentius.

De eodem. 14

QVotiens à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem vindicari non potest, inultum solet transire. Priora ergo dimittẽda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima solicitudine præcauenda.

Ivo id refert in Prologo. lib.

ITEM in epistola Cyrilli missa Maximo diacono Antiocheno.

Ex dispensatione quadam tolerantur quæ canonũ rigor cõdemnat. 15

DIdici à diligendo mihi Paulo monacho quia recusat pietas tua vsque hodie communionem reuerendissimi episcopi Ioannis amplecti, pro eo quòd quidam in Antiochena ecclesia malè adhuc cum Nestorio vel sentiant, vel iam senserint, quidem, sed forsitan, resipuerũt. probet igitur tua modestia vtrum aliquando colligi nudè ac irreuerenter cum Nestorio sentiant, & inuicẽ colloquantur: licet aliquando cauteriatam habuerint conscientiã: colligantur autem nunc acta pœnitentia super his in quibus subrepti sunt: quanuis confiteri fortassis reuereantur excessum. Vt autẽ non æstimemur amare contentionẽ, amplectamur episcopi reuerendissimi Ioannis communionem, indulgentes ei: & causa dispensationis, eius negocium non subtilius vel districtius siue vehementius erga se recognoscat agitari. dispensationis enim gratia (sicut dixi) eget negocium multum.

IvoCarn. ibidem refert.

IDEM ad Ianuarium episcopum & Archimandritam presbyterum.

De eodem. 16

DIspensationes rerum nonnunquã cogunt parum quidem à debito rigore quosdam exire foras, vt maius aliquid lucrifaciant. sicut enim hi qui mare nauigant, tempestate vrgente nautique periclitante anxiati quædam exonerant, vt cætera salua permaneant: ita & nos cum non habemus saluandorum omnium negociorum penitus certitudinẽ, despicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur dispendia.

GRATIAN.

Vtilitatis intuitu, sicut in Meldẽsi cõci. perhibetur de filijs "virginũ vi raptarũ, & sic ad coniugium raptorum applicatarũ. "

Vtilitatis intuitu quædam in ecclesia temperantur. 17

TAli coniugio generati, ecclesiasticis ordinibus nõ applicentur: nisi forte eos, aut maxima ecclesiæ vtilitas vel necessitas postulet, vel euidens meritorũ prærogatiua cõmendet.

GRATIAN. *Actu. 10.c*

HVIC Petrus concordans ait: In veritate comperi: quia " non est acceptor personarum Deus. &c. Pro euentu etiam rei "

quæ-

» quædam in ecclesia tolerantur: sicut Leo ait in decretis suis » de laicis subito contra decreta canonum ordinatis episcopis. *Leo pa.I.epi.85 episcopis Aphri.*

Laicis qui contra decreta canonum ad episcopatum promouentur, ex misericordia susceptum officium relinquitur. 18

EXigunt causæ, vt non solum in tales præsules, sed etiam in ordinatores eorum competens vltio proferatur. Sed circunstant nos hinc mansuetudo misericordiæ, hinc censura iustitiæ: vt credamus quædam delicta vtcunque toleranda: quædam verò penitus amputanda. Illos ergo quorum prouectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quòd ex laicis ad episcopale officium electi sunt, locum suũ tenere permittimus, non præiudicantes apostolicæ sedis statutis, nec beatorum patrum regulas soluentes: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione cõcedi, fas erit amplius impunè committi: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta postmodum vltione plectamus.

IDEM ad Mauros episcopos. *Leo ibidem paulo inferius.*

Donatistæ & Nouatiani quanuis reprehensibiliter ordinati tamen ex necessitate tolerantur. 19

MAximum quoque ex laico reprehensibiliter licet ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ prauitatis alienus est ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est non repellimus dignitate: ita vt ipse libello ad nos directo catholicum se esse manifestet. IDEM. *Leo in eadẽ epi. paulo superius.*

De eodem. 20

DOnatum autem Seminacensem ex Nouatiano (vt comperimus) cum sua plebe conuersum, ita dominico gregi volumus præsidere, vt libellum fidei suæ meminerit, ad nos dirigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnet errorem, & plenissimè confiteatur catholicã veritatem. Quæ autem nunc certa remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta posthac vltione plectamus. *Ibidẽ, superius.*

IDEM Ianuario episcopo Aquileiensi. *Idẽ Leo epist. 3. & 83. Iuliano Aquileiensi.*

Redeuntes ab hæresi post publicam professionem in suis ordinibus recipi possunt. 21

SAlubertimum enim & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue presbyteri, siue diaconi, siue subdiaconi, aut cuiuslibet ordinis clerici qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem quã pridem amiserãt, rursùm reuerti ambiunt: prius errores suos & ipsos auctores erroris à se damnatos sine ambiguitate fateantur: & sensibus prauis etiam peremptis nulla desperãdi supersit occasio: nec vllum membrum talium possit societate violari: cum per omnia illis professio propria cœperit obuiare, circa quos etiam illam canonum

con-

constitionem præcipimus custodiri vt in magno habeant beneficio si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inueniuntur ordine, stabilitate maneãt perpetua, si tamẽ iterata vnctione non fuerint maculati,[a] *nõ leuem enim apud deum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros promouendos ordines iudicaret.*

a Addit in manuscrip. Cap. 36. *synodorum Græcarũ à Marti. episco. Brac. collectarũ.*

I T E M[a] ex concilio Matini papæ.

Ab hæresi redeuntes, hæresim & eius auctores publicè detestentur. 22

SI quis episcopus, siue alicuius episcopi presbyter aut diaconus in alicuius hæresis opinione offenderit, & ob hanc caussam fuerit excommunicatus, nullus episcopus in communionem eũ recipiat, nisi prius in communi concilio porrecto suæ fidei libello satisfaciat omnibus: & ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem & de fidelibus laicis sit decretum, si in aliqua hæresis opinione fuerint nominati.

§. pars. GRATIAN. Ecce quibus de causis quædam in ecclesia tolerantur, quæ eisdẽ cessantibus pia seueritate vindicantur. Quando aũt toleranda sint, quãdo resecanda: Gelasius papa distinguit dicens.

Gel. papa. I. episcopus per Lucaniam cap. II.

Quomodo in ecclesia aliqua sint toleranda. 23

ETsi illa nonnunquam sinenda sunt, quæ si cæterorum constat integritas, nocere sola non valeant: illa tamen magnopere præcauenda sunt, quæ recipi sine manifesta decoloratione non possunt: & si ea ipsa quæ nullo detrimento aliquotiẽs indulgenda creduntur, vel rerum vel temporum, quæ cogit intuitus, vel acceleratæ prouisionis excusat respectus: quanto magis illa nullatenus sunt mutilanda, quæ nec vlla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet vtilitas? Aliquando enim pro necessitate vel vtilitate ecclesiæ mutilantur & relaxantur præcepta canonica.

§ pars. GRATIAN. Breuiter ostendimus qui reuertentes ab hæresi in suis ordinibus valeant recipi, vel qui non. Nunc autem quæritur de his qui ab hæreticis ordinati sunt, si ad vnitatem catholicæ matris ecclesiæ redierint, vtrum in eodem ordine iterum valeant ordinari. Semel enim consecratus (vt ait beatus Gregorius) iterum consecrari non debet. Item sacramenta quæ ab hæreticis in forma ecclesiæ ministrantur (sicut Augustinus testatur) reiterari non debent: ne non homini, sed sacramento videatur iniuria fieri. Sed illud Gregorij de his intelligitur qui consecrationem sacerdotalem vel episcopalem acceperunt: qui aut per manus impositionem, cùm ad ecclesiam redeunt, effectum suæ vnctionis accipiunt: aut ab eius administratione perpetuò cessare iubentur. Similiter illud Augusti. de eadem mystica vnctione, & de sacramento baptismatis intelligitur. Sunt autem in ecclesia alij ordines, qui sine sacramẽtali vnctione sola episcopi benedictione

„ dictione cum quadam vasorum vel indumentorum distribu-
„ tione præstantur: vt sunt leuitæ & cæteri infra eos constituti:
„ hi quamuis ab hæreticis ordinentur, tamen ad ecclesiã redeun-
„ tes in eodem ordine (si aliàs digni fuerint) ab ecclesia ordi-
„ nentur: nec fiet in eis reiteratio muneris: cùm ab hæreticis ni-
„ hil doceatur eis fuisse collatum.

VNDE Vrbanus secundus scribit Petro Pistoriensi episcopo, & Rustico abbati Vallis vmbrosæ. *Iuo id refert lib. 3. de ordinatis.*

Redeuntes ab hæreticis, sunt reordinandi. 24

DAibertum à Nezelone licet simoniaco non simoniacè eiusdem cõfessione reperimus in diaconum ordinatum: & beati Innocentij papæ sententia constat declaratũ, quòd Nezelon hæreticus (quem constat ab hæreticis ordinatum) quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Nos igitur tanti pontificis auctoritate firmati, & Damasi papæ testimonio roborati, qui ait, Reiterari oportet quòd malè actũ est: Daibertum ab hæreticis corpore & spiritu digressum, atque vtilitati ecclesiæ pro viribus insudantem, ex integro (ecclesiæ necessitate ingruente) diaconum constituimus: quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconi dationem: quoniam (vt prædiximus) qui nihil habuit, nihil dare potuit. ITEM Damasus papa.

De eodem. 25 *Dam. epist. 4. de chorepiscopis.*

PEr illicitam manus impositionem vulneratum caput illi qui videbantur aliquid accepisse, habebant: & vbi vulnus est infixum, est necesse medicinam adhiberi, qua infixa sanetur macula, id est reiterare necesse est quod legitimè actum non est, aut collatum minimè probatur. Nam quomodo possit honorem retinere, qui ab illo acceperit qui potestatem dare non habuit legitimè, inuenire non possunt.

ITEM libro nono C. tit. ad legem Iuliam repetundarum. Imperatores Theodosius & Valerius. 26 *titulo 27. leg. 6. 7. pars.*

SAncimus eiusmodi viros ad prouincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione vel precio, sed probatæ vitæ & amplitudinis tuæ solent testimonio promoueri, ita sanè, vt hi quibus honores per sedis tuæ, vel nostram fuerint electionem commissi, iurati inter gesta depromant se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quippiam, neque daturos vnquam postmodum fore siue per se, siue per interpositam personam in fraudem legis sacramentique, aut donationis venditionísve titulo aut velamento cuiusque contractus: & ob hoc (exceptis salarijs) nihil penitus tã in administratione positos, quàm post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis quam gratuito meruerunt, accepturos. Et licet neminem diuini timoris contem-

nendo iusiurandum arbitremur immemorē, vt saluti propriæ vllum commodum anteponat: tamen vt ad salutis timorem ex necessitate periculi subiugetur: si quis ausus fuerit præbita sacramenta negligere: non tantummodo aduersus accipientem, sed etiam aduersus dantem accusandi cunctis tanquam publicum crimen concedimus facultatem: quadrupli pœna eum qui conuictus fuerit, modis omnibus feriendo.

ITEM Paschalis papa.

De eodem. 27

PAtet simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos: & si commoniti nō resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos. omnia etiam crimina ad cōparationē simoniacæ heresis quasi pro nihilo reputantur.

GRATIAN. His breuiter præmissis, ad ea veniamus quæ ecclesia seueritate disciplinæ parata est vlcisci: ostendentes quibus accusantibus vel testificantibus quilibet sint conuincēdi, quo iudice quisque debeat damnari vel absolui. si causa vitiata fuit, quo remedio possit subleuari. si accusatores defecerint: an reus sit cogendus ad purgationē. Et vt facilius pateat quod dicturi sumus, exemplū ponatur sub oculis, in quo auctoritates hinc-inde cōtrouersantes distinguantur: & quid sanctorum patrum sentiat auctoritas, liquidò intimetur.

CAVSA II.



QVidam episcopus de lapsu carnis à laico impetitur. Duo monachi, vnus subdiaconus, & duo leuitæ aduersus ipsum testimonium ferunt. A metropolitano suo sentit se prægrauari. In ipsa ventilatione causæ tres ex testibus deficiunt, siue promissione decepti, siue canonica examinatione reprobati. Expoliatur tamē episcopus, quia crimen eius notorium erat.

1 Hic primùm quæritur, an in manifestis iudiciarius ordo sit requirendus.

2 Secundò an expoliatus ab aliquo sit iudicandus.

3 Tertiò, qua pœna sint feriendi, qui in accusatione vel testificatione defecerint.

4 Quartò, an duorum testimonio episcopus sit condēnādus.

5 Quintò, si deficientibus accusatoribus quis sit cogendus ad purgationem.

6 Sextò, si remedium sit dandum ei qui causa dilationis vocem appellationis adhibuerit.

7 Septimò, si laici, vel monachi, vel quilibet inferiorum ordinum in accusatione maiorum sunt audiendi.

8 Octauo, quomodo debeat fieri accusatio, an in scriptis, an sine scriptis.

QVAE-

QVAESTIO I.

AN IN MANIFESTIS IVDICARIVS ORDO SIT REQVIRENDVS.

QVòd autem nullus sine iudiciario ordine damnari valeat, auctoritatibus multis probatur. De eo nanque ait Augustinus. *Aug. homi. 50. de vtilitate pœnitentiæ.*

Damnari non valet, nisi aut conuictus, aut sponte confessus. 1

NOs in quenquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum.

ITEM Constantinus imperator. *Non inueni nec in Cod. Iustinianeo, nec Theodosiano.*

De eodem.

IVdex criminosum discutiens non antè proferat sententiam, quàm aut reum ipse se confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur. Hoc idem testatur Augustinus & eisdem verbis. ITEM Gregorius. *Greg epi 50. li. 8 ad Dominianum.*

De eodem. 2

SIcut sine iudicio quenquam nolumus condemnari: ita quæ iustè diffinita sunt, nulla patimur excusatione differri.

ITEM Eleutherius papa. *Eleuthe. pa. ad episco. Galliæ.*

De eodem. 3

NIhil contra quemlibet accusatum absque legitimo & idoneo accusatore fiat. nam & Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus. ITEM Felix papa. *Felix pri. epi. ad Paternum, & Zephirinus ep. I. ad episcopos Siciliæ.*

De eodem. 4

PRimates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quàm aut reū se ipse confiteatur: aut per innocētes & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur. aliter irritam esse censemus, & iniustā episcoporum damnationē, & idcirco à sancta synodo retractandā: ita vt oppressis ab omnibus in cunctis causis subueniatur.

IDEM decreuit Zepherinus papa.

Multi per tolerantiam sustentandi sunt, quamuis sententia diuini iudicij sint condemnati. 5

VNus ex vobis me traditurus est. Bene dixit ex vobis, & non ex nobis. Ex vobis enim est, à quibus per iudicariam potestatem confessus aut conuictus exclusus non est. A me verò, qui nullis indigeo argumentis, & omnia certissimè noui separatus & diuisus est. Tale est ac si diceret: Et si ego eum per occulti iudicij sententiam damnatum habeo: vos tamen adhuc illum per tolerantiam sustinete. *Mat. 26. b.*

ITEM Gregorius Ioanni defensori eunti in Hispaniam. *Gre. epist. 50. lib. 11.*

Nullum seruetur iudicium, nisi rationabiliter habitum. 6.

IN primis requirendum est de persona presbyteri dilectissimi fratris & coepiscopi nostri Ianuarij,& si ita veritas se habet sicut eiusdem episcopi petitio continet, in ecclesia atque loco suo idem presbyter modis omnibus reuocetur. Si autem dictum fuerit quia cõtra ipsum causa aliqua mota siue probata est: subtiliter ipso præsente & pro se rationem reddente quærendũ est & genus causæ & modus probationis: vt ex hoc colligere valeas vtrum adhuc in exilio vel deportatione demorari,an certè in ecclesia & officio suo debeat reuocari. De episcopi persona hoc faciendum est, vt si nulla contra eũ criminalis causa quę exilio vel depositione digna est,mota siue probata est,is episcopus qui eo superstite & peruersè & cõtra canones in ecclesia eius ordinari præsumpserit,sacerdotio priuatus ab omni ecclesiastico ministerio repellatur: qui etiã eidem dilectissimo Ianuario fratri & coepiscopo nostro tradẽdus est, vt aut ab ipso in custodia habeatur,aut certè ab eo ad nos trãsmittatur. Episcopi verò qui eum ordinauerunt,vel ordinationi eius consentientes interfuerunt: sex mẽsibus dominici corporis cõmunione priuati agere pœnitentiã in monasterio decernantur:& suprascriptus Ianuarius loco & ordini suo modis omnibus reformetur. Si verò cõmunione priuatis mortis cõtigerit imminere periculum,benedictio eis viatici non negetur. Si autem episcopi in præiudiciũ damnationis vel depositionis memorati episcopi se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse,nõ sua sponte,confessi fuerint:& tempus eis abbreuiandum est,& modus pœnitentię temperãdus. Si verò ille qui locum eius inuasit,de hac fortasse luce migrauerit,& alter est ordinatus:quia leuioris culpę videtur,cum nõ quasi isti superstiti,sed successisse defuncto videatur: episcopatus illi officiũ ab ea tãtummodo ecclesia interdicatur, vt in alia ecclesia quæ sacerdote vacauerit,si electus fuerit possit esse episcop᷑: ad Malechitanam tamen ecclesiam nunquam aliquo modo reuersurus. Gloriosus autem Comitiolus quicquid prædictus episcopus per violentiam atque insecutionem * ipsius expendisse, vel damnum pertulisse dato sacramento firmauerit:eidẽ episcopo restituere condemnetur. Si autem aliter quàm antefati episcopi petitio continet,actũ esse fortitã perhibetur, subtiliter quærẽdum est,& cognita veritate cũ Dei timore quod iustitiæ ordo suaserit,iudicandum est. Quia igitur Stephanus episcopus odio sui quædam ficta, & de falsis se capitulis accusatum,neq; aliquid ordinabiliter factũ, sed iniustè se asserit condẽnatum: diligenter quætendũ est primò si iudiciũ ordinabiliter est habitum,id est,si alij accusatores,atque alij testes fuerunt. Deinde causarũ qualitas est examinanda, si digna exilio vel depositione

Ibidem Greg.
** persecutionẽ.*

tione fuerit, si eo præsente qui accusatus est, sub iureiurando testimonium contra eum dictum est, si scriptis actū est, si ipse licentiā respondendi ac defendēdi se habuerit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est cuius cōditionis sint, cuiúsve opinionis, & ne inopis patrimonij sint: ne fortè aliquas contra prefatum pastorem inimicitias habuissent. Vtrum testimonium ex auditu dixerint: aut certè specialiter se scire testati sunt. Si scriptis iudicatum est: & partibus præsentibus sentētia recitata sit. Quòd si fortè hęc solenniter acta non sunt neq; causa probata est quæ exilio vel depositione digna sit: omnibus modis in ecclesiam suā reuocetur.

Hi verò qui cōtra Dei timorem & statuta canonū eū condemnauerūt: excommunicati in monasterium ad agendā pœnitentiam sex mensibus mittēdi sunt: ita sanè, vt si cuiquā eorum mortis contigerit imminere discrimē viatici benedictio ei non negetur. Ipse autem qui eo viuente locum eius temerariè ambiuit: priuatus sacerdotio, ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, atque eidē dilectissimo fratri, & coepiscopo nostro tradatur: vt eum ipse aut ad nos trāsmittat, aut apud se in custodia habeat. Episcopi verò qui eum ordinare præsumpserunt, vel peruersæ ordinationi eius assensum præbuerunt: communione priuati sex mēsibus ad agendam pœnitentiā in monasterio deputentur. &c. vt suprà de causa Ianuarij episcopi. & infrà de eodem. Quòd si fortè aliqua de obiectis contra memoratum Stephanū episcopum probata sunt, aliqua verò doceri minimè potuerunt: cauta omnino consideratione pēsandum est vtrū leuiora capitula, an certè grauiora sunt probata, vt ex eis qualiter definitionem tuam formare debeas, possis scire. Gloriosus verò Comitiolus, si supradictus episcopus innocens esse claruerit: quicquid de rebus eius vel ecclesiæ ipsius tulit: ei sine aliqua dilatione restituat &c. vt suprà in causa Ianuarij episcopi. Si autem episcopum talem culpam, quod absit. &c. & infrà in causa monachorum. De persona presbyteri & infrà in causa. Clericus aduersus clericū. & infrà De persona Ianuarij episcopi sciendum est grauiter omnino & contra leges esse actū vt violēter de ecclesia traheretur: cùm si quamlibet iniuriam à quocunq; episcopus passus fuerit in ecclesia, iniuriantē lex capitali pœna percutiat: & sicut maiestatis reum omnibus det accusandi licentiā: vt huius legis series loquitur Codice libro primo. titulo de episcopis & clericis, in cōstitutione prima. Si quis in hoc genus sacrilegij irruperit, vt in ecclesiam catholicā irruēs, sacerdotibus & ministris vel ipsi cultui locoq; aliquid importet iniuriæ &c. & infrà. De persona episcopi Stephani hoc attēdendum est, quia nec inuitus ad iudicium trahi, nec ab episcopis alieni concilij debuit iudicari.

Tit. 2 lib. 1. Codicis lib. 10.

Greg vbi supra epist. 54. lib. 11

Contra hoc si dictum fuerit, quia nec metropolitanum habuerunt, nec patriarcham: dicendum est, quia à sede apostolica (quæ omnium ecclesiarum caput est) hæc causa audienda fuerat, ac dirimenda: sicut & prædictus episcopus petisse dinoscitur. Quia ergo episcopus alieni concilij iudices habuit omnino suspectos, sententia non à suo iudice dicta nihil firmitatis obtineat. Quod autem dicitur à seruis suis accusatus, sciendum est quia audiri minimè debuerunt. Si verò de crimine maiestatis dicitur accusatus: nec ipsis etiam de eo credendum fuit, si vita & opinio eius talis antè nō extitit. Quod autem dicit idem episcopus quia se absente aliqui vilissimi sint testes exhibiti: hoc si verum est, nullius est momenti. Testes autem quales vel cuius opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt: quæ penè nulli habentur incognitæ, quæ etiam illud sanciunt, vt vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat.

GRATIAN. Tit 44 l.3. & vltima.

Quod autem dicitur quia nihil sine scriptis iudicādum est, « legendum est Codice titulo .xliiij. libri .vij. constitutione vlti- « ma. quia scriptis debuit iudicari. Nam ibi inter alia præcipi- « tur vt sententia quæ sine scripto dicta fuerit, nec nomen sen- « tentiæ habere mereatur. Item Codice libro. vij. titulo de « sententiis ex breuiculo recitandis. Imperatores Valentinia- « nus & Gratianus, &c. «

Vltima sententia debet de scripto proferri. 7

STatutis generalibus iussimus vt vniuersi iudices quibus reddendi iuris in prouinciis permisimus facultatem, cognitis causis vltimas diffinitiones de scripti recitatione proferant. Huic adiicimus sanctioni, vt sententia quæ dicta fuerit cùm scripta non esset, nec nomen quidem sententiæ habere mereatur: nec ad rescissionem perperam decretorum appellationis solennitas requiratur.

ITEM ex concilio apud sanctum Medardum. viij. cap. [a]Himarus Remorum archiepiscopus dixit.

a ygmarus.

De eodem. 8

LEgum ecclesiasticarum auctoritas talis est, vt in causis gestorum semper scriptura requiratur, adeò vt qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen præcipiatur. qui ad summum sacerdotium prouehitur, decreto manibus omnium roborato eligatur. Ordinatus autem à suis ordinatoribus literas accipere iubetur. qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libelli inscriptione aut recipitur, aut deiicitur, sed & qui accusatur, aut excommunicatur, seu reconciliatur: per scripturam accusari vel reconciliari iubetur: & sic in cæteris huiusmodi intantum scriptura deposcitur, vt sicut beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem ex Ro-

ex Romanis legibus sumens scribit, Sententia quæ sine scriptis profertur, nec nomen sententiæ habere mereatur.

ITEM Nicolaus papa Girardo Turonēsi archiepiscopo.

Restituendus est quem neque conuictum neque confessum constat esse eiectum. 9

NOtum sit tuæ fraternæ charitati quòd cum iste presbyter pauper nomine Christophorus de sua angustia ad nostrā clementiam lachrymabiliter sit conquestus, dicēs se falsis criminibus impetitum, & ab ecclesia sua nō conuictum neq; confessum irrationabiliter fuisse eiectum: nam (vt ipse refert) tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neq; de homicidij confessione (de quibus impetebatur) reperiri potuit culpa, nisi quia suæ paupertatis causa quæ petebantur aut consentire noluit, aut adimplere non potuit: quod suus tamen æmulus vltroneus egit: qui iniuste illius ecclesiā præripuit. Idcirco magnopere monemus reuerentiam tuā vt quæ te fortè ignorāte Gieziaca cupiditate peracta esse videtur, tuæ fraternitatis censura celeri emēdatione corrigantur, scilicet restituendo ecclesię propriæ iā dictum sacerdotem, atq; ei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem: & nullatenus canonica instituta alicuius temeritate contemni permittas: quia facientem & consentientem par pœna constringit. ITEM de lib. constitutionum.[a]

Antequam causa examinetur, aliquis excommunicari non debet. 10

NEmo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus eam cōstitutionem excommunicauerit aliquem: ille qui excōmunicatus est, maioris sacerdotis auctoritate ad gratiā sanctę communionis redeat. ille autem qui nō legitimè cum excommunicauit: in tantum abstineat tempus, quantum maiori sacerdoti visum fuerit: vt quod iniuste fecit eum excommunicando, ipse iuste patiatur. ITEM August. in epistola ad clerum & ad vniuersalem plebem Hipponensem.

[a] Subaudi Nouellarum. Nam apud Iulianum epitomatorem Nouellarū extat totidem verbis ex No. 123. Ergo falsò quidam putant hic constitutiones Caroli magni & filiorum eius intelligi.

Aug. epist. 137.

Incerta & dubia iudicari non possunt. 11

NOmen presbyteri præterea nō ausus sum de numero collegarum eius vel supprimere vel delere, ne diuinæ pietatis potestati sub cuius examine causa adhuc pendet, facere viderer iniuriam, si illius iudicium meo vellem iudicio præuenire: quod nec in negociis sæcularibus iudices faciunt, quādo ad maiorem potestatem dubitatio refertur, vt pendente relatione aliquid audeant commutare. In episcoporū quoq; concilio constitutum est, nullum clericum qui nōdum conuictus est, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentauerit. ITEM Melchiades papa

Episcopis Hispaniarū scribens.

Nec suspicionis arbitrio nec ante verum & iustum iudicium aliquis condemnetur. 12

PRimo semper ante omnia diligenter inquirite, vt cum iustitia & charitate diffiniatis: neminem condemnetis ante verum & iustum iudicium: nullum iudicetis suspicionis arbitrio: sed primum probate, & postea charitatiuam sententiam proferte: & quod vobis non vultis fieri, alteri facere nolite.

Tit.2.lib.8. ITEM ff. lib. xlviij. tit. de accusationib⁹ & inscriptionibus.

Quid ab accusatione prohibeantur, & qui recipiantur. 13

PRohibentur alij accusare propter sexũ vel ætatem: vt mulier & pupillus. Alij propter sacramentum: vt qui stipendiũ merent. Alij propter magistratum & potestatẽ: in qua agentes sine fraude in ius vocari non possunt. Alij propter delictum proprium: vt infames. Alij propter turpem quæstum: vt qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habẽt: nummósve ob accusandum vel non accusandum acceperint. Alij propter conditionem suam: vt filij contra parentes, & liberti contra patronos. Alij propter suspicionem calumniæ: vt illi qui falsum testimonium subornati dixerunt. Nonnulli propter paupertatem: vt sunt qui minus quàm quinquaginta aureos habent. Hi tamen omnes si suam iniuriam exequantur, mortémve propinquorum defendant: ab accusatione non excluduntur. Liberi libertiq; non sunt prohibendi suarum defendẽdarum rerum gratia de facto parentum patronorúmve queri: veluti si dicant se vi à possessione ab his expulsos: scilicet non vt crimen vis eis intendant, sed vt possessionem recipiant. Nã & filius non quidem prohibitus est de facto matris conqueri, si dicat suppositum ab ea partum quo magis cohæredem habeat: sed eam ream lege Cornelia facere ei permissum non est. Ab alio delatum, alius deferre non potest: sed eum qui abolitione publica vel priuata interueniente aut desistente accusatore de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur. Mulierem propter publicam vtilitatem ad annonam pertinẽtem audiri præfecto annonæ deferentem diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Famosi quoque accusantes sine vlla dubitatione admittuntur. Milites quoque ad hanc accusationem admittendi sunt. Serui quoque deferentes audiendi sunt.

2. pars. GRATIA. His omnibus auctoritatibus datur intelligi ꝙ nullus est ‹‹ condẽnãdus nisi iudicio ordinabiliter habito aut cõuincatur, ‹‹ aut reum seipsum confiteatur. Verùm hæc de illis intelligen- ‹‹ da sunt quorum crimina sunt occulta. Cæterum quę manife- ‹‹ sta sunt, iudiciariũ ordinem nõ requirunt. VNDE Ambro. ‹‹

Sine accusatione, manifesta iudicentur. 14

Nicol. pa. 1. MAnifesta, accusatione non indigent. ITEM Nicolaus papa Carolo regi.

De eodem. 15

QVæ Lotharius rex nepos vester fecit, accusatione non indigent. Manifesta enim sunt (teste apostolo) opera carnis, fornicatio, immunditia, &c. *Galat. 5. d.*

" In manifestis enim calliditate accusantium nõ opprimitur " reus: nec tergiuersatione proprium crimen celatur: cum culpa " sua oculis omnium spontè se ingerat: atq; ideo in talibus iu" diciarius ordo non requiritur: qui ideo tantum institutus est, " vt nec innocentia insidiis pateret aduersantium, nec culpa de" linquentium sententiam effugeret iusti examinis. GRATIAN.

VNDE Stephanus papa Leoni episco Thianensi. *Iuo Carn. lib. 4. de iudic. & ci. refert ex eodem.*

Ordinem iudiciarium manifesta non desiderat causa. 16

DE manifesta & nota plurimis causa non sunt quęrendi testes: vt sanctus Ambro. in epistola ad Corinthios dixit de fornicatore, sententiam exponens apostoli. Iudicis inquã non est sine accusatore damnare: quia dominus Iudã, cũ fuisset fur, quia non est accusatus, minimè eiecit. Cognito autem opere illius pellendũ illũ apostolus de cœtu fraternitatis censuit, oẽs enim crimen eius sciebãt, & non arguebant, publicè enim nouercam suã loco vxoris habebat: in qua re neq; testibus opus erat, neq; tergiuersatione aliqua poterat tegi crimẽ. & paulo post. Absens facie, præsens autẽ auctoritate spiritus qui nusquam absens est, iam iudicaui vt pręsens eum qui hoc admisit, " tradi Satanæ in interitum carnis. & infrà. Sed sciendum est, " quod eorum quę manifesta sunt, alia sunt nota iudici, & inco" gnita aliis: alia sunt manifesta aliis, & occulta iudici: quædam " verò sunt nota iudici & aliis. Quæ iudici tantũ nota sunt, sine " examinatione feriri non possunt: quia dum accusatoris perso" na assumitur, iudiciaria potestas amittitur. In vna enim eadẽ" que causa nullus simul potest esse accusator & iudex. GRATIAN.

VNDE August. in homil. de pœnitentia. *Augu hom. 50.*

Quando aliqui sunt corrigendi, quando tolerandi. 17

MVlti corrigũtur, vt Petrus: multi tolerãtur, vt Iudas: multi nesciuntur donec veniat Deus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. & infra. Nos verò quemquam prohibere à cõmunione nõ possumus (quãuis hæc prohibitio nondum sit mortalis: sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari siue ecclesiastico iudicio nominatu aut conuictum. quis enim vtrũque sibi auderet assumere, vt cuiusquã ipse sit & accusator & iudex? Huiusmodi etiam regulam Paulus in epistola sua ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cum quibusdã cõmemoratis criminibus ecclesiasticis, formam ad omnia similia ex quibusdã daret. ait enim. Scripsi vobis in epistola ne cõmisceamini cũ fornicariis, nõ vtiq; fornicarijs huius mũdi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruien- *Matth. 16.* *1. Corinth. 5. d.*

tibus: alioquin debueratis de hoc mundo exire. Non enim possunt homines in hoc mundo manentes nisi cũ talibus viuere: nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorũ colloquium

Matth.9.b. conuictumq́; vitauerint. Vnde dominus cum peccatoribus & publicanis comedens: Nõ est, inquit, necessarius sanis medicus, sed male habẽtibus. non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã. & ideo consequenter apostolus etiam

1.Corint. 5.d. adiungit. Nunc aut scripsi vobis: Non cõmisceamini fornicariis. Si quis aũt frater nominatur fornicator, aut idolis seruiẽs, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cũ huiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt, iudicare? Nónne de his qui intus sunt, vos iudicatis? de his e-

Deute.21.b. nim qui foris sunt, iudicabit deus. auferte malũ à vobisipsis, quibus verbis satis ostẽdit non temere aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab ecclesiæ cõmunione: vt si per iudiciũ auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruerse malos euitando ab ecclesia ipse discedẽs, eos quos fugere videtur, mittat ad gehennã. quia ad hoc nobis in scripturis sunt exempla proposita, velut in messe vt palea sufferatur vsq; ad vltimum ventilabrũ: vel intra illa retia vbi pisces boni cum

Matth.13.f. malis vsq; ad separationẽ quæ futura est in littore: id est, in fine sæculi, æquo animo tolerantur. Non enim contrariũ est il-

Roma.14.a. lud huic loco quod dicit apostolus: Tu quis es qui iudicas alienum seruũ? suo domino stat, aut cadit. Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiã extraordinario vsurpato iudicio: sed potius ex lege dei secundũ ordinem ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatũ atq; conui-

1.Corint.5.d. ctum, alioquin illud cur dixit. Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis seruiens, &c. nisi quia eã nominationẽ voluit intelligi quę fit in quenquã, quum sentẽtia ordine iudiciario atq; cum integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia sæpe falso in quoquã crimina nominãtur. Non ergo illi quos monemus agere pœnitentiam, quærant sibi comites ad supplicia, nec gaudeãt quia

Augus. ser.16. de verbis domini. plures inueniant sibi similes. nam propterea non minus ardebunt: quia cum multis ardebunt. IDEM in eodem.

Peccatum quod tantum iudici notum est, ab eo damnari non valet. 18

Matth.18.b. SI peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. quare? quia in te peccauit. Quid est in te peccauit? Tu scis quia peccauit. Quia enim secretũ fuit quãdo in te peccauit, secretum quære cum corrigis quod peccauit in te. Nam si solus nosti quia peccauit in te, & cum vis corã omnibus arguere, non eris corrector erroris, sed proditor. Attende quemadmodum vir iustus Ioseph tanto flagitio quod de vxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit antequã sciret vnde illa

de illa cõceperat quam grauidã senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Restabat itaque certa adulterij suspicio: & tamen quia ipse solus nouerat, ipse solus sciebat. quid dicit euãgelium? Ioseph autem cum esset iustus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Ergo corripienda ipsa sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa verò corripienda sunt secretius quæ peccantur secretius. Distingue tempora, & concordabit scriptura. Sic agamus, & sic agendũ est, non solum quando in nos peccatur, sed etiam quãdo peccatur ab aliquo, vt ab altero nesciatur, in secreto debemus corrigere. Nouit enim nescio* quem homicidam episcopus, & nemo alius illum nouit. Ego nolo eum publicè corripere, & tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo. corripio in secreto: pono ante oculos eius dei iudicium: terreo cruentam conscientiam: persuadeo pœnitẽtiam. hac charitate prædití esse debemus. Vnde aliquando homines reprehendunt nos, quòd quasi non reprehendamus, aut putant nos scire quod nescimus: aut putant nos tacere quod scimus. Sed fortè quod scis, & ego scio, non tamen coram te corripio: quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis in secreto peccantes: aliquando nobis ab vxoribus suis plærunque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus produntur. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus, vt vbi cõtigerit malum, ibi moriatur. non tamẽ vulnus illud negligimus: ante omnia ostendẽtes homini in tali peccato constituto sauciamq; gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum.

Matt. 1.c

** al. quem homicidam nouerit. &c.*

,, Quando vero crimen est notũ alijs, & nõ iudici: nec tũc si- *4. pars.*
,, ne examinatione feriendum est: quia in crimen sibi occultũ GRATIAN.
,, iudex sententiã ferre non debet. VNDE Euaristus papa ait. *Epist. 1.*

Sententia non præcipitanter ferenda est. 19

DEus omnipotens vt nos á præcipitandæ sententiæ prolatione compesceret: cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare prius quàm manifestè cognosceret quę dicebãtur. Vnde ipse ait: Descendã & videbo vtrũ clamorẽ qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam. Deus omnipotẽs cui nihil est abscõditum, sed ei omnia manifesta sunt antequam fiant: non ideo hæc & alia multa quæ ob prolixitatem capitulo non inseruimus, per se inquirere dignatus est. nõ quod ea ignoraret, sed vt nobis exẽplum daret ne præcipites in discutiẽdis & iudicãdis negociis essemus: & ne mala proximorũ pri⁹ quisquã pręsumat credere, q̃ probare: cui⁹ exẽplo monemur ne ad proferendã sententiã vnquã præcipites simus: aut temere indiligenterq; probata, indiscussa quoquo modo iudicem⁹: dicẽte veritatis

Heb. 4.d

Gen. 18.c.

Mat.7. veritatis voce: Nolite iudicare,& non iudicabimini. in quo enim iudicio iudicaueritis,iudicabimini.& reliqua. Mala verò audita nullum moueant:nec passim dicta absque certa probatione quisquam vnquam credat: sed ante audita diligenter Luc. 6.f. inquirat:nec præcipitanter quicquam agat aliquis. Si enim deus cognitor omnium,Sodomorum mala(quorum clamor ad cælum vsque peruenerat)omnia sciens, prius nec credere nec iudicare voluit, quàm ipse ea cum fidelibus testibus diligenter inuestigans, quæ audierat opere comprobaret; nos qui sumus homines & peccatores, quibus incognita sunt occulta iudicia dei: hoc præcauẽtes, nullum ante veram iustãq; probationem iudicare aut damnare debemus: manifestè Rom.14. Paulo apostolo dicente: Tu quis es qui iudicas alienum seruum? suo enim domino aut stat,aut cadit.

5. pars. GRATIA. Quando autem crimen notum est iudici & alijs: aliquãdo reus inficiatur factum: veluti si quis negaret se interfecisse eũ quem sub oculis iudicis in conspectu multorum interfecit. hic quia se reum negat, sine examinatione feriri non potest. 1.Cor. 14.a Aliquando euidentia ipsa operis reum esse testatur, quando opere publico crimen suum confitetur. tunc post secundum & tertiam correctionem sine examinatione damnandus est vel puniendus,si incorrigibilis extiterit.In hoc itaque vltimo casu intelligenda est auctoritas illa Ambrosij & Nicolai: Ma 1.Cor.5 nifesta, accusatione non indigent. fornicator enim in quem sine examinatione sententia apostolica processerat, publicè coram omnibus nouercam suam pro vxore habebat. Lotharius quoque rex de quo Nicolaus scribit, similiter publicè vxorem suam dimiserat,& aliam superduxerat.

Nico.pa.1. VNDE idem Nicolaus papa scribit archiepiscopis & episcopis per Galliam,Italiam, & Germaniam constitutis.

Sine accusatione manifesta ferienda sunt. 20

SCelus quod Lotharius rex (si tamen rex veraciter dici possit,qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica eneruatione magis illicitis eius motibus cedit) in duabus scilicet fœminis Teberga & Gualdrada commisit: omnibus manifestum est. Sed dudum episcopos Teugualdum & Guntarium in tali facto eum habuisse tutores atque fautores pene totis orbis vndique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicari,atque à regimine episcopatus alienati indubitanter existunt.

QVAESTIO II.
AN EXPOLIATVS SIT ALIQVO IVDICANDVS.

QVod autem expoliatus ante iudicem stare non possit, multis auctoritatibus probatur.

AIT enim Ioannes papa. Ioan.pa.1. epi. 1.ad Zach. archiepiscop.

Ante litem contestatam possessori cuncta sunt restituenda. 1

ANtiquitus decretum est vt omnes possessiones & omnia sublata atque cunctos fructus ante litem cõtestatam perceptos episcopus vel primas possessori restituat.

ITEM Nico. papa.

De eodem. 2

OMnes leges tam ecclesiasticæ quàm vulgares & publicæ precipiunt vt omnia sibi ablata restituantur ei, qui suis est rebus expoliatus. ITEM Stephanus papa. Stephan.papa.1 epist.2

Nullus debet accusari dum suis rebus fuerit spoliatus. 3

NVllus episcoporum dum suis fuerit rebus expoliatus, debet accusari priusquam omnia ei quæcunque ablata sunt quocunque ingenio, legibus redintegrẽtur: ita vt omnes possessiones atque omnes fructus ante inceptam accusationẽ primates & synodus episcopo de quo agitur, funditus restituãt.

ITEM Eusebius fratribus constitutis per Alexandriam & Aegyptum. Euse.pa.epist.2

Nec conuocari ad synodum, nec in aliquo debet iudicari spoliatus. 4

IN scripturis vestris reperimus quosdam episcopos vestris in partibus à propriis ouibus accusatos: aliquos videlicet ex suspicione: & aliquos ex certa ratione. Et iccirco quosdã suis esse rebus expoliatos quosdam verò à propria sede depulsos: quos sciatis nec ad synodum comprouincialem, nec ad generalem posse conuocari, nec in aliquo iudicari antequam cũcta quæ eis ablata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur.

ITEM Iulius papa. Iul.1.cap.8. in decretis.

De eodem. 5

NVllus potest conuocari aut iudicari antequam omnia sibi ablata, & omnia iura ei in integrum restituantur: quia non habet priuilegium quo possit exui iam nudatus.

ITEM Zepherinus papa. Zephe.epist.2. ad episcopos Aegypti.

De eodem. 6

PRæceptum ergo est in antiquis statutis, eiectos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias recipere: & primo sua omnia eis reddi: & demũ si quis eos iustè accusare voluerit, æquo periculo facere: iudices esse decernentes, episcopos recta sapiẽtes & in ecclesia cõuenientes vbi testes essent singulorũ qui oppressi videbantur: nec prius eos respõdere quàm omnia sua eis & ecclesijs eorum legibus integerrimè restituantur.

QVAE-

QVAESTIO III.

QVA POENA SINT FERIENDI, QVI IN ACCVSATIONE VEL TESTIFICATIONE DEFECERVNT.

GRATIAN. QVa autem pœna feriendi sint qui in accusatione deficiunt, canonū censura diffinit. pœnam enim illati criminis cum dispendio existimationis excipient. " "

VNDE Gelasius papa. "

De his qui non probanda obiiciunt. 1

SI quis circa huiusmodi personas non probāda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se iacturam infamiæ sustinere: vt damno pudoris, & existimationis dispēdio discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari saltem de cætero non licere. ITEM Damasus papa.

Damas. epistola 3 ad Stephanum archiepiscopū.

Si accusator in accusatione defecerit, talionem recipiat. 2

CAlūniator si in accusatione defecerit, talionem recipiat. ITEM ex decreto Hadriani papæ.

De eodem. 3

QVi non probauerit: quod obiecerit, pœnam quam ipse intulerit patiatur. ITEM Damasus papa.

De his qui falsis criminibus aliquem impetunt. 4

SI quis episcopum, aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus impetierit vel accusauerit, & probare non poterit: nec in fine dandam ei communionem cēsemus.

2. pars. GRATIAN. Aliud est accusationem non implere, & aliud est cōuitium non probare. Illud enim nulli sine abolitione. hoc omnibus licet. " "

VNDE Fabianus papa. "

Fabia. epi. 3. ad Hilariū episco.

Conuitium non est pro accusatione habendum. 5

SI quis iratus crimen cuilibet temere obiecerit, conuitium non est pro accusatione habendum: sed permisso tractandi spatio, si id quod iratus dixit, per scripturam sese probaturum fateatur: vt si forte resipiscens quæ per iracundiam dixerit, iterare aut inscribere noluerit: non vt reus criminis teneatur.

3. pars. GRATIAN. Sed aliud est crimen illatū non posse probare, * aliud aliqua promissione accusationem deserere. huic enim qui promissione deceptus accusationē deserit, venia datur: illi verò qui crimen illatum probare non valuerit, infamia irrogatur. " "

* al. probare, quia falsum est: aliud &c.

VNDE beatus Greg. scribit Ioāni episcopo Corinthiorū. "

Greg. episcop. 94. li. 4.

De eo qui promissione illectus accusationem deserit. 6

PAulum itaque diaconum quamuis culpa sua vehementer confundat, quòd deceptus promissione ab accusatione sui episcopi destiterit, tamen hanc ei culpam ignoscimus.

GRATIA. Oīs igitur qui crimē obiicit, scribat se probaturū. Reuera ibi semper causa agatur, vbi crimē admittitur: & q nō probauerit quod obiecerit: pœnā quam intulerit, ipse patiatur. " " "

Idē Greg. ibidē paulo inferius.

IDEM.

De

De his qui accusationem deserunt, vt ecclesiasticos ordines accipiant 7

EVphemiũ* atq; Thomã q pro deserẽda accusatione episcopi sui sacros ordines acceperũt, eisdẽ ordinibus priuatos esse cẽsemus: atq; ita sicuti depositi sunt, volum⁹ permanere. *al. Euthemiũ, siue Euthemiũ.*

» » Hinc colligitur clericorum infamiam per Romanum pontificem aboleri posse, contra illud Gelasij: quanquam animas per pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possumus. contra illud Stephani, qui cùm causas enumerasset ex quibus infamia irrogatur: hos omnes, inquit, sub nota perpetuę infamię ad pœnitentiã suscipimus. Vel nõ fiũt infames lege canonũ omnes quos leges sæculi infames pronunciãt: cùm Paulus diaconus qui non impetrata abolitione ab accusatione destiterit, hac auctoritate dignitatẽ officij sui recuperauit: quẽ senatusconsultũ Turpillianũ infamẽ pronunciauit. Quod etiam de ea fateri cogimur quæ intra tẽpus luctus nubit: cum matrimonia hodie regãtur iure poli, non iure fori: & iure poli mortuo viro mulier soluta est à lege viri: nubat si vult. Sed idẽ Stephanus ecõtra scribit dicens: Infames dicimus quoscũq; leges sæculi infames pronunciant. Sed illud Gelasij & Stephani, quanquã animas &c. sub nota perpetuæ infamiæ &c. de illis intelligitur quibus per iudicẽ ciuilẽ infamia irrogatur: quorum sicut examinatio & castigatio, ita & in integru restitutio non nisi ad ciuilem iudicẽ spectat. De ea vero quæ intra tempus luctus nubit, nõ est contrarium ei quod Stephanus ait: Infames dicimus &c. cùm enim leges sæculi præcipuè in matrimonijs sacros canones sequi non dedignentur: non videntur pronunciare infamẽ eam quæ apostolica & canonica auctoritate non illicite nubit. GRATIA.

» » Notandum est quoque quod aliud est cùm aliquem pœnituerit criminaliter accusasse, & inscriptionem fecisse, si ab innocente fuerit absolutus. Aliud si pecuniã à nocente acceperit, vt à probatione eius quod obiecerat desistat, 4. pars. GRATIAN.

» » VNDE in lib. capitulorum. clxxv. cap. legitur. Vet. LXXX.

De eo quem pœnitet criminaliter accusasse. 8

SI quem pœnituerit accusasse criminaliter & inscriptionem fecisse de eo quod probare non potuerit: si cum accusato innocente conuenerit: inuicem se absoluant. Si verò iudex eum qui accusatus est criminosum esse cognouerit, & inter reum & accusatorem per obreptionem cõuenerit de colludio: pœnam accipiat legibus constitutam. 5. pars. GRATIAN.

Notandum quoque est quod sicut dige. libro xlviij. legitur titu. de abolitionibus criminum. Accusatorũ temeritas tribus modis detegitur. aut enim calũniãtur, aut præuaricãtur, aut tergiuersantur. Calũniari, est falsa crimina scienter intendere. Præuaricari, est vera crimina abscondere. Tergiuersari, est in vni- *Tit. 16. ad Senatusconsultum Turpillianũ & De abolitionibus cri. leg. pri.*

in vniuersum ab accusatione desistere. Calumniatoribus pœna legitimè a irrogatur. Sed non vtique qui non probat quod intendit, protinus calumniari videtur. Nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur: qui reo absoluto, de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationem processit. & si quidem iustum eius errorem repererit: absoluit eum. Si verò in euidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. quorum alterutrum etiā ipsis verbis pronunciationis manifestatur. nam si quidem ita pronunciauerit, non probasti: pepercit ei. sin autem pronunciauerit, calumniatus es: condemnauit eum: & quamuis nihil de pœna subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur. nam facti quidem quæstio in arbitrio est iudicantis: pœnę verò persecutio non eius voluntati mandatur, sed legis auctoritati reseruatur. Si autem interloquendo dixerit, Titius temere accusasse videtur: non calumniatorem pronunciauit. Temeritas enim facilitatis veniam cōtinet: & inconsultus calor, calumniæ vitio caret: & ob hoc nullā pœnam huic irrogari oportet. Vlpianus libro xlvij. titu. de præuarica. Præuaricator, est quasi varicator: qui diuersam partem adiuuat prodita causa sua. quod nomen Labeo à varia certatione tractum ait. nam qui præuaricatur, ex vtraq; parte consistit. quinimmo ex altera. Is autem præuaricator propriè dicitur, qui publico iudicio accusauerit. Cæterum aduocatus non propriè pręuaricator dicitur. Quid igitur de eo fiet? Siue priuato iudicio, siue publico præuaricatus sit, hoc est prodiderit causam suam: hic extra ordinem solet puniri. Sciendū est quod hodie his qui præuaricati sunt, pœna iniungitur extraordinaria. & infra. Accusator de præuaricatione conuictus, postea nō accuset ex lege. & infra. In omnibus causis (præterquā in sanguine) qui delatorē corrūpit: ex senatusconsulto Turpilliano pro cōuicto habetur. & infra lib. xlviij. titu. de abolitionibus criminum. Præuaricatorem esse eū ostendimus qui colludit cū reo, eo quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas verò excusationes admitteret. Si quis autem ab accusatione citra abolitionem destiterit: punitur. Abolitio priuatim à præsidibus postulari ac impetrari solet: item pro tribunali, non de plano: nec pręses hanc cognitionem alteri demandare potest. Si plura crimina idem eidem intulerit, singulorum debet abolitionē petere: alioquin prout quid admiserit, eius nomine senatusconsulti pœnam patietur. Et tit. eodē. Destitisse eū accipimus, qui in totum animum agendi deposuit. Non qui distulerit accusationē: sed qui permissu imperatoris ab accusatione destitit: impunitus est. Abolitio enim pœnā remittit, infamiam nō tollit. b Vnde imperatores Valētinianus & Gratianus A A A. ix. lib. C. titu.

a al. lege Rhemia.

Tit. 15. de præuaricatoribus lege 1.

Le. 2. eius.

Lege 5. eiusdem titu'.

Lege 7. eiusdem lib. 48. dige. ad senatusconsultum Turpillianū & de abolitio cri. tit. 16. lege 1.

Lege 13. eiusdē tit.

Tit. 43. lege. 3.

b Verba Gratiani.

C. titu. de generali abolitione dixisse leguntur. Indulgentia, patres conscripti quos liberat[a] à pœna[b] notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit. Si autem restituo te in integrum princeps dixerit: infamiam tollit. a Deest.

» Vnde in eodem lib. legitur tit. de sententiam passis, & restitutis: cuidam deportato in insulā imperator Antoninus dixisse legitur. Restituo te in integrum prouinciæ tuæ. & adiecit: Vt autem scias quid sit in integrum restituere, honoribus & ordini tuo & omnibus cæteris [te restituo.] GRATIA. Ti. 51. lib. 9. Cod. le. 1.

QVAESTIO IIII.

DEFICIENTIBVS ACCVSATORIBVS QVIS SIT COGENDVS AD PVRGANDVM.

» Deficientibus verò accusatoribus reus non videtur esse cogendus ad purgationem. Sicut enim possessor deficiente a[c]tore titulum suæ possessionis probare non cogitur: ita qui impetitur, ad innocentiam suam purgandam cogendus esse non creditur. Auctoritate quoque papæ Cornelij & Triburiensis concilij sacerdotes iurare prohibentur, nisi pro recta fide. Ait enim Cornelius. GRATIAN.

Iuramentum à sacerdotibus non est exigendum. 2

Sacramentum hactenus à summis sacerdotibus vel reliquis exigi nisi pro recta fide minimè cognouimus: nec illi spōtè eos iurasse reperimus. ITEM. Corn pa epist. 2 ad Rufum episcop. uicenta. idem paulo inferius.

De eodem. 3

Nos sanctorum sequentes apostolorum eorumque successorum iura firmamus: & sacramenta incauta fieri prohibemus. ITEM.

4 Nos sacramentum ab episcopis nescimus oblatum: nec vnquam fieri debet nisi pro recta fide. Idem ibidem.

ITEM ex concilio Triburiensi. Ca. 21. con. Trib.

Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum querimoniam habeat, episcopo præcipiente terminetur. 5

Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum aliquam habet quærimoniæ controuersiam, episcopo præcipiēte sine personarum acceptione finiatur. laicus per iuramentum (si necesse sit) se expurget, presbyter verò vice iuramenti per sanctam consecrationē interrogetur: quia sacerdotes ex leui causa iurare non debent. Manus enim per quam corpus & sanguis Christi conficitur iuramēto polluetur? Absit, cum dominus in euangelio discipulis suis (quorum vicem nos indigni in sancta gerimus ecclesia) dicat: Nolite omnino iurare: sit autem sermo vester, est est, & non non. quod autem his abundantius est, à malo est. Matth. 5 f. 2. pars.

» Verū his auctoritatibus nō omnimoda iuramēta prohibētur, fieri

fieri à sacerdotibus: sed tantum incauta, & ea quę pro qualibet "
causa temporali iudicio offeruntur. cùm autem populari infa- "
mia sacerdotes opprimuntur: tunc ad innocẽtiæ suæ assertio- "
nem iuramenta debent offerre. "

Greg. 3. ad Bonifacium.

VNDE Gregorius papa ait.

Sacerdos si à populo fuerit accusatus, iuramento innocentiam suam affirmet. 6

PResbyter vel quilibet sacerdos si à populo accusatus fuerit, & certi testes inuenti non fuerint qui criminis illati veritatem dicant: iusiurandum in medio faciat, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia.

Greg. pap. epi. 23. ad Iustinũ presbyterum. Ex mag. Iuo. P. 5. Leg. sibi resistentes. *al. decipere.*

ITEM ex regesto Gregor. ad Iustinum imperatorem capite septimo.

De Leone episcopo quem beatus Gregorius purgationem præbere fecit. 7

HAbet hoc propriũ antiqui hostis inuidia, vt quos improborum actuum perpetrationẽ [Deo sibi resistẽte] *deijcere non valet, opinionem eorũ falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædã cõtra sacerdotale propositum de Leone fratre, & coepiscopo nostro sinister rumor aspersérat: vtrũ vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri: sed nullam in eo de eis quæ fuerant dicta, culpã inuenimus. Sed ne quid videretur omissum quod nostro potuisset cordi manere ambiguũ, ad beati Petri sacratissimũ corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere: quibus præstitis magna sumus exultatione gauisi, quòd huiusmodi innocentia eius euidenter enituit: pro qua re gloria vestra prędictum virum cum omni charitate suscipiat, & reuerentiam ei qualem sacerdotem decet exhibeat: nec aliqua cordibus remaneat de his quæ iam sunt purgata, dubietas. Et ita supradicto vos episcopo deuotissimè oportet in omnibus adhærere, vt congruè decenterque Deum in eius persona videamini (cuius est minister) honorare.

Idem Greg. epist. 8. lib. 11. Ex mag. Iuo. P. 5.

ITEM ex eodem ad Brunichaldam reginam Francorum cap. ccxxxij.

Quomodo beatus Gregorius Mennam episcopũ iuramẽto purgare fecit. 8

MEnnam verò reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum postquam ea quæ de eo dicta sunt requirentes, in nullo inuenimus esse culpabilẽ: qui insuper ad sacratissimũ corpus beati Petri apostoli sub iureiurando satisfaciens, ab his quæ obiecta fuerant eius opinioni, se monstrauit alienum: reuerti illum purgatum absolutumque permisimus: qua sicut dignum erat, vt si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonicè puniremus: ita dignum non fuit vt eum adiuuante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus.

Purga-

Purgationem tamen ante te duobus sibi sacerdotibus iunctis, vbi accusator cessauerit, eundem ex se præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem denique ac nulla canonica sanctione fulcitam legem, feruentis scilicet aquæ siue frigidæ, ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc sunt omnino facta inuidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, immo apostolica auctoritate prohibemus firmissimè.

IDEM Castario notario Rauennæ. *Idem Gregor. epist. 8. lib. 7.*

De Maximo Salonitano episcopo, qui sacramento seipsum purgauit. 9

QVanto à nobis creditur, & necessarias vides tibi causas iniungi, tanto strenuum deberes te & solicitum exhibere. proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmauerit se simoniaca hæresi non teneri: atque de alijs ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus innoxium se esse responderit, & de inobedientia sua (sicut deputauimus) egerit pœnitentiam, volumus vt ad consolandum illum epistolam quam ad eum scripsimus (qua ei & gratiam nostrã, & communionem reddidisse signauimus) experientia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic humiliatis & pœnitentibus locum veniæ negare non debemus. IDEM Martiano episcopo Rauennæ. *Idem Grego epi. 79. lib. 7. ad Martianum.*

De eodem. 10

QVæ de causa Maximi sunt agenda, ex epistolis quas ad vos transmisimus, agnouistis: sed quia qualis de hac re fraternitatis vestræ voluntas sit, magis à præsentium latore Castorio Chartulario nostro renũciãte cognouimus, ideo si idem Maximus corã vobis & prędicto Chartulario nostro de simoniaca hæresi se sacramẽto purgauerit: atq; de alijs ante corpus sancti Apollinaris (vt scripsimus) tantũmodo requisitus, liberũ se esse responderit, causam ipsius vestræ fraternitatis iudicio de eo quòd excommunicatus missarũ solennia agere præsumpserit, cõmittimus qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quicquid vobis secundum Deum placet, securi disponite: nec aliquod de nobis dubiũ habeatis. Nam quicquid à vobis de hac causa fuerit ordinatũ: nos & gratanter suscipimus, & libenter admittimus. ITEM Sixtus papa omnibus episcopis. *Sixtus 3.*

Qualiter Sixtus semetipsum purgauit. 11

MAndastis vt scriberem vobis qualiter instans iurgiũ contra me suscitatum sit, vel à quo: vt vestro adminiculo pelleretur, & causa mea firmaretur. Scitote me criminari à quodã Basso, & iniustè me persequi: quòd audiens Valẽtinianus Augustus nostra auctoritate synodum congregari iussit, & facto concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licet euadere aliter satis potuissem, suspicionem tamen fugiens,

coram omnibus me purgaui: scilicet: à suspicione & æmulatione me liberans: sed non alijs qui noluerint, aut sponte hoc non elegerint, faciendi formam dans.

Ino refert lib. 5. de cler. sola. infra.

ITEM Alexander Rimaldo Cumano episcopo.

De causa Gillandi presbyteri. 12

SVper causa Gillandi presbyteri tui de morte episcopi sui prædecessoris tui infamati in medium consuluimus: itaque circumstantium fratrum vnanimi assensu tuę dilectioni referimus præfatum Gillandum presbyterum ante te repræsentandum, vbi si certi accusatores defuerint, tunc dictante iustitia sine omni controuersia presbyter quæcunque ob hoc iniustè amiserit, ac sacerdotium accipiat, & integra beneficia.

Ino ibidem lib. 5. refert.

ITEM ex concilio Agathensi.

De purgatione clericorum si conuinci non potuerint. 13

SI legitimi accusatores crimina sacerdotes probare non potuerint, & ipse negauerit: cum septem socijs sui ordinis (si valet) à crimine semetipsum expurget. Diaconus vero si eodem crimine accusatus fuerit, cum tribus semetipsum excuset.

Ibidem cõtinuo. Ivo. Carn. scribit ex eodem.

ITEM ex concilio Hilerdensi.

De eodem. 14

PResbyter si à plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, & episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur vsque ad dignã satisfactionẽ, ne populus fidelium in eo scãdalum patiatur. digna verò satisfactio est (sicut à maioribus constitutum esse docetur) quando siue secundũ canones siue ad arbitrium episcopi vij. sibi collegas adiungit: & iurat in sacrosancto euangelio coram posito quòd crimen sibi illatum non perpetrauit. & hac satisfactione purgatus, securè deinceps suum exequatur officium. ITEM Siluester papa.

De eodem. Palea. 15

GRATIA. Extant in veteri manusc. subnota Paleæ.

ACcusatum simoniacum necesse habuimus summopere per scripturam prohibere ne missarum solennia celebrare debuisset, donec quid esset, verius potuissemus cognoscere. ❛❛

ITEM in concilio Triburiensi. ❛❛

Cap. 22.

Palea. 16

NObilis homo vel ingenuus si in synodo accusatur & negauerit, si eum constiterit fidelem esse, cum xij. ingenuis se expurget. Si autem deprehensus fuerit in furto, aut periurio, aut falso testimonio, ad iuramentum non admittatur: sed (sicut qui ingenuus non est) feruenti aqua, vel candenti ferro se expurget ITEM Imarus Remorum episcopus. ❛❛

De eodem. 17

SI mala fama de presbytero exierit, & accusatores ac testes legales defuerint: ne contra apostolum infirmorũ corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium

rium nostrum: néve securiores presbyteri existentes licentius in peccatum prolabantur, secundum decreta maiorum cum de nominatis sibi vicinis presbyteris quos scimus se nolle peierare, sacramento famam suam purget.

ITEM Innocentius Aquiliensi patriarchæ, & Mantuano episcupo.

De eodem. 18

QVotiens frater noster Tridentinus episcopus in nostra & vestra præsentia de simonia sit impetitus, prudentiam vestram latere non credimus: cuius causa tandem in nostra præsentia ventilata producti sunt aduersus eum accusatores viua voce & scripto asserentes quòd ecclesiam sancti Petri de Pado presbytero Paulo dederit pro quatuor modijs frumenti, quos ab eiusdem ecclesiæ laicis acceperit: verum quoniam nec accusatores, nec testes secundu formam canonum & sanctorum patrũ statuta in causa ipsa procedere potuerunt: communi fratrum nostrorũ concilio iudicamus, vt tertia manu sui ordinis, & quatuor abbatu & religiosorũ sacerdotum de supradicta simonia in vestra præsentia se debeat expurgare. Porrò expurgationis tenor erit huiusmodi. Idẽ episcopus supra sancta euãgelia primum iurabit quòd pro ecclesia sancti Petri de Pado presbytero Paulo danda, neq; ipse per se, vel per summissam personã, neq; alius pro eo se sciente precium receperit. Deinde expurgatores super sancta Dei euangelia iurabunt: scilicet quòd sicut ipsi credunt, verum iurauit. Nos itaq; causæ huius seriem committentes prudentiæ vestræ, mandamus vobis vt congruo loco in vnum conuenire curetis: & ita causam ipsam iuxta præsentium tenorem præstante domino restauretis, quatenus & omnis de cætero huius quæstionis scrupulus auferatur, & vtriq; parti sua iustitia conseruetur. Si quis verò de vobis certa præpediente causa interesse nõ poterit, vos qui adesse poteritis, idem iudicium terminate. Quòd si prædictus frater noster. A. prædictam purgationem fecerit: vos ei auctoritate nostra prædictum officium & Tridentinam ecclesiam restituite. hanc autem purgationem ante proximam purificationem beatæ Mariæ virginis adimplere iubemus.

In veteri manusc. extat sub nota Paleæ.

GRATIA.

" In præmissis auctoritatibus subintelligitur, si reus se purgare voluerit: vt sacri canones modum non necessitatem purgandi accusato imponant: sicut apparet ex fine capituli Sixti papæ, & auctoritate Leonis, qui data purgatione ait de seipso.

De Leone qualiter se purgauit. 19

AVditum est fratres charissimi qualiter mali homines in me grauia crimina confinxerunt: quamobrem ego Leo pontifex sanctæ Romanæ ecclesiæ purifico me in conspectu

Ex. mag. Iuo. p. 5. Iuo Car. lib. 5. refert.

Alia sunt verba apud Iuo sed idem sensus.

vestro coram Deo & angelis eius: quia istas criminosas & sceleratas res quas illi mihi obijciũt: nec perpetraui, nec perpetrare iussi. hoc autem faciens non legem præscribo cæteris, qua id facere cogantur.

GRATIA.

Ecce qualiter summus pontifex semetipsum purgat: nec cæteris necessitatem purgandi præscripsit. vnde datur intelligi quod satisfactio purgationis in voluntate consistit accusati: non in arbitrio iudicis. Sed cum in Hilerdensi cõcilio presbyter iubeatur suspendi vsque ad condignam satisfactionem: cùm etiã in decreto Leonis in arbitrio ponitur episcopi quota manu sacerdos purgare se debeat: patet quòd ad purgationem cogendus est: nec in sua voluntate, sed in arbitrio iudicis consistit. VNDE Leo papa scribens ad Carolum regem, ait.

Ivo. Carn ibidem refert.

Qualiter sacerdotes se purgare debeant 20

OMnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus quòd sæpissimè (suadente hoste antiquo) sacerdotibus crimina diuersa obijciuntur. Sed qualiter ex eis ab his rationabiliter examinatio & satisfactio fiat: licet bonæ memoriæ tẽpore domini genitoris vestri Pipini, siue priscis tẽporibus à sanctis patribus & reliquis bonæ fidei & deuotionis hominibus sæpissimè ventilatũ fuerit: tamẽ nos pleniter inde aliquid diffinitum reperire minimè quiuimus. Nostris quippe temporibus idipsum à sanctis episcopis & reliquis sacerdotibus ac cæteris ecclesiasticæ dignitatis ministris vestris in regnis: seu in alijs Deo degentibus, nobísq; vnà cũ eis agentibus, sæpissimè propter multas & nimias reclamationes quæ ex hoc ad nos de diuersis partibus venerunt, ventilatũ est. Sed qualiter cõsultu domini & patris nostri Leonis apostolici, cæterorumq́, ecclesiæ Romanæ episcoporum, & reliquorum sacerdotum, siue Orientalium & Græcorum patriarcharũ, & multorũ sanctorum episcoporum & sacerdotum, necnon etiam nostrorũ Romanorum episcoporum, sacerdotum, omniumq́; cæterorum, ac leuitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum consiliariorũ nostrorum consulto diffinitum est: vos omnes vtriusq; ordinis ministros scire volumus. Statutum est namq; ratione & necessitate auctoritate prædicta & etiam consultu omnium, vt quotiescunq; cuiquam sacerdoti crimen imponitur: si ipse accusator talis fuerit, vt recipi debeat quia quales ad accusationẽ sacerdotũ admitti debeant, in canonibus pleniter expressum est. Si autem (vt dictũ est) ille accusator qui canonicè est recipiendus, eum cũ legitimo virorum numero & bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tũc canonicè diiudicetur: & si culpabilis inuentus fuerit, canonicè damnetur. Si verò eum superscripto prætextu approbare ipse accusator minimè poterit: & hoc canonicè

nonicè diiudicetur. Ipse ergo sacerdos si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo aut reliquis suis consacerdotibus, siue bonis, & iustis de suo populo vel sua plebe hominibus fuerit: ne in crimine aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut cum quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus exemplo Leonis papæ qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, aut necesse esse propter tumultum populi perspexerit: & cum aliis bonis & iustis hominibus se sacramento coram populo super quatuor euangelia dato purgatum ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit: plenius in canonibus reperiri poterit.

„ Iuramento verò candentis ferri vel feruentis aquæ purga- 3. pars.
„ tio data nō est addenda. VNDE Stephanus quintus [a] Hu- GRATIA.
„ berto episcopo Maguntino. a V uiperto. vet.

Candentis ferri & feruentis aquæ iudicium in ecclesia prohibetur. 21

CONsuluisti de infantibus qui in vno lecto dormiētes cum parentibus, mortui reperiuntur: vtrum ferro candente, aut aqua feruente, seu alio quolibet examine parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi sunt, nanque & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in vno lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur. Nam ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri nō censent canones. Et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim cōfessione, vel testium approbatione publicat delicta habito præ oculis dei timore commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda qui solus nouit corda filiorum hominum. Hi autem qui probantur vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio: quia si ille qui cōceptum in vtero per abortum deleuerit, homicida est: quanto magis qui vnius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?

„ Hoc autem vtrum ad omnia genera purgationis, an ad GRATIA.
„ hæc duo tantum quæ hic prohibita esse videntur pertineat,
„ non immeritò dubitatur propter sacrificium zelotypiæ: & il-
„ lud Gregorij. Si vir qui frigidæ naturæ esse dicitur, per ve-
„ rum iudicium probare potuerit vxorem suam nunquam se b In vet. manu-
„ cognouisse: separetur ab ea. scripto non est palea, sed verba Gratiani.

[Palea.[b]] 22

IN libro namq; Numeri legitur dominum præcepisse Moysi vt loqueretur filiis Israel, & diceret eis: Vir cuius vxor eius Num. 5. Cap. 5.

eius errauerit maritumq́; contemnens dormierit cum alio viro:& id maritus deprehendere nequiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partẽ sacci farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulteriu. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram domino: assumetq́; aquam sanctã in vase fictili: & pusillũ terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumq́; steterit mulier in conspectu domini, discooperiet caput eius: & ponet super manus eius sacrificium recordationis, & oblationẽ zelotypiæ. Ipse autem tenebit aquas amarissimas in quibus cum execratione maledicta congessit: adiurabitq́; eam, & dicet: Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro: non tenebunt te aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Si autem declinasti à viro tuo, atq; polluta es, & concubuisti cum alio viro, his maledictionibus subiacebis: det te dominus in maledictionẽ, & exemplũ cunctorũ in populo suo, putrescere faciat fœmur tuũ, & tumẽs vterus tuus dirumpatur: ingrediantur aquæ maledictæ in ventrẽ tuum, & vtero tumescente putrescat fœmur tuum. & respõdebit mulier: Amen, amen. Scribetq́; sacerdos ista maledicta in libello, & delebit ea aquis amarissimis in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere: quas cùm exhauserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram domino, imponetq́; illud super altare, ita duntaxat vt prius pugillũ sacrificij tollat de eo quod offertur, & incẽdat super altare, & sic potum det mulieri aquas amarissimas: quas cùm biberit, si polluta est, & cõtempto viro adulterij rea est, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet fœmur, eritq́; mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Maritus verò absq; culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam. quòd si polluta nõ fuerit, innoxia erit, & faciet liberos.

4. pars. GRATIA. Sed quælibet huiusmodi purgatio videtur esse inhibita, cùm ita in præmissa auctoritate Stephani papæ dicitur: Spontanea confessione &c. ITEM ex decretis Nicolai papæ.

In nouo testamento monomachia non recipitur. 23

MOnomachiam verò in lege nõ assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus: quam licet quosdã iniisse legamus, sicut Dauid sanctum & Goliam sacra prodit historia: nusquam tamen vt pro lege teneatur, alicubi diuina sanxit auctoritas: cùm hæc & huiusmodi sectantes deũ solùmodo tentare videantur. CONTRA in concilio Guarmaciensi.

2. Reg. 17.

5. pars. *Vormatiensi.*

Si fur-

Si furta in monasterio fiunt, iudicio monachi se expurgent. 24

SAepe contingit vt in monasteriis monachorum furta perpetrentur, idcirco statuimus vt quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo ex præsentibus fratribus: & sic expleta missa omnes communicentur in hæc verba: Corpus domini sit tibi hodie ad probationem. ITEM.

Quicunq; de adulterio accusatur, probabili iudicio se expurget. 25

INterrogatum est, si duo de adulterio inculpati fuerint: & vnus profitetur, & alter negat, quid inde agendum sit? Decretum est in sancto concilio, vt ille qui negauerit, probabili se iudicio expurget, & qui professus fuerit, dignam pœnitentiam agat. ITEM.

Cùm plures de adulterio accusantur, & vnus cæteros purgare voluerit, omnes rei habeantur si vnus in iudicium ceciderit. 26

STatuit quoque sancta synodus, vt si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negauerint, & orant sibi concedi vt alter illorum vtrosque iudicio purget diuino: si vnus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur. ITEM. *In con. Vermatiensi.*

Pro singulis missa celebretur, qui de aliquo crimine accusantur. 27

SI episcopo aut presbytero aliquod maleficium imputatum fuerit, pro singulis missam celebrare debet & communicare: & de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere. Quod si non fecerit, quinquennio à liminibus ecclesiæ extraneus habeatur.

„ Illud verò quod Sixtus & Leo in fine suæ purgationis addiderunt, ex eoru exemplo intelligendum est. Exemplo enim suæ satisfactionis noluerunt cæteris præscribere legem purgandi. GRATIA.

QVAESTIO V.

AN DVORVM TESTIMONIO EPISCOPVS SIT CONDEMNANDVS.

„ QVòd verò quarto loco quærebatur an duorum testimonio episcopus sit condemnandus, multorum auctoritatibus probatur. sicut enim in euangelio Ioannis legitur, ait Christus ad Iudæos: in lege vestra scriptum est, quoniam duorum hominum testimonium verum est. Hinc consequenter argumentatur contra eos dicens: Si duorum hominum testimonium verum est, quare testimonium meum & patris mei non accipitis? Item Paulus in epistola ad Corinthios: In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Item in epistola ad Hebræos: Quis præuaricans legem Moysi, duobus vel tribus testibus conuictus, sine miseratione lapidabitur. ITEM ex concilio Bracharensi. i, GRATIA. *Ioan. 8. c.* *Deute. 17. b.* *2. Corint. 13. a.* *Hebr. 10. e.* *Cap. 9.*

Quot testibus quisque clericorum conuinci debeat. 2

PLacuit vt si quis aliquem clericorum macula fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli apostoli duo vel tria testimonia requirantur ab illo. quòd si non potuerit datis testimoniis approbare quod dicit: excommunicationem accusati accusator accipiat.

2. pars. GRATIAN. In epilogo conc. Romani.

Ex præmissis itaque colligitur, quòd duorum vel trium testimonio episcopus conuinci vel damnari potest. Porrò Syluester papa in generali synodo residens econtra dixit.

Quot testibus episcopus vel presbyter vel cæteri clerici sunt conuincendi. 3

a Hoc caput & sequens nõ seruantur.

PRæsul non damnetur nisi cum. lxxij. testibus: presbyter autem cardinalis nisi cum. lxiiij. testibus non deponatur. diaconus verò cardinalis vrbis Romæ nisi cum. xxvij. testibus nõ condemnabitur. subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, non nisi. vij. testibus condemnabitur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia. ITEM Leo quartus.

Episcopi non nisi. lxxij. testibus condemnandi sunt. 4

NVllam damnationem episcoporum vnquam esse censemus nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos: aut certè probata sententia per lxxij. testes idoneos, qui tales sint qui accusare possint. Et prius ad sacra Christi quatuor euangelia sacramenta præstent quòd nihil falsum depromãt: sicut nobis beatus Siluester tradidit, & Romana sancta videtur tenere ecclesia. Et si inter eos quos damnandos esse dixerint homines, fuerit episcopus qui suam causam in præsentia Romanæ sedis episcopi petierit audiri: nullus super illum diffinitiuam præsumat dare sententiam: sed omnino eam audiri decernimus.

GRATIA.

Sed hoc vel speciali priuilegio de clericis Romanæ ecclesiæ intelligitur, vel propter improbitatem quorundam: qui cùm non sint spectatæ vitæ & scientiæ, in accusationem ministrorum dei repẽte prosiliunt. Quorum verò vita adeò laudabilis est, vt in omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulli dubitatio nasci poterit: eorum testimonio duorũ vel trium testium, quilibet iure conuinci & damnari poterit.

QVAESTIO VI.

AN REMEDIVM SIT DANDVM EI QVI CAVSA DILATIONIS VOCEM APPELLATIONIS EXHIBVIT.

GRATIA. Fabianus epist. 3. ad Hilarium episcopum.

SEquitur sexta quæstio, qua quærebatur quo remedio causa vitiata subleuetur: & si remedium illud sit dandum ei qui causa dilationis vocem appellationis exhibuerit. Causa vitiata remedio appellationis subleuari poterit.

VNDE Fabianus papa ait.

Causæ vitiatæ remedium appellationis subueniat. 1

LIcet appellatori vitiatam causam remedio appellationis subleuare. *Sixtus pa. 3. epist. ad episcop. Orientales.*

[*Palea.*[a]] 2

APpellantem non debet afflictio vlla aut carceris aut retentionis iniuriare custodia. ITEM Anacletus papa. *a Extat in vet. manusc. Epist. 1. in fine.*

De eodem. 3

OMnis oppressus liberè sacerdotum si voluerit appellet iudicium: & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur & liberetur & audiatur. Si autem difficiles causæ aut maiora negocia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur: & si illic facilè decerni non potuerint, aut iustè terminari: vbi fuerit summorum congregatio sub metropolitano cōgregata (quæ per singulos annos fieri solet & debet) iustè & deo placitè coram patriarcha aut primate ecclesiastica negocia, & coram patricio negocia secularia iudicentur in communi.

ITEM Sixtus a Petro P. P. VIII. papa omnibus rectoribus ecclesiæ scribit, dicens. *Sixtus epistol. 2*

Quisquis pulsatus fuerit, apostolicam sedem appellet. 4 *Ex mag. Iuo.*

SI quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sacratam & apostolicam sedem appellet, & ad eam quasi ad caput [suffragium[b]] habeat: ne innocens dānetur, aut ecclesia sua detrimentum patiatur. ITEM Gregorius. *b Legendum, suffugium. Sixtus pa. epist. 1. id habet*

Episcopi grauioribus causis pulsati apostolicam sedem appellent. 5

OMnes episcopi qui in aliquibus pulsantur vel criminantur grauioribus causis; quotiens necesse fuerit, liberè apostolicam sedem appellent, atque ad eam quasi ad matrem confugiant. ITEM Marcellus papa. *Mar. epi. 1. ad epis. Antiochia.*

Ab omnibus appelletur ad Romanam ecclesiam. 6

AD Romanam ecclesiam omnes episcopi qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suū cōfugere, eamq; appellare debēt, vt inde accipiant tuitionem atque cōsecrationem. Quod omnib⁹ minimè cōuenit denegari episcopis: sed absq; vlla custodia, aut excommunicatione, aut expoliatione vel dānatione liberè ire cōcedatur. ITEM Victor episcop⁹. *Victor epist. 1. ad Theophylum episc. Alexand.*

Qui à proprio metropolitano se grauari putauerit: maiorem sedem appellet. 7

SI quis putauerit se à proprio metroplitano grauari, apud patriarcham vel primatem diœceseos, aut penes vniuersalis apostolicæ ecclesiæ iudicetur sedem.

ITEM Zepherinus vrbis Romæ episcopus. *Zephe. epist. 1.*

Ad Romanam ecclesiam quasi ad matrem appelletur ab omnibus. 8

AD Romanam ecclesiam ab omnibus (maximè tamē ab oppressis) est appellandum, & cōcurrendum quasi ad matrē: vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur: à suis oppres-

oppreſſionibus reueleutur: quia non poteſt nec debet mater

Iulius pa. I. ca. 22. in decretis. obliuiſci filium ſuum. ITEM Iulius papa.

Quotiens aliquis appellauerit, audientia ſibi non denegetur. 9

PLacuit vt à quibuſcunq; eccleſiaſticis iudicibus ad alios iudices eccleſiaſticos vbi eſt maior auctoritas, prouocatum

Idem Iulius ca. 10. fuerit, audientia non negetur. ITEM.

Iniuſte damnati reſtitutionem, & oppreſſi auxilium à Romana eccleſia debent habere. 10

IDeo huic ſanctæ ſedi præfata priuilegia ſpecialiter ſunt cõceſſa tam de congregandis cõciliis & iudiciis, ac reſtitutionibus epiſcoporum, quàm etiam de ſummis eccleſiarum negociis, vt ab ea omnes oppreſſi auxilium, & iniuſtè damnati reſtitutionem ſumant, & talia ab impiis non præſumantur abſque vltione, nec exerceantur abſque ſua damnatione.

2. pars. *GRATIA.* Cùm ergo Zepherinus dicat ab omnibus eſſe appellandum, maximè tamen ab oppreſſis, & Marcellus ſcribat: Omnes epiſcopi qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, appellare debent: patet quòd accuſato (ſiue grauetur, ſiue non) vox appellationis non eſt deneganda. Quidam tamen ita diſtinguunt, vt volentes, ad conſecrandos: neceſſitatem patientes, ad oppreſſos referant, vt ſit ſenſus: Omnes qui voluerint à Romana eccleſia conſecrationem accipere, & ab aliquibus impediũtur, eam debent appellare. Quibuſcũque in ſuis oppreſſionibus neceſſe fuerit ad eam confugere, ſimiliter vocem appellationis exhibeant, vt iſti tuitionem, & illi conſecrationem ab ea recipiant. Similiter & illud Zepherini diſtinguitur: Ab omnibus eſt appellandum ad Romanã eccleſiam: intelligẽdum eſt, qui ab ea conſecrationẽ voluerint accipere, vel qui à prælatis ſuis aliquam iniuriam paſſi fuerint, maximè tamen ab oppreſſis. ſecundum primã interpretationem oppreſſi intelliguntur aliqua iniuria affecti. iuxta ſecundam verò oppreſſi dicuntur à iudice iniuſte condemnati, ſecundum hanc diſtinctionem qui in aliquibus negotiis non ad reuelandum, ſed ad differendum vocem appellationis exhibuerint: appellandi auctoritatem non habent. SED cùm Gregorius ſcribat omnibus per diuiſas prouincias.

De cauſa appellationis cognoſcere nõ licet, niſi ei ad quẽ appellatur. 11

DEcreto noſtro veſtram rogantes charitatem mandamus, vt ſi aliquis (quod non optamus) ſuorum æmulorum Aldricum Cenomanenſis eccleſiæ epiſcopum accuſare damnabiliter tentauerit: liceat illi poſt auditionem primatum diœceſeos (ſi neceſſe fuerit) nos appellare: & noſtra auctoritate aut ante nos, aut ante legatos noſtros ex latere miſſos iuxta patrũ decreta ſuas exercere atq; diffinire actiones, nulluſq; illum ante hoc iudicet aut iudicare prçſumat: ſed ſi quid (quod abſit)

absit) graue intolerandumque ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda censura: vt nihil prius de eo qui ad sinum sanctæ ecclesiæ Romanæ confugit, & eius implorat auxilium, decernatur, quàm ab eiusdem ecclesiæ auctoritate fuerit præceptum: quæ vices suas ita alijs impertiuit ecclesijs, vt in partẽ sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Si autem (quod non arbitramur) à quoquam secus præsumptum fuerit ab officio cleri submotus, auctoritatis apostolicæ reus ab omnibus iudicetur, ne lupi qui sub specie ouium subintrauerunt, bestiali sæuitia quosdam audeant lacerare: & quod sibi fieri nolunt, alijs inferre præsumant.

ITEM cùm [a] Iulius papa dicat. — Iuli[9] pa. 1. epist. 1 ad episcopos Orientales. a al. Vigilius.

Iudicia appellantium ab eis sunt audienda ad quos appellatur. 12

QVi se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum. ipsa nanque ecclesia quę prima est, ita reliquis ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatę solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. vnde omnium appellãtium apostolicam sedem episcoporum iudicia, & cũcta maiorum negocia causarum eidem sedi reseruata esse liquet: præsertim cùm in his omnibus eius semper sit expectandum consultum, cuius tramiti si quis obuiare tentauerit, sacerdotum causas non sine honoris sui periculo se apud eandem sedem nouerit redditurum.

Item cùm Nicolaus papa in Remensem archiepiscopum inuehatur, qui Rotardum episcopum appellantem apost. sedem damnare ausus est, ita dicens. GRATIAN.

De Remensi archiepiscopo qui appellantem Romanam sedem iudicare est ausus. 13

ARguta sapientia tua (vtinam in bono) accepto fomite iudicij materiam depositionis aduersus Rotardũ assumpsit, & ab itinere apostolicæ sedis remouit, & continuatim apostolicam sedem appellantem damnauit, & carcerali custodiæ mãcipauit. & infrà. Priuilegia tamen apostolicæ sedis vos obliuioni tradere nullo modo debuissetis, quibus venerandi canones iudicia totius ecclesiæ ad hanc deferri iubent: & infrà. Hoc quippe nos in Rotardo idcirco nouer itis operatos, vt priuilegia sedis apostolicæ quæ malè à vobis violata esse videbantur, auctoritate apostolica, & canonica patrum deliberatione pristino tandem ingenio, & proprio decorentur honore. ITEM Leo papa.[b] — Leo 1. epi. 82 ad Anastasium episcopum.

Quisque eam obedientiam maioribus exhibeat, quam ab inferioribus desiderat. 14

QVi scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obediẽtiam quam exegerit, etiam ipse dependat. & sicut non vult grauis oneris sarcinas — b V. tuerlis per Cæsariensem Mauritaniã cõstitutis vet.

nas ferre, ita non audeat alijs importabile pondus imponere.
Matt. 11. d Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

GRATIAN. Patet ergo quòd nulli appellanti sunt induciæ denegandæ. Cæterùm si causa frustatoriæ dilationis appellauerit: à iudice ad quem prouocatum fuerit condemnabitur. Tempus verò appellationis est ante datam vel post datam sententiã. Quotiens enim quis se grauari senserit, liberè potest appellare.

Sixtus epi. 1. ad Gratum episco. VNDE Sixtus papa ait.

Qui grauatur à proprio metropolitano primates aut vniuersalis ecclesiæ sedem appellet. 15

SI quis putauerit se à proprio metropolitano grauari, apud [a] primates diœceseos aut penes vniuersalis apostolicæ ecclesiæ [b] papam iudicetur.

a patriarcham vel primatem. in vet.
b pro incluso in vet. legitur sedẽ

Romanam sedem appellet, qui iudicem suspectum habet. 16

QVotiens episcopi se à suis comprouincialibus, vel à metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint: mox Romanam appellent sedem, atque eis libere ire liceat: & dum prædictam Romanam ecclesiam appellauerint, aut ab ea se audiri poposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes surripere, aut res eorum auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat antequam amborum causa Romani pontificis auctoritate terminetur. Quòd si aliter à quoquam præsumptum fuerit nihil erit, sed viribus carebit.

Iulius pri. ad episcopos. Orien. c. 30. IDEM Iulius papa.

De eodem. [*Palea.*] 17

IDeo huic sanctæ sedi præfata priuilegia specialiter concessa sunt, vt ab ea omnes auxilium oppressi, & iniustè damnati restitutionem sumant.

In veteri manuscripto non est Palea.

GRATIAN. Oppressi & se prægrauari putantes intelliguntur ante datã sententiam: iniustè verò damnati post datam sententiam.

Euti. pa epist. 2 episco. per Siciliam. VNDE Euticianus vrbis Romanæ episcopus scribit omnibus episcopis.

Ante exitum causæ per appellationem recedere licet. 18

NOn ita in ecclesiasticis agendum est negocijs sicut in secularibus. nam in secularibus postquam legibus vocatus quisque venerit, & in foro decertare cœperit: non licet ei ante peractam causam recedere. In ecclesiasticis verò dicta causa recedere licet, si necesse fuerit, aut si se viderit prægrauari.
3. pars. Qui verò ex contumacia iudicibus obtemperare noluerit: communione priuetur.

Cap. 14. VNDE in concilio Mileuitano.

Excommunicetur qui iudicibus suis obtemperare non vult. 19

QVisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare iudicibus, cùm hoc primæ sedis episcopo fuerit

pro-

probatum, det literas vt nullus ei communicet episcoporum donec obtemperet.

Item quod post datam sententiam appellari possit, Fabianus papa testatur dicens.

GRATIAN. Epe. 3. ad Hilarium episcopũ.

Non denegetur appellatio ei quẽ in supplicium sentẽtia destinauit. 20

LIceat etiam criminalibus causis appellare: nec vox appellationis denegetur ei quem in supplicium sententia destinauerit. Quod antè idem affirmat.[a]

Fabia. ibidem.
a Felici adscribitur in quibusdam libris vet.

Ante datam sententiam licet alieni appellare. 21

SI quis iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat *quam nulli oportet negari*[†]. Post datam verò sentẽtiam qui appellare voluerit, intra quinque dies appellet: & intra eosdem à quo prouocauit literas dimissorias accipiat: & intra eosdem ad quem appellauit iter arripiat.

4. pars.
† additur in manusc.

VNDE in Theodosianis legibus sic statutum inuenitur.

Iuo. carn. lib. 4 de Appell. refert.

Quod sequitur sumptum ex lib 5. sententiarum Pauli. sed Gratianus vocat breuiarium Alarici in quo extant Pauli sententia, leges Theodosianas. Contius.

In veteri meo manuscripto, adnotatum reperi ad marginem huius capitis, Theodosianã esse hanc legẽ vel Lombardam vt & sequentes vsq; ad caput. Anteriorũ 3. q. 9. & Ideo abrogatas esse has leges vsque ad d. caput. Anteriorum. Caeterum in hoc cap. Propter. erant verba quaedam Aniani interpretis perperam verba Pauli enarrantis, quae idcirco reliquit Gratianus quia ea non intelligebat. Contius.

Post latam sententiam intra quod tẽpus quisque appellare debeat. 22

PRopter superfluam appellatorum licẽtiam, ne in retractandis vel reuocandis sententijs liberum habere arbitrium videantur: & tẽpora appellationis & pœnae cõstitutę sunt: vt quicũq; apud iudicẽ qui causam eius audiuit, appellare, & ad aliũ iudicẽ prouocare voluerit, intra quinque dies appellet, & in his ipsis quinque diebus ad iudicem ad quem prouocauerit, sine aliqua dissimulatione perueniat: & ipse dies in quo accepit literas, in his quinque diebus specialiter computetur. Quod si longius iter sit, exceptis quinque diebus spacium dierum quo iter agi possit. Habita dinumeratione. xx. milium diurnorũ per singulos dies computetur. ITEM[b].

Iuo ibi item continuo.

A quo appellatur, ad quẽ appellatũ fuerit: dimissoriae literae dirigãtur. 23

AB eo à quo appellatum est, ad eum qui de appellatione cognitu rus est, dimissoriae literae dirigantur: quae vulgo apostoli appellantur: quarum postulatio & acceptio intra quinq; dies[a], ex officio[c] finienda est.[d] Ista iam superius sub titulo de cautionibus & pœnis appellantium interpretata sunt. Qui intra statuta tempora dimissorias non postulauerint vel acceperint, vel reddiderint, praescriptione ab agendo submoueantur, & pœnam appellationis ferre cogantur. IDEM.

b Paulus lib. 5. sententiarũ tit. 30. de dimissorijs literis.
a quintũ diẽ vet.
c facienda est apud Paulum.
d Verba sunt Aniani interpretis breuiarij Alarici.
Iuo ibidem.

a pro differēdæ legit. apud Paulum afferendæ.
b vet. abdicatur in Cod. Theod. addicatur.
Iuo Carn eodem lib. 4 continuo legit.

De his qui causa dilationis appellant. 24

QVicunque non confidentia iustæ causæ, sed causa[a] differēdæ moræ, ne contra eum sentētia proferatur, appellauerit: vel si de facto suo confessus, ne [b]abiiciatur appellare voluerit: huiusmodi appellationes non recipiantur. ITEM.

Cùm possessor appellat dum euentus causæ dubius est, possessionis fructus se questrentur. Verba sunt Aniani interpretis apud Paulum lib. 5 tit. 38. mirum sanè est Gratianum relictis verbis Pauli, maluisse verba interpretis adscribere. 25

c sequendæ, legēdum est secundæ. vt apud Paulum loco ante allegato.
d possessiones, legendum pensiones. vt apud Paulum.
e Idem Paulus lib. 5 sentēt. tit. vlt. De meritis appellationum.

QVotiens post auditam causam possessor appellat: fructus possessionis de qua agitur, dum sequendæ[c] audiētiæ euentus dubius est, meritò sequestrantur. Nam si petitor appellauerit, hoc ab eo postulari non potest: quia non potest sequestrari quod non habet. Si propter prædia vrbana vel mancipia vel iumenta appellatur: possessiones[d] eorum, vel mercedes, vel vectura, etiam si de nauis naulo agatur, deponi solent.

VERBA Pauli, I. C.ti.

Iniustè appellans omnino puniendus est. 26

OMnino probandū est vt quotiēs iniusta appellatio pronūtiatur, sumptus quos dum sequeretur aduersarius impendit: reddere cogatur, non simplos, sed quadruplos.

Fallitur hic Gratianus.

" Præmissis auctoritatibus intra. v. dies post datam sententiam cuique appellare permittitur. Quod postea Iustinianus in constitutionibus suis corrigens, intra decem dies appellationis remedium cuique dandum decreuit dicens. "

Constitutio. 23 nouellarū cōsti.

IMPERATOR Iustin. Augustus. "

Intra decem dies remedium appellationis conceditur. 27

ANtiquorum legum acerbitati plurima remedia imponētes, & maximè hæc circa appellationes facientes, in præsenti ad huiusmodi beneficium peruenire duximus esse necessariū. Antiquitati enim cautum erat, vt si quis per se litem exercuerit, & fuerit condemnatus: intra duos dies tantummodo licentiam appellationis haberet. Sin autem per procuratorem causa ventilata sit: in triduum proximum eam extendi. Ex rerum autem experientia inuenimus hoc satis esse damnosum: plures enim homines ignaros legum subtilitatis, & putantes in triduum prouocationes esse porrigēdas, in promptum periculum incidisse: & biduo transacto causas perdidisse. Vnde necessarium duximus huiusmodi rei competenter mederi. Et sancimus omnes appellationes, siue per se, siue per procuratores, seu per defensores vel curatores & tutores ventilentur: posse intra decem dierum spatium à recitatione sentētiæ numerandorum iudicibus ab his quorum interest offerri: siue magni siue minores sint: excepta videlicet sublimissima prætoriana præfectura: vt liceat homini intra id spatium plenissimè delibe-

deliberare siue appellandum ei sit, siue quiescendum: ne timore instante opus appellatoriũ frequẽtetur: sed sit omnibus inspectionis copia, quæ indiscussos hominum calores potest refrenare. Ad hoc sancimus, siquando lis speratur in nostrum inferri consistoriũ: si fortè contigerit imperatoris maiestatem occupatã publicis causis ex mundanis prouisionibus, nõ posse conuocare patres quatenus causa agitetur: nõ ex hoc litẽ periclitari. Quod enim vitium est litigantiũ, si culmẽ imperatoriũ occupetur? vel quis tãtæ est auctoritatis, vt nolentẽ principem possit ad conuocandũ patres cæterósq; proceres coarctare? Sed si quid tale euenerit, causa intacta permaneat, donec imperator sua sponte motus, & conuocari proceres iusserit, & litem inferri patiatur, & omnia secundũ morẽ procedere. Illud etiam in tertio capitulo disponendum est, quod antiquitas bene statuit, nouitas autẽ neglexit. Cùm enim venerãda vetustatis auctoritas ita magistratus digesserit, vt alij maiores, alij medij, alij minores sint, & appellationes à minoribus iudicibus non solũ ad maximos iudices remitterentur, sed ad spectabiliũ iudicũ tribunal, quatenus & ipsi sacro auditorio adhibito litem exercerẽt: nouitas autem hoc dereliquerit: euenit vt super minimis causis maximi nostri iudices inquietentur: & homines propter minimas causas magnis fatigẽtur dispẽdijs: vt forsitan totius litis æstimatio ad sumptus iudiciales non sufficeret. Ideoq; sancimus, siquando ex Aegyptiaco tractu, vel adiuncta ei vtraq; Libya prouocatio speratur vsq; ad decẽ librarum auri quantitatẽ: non in hanc regiã vrbem eã venire, sed ad præfectum Augustalem, qui audiat, & causam dirimat vice sacri cognitoris, nulla ei penitus post diffinitiuam sentẽtiam appellatione porrigenda. Similiq; modo quotiens in Asiana diœcesi vel Pontica tale aliquid emerserit vsque ad prædictam quãtitatem decem librarum auri: appellationes ad viros spectabiles comites fortè vel proconsules vel prætores vel moderatores, quibus specialiter easdem lites peragendas deputauimus, remittantur: quatenus & hi ad similitudinẽ præfecti Augustalis vice sacri cognitoris intercedãt: & causas sine spe quidem appellationis, Dei tamen & legũ timore proferant * decidendas. *al. perferant.
Orientalem autem tractum* causas appellatione suspensas, & *al. orientalis vsque ad decem librarũ auri quantitatem limitatas, ad virum autem tractus. spectabilem comitẽ Orientis mittere, simili modo audiẽtiam & finem eis impositurum sancimus. Illo videlicet obseruato, vt viri spectabiles duces, vel alij spectabiles iudices nõ ad alios eadẽ spectabilitate decoratos iudices suas transmittant appellationes in litibus, quantæcunque sint quantitatis: (cùm nõ oporteat ad cõpares iudices appellationes referri: sed à minori iudicio in maius tribunal ascendere) sed ad illustrissimã præ-

fecturam illorum appellationes, cuiuscunq; sint quantitatis (vt dictum est) dirigãtur: quæ vnà cum viro excelso pro tempore quæstore eas dirimat: vtroq; officio subministrante, id est, tam ex sacris scrinijs more solito, quàm præfectorio. Ita tamẽ hoc sancimus, vt nec à ducibus vel ab alijs spectabilibus iudicibus quibus fortè etsi priuati sint, imperialis maiestas causa iniunxerit, appellatio ad memoratos spectabiles iudices currat: ne causa non gradatim procedere, sed perperam videatur: sed à præsidibus quidem prouinciarum, & iudicibus à nobis datis, si non sint spectabiles iudices, intra memoratam quantitatem referatur. Si autem vel illustres sint dati à nobis iudices, quibus apices dignitatum super spectabilitatem sunt, vel duces qui omnimodo spectabilitate sunt decorati: vel hi qui à principe sunt delegati, spectabilem habeant dignitatem: eorum appellationes sub quacunque quantitate in hanc regiam vrbem ad competentes antiquo more iudices referantur: omnibus alijs quæ in appellationibus statuta sunt vel ab antiqua prosapia, vel auctoritate anteriorum constitutionũ, vel à nostra humanitate: intactis illibatísque custodiendis.

Tit. 4. le. 1. lib. dige. 49.

ITEM dige. titu. quando appellandum sit.

Quando appellandum sit primo vel secundo. 28

BIduum vel triduũ appellationis ex die sententiæ latæ computandum erit. Quid ergo si sententia fuerit sub conditione dicta: vtrum ex die sententiæ tempus cõputamus ad appellandum, an verò ex die quo conditio sententiæ extiterit? Sanè quidem non est sub conditione sententia dicenda. Sed si sit dicta, quid fiet? Et est vtile statim tempora ad appellandum computari debere. Quod autem in sententijs receptum est, vt vel altera die vel tertia prouocetur: hoc etiam in cæteris obseruandum est, ex quibus sententia quidem non profertur: appellari tamen oportet & potest: vt cum quis ad tutelam, vel ad alia ciuilia munera nominatur, & eius excusatio non admittitur. Dies autẽ istos in quibus appellandũ est, ad aliquid esse vtiles oratio diui Marci voluit: si fortè eius à quo prouocatur, copia non fuerit, vt libelli dentur. Ait enim: Is dies seruabitur quo primo facultas adeundi erit. Quare si fortè post sentẽtiam statim dictam copiam sui non fecerit is qui pronũciauit, vt fieri assolet: dicendum est nihil nocere appellatori. Nam vbi primum copiam eius habuerit, poterit prouocare. Ergo si statim se subtraxerit: similiter subueniendum est. Quid ergo si cõditio horæ effecit vt se reciperet? Si fortè sententia dicta sit iam suprema hora, vtique non videbitur se subtraxisse. Adeundi autem facultatem semper accipimus, si in publico sui copiam fecerit. Cæterum si non fecerit: an imputetur alicui quòd ad domum eius non venerit, quodque in hortos nõ accesserit, & vlterius

vlterius quòd ad villam suburbanam? Magísque est vt non debeat imputari. Quare si in publico adeundi eius facultas non fuit: melius dicetur facultatem non fuisse adeũdi. Si quis ipsius quidem à quo appellauit, adeundi facultatem non habuit, vt ei libellos daret: eius autem ad quem appellauit, habeat copiam: videndum est an ei præscribi possit quod eum non adierit. Et hoc iure vtimur, vt si alteruttius adeundi fuerit copia: locũ habeat præscriptio. *In propria causa biduum accipitur, Propriam causam ab aliena quomodo discernimus?* Palam est eam propriam esse causam, cuius emolumentũ vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. [a] Si aduersus absentem fuerit pronunciatum, biduum vel triduum ex quo quis scit, computandum est: non ex quo pronunciatum est. Quod autem absentem dicitur posse prouocare ex quo scit, sic accipimus, si nõ in causa per procuratorem defensus est. Nam si ille non prouocauit, difficile est vt hic audiatur. Si quem * in insulam deportandum annotauerit præses prouinciæ: & imperator rescripserit vt deportetur: videamus quando sit appellandum: vtrum cum imperator rescripsit vt deportetur, an cum ei scribitur. Et puto tunc esse appellandum, cùm recipi eum præses iubet. Cęterum verendum est ne sero sit, vt tunc prouocetur cũ imperator insulam ei assignauerit. comprobata enim sententia præsidis vel prætoris, tunc solet princeps insulam assignare. Rursus illud verendum, est, si mendacijs apud principem onerauit eum quẽ deportandum laborat: intercludi ei viam prouocandi. Quid igitur est? Rectè dicetur humanitate suggerente, vt & hoc, & illo tẽpore non frustra prouocaretur: quia non aduersus principem sed aduersus iudicis caladitatem prouocauit. [b] Illud quoque videndum est, si cum imperatori scriberetur, exemplum literarũ litigatori æditũ sit, neq; is appellauerit, & postea contra eum rescriptum sit: an appellare à literis pridem sibi ęditis possit. Certè nõ potest: quia qui tunc nõ appellauit, vera esse quæ scripta sunt consensisse videtur: nec est audiendus si dicat euentũ sacri rescripti se sustinuisse. ITEM Vlpianus libro xlix. in titu. de appellationibus recipiendis vel non. 29

Addit. in vet.
a L. 1. §. 5. ff. quando appellandum sit.
L. 1. ff. quando appellãdum sit.
al. si quidem in insulam.
b L. vlt. C. quãdo appellandum sit.
Tit. 5. le. 1.

NOn solent audiri appellantes nisi hi quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negocium alienum gerunt, quod mox reus ratũ habeat. Sed & si mater ex pietate prouocauerit, dicendum est & hanc audiri debere. & si litem præparandam curare maluerit, intercedere nõ videtur: licet ab initio defendere non potest. Scæuola libro iiij. regularum. Ante sententiam appellari potest, si quæstionẽ in ciuili negocio habendam iudex interlocutus est: vel in criminali si cõtra leges hoc faciat. Marcellus libro primo de appellationibus. Eius qui ideo causam agere frustratur, quia dicit se libellũ principi

5. pars.
Lex. 2. ff. ibidem.
L. 4. ff. ibidem.

dedisse,& sacrum rescriptum expectasse:audiri desideriũ prohibetur:& si ob eam causam prouocauerit, appellatio eius recipi sacris constitutionibus prohibetur.

Li.49.dige. tit.7. ITEM de dimissorijs libellis lege prima.

De dimissorijs libellis. 30

POst appellationem interpositam literæ dandæ sunt ab eo à quo appellatum est,ad eum qui de appellatione cogniturus est,siue ad principem,siue ad quemlibet alium:quas literas dimissorias siue apostolos appellant. Sensus autem literarum talis est,appellasse puta Lucium Titium à sentẽtia talis iudicis: quæ inter illum & Mæuium dicta sit. Sufficit autẽ petijsse intra tempus dimissorias instanter & sæpius: & si nõ accipiat idipsum contestetur.nam instantiam petentis dimissorias cõstitutiones desiderant. Aequũ est igitur si per eum stetit qui debeat dare literas,quo minus det: ne hoc accipienti noceat. Vlpianus libr.quarto in titulo nihil innouari appellatione interposita. Appellatione interposita, siue ea recepta fuerit, siue non:medio tempore nihil nouari oportet. [a] Si quis ex pluribus facinoribus condemnatus, propter quædam appellauerit, propter quædam non: Vtrũ sit differenda pœna eius an non: quæritur. Et si quidem grauiora sunt crimina ob quæ appellatio interposita est,leuius autem id propter quod quis non appellauit,recipienda est omnino appellatio,& differenda pœna. Si verò grauiorem sententiam meruit ex ea specie ex qua non est appellatum:omnino pœna imponenda est.

Li.49.dige. tit.7. Lege prima. a d.l.1.§.vlt.

GRATIAN. Forma apostolorum hæc est. Ego N. sanctæ Bononiensis ecclesiæ episcopus te presbyterum Rolandum capellanũ sancti Apollinaris ad apostolicam sedem quam appellasti, ab obseruatione nostri iudicij his apostolis dimitto. Forma verò appellationis ante sententiam hæc est. Ego Adelinus sanctæ Rheginæ ecclesiæ minister(licet indignus)sentiens me grauari à domino Gualterio sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopo, Romanam sedem appello,& apostolos peto. Si verò post datam sentẽtiam appellare voluerit:hic erit ei modus appellandi. Ego.[A]. sanctæ Rhe.ecclesiæ mini.licet indi.contra sententiam domini. G. S. Rau. ecclesiæ archiepiscopi iniustè in me latam pridie Calen. Maij anno domini incarnationis Mclxj.*indictio.*iiij.Rom. sed. appello, & apostolos peto. Si autem vnus vel duo pro pluribus appellare voluerint, sic appellabunt: Ego P. & G. syndici canonicorum S.B.e. sentientes nos prægrauari contra sententiam,&c. Romanam sedem appellamus, & apostolos postulamus. & huiusmodi appellationes in scriptis fieri debent. Ad iudicium autem alterius fidei catholico appellare non licet.

Adelmus

*al. Mcv.

*al. feria.

Sic in meo manuscr. Contius.

Cap.78. VNDE in Carthaginensi concilio.iiij.

Excom-

Excommunicetur catholicus qui committit causam suam iudicio alterius fidei. 31

CAtholicus qui causam suam siue iustam siue iniustã ad iudicium alterius fidei iudicis prouocat, excommunicetur.

Notandum verò est quod quidẽ iudices sunt à quibus appellari nõ oportet. VNDE in concilio Mileuitano legitur. 6.pars. Cap.24.

A quibus iudicibus prouocari non licet. 32

A Iudicibus quos communis consensus elegerit: non liceat prouocari.

" Quod de arbitris intelligẽdum est. Iudicum enim alij sunt ordinarij, alij arbitrarij. Ordinarij verò sunt qui ab apostolico, vt ecclesiastici, vel ab imperatore, vtpote sæculares, legitimam potestatem accipiunt. Arbitrarij sunt qui nullam potestatem habentes, cùm consensu litigantium in iudices eliguntur: in quos cõpromittitur vt eorum sententiæ stetur. Horum alij sunt ordinarij & arbitrarij: alij arbitrarij tantum. Ordinarij & arbitrarij sunt qui legitimam potestatẽ habentes, ab eis eliguntur ad arbitrandũ qui non sunt suę iurisdictioni suppositi. Ab his, etsi vt arbitrarij sedeant, & non vt ordinarij: priuilegio tamen ordinarię dignitatis grauatus aliquis appellare valebit. " GRATIA.

" VNDE in Cartha. concilio. iiij. legitur. Cap. 10. conc. Cartha. 3.

A iudicibus qui eliguntur communi cõsensu prouocare non licet. 33

SAnè si ex consensu partium iudices electi fuerint: etiam à pauciori numero quàm constitutum est, liceat prouocari.

ITEM ex concilio Mileuitano. Cap. 21.

Qui de episcoporum iudiciis queruntur, à vicinis episcopis audiantur, vel ab aliis ex consensu eorum adhibitis. 34

PLacuit vt presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint: si de iudiciis episcoporum suorũ questi fuerint, vicini episcopi eos audiãt: & inter eos quicquid est diffiniant adhibiti ab eis ex consensu episcoporũ suorum. Quòd si ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarũ suarum. Ad transmarina autem qui putauerint appellandum: à nullo intra Africam in cõmunione suscipiantur. [Nisi[a] fortè Romanam sedem appellauerint.] Is aũt qui appellauerit, ad eũ à quo appellauit, remitti non debet. VNDE in Sardicensi concilio.

a Inclusa, perperam sunt à Gratiano inserta, cũ in nullis exẽplaribus cõcilij Mileuitani reperiantur.

De eodem. 35

SI quis episcopus accusatus fuerit, & omnes iudicauerint cõgregati episcopi regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eum: si appellauerit cum deiectus fuerit, & cõfugerit ad beatissimum Romanę ecclesię episcopũ, & voluerit se audiri: si iustũ putauerit vt reuocetur vel renouetur examen: scribere episcopis dignetur episcopus Romanus, his qui in finitima & propinqua altera prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirãt, & Cap. 7.

iuxta fidem veritatis diffiniāt. Quòd si is qui rogat causam suā iterum audiri, deprecatione sua monuerit episcopū Romanū, vt de latere suo presbyteros mittat: erit in potestate eius quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittēdos esse qui præsentes cum episcopis iudicēt, vt etiā habeant auctoritatē personæ illius à quo destinati sunt, erit in eius arbitrio. Si verò crediderit sufficere episcopos cōprouinciales, vt negotio terminū imponant: faciat quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

GRATIAN. Arbitrarij tantum sunt qui nullam legitimam potestatem acceperunt, à quibus appellari non licet: quia eis imputandum est quòd sibi tales elegerunt. Si verò sententia eorum à quibus appellatur, soluta fuerit per eum ad quem appellatum est: nihil eis oberit: nisi fortè vel inimicitia vel pecunia deprauati iniustam probentur tulisse sententiam. VNDE in eodem concilio Carthaginensi.iij.legitur.

Cap. 10.

Cum per appellationem sententia soluitur, non debet obesse ei qui non iniquo animo iudicauit. 36

7. pars. HOc etiam placuit, vt à quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum: non eis obsit quorum fuerit soluta sententia si conuinci non potuerint vel iniquo animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati. Quæritur autem de eo à quo appellatur: an sit euocandus in testimonium apud eum ad quem appellatur, super negocio cuius cognitionem suscepit. DE hoc ita statutum est in Carthaginensi concilio quinto.

Cap. I.

Clericus non deuocetur in testimonium illius causæ cuius primum cognitionem suscepit. 37

*al. statuendum est. STatutum * est vt qui in ecclesia quamlibet causam iure apostolico ecclesiis imposito agere voluerit, & forsan decisio clericorum vni parti displicuerit: non liceat clericum in iudicium ad testimonium deuocari eum qui præses vel cognitor fuerit: & nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.

GRATIA. Ab eis quoque ad quos prouocatum fuerit (sicut in Africano concilio legitur) vlterius prouocari non licet.

Non licet prouocari ab his ad quos prouocatum fuerit. 38

Cap. 63. SI autem prouocatum fuerit, eligat qui prouocauerit iudices, & cum eo ille contra quem prouocauerit: vt ab ipsis deinceps nulli liceat prouocare.

GRATIAN. Post secundam prouocationem intelligendum est. tertiò enim in vna eademq; causa super eisdem capitulis prouocare non licet. Vnde in vij. libr. Cod. titul. ne liceat in vna eademq; causa tertiò prouocare, imperator Iustinianus scribit.

Titul. 70.

Si quis in quacunq; lite iterum prouocauerit: non liceat ei

tertiò

tertiò in eadem lite super eisdem capitulis prouocatione vti, vel sententias excellentissimorum præfectorum prætorio retractare, licentia data litigatoribus arbitro dato ipsius audiētiam qui eum dedit, ante litis contestationem inuocare, & huiusmodi petitione minimè prouocationis vim obtinente.

Cùm autem in causa capitali vel status interpellatum fuerit: non per procuratores, sed per seipsos appellantes causam suam agere oportet. VNDE Hadrianus papa. GRATIA.

Appellationem in causa capitali vel status interpositam, per procuratorem exequi non licet. 39

SI quando in causa capitali vel causa status interpellatū fuerit: non per exploratores: sed per seipsos est agendum.

Tempus autem exequendæ appellationis, annus est: vel si iusta causa intercesserit, biennium. VNDE in authenticis constitutione. xj. collatione. v. legitur. GRATIA. *Constitutione* 50.

De eodem. 40

EI qui appellat, impertitur annus: intra quē secundum se cōmunitérve litem exequatur: aut si iusta intercesserit causa, alius annus indulgetur: quo transacto lite non completa, maneat sententia rata. Appellatore cessante cum vnus mensis superest ex biennio: licet victori ingredi vt reus quæratur. quo siue inuento siue non, suas afferat allegationes: vt vel confirmetur vel rescindatur sententia: omni casu absente in expensis condemnando. Neutro concurrente post secundum annum fatalem permanet sententia. Constitutione. ij. collatione. iiij. Sed lis quæ speratur in consistorium principis inferri absque damno moræ, manet intacta donec ipse faciat eam introduci, & à proceribus secundum morem dirimi. *Constitutione.* 93. *nouellarum.*

Si verò is qui appellauit, pœnitentia ductus ab appellatione desistere voluerit, non prohibetur, sicut in septimo libro Codicis titulo de appellationibus, imperatores Archadius & Honorius statuisse leguntur. Si quis libellos appellationis ingesserit, sciat se habere licentiam & arbitrium ex pœnitentia commutandi, & suos libellos recuperandi, ne iustæ pœnitudinis humanitas amputetur. Est autem quando appellationem interponi non est necesse. In eodem namque libro & eodem titulo iidem imperatores decreuerūt. Nominationes verò libellis vel ædictis factæ citra concilium publicum, non valent: à quibus nec appellare necesse est. Diffinitiua quoque sententia quæ condemnationem vel absolutionem non continet, pro nulla habetur. Item sententia citra solitum ordinem iudiciorum à præside prolata, auctoritatem rei iudicatæ non obtinet. Item si sententia lata fuerit contra res prius iudicatas à quibus prouocatum non est, sententiæ auctoritatem non obtinebit: & ideo appellare necesse non est. Item si sen- GRATIAN. *Titu.* 62. *lege.* 28. *Lege.* 27. 8. *par.*

si sententia contra ius scriptum feratur: veluti dum defunctus & minor.xiiij.annis fuisse,& testamẽtum iure fecisse dicitur: nullas vires obtinet: nec contra eam est necessariũ auxilium prouocationis. Si verò contra ius litigatoris sententia dicatur, veluti dum minor.xiiij.annis xiiij. annum impleuisse, ac per hoc testamentum iure fecisse pronunciatur, ad prouocationis remedium oportet confugere. Item si plures iudices dati sunt,& vnus tantùm ex eis pronunciasse proponitur: non videtur appellandi necessitas fuisse: cùm sententia firmitatem iure non obtineat. Item cum certa ratione & sine certo iudices mulctare possunt. Si verò aliter contra statutum legis modum mulctam irrogauerint: quod contra ius gestum videtur infirmitatem non tenet, & sine appellatione potest rescindi. Venales quoque sententias quæ in mercedem à corruptis iudicibus proferuntur: etiam citra interpositæ prouocationis auxilium infirmas esse decretum est. Item si propter infirmitatem ætatis ad honorem ad quem nominatus est, inhabilem te esse probaueris, prętermissa appellatione iniqua nominatio remouebitur. Sunt etiam quorum appellationes non recipiuntur. Non enim potest recipi eius appellatio qui per contumaciam absens, cùm ad agendam causam negocio prius summatim perscrutato vocatus esset, condemnatus est. Nullus[a] etiam homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemq; eorum qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis conuictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusq; confessus audiatur appellans. & hoc in notoriis. In occultis autem, si testibus productis, instrumentis prolatis, aliisq; argumentis præstitis, sententia contra eum lata sit,& ipse qui cõdemnatus est, aut minimè voce sua confessus est, aut formidine tormentorũ territus aliquid cõtra se dixerit, prouocandi licentia ei nõ denegatur. Nulli quoq; officialium à sententia proprij iudicis prouocatio tribuatur: nisi in eo tantum negocio quod ipse ciuili ratione super patrimonio fortè apud proprium iudicẽ inchoauerit. Quotiens etiã fiscalis calculi satisfactio postulatur: aut tributum exposcitur, aut publici aut priuati debiti euidẽtis atque conuicti redhibitio flagitatur, appellatione exclusa necessario in contumacẽ vigor iudiciarius exerceatur. Ab executore sententiæ appellari nõ potest: nisi fortè executor sententiæ modum iudicationis excedat. Si quis etiam ausus fuerit prouocare ne volũtas defuncti testamento scriptura referetur: vel ne hi quos scriptos patuerit hæredes, in possessionẽ mittãtur, & is cuius de ea re notio erit, appellationẽ receperit, & iudex qui tam ignauam conniuentiã adhibuerit, & litigator qui tam importunè appellauerit. xx. libris argenti mulctentur. De possessione

Ex lib.7.Codicis.titu.65. Quorum appellationes non recipiuntur.

a ad verbũ hic recitat. leg.1.2.& 3. Codi. quomo. appellatio. non recip.

» » sessione etiam & eius momento si causa dicatur, quæ sentẽtia » » interlocutoria appellatur: quãuis prouocatio interposita fue- » » rit, tamen lata sentẽtia sortiatur effectum. Quãdoque vnã & » » eandem plures simul reportant condemnationẽ: nec diuersi- » » tas factorum separationẽ accipiet: quo casu si omnes appella- » » uerint, & vno ex his agente eorum appellatio iusta pronuncia- » » ta fuerit, emolumẽtum victoriæ etiam ad alios pertinebit. Si » » autem vnus tantùm appellauit, eiusq; appellatio iusta pronũ- » » ciata est: ei quoq; prodest qui non appellauit. Quòd si æta- » » tis auxilio vnus contra sententiã restitutionem impetrauerit: » » maiori qui suo iure non appellauit, hoc rescriptum non pro- » » dest. Iudicibus autem non solum suscipiendæ appellationis » » necessitas videtur imposita. verumetiã. xxx. dierum spatia ex » » die sententiæ diffinita sunt: intra quæ gesta vnà cum relatione » » litigatoribus conuenit præstari. Similiter arbiter appellatio- » » nem suscipere, & relationem dare cõpellitur si delegatus fue- » » rit. Litigatoribus verò copia est etiam sine scriptis libellis il- » » lico voce appellare cum res iudicata poposcerit, tam in ciuili- » » bus quàm in criminalibus causis. Ab eo autem qui de appella- » » tione cognoscit, non potest fieri recursus ad iudicẽ à quo fue- « « rit prouocatum. Quapropter remittendi litigatores ad pro- « « uincias remotam sibi occasionẽ atque exclusam penitus intel- « « ligant: cum super omni causa interpositam prouocationem » » vel iniustam tantum liceat pronunciare vel iustam. Hæc » » omnia in vij. li. Cod. inuenies à titu. de appellationibus vsque » » ad titu. ne liceat in vna eademq; causa.

QVAESTIO VII.

AN LAICI VEL QVILIBET INFERIORVM ORDINVM IN ACCVSATIONE MAIORVM SINT AVDIENDI.

» » QVod verò laici in accusatione episcoporum non sint » » audiendi. Euaristus papa testatur dicens. GRATIAN.

Laici in episcoporum accusatione non sunt recipiendi. 1 Epist. 2.

NOn est à plebe aut à vulgaribus hominibus arguẽdus vel accusandus episcopus, licet sit inordinatus: quia pro meritis subditorum disponitur à deo vita rectorum. Ideo ista dico, quia insidiator bona sæpissimè solet cõuertere in malum, & in electis ponere maculam. ITEM Siluester papa. *In epilogo conci. Rom.*

Laicus clericum non accuset. 2

NVllus laicus audeat clerico crimen inferre. ITEM papa. *Marcellinus epistol. 2.*

De eodem. 3

LAico non liceat quemlibet clericum accusare. ITEM Iulius papa. *Iulius. 1. ca 36. decretorum.*

Anathematizatus sacerdotes accusare non potest. 4

IN sancta Nicena synodo statutum est vt nemo anathematizatus in nostram suscipiatur accusationem: nec illi qui nos in suam nolunt recipere accusationẽ: cum nos super illos sciamus à domino constitutos, non illos super nos, & sicut maior non potest à minore iudicari, ita nec obligari: quia rarum est omne quod magnum est. Portemus onera omnium qui grauantur. Quinimo hæc portat in nobis beatus Petrus apostolus: cuius vice fungimur legatione, & cuius regula informamur: quatenus eius fulti auxilio nunc & in perpetuum ab omnibus tueamur aduersis. ITEM Eusebius.

Euseb. epist. 1. ad episcopos Galliæ.

De eodem. 5

LAicos non accusasse episcopos hactenus obseruatum & constitutum est: quia non sunt eiusdem conuersationis, & oppido eis quidam infesti existunt: quippe cum vita eorum & conuersatio debeat esse secreta, & à laicorum actibus remota: nec ab eis impeti debent etiam qui eorum castitatem & grauitatem nolunt imitari: maximè cum eos nolunt recipere in suis accusationibus. ITEM Fabianus papa.

Fab. epist. 2. ad episcopos Orientales.

Nec clerici in accusatione laicorum, nec laici in accusatione clericorum sunt suscipiendi. 6

SIcut sacerdotes vel reliqui clerici à secularium laicorum excluduntur accusatione: ita illi ab istorum sunt excludendi & alienandi criminatione. & sicut illi ab istis, ita & isti ab illis non recipiuntur: quoniam sicut domini sacerdotum segregata debet esse conuersatio ab eorum conuersatione, ita & litigatio: quia seruum Dei non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes. ITEM ex concilio Maguntino. 7

Hoc caput deest in plerisq; editionibus.

DEcretum est vt presbyteri suos plebeios & accusare & attestimoniare possint. Si autem neglexerint, sui gradus periculo subiacebunt. ITEM Clemens.

Cle. epist. 1. ad Iacobum.

Laici clericos accusare non debent. 8

SAcerdotes & reliqui sacræ ecclesiæ ministri, omnesq; plebes episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire, etiam si ipsi aliter (quod absit) quàm debent agant: nisi in fide errauerint. ITEM.

Idem Clem. epi. 2. ad eund. Iac.

De eodem. 9

QValis condemnatio eis immineat qui in patres peccant, diuina scriptura ostendit dicens: Si enim Cham quia non operuit pudenda patris, maledictus est: multo ampliori condemnationi digni sunt qui patribus legatione dei fungentibus contumeliam inferunt.

Genes. 9. a.

GRATIAN. *In epilogo conc. Romæ.*

Personæ inferiorum ordinum in superiorum accusationem recipiendæ non sunt. ‹‹

VNDE Siluester papa. ‹‹

Minores

Minores non debent accusare maiores. 10

CLericus aduersus exorcistam, exorcista aduersus acolytũ, acolytus aduersus subdiaconum, subdiaconus aduersus diaconum, diaconus aduersus presbyterũ, presbyter aduersus episcopum accusationem dare, aut testimoniũ ferre non valet. ITEM Zepherinus papa. *Zeph. epist. 1 ad episc. Siciliæ.*

De eodem. 11

MAiorum quispiam, minorum accusationibus non impetatur. ITEM Anacletus papa.

De eodem. 12 *Anacletus epist. 3. Genes. 9. d.*

SEntentia Cham filij Noe damnantur qui suorum doctorũ vel præpositorum culpam produnt, ceu Cham, qui verenda patris non operuit, sed irridenda monstrauit.

ITEM Eusebius papa. *Epi. 2. ad episc. Alexandriæ.*

Oues pastorẽ suum (nisi à fide exorbitauerit) non debent accusare. 13

OVes quæ suo pastori commissæ sunt: eum nec reprehẽdere, nisi à fide exorbitauerit nec vllatenus accusare possunt: quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quãquam reprehendenda rectè videantur.

„ His auctoritatibus probatur quod subditi siue sint laici siue clerici, prelatos suos accusare non possunt. Verùm de criminosis & de infamibus intelligẽdum est: qui vitam suorum prælatorum parati sunt reprehendere, non imitari: quod ex verbis Anacleti datur intelligi, qui ait. GRATIAN. *Ex epist. 2. Anaclet.*

Quare laici in accusatione episcoporum non audiantur. 14

LAici in accusatione episcoporum audiendi non sunt: quia oppido eis quidam infesti sunt: & indignum est vt ab eis accusentur qui eorum grauitatem nolunt imitari. IDEM. *Idẽ Anac. epist. 2. ad episc. Italiæ.*

Sacerdotes non nisi à viris idoneis & probatis accusari possunt. 15

ACcusatio quoque eorum, super qua nos consulere voluisti: non nisi ab idoneis & probatissimis viris qui suspicionibus & sceleribus carẽt, fieri debet: quia & dominus sacri corporis sui tractatores à vilibus ac reprobis & non idoneis personis infamari noluit nec calumniari: sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes à templo eiecit. Vnde liquet quòd summi sacerdotes, id est episcopi à deo sunt iudicãdi, nõ ab humanis aut prauæ vitæ hominibus lacerãdi: sed potius ab omnibus fidelib⁹ portãdi: ipso domino exẽplum dante quando per seipsum & non per alium vendentes & ementes eiecit de tẽplo sacerdotes. Nullus enim (vt reor) inuenitur inter illos qui velit seruũ suũ ab alio quàm à se iudicari, quod si præsumptũ fuerit, aut multa indignatione ipse irascitur aut poti⁹ vindictã querit super eũ. vnde & dominus ait per prophetã. Qui vos tãgit, me tãgit: & tangit pupillã oculi mei. Et paulò post. Si detractores quoruncũq; grauiter iudicãtur, & in pditionis laqueum *Ioan. 2. c. Zach. 2. c.*

laqueũ cadunt:multo magis laceratores & detractores atque accuſatores famulorũ dei dãnantur:& in barathrũ (niſi ſe correxerint,& per eorũ ſatisfactionẽ condignã egerint pœnitentiam)indubitanter cadunt: & vindicibus flammis exuruntur.

Hæc & alia periculoſa conſiderantes apoſtoli conſtituerunt,ne facilè commouerentur aut lacerarentur vel accuſarẽtur columnæ ſanctæ eccleſiæ dei:quæ apoſtoli & ſucceſſores eorum non immerito dicuntur. Sed ſi quis aduerſus eos vel eccleſias eorum commotus fuerit,aut cauſam habuerit: prius ad eos recurrat charitatis ſtudio, vt familiari colloquio ea ſanent commoniti quæ ſananda ſunt, & charitatiuè emendent quæ iuſtè emendãda cognouerint. Si autem aliqui eos priuſquam hoc egerint,lacerare,accuſare,vel infeſtare præſumpſerint,excommunicentur:& minimè abſoluãtur antequam per ſatisfactionem(vt iam dictum eſt) condignam pœnitentiam egerint:quoniam iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius

Epiſtol. 1. legatione funguntur. ITEM Alexander.

Communione priuetur qui priuatim aduerſus epiſcopum conqueritur priuſquam familiariter eum conueniat. 16

SI quis erga epiſcopum vel actores eccleſiæ quãlibet querelã iuſtã ſe habere crediderit: nõ prius primates aut alios adeat iudices,quàm ipſos à quibus ſe læſum exiſtimat,familiariter conueniat,non ſemel, ſed ſæpiſſimè,vt ab eis aut ſuam iuſtitiam accipiat,aut excuſationem.ſi autem ſecus egerit,ab ipſis aut ab alijs communione priuetur tanquam apoſtolorum

Euariſtus epiſtola 2. patrumq́ue aliorum contemptor. ITEM Euariſtus papa.

Niſi opinione diſcuſſa non audiantur accuſatores epiſcoporum. 17

SI qui ſunt vituperatores aut accuſatores epiſcoporum vel reliquorum ſacerdotum:non oportet eos à iudicibus eccleſiæ audiri antequã eorum diſcutiatur exiſtimationis ſuſpicio, vel opinio,qua intentione,qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conſciẽtia,quóve merito,ſi pro deo, aut pro vana gloria, aut pro inimicitia,vel odio,aut cupiditate iſta præſumpſerint,

Epi.2. ad epiſcopos Galliæ. ITEM Calixtus papa.

Maiores natu nõ accuſent,niſi qui ſint rectæ fidei & cõuerſationis. 18

QVærendum eſt in iudicio cuius ſit conuerſationis & fidei & is qui accuſat,& is qui accuſatur: quoniam hi qui nõ ſunt rectæ fidei ac conuerſationis, & quorum vita eſt culpabilis,& quorum vita fides & libertas neſcitur:non permittuntur maiores natu accuſare:neque viles perſonæ in eorum recipiuntur accuſatione. ITEM Sixtus papa.

Epi.2.ad epiſc. Hiſpa. *Abſque duobus vel tribus teſtibus non recipiantur epiſcoporum accuſationes.* 19

Exo.13. 1. Tim.5. ACcuſatio epiſcoporum non eſt facilè recipienda , dicente domino: Non accipias vocem mẽdacij. Et apoſtolus inquit

quit aduersus presbyterum inscriptionem non recipiendam absque duobus vel tribus idoneis testibus. Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus sunt præcauenda: quanto magis de episcopis? ITEM ex conci. Aurelianensi. Cap. 8.

Pro sola cõuentione episcopi non submoueatur aliquis à cõmunione. 20

SI quis ab episcopo vel ab ecclesia vel de proprio iure crediderit aliquid repetendum: si nihil conuitij aut criminationis obiecerit, eum pro sola conuentione à communione ecclesiæ non liceat submoueri.. ITEM Euaristus papa. Episto.2.

Quare subditi prælatos suos reprehendere non possunt. 21

SVnt nonnulli qui præpositos suos peruersè reprehendunt, si vel parum ipsis molesti extiterint.

Ex his omnibus datur intelligi, quòd illi ab accusatione remouentur qui non affectione charitatis, sed prauitate suæ actionis vitam eorum diffamare & reprehendere quærunt. Quod verò præmissis auctoritatibus criminosi prohibeantur ab accusatione prælatorum, testatur Augustinus in libro Soliloquiorum ita dicens. GRATIAN.

Non oẽs subditi sed criminosi tantũ prohibentur accusare prælatos. 22

PRæsumunt prælati non debere se reprehendi vel accusari, pro eo quòd canones non eos passim constituunt accusandos: quod tantum negatur solis criminosis: cum de reprehendendo veritas ipsa constituat: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. &c. Ioan.18.d

Opponitur huic distinctioni. Ipsi sacri canones distinguũt in quo casu pastores sint accusandi à subditis, dicentes. Oues pastores suos non accusent nec reprehendant, nisi à fide exorbitauerint. Ecce in quo casu sunt accusandi à subditis: in alijs autem minimè. Huic oppositioni respondetur sic: Distinctio illa canonum, de criminosis & infamibus intelligitur. Oues enim criminosæ & infames pastorem suum accusare vel reprehendere non possunt, nisi à fide exorbitauerit. Cæterum si à fide exorbitauerit: tanta est labes huius criminis, quòd ad eius accusationem & serui aduersus dominum, & quilibet criminosi & infames aduersus quemlibet admittuntur. 3.pars. GRATIAN.

VNDE Dionysius papa. Diony.epist.2. ad Seneru episc.

Infames & heretici homines bona fama accusare non possunt. 23

ALieni erroris socium, vel à sui voluntarie propositi tramite recedentem, aut sacris patrum regulis & constitutionibus non obedientem suscipere non possumus, nec debemus, nec impetere rectè credentes, vel sanctorum patrum sanctionibus obtemperantes permittimus: quia infames omnes esse censemus qui suam fidem aut Christianam legem præuaricãtur, aut apostolicam aut regularem libenter postponunt auctoritatem. ITEM ex concilio Toletano .iiij. Cap.63.

Chri-

Christianos accusare vel in eos testificari non possunt qui fidem acceptam deseruerunt. 24

NOn potest erga homines esse fidelis, qui deo extiterit infidelis. Iudæi ergo qui dudum Christiani effecti sunt, & in Christi fide præuaricati sunt, ad testimonium dicendũ admitti non debent, quãuis se esse Christianos annuncient: quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita in testimonio humano dubij habentur. Infirmari oportet eorum testimoniũ, qui in fide falsi docentur: nec eis est credendum qui veritatis à se fidem abiecerunt. ITEM Caius papa Felici chorepiscopo.

Caius pa. Felici episcopo.

Hæretici, Iudæi, vel Pagani Christianos accusare non possunt. 25

PAgani vel hæretici siue Iudæi non possunt Christianos accusare, aut vocem infamationis eius inferre. In hoc cap. decernitur vt hæretici non impetant rectè credentes. vnde econtra intelligitur quod hæretici ab hæreticis impeti possunt. Item à tramite sui propositi voluntariè recedentes non possunt impetere seruantes limitem suæ professionis.

GRATIAN.

"Ex hoc datur intelligi quod recedentes à suo proposito, similiter recedentes criminari possunt. Item non obedientes sanctionibus sanctorum patrum non possunt accusare obtẽperantes sacris constitutionibus. In quo similiter intelligitur quòd inobedientibus inobedientes accusare licet. Vnde generaliter colligitur quòd in accusatione æqualitas fidei & conuersationis inter accusantem & accusatum semper consideranda est: vt is qui accusat, vel par vel superior inueniatur. "ITEM Nouellarum constitutionum.

Iuo. Carn. li. 5. refert de causis & nego. laicorũ.

Hæreticus hæreticum accusare & contra eum testificari potest. 26

SI hæreticus contra hæreticum litiget: cuique eorum hæreticum testem adducere licet. Sin autem orthodoxus contra hæreticum litiget: pro orthodoxo quidem hæretici testimonium valeat, cõtra orthodoxum autem solius orthodoxi testimonium valeat. Item Orthodoxis autem litigantibus ad testimonium nulli hæretico pateat aditus.

GRATIAN.

"Sed quæritur si flagitiosissimus catholicus possit conuenire hæreticum de alio crimine quàm de hæresi? Huic quæstioni ita respondetur: in quo hæreticus inferior est, videlicet in regula fidei: in eo à malo catholico accusari potest. In quo autem superior fuerit, videlicet in conuersatione vitæ: in eo à flagitiosissimo conueniri non potest. Item quòd dicitur, pastores pro suis actibus magis sunt tolerandi quàm corrigendi, dupliciter intelligitur, vel quia à criminosis tolerandi sunt, & non corrigendi. vnde ibi subinfertur: quia sæpe pro meritis subditorum deprauatur vita rectorum. Quorum ergo merito (deo permittente) vita rectorum deprauatur, ab eis potius sunt tolerandi quàm corrigendi, vel quia sunt quidã qui

sæpe

ſæpe deſeruntur à publicis documentis, & crimen quod intendunt, probare non valent. De quibus in homilia de pœnitentia Auguſtinus ait. Hom. 50.

Quæ publicis documentis probari non poſſunt, toleranda ſunt. 27

PLerunque* boni viri propterea ſufferunt aliorum peccata, & taceant, quia ſæpe deſeruntur à publicis documẽtis quibus ea quæ ipſi ſciunt, iudicibus probare non poſſunt. * al. plerique.

„ De his etiam illud Anacleti intelligitur. Sententia Cham 4. pars.
„ filij Noe damnantur, qui ſuorum doctorum vel prępoſitorũ GRATIA.
„ culpam produnt, ceu Cham, qui patris pudenda non operuit, Gene. 9. d.
„ ſed ridenda monſtrauit. Hac enim auctoritate ſubditi non
„ prohibentur ab accuſatione, ſed à proditione. Aliud eſt enim
„ prodere, aliud accuſare. Prodit qui non probanda defert: ac-
„ cuſat qui reo præſente crimen iudici offert probaturus quod
„ intendit. Cham ſolus vidit pudenda patris, & ideo per eum
„ intelliguntur qui cùm ſoli ſunt conſcij criminum ſuorum
„ prælatorum, atque ideo accuſare non poſſunt: vitam tamen
„ eorum infamando alijs ridendam offerunt.
„ Item obiicitur quòd ſubditi etiam religioſi prælatos ſuos
„ accuſare non poſſunt. Legitur enim in Exodo, quòd Ma- Exod. 15. c.
„ ria ſoror Aaron quæ prima poſt tranſitum maris rubri ſum- Num. 12. a
„ pto tympano hymnum cantare meruit, poſtea murmurans
„ in Moyſen, eo quòd Aethiopiſſam duxerat in vxorem, à
„ domino lepra percuſſa eſt. Item in libro Regum legitur, 1. Regum 24. a.
„ quòd cum Dauid fugeret à facie Saul, latuit in ſpelunca, in
„ qua cùm Saul diuertiſſet ad purgandum ventrem, Dauid
„ præſcidit oram chlamidis eius, quod ſe feciſſe poſtea graui-
„ ter doluit, & vehementer pœnituit. Saul à domino erat repro-
„ batus: & ex inuidia Dauid perſequebatur, vt eum morti tra-
„ deret. Dauid erat vir humilis & mitis, Saule à domino ſubſti-
„ tutus, per Samuelem vnctus in regem: ſed tamen quia præci- 2. Re. 18. et 19
„ dit oram chlamydis Saulis, grauiter fleuit: cùm à Saule ſola 1. Regum. 24
„ adminiſtratione vnctionis ſepararetur. Vnde datur intelligi
„ quòd ſubditi quamuis religioſi ſint, prælatos ſuos criminoſos
„ accuſare non poſſunt. Nam per Saulem qui ventrem purga-
„ bat, prælati intelliguntur: qui malitiam corde conceptam, in
„ opus producunt. Item legitur in libro Regum, quòd cùm 2. Regum. 6. a
„ arca domini reduceretur de Gabaa in Hieruſalem, à bobus
„ recalcitrantibus arca inclinata eſt, cui dum Oza leuita manum
„ adhiberet vt eam redigeret, à domino percuſſus interijt. Per
„ arcam prælati intelliguntur: per Ozam ſubditi: per inclina-
„ tionem arcæ caſus intelliguntur prælatorum: per illum qui
„ manum adhibuit, intelliguntur reprehendẽtes vel accuſantes
„ vitam doctorum, qui à domino percuſſi intereunt. His ita re-
„ ſpondetur, verũ eſt per arcã ſignificari prælatos, & per Ozam
ſubditos.

subditos. Illud verò falsum est quod per inclinationem arcæ, " casus significetur prælatorũ. Aliud est enim inclinari vel de- " scendere, aliud cadere. Legitur enim quòd saluator noster se " inclinauerit, sicut quando digito scribebat in terra, & de mõ- " *Ioan.8.a* tibus frequenter descenderit, in quos ascendebat, vt vel per- " noctaret in oratione, vel vt discipulos in monte altiora doce- " ret præcepta: vel vt turbas fugiens, ex altitudine montis eas " respicere, & liberè posset docere. Inclinatio vel descensio hu- " militatem significat, qui spirituales nonnunquam carnalibus " condescendunt, vt eorum infirmitati compatiantur, iuxta il- " *2.Cor.11.g.* lud Apostoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Hos e- " *Gen.28.c* tiam significauerunt angeli quos Iacob vidit in scala descen- " *Psal.17.* dentes. De his per Prophetã dicitur: Inclinauit cælos & des- " cendit. Per arcam ergo inclinatam intelliguntur prælati, qui " subditorum culpam misericorditer portant: & eorum infirmi " tati humiliter compatiuntur. Vnde bene dicitur quòd bobus " recalcitrantibus arca inclinata est. Boues quippe recalcitran- " tes, subditos significant suis doctoribus non obedientes, qui- " bus dum prælati compatiuntur, quasi bobus recalcitrantibus " arca inclinatur. Leuita qui manũ adhibuit, significat illos qui " misericordiæ compassionem in prælatis suis reprehendunt: " eosq; in seueritatis amaritudinem erigere volunt. Vnde be- " ne leuita iste Oza dicitur. Oza quippe robustus dicitur. Illi " enim robusti dicuntur, qui cùm de sua iustitia præsumunt, mi- " sericordiam peccantibus negandum putant, & impendẽtes re- " prehendunt. Vnde à domino percussi intereunt: quia iudiciũ " sine misericordia erit illis qui nolunt facere misericordiã de- " *Iaco.2.d* linquentibus. Cui per Salomonem dicitur: Noli esse nimis " *Eccl.7.c* iustus: quia est nimis iust⁹, qui perit in iustitia sua. Sic & Moy " si illud intelligitur. Per Moysen enim prælati intelliguntur: " per Aethiopissam vxorem peccatores intelliguntur. Moyses " Aethiopissam vxorem ducit, cùm quilibet prædicator pecca- " torem sibi copulat, vt ex eo sobolem bonorum operum deo " gignere valeat. hanc copulam dum Maria, id est, subditi repre " hẽdunt, lepra peccati inficiũtur. vel per Mariam synagoga in- " telligitur, quæ in Moysen, id est, in Christũ murmurauit: quia " Aethiopissam, id est, ecclesiã de gentibus sibi copulauit, quos " lepra perfidię & erroris sordidos fecit. Nõ ergo his auctorita- " tibus subditi prohibentur ab accusatione suorum prælatorũ, " sed monentur ne reprehẽdant misericordem compassionem " eorum. Itẽ per Saulem prælati intelligũtur, & per Dauid sub- " diti. Saul purgãs ventrẽ eos significat, qui malitiam corde cõ " ceptam, foras in opus producũt. Sed in præcisione chlamydis " non significatur nisi reprehensio peccati. per chlamydẽ enim " *✱ regni.* regis✱ potestas intelligitur. Hãc pręcidit qui prælatum sentẽ- "

tia

cta damnationis ferit: quod nulli subditorum licet. facta enim pastoris, oris gladio, id est, sententia damnationis à subditis ferienda non sunt. Hinc est quod Hieronymus ait super Marcum, de pontifice qui scidit vestimenta sua. Scissio vestis scissionem significat sacerdotij: quod in proximo erat scindendũ, & auferendum Iudæis. Vel per Dauid significantur qui nequitiam suorum prælatorum videntes, maiora eorum peccata contemnunt, minima verò & leuia quasi extremam orã chlamydis præcidentes reprehendere & lacerare satagunt. Vel quia Saul solus diuertit in speluncam in qua Dauid solus latebat. Item super hoc potest intelligi quod de Cham dictum est: qui solus vidit pudenda patris, quæ non cooperuit, sed ridenda mõstrauit. Hac itaque auctoritate non inhibetur subditis accusare prælatos si accusabiles fuerint. Item probatur quòd subditi prælatos suos accusare non possunt etiam si religiosi fuerint. Infames enim sunt eo ipso quòd suorum doctorum vitam reprehendere conantur. Infames enim fiunt (vt canonum tradit auctoritas) omnes qui in patres armantur, & qui doctorũ suorum vitam reprehendunt vel accusant. Nullus autem infamis in accusatione prælatorum est audiendus: nisi fortè à fide exorbitauerit: vt suprà dictum est. Cùm ergo subditi eo ipso quòd in accusationem prælatorum prosiliunt, infames efficiũtur: infamibus autem copia accusandi denegatur: patet quòd subditi prælatos suos accusare non possunt. *Genes.9.d*

His ita respondetur: non omnes prælati pro prælatis habentur. nomen enim non facit episcopum, sed vita.

VNDE Gregorius Ianuario episcopo scribit. *Epist.1.lib.7.*

Quem ætas non vita seniorum facit, grauiter est increpandus. 28

PAulus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc est obseruanda, cùm culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos. & rursus: Maledictus puer centum annorum. *1.Tim.5.a* *Esa.42.d* *Esa.65.d*

ITEM Hieronymus ad Herliodorum. *De laude vitæ solitariæ, to.1.*

Dignitas non facit episcopum, sed vita. 29

NOn omnes episcopi sunt episcopi. attendis Petrum, sed & Iudam considera. Stephanum suscipis, sed Nicolaũ respice. Non facit ecclesiastica dignitas christianum. Cornelius cẽturio adhuc ethnicus dono sancti spiritus mundatur. presbyteros Daniel puer iudicat. Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium. Infatuatum sal ad nihilum prodest, nisi vt proiiciatur foras, & à porcis conculcetur. VNDE August. homil. 7. *Act.10.* *Dan.13.e* *Ibidem paulo inferius.* *Luc.14.g*

» Quibus ergo Hieronymus, Augustinus, Gregorius auferũt nomen columbæ, episcopi, senioris: nónne & priuilegium est auferendum dignitatis, vt possint à subditis reprehendi? Vnde scriptura dissimulans priuilegium prauæ senectutis, ait: Maledictus non senior, sed puer centum annorum. Apparet ergo quòd hi ex accusatione prælatorum infames fiunt, qui eorum vitam reprehendere & lacerare conantur, qui locum sui regiminis non nomine tantum, sed vita & moribus tenent. Alij autem potius laudabiles fiunt ex accusatione prælatorum suorum quàm infames. Item quod dicitur, maiorum quispiã minorum accusationibus non impetatur: minores intelligendi sunt non dignitate, sed vita. GRATIAN. *Esa. 65. d*

VNDE Hieronymus ait de Paulo super epist. ad Galat. *Hieron. ad cap. 2. epist. ad Gal.*

Maiores & minores non dignitate, sed vita intelligi oportet. 33

PAulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.

» Hoc non de officio ecclesiasticæ dignitatis, sed de puritate vitæ, & sanctitate conuersationis intelligitur. Solus enim Petrus inter apostolos primatum gerebat. GRAT.

Hinc Augustinus ait ad Hieronymum.

Non episcopi nomen, sed vita maiorem facit. 34

QVanquam secundum vocabula quæ vsus obtinuit, episcopatus sit presbyterio maior: Augustinus tamen Hieronymo minor est. IDEM lib. ij. de vnico baptismo. *Aug. cap. 1. lib. 2. de baptismo cõtra Donatist.*

Episcopi licet pares sint meritis, gradu tamen differunt dignitatis. 35

PVto quòd sine vlla sui contumelia Cyprianus episcopus Petro Apostolo comparatur quantũ attinet ad martyrij coronam. cæterùm magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illũ apostolatus principatũ cuilibet episcopatui praferẽdum? Sed etsi distat cathedrarum gratia: vna tamẽ est martyrũ gloria. Item cùm Petrus à Paulo posteriore corrigatur, & pacis atq; vnitatis vinculo custodito ad martyriũ promouetur: quãto facilius & fortius quod per vniuersæ ecclesiæ statuta firmatum est: vel vnius episcopi auctoritati, vel vnius prouinciæ concilio præferendũ est? IDEM. *Ibidem paulo inferius.*

Non in honore sed in veritate filius æquatur vel preponitur patri. 36

QVeritur pater de malo filio, queritur filius de duro patre: seruamus honorificentiam patri, quæ debetur à filio: Non æquamus filium patri in honore: sed prçponimus filium patri in veritate: & sic tribuimus honorem debitum, vt non perdat æquitas meritum. ITEM Ambrosius*. *Amb. serm. 66. de natali Petri & Pauli.*

Aequales fuerunt meritis (licet gradu differẽtes) Petrus & Paulus. 37

BEati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos apostolos & speciali quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipsos quis cui prçponatur, incertũ est. Puto enim illos æquales esse

*In manuscri. quodam decretorum libro citatur hoc caput ex sermone s. Maximi episc.

esse meritis, qui æquales sunt passione: & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putamus quòd vna die passi sunt, vno loco, sub vno persecutore. Vna die, vt ad Christum pariter peruenirent. In vno loco, ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrosque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria: persecutor decretus est pro virtute. Et in quo loco iidem tandem martyriū pertulerunt in vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum: scilicet vt vbi erat caput stuperstitionis, illic caput quiesceret sanctitatis, vt vbi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morerentur.

GRAT. 5. pars. Item pœnitentes, digami, sacerdotes accusare non possunt. " Vnde generaliter colligitur quòd quicunque sacerdotes non " sunt, vel esse sacerdotes non possunt, in sacerdotes accusatio- " nem vel testificationem proferre non possunt. "

Fab. pap. epist. 2. ad episcopos Orient. VNDE Fabianus ait.

Qui sacerdotes esse non possunt, sacerdotes accusare non valent. 38

IPsi apostoli & eorum successores statuerunt vt sacerdotes domini non accusent, nec in eos testificentur, qui sui ordinis nec sunt, nec esse possunt. ITEM Damasus papa.

Epist. 3. ad Stephanū archiep. *Sacerdotes accusare vel in eos testificari non valent qui ad sacerdotium prohibentur eligi.* 39

TEstes absque vlla infamia aut suspicione vel manifesta macula, & veræ fidei plenitudine instructi esse debent, & tales quales ad sacerdotium eligi diuina iubet auctoritas. Quoniā (vt antiquorum tradit auctoritas) sacerdotes criminari non possunt, neque in eos testificari, qui ad eundem non debent, nec possunt prouehi honorem.

GRAT. *In principio huius quæstionis.* Sic & illud Syluestri intelligitur, Laicus non accuset cleri- " cum, &c. id est, qui in inferiori gradu constituti, ad superiorem " ascendere non possunt: in superioribus agentes accusare non " debent. Ecce ostensum est quid respondeatur auctoritatibus " & argumentis, quibus subditi ab accusatione prælatorum vi- " debantur repellendi. Nunc demonstrandū est quibus rationi- " bus probentur recipiendi: & quid cōtrà respondeatur à præla- " tis. Christus qui erat pastor pastorum, ouibus suis, de quibus " ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierūt domus Israel, " (*Matt. 15.*) &c. inter opprobria & verbera quæ ab eis patiebatur, ait: Si " (*Ioan. 18.*) malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, &c. Item, " (*Ioan. 8.*) quis ex vobis arguet me de peccato? At quicunque ad testifi- " candum in aliquem, vel ad arguendum admittuntur: ad eun- " dem accusandum admitti possunt. Cùm ergo oues, vt aduer- " sus pastorem suum testimonium ferant, & vt ipsum (si pos- " sunt) reprehendant admittantur, patet quòd subditi possunt " accusare

accuſare prælatos ſuos. His ita reſpondetur: Chriſtus quamuis eſſet paſtor ſuarum ouium quas verbo & exemplo paſcebat, tamen quantum ad officiorum diſtributionem (ex qua hodie in eccleſia alij præſunt aliis: vnde quidam prælati, quidam ſubditi vocantur) in populo ſuo paſtorale officiũ non gerebat. myſtica enim & viſibili vnctione, nec in regem, nec in ſacerdotem vnctus erat: quæ ſolæ perſonæ in populo illo prælaturæ nomen ſibi vendicabant. Non ergo ex hac auctoritate ſubditi probantur admittendi in accuſatione prælatorum: ſed tantum oſtenditur quòd auditores eos reprehendere poſſunt, & in eos teſtificari, qui cùm officia eccleſiaſtica non habeãt, verbo tamen & exemplo quoſcunque valent lucrari deo ſatagũt. Reſpondetur & aliter. Aliud eſt quod de rigore cogimur ſeruare diſciplinæ: aliud quod admittitur ex perfectionis conſideratione. Chriſtus Iudæos ad ſe arguendum admiſit perfectione humilitatis: non ſeueritate iuris. Si enim legis rigore eſſent admiſſi: hac auctoritate criminoſi & infames in accuſatione religioſorum eſſent recipiendi: cùm eſſent ſceleratiſſimi, qui de nece Chriſti tractantes, innocentem damnare volebant. hoc ergo exemplo prælati non coguntur recipere ſubditos in accuſatione ſui: ſed permittuntur ſi velint. Item Paulus Petrum reprehendit, qui princeps apoſtolorum erat. Vnde datur intelligi quòd ſubditi poſſunt reprehendere prælatos ſuos ſi reprehenſibiles fuerint. Sed hoc facile refellitur ſi vnde ſit reprehendendus aduertatur. Petrus cogebat gentes Iudaizare, & à veritate euangelij recedere, cum Iudæis gregem faciens, & à cibis gentilium latenter ſe ſubtrahens. Par autem eſt in ſe à fide exorbitare, & alios exemplo vel verbo à fide deiicere. ergo hoc exemplo non probantur prælati accuſandi à ſubditis, niſi fortè à fide exorbitauerint vel alios exorbitare coegerint. Item. Cùm Petrus intraſſet ad Cornelium, conqueſti fratres ſunt qui erant in Iudæa, & reprehenderunt eum, quòd ad gentilẽ diuertiſſet. Ecce quòd prælati iure poſſunt reprehendi à ſubditis. Sed huic oppoſitioni beatus Gregorius reſpondet dicens.

Galat. 2. c

Epiſt. 39. li. 9. Theotiſtæ patriciæ.

Petrus à fidelibus interrogatus cur ad gentes intraſſet, non ex poteſtate reſpondit, ſed humiliter rationem reddidit. 40

PEtrus poteſtatem regni acceperat: & tamen idem apoſtolorum primus querimoniæ contra eum à fidelibus factæ cur ad gentes intraſſet, non ex poteſtate officij (qua poſſet dicere: Oues paſtorem ſuum non accuſent nec reprehendant) ſed ex auctoritate diuinæ virtutis, qua gentiles acceperant ſpiritum ſanctum, reſpondit.

Matth. 16. c

GRATIA.

„ Cùm ergo Petrus potuit ex officio repellere querelas, ſed
„ noluit: non ergo hoc exemplo prælati coguntur ſuſcipere reprehen-

prehensionem subditorum. Ex hac etiam humilitatis dispensatione intelligitur illud Leonis quarti Lodouico Augusto dictum.

Imperiali iudicio apostolicus se emendare permittit, si quid erga subditos iniustè commiserit. 41

NOs si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus: vestro ac missorũ vestrorum cuncta volumus emendare iudicio: quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus: certè non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri. inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, vt tales ad hæc quæ diximus perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui deum per omnia timeant: & cuncta (quemadmodũ si vestra præsens fuisset imperialis gloria) diligenter exquirant. & non tantum hæc sola quæ superius diximus, quærimus vt examussim exagitent: sed siue minora, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negocia: ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit quod ex eis indiscussum vel indiffinitum remaneat.

GRATIA. 6. pars. Numer. 22.c Item. Cùm Balaam ariolus iret ad maledicendum populũ, angelus domini asinæ cui insidebat, in via se opposuit: euaginatoq; gladio eam ab itinere compescuit: quam dum ille verberibus affligeret, in vocem prorupit: & prophetæ vesaniam redarguit. Si ergo animal mutum angelica virtute prophetæ insipientiam reprehendit: multo magis subditi possunt accusare prælatos suos. His ita respondetur. verum est quòd per asinam subditi significantur, & per Balaam prælati: non tamen hoc exemplo probantur prælati accusandi à subditis: sed subditis tantum forma datur humiliter renitendi prælatis, si fortè eos ad malum cogere voluerint. Balaã nanq; asinam vrgẽs, vt ad maledicendum populo dei eũ veheret: significat eos qui verberibus & cruciatibus à subditis exigũt, vt eis in malo fautores & coadiutores existant. sed quia angelus, quilibet videlicet prædicator euaginato gladio, apertè scilicet prædicato timore & horrore futuræ vindictæ, à consensu alienæ malitiæ illos reuocat: licet eis in huiusmodi vocẽ cõquestionis prorũpere, & prælatis suis dicere: Cur nos verberibus affligitis? cur nobis iniustè irascimini? nũquid vobis inobediẽtes aliquando fuimus, nisi nũc cũ ad malũ cogimur? videte illũ qui prohibet ab incepto. Nõ ergo hinc prælati probãtur accusandi à subditis.
2. Reg. 12.a Item. Cùm Dauid adulterium & homicidium commisisset: missus est à deo Nathã propheta vt eum redargueret. Ecce quòd prælati sunt arguendi & reprehendendi à subditis. Sed notandum est quòd duæ sunt personæ, quibus mũdus iste regitur;

gitur:regalis videlicet,& sacerdotalis. Sicut reges præsunt in causis sæculi:ita sacerdotes in causis dei. Regum est corporalem irrogare pœnam: sacerdotũ spiritualem inferre vindictã. 2.Reg.6.d
Dauid ergo etsi ex regali vnctione sacerdotibus & prophetis præerat in causis sæculi, tamen suberat eis in causa dei. Vnde reges à prophetis & à sacerdotibus vngebantur, & eorum oblatione peccata regũ expiabantur. Sicut ergo Ozias à domino lepra percussus est,quia sacerdotum officia vsurpare voluit: 2.Paral. 26.
sic sacerdotibus & prophetis regum vsurpare officia nõ licuit. Nathan ergo propheta cùm regẽ redarguit,suum est executus officium, in quo erat rege superior: non vsurpauit regis officium,in quo erat rege inferior. monuit eum vt per pœnitentiam peccata sua expiaret: non tulit in eum sententiam, qua tanquam adulter & homicida morti addiceretur. Sic & beatus Ambrosius Theodosium,& beatus Innocentius imperatorem Arcadiũ excommunicauit, & ab ecclesiæ ingressu prohibuit.

Sicut enim non sine ratione iudex gladium portat: ita non sine causa claues ecclesiæ sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum,laudem verò bonorum: isti habent claues ad exclusionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitẽtium. Hoc ergo exemplo subditi probantur reprehendendi à prælatis,non prælati à subditis. Item.

Daniel nulla legitima potestate functus iudices à populo constitutos de falso testimonio conuicit:& conuictos damnauit. Dan. 13.e
Constat ergo quòd nullam potestatem habentes possunt redarguere dignitatibus vel potestatibus sublimatos. His ita respondetur: miracula(& maximè veteris testamenti)sunt admiranda,non in exemplum nostræ actionis trahenda. Multa enim concedebantur tunc,quæ nunc penitus prohibẽtur. Tũc 1.Reg.15.e
enim Samuel Agag pinguissimũ regem Amalech in frusta diuidendo conscidit:nunc nulli ecclesiasticorum iudicum iudicium sanguinis agitare licet. Tunc Phinees Iudæum coeũtem Num.25.e
cum Madianita interfecit:& reputatum est ei ad iustitiam:hodie sacerdotibus huiusmodi actus in perniciem sui officij verteretur. Exemplo ergo Danielis non solũ accusandi vel redarguendi, sed etiam iudicandi potestatem subditi sibi in prælatos vendicarent, si illud in argumentum nostræ actionis liceret assumi,quod nulla vnquã auctoritate permittitur. Magis ergo ex hoc facto datur intelligi,quòd in nouissimis temporibus suscitaret deus spiritum pueri iunioris, illius videlicet de quo per prophetam dicitur: Puer natus est nobis & iterum: Ec Esa.9.a
ce puer meus qui iudices iniquitatis, scribas scilicet & Phari- Ibidem 42.a
sæos falsis criminibus Susannam, id est ecclesiã accusantes,& reã adulterij pronunciantes, eo quòd Christũ sequeretur: conuinceret & condemnaret. Item Hieroymus refert in libris 4-

rorum illustrium, quòd Damasus papa à subditis de adulterio accusatus, cum xlij. episcopis se purgauit. Item Symmachus papa in Romana synodo dignitate sua expoliatus, prius statui suo reddi decernitur, vt tunc veniret ad causam: & si ita rectè videretur accusantium propositionibus responderet. digna res visa est maximo numero sacerdotum, atque meretur effectú: & cùm postmodum ordinaretur quomodo esset accusandus: præfatus papa vt causam diceret occurrebat: sed ab æmulis est impeditus. ITEM Greg. ait de seipso.

Redarguendi se, licentiam beatus Gregorius alijs præstat. 41

SI quis super his nos redarguere voluerit, vel extra auctoritatem nos facere cōtenderit: veniat ad sedem apostolicam, vt ibi ante confessionem beati Petri mecum iustè decertet: quatenus ibi vnus ex nobis sententiam suscipiat suam.

GRATIA. Ex his omnibus colligitur quòd subditi possunt reprehendere & accusare prælatos suos. Sed sicut de Christo dictum est, quando Iudæis dixit: Si malè locutus sum, &c. ita de istis intelligendum est quòd suo exemplo prælatis dederunt facultatem recipiendi subditos in accusationem sui, sed non coegerunt. ITEM.

Ioan. 18. d

De eodem. 43

PAulus Deaclinæ ciuitatis episcopus accusatur à subditis de lapsu carnis: conuincitur: deponitur: alius loco eius substituitur.

GRAT. Hoc an ex dispensatiōe accusati, an ex rigore iuris sit factū, ex regesto Gregorij ad Ioannem episcopum cap. ccxvj. potest perpendi, vbi ait.

Greg. epist. 35. lib. 10.

Paulus Deaclinæ ciuitatis episcopus subditorum accusatione conuictus deponitur. 44

LAtor Nemesion ad nos veniens indicauit, quòd Paulus Deaclinæ ciuitatis episcopus inter alia mala in corporali crimine lapsus à suis clericis accusatus atque conuictus, episcopali sententia depositus est: posteà cum auxilio sæcularium veniens episcopatum more prædonis ingressus est: ablatisque rebus ecclesiæ dilectissimum Nemesion latorem præsentium sibi substitutum ab eo episcopatu proiecit, & ad summam iniuriam ac necem pene perduxit. Fraternitas itaque vestra hæc omnia curet addiscere: & quæcunque ecclesiæ abstulit, omni mora vel excusatione cessante reddere compellat. Si verò nihil ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse, quanuis graue & iniquum fuerit vt non à vobis vel metropolitano eius hoc petierit, sed temerario ausu agere præsumpserit: veruntamen si quid proprium tulit, sub fraternitatis vestræ debet examine constare si verum est. Sed & illud diligenter quærendum est, si quid malè de rebus dilapidauit ecclesiæ, vt ex eo quod nunc abstulit,

abstulit, illud reformare, ac satisfacere modis omnibus compellatur.

" Hoc edicto nō in accusatores vel depositores vlciscitur, sed in depositum vlterius prosequitur: vt si vltra ad episcopatum aspirare tentauerit, omnibus modis repellatur, & ad agendam pœnitentiam perennem in monasterium detrudatur. Quem ergo Gregorius ad episcopatum aspirantem: omnibus modis repellit, quem graui pœnitentiæ subiicit: patet non sua dispensatione, sed canonum censura à subditis esse accusatum & conuictum. Et vt iam non exemplis, sed legibus agamus: videndum est quid Grego. scribat Innocentio & reliquis episcopis Sardiniæ ita dicens. GRATIA.

Quòd subditi prælatos suos accusare possunt. 45

METropolitanum vestrum in aliquo postponere nō præsumatis: excepto si (quod non optamus) contra eundem vos aliquid causæ habere contingat, vt ob hoc sedis apostolicæ iudicium petere debeatis.

ITEM vniuersis episcopis concilij [a] Nicasij.

Vitam prælatorum subditi nulla dissimulatione negligant. 46

SIcut (inquit) laudabile discretūq; est reuerentiam & honorem exhibere prioribus: ita rectitudinis & dei timoris est siqua in eis sunt quæ indigent correctione, nulla dissimulatione postponere: ne totū (quod absit) corpus morbus inuadat, si languor nō fuerit curatus in capite. Quædā enim de primate vestro Clemētio ad nos perlata sunt, quæ quoniā ita grauia sunt, vt transire indiscussa nullo modo debeāt: fraternitatē vestram hortamur vt cum omni solicitudine ac viuacitate mentis indagare multis modis debeatis illata: & si sunt vt audita sunt, vltione canonica resecētur. Admonemus autē vt nō cuiusquam personæ gratia, non fauor, nō quodlibet blandimentū quemquam vestrū ab his quæ nunciata sunt nobis, molliat, vel à veritate excutiat: sed sacerdotaliter ad inuestigandam veritatem vos propter deum accingite. Nam si quis in hoc piger aut negligens esse præsumpserit, dictis criminibus apud deum se nouerit esse participem, cuius zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi facinoris causas non mouetur.

Greg. epist. siue cap. 37. lib. 10. episcopis concilij Vizachij.
[a] Vizachii manusc.

" Hæc si quis specialia, & ex his generalem regulam colligi non oportere contendit: audiat quid Gelasius c. xxvij. dicat omnibus clericis cuiuscunque ordinis ita scribens. GRATIAN.

Clerici excessus sui episcopi auribus deferant Romani pontificis. 47

QVapropter nec clericorum quisquam apostolicæ offensæ se confidat futurum immunem, si in his quæ salubriter sequenda apostolica deprompsit auctoritas, siue episcopum, siue presbyterum siue diaconum viderit excedentem, & nō protinus ad aures Romani pōtificis deferre curauerit: probationi-

Gelas. pap. 1. episcopus per Lucaniam & Brutiam cap. 30.

bationibus duntaxat competenter exhibitis: ita vt transgressionis vltio fiat cæteris interdictio delinquendi. sin verò: modis omnibus erit vnusquisque pontificum ordinis & honoris sui elisor, si cui clericorum vel auditui totius ecclesiæ hæc putauerit supprimenda. IDEM. 48

SI quid in ecclesia damni, aut in his quæ sunt præceptionis nostræ auctoritate prohibita, pontificem vestrum videritis admittere: mox nostris auribus relatione signate: vt quid fieri debeat, censeamus. ITEM ex conci. Chalce. ca. xx.

Clerici aut laici sine examinatione ad episcoporum accusationem non admittantur. 49

CLericos aut laicos passim accusantes, & sine probatione episcopos aut clericos ad accusationem non recipiendos decernimus: nisi prius discutiatur eorũ existimationis opinio.

Sixtus pa. 3. episcopis orientalibus. ITEM ex synodo Romana.

Qualibet persona episcopos aut alios accusans, monstranda documentis inferat. 50

SI quis episcopus aut diaconus aut quilibet clericus apud episcopos (quia alibi non oportet) à qualibet persona accusati fuerint: quicunque fuerit vir ille, siue sublimis honoris, siue alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, nouerit dicenda probationibus monstranda documentis se debere inferre. ITEM Damasus papa Stepha. archiepiscopo. Epist. 3.

Sacerdotes non accusent qui ad eundem ordinem prouehi non possunt. 51

SAcerdotes (vt antiqua tradit auctoritas, criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eundem non debent nec possunt prouehi honorem. ITEM Iginus papa. Episto. 1.

Nisi irreprehensibiles in maiorum accusatione non recipiantur. 52

CRiminationes maiorum natu per alios non fiant nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint se omni suspicione carere & inimicitia, & irreprehensibilem habere fidem, ac conuersationem ducere.

GRAT. Colligitur itaque ex his omnibus quòd subditi in accusatione prælatorum sunt admittendi. Nunc videndũ est an monachi in accusatione episcoporum sint audiendi. Hadrianus papa videtur eos ab accusatione remouere, ita dicens:

Stepha. papa. 1. epist. 2. omnibus episcopis.

Monachi sacerdotes accusare, vel in eos testificari non possunt. 53

PLacuit eorum accusandi sacerdotes, & testificãdi in eos vocem obstruere, quos non humanis* vocibus tantum, sed & diuinis mortuos esse scimus: quia funestam vocem potius interdici, quàm audire oportet.

*al. ab humanis vocibus, sed diuinis, &c.

GRATIA. Item in conc. Chalcedon. præcipitur vt ecclesiasticas actiones monachi attrectare nõ præsumant. ITEM Pelag. papa.

Pela. 2. episcopis Italiæ.

Monachi

Monachi in accusatione non sunt audiendi. 54

NVllus monachus talia vsquam arripiat: nec sæcularia aut ecclesiastica negocia perturbare præsumat: quia mortua est in talibus vox eorum.

" Sed aliud est quod ex præsumptione assumitur temeritatis: aliud quod ex necessitate geritur charitatis. monachi enim ex præsumptione episcopos accusare non possunt: ex charitate possunt. vnde & in canonibus præcipitur vt cubicularij episcopi sint vel religiosi clerici, vel electi monachi: vt de eius vita testimonium dicere possint. ITEM illud Eleutherij papæ omnibus generaliter dicitur. GRAT.

7. pars. Eleuthe. epi. ad Galliæ prouincias.

Consentire conuincitur qui cum possit, peruersis negligit obuiare. 55

NEgligere cum possis perturbare peruersos, nihil est aliud quam [a]fauere[a]. nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. ITEM Hiero. tam de se q̃ de aliis monachis in primo prologo[a] bibliæ scribit dicēs.

[a] fouere

Hieron. ad Paulinum.

a al. bibliothecæ.

Quantum ex vita merito quis ecclesiam ædificat, tantum nocet si destruentibus non resistat. 56

SAncta quippe rusticitas solum sibi prodest: & quantum ex vitæ merito ædificat ecclesiam Christi, tãtum nocet si destruentibus non resistat. ITEM Grego.

Ex Greg. admonitione. 5. tertiæ partis pastoralis

Subditi vitia prælatorum reprehendere studeant. 57

ADmonendi sunt subditi ne plus quàm expedit sint subiecti: ne cum student plus quàm necesse est hominibus subijci, compellantur vitia eorum venerari. IDEM generali synodo præsidens dixit.

Clerici siue electi monachi sint cubicularij episcopi. 58

Vide Antoninũ in parte 2. historialis speculi.

CVm pastoris vita in exemplum debeat esse discipulis: plerunq; clerici qualis in secreto sit vita sui pastoris, nesciũt: quã tamen sæculares pueri sciunt: de qua re præsenti decreto constituimus vt quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi in ministerio cubiculi pontificalis obsequantur: vt is qui in loco regiminis est, tales habeat testes qui veram eius in secreto conuersationem videant, & ex sedula visione exẽplum profectus sumant. IDEM Virgilio episcopo Arelatensi.

Epi. 49. lib. 9.

Prauos in sua societate episcopus habere non debet. 59

PEruenit ad nos, fratrẽ & coepiscopũ nostrũ Serenũ Massiliẽsem prauos homines in societate sua habere: ita denique vt presbyterum quendam qui post lapsum carnis in suis adhuc dicitur iniquitatibus volutari, familiarem habeat, quod à vobis subtiliter est requirẽdum. Et si ita constiterit: curæ vobis sit nostra eum sic vice corrigere, vt & qui talẽ recipit, non familiaritate fouere, sed discat se potius vltione comprimere: & qui receptus est, discat lachrymis peccata diluere, non iniquitatem immunditiis cumulare. ITEM Paschalis papa.

Viros boni testimonij semper episcopi secum habeant. 60

EPiscopi lectioni & orationi vacent: & semper secum presbyteros & diaconos aut alios boni testimonij clericos habeant: vt secundum apostolum & sanctorum patrum instituta possint irreprehensibiles inueniri.

GRATIAN. Luc. 3. a

" Item Ioannes baptista cum duceret eremiticam vitam, scribas & pharisæos, sacerdotes & leuitas Iudæorum ad se venientes aspera increpatione redarguit. "

Item ex canonibus diffinitur: Illi sacerdotes accusare possunt qui ad eundem gradum conscendere valent. Cum ergo monachi ad sacerdotij gradum laudabiliter pertingere valeant: patet quòd & ipsi sacerdotes libere accusare possunt.

QVAESTIO VIII.

ACCVSATIO AN DEBEAT FIERI IN SCRIPTIS.

Epi. 2. ad episcopos Galliæ.

DE accusatione verò qualiter fieri valeat, in canonibus aperte decernitur. Ait enim Calixtus papa.

Accusatio semper fiat in scriptis. 1

Titu. 19. le. 25.

ACcusatorum personæ nunquam recipiantur sine scripto: nec absente eo quem accusare voluerint, quibuslibet accusare permittatur. Codice lib. iiij. titu. de probationibus. 2

SCiant cuncti accusatores eam rẽ se debere inferre in publicam notionem, quæ munita sit testibus idoneis, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem idoneis, vel indubitatis & luce clarioribus expedita.

Epi. 2. episcopis Siciliæ.

ITEM Euticianus papa.

Accusatio semper debet fieri in scriptis. 3

QVisquis ille est qui crimen intendit, in iudicium veniat: nomen rei indicet: vinculum inscriptionis arripiat: custodiæ similitudinem (habita tamen dignitatis æstimatione) patiatur: nec impunitam sibi nouerit licentiam mentiendi: cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij. Qui vero ad sortilegos magosque concurrunt: nullatenus ad accusationem sunt admittendi.

Sixtus pa. 3. ad epis. Orientales cap. 4. Epist. 2.

ITEM Sixtus papa.

De eodem. 4

QVi crimen obiicit, scribat se probaturum: & qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur. SED Stephanus papa *certis episcopis* cõtra videtur scribere dicens.

De eodem. 5

Ex mag. Iuo. p. 5. & 6. fo. 148.

PEr scripta nullius accusatio *accusatoris* suscipiatur: sed propria voce (si legitima & condigna accusatoris persona fuerit) præsente videlicet eo quem accusare desiderat: quia nullus absens accusare potest, nec ab aliquo accusari.

Sed

" Sed Calixtus papa pręcepit vt accusator præsente eo quem accusat, in scriptis iudici accusationem offerat, & propria voce literas suæ accusationis legat. Stephanus autem prohibet ne absens aliquem per epistolam accusare audeat. Quæ vero sit forma accusationis, & quis modus concipiendorum libellorum, Paulus in digestis libro 1. de publicis iudiciis, titu. de accusationibus & inscriptionibus ostendit dicens. GRATIA. 2. pars. Dige. li. 48. ti. 2. de accusa. lege. 3.

Libellorum inscriptionis conceptio talis est. Cōsul & dies. Apud illum prætorem vel consulem Lucius Titius professus est se Mæuiam lege Lulia de adulteriis ream deferre, quòd dicat eam cum Caio Seio in ciuitate illa, in domo illius, in mense illo, consulibus illis commisisse adulterium. Vtique enim & locus designandus est in quo adulterium commissum est: & persona cum qua admissum dicitur: & mensis: hoc enim lege Lulia publicorum iudiciorum cauetur, & generaliter præcipitur omnibus qui aliquem reum deferunt. Neque autem diem neque horam inuitus comprehenderet. Quod si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint, rei nomē aboletur: & ex integro repetendi reum potestas fiet. Item subscribere debebit is qui dat libellū, se professum esse: vel alius pro eo, si literas nesciat. sed si aliud aliquod crimen obiiciat, veluti quòd domum suam præbuit vt stuprum materfamiliàs pateretur: quòd adulterum deprehensum dimiserit: quòd precium pro comperto stupro acceperit: & si quid simile: id ipsum in libello comprehendendum erit. Si accusator decesserit, aliáve causa eum impedierit quo minus accusare possit, & si quid simile est, nomen rei aboletur postulante reo. Idque & lege Iulia de vi & senatusconsulto cautum est: ita vt liceat alij ex integro repetere reum: sed intra quod tempus, videbimus. Et vtique. xxx. dies vtiles obseruādi sunt. Ibid. continuo.

CAVSA III.

" Quidam episcopus à propria sede deiectus est, petit restitui: post restitutionem inducitur in causam, inducias postulat: tandem ad eius accusationem procedit quidam non legitime coniunctus vxori: & duo infames & tres religiosi: accusatores testes de domo sua producunt: & alios sibi inimicos extra suam prouinciam: reus criminoso iudici offertur ab vno tantum audiendus & iudicandus. quidam de accusatoribus & testibus absentes per epistolam illum accusare, & in eum testificari contendunt. cum multa capitula ei obiicerentur: in primo accusatores deficiunt, demum accusatio in accusatorem vertitur.

Hic

1 Hic primo quæritur, an restitutio danda sit quibuslibet expoliatis. "
2 Secundo, de induciis an post restitutionẽ tantum, an etiam post vocationem ad causam quibuslibet concedendæ sint. "
3 Tertio, quo spatio mensium vtrique sint concedendæ. "
4 Quarto, an infames & non legitime coniuncti ad accusationem sint admittendi. "
5 Quinto, an testes de domo accusatorum sint producendi: vel inimicorum vox sit audienda. "
6 Sexto, an extra prouinciam reus sit producendus. "
7 Septimo, an sit audienda eius sententia, quem cum reo par inficit malitia. "
8 Octauo, an ab vno tantum episcopus sit audiendus vel iudicandus. "
9 Nono, an accusatores vel testes in absentem vocem accusationis vel testificationis exhibere valeant. "
10 Decimo, an deficientes in primo capitulo sint admittendi ad sequentia. "
11 Vndecimo, an accusato liceat accusationem in accusatorem vertere. "

QVAESTIO I.

AN RESTITVTIO DANDA SIT QVIBVSLIBET EXPOLIATIS.

GRATIA. *Ad Felicem episcopum scribens.*

QVòd restitutio quibuslibet danda sit, multis auctoritatibus probatur. AIT enim Gaius papa. "

Expoliatis vel eiectis omnia sunt redintegranda. 1

EPiscopis suis rebus expoliatis, vel à propriis sedibus eiectis, omnia quæ eis ablata sunt, legibus sunt redintegranda: quia priusquam hoc factum fuerit, nullum crimen eis obiici potest. ITEM Fabianus papa.

Epi. 2. episcopis Orientalibus.

De eodem. 2

EPiscopi si à propriis sedibus aut ecclesiis sine auctoritate Roma. pont. expulsi fuerint: antequam ad synodum vocentur, proprius locus & sua omnia eis redintegranda sunt. nulla enim ratio permittit dum ad tempus eorum bona vel ecclesiæ atque res ab æmulis aut à quibuscunque detinentur, vt aliquid illis obiici debeat: nec quicquam potest eis quilibet maiorum vel minorum obiicere, dum suis ecclesiis vel rebus vel potestatibus carent.

GRATIAN. Sed notandum est quòd restitutionis sententia sola non sufficit, nisi præsentialiter omnia iudicis officio restituantur, vt eiectus vel spoliatus etiam naturalem possessionem recipiat, siue animo suo, & corpore alieno, veluti per procuratorem, "

rem,

» rem, siue animo & corpore suo. cuncta quoque quæ sibi ab-
» lata sunt vel fuerant, quacunque conditione in eodem loco
» vnde surrepta fuerant, reuocanda sunt. VNDE Ioan. vr-
» bis Romæ episcopus scribit Zachariæ archiepiscopo. *Ioan. pa. epi. 1.*

De eodem. 3

REdintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis præsentialiter ordinatione pontificum, & in eo loco vnde abscesserant, funditus reuocanda, quacunque conditione temporis, aut captiuitate, aut dolo, aut violentia maiorum, & per quascunque iniustas causas res ecclesię vel proprias, id est, suas substantias perdidisse noscuntur. ITEM Eusebius aposto. sedis episcopus omnibus episcopis. *Epist. 2.*

De eodem. 4

REdintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis, &c. vsque, funditus reuocanda, eodem modo vt supra.
ITEM Alexander papa. *Alexāder epi. 2.*

Non est sacerdos, sed schismaticus, qui fratrum se subtrahit obsequiis. 5

NVlli dubium est quia boni à malis semper persequuntur & tribulantur: propter quod nos oportet humiliari sub potenti manu Dei, vt liberet nos in tempore tribulationis. Nam diabolus non cessat circumire quærens quem deuoret, *1. Pet. 5.* & quærere quos ex fidelibus perdat: & maximè illos quos ardentiores in seruitio saluatoris, eique familiares inuenerit. familiares dico eos quos sacrari, & in ordine apostolatus cōstitui Deus voluit. Ipsi enim pro populo interpellant, & populi *Osee. 4. b* peccata comedunt: quia suis precibus & oblationibus ea delent atque consumunt. & infra. Qui autem ex vestro fuerit collegio, & ab auxilio vestro se subtraxerit: magis schismaticus quàm sacerdos esse probabitur. Ecce (inquit propheta) *Psal. 132.* quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Illi verò non habitant in vnum, qui fratrum se solario subtrahunt, aut (quod deterius est) fratribus insidias aut laqueos ponunt, & infra. Dominum crucifigunt qui eum in sacerdoti- *Epist. 3. eiusdē.* bus suis prosequuntur: quia crux à cruciatu dicitur. Magnum verò cruciatum sustinet, qui vim patitur.

ITEM Fabianus papa. *Episto. 2. episcopis Orietalibus.*

Excommunicentur qui opprobrium & calumniam inferunt sacerdotibus. 6

DEus ergo, fratres, ad hoc præordinauit vos, & omnes qui summo sacerdotio fungũtur, vt iniustitias remoueatis, & præsumptiones abscindatis, & in sacerdotio laborantibus succurratis, opprobriis & calamitatibus eorum locũ nō præbeatis, sed ei qui calumniam vel opprobriũ patitur, adiutorium feratis. Illum verò qui calũniam vel opprobrium facit, abscindatis,

datis, & domino in suis sacerdotibus opem feratis.

GRATIAN.

PATET ergo quòd expoliati prius sunt præsentialiter restituendi antequã ad causam sint vocandi. Sed obijcitur. Vbi nõ fuit legitima institutio, ibi non potest esse restitutio. Non enim probatur destitutus qui prius non fuit institutus: ac per hoc nec restaurationem postulare potest. Illi ergo quorum electio vitiosa est, vel qui à clero non sunt electi, vel à populo expetiti, vel qui per simoniam irrepserunt, non sunt habendi inter episcopos: & ideo si à sedibus quas tenere videbantur, expulsi fuerint: non possunt restitutionem petere antequam vocentur ad causam. Vnde supra in tractatu ordinandorũ. Si quis pecunia vel gratia humana seu populari vel militari tumultu, &c. Sed hoc in eo, casu intelligitur, quãdo apostolica sedes per violentiam occupatur: quo casu iudex non inuenitur, cuius officio ille apostaticus possit excludi. In alijs autẽ locum non habet cùm violenta possessio nisi per iudicis sentẽtiam violento detentori detrahi nõ possit. Si autem verus dominus bello non continuato, sed renouato vi illum de possessione eiecerit: iudicis auctoritate prędoni possessionẽ restituet. Si ergo episcopi à sedibus quas quoquo modo tenere videbantur, non per iudicem sed violenter eiecti fuerint: post eiectionem restituendi sunt ante regularem ad synodum vocationem.

QVAESTIO. II.

AN INDVCIAE POST RESTITVTIONEM TANTVM, AN ETIAM POST VOCATIONEM AD CAVSAM QVIBVSLIBET CONCEDENDAE SINT.

GRATIA. Ioan. papa. 1. epist. 1. ad Zachariam archiepiscopum.

DE indicijs autem post restitutionem præstandis, & quo spatio temporis concedendæ sint, scribit Ioannes papa dicens.

Secundum tempus expoliationis conceduntur induciæ restitutionis. 1

QVanto tempore expoliati vel expulsi esse videbãtur antequam ad synodum conuocentur, sub eodẽ spatio tẽporis eis induciæ indulgeantur. ITEM Pelagius papa.

Pelag. 2. episcopis Italiæ.

Dum possessiones vel res episcopi detinentur, aliquid sibi obijci non potest. 2

CVm ecclesia alicuius episcopi, aut possessiones vel res ab eius æmulis vel à quibuscunque aliis non sua sponte detinentur: aliquid illi nõ debet aut potest à quoquam ante redintegrationem omnium suarum rerum obijci. Sed prius illi legibus redintegranda sunt omnia, & postea tempore à patribus præfinito negocia sunt ventilanda.

ITEM Stephanus papa Girardo Laodicen.

Ante

Ante litem contestatam violenter ablata restituuntur. 3

OPortet vt primum vos tam de inuasis ciuitatibus & monasteriis & mansis, quàm de reliquis generaliter rebus redinuestiri faciatis: quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos debemus opponere. ITEM Euaristus papa. Euaristus epi. 2

Deiiciantur à clero, & infames fiant, qui loca expulsorum adulterina fœditate inuaserunt.

AVdiuimus quosdam à vobis infamatos & dilaceratos episcopos à ciuitatibus propriis expulsos (quia alibi constitui episcopi nõ possunt, nisi in ciuitatibus non minimis) & alios ipsis viuentibus constitutos. Ideo hæc vobis scribimus, vt sciatis hoc fieri non licere: sed proprios reuocari, & integerrimè restitui debere. Illos verò qui adulterina fœditate suas spõsas (quas vxores eorũ præfixo tenore esse intelligimus) tenent: eiici, & adulteros atq; infames fieri, eosq́; ab ecclesiasticis honoribus arceri iubemus. Si autem aduersus eos aliquã querelã habueritis, his peractis inquirendum erit: & auctoritate huius sanctæ sedis terminandum. ITEM Gelasius papa.

Induciæ sex mensium eiectis vel expoliatis præstentur. 5

EIectis vel expoliatis post integram restitutionem anniuersariæ induciæ vel sex mensium indulgendæ sunt.

ITEM Eusebius. Euseb. pa. epi. 2

Post restitutionem induciæ præstandæ sunt. 6

PRius ergo oportet omnia legibus expoliatis redintegrari, & ecclesias quæ sibi sublatæ sunt, cũ omni priuilegio sibi restitui, & post modum non sub angusto tempore spatium eis indulgeatur, sed quantum expoliati vel expulsi videbãtur antequam ad synodum conuocentur. ITEM Felix papa. Felix 2. cap. 8. decreti.

De eodem. 7

TAmdiu in sede propria pacificè & potestatiuè cuncta acta disponens resideat, quandiu expulsus vel expoliatus suis caruere visus est rebus. IDEM. Felix pa. 1. epi. 2. ad episcopos Galliæ.

Ante restitutionem aliquis ad causam reuocari non debet. 8

SI episcopus suis fuerit aut ecclesiæ sibi commissę rebus expoliatus, aut (quod absit, quod alienum ab omnib⁹ esse debet fidelibus) à sede propria eiectus, aut etiã detētionę aliqua à suis ouibus fuerit sequestratus: tunc canonicè antè in pristinum statũ restituatur cum omni priuilegio sui honoris, & sua omnia quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, legibus redintegrentur. Non enim conuocari poterit vel præiudicari, nisi ipse pro sua necessitate minimè tamen iudicandus aduenire sponte elegerit. Nullatenus ergo à quoquam cogatur antequã integerrimè omnia quæ per suggestiones suorũ inimicorum amiserat, potestati eius ab honorabili cõcilio legali ordine redintegrentur. Præsul verò cũ omni honore sta-

tui pristino reddatur,& ipse dispositis ordinatisque liberè ac securè diu suis rebus tunc regulariter intra quatuor vel quinq; vel sex aut septem menses, iuxta quod possibilitas ei fuerit,& non ante conuocatus, ad tempus in legitimo concilio & canonico conueniat ad causam,& si ita iustè videtur, accusantiũ propositionibus respondeat.

2. pars. GRATIA.

Quòd si malè viuendo facultates ecclesiæ dispersit episcopus, ab eius patrimonio quousque de dilapidatione rerum ecclesiasticarum cognoscatur, submouendus est: exemplo tutorum vel curatorum, qui dum fuerint suspecti, à tutela vel curatione remouentur, donec de suspecto cognoscatur.

VNDE Pelagius papa Petro presbytero.

Ab administratione remoueantur, qui res ecclesiæ malè viuendo dispergunt. 9

QVia ea quæ de fraudibus Maximiliani presbyteri flebili ad aures nostras supplicum relatione venerunt, nõ facilè secundũ veritatem agnosci potuerunt, nisi facultas ecclesiæ quã in vsus suos malè conuertẽdo dispersit, ab eius potestate donec causa cognoscatur, seponatur: idcirco nos eũ & à supra dictæ ecclesię patrimonio volumus interim submouere,& in vestro discussionis ipsius tempore moderamine detineri.

QVAESTIO. III.

QVO SPATIO MENSIVM INDVCIAE VTRISQVE SINT CONCEDENDAE.

GRATIAN. Felix 2. cap. 8. decretis.

QVod verò post vocationem venienti ad iudiciũ inducię negandæ non sint. IDEM Felix papa testatur dicens.

Venienti ad iudicium induciæ non negentur. 1

CVm accusatus ad iudicium venerit, si voluerit induciæ ei petenti à patribus constitutæ absque impedimento concedantur,& iudices à se electi sibi tribuantur. ITEM ex epistola Felicis papæ ij. fratribus Aegyptiorum.

Idem ibidem. Cap. 10.

Quot mensium induciæ episcopis præstandæ sunt. 2

DE induciis verò episcoporum super quibus consuluistis, diuersas à patribus regulas constitutas inuenimus. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta,& suas præparãdas responsiones,& testes cõfirmandos,& cõcilia episcoporum atque amicorũ quærenda, annũ & sex mẽses, mandauerunt concedi, quidã autem annum: in quo plurimi cõcordant. minùs verò quàm sex menses non reperi: quia laicis hęc indulta sunt: quanto magis domini sacerdotibus: & infra. Induciæ verò non sub angusto tempore, sed sub longo temporis spacio concedendæ sunt: vt accusati se præparare possint, vt vniuersos communicatores in prouinciis positos conuenire,

& testes

& testes præparare, atque contra insidiatores se pleniter valeant armare. ITEM Eleutherius papa. *Eleuthe. ad prouincias Galliæ.*

De induciis præstandis. 4

INduciæ non modice dandæ sunt ad inquirēdum ne aliquid præpropere agi à quacunque parte videatur: quia per surreptionem multa proueniunt. ITEM Damasus. *Epist. 3. ad Stephanū archiepiscopum.*

Palea. 4

[INduciæ accusatis in criminalibus causis sex mensium, vel eo amplius (si necesse fuerit) concedendæ sunt.] *Inclusa desunt in vet. manus.*

„ Spatium verò dilationum, sicut in iij. lib. Codicis de dilationibus inuenitur, hac ratione moderandum est, vt si ex ea prouincia vbi lis agitur, vel instrumenta vel persona poscuntur: non amplius quàm tres menses indulgeantur. Si verò ex continentibus prouinciis, sex menses custodiri iustitiæ est. In transmarina autem dilatione nouem menses computari oportebit. Iudicantes autem hac ratione non sibi concessum intelligant dandæ dilationis arbitriū: sed eādem dilationē (si rerum vrgentissima ratio flagitauerit, & necessitas desideratæ instructionis exegerit) non facilè amplius quàm semel nec vlla trahendi arte sciant esse tribuendam. Ei autem dilatio penitus est denegenda, qui rescriptum ad extraordinarium iudicem deportauerit. Illi vero qui in iudicium vocatur, dāda est ad probanda precum mendacia, vel proferenda aliqua instrumenta vel testes: quoniam instructus esse non potuit, qui præter spem ad alienum iudicium trahitur. *GRATIAN. Lib. 3. Co. tit. 11. le. 1. 2. pars. Lege. 2. eiusdē.*

„ Cum verò ad appellationē siue consultationem à principe rescriptū fuerit: siue sit primo iudicio petita dilatio, nec tributa, siue nec petita quidē: eam dare cuiquam non licebit eadem ratione qua nec in iudiciis cognitionum imperialium dilatio tribui solet. A iudice procedente dilationem postulari non conuenit, etiam si vtraq; parte præsente tribuatur: cùm non alias nisi causa cognita indulgeri queat, & cognitio causæ nō interpellatiōe plenaria, sed cōsidente magis iudice legitimè colligatur: vt si fortè dilationis petitio improbata fuerit, suscepta quæstio per sententiā iudicis dirimatur. Constitutione vij. in col. viij. Libellum verò nō aliàs actor dirigat, nisi prius etiā in ipsum quem dicit obnoxiū, & in negocij executorem exponat cautionē se vel intra duos menses litem contestaturum, vel omne dānum ei qui conueniatur contingens restituturum in duplum. In col. vj. Offeratur ei qui vocatur in iudicium libellus, & exinde præbitis sportulis, data fideiussiōe xx. dierum gaudeat induciis: in quibus deliberet an cedat, an contendat: atque alium petat iudici sociari, vel eum recuset: nisi sit ille quem & ipse iam alio recusato petiit. Denique præsens interrogetur an hoc tēpus transierit: quod nō modo ip- *Leg. 5. eiusdem Cod. Le. 4. eiusdem.*

sius responsione, sed etiam libelli manifestetur subscriptione: quam in initio facere debet. litis verò contestatio contra hoc indultum habita, pro nihilo est. Constitutione vj. in col. viij.

Quod fieri non debet nisi actor satisdederit certam promittens quantitatem se daturum, si non exequatur, aut exequens non vincat causam. Si ergo post tẽpus præstitutum intra decem dies reo præsente non occurrat, dimittatur reus exacto eo quod promissum est, & si quid circa litem plus impendisse cũ taxatione iudicis iurauerit. Exceptio fori dilatoria est, atq; ideo in initio litis debet opponi & probari. perẽptorias autem exceptiones, vt sunt præscriptiones longi temporis: sufficit in initio litis contestari.

QVAESTIO IIII.

AN INFAMES ET NON LEGITIME CONIVNCTI AD ACCVSATIONEM SINT ADMITTENDI.

GRATIA.

QVòd verò infames & nõ legitimè cõiuncti ad accusationem admitti non debeant: & qui generaliter ab accusatione remouendi sint, multorum auctoritatibus claret. AIT enim Iginus papa.

Epist. 2.

Infames, eos qui sunt bona fama, accusare non possunt. 1

ALieni erroris societatem sectantem, vel à sui propositi tramite recedentem, aut apostolicæ sedis iussionibus inobedientem suscipere non possumus, nec impetere rectè credentes, vel sanctorum patrum iussionibus obtemperantes permittimus: quia inter fideles & infideles magna debet esse discretio. ITEM Anacletus papa in prima decretali.

Epi. 1. de oppressione episcoporũ.

Qui legem suam sponte transgreditur, ante suam reuersionem rectè agentes accusare non potest. 2

BEatus prædecessor noster Clemens vir apostolicus & spiritu Dei plenus, vnà cum reliquis sanctis collegis suis statuit dicẽs: Accusandi vel testificandi licẽtia denegetur his qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerint. Transgressores enim spontè legis suæ, eiusque violatores, apostatæ nominantur: omnis enim apostata refutãdus est [ante reuersionem suam] [a] nec in accusationẽ rectè agentium [aut testimonium] suscipiendus est. ITEM Pius papa.

Inclusa desunt in veteri.
a non

Epist. 1.

A suo proposito discedentes sunt infames. 3

SI quis à vero proposito retrorsum exorbitauerit, & iussa apostolicæ sedis libẽter trãsgressus fuerit, infamis efficitur. Reprobari ergo oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt. Fides autem & conuersatio primũ scrutanda est: & deinde qui irreprehensibiles apparuerint, sunt recipiendi, & non prius. ITEM Calixtus papa.

Epi. 2. ad episc. Galliæ.

Incestuosi

Incestuosi, & non legitimè coniuncti, sacerdotes & legitimè coniunctos accusare non possunt. 4

COnsanguineorum coniunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt: sed sunt repellendæ. Quisquis ergo non legitimè coniunctos, vel absque dotali titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus: sacerdotes vel legitimè coniunctos criminari, vel in eos testificari minimè potest: quoniã omnis incestus macula pollutus, infamis est: & accusare supradictos nõ permittitur. Non solum ergo hi sunt repellendi, & infames efficiuntur, sed etiã omnes eis consentientes. Similiter de raptoribus, vel eis qui seniores impetũt: fieri censemus. Hos enim leges seculi interficiunt: sed nos misericordia præeunte sub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. IDEM.

Idem calixtus in eadẽ paulo superius.

Qui non sunt recipiendi in accusatione. 5

COnspiratores in nullius accusatione sunt recipiendi: nec eorum vel anathematizatorum vox vllum nocere aut lędere potest. ITEM Stephanus papa.

Stephanus epistol. 2.

De eodem. 6

NVllus anathematizatorum suscipiatur: nec à quoquã credantur, quæ ab eis dicuntur vel conscribuntur. Eos dico anathematizatos esse quos episcopi suis scriptis anathematizauerunt, aut eorum statuta anathematizant.

ITEM Fabianus papa.

Fabia. epis. 1. ad eccle. ministros.

Anathematizati, fideles accusare non possunt. 7

OMnes quos sanctorũ patrũ statuta tã præteritis q̃ futuris tẽporibus anathematizant, submouemus: & ab omniũ fidelium accusatione alienamus. ITEM Stephanus papa.

Steph. 1. epi. 2.

Clericus qui episcopum accusauerit, infamis efficitur. 8

CLericus verò qui episcopum suum accusauerit, aut ei insidiator extiterit, non est recipiendus, quia infamis effectus est, & à gradu debet recedere, ac curiæ tradi seruiturus.

ITEM Alexander papa.

Epistol. 1.

Infames & exules fiant qui episcopos persequuntur. 9

HI qui episcopos suos persequuntur, & amouere nituntur iniustè contra apostolicam auctoritatẽ: etsi à morte prohibẽtur, dicẽte domino: Nolo mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat: perpetua tamẽ proculdubio notãtur infamia: & exilio digni iudicãtur finitimo: de quibus à tẽporibus apostolorũ & infrà tenemus atq; decreta habemus. Eorũ accusandi episcopos vel testificãdi vocẽ obstruimus, quos nõ humanis, sed diuinis actibus mortuos scimus. ITEM Zepherinus pa.

Ezech. 18. g

Epi. 1. ad episcopos Siciliæ.

Detractores, & inimicorum auctores, episcopos non accusent. 10

DEtractores, qui diuina auctoritate eradicandi sunt: & actores inimicorum ab episcopali submouemus accusatione vel testimonio. ITEM Euthycianus papa primus.

Epi. 2. ad episcopos Siciliæ.

Infamis vel sacrilegus religiosum Christianum accusare non potest. 11

NVlli vnquam infami aut sacrilego de quocunq; negocio liceat aduersus religiosum Christianum (quanuis humilis abiecta seruilisq; persona sit) testimoniū dicere: nec de qualibet ratione vel inscriptione Christianum impetere.

GRATIA. Notandum verò est quòd aliud sit excommunicatio, & aliud anathematizatio. VNDE Ioannes papa viij. scribit cuidam episcopo.

Aliud est excommunicatio, aliud anathematizatio. 12

ENgeltrudam vxorem Bosonis noueris non solum excommunicatione, quæ à fraterna societate separat: sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore (quod est ecclesia) recidit crebrò percussam esse.

GRAT. Vnde datur intelligi quòd anathematizati intelligēdi sunt non simpliciter à fraterna societate, sed etiam à corpore Christi (quod est ecclesia) omnino separati.

QVAESTIO V.

AN TESTES DE DOMO ACCVSATORVM SINT PRODVCENDI, ET INIMICORVM VOX SIT AVDIENDA.

GRATIAN. QVod verò testes de domo accusatorū producēdi non sunt, & quod vox inimicorū non sit audiēda: multorum auctoritatibus probatur. AIT enim Calixtus papa.

Epi. 2. ad episcopos Galliæ.

Consanguinei & familiares aduersus extraneos testimoniū non dicant. 1

COnsanguinei accusatoris aduersus extraneos testimonium non dicant, nec familiares vel de domo prodeuntes: sed si voluerint, & inuicem consenserint, inter se parentes testificentur, & non in alios. ITEM Anacletus papa.

Episto. 3.

Nuper inimici, accusatores vel testes esse non possunt. 2

ACcusatores & testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt: ne irati nocere cupiant, ne læsi se vlcisci velint. Inoffensus igitur accusatorum & testium effectus quærendus est, & non suspectus.

ITEM Symmachus papa.

In actione quinta synodi Romanæ.

De eodem. 3

ACcusatoribus verò inimicis, vel de inimici domo prodeūtibus vel qui cum inimicis morantur, aut suspecti sunt, non credatur: ne irati nocere cupiant, ne læsi se vlcisci velint. Si quis hæc quæ hodie in sancta synodo prohibita sunt infringere tentauerit, aut voluntariè transgredi præsumpserit, si clericus est, gradu proprio penitus careat. si verò monachus aut laicus fuerit, cōmunione priuetur: & si non emendauerit vitium, anathemate feriatur. Secretas verò insidias vel manifestas pontificibus à quibuscunque illatas, vel ea quæ huius

sanctæ

sanctæ synodi sentẽtia complectitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam, potiatur honore: & hi qui aduersa eis moliuntur (sicut à sanctis patribus dudum statutum est, & hodie synodali & apostolica auctoritate firmatum) penitus abijciantur, & exilio (suis omnibus sublatis) perpetuò tradantur. Item Pontianus sanctæ & vniuersalis ecclesiæ episcopus. *Epistola. 2. omnibus Christianis.*

Qui non possunt esse accusatores vel testes. 4

SVspectos aut inimicos, aut facilè litigantes, & eos qui non sunt bonæ conuersationis, aut quorum vita est accusabilis, & qui rectam non tenent & docent fidem: accusatores esse & testes, antecessores apostolici prohibuerunt: & nos eorum auctoritate submouemus, atq; temporibus futuris excludimus. Item Eusebius episcopis Galliarum. *Episto. 1.*

Ab accusationibus clericorum repellantur quos leges seculi nõ admittũt. 5

DE accusationibus clericorum super quibus mandastis, scitote à tempore apostolorum in hac sancta vrbe seruatũ esse, accusatores & accusationes, quas exterarũ consuetudinũ leges non asciscũt, à clericorum accusatione submotas, & infra. Idcirco & nos sequentes patrũ vestigia, pro saluatione seruorum dei quascunq; ad accusationes personas leges publicę non admittunt, his impugnandi alterum & nos licentiã submouemus: & nullæ accusationes audiãtur à iudicibus ecclesiasticis quæ à legibus sæculi prohibentur. Itẽ Palagius papa. *Paulo inferius.* *Pelag. 2. episcopis Italiæ.*

Alienigenæ, & quos diuinæ voces mortuos appellant, episcopos accusare non possunt. 6

CAnonica sanctorum patrum statuta sequentes, atque roborantes: omnes infames, cunctosq; suspectos vel inimicos, & eos qui non sunt eorũ gentis, vel quorũ fides & vita, aut libertas nescitur, & qui non sunt bonæ cõuersationis, vel quorum vita est accusabilis, ab omni accusatione episcoporũ funditus submouemus. Similiter & omnes quos diuinæ leges mortuos appellant, submouẽdos esse ab eadem accusatione, & publicæ pœnitentiæ submittendos iudicamus. Item ex synodo Romana habita sub Hadriano papa. *Et Damasi epi. 3. ad Stepha.*

A clericis repelluntur accusationes, quas leges seculi non asciscunt. 7

ACcusationes & accusatores atque eorum negocia, quæ seculares non asciscunt leges: diuina ac synodica funditus à clericis repellere auctoritate censemus: quia indignum est superiores pati ab inferioribus, quæ inferiores ab eis pati despiciunt. Item Stephanus Romanæ ecclesiæ episcopus omnibus episcopis. *Stepha. epist. 2. de accusationib. sacerdotũ.*

Nec seruus, nec libertus, nec infamis episcopos accusare præsumant. 8

ACcusatores & accusationes quas leges seculi non admittunt & antecessores nostri prohibuerunt, & nos submouemus. nullus alienigena aut accusator fiat eorũ aut iudex. Vae

De eodem. *Palea* 14

NVlli episcoporum ab accusatione sua repellere liceat, quos antequam ab eis impeteretur, à sua communi familiaritate neglexerit separare.

GRATIAN.

» Quòd verò inimici ab hac accusatione prohibeantur, inde
» est, quia eorũ calliditate innocẽtia frequẽter opprimi solet. Sed
» cùm Anastasius suæ cathedræ reddi præcipitur, quia de inimi-
» citia sui patriarchæ cõquestus est, patet ꝙ etsi manifesta crimi-
» na alicuius sunt, nõ tamẽ condẽnãdus est accusatione inimici.

VNDE Nicolaus papa scribit Michaeli imperatori. *Nicol. I.*

Qui inimici sunt, iudices esse non possunt. 15

QVòd suspecti & inimici iudices esse non debeant, & ipsa ratio dictat: & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetendum cõmiserit quem lædere fortè voluerit? Quòd prouidè Constantinopolitana synodus canonum suorum sexto dinoscitur prohibere capitulo. Veniamus & ad sanctam Chalcedonensem synodum: & quid nobis de ipso Anastasio Parthenorum referat episcopo, audiamus. Is enim antistes tertio euocatus: quia non occurrit, à suo patriarcha canonicè condemnatus exiterat: sed solum quia cùm vocaretur ad synodũ, quòd inimicus esset eius ipse qui iudicabat clamauit, à sancta Chalcedonensi synodo ad causas illatas sibi examinãdas reseruatur: & nisi denuo cõuinceretur, recipere propriam iudicatur ecclesiam. Si Anastasius à patriarcha suo depositus: quia de inimicitia eius conquestus est: iterato ad iudicium reuocãdum dirigitur: etsi manifesta sibi officiãt crimina, tamen suæ ecclesiæ reddi præcipitur: quãto magis Ignatius: qui non à patriarcha, sed potius ipse existens patriarcha minimè debuit ecclesia propria priuari, & inimicis & suspectis iudicibus decernentibus expoliari? Veniat & facũdissimus noster pater papa Gelasius hęreticorũ expugnator fortissimus: & quid de Cõstantinopolitanis episcopis more solito tunc ægrotantibus dixit, etiam nunc nobis edisserat. Quæro (inquit) ab eis iudicium quod prætendũt, vbínam possit agitari? an apud ipsos, vt iidem inimici sint & testes & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negocia. Quòd si in iudicio vbi iidẽ sunt inimici qui iudices, nec humana cõmitti debẽt negocia: quãto minus diuinã, id est ecclesiastica, qui sapiẽs est intelligat. Et reuera hinc Iustinianus imperator pius legibus suis promulgasse dinoscitur dicens: Liceat ei qui suspectum sibi iudicem putat, antequam lis inchoetur eum recusare, vt ad alium recurratur. Nam quodãmodo naturale est suspectorum iudicum insidias declinare, & inimicorum iudicium velle refugere. Hinc sanctus Ioannes os aureũ concilij contra se congregati renuit intrare collegiũ.

f 5 Patet

GRAT. Patet ergo quòd etsi manifesta sint crimina alicuius, tamen accusatione inimici condemnandus non est.

QVAESTIO VI.

AN EXTRA PROVINCIAM REVS SIT PRODVCENDVS.

GRAT. EXtra prouinciam autem reus nullatenus est producẽdus.

Epist. 3. VNDE Fabianus papa scribit Hilario episcopo.

Vbi crimen admittitur, ibi causa ventiletur. 1

IBi semper causa agatur, vbi crimen admittitur. & qui non probauerit quod obiecit: pœnam quam intulerit, ipse patiatur. ITEM.

Idem Fab. superius paulo in eadem.

Accusatus non nisi in foro suo audiatur. 2

SI quis episcoporum super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur qui sunt in prouincia sua episcopis, quia non oportet accusatum alibi quàm in foro suo audiri.

GRATIA. Exceptio autem fori dilatoria est: atq; ideo in initio litis debet opponi & probari. peremptorias autem exceptiones, vt sunt præscriptiones longi temporis: sufficit in initio litis contestari. ITEM.

Idem Fab in eadem epist. 3.

De eodem. 3

PVlsatus ante suum iudicem causam dicat. ante non suum iudicem pulsatus (si voluerit) taceat. pulsatis verò quotiens appellauerint, induciæ dentur.

GRATINA. Hoc autem quod de loco dictũ est, tunc intelligendum est, cùm veritas causæ non nisi in loco admissi criminis deprehẽdi potest: aut nisi altera pars iudiciũ maioris personæ interpellauerit, siue declinando iudiciũ, siue releuando sententiam. Vnde Stephanus sanctæ & apostolicæ atque vniuersalis ecclesiæ Romanæ episcopus scribit omnibus episcopis.

Epist. 2.

Intra prouinciam & à comprouincialibus tantum causa est audienda. 4

VLtra prouinciarum terminos accusandi licentia non progrediatur, sed omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & à comprouincialibus terminetur: nisi tantum ad apostolicã sedem fuerit appellatum. ITEM Sixtus papa.

Epist. 1. ad Gratum episcopum.

A comprouincialibus accusatus vel iudicatus, apostolicam sedem appellet. 5

ACcusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet, & adeat apostolicæ sedis põtificem, qui aut per se, aut per vicarios suos retractare eius negocium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex causam suã agit, alius in eius loco non ponatur aut ordinetur episcopus: quoniam quanquam comprouincialibus episcopis accusati, causam episcopi liceat scrutari: non tamen diffinire inconsulto Romano pontifice permissum est.

Epist. 3. ITEM Damasus papa Stephano archiepiscopo.

De

De eodem. 6

DIscutere episcopos, & summas causas ecclesiasticorũ negociorum, Metropolitano vnà cum omnibus comprouincialibus suis, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorũ concorditer negociis conueniant: licet. Sed diffinire eoru atque ecclesiarum summas querelas causarum, vel damnare episcopos absque huius sedis auctoritate minimè licet: quoniã omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet.

a extat in manuscrip. sed notatur vt palea.

ITEM Eleutherius papa.

Ad Gallia prouincias scribens.

Comprouinciales & Metropolitani episcoporum causam audire, sed diffinire non possunt. 7

QVamuis liceat apud comprouinciales & Metropolitanos atque primates episcoporum ventilare accusationes vel criminationes: non tamen licet diffinire sine huius sanctæ sedis auctoritate, sicut ab apostolis eorumque successoribus multorum consensu episcoporum iam diffinitum est: nec in eorum ecclesiis alij aut præponantur, aut ordinẽtur, antequam hic eorum iustè terminentur negocia. Reliquorum vero clericorũ causas apud cõprouinciales, & Metropolitanos, & primates, & ventilare, & iustè finire licet.

ITEM Leo episcopus vrbis Romæ Anastasio episcopo Thessalonicensi.

Leo papa. I. epist. 82. ad Anastasiũ episcopum.

Ante apostolicam censuram in causis episcoporum non est diffinitiua ferenda sententia. 8

MVltum stupeo frater charissime, sed & plurimum doleo, quòd in eũ de quo nihil amplius iudicaueris quàm quòd euocatus adesse differret, vt excusationẽ infirmitatis ostenderet, tam attrociter & tam vehementer potueris cõmoueri, præsertim cùm etiam si tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberemus. Sed etsi quid graue intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura: vt nihil ipse prius decerneres, quàm quid nobis placeret agnosceres. vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde sicut multum nos ea quę à te piè sunt curata, lætificant: ita nimium ea quæ perperam sunt gesta, contristant.

ITEM papa Orientalibus episcopis.

Iulius I epi. I.

Præter conscientiam Romani pontificis nec concilia celebrari, nec episcopum damnari oportet. 9

DVdum à sanctis apostolis successoribusque eorum in antiquis decretum est statutis, quæ hactenus sancta & vniuersalis apostolica tenet ecclesia, non oportere præter conscientiã Romani pontificis concilia celebrari, vel episcopũ damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatum omnium ecclesiarum esse voluerũt. Et sicut beatus Petrus apostolus pri-

mus

mus fuit omnium apostolorum, ita & ecclesia suo nomine cō secrata (domino instituente) prima sit & caput cæterarum: & ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes maiores ecclesiæ, causæ & iudicia episcoporum recurrant, & iuxta eius sententiam terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his decerni debere pontificem.

2. pars. GRATIAN.

Aliquando inconsulto Romano pontifice plærique episcoporum damnati inueniuntur, & alii in eorum locum subrogati, quorum damnationem & subrogationem pro bono pacis ex dispensatione tolerasse legitur ecclesia.

Nicol. I. *regi vltimo.

VNDE Nicolaus papa *Salamoni regi Britonum.

Quorundam episcoporum depositionem contra conscientiam Romani pontificis factam, pro pace tolerauit ecclesia.

HAec quippe est ordinatio dei patris tui, & hæc est lex ecclesiæ matris tuæ, videlicet vt omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere nō detractes: ipsiusque iudicium postulare non dedigneris. ipse enim est metropolitanus: & omes episcopi tui regni suffraganei eius sunt: sicut cōscriptiones prædecessorum meorū euidenter ostendūt: qui prædecessores tuos, quia illos ab ipsius cura substraxerant, forti inuectione corripere studuerūt, quãuis nec nostra scripta super hac re missa deesse videantur. Cumq; coram designato Turonicæ ecclesiæ præsule & integro numero collegarum, id est duodecim episcoporum celebrato conuentu fuerint eiecti episcopi regulariter examinati, apparueritq; ꝙ canonitè fuerint eiecti: episcopis ipsis in sua deiectione manentibus, qui in locis eorum consecrati sunt, potuerunt vtique episcopatus honore potiri. Quòd si episcopi eiecti insontes fuerint declarati: his amotis qui illis subrograti sunt, ecclesias suas ipsi recipiãt. Nam cùm antecessores mei præsules eiectionem eorū episcoporum qui ab ecclesiis suis sunt expulsi, nec admiserunt, nec approbauerunt, nec ipsos qui eis subrogari possunt viuētibus illis legitimos episcopos dixerūt. Sanè si ad Turonensem fortè archiepiscopum mittere præfatos episcopos dedignaris, studeas duos episcopos de expulsis, & duos de subrogatis vnà cū ecclesiæ tuæ legato ad postolicã beati Petri sedem transmittere: vbi digna examinatione pręmissa qui legitimi episcopi sunt appareant, & suas ecclesias irregulariter non amittant. Nihil enim quæro aliud in præsenti negocio diffinire. Quia verò magna quis sit metropolitanus, apud Britannos contentio est: licet nullius memoria teneat vos in vestra regione vllã habuisse metropolitanam ecclesiam: tamē (si libet) postquã deus omnipotens pacē inter vos & dilectum filiū nostrum Carolum regē gloriosum constituerit, facilè hoc poteritis aduertere. Quòd si adeò contentiosius creditis agere, ad nostrum apostolatum destina-

quidam intelligunt Carolum Caluum regem & Imperatorem Francorum.

destinare contendite: quatenus nostro libramine quæ fuerit apud vos antiquitus archiepiscopalis ecclesia, luce clarius innotescat: & deinceps omni ambiguitate recisa quem sequi episcopi vestri debeant, incunctanter agnoscant. Neque enim ecclesias dei per discordias regum diuisionis aliqua pati damna necesse est. cùm (quantum ex se est) pacē quam prædicant, seruare studeant inuicem, & in omnes. Aliàs autem irrita erit episcoporum sententia, & à synodo retractanda. 3. *pars.*

VNDE Fœlix papa. *Fœlix 1. epist. 1. ad Paternũ.*

Damnatio iniusta irrita est, & in synodo retractanda. 11

IRritam esse episcoporum damnationem & iniustam censemus, & idcirco à synodo retractandam: ita vt oppressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis.

„ Quòd autem metropolitanum suum contemnere, & aliorum iudicium alicui expetere non liceat: Sixtus papa testatur dicens. GRATIA. *Sixtus 3. epist. ad Orientales episcopos.*

Peregrina iudicia in omnibus sunt submouenda. 12

PEregrina iudicia (salua in omnibus auctoritate apostolica) generali sanctione prohibemus: quia indignum est vt ab extraneis iudicentur, qui comprouinciales & à se electos debent habere iudices: nisi fuerit appellatum.

ITEM Anacletus papa. *Epist. 1.*

LEges ecclesiæ apostolica firmamus auctoritate & peregrina submouemus iudicia. Vnde & dominus mentionem faciens de Loth per Moysen loquitur dicens: Ingressus es quidem (inquit) vt aduena: nunquid vt iudices? *Genes. 19.*

ITEM Innocentius papa. *Innocen. 1. epist. 2. ad Victorem episcopum Rothomagen.*

Nulli liceat aliarum prouinciarum iudicium expetere. 13

NOn liceat cuiquam (sine præiudicio tamen Romanæ ecclesiæ: cui in omnibus causis reuerentia & auctoritas debetur) relictis his sacerdotibus qui in eadem prouincia dei ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias: vel aliarum prouinciarum episcoporum iudicia expetere vel pati. quòd si quis præsumpserit: ab officio cleri submotus, & iniuriæ reus ab omnibus iudicetur.

„ Reuerentia autem quæ apostolicæ debetur ecclesiæ, & eius auctoritas: intelligenda est cùm vel ad ipsam appellatum fuerit: vel ab ea iudices electi cōceduntur. Vnde Sixtus papa cùm diceret, Cōprouinciales, & à se electos debent habere iudices: statim subiūgit, Nisi fuerit appellatū. ITEM Anacl. papa. GRAT. *Epist. 1.*

Absq; Apostolicæ sedis decreto extraneos iudices adire nō possumus. 14

VNaquæque prouincia tam iuxta ecclesiasticas, quàm iuxta seculi leges debet suos iustos & non iniquos habere iudices, & non extraneos: nisi huius apostolicæ sedis decreuerit auctoritas. ITEM ex synodo Romana.

Super

Super appellatione alterius prouinciæ iudices adire non oportet. 15

NEminē exire de prouincia ad prouinciam, vel de comitatu ad comitatū oportet, nisi ad relationē iudicis: ita vt actor rei forū sequatur. & infrà. Illa quæ sunt per vnāquanque prouinciā, ipsius prouinciæ synodus dispēset: sicut in Niceno constat esse decretum concilio. Vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur: sed omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & à comprouincialibus terminetur: *nisi prælatus sit qui accusatur. ITEM Sixtus.

*al. nisi ad sedē apostolicam fuerit appellatum.

Eleut. pap. epist. ad Galliæ prouincias.

De eodem. 16

SI quis clericus super quibuslibet criminibus accusatus fuerit: in prouincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerceat actiones: nec existimet eum accusator suus alibi aut longius ad iudicium protrahendum.

ITEM ex decreto Hadriani papæ.

Fabian. epist. 3. ad Hilarium episcopum.

Vbi crimen admittitur, ibi causa ventiletur. 17

QVi crimen obiicit: sciat se probaturum. Reuera ibi causa agatur, vbi crimen admittitur.

QVAESTIO VII.

AN SIT AVDIENDA EIVS SENTENTIA, QVEM CVM REO PAR INFICIT MALITIA.

GRATIAN.

Felix pap. 1. epist. 2. ad episcopos Galliæ.

QVòd iudex esse non possit quem cum reo par aut maior " macula inficit, multis auctoritatibus probatur. "
Dicit enim sancta Romana synodus.

Infames, iudices esse non possunt. 1

INfamis persona nec procurator esse potest, nec cognitor.

GRAT. ff. de iudiciis. l. cum prætor. & l. si furiosus.

Tria sunt quibus aliqui impediuntur vt iudices non fiāt. " Natura, vt surdus & mutus: & qui perpetuo furiosus est: & im " pubes, quia iudicio caret. Lege, qui à senatu amotus est. Mori " bus, fœminæ & serui: non quia non habeāt iudiciū: sed quia re " ceptū est vt ciuilibus non fungātur officiis. Veruntamen si ser " uus dū putaretur liber, ex delegatione sentētiam daret: quāuis " postea in seruitutē depulsus sit: sentētia ab eo dicta, rei iudicatę " firmitatē tenet. ITEM in digest. tit. de postulando. 2

Lib. 3 tit. 1.

INfames non possunt esse procuratores vel patroni causarū. Sunt autem tres ordines eorū qui postulare prohibētur. Est autem postulare desiderium suum vel amici sui in iure apud eū qui iurisdictioni præest exponere, vel alterius desiderio cōtradicere. Nam (vt præmisimus) non postulātium tres ordines sunt. Quidam prohibentur omnino postulare, vel propter ętatem, vt minores xvij. annis: vel propter casum, vt surdus qui prorsus non audit. Alij prohibentur ne pro aliis postulent, vel propter sexum, vt fœminæ: vel propter casum, vt vtroq; lumine orbati: vel proter notā infamiæ turpitudinis, vt hi qui corpore suo muliebria passi sunt: nisi fortè vi prædonum vel ho-

stium

stiū stuprati probentur. Similiter qui capitali crimine vel calūniæ causa publici iudicij sunt damnati, vel qui operas suas locauerunt vt cū bestiis depugnarent in arena: pro aliis postulare prohibētur. His personis pro se allegare permittitur: pro aliis postulare prohibetur: nisi fortè tutelā impuberū vel curam adolescentiū non affectatā, sed necessariā administrēt. pro his enim quorū curam gerūt, eis postulare conceditur. Alij enim omnes qui vt infames notantur, nisi pro se & pro certis personis postulare nō possunt: nisi in integrū restitutionē acceperint. Permittitur autem eis postulare pro parente, pro patrono & patrona, pro liberis etiam suis: & parentibus patroni & patronæ: pro liberis etiam suis: fratribus & sororibus, socero, socru, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua, surdo, prodigo, & adolescente. Itē. Pro his quibus propter infirmitatē curatores dari solent: vt qui negociis suis aliquo perpetuo morbo superesse non possunt. Omnes autē qui non sponte, sed necessario funguntur officio: sine offensa postulare possunt, etiam si hi sunt quibus non nisi pro se postulare permittitur. Affinitates verò non eas accipere debemus quæ quondā fuerūt, sed præsentes. Nurus & generi appellatione, & soceri, & socrus, etiam vlteriores quibus præpositio, pro, solet accedere, continentur.

Leg. 4. eiusdem. *Leg. 6. eiusdem.* *Leg. 3. eiusdem.*

GRATIA. 2. pars. *Tit. 6. leg. 5.*

Arcentur etiā à professione aduocatorū (sicut in 2. libro Codicis tit. de postulando inuenitur) qui sub nomine honorariorum ex ipsis negociis quæ tuenda susceperint, emolumentum sibi certæ partis cum graui damno litigatoris & deprædatione poscentes inueniuntur. Item. Si quis adeò procax fuerit, vt non ratione: sed probris putet esse certandum: opinionis suæ imminutionem patietur. Præterea non licet aduocato vllū cōtractum inire, vllam pactionē conferre cum eo litigatore quē in propriā recepit fidē: nec ex industria iurgium protrahere.

Apud vrbem Romam etiam honoratis qui hoc officiū putauerint eligēdum: eousque liceat orare, quousque maluerint: videlicet vt non ad turpe cōpendium stipemq; deformem* hæc accipiatur occasio. Nam si lucro pecuniaque capiātur: veluti degeneres inter vilissimos numerabuntur. Si verò in vno auditorio duo tantum vel plures præ cæteris fuerint, quorum fama sit hilarior: in iudicātis officio sit, vt par causidicorum distributio fiat, & exequetur pro partibus auxilium singulorum.

al. vel etiam stipendium deforme.

Si quis verò commonitus à iudice, ea excusatione quæ nequeat comprobari, cuicunque parti patrocinium denegauerit: careat foro. sciat etiam nūquam sibi agendi copiam posse restitui. Siquis autem ex litigatoribus detectus fuerit separatim tractasse cū pluribus, & aduersario suo subtraxisse parē defensionis copiam: ostendet proculdubio iniquam à se litem foueri,

ueri, & auctoritatem iudiciariam à se delusam experietur. Itē. "
Quamuis illi qui causam fisci egissent, prohibeantur aduersus "
fiscum patrocinium præstare: tamen hodie etiam aduersus fis- "
cum patrocinium possunt exhibere priuatis etiam dū eam cau "
sam declinent suscipere quam tractauerant dum fisci aduocati "
fuerunt. Item. Si contra patrē pupilli causam egisti: tutor vel "
curator datus eandem causam defendere non prohiberis. Co- "
gnitores verò ex officio intelliguntur, non ex arbitrio. Nihil "
enim refert, is qui arbitrium suscipit, an sit integræ famæ, an "
ignominiosus. Filius etiam in re patris arbiter esse potest. Nā "
& iudicem eum esse posse plerisque placet. Si quis verò iudex "
sit, arbitriū recipere eius rei de qua iudex est, & in se cōpromit- "
ti iubere prohibetur: & si sententiā dixerit, non est danda pœ- "
næ persecutio. Seruus arbiter esse nō valet: libertinus potest. "

Ex lib. 3. dige. tit. 1. de postulando. lege 10. & 11.

Porro infamia multipliciter irrogatur. Aliquando enim cō- "
trahitur genere delicti declarati per sententiam: veluti cùm iu- "
dex pronunciat. Iniuriam fecisti, hæreditatem expilasti, calū- "
niatus es. Aliquando genere pœnæ: sicut illi qui damnātur in "
opus publicum, qui pristinum quidem statum obtineant: sed "
damno infamiæ etiam post impletum tempus subiiciūtur. A- "
liquando genere pœnæ & delicti declarati per sententiam: ve- "
luti dum fustibus cæso per præconem dicitur, συκοφαντεῖς, id est, "
calumniaris. Aliquādo ipso genere facti: vt exercentes impro- "
bum fœnus, & illicitè exigentes vsuras vsurarū: & mulier quæ "
intra tempus quo moris est lugere maritum, contrahit matri- "
monium: & qui sciens eam vxorem duxerit. Idem testatur Fœ "
lix papa, & eisdem verbis. Item. In euangelio ille qui trabē ge "
stat in oculo: probatur non posse educere festucā de oculo fra- "
tris sui. Item. Dauid in lib. psal. Peccatori aūt dixit deus: quare "
tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum? &c. "
Item. Gregorius: Cuius vita despicitur: restat vt eius prædica- "
tio contemnatur. IDEM in moralibus. "

Ex lib. 2. Codi. tit. 11. de causis ex quibus infamia irrogatur.

Mat. 7. a

Psal. 49.

Greg. homi. 12. euangeliorum.

Idem cap. 15. li. 14. in Iob. 3. pars.

Quì aliorum vitia puniunt, sua prius corrigere studeant. 3

QVi sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua res linquebant. Reuocentur igitur intus ad conscientiam: vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Hinc est quòd cùm tribus Beniamin in carnis scelere fuisset obruta: collectus omnis Israel vlcisci iniquitatem voluit: sed tamen semel & iterum in belli certamine est ipse prostratus. Consulto enim domino si ad vlciscendum ire debuisset, iussum est vt iret, qui iuxta diuinæ vocis imperiū perrexit: & semel & secundo perdidit, & tunc demum peccatricem tribum valde feriens pene funditus eā extinxit. Quid hoc est quòd in vltione sceleris inflammatur, & tamē prius iste prosternitur? nisi quòd prius ipsi purgandi

Ioan. 8. a

Iudic. 20. a

purgandi sunt per quos aliorum culpæ feriuntur: vt ipsi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant. ITEM Ambrosius super Beati immaculati.

Amb. ser. 20. ad versum Miserationes tuæ domine.

Ille de vita alterius iudicet qui non habet in seipso quod puniat. 4

IVdicet ille de alterius errore, qui non habet in seipso quod condemnet. iudicet ille qui non agit eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cum de alio iudicat, in se ferat sententiam. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur. & post pauca. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, & proposito domesticæ volũtatis: sed iuxta leges & iura pronunciat: statutis iuris obtẽperat: non indulget propriæ voluntati, nihil præparatũ & meditatũ de domo defert. sed sicut audit ita iudicat: & sicut se habet natura, decernit: obsequitur legibus, nõ aduersatur: examinat causę merita, non mutat. Discite iudices sæculi quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam societatem, quam sobrietatem, quam synceritatem. & paulo post. Qui iudicat, voluntati suæ obtemperare non debet: sed tenere quod legum est. & post pauca. In iudicando, cordi magis est custodia veritatis, quàm obedientia voluntatis. ITEM Gregorius.

Greg. cap. 6. præfationis in Iob.

Grauatus criminibus iudicare non valet. 5

IN grauibus peccatis quis positus dum suis premitur, aliena non diluit. Cunctis enim liquet: quia cum is displicet, qui ad intercedẽdum mittitur, irati animus proculdubio ad deteriora prouocatur. Scriptum quippe est: Victimę impiorũ abominabiles Deo sunt, vota iustorum placabilia. neque enim in omnipotentis Dei iudicio quid, sed à quo datur, inspicitur. *Pro. 15. b.*

Hinc est quod scriptũ est. Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain vero & ad munera eius nõ respexit. Dicturus quippe, quia dominus respexit ad munera, præmisit solicite, quia respexit ad Abel. ex qua re patenter ostẽditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerẽte placuerunt. Dona quippe iniquorũ non probat altissimus: nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Item longe est dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudiet. IDEM. *Gene. 4. a.* *Prou. 15. d.*

Primum nosmetipsos, deinde proximos debemus corrigere. 6

POstulatus iudicare dominus de peccatrice, non statim dedit iudicium, sed prius inclinans se deorsum digito scribebat in in terra: ac sic demũ (quod obnixe rogatur) iudicat: nos videlicet typice instituens, vt cum quælibet proximorum errata conspicimus: non hæc ante reprehendendo iudicemus, quàm ad conscientiam nostram humiliter reuersi: digito eam discretionis solerter exculpemus: & quid in ea conditori placeat, quidve displiceat, examinatione dirimamus: iuxta illud apostoli *Ioan. 8. a.*

Gala.6. Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c.
Ioan.8.a. Qui sine peccato est vestrûm, id est, primo vos ipsi iustitiã legis implete: & sic innocentes manibus ad lapidandam ream concurrite. ITEM August. ad quendam comitem.

Sacerdos primum sua peccata, deinde aliena detergat. 7

SAcerdos vt sapiens medicus & perfectus primum sua peccata diluere sciat: & postea aliena detergere & sanare, & non
Matth.5.b. publicare. Item. In euãgelio, sal infatuatũ ad nihilũ vtile esse dicitur, nisi vt proijciatur foras, & ab hominibus cõculcetur.

GRATIAN. Ex quibus omnibus datur intelligi quod criminosus alterius criminis iudex esse non potest, & seipsum condẽnat, dum
1.Reg.15.f. in alterius crimen sententiã profert. Sed obijcitur: Saul cum à domino esset reprobatus, populum Dei iudicabat, & eius iudi-
2.Reg.12.a. cium vniuersus populus expetebat. Itẽ. Dauid cum esset adulter & homicida, interrogatus à propheta sententiam in diuitem dedit, qui ouem pauperis rapuit dicens: Iudicium mortis
3.Reg.11.a. est viro huic. Item. Salomõ cum amore mulierculæ deos gentilium coleret, tamen vniuersa plebs Israëlitica ad eius iudicia
3.Reg.16.g. confluebat, Sic & Acab, quamuis coleret Baal, tamen decẽ tribus iudicabat. multi etiam alij tam in veteri testamẽto quàm in nouo inueniuntur, quorum vita cum esset blasphemabilis, tamen eorum sententia, quia ex officio seruata iudiciarij or-
Matth.23.a. dinis integritate processit, inuenitur seruata. Vnde & dominus ait in euangelio: Super cathedram Moysi sederunt Scribę & Pharisæi. &c. Hinc liquido cõstat quòd mali pastores dum sententia iusti examinis aliorum crimina feriunt, sibijpsis nocent, dũ sine exemplo suæ emendationis aliorum vitia corrigere curant. subditis vero prosunt, si eorum increpatione correcti, vel sententia coerciti, vitam suam in melius cõmutare didicerint. Ac per hoc dum ab ecclesia tolerati fuerint, eorum iudicium subterfugere non licet.

QVAESTIO VIII.

AN AB VNO TANTVM EPISCOPVS SIT AVDIENDVS VEL IVDICANDVS.

GRATIAN. Epist.1. ad episcopos Siciliæ. QVòd autem episcopus ab vno tãtum audiri vel iudicari non debeat, Zepherinus papa testatur dicens.

Episcopus non nisi à pluribus audiatur & iudicetur. 1

ACcusatores episcoporũ omni careãt suspicione: quia colũnas suas dominus firmiter stare voluit, non à quibuslibet agitari. Nullum nanque eorum sentẽtia à nõ suo iudice dicta constringat: quia leges seculi idipsum fieri præcipiunt: vt Codice lib. vij. titulo de sententiis & interlocutionibus omnium iudicum. Cuius in agendo quis obseruat arbitrium, eum habere etiam contra se iudicem in eodẽ negocio non dedignetur: quia & leges seculi idipsum fieri præcipiunt. Iudices xij. quilibet

quilibet episcopus accusatus (si necesse fuerit) eligat, à quibus eius causa iustè iudicetur. Nec prius audiatur aut excommunicetur vel iudicetur, quàm ipsi per se eligantur. & regulariter ad suorum primò vocatus conuentum episcoporum, per eos eius causa iustè audiatur, & rationabiliter decernatur. finis verò eius causæ ad sedem apostolicam deferatur, vt ibidem determinetur: nec antea finiatur quàm eius auctoritate fulciatur. Absens verò nemo iudicetur, nisi ex contumacia absens fuerit: quia diuinæ & humanæ leges hoc prohibent.

ITEM Felix episcopus dixit in concilio Carthaginen. iij. *In cõc. Carthag. 3. cap. 10.*

A quot episcopis audiatur episcopus, qui in reatum inciderit. 2

SVggero secundum statuta veterum conciliorum, vt si quis episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem inciderit: si ei nimia necessitas fuerit non posse plurimos congregare episcopos: ne in crimine maneat, à xij. audiatur episcopis.

QVAESTIO. IX.

AN ACCVSATORES VEL TESTES IN ABSENTEM VOCEM ACCVSATIONIS vel testificationis exhibere valeant.

" DE accusatoribus verò vel testibus quòd in absentem " vocem accusationis vel testificationis exhibere non va" leant, multorum auctoritatibus liquet. GRATIAN.

" AIT enim Telesphorus papa. *In epistola decretali.*

Nisi reo præsente accusator non audiatur. 1

ACcusatori omnino non credi decernimus, qui absente aduersario causam suggerit ante vtriusq; partis iustã discussionem. ITEM Eleutherius papa. *Scribens ad Gallia prouincias.*

Absente aduersario, sententiam ferre non licet. 2

CAueant iudices ecclesiæ ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant: quia irrita erit, imo etiam causam in synodo pro facto dabunt. proditoris verò nec calumnia nec vox audiatur. ITEM Calixtus papa. *Epi. 2. ad episcopos Galliæ.*

Reo absente, accusator non audiatur. 3

ABsente eo quẽ accusare voluerit quisquam, accusatori non credatur: quia sine scripto difficile est, per scriptum autem nũquam recipiatur: quia per scripturam nullus accusari potest: sed propria voce, & præsente eo quem accusare voluerit, suam quisque agat accusationem. ITEM Cornelius papa. *Epist. 2. ad Rufum.*

Quæ in absente geruntur, omnino euacuentur. 4

OMnia quæ aduersus absentes in omni negocio aut loco agũtur aut iudicãtur, omnino euacuẽtur: quoniã absentẽ nullus addicit, nec vlla lex dãnat. ITEM Marcellus papa. *Epist. 2. Maxentio tyranno.*

Non iudicetur, qui præsentialiter non accusatur vel conuincitur. 5

NOn oportet quemlibet iudicari vel damnari priusquam legitimos habeat pręsentes accusatores: locumq́ue defen-

Damas. epist. 3. ad Stephanum archiepisc.

dendi accipiat ad abluenda crimina. ITEM Damasus

De eodem. 6

HAbetur quoque in decretis sanctorum patrum sancitum, non fore canonicum, quenquam sacerdotum iudicari vel damnari antequam accusatores canonicè examinatos præsentes habeat, locumque defendendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas ad abluenda crimina.

Ibidem cōtinuè. a extat in veteri libro sed sub paleæ nota.

Palea. [a] 7

NEc extra patriam fiat prouinciæ primo discussionis accusatio sine apostolica præceptione, cui in omnibus causis reuerētia debetur custodiri: quoniā & antiqua patrū regula hoc docet, in qua imperialia pariter statuta concinunt. Criminū, inquiunt, discussio ibi agitāda est, vbi crimē admissum est. Et in canonibus: quæcunq; negocia in suis locis vbi oborta sunt, finienda sunt, salua tamen in omnibus apostolica auctoritate.

Idem Damasus epist. 6. ad episcopos Italiæ.

De eodem. 8

QVi accusare alium elegerit, præsens per se & non per alium accuset: inscriptione videlicet præmissa. Neq; vllus vnquàm iudicetur antequam legitimos accusatores præsentes habeat: locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. ITEM ex concilio Toletano. vij.

Cap. 11. conc. Toleta. 6.

De eodem. 9

DIgnum est vt vita innocentis nulla maculetur pernicie accusatoris. Ideo si quis à quolibet criminatur: non ante accusatus supplicio detur, quàm accusator præsentetur atque legum & canonum sententia exquiratur. Quòd si indigna ad accusandum persona inuenitur: ad eius accusationem non iudicetur. ITEM Bonifacius papa ad Gallos.

Bonifacius pri. epist. 2.

Sententia feriatur, qui causa sua negligit adesse. 10

DEcernimus vestram debere intra prouinciam esse iudicium, & congregare synodum ante diem Kalendarū Nouembrium, vt si adesse voluerit, præsens, si cōfidit, ad obiecta respōdeat. si verò adesse neglexerit, dilationē sentētię de absentia nō lucretur. Nam manifestū est confiteri eū de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio purgandi se occasione nō vtitur. nihil enim interest vtrum in præsenti examine nō omnia quę dicta sunt cōprobentur: cùm ipsa quoque professio ex procurata totiens constet absentia. ITEM Felix papa.

Felix. 1. epist. 2. ad episcopos Galliæ.

Absentes nec accusari nec iudicari possunt. 11

ABsente aduersario nō audiatur accusator: nec absente alia parte sententia à iudice dicta vllam obtineat firmitatem. ITEM Nicolaus papa Gallioni archiepiscopo Senensi.

Altera parte absente diffinitiua non feratur sententia. 12

REuera iustus mediator non est qui vno litigante, & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat.

dat. His ita præmissis volumus & apostolica auctoritate monemus, vt si presbyter de quo agitur, post excommunicationem suam apostolicam sedem adire voluerit: nullus iter eius impedire præsumat. ITEM Zepherinus papa. Epi.1.ad episcopos Sicilien.

In absentem non est ferenda sententia. 13

ABsens verò nemo iudicetur (quia diuinæ & humanæ leges hoc prohibent) nisi fuerit absens ex contumacia. pro præsenti nanque eum contumacia haberi facit. Item Nicolaus papa Gallioni Senensi archiepiscopo.

De eodem. 14

INdicas Hermanum episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum: pro quibus (quia ex parte ipsius persona deest) nos vni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus: quanuis nec vsq; adhuc qui fuerint illi excessus dixeris: nec vtrum sanæ mētis erat idē antistes necne, cùm ipsos excessus perpetrabat, euidenter ostenderis. Satiusq; arbitramur quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quàm ad ipsum pertinere peccatum: cui magis consulendum sit & compatiendum quàm puniendum, vel etiam aliquo modo feriendum. ITEM Calixtus papa. Epi.2. ad episcopos Galliæ.

Testes non dicant testimonium, nisi de his quæ præsentialiter & veraciter nouerunt. 15

TEstes per quamcunque scripturam testimonium non ferant, sed præsentes de his quæ nouerunt & viderunt, veraciter testimonium proferant: nec dicant de aliis causis vel negotiis testimonium, nisi de his quæ sub eorum præsentia acta esse noscuntur.

2. pars. GRATIAN.

„ DE his etiam quę audierunt: si ad hoc vocati sunt: in ciuili „ causa testimonium dicere possunt. vnde in authenticis col. vij. „ titu. de testibus, & Codice. eo. titu. legitur. Si debitum scri- „ ptum sit, & probatio solutionis proferatur à litigantibus per „ testes sine scriptura: tunc susceptibilē eam apud iudicem esse „ volumus, dum ad hoc ipsum testes assumantur, vt perhibeant „ testimonium pro facienda solutione, aut pro memoria ali- „ cui iam factæ solutionis, & pro confessione eius qui pecunias „ accepit. Hæc autem inania, & ex trāsitu perhibita testimonia, „ vt si propter aliud quoddam opus adueniens, audiuit aliquem „ dicentē se accepisse ab aliquo aurū, aut debere alicui: nulla ra- „ tione valere cēsemus. Simul autē necesse est vt videant, quod si „ alius vno tempore, alius alio tempore viderit, diuersitas tem- „ porum eorum testimonium nō admittit. VNDE Leo papa. Lib.4. Codicis. 3. pars.

Non admittuntur ad testimonium, quos non eodem tempore negocio interfuisse constiterit. 16

NIhilominus quoq; puniēdi sunt testes qui ad calumniam aliquid testificantur: nec eorum voces tanquam plurium

admittuntur quos temporũ quidē diuersitas simul interfuisse prohibuit. ITEM Ambros. in lib. de paradiso [Dei.]

Ambrosius cap. 12. libri de paradiso.

Ad seriem gestorum testis ex suo nihil adijciat. 17

PVra & simplex testimoni series intimanda est. Plerunque testis dum ad seriem gestorum aliquid ex suo adiicit, totam testimonij fidem partis mendacio decolorat. nihil igitur quod bonum videtur, addendum est. ITEM Felix papa.

Felix I. epis. 2. episcopis Galliæ.

Absens, per alium nec accusare nec accusari potest. 18

ABsens per alium accusare aut accusari non potest: nec affinis testis admittitur.

4. pars. GRATIAN. Lib. 9. Cod. tit. 35.

"NISI in crimine iniuriarũ: in quo illustris persona, etiam per procuratorem intendere & excipere potest, seruatis cæteris solennitatibus: vt Cod. titu. de iniurijs lege vlt."

ITEM Pelagius papa Sinduæ magistro militum.

Reo absente libellus accusationis frustra offertur. 19

CHartæ quas dedit nobis Lucidius: si illo tempore aduersarius ipsius illic præsens fuisset validę erant. Sed quia aduersario absente gesta quæ nobis recensuit, facta leguntur: talia leges non recipiunt. ITEM Decorato patricio.

Testes corporaliter præstito iuramento testimonium dicant. 20

HOrtamur vt sub timore domini consuetam conscientiæ vestræ synceritatem in hoc quoque negocio conseruãtes. omnem à personis quæ veritatem causæ istius scire possunt. faciatis amputari formidinē, & vestris præsentari cõspectibus, tactis sacrosanctis euangeliis, præbito etiam legaliter sacramento. vt quæ in veritate rerum nouerunt, professione suæ testificationis aperiant, vt patefactis omnibus, quę secundum leges & iustitiam censenda sunt cognoscatis, & competentē legibus & veritati terminum detis.

ITEM Nicolaus papa[a] Ismaro[1] Remorum archiepiscopo.

a Igmaro

Accusator & accusatus simul debent adesse. 21

NEcesse est secundum sacrarum scripturarum documētum, ac secundum iustitię tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse: & vnam partem, quantacunq; & qualicunq; prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, vt alteri parti nullũ præiudicium irrogetur.

QVAESTIO X.

AN DEFICIENTES IN PRIMO CAPITVLO SINT ADMITTENDI AD SEQVENTIA.

GRATIAN. Cap. 3.

"QVod verò testes deficiẽtes in primo capitulo non sint admittendi ad sequentia: ex concilio Carthaginensi septimo confirmatur, in quo sic statutum legitur."

Qui in primo capitulo deficit, ad cætera non admittatur. 1

PLacuit vt quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina obijciũtur, & vnum ex his de quo prius egerint, probare

bare non valuerint, ad cætera iam non admittantur.

" PROBATVR illud idem auctoritate Arelatensis concilij tertij, in quo sic diffinitum est. GRATIAN. Cap. 24. conc. Arel. 2.

Qui falsa fratribus obijciunt vsque ad exitum non communicent. 2

[a] EOs qui falsa fratribus obiecisse capitula conuicti fuerit, placuit vsq; ad exitum non communicare (sicut magna synodus ante constituit) nisi digna satisfactione prius pœnituerint. a al. Hos

ITEM Felix papa in [b] secunda decretali episcopis Galliæ. b al. secundo Felix 1. epist. 2.

Qui quod obijcit, probare non valet, de cætero ad arguendum non admittitur: nisi prius propriam causam ciuilem duntaxat asserere voluerit. 3

SI accusatorum personæ in iudicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguẽdum episcopos de cætero non admittantur, nisi proprias causas asserere (non tamen criminales vel ecclesiasticas) voluerint.

" CVM ergo qui falsa fratribus obijciunt, vsque ad exitum vitæ à communione prohibeantur: cùm illi qui in episcoporum iudicio culpabiles inueniuntur, ad arguendum de cætero admitti prohibeantur: apparet quòd in primo capitulo deficientes tanquam falsorum obiectores ad sequentia procedere non valent. GRATIAN.

QVAESTIO XI.

AN ACCVSATO LICEAT ACCVSSATIONEM IN ACCVSATOREM VERTERE.

" AB accusato verò accusationem in accusatorem verti, multorum auctoritatibus prohibetur. GRATIAN.

Ait enim beatus Stephanus papa. Epist. 2.

Accusati, nisi prius se purgauerint, alios accusare non possunt. 1

NEganda [c] est accusatis licentia criminandi prius quàm se crimine quo premuntur, exuerint: quia non est credendũ cõtra alios eorum cõfessioni qui criminibus implicãtur, nisi se prius probauerint innocentes: quoniã periculosa est & nõ debet admitti rei aduersus quẽcunque professio. Lib. ix. Codicis, tit. j. Imperatores Valentinianus, Valens & Gratianus. 2 c sumpsit ex Codice. l. neganda. C. qui accusare non poss. vt mox sequitur.

NEganda est accusatis (nisi suas suorumque iniurias prosequantur) licentia criminandi in pari vel minori crimine prius quàm se crimine quo premũtur exuerint [[d] secũdum scita veterum iuris cõditorum] ita tamen, vt & ipsi inscriptiones contra eos etiam pendente accusatione deponere possint. Titu. Qui accusare non possunt lege. 19. d deest in manuscrip.

ITEM ex decreto Hadriani papæ.

De eodem. 3

NOn est credendum contra alios eorum confessioni qui criminibus implicantur, nisi se prius probauerint innocentes: quia periculosa est, & admitti nõ debet rei aduersus quemcunque professio.

GRATIAN. Hoc autem intelligendum est in pari vel minori crimine. Cæterum si de maiori crimine eum accusare voluerit, veluti si accusatus de fornicatione, de periurio, de homicidio, vel simonia, vel quolibet alio huiusmodi crimine accusatorē suum impetere voluerit: his auctoritatibus non prohibetur. Aliquādo enim criminalis quæstio præiudicat ciuili: aliquādo ciuilis criminali. Vnde in lib. iij. Cod. tit. de ordine iudiciorū legitur. ("Titu. 8. leg. 4.")

Ciuili quæstione intermissa sæpe fit, vt prius de crimine iudicetur: quod vtpote maius minori merito præfertur.

Titu. I. Qui accusare non possunt.

ITEM lib. ix. Codicis titu. qui accu. non possunt. l. j. 4

PRius est *enim* vt tu respondeas criminibus cędis atq; vulnerum, quę tibi vt grauiora crimina ab aduersario tuo obijciūtur: & tūc ex euētu causæ iudex æstimabit, an tibi permittendum sit eundē accusare, tametsi prior inscriptionē deposuisti.

2. pars.

GRATIAN. Aliquando ciuilis præiudicat ciuili, aliquādo criminali. sicut enim in septimo lib. Cod. tit. de ordine cognitionū legitur. (Titu. 19. leg. 2. lib. 3. eiusdem.) Si de hæreditate & libertate cōtrouersia est, prius debet agi causa libertatis. Itē. Si crimē aliquod inferatur ei qui ingenu' esse dicitur: libertatis causa suo ordine ante debet agi, cognitionē suā præside prębēte: quoniā si delictū probatū fuerit antea scire, necesse est vtrū vt in liberū & ingenuū, an vt in seruū cōstitui oporteat. Itē. Qui cōfitetur se pati cōtrouersiā status, frustra postulat sibi dari potestatē accusandi eū, qui se suū dominū esse fatetur. Causa verò libertatis terminata, si seru' pronūciatus fuerit: dñm suū accusare nō poterit. Cod. lib. ix. tit. ij.

3. pars. Leg. 4. eiusdem. Lib. 9. Codi. Titu. I. Qui accusare non. leg. 20.

Si quis enim ex familiaribus vel seruis cuiuslibet domus cuiuscūq; criminis delator atq; accusator emerserit, eius existimationē caput & fortunas petiturus, cuius familiaritati inhęserit vel dominio: ante exhibitionē testiū, ante examinationē iudicij, in ipsa expositione criminū, & accusationis exordio, vltore gladio feriatur. Vocē enim funestā interdici oportet potius quàm audiri. Maiestatis aūt crimē excipitur. Similiter etsi (Leg. 21. eiusdē.) liberti accusatores manumissorū hęredū've esse pręsumpserint, eodem quoq; vt serui supplicio tenebuntur, luituri pœnas ante prohibitæ delationis exordium.

CAVSA IIII.



Vidam vir in excommunicatione constitutus episcopum accusare disponit: adolescētem infra decimū & quartum. ętatis suę annū ad assertionem suę causę adducit. prohibitus ab accusatione adolescentem accusatorem, & se testem facit. adolescens personam accusatoris & testis gerere cupit. die statuta ad iudicium electorum iudicum veniunt. episcopus minimè occurrit, à communione suspenditur.

» ditur. tandẽ reuocato iudicio accuſator culpabilis in accuſa-
» tione inuenitur: demũ ad aſſertionẽ propriæ cauſæ procedit.
» 1 Hic primùm quæritur an in excommunicatione cõſtitu-
» tus alium accuſare valeat?
» 2 Secundò, an infra decimumquartum annum in criminali
» cauſa teſtari quis poſſit?
» 3 Tertiò, an ab accuſatione prohibitus, perſonã teſtificãtis
» poſſit aſſumere?
» 4 Quartò, an idem poſſit eſſe accuſator & teſtis?
» 5 Quintò, an die conſtituta nõ occurrens à communione
» ſit remouendus?
» 6 Sextò, ſi in epiſcoporum iudicio accuſatoris perſona cul-
» pabilis inuenta fuerit: an ad aſſertionem propriæ cauſæ de cæ-
» tero ſit admittenda?

QVAESTIO I.

AN EXCOMMVNICATVS ALIVM ACCVSARE VALEAT.

» De prima quæſtione ſic ſtatutum legitur in concilio » Carthaginẽſi ſeptimo, cui interfuit Fauſtinus Roma- » næ eccleſiæ legatus. GRATIAN. Cap. I. concil. Carthaginen. 7.

Ad accuſationẽ non admittatur, qui in excõmunicatione perſeuerat. 1

Diffinimus eum ritè ad accuſationẽ non admitti, qui poſt-quã excommunicatus fuerit, in ipſa adhuc excommuni- *Cap. 2. eiuſdem concil.* catione conſtitutus, ſiue ſit clericus ſiue laicus, accuſare volue-rit. omnes etiam infamię maculis aſperũ, id eſt, hiſtriones, aut turpitudinibus ſubiectæ perſonæ, hæretici etiam ſiue Pagani, ſiue Iudæi ab accuſatione prohibentur.

ITEM Nicolaus papa. *Nico. I. ad Michaelem Imper.*

Hæretici probantur qui ſciſmate vel excommunicatione ab eccleſia ſunt ſeparati. 2

QVòd autem hi qui iam à prę̨fato fratre & cõminiſtro no-ſtro Ignatio depoſiti vel excommunicati vel anathemati-zati fuerant, nullã aduerſus eum intorquere damnationẽ po-tuerunt: ex præfato ſecundæ vniuerſalis ſynodi capitulo decla ratur, cùm dicitur: Si verò eccleſiaſticum fuerit crimen quod epiſcopo illatum fuerit, tunc probari oportet accuſantiũ per-ſonas: vt primò quidẽ hæreticis non liceat accuſationes cõtra orthodoxos epiſcopos pro eccleſiaſticis facere negociis. Sed ne hos hæreticos eſſe denegemus, audite ſequentia. Hę̨reticos autem (inquiunt) dicimus tam eos qui olim ab eccleſia proie-cti ſunt, quàm qui poſt hoc à nobis anathematizati ſunt. Porrò ſi adhuc nec ſic creditis, audite quod ſubditur. Præter hos autẽ aiunt, & eos qui fidem quidẽ ſanam negant, vel ſimulant con fiteri, ſciſmaticos eſſe, & eos qui ſeorſum à communicãtibus

nobis episcopis collectas faciunt. Deinde verò & si quidā ab ecclesia super causis quibusdam reprehensi sunt & proiecti aut excommunicati, siue ex clero, siue ex laicali ordine: nec his licere accusare episcopum antequam proprio crimine primitus exuantur. Similiter autem & eos qui sub accusatione priori existunt, non ante esse acceptabiles in accusatione episcopi, aut aliorum clericorum, quàm innoxios semetipsos illatorū sibi ostenderint criminum. quid autē periculi regulæ huius immineat contemptoribus, non ignoratis.

QVAESTIO II. & III.

AN INFRA DECIMVM QVARTVM ANNVM IN CRIMINALI CAVSA TESTARI QVIS POSSIT, AN AB ACCVSATIONE prohibitis personā testificantis possit assumere.

Cap. 4. concilij Carthaginen. 7

SEcunda autem & tertia quæstio eodem concilio vno eodemque capitulo terminantur.

ILLVD verò est huiusmodi.

Qui ab accusatione repelluntur: aut ad annum decimumquartum nondum peruenerint testes esse non possunt. 2

TEstes autem ad testimonium non admittēdos esse censemus, qui nec ad accusationē admitti iussi sunt: vel etiā eos quos ipse accusator de domo sua produxerit. Ad testimoniū autem infra annum decimumquartum suæ ætatis constituti non admittantur. ITEM ex conc. Maticeñ. cap. vj.

Translatum est hoc cap. in decretales. tit. de testibus. ca. j.

De eodem. *Palea.* 3

PLacuit sancto conuentui, vt testes ad testimonium dicendum precio non conducantur: & vt quique optimi & fideliores in testimonium assumantur: vt is contra quem testimonium ferre debent, nullam eis possit afferre calumniam, & vt nullus testimonium dicat nisi ieiunus. Item. In criminali causa. Produci testis non potest qui anteà in eum reum testimonium dixerit: sicut in xxij. lib. ff. titu. de testibus inuenitur.

2. pars. GRATIAN. Titu. de testibus lege 22. L. eg. 21.

ITEM titulo eodem. 4

SI testes omnes eiusdem honestatis & existimationis sint, & negocij qualitas, ac iudicis motus cum his concurrit: sequēda sunt omnia testimonia. Si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero: credendum est quòd naturæ negocij conuenit: & quòd inimicitiæ aut gratiæ suspitione caret. confirmabitque iudex motum animi sui ex argumētis & testimoniis quæ rei aptiora, & veritati proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet: sed ad synceram testimoniorum fidem, & testimonia quibus potius lux veritatis assistit. Itē. In testibus, fides, dignitas, mores, grauitas moderan-

Lege 2. eiusdem

moderanda vel examinanda est: & ideo testes qui aduersus fidem suæ testationis vacillant: audiendi non sunt. Item Testiũ fides diligenter examinanda est. Ideoque in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusque: vtrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpatæ vitæ: an verò notatus sit quis & reprehẽsibilis, an locuples, an etiam egenus sit, vt lucri causa quid facilè admittat: vel an inimicus sit ei aduersus quem testimoniũ fert, vel amicus eius sit, pro quo testimonium dat. nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam à qua profertur, quòd honesta sit, vel propter causam, quod neq; lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ causa sit, admittendus est. Item. Lege Iulia de vi cauetur ne hac lege in reum testimoniũ dicere liceret, qui se ab eo parentéve eius liberauerit, quíve impubes erit: quíve iudicio publico cõdemnatus erit: quive in vinculis custodiáve publica erit: quíve eorum in integrum restitutus non erit, qui ad bestias vt depugnaret se locauerit, quíve palàm quæstum facit feceritve, quive ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniã accepisse iudicatus vel conuictus fuerit. Item. Lege Iulia publicorum iudiciorum cauetur ne inuito denuncietur, vt testimonium dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, priuignam, sobrinum, sobrinam, sobrino sobrináve natum, eósve qui in propiore gradu sunt Item. Ne liberto ipsius liberorúmve eius & parentum viri & vxoris. Item. Ne patroni & patronæ aduersus libertos, neque liberti aduersus patronos cogantur testimonium dicere. Cùm autem excipitur ne gener vt socer inuitus testimonium dicere cogatur: generi appellatione sponsum quoque filiæ contineri placet. Itẽ. Soceri sponsæ patrem. Item. Idonei non videntur esse testes quibus imperari potest vt testes fiant. Item. Serui responso tunc credendum est, cùm alia probatio ad eruendam veritatẽ non est. Item. Inuiti testimonium dicere nõ cogantur senes, valetudinarij, vel milites, vel illi qui cũ magistratu reipublicæ causa absunt: vel quibus venire non licet. Publicani etiam testimonium non dicunt inuiti. Item. Is qui non detrectandi causa testimonij aberit. Is qui exercitui præbenda conduxerit. Sed nec pupillis testimonium denunciari potest. Item. In testimonium accusator citare non debet eum qui publico iudicio reus fuerit, aut qui minor xx. annis erit. Item. Ob carmen famosum damnatus, intestabilis erit. Item. Si res exigit: non tantum priuati, sed etiam magistratus, si in præsenti sunt, testimonium dicant. Prætor quoque testimonium dare debet in iudicio de adulterij causa. Si autẽ ea rei conditio sit, vbi arenarium testem vel similem personam admittere cogimur: sine tormẽto testimonio eius credendum nõ est. Item. Testes

Marginal notes: Leg. 3. — 3. pars. — Leg. 4. eiusdem. — Leg. 5. — Leg. 6. — Leg. 7. — Leg. 8. — Leg. 19. — Leg. 20. — Leg. 21. — Leg. 24. eiusdem

quos

Leg. 25. quos accusator de domo propria produxerit, interrogari non placuit. Patroni quoq; in causa cui patrocinium prȩstãt, testimonium nõ dicant. quod etiã in executoribus negociorũ obseruandum est. Itẽ. Qui falsò vel variè testimonia dixerunt,
4. pars. Leg. 16. vel vtrique parti prodiderunt: à iudicibus cõpetenter puniuntur.
Leg. 17. Itẽ. Pater & filius qui in potestate eius est. Itẽ. Duo fratres qui in eiusdẽ patris potestate sunt, testes vtrique in eodẽ téstamento esse, vel eodẽ negocio possunt fieri: quoniam nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negocio adhiberi. Itẽ.
Leg. 15. eiusdẽ. Hermaphroditus an ad testimonium adhiberi possit, qualitas
Leg. 9. sexus incalescentis ostendit. Item. Testis idoneus pater filio,
Leg. 10. aut filius patri nõ est. Itẽ. Nulus idoneus testis in re sua intelligitur. Item. Ad fidem rei gestæ faciendam etiã non rogatus
Leg. 3. §. Ideoque. testis intelligitur. Itẽ. Vbi numerus testium nõ adiicitur, etiã duo sufficiunt. pluralis enim locutio, duorũ numero contẽta est. Itẽ. In testibus cõsiderandum est qui simpliciter testimonium dicant, vtrum vnum eundemq; meditatum sermonem afferant: an ad ea quæ interrogantur, ex tẽpore verisimilia respõdeant. Item. Sæpe etiã sine publicis documentis cuiuscũque rei veritas deprehẽditur, aliàs numerus testiũ: aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti consentiẽs fama confirmat rei de qua quæritur fidem. Non ergo ad vnã probationis speciẽ cognitionem suã iudex alligare debet: sed ex sententia animi sui existimare quid aut credat, aut parum sibi probatũ opinetur.
Titu 20. Itẽ. Alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorũ quæ recitari solent. Item Codice, libro quarto, tit. de testibus.
Leg. 1. Soli testes ad probationẽ ingenuitatis nõ sufficiunt, nisi instru
Leg. 2. mentis & argumentis adiuuentur. Item. Etiã ciuili iure do-
Leg. 3. mestici testimonij fides improbatur. Item. Solam attestationem prolatam, nec aliis legitimis adminiculis causam appro-
Leg. 4. batam, nullius esse momenti certum est. Itẽ. Eos testes ad veritatem adiuuandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ & potentatui fidem religioni iudiciariæ debitã possunt prȩponere.
Lege. 5. Item. Parentes & liberi inuicem aduersus se nec volentes, etiã
Lege. 6. ad testimonium admittendi sunt. Item. Qui intendit, suæ intentioni proprias debet afferre probationes, non petere aduersarium cogi ad exhibitionem eorum, per quæ sibi negocium
Leg. 7. fiat. Item. Serui neque pro domino, neque aduersus dominũ,
Leg. 8. sed pro facto suo interrogari possunt. Item. Iurisiurandi religione testes priusquam perhibeant testimonium, coerceantur: & honestioribus potius fides testibus adhibeatur. Vnius verò testimonium nemo iudicum in quacunque causa facilè patiatur admitti: imò vnius testis responsio omnino non au-
Leg. 9. diatur, etiam si præsidalis curię honore præfulgeat. Item. Omnibus in re propria dicendi testimonia facultatẽ iura submouerunt.

uerunt. Item liberi testes ad causas postulentur alienas, si socij & participes criminis non dicãtur, sed fides ab his notitiæ postuletur. Venturis autem ad iudicium: per accusatorem, aut ab his per quos fuerint postulati, sumptus competẽtes ministrẽtur, etiam si in pecuniaria causa ab alterutra parte testes sint producendi. Item. Liberti aduersus patronos sponte procedere non audeãt: Sed nec vocati quidem in iudicio venire cogantur. Si quis testibus vsus fuerit: ijdemque testes aduersus eum in alia lite producãtur: non licebit ei in eorum personas excipere, nisi ostẽderit inimicitias inter se & illos postea emersas fuisse: quibus testes repelli leges præcipiunt, non adimenda scilicet ei licentia ex ipsis depositionibus testimonium eorum arguere. Sed si liquidis probationibus datione vel promissione pecuniarum eos corruptos esse ostenderit: eam etiam allegationem integram ei seruare oportet. Leg. 10. Leg. 11. Leg. 13.

„ Sed obiicitur illud B. Bricij, qui voce pueri triginta dies ab- GRATIAN.
„ ortu habentis innocẽs probatus est. Sed miracula diuina sunt
„ admiranda, non in exemplum humanæ actionis trahenda.

QVAESTIO IIII.

AN IDEM POSSIT ESSE ACCVSATOR ET TESTIS.

DE quarta verò quæst. Fabianus papa constituit dicens. *Fab. epist. 2. ad episc. Oriẽtales Ex magno Iuo. part. 6.*

Accusator & testis vel iudex aliquis simul esse nõ potest. 1

NVllus vnquã præsumat accusator simul esse & iudex vel testis: quoniã in omni iudicio quatuor personas semper necesse est [a] esse. i. iudices electos, accusatores [idoneos] defensores [congruos:] atque testes [legitimos.] Iudices autẽ debent vti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificandam causam: defensores extenuatione ad minuendam causam. ITEM Damasus papa. *Damasus epi. 3.*

a adesse, Inclusa desunt.

Quilibet in causa duas personas gerere non valet. 2

NVllus introducatur personaliter ad causam: sed accusatores & accusati æqua audiantur ratione iuxta quod ordo exigit. Accusatores verò & iudices non iidem sint: sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, vnusquisque in suo ordine. *2. pars.*

„ Inscriptio semper fiat: vt talionẽ calumniator recipiat: quia GRATIAN.
„ ante inscriptionẽ nemo debet iudicari vel damnari, cum leges
„ seculi hæc eadẽ retineant: vt Cod. lib. ix. tit. de accusationibus *Tit. 2. de accusationi.*
„ & inscriptionibus. & Cod. eod. lib. de adulteriis, & tit. de abi-
„ geis. Aliquando etiã sine inscriptione accusatio fieri potest.
„ Ea enim quæ per officiales præsidibus nunciantur, etiã citra
„ solennia accusationũ posse perpendi incognitum non est. Itẽ.
„ Codice de adulteriis. Si maritus iure mariti, hoc est, intra lx. *Lib. 9. C. tit. 9.*

dies

ad l. Iuliam de adulteriis. & stupro. Lib. 9. C. ti. 37 de abigeis.

dies vtiles adulterium vxoris suæ accusare voluerit, quàm ex suspicione sola ream facere valet: non continetur vinculo inscriptionis. Item. Abacti animalis accusatio non solum cum inscriptionibus, sed etiam sine ea obseruatione proponitur.

Lib. 9. C. tit. 2. de accusationib.

Item. Si quis se iniuriã ab aliquo passum putauerit, & querelam deferre voluerit, non ad stationarios recurrat, sed præsidalem adeat potestatem, aut libellos offerens: aut querelas suas apud acta deponens. In aliis autem criminalibus causis dignũ est vt inscriptiones proponãtur: quæ magnitudinem videlicet criminis, tempusque designẽt, vt alterutram partem digna legum terrere possit auctoritas. Inscriptio verò semper fiat, vt talionem calumniator recipiat: quia ante inscriptionem nemo debet iudicari vel damnari, cùm seculi leges hæc eadem retineant. De domo etiam iudicis accusator vel testis produci nõ debet, ne in causam suspicionis incidat iudex.

3. pars.

Ad Michaelem imperatorem.

VNDE Nicolaus papa.

Suspicionis incidet in crimen iudex, de cuius domo vel accusator vel testis producitur. 3

CONtra ritum ecclesiasticum, contraque venerandas leges producitur accusator vel testis de imperialibus ædibus, & cui imperari potest. Cùm ad falsum testimonium dicendum quis adhibetur: fiunt suspecti iudices, & lupi custodes.

QVAESTIO V.

AN DIE CONSTITVTA NON OCCVRRENS, A COMMVNIONE SIT REMOVENDVS.

Cap. 7. concilij carthagin. 3.

DE quinta verò quæstione in concilio Carthaginensi quarto sic inuenitur diffinitum.

Non est à communione suspendendus, qui die statuta ad causam venire non potuit. 1

QVisquis episcoporum accusatur, ad primates prouinciæ ipsius eius causam deferat accusator, nec à cõmunione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicum die statuta literis euocatus minimè occurrerit: hoc est intra spatium mensis ex ea die qua eum literas accepisse constiterit. Quòd si veras aliquas necessitatis causas probauerit, quibus occurrere non potuisse manifestum sit, suæ causæ dicendæ intra alterum mensem integrã habeat facultatem, verum tam diu post mensem secundum nõ communicet, donec purgetur. Si autẽ ad vniuersale cõcilium occurrere noluerit vt vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse iudicetur. Tempore sanè quo non communicat, nec vel in sua ecclesia vel parœcia cõmunicet. Accusator autem eius si nunquã diebus causæ dicendæ defuerit,

rit, subtrahens se à communione nō remoueatur. Si verò aliquando defuerit subtrahens se restituto in communione episcopo: remoueatur à communione accusator, ita tamē vt nec ipsi adimatur facultas peragendę causæ, si se ad diem statutum non noluisse sed non potuisse occurrere probauerit.

QVAESTIO VI.

SI IN EPISCOPORVM IVDICIO ACCVSATORIS PERSONA CVLPABILIS INVENTA FVERIT, AN AD ASSERTIONEM propriæ causæ de cætero sit admittenda.

SExta verò quæstio eodem capitulo terminatur, in quo sequitur.

In ciuili & proprio duntaxat negocio ad arguendum admittitur, qui in episcopi accusatione culpabilis inuenitur. 1 Cap. 7. concilij Carthaginen. 3.

ILlud verò placuit, vt dum agere cœperit in episcoporū iudicio, si fuerit accusatoris persona damnabilis, de cætero ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen ecclesiasticas vel criminales asserere voluerit.

ITEM ex concilio Carthaginensi octauo. Cap. 2. concilij Carthaginen. 7.

Propriam causam agere valet, cui accusare non licet. 2

OMnibus quibus accusatio denegatur in propriis causis, accusandi licentia non est deneganda.

ITEM Felix papa omnibus episcopis. Ex cap. 13. epistol. decretalis.

In accusatione episcoporum deficiens ciuiliter tantū experiri poterit. 3

SI accusatorum personæ in iudicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, non tamen criminales vel ecclesiasticas voluerint. ITEM Hadrianus papa.

De eodem. 4

QVòd si accusatorum personę in iudicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere: vt supra eisdem verbis.

CAVSA V.

GRAT.

" IN infamiam cuiusdam episcopi chartula accu-
" sationis occultè conscribitur, tandem accusator
" procedit in publicū. Episcopus autē semel lite-
" ris euocatus, causæ suæ die statuta adesse non va-
" lens, per procuratorē iudici se repræsentauit, abs-
" que synodali audientia damnatur. Denuum iudicio per appel-
" lationem reuocato, de accusatoris inimicitia episcopus con-
" queritur, tandem in ipsa probatione deficit accusator.
" 1 Primò quæritur, qua pœna sit feriendus qui famosum li-
" bellū clanculo scribēs, probare negligit quæ literis mandauit.

Secundò,

2 Secundò, quotiens sit vocandus ad causam antequam sententiam damnationis accipiat. "
3 Tertiò, an per procuratorē causam suam agere valeat, qui per seipsum causæ suæ adesse non potest. "
4 Quartò, an absque synodali audientia sit damnandus. "
5 Quintò, an ideo aliquis habendus sit inimicus, quia crimē alterius indicat. "
6 Sextò, qua pœna sit plectendus qui quod intulit, probare non valet. "

QVAESTIO I.

QVA POENA SIT FERIENDVS, QVI FAMOSVM LIBELLVM CLANCVLO SCRIBENS PROBARE NEGLIGIT QVAE LITERIS MANDAVIT.

DE prima quęstione Hadrianus papa scribit dicens.

Flagelletur qui scripta in alterius famam neglexerit probare. 1

QVi in alterius famam publicè scripturam aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus, scripturā nō probauerit, flagelletur: & qui eam prius inuenerit, rumpat si nō vult auctoris facti causam incurrere. ITEM Gregorius.

Greg. epist. 30. siue ca. 130. l. 5

De eodem. 2

QVidam maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalē nostrum nocturno silentio in publico ciuitatis loco contestationē posuit in eius crimine loquentem: mihique etiam asserebat eū de facienda pace callidè contradicentem. qui si non exierit, neq; publicè confessus fuerit: quisquis ille sit qui hoc agere præsumpserit, vel consensum tantæ iniquitatis consilio præbuerit: ex dei & domini nostri Iesu Christi spiritu diffinimus, vt sancti eius corporis & sanguinis participatione priuatus sit. Si verò (quia latet, & quoniā nescitur) teneri ad disciplinā non valet, si tanti mali conscius, & prohibitus, corpus ac sanguinē dñi percipere præsumpserit, anathematis vltione percutiatur, & vt fallax ac pestifer à sanctæ ecclesię corpore sit diuisus. Sin autē in eadē ciuitate ingressus publicè poterit docere quæ dixerit, vel fortè sciens se non posse quæ scripsit ostendere errorē suum fuerit apertè confessus: dominici corporis ac sanguinis participatione non sit priuatus: neque à sanctæ ecclesiæ corpore alienus existat. ITEM in concilio Elibertano.

Cap. 52.

Anathematizentur qui famosos libellos in ecclesia ponunt. 3

SI qui inuenti fuerint famosos libellos in ecclesia ponere: anathematizentur.

GRATIA. Item Codice libro ix. tit. de famosis libellis imperatores Valentinianus & Valens. "

Si quis

Si quis famosum libellum siue domi, siue in publico, siue in quocunque loco ignarus repererit: aut corrumpat priusquã alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Si verò nõ statim easdem chartulas vel corruperit, vel igne combusserit, sed vim earũ dolosè manifestauerit: sciat se quasi auctorẽ huiusmodi delicti capitali sentẽtiæ subiugandum. Huiusmodi autẽ libellus alterius opinionem non lædat.

QVAESTIO II.

QVOTIENS SIT VOCANDVS AD CAVSAM ANTEQVAM SENTENTIAM DAMNATIONIS ACCIPIAT.

GRAT.

„ Vocatio autem eius qui impetitur: non semel, sed bis
„ & tertiò per congruum spatium rationabilibus scriptis
„ debet fieri. VNDE Damasus papa scribit dicens.

Epist. 3. Stephano archiepiscopo Mauritaniæ.

Vocatio ad synodum eius qui impetitur: & in scriptis, & per spatium fiat congruum. I

Vocatio ad synodum iuxta decreta patrum canonica eius qui impetitur, rationabilibus scriptis per spatium debet fieri congruum atq; canonicũ: quia nisi canonicè vocatus fuerit suo tempore, & canonica ordinatione: licet venerit ad conuentum quacunq; necessitate: nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus. ITEM Siluester papa.

Quibus temporum spatiis reus vocetur ad causam. 2

PRæsenti decreto censemus, vt in primis paternaliter vocentur, & per septem dies expectentur, nullius ecclesiasticæ rei interdicta licentia. Huic verò expectationi iterũ addãtur vij. dies, interdicta ecclesiam intrãdi licentia, & oĩa diuina officia audiẽdi. Post verò addantur ij. dies, quibus à pace & cõmunione sanctę ecclesię sint suspẽsi. Deinde verò iterũ aliis duobus diebus sub eadẽ expectatione expectẽtur: quibus vno die superaddito, omni expectatione velut iam desperata reus mox anathematis gladio feriatur. ITEM Damasus papa.

Epist. 6. ad episcopos Italiæ.

Nullius accusatio per scripta suscipiatur. 3

RElatum est ad sedẽ apostolicã vos accusationes fratrũ per scripta suscipere absq; legitimo accusatore: quod deinceps in omni orbe terrarũ fieri apostolica auctoritate prohibemus: & quod nuper factum est, absque vlla retardatione corrigere curamus: nec vnquam prius per scripta eorum qui accusantur, causas discutere, quàm per querelantium institutionem vocati canonicè ad synodum veniant, & præsens per præsentem agnoscat veraciter & intelligat ea quæ ei obiiciuntur. Leges enim seculi accusatores præsentes exigũt, & nõ per scripta absentes. Vnde canonica patrũ instituta non semel sed sæpissimè clamant, nec accusationes nec testimonium vllum per scripta

posse proferri: nec de aliis negociis quicunque testimonium dicant, nisi de his quæ sub eorum præsentia acta esse noscuntur. Similiter & qui accusare alium elegerit, præsens per se nõ per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Neq; vllus vnquam iudicetur antequam legitimos accusatores præsentes habeat, & locum defendi accipiat ad abluenda crimina. Curandũ quoq; est ne ira cuiquã surrepat: faciatq; citius omne quod

Felix 2. cap. 3. decreti sui.

nõ licet. ITEM Felix pa. Anast. & omnib. orientalib. episc.

Vi aut timore eiecti, aut suis reb.u expoliati, ad synodũ nõ vocentur. 4

SI primates accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minimè potuerint, tunc tẽpore legitimo eos ad synodũ canonicè antea conuocatã, nõ intra angusta tempora canonicè cõuocent, & nõ prius quã eis per scripta significent quid eis opponitur: vt ad respõsionẽ præparati adueniãt. Nam si aut vi aut timore eiecti, aut suis rebus expoliati fuerint: nec canonicè ad synodũ vocari possunt: nec resp õdere æmulis debẽt antequã canonicè restituãtur, & oĩa sua legaliter eis reddãtur.

GRAT.

His auctoritatibus euidentissimè datur intelligi, quòd nisi quis canonicè vocatus fuerit: etiam si aliqua occasione ad synodum veniat: suis nullatenus cogitur respõdere insidiatoribus. Canonica autem vocatio est, quãdo seruato dierum interstitio secundum auctoritatem B. Siluestri, causæ suæ literis adesse iubetur: quibus quid ei obiiciatur, auctoritate Felicis papæ significari oportet.

QVAESTIO III.

AN PER PROCVRATOREM CAVSAM SVAM AGERE VALEAT, QVI PER SEIPSVM CAVSAE SVAE ADESSE NON POTEST.

GRAT.

QVÒD autẽ per procuratorẽ causam suã agere valeat, qui impeditus causæ suæ adesse non valet, auctoritate Romanæ synodi, quæ tempore Hadriani papæ celebrata est, probari videtur: in qua sic statutum legitur.

Felix pa. 1. epi. 2. ad episcopos Galliæ.

Pro se legatum ad synodum mittat, quem grauis necessitas premit. 1

SI ægrotãs fuerit episcopus, aut aliqua eum grauis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodũ mittat, nec à communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suã dicendã venire electorũ iudicum die statuta literis euocatus nõ occurrerit: hoc est, nisi eum aliena præoccupauerit necessitas, intra spatium duorum vel trium mensium vel eo amplius: prout causa dictauerit. Codi libr. ix. titu. de accusationibus &

Titulo 2. leg. 3.

inscriptionibus Imperator Alexander Aug.

GRAT.

Reos capitalium criminum absentes etiã per procuratores defendi, leges publicorum iudiciorum permittunt.

GRAT.

Ecce quòd episcopus impeditus & causæ suæ adesse non valens,

" valens, legatum pro se iubetur ad synodum mittere: sed lega-
" tus iste non ad causam agendum, sed ad necessitatem per præ-
" sentiam suam synodo exponendam mittitur, qua impeditus
" episcopus synodo præsentiam suam exhibere nō valuit. Cau-
" sam autem (maximè criminalem) nulli nisi per se agere licet.

VNDE Hadrianus papa ait.

Criminaliter accusans vel accusatus, per se experiatur. 2

IN criminalibus causis nec accusator nisi per se aliquem accusare potest: nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur. ITEM Anacletus papa.

Iuo il refert ex cod. li. 4. de accusationibus.

In omnibus causis, præterquam in criminalibus, episcopi & sacerdotes pro se aduocatum habeant. 3

QVia episcopus vniuersiq; sacerdotes ad solam laudē Dei, bonorumq; operū actiones constituuntur, debet vnusquisque eorū tam pro ecclesiasticis, quàm etiā pro suis actionibus (excepto publico videlicet crimine) habere aduocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis & laudabilis artis inuentum: ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant.

QVAESTIO IIII.

AN ABSQVE SYNODALI AVDIENTIA SIT DAMNANDVS.

" QVÒD autem absque synodali audientia damnari non
" debeat, authoritate Iulij papæ probatur, qui ait.

GRAT. Epist. 1.

Nisi in legitima synodo episcopus iudicari vel audiri nō debet. 1

NVllus episcopus nisi in legitima synodo & suo tempore apostolica auctoritate cōuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur vel iudicetur vel dānetur. Sin autem aliter à quibusdam præsumptum fuerit, in vanum deducatur quod egerint: nec inter statuta ecclesiastica vllo modo reputetur. ITEM Zepherinus vrbis Romæ archiepiscopus omnibus episcopis.

Episcopus accusatus à duodecim audiatur, causa verò finis ad sedem apostolicam deferatur. 2

Epist. 1. ad episcopos Siciliæ.

DVodecim iudices quilibet accusatus episcopus (si necesse fuerit) eligat, à quibus eius causa iudicetur: nec prius audiatur aut excōmunicetur vel iudicetur, quā ipsi per se eligātur: & regulariter vocatus ad suorū primo conuentū episcoporū, per eos causā eius iustè audiatur, & rationabiliter decernatur. Finis verò causæ suæ ad apostolicā sedē deferatur, vt ibi determinetur: nec antea finiatur, quam eius auctoritate fulciatur. Quòd verò absq; synodali audientia episcopus damnari prohibetur, sine præiudicio Romanæ sedis oportet intelligi: quæ sua auctoritate quosq; valet damnare, vel dānatos absoluere.

Vnde Gelasius papa: Ipsi sunt canones, &c. infrà causa ix. Sententia excommunicationis notatus. Item Hadrianus. Saluo Romanæ ecclesiæ in omnibus primatu, manifestum est quòd illa quæ sunt per vnamquamq; prouinciā, ipsius prouinciæ synodus dispenset, sicut in Niceno decretū constat esse cōcilio. Cùm verò accusatus ad concilium venerit: quicquid cōsidentium consultationibus agitur, aut quod ab accusantium parte proponitur, nō cōtentiosis vocibus, sed mitissima verborū relatione proferatur. VNDE in Toletano conc. xj. legitur.

Cap. I.

In cognitione causarum contentiosi locum non habeant. 3

Citatur in formula celebrãdi concilij.

IN loco benedictionis cōsidentes domini sacerdotes nullus debet aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare: nullus etiā fabulis vanis vel risibus agi: &(quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim (vt Apostolus ait) putat se religiosum esse, non refrænans linguā suam, sed seducēs cor suū: huius vana est religio. cultum enim suum iustitia perdit quādo silentia iudiciorum obstrepentium turbo confundit: dicente propheta: Erit cultus iustitię silentiū. Debet ergo quicquid aut cōsidentium consultationibus agitur, aut ab accusantiū parte proponitur: sic mitissima relatione verborum proferri, vt nec contētiosis vocibus sensus audientium perturbent, nec iudicij vigorem tumultu eneruent. Quicunq; ergo in conuentu concilij hæc quæ præmissa sunt violanda crediderit: & contra hæc interdicta aut tumultu aut cōtumeliis vel risibus conciliū perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictū quo præcipitur: Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium: cum omni dedecore de consessione abstractus à communi cœtu secedat, & triū dierū excommunicationis sententiam ferat.

Iac. I. — Esaia 32. — Prouerb. 22. b

QVAESTIO V.

AN IDEO ALIQVIS HABENDVS SIT INIMICVS, QVIA CRIMEN ALTERIVS INDICAT.

GRATIA. Epist. 109. ad monachas.

NVNC autem quæritur, an sit aliquis iudicandus maleuolus: quia crimen alterius indicat.

DE hoc scribit B. Augustinus dicens.

Magis nocet qui crimen celat, quàm qui amicabiliter indicat. I

NOn vos iudicetis esse maleuolos quando crimen alterius indicatis. magis quippe nocentes estis non indicādo crimen, quàm si fratres vestros quos indicādo corrigere potestis, tacēdo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habeat in corpore quod vult occultari cùm timet secari: nónne crudeliter à te siletur, ac misericorditer indicatur? quātò ergo potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde.

IDEM

IDEM ad Vincentium Donatistam & Rogatistam. Epist. 48.

Nec qui parcit est amicus: nec qui verberat, est inimicus. 2

NOn omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus est. Meliora enim sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. melius est enim cũ seueritate diligere, quàm cũ lenitate decipere. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiã negligat, quàm esurienti panis frãgatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicũ excitat, ambobus molestus ambos amat. Quis potest nos amplius amare q̃ Deus? & tamẽ nos nõ solũ docere suauiter, verumetiã salubriter terrere non cessat. fomentis lenibus quibus deus oẽs consolatur, sæpe etiã mordacissimum medicamentum tribulationis adiungit. Exercet famæ patriarchas etiam pios & religiosos: populũ contumacẽ pœnis grauioribus agitat. non aufert ab Apostolo stimulũ carnis tertio rogatus: vt virtutẽ in infirmitate perficiat. & infra. Noueris aliquãdo furem auertendis pecoribus pabulũ spargere, & pastorẽ aliquando flagello ad gregẽ pecora errãtia reuocare. 2. Cor. 12.

ITEM ex sermone Ambr. qui sic incipit: Amarior fortasse. Serm. 84.

Non odio habetur, sed diligitur, qui castigatur & corripitur. 3

NOn osculatur semper pater filium, sed aliquando castigat; ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt cùm amatis amarissimè inferũtur. dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blãda remissio. Vnde ait propheta: Dulciora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Prou. 27. a

„ Ex his verbis datur intelligi, quòd magis confert vtilitati „ fraternæ qui crimen accusando vel indicando prosequitur, „ quàm qui celando fouere nititur. Eusebius autem contra sta„ tuere videtur, dum aliorum crimina spontè cõfitentes in epis„ coporum accusatione recipi prohibet dicens. GRATIAN.

Ad accusationẽ nõ admittantur aliorũ crimina spontè confitentes. 4 Epist. 1. ad episcopos Galliæ.

ILli qui aut in fide catholica, aut in inimicitia suspecti sunt: ad pulsationẽ episcoporũ non admittantur, nec illi qui aliorum crimina spontè cõfitentur. Et ideo replicanda est solicitè veritas, quam spontè prolatã in illis vox habere nõ potest: hãc diuersis cruciatibus è latebris suis religiosus tortor exigere debet, vt dum pœnis corpora subiiciuntur, quæ gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur. ITEM in Prouerb. 5 Prouerb. 11. b

QVi ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum. Item infra. Quæ viderũt oculi tui, ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis cùm dehonestaueris amicum tuum. Ibidem.

„ Sed aliud est ex charitate aliorum crimina deferre: vt quos „ secreta admonitione corrigere non possumus, conuictos iu- GRATIAN.

dicis sententia corripiat, atque aliud insidiando falsa obiicere, vel insultando vera facilè exprobrare. Illud verò charitatis: hoc autem impietatis est officium. Vnde in eisdem prouerbiis dicitur. Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. & ¶. Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. Item. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij. Item. Qui custodit os suũ, custodit animam suam. qui autem inconsiderate loquitur, sentiet mala. Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit & confundetur. Item. August. in Psal. xxxiij. Si aliquando humana infirmitate pedes nostri in aliquod peccatum mouentur, insurgunt linguę iniquissimorũ inimicorũ: cum fuisset miserendum, irrident impij, vnde dolent pij.

Prouerb. 21.

Au. ad ps. 37. ad versum: Quia dixi nequando.

QVAESTIO VI.

QVA POENA SIT PLECTENDVS QVI QVOD INTVLIT, PROBARE NON VALET.

QVI autem quod intulit, probare non valet: puniendus est. VNDE Hadrianus papa ait.

Puniatur, qui aliis falsa intulerit. 1

OMnis qui aliis falsa intulerit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiam. ITEM Gregor. papa.

De eodem. 2

QVi calumniá illatá nõ probat, pœná debet incurrere, quá si probasset, reus vtiq; sustineret. IDEM in regesto.

Qua pœna feriatur, qui crimen illatum non probat. 3

QVia iuxta patrum sententias canonicas qui calumniam illatam non probat, pœná debet incurrere: ac per hoc quia subdiaconus crimen diacono probare non potuit, quoniá impositionem manus (qua carere potuisset) non habuit: nõ solũ sacerdotio, sed officio caruit, & tanquam reuera infamis meruit verberibus castigari. Nam cui cum tribus testibus veluti laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum quod obiicit dum probare non sufficit, si corporali infamiæ quemadmodũ laicus ex iuris similitudine subiugatur, quod enim esset diacono gradũ omittere, hoc fuit subdiacono famæ plenitudine caruisse. Cod. lib. j. tit. de episcop. & clericis, Imperator Theodosius. Presbyteri citra iniuriam quæstionũ testimonium dicant: ita tamen, vt falsa nõ simulẽt. Cæteri verò clerici qui eorundem gradum vel ordinem sequuntur, si ad testimonium dicendum periti fuerint, prout leges præcipiunt audiantur: salua tamen sit litigatoribus falsi *accusatio, si forte presbyteri qui suo nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem iniuriam sunt præcepti: hoc ipso quod

Leg. 8. 2. pars. Cap. 4.

*actio,

quod nihil metuunt, vera suppresserint. multo magis etenim pœna sunt digni quibus cum plurimum honoris per nostram iussionem delatum est, si occulto inueniuntur in crimine.

Item constitutione iij. col. ix. Presbyteri seu diaconi si falsum testimonium dixerint, si quidem in re pecuniaria, diuino ministerio duntaxat per tres annos separati monasterio tradātur. si in criminali clericatus honore nudati legitimis pœnis subiiciantur. Cæteri verò clerici communi iure officio ecclesiastico pulsi, sine delectu causæ legitimè coerceantur. Cap. 5.

IDEM Ianuario episcopo. Idem Gre. epist. 24. lib. 3.

Ad sanctæ communionis ministerium non accedat, qui crimen illatum non probat. 6 3. pars.

EPiphanium presbyterum quorundā sacerdotum literis criminaliter accusatum, cuius nos (vt valuimus) causas discutientes, nihilq; in eo obiectorum reperientes: vt ad locum suū reuerteretur absoluimus. criminis ergo auctores volumus te perscrutari: & nisi is qui eandem transmisit epistolam, paratus fuerit hoc quod obiecit, canonicis atque districtissimis probationibus edocere: nullatenus ad sanctæ communionis † ministerium accedat. ITEM ex decreto Hadriani papæ. † mysterium

Qua pœna delator sit feriendus. 7

DElatori autem lingua capuletur: aut cōuicto caput amputetur. Delatores autem sunt qui inuidia produnt alios.

ITEM ex concilio Elibertano. Cap. 73. Extant in veteribus sub palearum notis.

De eodem. *Palea.* 8

DElator si quis extiterit fidelis, & per delationē eius aliquis fideliū fuerit proscriptus vel interfectus: placuit non nisi in fine accipere communionem. si leuior causa fuerit, infra quinquennium accipere poterit communionē. si catechumenus fuerit, post quinquennium admittitur ad baptismum.

ITEM ex octaua synodo.

Qui innocentem falso crimine maculauerit, sacerdotis arbitrio pœnitentia diuturna purgetur. *Palea.* 9

SI quis falsum dixerit, vel personam innocentis falso crimine maculauerit: iuxta sacerdotis arbitrium diuturna pœnitentia expurgetur. ITEM ex conc. Agatheñ. Cap. 32.

A communione coërceatur vel secularis vel laicus, qui ecclesiam vel clericum per calumniam fatigauerit. 10

SI quis verò sæcularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare præsumpserit, & conuictus fuerit: ab ecclesiæ suæ liminibus, & à catholicorum cōmunione (nisi dignè pœnituerit) coërceatur.

CAVSA VI.

GRATIA. DVo fornicatores, & infamia notati quendam religiosum episcopum de simonia accusare nituntur: reus alterius prouinciæ archiepiscopi iudicium expetit: tandem in probatione deficit accusator: reus cogitur ad suæ innocentiæ assertionem.

1 Quæritur primo, an crimine irretiti, vel infamia notati ad huius accusationem sint admittendi?

2 Secundo, si episcopus in eos accusationẽ vertere voluerit: an simplici assertioni suæ sit fides adhibenda?

3 Tertio, si liceat sibi expetere iudicium archiepiscopi alterius prouinciæ?

4 Quarto, cuius iudicium sibi sit expetendum, si circa suam sententiam episcopos suæ prouinciæ discordare contigerit?

5 Quinto, si in probatione deficit accusator: an reus sit cogendus ad probationem suæ innocentiæ?

QVAESTIO I.

AN CRIMINE IRRETITI VEL INFAMIA NOTATI AD ALICVIVS ACCVSATIONEM SINT ADMITTENDI.

Epist. 2. episcopis Italiæ.

QVòd autem crimine irretiti alios accusare non possint, Anacletus papa testatur dicens.

A criminosis sacerdos accusari non permittitur. 1

SI sacerdos sine crimine eligi præcipitur, nullatenus à criminosis accusari aut calumniari permittitur: nec ab aliis quàm ab his qui sine crimine sunt, & iuxta electionem canonicam sacerdotes ordinari possunt: & tales per omnia inueniuntur quales sacerdotes eligi iubentur.

ITEM Hadrianus papa.

Infames & qui culpis exigentibus ad sacerdotium prouehi non possunt, sacerdotes non accusent. 2

OMnes verò infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant: & omnes qui culpis exigentibus ad sacerdotium nõ possunt prouehi. indignum est enim vt illi eos accusent, qui esse non possunt quod ipsi sunt: quoniã sicut maiores à minoribus non iudicantur, ita nec criminari possunt.

Fabian. epist. 2. episc. oriental.

ITEM Fabianus papa.

Infames sunt qui regnum Dei consequi non valent. 3

Gal. 5. d.

ILli qui illa peccata perpetrãt, de quibus apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur: valde cauendi sunt: & ad emẽdationem (si voluntariè venire noluerint) cõpellendi sunt: quia infamiæ macula sunt aspersi, & in barathrum dilabuntur, nisi eis sacerdotali auctoritate subuentum fuerit. Similiter & illi de quibus ipse ait, cum huiusmodi nec

di nec cibum sumere, quia infamia sunt notati antequã sacerdotali auctoritate curentur, & gremio sanctæ matris ecclesię redintegrentur: quia qui extra nos sunt, nobiscum communicare non possunt. IDEM. 1. Cor. 5. d. Idẽ Fabi. epis. 1.

Ante satisfactionem excommunicati ad accusationem non admittantur. 4

OMnes illi sunt ab accusatione repellendi, quos apostolus commemorat dicens: Cum his nec cibum sumere: & ante satisfactionem ecclesiæ non sunt recipiendi. 1. Cor. 5. d.

ITEM Clemens papa Iacobo Metropolitano episcopo. Epi. 1. ad Iacobũ fratrem domini

Sacerdotes non nisi à coęqualibus accusari debent. 5

BEatus Petrus homicidas & adulteros, ac cunctos criminalibus nexibus alligatos, & qui eis coæquales non erant, ab episcoporum vexatione & accusatione dicente domino prohibebat, & non nisi à coęqualibus aliquid sibi inferri debere docebat. Infames etiam omnes quos[a] primates & leges sæculi nõ recipiunt, sed & laicos ab eorũ accusatione & vexatione semper repellere debere rogabat: & cũctos subditos esse præcipiebat: cũctorum sacerdotum vitam superiorem sanctioremque, ac discretã à secularibus & laicis hominibus esse, & spirituales atque sacerdotes super carnales ac laicos semper constituere, & fore dicebat debere: quoniã pro minimo esse nobis debet, vt à talibus arguamur, & iudicemur, vel ab humano die. Maiores verò à minoribus, nec accusari vel iudicari nullatenus posse dicebat: quoniam hoc non solum diuinas, sed etiam leges sæculi inhibere docebat. ITEM Hadrianus papa. 1. Pet. 1. & 2.

a hæc primatum mentio satis arguit has epistolas esse adulterinas & commentitias.

Qui criminosus fuerit, sacerdotes accusare non potest. 6

QVi crimen intendit, agnoscendum est si ipse ante non fuerit criminosus: quia periculosum est: & admitti non debet rei aduersus quemcunque professio. testes autem sine aliqua sint infamia vxores & filios habẽtes, Christũ omnino prędicantes. Nõ solum autẽ criminosi, sed etiã quilibet alij ab accusatione episcoporũ repellũtur. VNDE Anacletus papa ait. Epi. 1. de oppressione episcoporũ.

Deo non placet qui seruos suos accusat. 7

SI omnia in hoc sæculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent. Superuacuis laborat impẽdijs, qui solem certat facibus adiuuare. Ideoq; si aliquis putat se in hoc Deo placere, quòd seruos suos accusat, & vt meliores fiant, dicit se hoc agere; in vanum laborat, & plus inuidiæ stimulis agitatur quàm charitatis: quoniã diuinæ gratiæ plenitudo adiectionẽ humana non indiget, nec vlla requirit commendationis augmenta. ITEM Telesphorus papa. Epist. decretali.

Populus sacerdotes arguere vel increpare non valet. 8

SAcerdotes qui proprio ore corpus domini conficiũt, ab omnibus sunt obediendi & timẽdi, non dilacerandi aut detra-

hendi: quia à quibus se domini populus benedici, saluari, & instrui cupit, nullatenus eos debet arguere: nec vulgus in eorũ accusatione suscipi debet. populus enim ab eis docẽdus est & corripiẽdus. nõ ipsi ab eo: quia nõ est discipulus super magi-

Luc. 6. f. strũ. dei ergo ordinationẽ accusat, qui eos qui ab eo cõstituuntur sacerdotes accusat, vel damnare cupit. Idem. Hi qui nõ sunt idonei, nõ suscipiantur ad accusationẽ: sed omnes qui aduersus patres, id est sacerdotes armantur, infames esse cẽsemus. Patres, enim omnes, id est sacerdos, venerãdi sunt, nõ respuen-

Epist. 1. di aut accusandi, vel insidiãdi aut infamãdi. ITEM Pius papa.

De eodem. 9

OVes pastorem suum non reprehendant: plebs episcopũ nõ accuset: nec vulgus eum arguat: quia nõ est discipulus super magistrum. Episcopi enim a Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam à subditis aut prauæ vitæ hominibus nõ sunt accusandi, aut arguẽdi, aut lacerãdi, & infra. Nemo bonum faciẽs, alteri verbo aut facto nocere vult: quãto minus in suspicione debet venire fidelis homo vt dicat aut faciat ea quę pati non vult: quia omnis suspicio potius est repellenda quàm approbãda vel recipiẽda. Ipsa autẽ detractio licet ex vitio detrahentiũ sit: tamẽ iusto dei iudicio nonnunquã aduersus bonos excitatur: vt quos vel domestica pręsumptio, vel aliorũ fa-

Ambros. ad cap. 22. Lucæ. in commenta. uor in altũ extulerat, detractio humiliet. VNDE Ambrosius.

Ne quis de se præsumat, linguæ malorum ex dei præcepto contra eum excitantur. 10

Ioan. 21. d. IMitare Petrum tertio dicentem: Domine tu scis quia amo te. Etenim quia tertio negauerat, tertio confitetur: sed negauit in nocte: cõfitetur in die. Hæc autem ideo dicta sunt, vt sciamus neminẽ iactare se debere. nã si Petrus lapsus est quia

Marc. 14. dixit. Et si alij scadalizati fuerint in te, sed ego non: quis alius

Psalm. 29. iure de se præsumat? Denique & Dauid quia dixerat: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternũ: eã sibi iactantiã obfuisse confitetur dicens: Auertisti faciem tuam à me, & fa-

Greg. Theotistæ patriciæ. epi. 49 lib. 9. ctus sum conturbatus. ITEM Gregorius.

Vt boni salubriter humilientur, linguæ malorũ contra eos insurgunt. 11

SVnt plurimi qui vitam bonorũ fortasse amplius quàm debent laudant, & neque elatio de laude surrepat, permittit omnipotens deus malos in obtrectationem & obiurgationẽ prorumpere: vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hic est quòd doctor gentium se in prædicatione currere testatur inter infamiam &

2. Cor. 6. b. bonam famam: qui etiam dicit, Vt seductores & veraces.

GRATIAN. Verum hac auctoritate prohibẽtur spirituales à carnalibus ““ accusari, non carnales à spiritualibus. quod ex verbis eiusdem ““ datur intelligi, quibus in eodẽ capitulo subiunxit dicẽs: Capite ““ lau-

languescente facilius reliqua corporis mēbra inficiuntur, sicut scriptum est: Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vsq; ad verticem nō est in eo sanitas. Quapropter manifestum est diabolum (qui sicut leo rugiens circuit quærēs quem deuoret) cordibus plebiū suadere, vt doctoribus atq; pastoribus suis detractiones irrogent, vel eos accusent, vt plebes languescentes nō tenētibus pastoribus frena eorū lasciuiāt atq; in ima ruant: vt saltē sic periclitari possint. Multū vero distant dāna morū à dānis rerū tēporalium: cū ista extra nos sint: illa verò in nobis. & infrà. Peius malū fore non existimo, quàm Christianos suis inuidere sacerdotibus.

Esa. 1. b.

1. Pet. 5. b.

HINC etiam Felix secundus ait.

Episcopis in Alexandrina synodo congregatis.

Deo rectè famulantes persequi non licet. 12

QViescite (inquit sancta synodus Nicæna) & nolite persequi eos qui rectè Deo famulantur, & syncera voluntate superna dei mandata custodiunt, & nostris legibus subiugantur: quia non decet vt carnales spirituales persequantur.

ITEM Gregorius.

Anacletus papa epis. 3. omnibus scribens.

Subditi prælatos suos accusare non debent. 13

EX merito plebis nonnunquā episcopi deprauātur, quatenus procliuius cadant qui sequūtur. Capite languescēte cætera corporis mēbra inficiūtur. Deteriores sunt qui vitā moresque bonorū corrūpunt, his qui substantias aliorū prędiaq; diripiūt. Caueat itaq; vnusquisq; ne aut linguā, aut aures habeat prurientes, id est ne aut ipse alijs detrahat, aut alios detrahētes audiat. Sedens (inquit propheta) aduersus fratrē tuum loquebaris detrahendo, & aduersus filiū matris tuæ ponebas scandalū, &c. Parcant singuli detractioni linguæ, custodiantque sermones suos, & sciant quia cuncti qui de alijs loquuntur, sua sententia iudicabuntur. Nemo inuito auditori libenter refert. Officium singulorum sit, dilectissimi non solùm oculos castos seruare, sed & linguam: nec quid in cuiusquam domo agatur, alia domus vnquam per eos nouerit. Habeant omnes simplicitatem columbę: nec cuiquam machinentur dolos & serpētis astutiam: ne aliorum supplantententur insidiis. Item Lucius papa.

Psalm. 49.

Episcopis Galliæ & Hispaniæ scribens.

Bonus nocere non cupit.

SApiens non est omnis qui nocet. ITEM Anacletus papa.

Raptoribus deteriores sunt episcoporum detractores. 14

Anacletus epi. 3

DEteriores sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt, his qui substantias aliorū prædiaq; diripiūt. ipsi enim ea quę extra nos sunt, licet nostra sint auferunt: nostri quoque detractores & morū corruptores nostrorum: siue qui aduernos armantur. propriè nosipsos decipiunt, & ideo iustè infames sunt: & merito ab ecclesia extorres fiunt. pro meritis ergo plebis sæpe pastores deprauantur ecclesiæ: vt procliuius

cor-

Epist. 3. corruant: qui sequuntur. ITEM Alexander papa.

De eodem. 15

1. Ioan. 3. c. SVmma iniquitas est fratres detrahere & accusare. vnde scriptum est: Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est: & omnis homicida non habet partem in regno Dei.

2. pars. GRATIAN. Patet ergo (vt præmissum est) quòd carnales prohibentur ab accusatione spiritualium, non spirituales ab accusatione carnalium.

Cùm itaque criminosi & infames ab accusationibus prohibentur, videndum est quos canonum sacra auctoritas infames appellet. De his Stephanus Romanæ ecclesiæ episcopus scribit Hilario dicens. Epist. 1.

Quæ personæ infames habeantur. 16

INfames esse eas personas dicimus, quę pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui Christianę legis normā abijciunt, & statuta ecclesiastica contemnūt: similiter fures & sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos: sepulchrorum quoq; violatores: & omnes qui aduersus patres armantur, qui in omni mundo infamia notātur: similiter & incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugiētes, & qui indigna sibi petūt loca tenere, aut facultates ecclesiæ auferūt iniustè: & qui fratres calumniantur aut accusant & non probāt, & qui contra innocentes principū animum ad iracundiam prouocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribꝰ ab ecclesia repulsos, & omnes quos ecclesiasticæ leges vel seculi infames pronūciant. Hi nimirū omnes nec serui ante legitimā libertatē: nec pœnitētes, nec digami, nec illi qui curiæ deseruiunt, vel non sunt integri corpore, aut sanā non habent mētem vel intellectum, aut qui inobedientes sanctorum patrum decretis existunt: aut qui furiosi manifestantur: hi omnes inquā nec ad sacros gradus debēt prouehi, nec isti, nec suspecti, nec liberti, nec rectam fidem vel dignā conuersationē non habentes summos sacerdotes possunt accusare: nec ad accusationē seu ad testimonium vllatenus iustè possunt recipi. ITEM Fabianus papa.

Infamis efficitur qui sciens peierare præsumit. 17

3. pars. QVicunque sciens se periurauerit, xl. dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat: & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquā in testimonium recipiatur, communionem tamen post hoc recipiat. ITEM Eusebius papa.

Epist. 1 ad episcopos Galliæ.

Accusatores & personas quas leges seculi non admittunt, ecclesiasticæ quoque repellunt.* 18

* al. Accusationes.

NOs sequentes patrum vestigia pro saluatione seruorum dei, quascunque ad accusationes personas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum & nos licentiā submoue-

mouemus: & nullæ accusationes à iudicibus audiantur ecclesiasticis, quæ legibus seculi prohibentur.

„ Sed licet infames ab accusatione episcoporum prohibeantur, nó tamen isti ab huiusmodi accusatione prohibendi sunt, hæreticos namq; accusare infamibus non prohibetur: vt suprà patuit in eadem causa, vbi de accusatione minorum aduersus maiores disputatum est. IDEM. GRATIAN.

De eodem. 19

CVm maiores sciētia & moribus à minoribus accusari prohibeantur: non ęquales ab æqualibus, vel minores à maioribus ab accusatione huiusmodi sunt prohibendi: cùm hæreticus catholico minor sit. Sed hoc an generaliter accipiendum est, Augustinus non diffinit dicens. *Aug. lib. 4. de baptismo contra Donatistas. cap. 5.*

Dubium est an sciēs auarus, an nesciens hæreticus grauius peccet. 20

QVæro ergo quis peccet grauius: an qui nesciens hęresim incurrerit: an qui sciens ab auaritia, id est ab idololatria non recesserit? secundum illam regulā qua peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur, auarum conscientia vincit in scelere. Sed si fortè hoc faciat in hæresi ipsius sceleris magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio: hæreticus nesciens auaro scienti coæquatur. Item vtrum catholicum pessimis moribus, alicui hæretico, in cuius vita præter id quod hæreticus est, non inueniunt homines quod reprehendant, præponere debeamus: non audeo pręcipitare sententiam. *Cap. 20. eiusdē.* *4 pars.*

„ Verùm hoc Augustini & illud de infamium accusatione de his intelligendum est, quos constat esse hæreticos: non de his qui se negant in hæresim lapsos. Hic autem in omnibus religiosus apparens, dum se negat hæreticæ cōmunionis aliquando macula infectum, infames atque alios huiusmodi à sua accusatione ipse repellit. Hæc licet ratione niti videantur, exemplo tamen læsæ maiestatis vana intelliguntur: ad cuius accusationem dum socius initæ factionis admittitur, non quæritur an cogitare contra animam principis sit maiestatem lædere, sed an aliquis de nece eius tractauerit. GRATIAN.

VNDE imperatores Honorius & Arcadius in nono libro Codic. titu. ad leg. Iul. maiest. scripsisse leguntur. 21 *Tit. 8. l. 5.*

SI quis cum militibus vel priuatis, barbaris etiam scelestam inierit factionem: aut factionis ipsius susceperit sacramentum, vel dederit de nece etiam virorum illustrium qui cōsiliis & cōsistorio nostro intersunt, senatorum etiā (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cuiuslibet postremo qui nobis militat, cogitauerit (eadē enim seueritate voluntatem sceleris qua effectum puniri iura voluerunt) ipse quidem vtpote maiestatis reus gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis. Filij verò eius quibus vitam imperatoria specialiter lenitate

tate concedimus (paterno enim deberent perire supplico, in quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur) à materna & auita omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni: testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes & pauperes. infamia eos paterna semper comitetur: ad nullos vnquam honores, ad nulla penitus sacramēta perueniāt: sint postremò tales, vt his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatiū: & vita suppliciū. Deniq; iubemus etiā notabiles esse infamia sine venia, qui pro talibus vnquā apud nos interuenire tētauerint. Sanè si quis ex his in exordio initæ factionis, studio veræ laudis accēsus ipse prodiderit factionem, & præmio à nobis & honore decorabitur. Is verò qui vsus fuerit factione: si vel sero, incognita tamen adhuc consiliorum arcana patefecerit: absolutione tamen ac venia dignus habebitur.

GRATIAN. Porrò simoniæ accusatio ad instar publici criminis læsæ maiestatis procedere debet: sicut Leo imperator in primo lib. Codi. decreuisse legitur, titu. de episcop. & clericis. l. si quenquam. quod de accusatione non de pœna intelligi oportet.

Tit. 3. lib. 29. Tit. 8. lib. 4.

VNDE imperatores Valerius & Gratianus lib. ix. Codicis, titu. ad. l. Iul. maiestatis. 22

NVllus omnino cui inconsultis ac nescientibus nobis fidicularū tormēta offeruntur, militiæ, vel generis aut dignitatis defensione vti prohibeatur: excepta tamē maiestatis causā, in qua sola omnibus æqua cōditio est. Sed cùm omnes illi assumātur in hac accusatione simoniæ qui possunt accusare de crimine maiestatis: cōstat quòd sicut ibi non dubitatur de crimine maiestatis, sed an reus cōmiserit illud: & sic hic nō denegatur hæresis, sed impetitur accusatus an cōmiserit hæresim.

QVAESTIO II.

SI EPISCOPVS IN EOS ACCVSATIONEM VERTERE VOLVERIT, AN SIMPLICI ASSERTIONI SVAE SIT FIDES ADHIBENDA.

GRATIAN. QVòd autem quæritur si episcopus accusatus in accusatorem accusationem vertere voluerit, an suæ simplici assertioni fides sit adhibenda: facilè soluitur si sanctorum patrum auctoritas diligenter inspiciatur. vt enim sancti patres diffiniunt, nullius personæ quantumlibet exercitatę confessioni fides est adhibenda nisi competentes probationes adhibeat. ITEM in Carthagin. concil. iiij. legitur.

Cap. 29.

Episcopus alicui crimen obijciens in synodo probet quod obijcit. 1

EPiscopus si clerico vel laico crimen imposuerit, deducatur ad probationē in synodum. Sed obijcitur: si se solum alieni sce-

ni sceleris conscium nouerit, probare illud testibus non valet. quid ergo tunc sibi faciendum sit.

Ex concilio Varensi sic definitur. Cap. 8. conc. Vasensis.

Episcopus non proferat quod probare non potest. 2

SI tantum episcopus alieni sceleris se consciū nouerit, quàm diu probare non potest, nihil proferat: sed cum ipso ad compunctionē eius secretis correctionibus elaboret. Quòd si fortè correctus pertinacior fuerit, & se communioni publicę ingesserit: etiam si episcopus in redarguēdo illum quem reū iudicat in probatione deficiat indemnatus (licet his qui nihil sciuerunt, secedere ad tempus pro personæ maioris auctoritate iubeatur) ille tamen quandiu nihil probare potest, in cōmunione omnium præterquam eius qui eum reum iudicat permanebit. ITEM ex concilio Africano. Cap. 99.

De episcopo qui sibi soli dicit aliquem crimen suum fuisse confessum. 3

PLacuit vt si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget: non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere quòd illi soli non creditur: & si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare: quandiu excommunicato non cōmunicauerit suus episcopus, tandiu eidem episcopo ab aliis non cōmunicetur episcopis: vt magis caueat episcopus ne dicat in quenquam quod aliis documentis conuincere non potest.

QVAESTIO III.

SI LICEAT SIBI EXPETERE IVDICIVM ARCHIEPISCOPI ALTERIVS PROVINCIAE.

IVdicium verò archiepiscopi alterius prouinciæ alicui expetere non licet. VNDE Greg. ait.

Alterius parœcianum alicui iudicare non licet. 1

SCriptū est in lege: Per alienā messem trāsiens falcē mittere nō debes: sed manu spicas cōterere & māducare. Falcē. n. iudicij mittere nō potes nec debes in eā segetē quę alteri videtur esse cōmissa: sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum expoliare paleis: & in ecclesiæ corpus admonendo & persuadendo & quasi mandendo conuertere. GRATIAN.

ITEM Pelagius papa omnibus episcopis. Pelag. I.

Quot ciuitates vnaquæque prouincia habeat.

SCitote certam esse prouinciam quæ habet decem aut vndecim ciuitates, & vnum regem, & totidem minores potestates sub se, & vnum Metropolitanū, aliosq; suffraganeos x. vel xj. episcopos iudices, ad quorū iudiciū omnes causæ episcoporum & reliquorum sacerdotum ac ciuitatum referantur: vt ab his omnibus iustè & cōsona voce decernatur: nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his qui iudicandi sunt apellatū.

Vnde

Vnde non oportet vt degradetur vel dehonoretur vnaquæque prouincia, sed apud semetipsam habeat iudices, sacerdotes, & episcopos singulos, videlicet secundum ordines suos : & quicunq; causam habuerit, à suis iudicibus iudicetur, & nō ab alienis, id est, à suæ iustis iudicibus prouinciæ, & non ab extraneis, nisi (vt iam est prælibatum) à iudicandis fuerit appellatum.

ITEM Nicolaus papa.

Non aliorū, sed primatis sui iudicio quisq; se subijciat episcopus. 3

DEnique Suffredus si tale in se crimen nouerat quo rectè posset episcopatu priuari: vel infirmitate se sentiebat forsitan prægrauari, qua impeditus nullis posset proximis sua prælatione prodesse: is primatis sui debuerat & nō aliorum diœceseos antistitum præstolari iudicium. Quòd si quælibet ambiguitas vel aliqua fortasse super eius examinatione vel episcopatus abrenunciatione oborta fuisset cōtentio, ex more ad apostolicam sedem referri cōuenerat, & nostra in his omnibus debuerant cūcti decreta penitus expectare : quod quia omissum est hactenus, dolemus. Dilectissimi igitur gloriā vestram vehemēter efflagito, vt iā dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio: & hic si aliquid reprehensione dignū gessit, postea vel correctione, vel digna animaduersione diffinietur. Est tamē casus in quo episcopus alterius parœcianū excōmunicare valet. VNDE in conci. apud Compendium.

Quando episcopus parœcianum alterius excommunicare valet. 4

PLacuit pro cōmuni vtilitate, vt nullus episcoporum grauiter ferat, si eius parœcianum pro deprædationis causa alter episcopus excommunicauerit. ITEM ex conci. Meldensi.

De eodem. [a]*Palea.*

a extat in manuscrip. sub nota Paleæ.

DE illis autem qui intra parœciam beneficium aut hæreditatem habēt, & alterius episcopi parœciani sunt, & de loco ad locū iter faciunt, & rapinam & deprędationes peragunt, placuit vt excōmunicentur, nec antè ex parœcia exeant, quàm quæ patrarunt dignè emēdent: quorum excommunicatio seniori eorum & proprio episcopo significanda est: ne eos recipiat antequam illuc redeant vbi rapinam fecerunt, & ibi omnia pleniter emendent.

QVAESTIO IIII.

CVIVS IVDICIVM SIT EXPETENDVM, SI CIRCA SENTENTIAM EPISCOPOS PROVINCIAE DISCORDARE CONTIGERIT.

GRATIAN. Cap. 14. conc. Antiocheni.

POrrò cuius iudicium sibi expetendum sit si iudices electi inter se discordare cœperint, in Laodicensi concilio sic inuenitur diffinitum.

A quo

A quo sit ferenda sententia quando cōprouinciales episcopi discordant. 1

SI quis episcopus criminaliter in iudicio episcoporum fuerit accusatus, contingat autem episcopos prouinciæ qui cōuenerint, diuersas habere sententias: & alios quidem innocentem eum pronunciare, alios reum: propter huiusmodi controuersiam amputandam, placuit sanctæ synodo metropolitanū episcopū alterius prouinciæ vicinæ aduocari: & aliquantos cū eo episcopos alios: qui pariter residentes quicunque fuerint, dirimant quæstionem: propter hoc, vt sit firmum iudicium quod ab vnius prouinciæ episcopis fuerit promulgatum.

ITEM ex concilio Martini papæ. Cap. 13. li. Martini ex synodis Græcorum.

Quando iudices electi de sententia inter se discordes extiterint, de vicina prouincia archiepiscopus aduocetur. 2

SI quis episcopus in aliquibus iudicatur, & viderit ipsos episcopos qui in prouincia sua sunt, inter se iudicio discrepare, ita vt alij videantur eum qui iudicatur, iustificare: alij cōdemnare: pro definitione huius dissensionis hoc placuit sanctæ synodo, vt de prouincia vicina alter metropolitanus vocetur episcopus, vt per eū confirmetur quod secundum rectū placuerit canonem. Nisi eadē prouincia primatē habuerit ad quem negocia quæ per metropolitanum terminari non valent: referenda sint. VNDE Bonifacius papa populis Galliæ.

Primati deferuntur negocia quæ metropolitanus explicare non valet. 3

SI inter episcopos eiusdem concilij dubitatio emerserit, de ecclesiastico iure, vel de alijs negocijs: primum metropolitanus eorū cum alijs in concilio considerās rem diiudicet: & si non acquiescat vtraque pars iudicatis, tunc primas regionis inter ipsos audiat: & quod ecclesiasticis canonibus & legibus vestris consentaneū sit, hoc definiat: & nulla pars calculo eius valeat contradicere. ITEM Alexander papa.

De eodem. *Palea.* 4

SI metropolitanus à quocunque comprouinciali episcopo in causa propria appellatus eum audire distulerit, in proxima synodo negocij sui habeat licentiam exercendi: & quicquid per iustitiam à comprouincialibus fuerit statutum, debet custodiri. Sed si omnium comprouincialium concordi sententia fuerit damnatus, manebit erga eum immobilis censura. Extat in manuscri. sub Paleæ nota.

VNDE in Antiocheno concilio legitur. Cap. 15.

Episcopus qui ab episcopis suæ prouinciæ consonam sententiam reportauerit, ab alijs iudicari non poterit. 5

SI quis episcopus criminaliter accusatus ab omnibus qui sunt intra prouinciam episcopis, acceperit vnam consonámq; sententiam: ab alijs vlterius iudicari non poterit: sed manere circa eam oportet tanquam conuenientem quæ ab omnibus prolata est firmam ratamq́ue sententiam.

GRATIA. Subintelligendum verò est, nisi ad iudicem maioris auctoritatis fuerit prouocatum. tunc enim per appellationem soluta sententia firmitatem non obtinet.

VNDE Nicolaus papa ait.

Semel definitum retractari non licet, nisi vbi maior auctoritas fuerit. 6

QVod bene semel definitum est, & interpositis iuramentis deliberatũ, nulla debet iteratione (nisi fortassis vbi fuerit maior auctoritas) retractari.

Cap. 4. ITEM ex concilio Sardicensi.

In renouatione iudicii, beati Petri memoria est habenda. 7

OSius episcopus dixit quòd si aliquis episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putet se bonam causam habere: alterũ iudiciũ renouetur. Si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus: vt scribatur vel ab his qui examinauerunt: vel etiam ab alijs episcopis qui in prouincia proxima morantur, Romano episcopo. Et si iudicauerit renouandũ esse iudicium, renouetur: & det iudices. Si autem probauerit talem causam, vt ea non refricentur quæ acta sunt, quæ decreuerit Romanus episcopus, confirmata erunt. Si hoc ergo placet omnibus, statuatur. Synodus respondit, Placet.

QVAESTIO V.

SI IN PROBATIONE DEFICIT ACCVSATOR, AN REVS SIT COGENDVS AD PROBATIONEM SVAE INNOCENTIAE.

GRATIA. QVòd autem deficiente accusatore non sit reus cogendus ad probationem, auctoritate Gregorij probatur: qui scribens Maximo ait.

Epist. 25. sen. ca. 125. lib. 5.

Onus probationis reo non incumbit. 1

QVòd autem postulas, vt illuc personam dirigere debeamus, qua de his quæ dicuntur, possit esse probatio: esset vtcunque excusabile si vnquam ratio ei qui accusatur, necessitatem probationis imponeret. at postquam non tibi, sed accusantibus hoc onus incumbit: ad nos (sicut præfati sumus) dilatione cessante venire non desinas.

GRATIA. Tit. 19. leg. 23. ITEM. Accusatus non negationem, sed exceptionem probare debet, Codi. lib. iiij. tit. de probationibus.

De eodem. 2

ACcusator quod asseuerat profitendo se probare non posse, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit: cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.

GRATIA. Hoc autem obseruandum est quando reum publica fama non vexat. tunc enim auctoritate eiusdem Gregorij propter scandalum remouendum famam suam reum purgare oportet.

CAV-

CAVSA VII.

Quidam episcopus longa inualitudine grauatus, alium sibi substitui rogauit: cuius precibus summus pontifex annuit, & quod rogauerat ei concessit. Postea verò conualuit idem episcopus: & quod prius fecerat, cupit rescindi. hic aduersus eum qui sibi accesserat, quæstionem mouet, suamque cathedram tanquam sibi debitam reposcit. GRATIAN.

1 Hic primum quæritur vtrum viuente episcopo alius possit in eadem ecclesia ordinari.

2 Secundò, an iste valeat reposcere cathedram, quam sua intercessione alter accepit?

QVAESTIO I.

VTRVM VIVENTE EPISCOPO ALIVS POSSIT IN EADEM ECCLESIA ORDINARI.

Quòd autē viuente episcopo alius superponi aut superordinari non possit, ex concilio apud Aruerniam celebrato definitum est: in quo legitur vt nullus viuente episcopo alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius locum quem capitalis culpa deiecerit. GRATIA.

Item ex regesto Gregorij papæ ad Anatolium Constantinopolitanum diaconum. Gre.epist.41. lib.9.

Pro molestia corporis suo honore non priuetur episcopus. 1

Scripsit mihi dilectio tua me reuerendissimo fratri meo Ioanni primæ Iustinianæ sedis episcopo pro ægritudine capitis quam patitur, episcopum præcipere succedere: ne fortasse dum episcopi iura eadē ciuitas non habeat (quod absit) ab hoste depereat. Et quidem nusquam canones præcipiunt vt pro ægritudine episcopi episcopus succedat, & ideo iniustū est vt si molestia corporis iruat, honore suo priuetur ægrotus. Sed suggerendum est vt si quis in regimine ægrotat, dispēsator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere: & locum illius in regimine ecclesiæ (ipso non deposito) conseruare: vt neque deus omnipotens offendatur, neque ciuitas neglecta esse inueniatur. Idem in epistola ad Candidum. Epist.5.lib.2.

Flagellatis à domino, afflictio addi non debet. 2

Cum percussio corporalis imminet, vtrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, dei iudiciu.n in hoc ignoratur: & ideo non debet à nobis addi flagellatis afflictio: ne nos culpæ (quod absit) offensa respiciat.

Item Gregorius Clemētino episcopo primati Byzāceno. Epist.13.lib.3.

Infirmitatis causa loco suo quis priuari non debet. 3 Maximiano episcopo Syracusano.

Præsentium latoris Adeodati querelam, qui se presbyteratus sui loco incongruè dicit expulsum: licet subditæ tibi

textus petitionis explanet, tamē paulò iudicauimus apertius retexēdam. Asserit nanque à Quintiano fratre & coepiscopo nostro in loco suo quibusdam se suis ordinandis negocijs relaxatum: ægritudinisque causa per duorum mensium spatium suæ se ecclesiæ defuisse: cuius rei occasionem captantem prædictū fratrē nostrū, alium loco eius illic presbyterum ordinasse. Hortamur itaque fraternitatē tuam, vt causam eius solicitè districtèque perquiras: & si manifestæ ægritudinis (sicut dicitur) causa ecclesiæ suæ defuisse eum repereris, nullum ei ex ordinatione alterius presbyteri permittas præiudicium generari: sed in loco suo sine aliqua eū fac dubietate restitui: & infrà. Illud autem charitatem tuam specialiter admonemus, vt si vera fuerit huius suggestio, atque in suo ordine fuerit restitutus: de presbytero qui in loco eius ordinatus est, subtiliter districteq; debeas esse solicitus: & si quidē sine datione aliqua ad eundē ordinē peruenerit, vt in simoniacā hæresim non potuisset incidere: in aliā quácunq; vacantē ecclesiam eū volumus ordinari. Sin autem in eum quippiá (quod auertat dominus) tale fuerit repertum, ipso etiam presbyteratus ordine priuetur: quem non causa replendæ necessitatis ecclesiæ, sed sola comprobatur ambitione suscepisse.

Iouanensi.

ITEM Nicolaus papa Aluino Ianuensi archiepiscopo.

Pro infirmitate vel ægritudine pontifices non sunt abijciendi, nec in eorum locum alij substituendi. 4

POntifices qui aliqua occupātur infirmitate vel ægritudine, abijciendi nō sunt, nec alij in loco eorum cōsecrandi sunt, nisi ex hac fuerint luce subtracti. quòd si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sunt sacerdotes expleant. In his verò quæ his præsumere non licet, vicinorum vsque ad recipiendam sanitatem episcoporum auxilia subrogentur, & hoc cum cautelæ studio peragant: ne per necessitatis occasionem, præsumptionis pullulet ambitio. Episcopos verò qui dominici gregis suscipiunt curam atque solicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet: vt accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicetur fructus.

Epi.2.li.4. ad Antonianum.

ITEM ex epistola Cypriani episcopi & Martyris.

Viuente episcopo alius sibi succedere non valet. 5

FActus est Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum consensu: cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret: quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione confirmato: quisquis iam episcopus fieri

fieri voluerit, foris fiat necesse est: nec habeat ecclesiasticã ordinationem qui ecclesiæ non tenet vnitatem. quisquis ille fuerit: licet de se multum iactans, & plurimum sibi vendicans, profanus est, alienus est, foris est: & cùm post primum esse non possit quisquis qui post vnum qui solus esse debet, factus est: iam non secundus ille, sed nullus est.

ITEM eiusdem. *Idem ad eundem eadem epistola.*

Non est episcopus qui in locum viuentis irrepserit. 6

NOuatianus episcopus non est, qui Cornelio episcopo in ecclesia à xvj. coepiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri à desertoribus per ambitum nititur. Et cùm sit à Christo vna ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa, item episcopatus vnus multorum episcoporum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam & vbique coniunctã catholicæ ecclesiæ vnitatem, humanam conatur ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates nouos suos apostolos mittit, vt quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat. Cumque iampridem per omnes prouincias & per vrbes singulas ordinati sint episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti: ille super eos creare alios pseudoepiscopos audet: quasi possit aut totum orbem noui conatus obstinatione peragrare, aut ecclesiastici ordinis compagem discordiæ suæ seminatione rescindere: nesciens schismaticos semper inter initia feruere, incrementa verò habere non posse, nec augere quod illicitè cœperint, sed statim cùm praua sua æmulatione deficere. & infra. Qui ergo nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab ecclesiæ vinculo, & sacerdotum collegio separat: episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem: qui episcopatus nec vnitatem voluit habere, nec pacem. IDEM ad Papinianum. *Cyp. epist. 9. li. 4. ad Florentiũ Papianum.*

Non est in ecclesia qui cum episcopo pacem non habet. 7

SCire debes episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo: & si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse: & frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam se communicare credunt: Quando ecclesia quæ catholica vna est, scissa non sit neque diuisa. IDEM. *Idem ad Iubaianum.*

Suo iuri quis cedere non debet. 8

QVàm periculosum sit in diuinis rebus vt quis cedat iuri suo & potestati, scriptura sacra declarat: cùm Esau primatus suos inde perdidit: nec recipere postmodũ potuit quod semel cessit. IDEM. *Gene. 25. d. Cypr. epi. 6 lib. 1. ad Magnum.*

Perditionem sibi acquirunt, qui ab episcopis recedentes vnitatem ecclesiæ scindunt. 9

DEnique quàm sit inseparabile vnitatis sacramentum: & quàm sine spe sint, & perditionem sibi maximam de indignatione dei acquirant qui scisma faciunt & relicto episcopo alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt: declarat scriptura diuina in libris Regũ: vbi à tribu Iuda & Beniamin decem tribus scissæ sunt, & relicto rege suo, alterum sibi foris constituerunt. Et indignatus est (inquit) dominus omni semini Israel, & demoliuit eos, & dedit eos in direptionem, donec abijceret eos à facie sua: quia dissipatus est Israel à domo Dauid: & constituerunt sibi regem Hieroboam filium Nabath. Indignatum esse dixit dominum, & eos in perditionem dedisse: qui ab vnitate dissipati alterum sibi regem constituissent. Tanta indignatio domini extitit aduersus illos qui schisma fecerunt, vt etiam cùm homo dei ad Hieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque vltionem futuram prædiceret: panem apud illos edere, & aquam bibere vetaretur: quod cùm non custodisset, & contra præceptum domini prandisset, statim diuina censura percussus est, vt inde regrediens impetu ac morsu leonis in itinere necaretur. Sed adhuc in euangelio suo dominus maiorem intelligentiæ suæ lucem manifestat, quòd ijdem qui tunc se à tribu Iuda & Beniamin sciderant, & Hierosolymis relictis in Samariam secesserant, inter pseudoprophetas & gentiles computarentur. Nam cùm primum discipulos in ministerium salutis mitteret, mandauit & dixit: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis. Et ad Iudæos prius mittẽs, gentiles adhuc præterire iubet. Addendo autem & ciuitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erant schismatici: ostendit schismaticos gentilibus adæquari. & post pauca. Quod verò eundem quem nos deum patrem, eundem filium, eundem spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adiuuare tales potest. Nam etiam Chore, Dathan, & Abyron cum sacerdote Aaron & Moyse eundem deum nouerant, pari lege & religione viuentes, vnum & verum deum qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocabant: tamen quia loci sui ministerium transgressi, & contra Aaron sacerdotem qui sacerdotium legitimum dignatione dei atque ordinatione perfecerat, sacrificandi sibi licentiam vendicauerunt: diuinitus percussi, pœnas statim pro illicitis conatibus penderunt: nec potuerunt rata esse & proficere sacrificia irreligiosè & illicitè & contra ius diuinæ dispositionis oblata. Thuribula quoque ipsa in quibus incensum illicitè fuerat oblatum (ne in vsum de cætero essent sacerdotibus, sed potius indignationis & vltionis

Marginal notes: 3.Re.12.c. (beside "ptura diuina in libris Regũ"); 3.Reg.13. (beside "schisma fecerunt"); Mat.10.a. (beside "Nam cùm primum discipulos"); Num.16. (beside "tales potest").

vltionis diuinæ memoriā corrigendi posteris exhiberent) iussu domini conflata, atque in igne purgata, in laminas ductiles producuntur, & affiguntur altari, secundum quod loquitur scriptura diuina: Memoriale, inquit, filiis Israel, vt non accedat quisquam alienigena qui non est ex semine Aaron, imponere incensum ante deum, vt non sit sicut Chore. Et tamen illi schisma non fecerant: nec foras egressi cōtra domini sacerdotes impudenter atque hostiliter rebellauerant, quod nunc hi ecclesiam scindentes, & contra pacem atque vnitatem Christi rebelles, cathedram sibi constituere, & primatum assumere, & baptizandi atque offerendi licentiam vendicare conantur. Nume. 16. f.

ITEM Leo. iiij. Vernonii duci Britanniæ.

Non defendendus, qui viuentis locum inuadit. 10

NOn furem & latronem, qualem Gillandum esse sentimus in Nannetica sede, qui viuentis (quod non licuit) locum non timuit vsurpare: pro cuiuscunq; muneris donis vltra debes defensare. ITEM Euaristus papa omnibus episcopis. Epist. 2.

Non licet episcopo ecclesiam suam dimittere. 11

SIcut vir non debet adulterare vxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, id est, vt illam dimittat ad quam fuit sacratus, absq; ineuitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione, vt alteri se ambitus causa cōiungat. Et sicut vxori non licet dimittere virū suum vt alteri se (viuente eo) matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir eius: sed iuxta Apostolum, aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta: ita ecclesiæ non licet dimittere episcopū suum, aut se ab eo segregare, vt alterum viuente eo accipiat: sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat: id est alterum episcopum suo viuente nō accipiat: ne aut fornicationis aut adulterij crimen incurrat. Si verò adulterata fuerit, id est, si se alteri iunxerit, aut super se alterum episcopū adduxerit, aut esse fecerit, vel desiderauerit: per acerrimam pœnitentiam aut suo reconcilietur episcopo, aut innupta permaneat. Episcopum verò oportet opportunè, & importunè, atque sine intermissione ecclesiam docere, eamq; prudenter regere & amare, vt à vitiis se abstineat, & salutem consequi possit æternam: & illa cum tanta reuerentia eius doctrinam suscipere debet, eumq; amare & diligere, vt legatum dei & præconem veritatis.

GRATIAN.

,, Ecce his auctoritatibus patenter ostenditur, quod episcopo viuente alius superordinari non potest, nec etiam pro eius ægritudine: sed illud Gregorij intelligendum est quando ille qui ægrotat, alium sibi substitui non rogat. Cæterum quando aliquis vel senectute vel infirmitate grauatus, susceptum officium ministrare non valet: si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fieri potest. Vnde in eodem capit. 10

sequitur. Si verò idem Ioannes fortasse pro molestia sua petierit vt ab episcopi honore debeat vacare: eo petitionem scripto dante concedendum est: aliter id facere non valemus. Hinc etiam beatus Augustinus episcopo suo nondum defuncto, sed senectute grauato cathedram episcopalem suscepit. " " " " " "

VNDE in epistola Paulini ad Romanum legitur. "

Augustinus non tam successit quàm accessit. 12

NOn autem hoc tantum scripsimus gratulandum, quòd episcopatum Augustinus accepit: sed quod hanc curam dei gratia meruerit Africana ecclesia, vt verba cœlestia Augustini ore perciperet: qui ad maiorem dominici muneris gratiã nouo more prouectus ita consecratus est, vt nõ succederet in cathedram episcopo, sed accederet. Nã incolumi Valerio Hipponensis ecclesiæ episcopo, coepiscopus Augustinus est.

GRATIA. Hoc idem probatur auctoritate beati Gregorij, qui Ariminensi episcopo dolore capitis laboranti alterum subrogauit: ita scribens in regesto suo cap. cccxxxviij. " " "

Episcopo grauato infirmitate alius subrogari potest. 13

QValiter ordinati à nobis sacerdotis corporis (quia id notum est) impediente molestia, Ariminensis ecclesia pastorali hactenus ac sacerdotali sit regimine destituta, dudum fraternitas vestra cognouit, quem dudum habitatorum loci illius precibus permoti sæpius hortati sumus, vt si de eadem capitis qua tenebatur molestia melioratum se esse sentiret, ad suam auxiliante deo, reuerteretur ecclesiam: qui datis induciis in hoc quadriennio expectatur. quem dum cleri vel ciuium huc venientium, nosq; precibus vrgentium instantius hortaremur, vt si valeret, cum eis auxiliante deo remearet: datis scriptis supplicatione nos petiit, vt quia ad eiusdem ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadem qua detinebatur molestia assurgere nullatenus posset, ecclesiæ ipsi episcopum ordinare deberemus. Vnde quia cunctarum ecclesiarum iniuncta cura solicitudinis nos constringit: ne diutius gregi fidelium desit pastoralis custodia, illorum precibus, & huius ex sui impossibilitate renunciatione compulsi: visum est nobis eidem Ariminensi ecclesiæ debere episcopum ordinari: & datis ex more præceptis, clerum plebemq; eiusdem ecclesiæ non destitimus admonere quatenus ad eligendum sibi antistitẽ concordi prouisione concurrant. Hortamur ergo vt fraternitas vestra eum quem vno consensu omnes elegerint: sicut & ipsi à nobis poposcisse noscuntur, ad se faciat euocari: quem cauta ex omnibus examinatione discutite: & si in eo quæ in textu heptateuchi continentur, minimè domino opitulante fuerint reperta: atque fidelium personarum relatione eius quoque vita vobis placuerit: ad nos eum

cum

cum decreti vestri pagina, additaq; testificationis epistola destinate: quatenus eiusdem à nobis ecclesiæ domino disponente consecretur antistes. ITEM ex eodem, cap. ccxliij. ad Eleutherium episcopum. *Grego. epist. & cap. 7. lib. XI.*

De eodem. 14

QVamuis sit triste nobis valde quod loquimur: atq; fraterna nos compassio potius aggrauat quàm aliquid de auditis diffinire permittat: suscepti tamen solicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos ecclesiis cura prospicere, ne qua earum possit vtilitas deperire. Peruenit igitur ad nos quibusdam referentibus quendam episcopum ita passionem capitis incurrisse, vt quod mente alienata agere soleat, gemitus & fletus audire sit. Ne ergo languente pastore grex (quod absit) insidiatoris laniandus dētibus exponatur: vel ecclesiæ ipsius vtilitates depereant: cauta nos necesse est prouisione tractare: & ideo quia viuentē episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis non crimen abducit: alium loco eius (nisi recusante eo) nulla sinit ratio ordinari: sed si interualla ægritudinis habere est solitus: ipse data petitione non se vlterius ad hoc ministerium subuertente infirmitate posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandū: quo facto omnium solēniter electione, alter qui dignus fuerit episcopus ordinetur: sic tamen, vt quousq; eundem episcopū in hoc seculo vita tenuerit: sumptus ei debiti de eadē ecclesia ministrentur. Enimuero si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium: persona fidelis ac probabilis vitę est eligenda, quæ ad regimen ecclesiæ idonea possit existere: atq; de animarum vtilitate cogitare: inquietos sub disciplinæ vinculo constringere: ecclesiasticarum rerum curam gere: & maturum atque efficacem se in omnibus exhibere: qui etiam episcopo qui nunc ægrotat, superstes loco eius debeat consecrari.

" Ne autem huiuscemodi passionibus sacerdotibus subitò *2. pars.* *GRATIA.*
" occupatis, cœptum officium inexpletum remaneat: institutū
" est vt sacerdos siue psallens, siue sacrificās alios secum habeat:
" qui si huiusmodi casus interueniat, inchoata ministeria perfi-
" cere valeant. VNDE in Toletano concilio. xj. *Cap. 14.*

Quisque sacrificans sacerdotem sibi vicinum habeat, qui cœpta sacramenta expleat, si ei aliqua necessitas ingruerit. 15

ILlud diuini oraculi mente singuli præcauētes quo scribitur: Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuātem se: summopere nobis verendum est & cauendum ne horis illis atque temporibus in quibus domino psallitur vel sacrificatur, vnicuique diuinis singulariter officiis insistenti perniciosa passio vel corporis quælibet inualitudo occurrat, quæ aut corpus subitò obrui faciat, aut mentē alienatione vel terrore cōfundat. *Eccles. 4. c.*

Huiusmodi ergo casibus præcauentes, necessarium duximus instituere, vt vbi temporis & loci siue cleri copia suffragatur, habeat quisquis illic canens deo atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem: vt si aliquo casu ille qui impleturus officia accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus: à tergo semper habeat qui eius vicem exequatur intrepidus. Sed si hoc sacrificanti frequenter acciderit: tunc omnimode ab oblatione prohibeatur. ITEM ex concilio Toletano. vij.

Cap. 2.

Si sacerdos necessitate praeoccupatus fuerit: cœpta sacramenta per alium explicentur. 16

NIhil contra ordinis statutum temeritatis ausu præsumatur, neque illa quæ summa veneratione censentur, vlla præsumptione soluantur: cùm ad hoc tantum iussa fieri sunt, vt non interrupta noscantur, ne languoris prouentu robore salutis natura priuetur. Non ergo solum fragilitati consulitur humanæ, sed etiam sacris ministeriorum dei prouidetur solicitudine. Censuimus igitur conuenire debere, vt cùm à sacerdotibus missarum tempore sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis explere mysterium: sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi cœpti officij. non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis conuenit, quàm vt aut incipientis aut subsequentis benedictione sint completa sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium personarum diuersitas format: vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici indiuiduum sibi esse non ambigant: sed (vt præmissum est) præcedentibus libenter alij pro complemento succedant. non tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem conuertatur. Nullus post cibum potumque quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat. nullus absque præuentu patentis molestiæ minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis autem temerarie hoc præsumpserit: excommunicationis sententiam sustinebit.

3. pars. GRATIA.

Ecce quod episcopo petente precibus etiam populi infirmitate grauato alius possit subrogari, patenter monstratur. senectute autem grauato non successor, sed coadiutor dari debet, qui ei decedenti in locum regiminis succedat. Sic Augustinus dicitur accessisse non successisse Hipponensium episcopo.

Zachar. ad Bonifa. episcopū.

HINC etiam Zacharias papa scribit Bonifacio Maguntino archiepiscopo.

Senectute grauato coadiutor est dandus, qui morienti succedat. 17

PEtisti vt cum nostro consulto pro superueniente tibi senectute atque corporis imbecillitate, si poteris inuenire, alium in eadem sede in qua praees, pro tua persona debeas collocare: nos vero adiutore deo consilium præbemus tuæ sanctitati, vt pro salute animarum rationabilium fautore Christo sedem, quam obtines Maguntinæ ecclesiæ nequaquam relinquas. Sin vero dominus dederit iuxta petitionem tuam hominem perfectum, qui possit solicitudinem habere & curam pro salute animarum: pro tui persona ordinabis illũ episcopum: eritq; in euangelio tibi credito & ministerio Christi dei portando in omni loco requirens & confortans ecclesiam dei. Item si eundem diuina voluerit clementia tui post diem transitus superesse: si eum aptum cognoueris, & in tua voluntate fuerit diffinitum: ea hora qua te de præsenti sæculo migraturum cognoueris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, vt huc veniat ordinandus. Hoc nulli concedi alij patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus. Idem: De eo autem quem tibi successorem constituere dixisti, vt te viuente in tuo loco eligatur episcopus: hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem ecclesiasticam regulam vel statuta patrum esse monstratur: sed volumus vt ministret tibi, & sit in euangelio Christi adiutor. nimis enim reprehensibile esse manifestum est vt te viuente tibi alium substituamus: sed hoc commonemus, vt orare non cesses, vt tibi deus illum successorem concedat. qui ei possit esse placabilis: & populum irreprehensibiliter regere valeat.

Ibidem paulo inferius.

ITEM Pelagius papa clero Namiensi.

Non successor, sed coadiutor viuenti episcopo datur. 18

QVia frater & coepiscopus noster Ioãnes ecclesiasticæ vtilitatis studio suadente, & naturæ suæ simplicitate laudabili consideratione tractata, ob hoc quod se in gerenda patrimonij gubernandi cura, vel in disciplina ecclesiastica conseruanda minime fatetur idoneum: Constituti presbyteri ad hæc explenda sibi exposcit adhiberi personam: vt ea quæ sunt necessaria, competenti eo disponente solicitudine nihil indecens fieri vel inutile permittatur. Ideoque præsenti vobis iussione præcipimus, vt seruata primo loco episcopo memorato reuerentia, quam vos conuenit inculpabiliter exhibere in omnibus quæ ad diuini cultus obsequium pertinent, vel quæ ecclesiasticæ vtilitatis peragere cura suaserit: præbeatis obedientiam constituto competentem: in nullo dispositionibus eius spiritu cõtumaci resultantes: immo competenti vigilãtiæ vestræ studio, quæ pro ecclesiastica vtilitate gerenda ille constitutus monuerit adimplentes, vt his ita dispositis, & consueta

vobis stipendia ministrentur, & quæcunque in præfatæ ecclesiæ patrimonio, vel de rebus ad eam pertinentibus repetendis sunt necessaria compleantur.

GRATIAN. Illud verò Cypriani de hæreticis intelligendum est, qui catholicorum ecclesias sibi vsurpare contendunt. Illud verò Euaristi papæ tunc intelligendum est quando nec ineuitabilis necessitas, persecutorum videlicet nec apostolica aut regularis mutatio, sed ambitio sola episcopum de ecclesia ad ecclesiam transire cogit. Vnde cum in principio sui capituli diceret: Episcopus non debet dimittere ecclesiá suam: subsequenter adiunxit: absq; ineuitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione, & alteri se ambitus causa cōiungere. Ambitionis enim causa quicunque ecclesiæ suæ mediocritate despecta ad maiorem ecclesiam transire voluerit: debet reuocari ad propriam. Quod si redire contempserit: careat aliena & propria. VNDE in Niceno concilio legitur.

4. pars.

Cap. 15.

Episcopus vel quilibet clericus relicta sua ecclesia non debet ad aliam transire. 19

NOn oportet episcopū vel reliquos ordines de ciuitate ad ciuitatem migrare. non episcopus, nō presbyter, nō diaconus transeat. Si quis autē post diffinitionem sancti & magni concilij tale quid agere tentauerit, & se huiusmodi negocio mancipauerit: hoc factum prorsus in irritum ducatur: & ecclesiæ restituatur, cuius fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus. ITEM Gregorius Anthemio subdiacono.

Epi. 123. lib. 5.

In monasterium depùtetur episcopus, qui in ecclesia sua residere contemnit. 20

PEruenit ad nos Pigmenium Amalphitanæ ciuitatis episcopum in ecclesia residere non esse contentum: sed foris per diuersa loca vagari. Idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, quatenus hoc de cætero facere non præsumat: sed in ecclesia sua sacerdotali more resideat: quem si forte non emendari post tuam interminationem cognoueris, in monasterium eum deputare, & nobis modis omnibus curabis indicare: vt quid facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas.

Cap. 5. ITEM ex concilio Carthaginensi. v.

Episcopo nulli cōceditur principalem cathedram relinquere, & ad aliam ecclesiam se transferre. 21

PLacuit vt nemini sit facultas, relicta principali cathedra ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutā se conferre, vel in re propria diutius quàm oportet constitutum curá vel frequētationem propriæ cathedræ negligere. ITEM ex eodem.

Conc. Carth. 5. cap. 8.

Intercessori cathedram cui datus est tenere non licet. 22

COnstitutum est vt nulli intercessori sit licitum cathedram cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis & seditioni-

seditionibus retinere: sed dare operam vt intra annum eisdem episcopum prouideat: quod si neglexerit, anno expleto interuentor alius tribuatur. ITEM ex eodem. 23 ca. 16. concil. Nicæni.

Excommunicentur clerici qui relicta sua ecclesia ad eam redire noluerint. 24

SI qui verò sine respectu dei agẽtes, & timorem dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab ecclesia sua, siue presbyter, siue diaconus, vel in quocunque ecclesiastico ordine positi fuerint, non debẽt suscipi in ecclesia, sed omni necessitate cogantur vt redeãt ad ecclesiam suam. quod si permanserint: excommunicari oportet eos. ITEM ex concilio Antiocheno. Cap. 3.

De eodem. 25

SI quis presbyter vel diaconus vel quilibet clericus deserta ecclesia sua ad aliam transeundum esse crediderit: & ibi paulatim tentet quo migrauerit perpetuo manere: vlterius ministrare non debet, præsertim si ab episcopo suo ad reuertendũ fuerit exhortatus. Quod si post reuocationẽ sui episcopi non obedierit, sed inobediens perseuerauerit: omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere decernimus. Si verò propter hanc culpam depositum, alius episcopus susceperit: & ipse à communi synodo pœnam merebitur increpationis tanquam ecclesiastica iura dissoluẽs.

ITEM ex eodem. Conc. Antio. ca. 21.

Non licet episcopo ecclesiam suam relinquere, & ad aliam transire. 26

EPiscopum de diœcesi ad diœcesim non debere trãsire, neque si seipsum ingesserit, neq; si à populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab episcopis suadetur: manere autem eum debere in ecclesia dei quam ab initio sortitus est: & non ab ea alibi demigrare: secundum regulam super hoc olim à patribus constitutam decernimus.

ITEM ex concilio Chalcedonensi. Cap. 5.

De eodem. 27

PRopter eos episcopos & clericos qui de ciuitate ad ciuitatem transeunt: placuit diffinitiones datas à sanctis patribus habere propriam firmitatem.

ITEM ex concilio Carthaginensi tertio. Cap. 20

Alienæ plebes ab episcopo non vsurpentur. 28

PLacuit vt à nullo episcopo vsurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diœcesi collegam suum. ITEM Anacletus papa.

Alienos clericos ordinare, & altaria consecrare episcopo non licet. 29

EPiscopus in diœcesi aliena ad alienos clericos ordinandos, vel consecranda altaria irruere non debet. Quod si fecerit: amotis his quos ordinauit, altaris tantũ consecratione manẽte transgres-

transgressor canonum vno anno à missarum celebratione cessabit. ITEM ex concilio Agathensi.

Cap. 64.

Diebus solennibus clericus ecclesiæ suæ deesse non debet. 30

SI quis in clero cõstitutus, ab ecclesia sua diebus solennibus defuerit, id est natiuitate domini, Epiphania, Pascha, vel Pẽtecoste. dum potius sæcularibus lucris studet quàm seruitio dei parere, conuenit vt triennio à communione suspendatur.

Similiter diaconus vel presbyter si per tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit: huic damnationi succumbat.

ITEM Hilarius papa.

Episcopis Terraco. cap. 3.

Remouendus est episcopus ab ecclesia cui irrepserit, & ad suam cogendus est redire. 31

REmoto ab ecclesia Barchinonensi atque ad suam remisso Irenæo episcopo: sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderant quòd non licet obtinere: talis protinus de clero proprio, & Barchinonẽsibus ordinetur episcopus, qualẽ te præcipue frater Asconi oporteat eligere, & deceat consecrare: ne si forte aliter factum sit, non sine obiurgatione maximè in tui nominis redundat nostra præceptio. quod in iniuriam dei (à quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum) didicerimus admissum.

ITEM Leo episcopus vrbis Romæ Anastasio Thessalonicensi episcopo.

Leo pa. 1. epist. 84. cap. 8.

Qui alienã cathedrã appetit: ab ea expulsus, etiam propria careat. 32

SI quis episcopus suæ ciuitatis mediocritate despecta, administrationẽ celebrioris loci ambierit: & ad maiorẽ plebem se quacunque ratione transtulerit: à cathedra quidem pellatur aliena, carebit etiam propria: vt nec illis præsideat quos per auaritiam cõcupiuit: nec illis quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus quisque sit: nec supra mensuras iuris sui affectet augeri. ITEM ex concilio Meldensi.

Iuo. Carn. li. 2. refert ex eodem de presby.

Vtraque careat ecclesia qui contẽptu minoris ad maiorem aspirat. 33

SI quis de ordine sacerdotali contemptu minoris ecclesiæ ambitiose & improbe ad potiorẽ aspirauerit, canonica erga eum definitio cõseruetur: hoc est vt vtraq; careat. Qui vero precio ecclesiam vacantem ingressus fuerit, ab officio suo deponendus est, sicut in Rothomagensi concilio legitur.

Iuo ibidẽ refert.

Deiiciatur à clero qui muneribus ecclesiam acquirere tentat. 34

SAncitum est, atq; omnibus modis prohibitũ, vt si quis presbyter inuentus fuerit alicui clerico vel laico munera dare vel dedisse, aut aliam pecuniam tribuere, vt alterius presbyteri ecclesiam vacantem precio redimat: pro hac cupiditate seu rapina seu præsumptione turpis lucri gratia deiiciatur à clero, & alienus existat à regula.

Quò

,, Quò verò communi consilio atque omnium aliorum vti- 5. pars.
,, litate mutationes episcoporum fieri possint, & in ecclesiis à GRATIA.
,, quibus recesserint, eis viuentibus alij substitui valeant: An-
,, therius papa demonstrat scribens omnibus episcopis. *Antherius papa episcopis Beticis & Toletanis.*

Necessitatis vel vtilitatis causa episcoporũ mutationes fieri possunt. 35

MVtationes episcoporum scitote communi vtilitate atque necessitate fieri licere: sed non propria cuiusquam voluntate aut dominatione Petr⁹ sanct⁹ magister noster & princeps apostolorum de Antiochena ciuitate vtilitatis causa est trãslatus Romam: vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parua ciuitate apostolica auctoritate mutatus est in Alexandriam. Similiter Felix de ciuitate in qua ordinatus erat: electione ciuium propter doctrinam vitamque bonã quã habebat, auctoritate huius sanctæ sedis, & cõmuni episcoporum & reliquorũ sacerdotum ac populorum consilio trãslatus est Ephesum. Nõ enim transit de ciuitate ad ciuitatem, nec trãsfertur de minori ad maiorẽ, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit: sed aut vi à propria sede depulsus, aut necessitate coactus, aut vtilitate loci vel populi non superbe, sed humiliter ab aliis translatus est. Nam sicut episcopi habẽt potestatem regulariter ordinare episcopos & reliquos sacerdotes: sic quotiens vtilitas aut necessitas coegerit, supradicto modo & mutare & inthronizare potestatẽ habent: non tamẽ sine sacrosanctæ Romanæ sedis auctoritate & licẽtia Alia etenim est causa vtilitatis: alia auaritiæ & præsumptionis ac propriæ volũtatis. ITEM Pelagius papa Benigno archiepiscopo. *Pelagius 2.*

Causa necessitatis mutationes episcoporum fieri possunt. 36

SCias frater dilectissime aliud esse causam necessitatis & vtilitatis: aliud pręsumptionis ac propriç volũtatis. Non ergo mutat sedem qui non mutat mentem, id est qui non auaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ volũtatis vel delectationis suæ migrat de ciuitate ad ciuitatem: sed causa necessitatis & vtilitatis mutatur. Nam plurimorũ vtilitas, vnius vtilitati vel voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari. Nam aliud est sponte trãsire, aliud coactè aut necessitate venire. Vnde non isti mutãt ciuitatẽ, sed mutantur: quia non sponte, sed coactè hoc agũt. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel vtilitatis fieri posse quotiens communis necessitas aut vtilitas persuaserit. ITEM ad eundem. *Pelagius 2. paulo inferius in epi sto. ad Benignũ*

Christum negare conuincitur qui necessitatem patientibus misericordiam non impendit. 37

OMnis qui gemebat & vexabatur à Saul fugiebat & veniebat ad Dauid. Si rex piissimus atq; iustissimus Dauid sciret peccatum esse fugientes persecutionẽ, & transeuntes de loco ad

co ad locum,& de ciuitate ad ciuitatē,recipere: tales nequaquam reciperet,nec ſecum teneret, neque in alijs ciuitatibus eos collocaret. Qui enim perſequuntur domini epiſcopos, eoſque de ciuitatibus ad ciuitates tranſire compellunt: non eos tantùm perſequuntur,quantùm dominū noſtrum Ieſum Chriſtū,cuius legatione funguntur:nec ipſi in hoc peccāt epiſcopi:quoniā non ſponte,ſed coactè hoc agunt: ſed ipſi qui eos perſequuntur:nec ipſis epiſcopis hoc imputari poteſt,ſed illis qui eos hoc agere cogunt. Qui autem negant miſericordiam faciendam fugientibus, & neceſſitatem patientibus:ipſum Chriſtū negāt,qui eſt miſericordia & veritas. Negant autem miſericordiā neceſſitatē patientibus, qui populis indigentibus diuinis miniſteriis, & non habentibus propriū epiſcopū qui eos inſtruat,cauſa neceſſitatis atq; vtilitatis,vt ex alia ciuitate,licet minor ſit,in eam quę non habet epiſcopum doctiorē vel potiorem & vtiliorem meliori cōſilio, nō ſponte tranſeuntem,ſed maiorū exhortatione mutare negant: aut epiſcopum deiectum & perſecutionem patientē cauſa vtilitatis aut neceſſitatis nolunt inthronizare.

Ca. 27. con. Cartha. 4. ITEM ex conci. Carthaginenſi. iij.

Non ambitione ſed ſynodali auctoritate de eccleſia ad eccleſiam epiſcopus tranſeat. 38

EPiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionē non tranſeat,nec quiſquā inferioris ordinis clericus. Sanè ſi vtilitas eccleſię popoſcerit,decreto pro eo clericorum & laicorum epiſcopis porrecto in præſentiam ſynodi transferatur: nihilominus alio in locum eius epiſcopo ſubrogato. Inferioris verò gradus ſacerdotes vel alij clerici conceſſione ſuorum epiſcoporum poſſunt ad alias eccleſias tranſmigrare.

Ca. 34. conci. Carthag. 4. ITEM ex eodem.

In proprio gradu epiſcopi vel presbyteri in aliena ſuſcipiātur eccleſia. 39

EPiſcopi vel presbyteri ſi cauſa viſitandi ad eccleſiam alterius epiſcopi venerint,in gradu ſuo ſuſcipiātur, & tam ad verbum faciendum quàm ad oblationem conſecrandam inuitentur.

Epiſt. 2. ITEM Calixtus papa omnibus epiſcopis.

Eccleſia vnius epiſcopi ab alio diſponi non debet. 40

SIcut alterius vxor nec adulterari ab aliquo vel iudicari aut diſponi niſi à proprio viro eo viuente permittitur: ſic nec vxor epiſcopi ipſius quæ eius eccleſia vel parœcia indubitanter intelligitur,eo viuente abſq; eius cōſilio & volūtate,alteri iudicari vel diſponi, aut eius concubitu, id eſt ordinatione frui cōceditur. Vnde ait apoſtolus: Alligata eſt vxor legi viri quandiu vir eius viuit: eo verò defuncto ſoluta eſt à lege viri. Similiter ſponſa epiſcopi,quia ſponſa vxorq; eius dicitur eccleſia:illo viuente illi alligata eſt:eo defuncto ſoluta eſt, & cui

cui voluerit nubat, tantum in domino, id est, regulariter. Si enim eo viuente alij nupserit, adultera iudicabitur. Similiter & ille si aliam sponte duxerit: adulter existimabitur, & communione priuabitur. Si autem persecutus fuerit in sua ecclesia, fugiendum est illi ad alteram ecclesiam, eique est sociandus, dicente domino: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Si autem vtilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat: sed fratribus inuitantibus cũ auctoritate huius sanctæ sedis faciat. Non tamen ambitus causa: sed aut vtilitate, aut necessitate (vt dictum est) faciendum est.

„ Hoc non solum de episcopis, veruetiam de quibuslibet ecclesiæ ministris intelligitur: ne videlicet in locum viuentis alter obrepat. *6. pars. GRATIAN.*

„ VNDE beatus Grego. scribit Solanitano episcopo de eo qui in archidiaconatum alterius se promoueri consenserat. *Epist. 14. lib. 2.*

Deponatur qui locum alterius inuadere non timet. 41

EVm qui contra iustitiæ regulam in archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem archidiaconatus honore deponimus: qui si vlterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione sacræ communionis nouerit esse priuatum. ITEM Hieronymus ad rusticum monachum. *Ad Rusticum de viuendi forma. tomo. 1.*

In vna ecclesia duo prælati esse non debent. 42

IN apibus princeps vnus est: & grues vnã sequũtur ordine literario. Imperator vnus: Iudex vnus prouinciæ. Roma vt cõdita est, duos fratres simul reges habere non potuit: & parricidio dedicatur. In Rebeccę verò vtero Esau & Iacob bella gesserũt. Singulis ecclesiarũ episcopi, singuli archiepiscopi* singuli archidiaconi: & oĩs ordo ecclesiasticus suis rectorib⁹ nititur. *Gene. 25.* **Archipresbyteri.*

„ Ecce in quibus casibus episcopo viuente alius potest ei substitui, quanquam secundum rei veritatem non viuenti episcopo talis probetur succedere. Translatus enim ab vna ciuitate ad aliam, desinit esse episcopus illius ciuitatis à qua trãsfertur: atque ideo qui huic succedit: non viuenti, sed defuncto quodámodo episcopo probatur substitui. Sed inter eum qui hostilitatis necessitate, & eum qui vtilitatis causa transfertur, hoc interest: quòd ille qui metu hostilitatis ad aliam transit: si priorem contigerit aliquando ab hostibus liberam fieri, ad eandem illum redire oportet. *7. pars. GRATIAN.*

VNDE Greg. papa scribit Ioanni episcopo Squillitano. lib. ij. episto. cap. xxv. *Epist. 25. Ioan. Squilatino. li. 2.*

Qui metu hostilitatis ad alium locum transierit: postea ad suam ecclesiam redire oportet. 43

PAstoralis officij cura nos admonet destitutis ecclesijs proprios cõstituere sacerdotes, qui gregem dominicum pastorali solicitudine gubernare debeant. Propterea te Ioannem ab hosti-

*Lisitana *Squilatina.

ab hostibus captiuatum Lesmianę*ciuitatis episcopū in Squillitana*ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem: & vt susceptam semel animarum curam, intuitu retributionis futuræ impleas. & licet à tua ecclesia sis hoste imminente depulsus: aliam quæ pastore vacat, debes ecclesiam gubernare: ita tamen, vt si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici, & domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari: ad eam in qua prius es ordinatus ecclesiam reuertaris. Sinautem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur: in hac in qua à nobis ordinatus es vel incardinatus debeas ecclesia permanere.

GRATIAN.

Qui verò vtilitatis causa transfertur: nequaquam ad priorem redire cogitur. Est etiam alius casus in quo episcopus viuenti episcopo substituetur. Cùm enim aliquis relicta priori cathedra, sua auctoritate ad aliam transierit; & alius ei substitutus fuerit, licet ille prioris ecclesiæ episcopus esse non desierit, substitutus tamen episcopatum habebit.

Dama. in professione fidei ad Paulinum Antioch.

VNDE Damasus vrbis Romæ episcopus scribit omnibus episcopis dicens.

De sacerdotibus qui relictis suis ecclesiis ad alias migrarunt. 44

EOs sacerdotes qui de ecclesijs ad alias ecclesias migrauerunt: tandiu à communione habuimus alienos, quandiu ad eas redierint ciuitates in quibus sunt constituti. Quòd si alius alio transmigrante in locum viuentis est ordinatus: tandiu vacet à sacerdotij dignitate qui suam deseruit ciuitatem, quādiu successor eius quiescat in domino.

GRATIAN.

Episcopalium etiam sedium mutationes metu hostilitatis interueniente nonnunquam fieri solent.

Greg. epi. 11. lib. 2.

VNDE Gregor. scribit Ioanni episcopo Bellitrano.

Necessitate temporis episcopalium sedium mutationes fieri possunt. 45

TEmporis qualitas nos admonet episcoporum sedes antiquitus certis ciuitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus eiusdem diœcesis loca transponere: quo & habitatores securi valeant degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare. propterea te Ioānem fratrem & coepiscopum nostrum Bellitrensis ciuitatis, sedemq; tuam in loco quondam Arenatarum ad sanctum Andream apostolum præcipimus transmigrari: quatenus ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinem solennium festiuè disponas.

8. pars.

Item cùm aliquis causa humilitatis apostolica concessione de episcopali sede ad monachalem descenderit subiectionē, alius loco eius subrogari poterit: ille verò ad pontificatum resurgere nequaquam vlterius valebit.

GRATIAN.

Vnde in quinta actione Constantinopolitanæ ciuitatis synodo. cclxxxiij. patrum sub octauo Ioanne papa cui præfuit Petrus

„ Petrus presbyter cardinalis, & Paulus Anchonetan⁹ episcopus,
„ & Eugenius Ostiensis episcopus, Apocrisarij papæ dixerunt.

Episcopus qui causa humilitatis monachus efficitur: ad pontificatum redire non valet. 46

HOc nequaquam apud nos habeatur, vt quicunq; de pontificali ordine & habitu ad monachorum descẽderit vitam: vlterius possit in episcopatum reuerti. Item præcepit sancta synodus, vt quicunque de pontificali dignitate habituque ad monachorum vitam, & pœnitentiæ descenderit locũ: nequaquam ad pontificatum resurgat. Monachorum enim vita, subiectionis habet verbum & discipulatus, non docendi vel præsidendi vel pascendi alios.

„ Hoc ad pœnitentiam agendam, non ad quietem seruãdam **GRATIA.**
„ quibusdam conceditur.

VNDE Liberius papa scribit omnibus episcopis. Epist.2.

Pro infestationibus malorum non licet episcopo gregem relinquere. 47

SVggestum est nobis quòd pro præteritis laboribus & infestationibus nõnulli vestrũ assignatas sibimet & à deo commissas reliquerunt plebes, & in futurum plures relinquere velint eas quas tueri debent ecclesias, & pro ouibus sibi cõmissis laborare negligant, & monasteriorum se quieti tradere festinent: & vacationẽ ab episcopatus laboribus eligere, & silẽtio atque ocio vitam ducere magis appetãt, quàm in his quæ sibi commissa sunt, permanere, dicente domino: Beatus qui perseuerauerit vsque in finem. Vnde nanque est beata perseuerantia nisi de virtute patientiæ? quoniam secundum Apostolicam prædicationem omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur. Ideo fratres charissimi nõ vos afflictionũ amaritudo à pio mentis vestræ proposito coerceat recedere, considerantes quanta pro absolutione nostri & liberatione creator dominusque & redẽptor noster pertulerit: quibúsve se contumelijs afficiendum tradiderit, vt nos à vinculis potestatis diabolicæ liberaret. Attendite itaque vobis & omni gregi in quo vos spiritus sanctus constituit episcopos regere ecclesiã dei, quam acquisiuit proprio sanguine saluator mundi, vt non sit qui vos decipiat aut seducat subtilitate sermonis, vt plebes vobis commissas relinquatis, & alicui propter opprobrium malorum hominum quieti vos traditis, vt vos solummodo saluetis, & filios orphanos relinquatis.

Mat.10.c.

2.Tim.3.c.

ITEM Nicolaus Humifrido Morinẽsis ecclesię episcopo.

In persecutionibus episcopus ecclesiam suam non deserat. 48

SCiscitaris itaque per Guldagariũ presbyterum vtrum cum à Normannis de episcopio depellaris, debeas de cætero in monasterio conuersari. In quo scias charissime frater quòd si perniciosum est pro te tam in tranquillitate nauim deserere,

quanto magis in fluctibus? Vbi non dicimus quòd persecutorum non fugiamus (maximeque paganorum) insidias, cum ad tempus sæuiunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem diuinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire vltro non debeamus, & multos prophetas & apostolos, ipsum quoque dominum huiusmodi fugisse insecutores luce clarius constet: sed quòd præcipuè nos qui tanquã arietes ducatum gregibus præbemus, immò qui & horum pastores sumus: deo auctore cũ eis in periculis pro viribus persistere pro certo conueniat, & cùm trãquillitas reddita diuina fuerit pietate, sopitaq; furentium infestatio, mox gregem perquirere, & in vnum colligere, & eius animos cœlestis patriæ pace ac potissimũ securitate prædicata sursum erigere debemus. Et tandiu super eorum cautela oportet nos esse solicitos, vt si dei iudicio præsentis temporis commoda fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent gaudia absque ambiguitate percipere sempiterna. ITEM Gregorius.

Epi. 126. lib. 7. ad Nicharedum regem Visigothorum.

Non est reprobatio, sed virtutis probatio, bonorum aduersitas. 49

ADuersitas quæ bonis votis obijcitur, probatio virtutis est, non iudicium * reprobationis. Quis enim nesciat quàm prosperum fuit quòd beatus Paulus apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit: sed tamen nauis cordis in maris fluctibus integra stetit?

**indicium*
Act. 27. a.

GRATIAN. *9. pars.*

Hoc etiã tunc obseruandum intelligitur, quando inter subditos aliqui inueniũtur quibus prælatorũ vita proficiat: quãdo nec specialiter prælatus quæritur, nec per alios tuta potest esse ecclesię salus: ne si deserere incipiat quibus prodesse potest, dicatur de eo: Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ: videt lupum venientẽ, & deserit oues, & fugit. Cùm verò specialiter quæritur, fugiat exẽplo Christi, qui à facie Herodis fugit in Aegyptũ. Fugiat exẽplo Pauli: qui à fratribus per murũ submissus est in sporta. Vnde Augustinus ait: Fugiat minister Christi sicut Christus in Aegyptum fugit. Fugiat, qui specialiter quæritur: dũ per alios est firma salus ecclesiæ. Hinc etiã ait domin⁹ discipulis: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Hinc etiã idem abscondit se, & exiuit de tẽplo, quando Iudæi lapides tulerunt vt iacerent in eum. Hinc etiam Augustinus ait de eodem in Psalmo quinquagesimoquarto. Ecce elongaui fugiens: illud tãgit quod vitabat persequẽtes, vt occasionẽ irę demeret. & manebat in desertis orans: in quo docebat nos in secreto cõscientiæ quiescere, cũ à malis premimur. Cùm verò non prælatorum tantùm, sed totius ecclesiæ salus quæritur, fides impugnatur: necesse est vt ex aduerso accẽdant: & in die belli seipsos vt murũ opponant pro domo domini, & animas suas ponãt pro ouibus suis: vt exem-

Ioan. 10. b.
Matt. 2.
Acto. 9. c.
Matth. 10. c.
Ioan. 8. g.

" " vt exemplo suæ passionis accedāt quos sermone doctrinę diu-
" " tius confirmare non valent. & hoc quidem de manifestis per-
" " secutionibus. Est & aliud genus persecutionis in quo aposto-
" " lus laborabat dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? *2.Co.11.g.*
" " quis scandalizatur, & ego non vror? &c. Hinc Augustinus in *Adversum, Et*
" " psalmo.cj. ossa, id est, fortes: quorum frixorium sunt qui scan- *ossa mea sicut*
" " dalizantur. tantum enim frigitur bonus, quantum amat. Hinc *in frixorio.*
" " idem in Psalmo xxx. Irascitur iustus peccatis palearum, nō ta- *Ad versum*
" " men odit: in quo extinguitur oculus & venter pro interiori- *Miserere mei do-*
" " bus quæ turbantur, quando nec corripi possunt impij: quibus *mine.*
" " non clamat, quia defecit in dolore vita videns non proficere *In præfatione*
" " quod prædicat. Hinc idem ait in Psalmo.lxix. vtrunque ge- *psal. 69.*
" " nus persecutionis distinguens, vox contribulatorum Christo,
" " id est, martyrum inter passiones periclitantium: sed de capite
" " præsumentium cū illis. vox omnis iusti cui ex charitate abun-
" " dans iniquitas Christianorū passio est, vt Loth corporalē per-
" " secutionem à nullo in Sodomis sustinuit: sed à malis eorum
" " cum quibus habitabat. Est ergo persecutio iusti vel à leone in
" " impetu, vel à dracone in insidijs. vnde omnes clamēt: Deus in
" " adiutorium meum intende. Cùm autem à vitijs subditorum
" " prælatus affligitur: aliquādo omniū est vna & insatiabilis ob-
" " stinatio: aliquando mali inueniuntur bonis admixti. Quan-
" " do boni simul cū malis habitant, non sunt deserēdi boni pro-
" " pter malos: ne peruersè malos euitando vincamus quos fugi-
" " mus ad gehennam, sed potius mali tolerentur propter bonos.
" " Vnde Grego. Abel esse renuit, quem Cain malitia non exer- *Gre.epist.39.*
" " cet. Ferrum quippe nostræ mentis ad acumen non potest per- *lib.9.*
" " uenire veritatis, nisi hoc alterius eraserit lima prauitatis. Hinc *Aug. sermone.*
" " etiam Augustinus: Tu bonus tolera malum, &c. Infra de tole- *18. de verbis do-*
" " randis malis in prima causa hæreticorum idem ait. Maius ma- *mini.*
" " lum in separatione bonorum committimus, quàm in cōiun-
" " ctione malorum fugiamus. tali non imputat deus sua peccata,
" " quia non fecit, non aliena, quia non approbauit: non negligen-
" " tiam, quia non tacuit: non superbiam, quia in vnitate perman-
" " sit. Hinc idem in Psalmo.liiij. Quis dabit mihi pennas sicut
" " columbæ? non ait sicut coruo. Columba verò à molestijs quę-
" " rit auolare: sed non dilectionem amittit, semperq; gemit. Sic
" " bonus vult se separare corpore nō amore ab his quibus nō po-
" " test prodesse. sed si aliquando ligatur non visco cupiditatis, sed
" " cura & officio vt deserere non possit, tunc dicat: Cupio dissol-
" " ui, & esse cum Christo, sed manere in carne necesse est propter
" " vos. & sic est meritum ex desiderio. Ecce elongaui fugiens:
" " non loco, ne rūpatur charitas bonorum, ne perdat exercitium
" " malorum quos deus admiscet, vt Iudam apostolis, quem quan-
" " uis sciret furem esse, tamen ad prædicandū misit, & ei Eucha-

ristiam dedit, docens in ecclesia tolerari malos: nec obesse bonis malorum consortia. Quandiu verò omnium subditorum est obstinata malitia, nec prodest eis prælatorum præsentia: tunc etiam corpore licet ab eis recedere, ne illorum nequitia semper in deterius proficiat, & isti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu possent inuenire. Sic beatus Benedictus deseruisse legitur, quos in necem suam vnanimiter viderat conspirasse. Hinc etiam beatus Gregorius Petro diacono interroganti an liceat prælato gregem semel susceptum deserere, lib. ij. Dialogorum respondit dicens.

Cap. 3.

Quando liceat prælatis subditos deserere, vel non. 50

IBi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniūtur aliqui quibus adiuuentur boni. Nam vbi omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacuus: maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum deo valeant ferre meliorem. Sæpe agitur in animo perfectorū quod silētio prætereundum non est, quia cùm laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant. Vnde quoque ille egregius prædicator qui dissolui cupiebat, & cum Christo esse, cui Christus est viuere, & mori lucrum: qui certamina passionum non solum ipse appetiit, sed ad tolerāda hæc etiam alios accendit, Damasci persecutionē passus, vt potuisset euadere, murum, funem, sportamq́, quæsiuit, seq́; latenter deponi voluit. Nunquid Paulum mortē timuisse dicimus, quam seipsum pro amore Iesu testatur appetere? Sed cùm in eo loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, ad grauē laborem se alibi cum fructu seruauit. fortis etenim præliator dei teneri intra claustra noluit, sed certaminis campum quæsiuit. Multorum auctoritatibus apparet quando viuentibus episcopis alij possunt substitui, & quando non.

Philip. 1. c.
2. Cor. 11. g.
Acto. 9. c.

QVAESTIO II.

AN ISTE VALEAT REPOSCERE CATHEDRAM QVAM SVA INTERCESSIONE ALTER ACCEPIT.

GRATIAN.

QVòd autem iste valetudine recepta suam repetit cathedram: nulla auctoritate ratum habetur. Celebrationem verò sacrificiorum quam infirmitatis causa dimiserit, valetudine recuperata exequi non prohibetur.

VNDE Alexander secundus scribit Gebonardo Viuariensi archiepiscopo.

De quodam presbytero, qui caduco morbo laborabat. 1

IN literis tuis continebatur sic, hic clericus ordinem habet presbyterij: sed quia caduco morbo laborat, & ipsi impræsentiarum hoc agnouimus, non ausi fuimus concedere sibi vt offerret,

offerret, vel missam celebraret, quia verò languor in culpa nõ est, super hac re auctoritatis nostræ decreto consulendo deliberauimus. Consulimus itaque vt si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione & missarum celebratione omnibus modis prohibeatur. Indecens enim est & periculosum vt in consecratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat. Si verò dei misericordia conualuerit (quandoquidem non culpa, sed infirmitas est in causa) eum sacrificare iam non interdicimus. ITEM Gelasius Rustico & Fortunato episcopis.

A regimine suspendatur ecclesiæ, qui in terram frequenter eliditur. 2

NVper Foropopulensis ecclesiæ clerici vnà cum Sabino episcopo & Pelagio & laicis propria suggestione referarunt præsulem suum graui quadam necessitate vexari, cuius cùm dicerent incursione frequenter elisum: quod ne scandalum fidelibus videretur ingerere, & ecclesiam dei vbiq; positam hac offensione turbare: præcipuè cùm eodem ipso volente huc se perrexisse firmarent, ad dilectionem vestram scripta dreximus, vt ecclesiæ cuius rector tali casu tenetur astrictus, visitationem congruam reddatis. verùm quia nunc idem ipse venit huc pontifex, falsaque omnia de se iactata dissemina:, sub diuini contemplatione iudicij vestræque conscientiæ existimationisque respectu, rerum fide solertissimè perquisita, si aliquando scilicet vel in domo, vel in processione, vel in alio quocunque loco probatur repentè collapsus, vocesque dedisse confusas, & spumas ore iactasse: quanta fieri potest examinatione quæratur. quod tamen siue non possit aliquorum factum testificatione firmari, siue nunquam contigisse dicatur, non putandum est posse sufficere, sed certum manifestumque documentum: quia de tanta re non segnius agendum est: faciat rem tua dilectio frater Rustice sui moris, & aptam magno pontifici, vt eum vel triginta diebus tecum esse constituas, eumq; carnibus indifferenter necessaria probatione compellas vti.

CAVSA VIII.

GRATIA.

„ QVidam episcopus agẽs in extremis successorem sibi ex testamento instituit. inde suorum amicorum patrocinio in eundem episcopatum eligitur. post electionem pro indemnitate ecclesię canonicis iuramentum præbuit. accusatur de simonia, tanquam munus ab obsequio præstiterit. ante tempus sententiæ à clericis suis relinquitur. sine literis apostolicis ad ecclesiam suam reuertitur episcopus.

„ 1 Hic primùm quæritur, an liceat episcopo sibi successorem instituere?

2 Secundò, an amicorum patrocinia in electione debeant conualescere?
3 Tertiò, an sit habendus simoniacus, qui post electionem huiusmodi iuramentum canonicis præstat?
4 Quartò, an liceat clericis ante sententiæ tempus ab episcopo suo discedere?
5 Quintò, an sine literis apostolicis debeat redire ad propriam ecclesiam?

QVAESTIO PRIMA.

AN LICEAT EPISCOPO SIBI SVCCESSOREM INSTITVERE.

GRATIA. QVòd autem episcopo successorem sibi instituere liceat, ex verbis Zachariæ papæ coniicitur: quibus episcopo Maguntino permisit adiutorem sibi statuere: qui ei defuncto in plenitudinem potestatis succederet.

Item ex verbis Symmachi papæ dicentis: Si transitus papæ inopinatus euenerit, vt de sui electione successoris non possit ante decernere, apparet quòd episcopi successores sibi instituere possunt. Item exemplo beati Petri illud idem probatur, qui beatum Clementem sibi successorem instituit. VNDE Ioannes tertius scribit episcopis Germaniæ & Galliæ.

Ioan. pa. 3.

Quòd Petrus Linum & Cletum adiutores sibi asciuit. 1

SI Petrus princeps apostolorum adiutores sibi asciuit Linũ & Cletum, non tamen potestatem pontificij, aut soluendi, aut ligandi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam post eum, & potestatem pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus verò & Cletus ministrabant exteriora, princeps autem apostolorum Petrus verbo & orationi instabat.

Clemẽs pa. epi. 1. ad Iacobum fratrem domini.

[*Palea.*[a]] 2

a deest hæc palea in veteri manuscrip. & meritò. nam tota est cõmentitia.

VNde ipse Clemens in epistola ad Iacobum Hierosolymitanum missa inter cætera scribit, quòd Petrus adhuc viuens Clementem in episcopum elegit. Simon Petrus in ipsis diebus quibus vitæ finẽ sibi præsensit, apprehensa manu mea in auribus totius ecclesiæ hæc protulit verba. Clementẽ hunc vobis ordino episcopum, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado: quem præ cæteris expertus sum deũ colentem, homines diligentem, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, scientẽ nonnullorum ferre etiam ex his quæ verbo dei instituuntur iniurias.

Cap. 23.

GRATIAN. Sed in Antiocheno concilio hoc omnino fieri prohibetur: in quo sic statutum legitur.

Episcopo successorem sibi constituere non licet. 3

EPiscopo non liceat pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perueniat. Quòd si tale aliquid

quid factum fuerit, irritum sit huiusmodi constitutum. Seruetur autem ius ecclesiasticum id continens non aliter oportere fidei, nisi cum synodo & iudicio episcoporum, & electione clericorum: qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus extiterit eligere & promouere.

Cap. 8. si. Marti. episcopi Bracharē. ex synodis Græcorum.

ITEM ex concilio Martini papæ.

De eodem. 4

EPiscopo non liceat ante finem vitæ alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc vsurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio & iudicio episcoporum, qui post exitum prædecessoris potestatem habent dignum eligere. ITEM Hilarius papa.

In synodo præsidens cap. 5.

De eodem. 5

PLerique sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, vt scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio, pro populi habeatur assensu. quod quàm graue sit, æstimate. Ab vniuersis acclamatum est. Hæc præsumptio nūquam fiat. Quæ dei sunt, ab homine dari non possunt.

ITEM Hieronymus ad Titum. cap. j.

Hiero. ad locum & cōstituas per ciuitates presbyte.

De eodem. 6

MOyses amicus dei, cui facie ad faciem locutus est deus, potuit vtiq; successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur. Iesus (id est Iosue) vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere: vt non quærant eos in ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, & vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt. ITEM Innocentius papa. ij.

Ino lib. 8. in fine refert ex eodem.

De eodem. 7

APostolica auctoritate prohibemus, ne quis ecclesias & pręb endas, præposituras, capellanias, aut reliqua ecclesiastica officia hæreditario iure valeat vendicare, aut expostulare præsumat. quod si quis improbus aut ambitionis reus attentare præsumpserit, debita pœna mulctabitur, & postulatis carebit.

GRATIAN.

» His omnibus auctoritatibus prohibentur episcopi successores sibi instituere. Sed aliud est de sui successoris electione
» cum fratribus deliberare, aliud est ex testamento tanquam suę
» dignitatis hæredem sibi quærere. Illud fieri permittitur, hoc
» autem penitus prohibetur. Illud autem beati Petri apostoli
» ab illis valet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt,

qualem sibi successorem beatus Petrus quæsiuit. Verùm quia officium non vitæ, sed sanguini cœpit deferri, atque ad episcopatum tales quisq; sibi successores quærere cœpit, qui vel odiosi populis, vel à plebe docendi inueniuntur: idcirco sacris canonibus statutum est, ne quisquã sibi sui officij quærat successorem: sed populi electione quæratur qui eorum vtilitati dignè deseruiat: qui illorum vtilitatem, non sua lucra quærat: qui Christo semen velit suscitare, non sibi diuitias congregare: quod qui facere contempserit, iure ab ecclesia repudiatur.

VNDE Augustinus in libro contra Manichæos.

Qui sibi & ecclesiæ prodest, vtroque pede calciatus intelligitur. 8

2. pars. Deute. 25. b. OLim iussus est frater præmortui fratris vxorem ducere: vt non sibi, sed illi suscitaret sobolem: eiusq; nomine vocaret quod inde nasceretur: quod si recusaret, discalciatus vno pede conspui solebat in faciẽ. Nunc euangelij quisq; prædicator ita debet in ecclesia laborare, vt defuncto fratri, id est Christo suscitet semẽ: qui pro nobis mortuus est. & quod suscitatũ fuerit, eius nomen accipiat. At vero qui electus ab ecclesia ministerium euangelizandi & baptizãdi renuerit, ab ecclesia ipsa dignè meritoq; contemnitur. qui enim & sibi prodest & ecclesiæ, bene intelligitur vtroque pede calciatus. Vnde illud: (Roma. 10. c. Esai. 52. b.) Quàm speciosi pedes euangelizantiũ pacem, euangelizãtium bona. qui enim lucrandorũ curam refugit aliorũ: discalciati illius non figuratum significauit, sed in se impletum portauit opprobrium. ITEM Gregorius in regesto. (Epi. 169. li. 6. Cyriaco episco.)

Locus regiminis sicut desiderantibus est denegandus: ita fugientibus est offerendus. 9

IN scripturis vestris vos magnopere requiẽ quæsiuisse narratis: sed per hoc ad pastoralem solicitudinẽ vos congruè venisse ostenditis: quia sicut locus regiminis desiderãtibus negãdus est, ita fugientibus offerendus est. Et sicut scriptum est: (Hebr. 5. Nume. 25.) Nec quisquam sibi sumat honorẽ, sed qui vocatur à deo tanquam Aaron. & rursus idẽ egregius prædicator dicit: (2. Cor. 5. c.) Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo & oẽs mortui sunt: & pro omnibus Christus mortuus est. & si hoc est: superest vt qui viuũt, non iam sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et pastori sanctæ ecclesiæ dicitur, Simon Ioãnis amas me? (Ioan. 21. d.) Pasce oues meas. Ex quibus verbis colligitur, ꝙ si is qui valet, omnipotẽtis dei oues renuit pascere: ostendit se pastorem summũ minimè amare. Si enim vnigenitus patris pro explẽda vtilitate omniũ de secreto patris ad publicũ nostrum egressus est, nos quid dicturi sumus, qui secretũ nostrũ præponim⁹ vtilitati proximorum? Quies itaque nobis ex corde appetenda est, & tamen pro multorũ lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita (si desit qui

sit qui prædicet) occupationis onus liběti necesse est humero subire. quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorũ vnus prædicationis officiũ vitare conatus est: & alter appetiit. nam mittēti se domino Hieremias respõdit, dicēs: A,a,a dñe *Hiere.1.b.* deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et cùm omnipotens deus ad prædicandum sibi personam quæreret dicens: Quem mittam, & quis ibit ex vobis? vltro se obtulit Esaias, *Esa.6.c.* dicēs: Ecce ego, mitte me. En ab vtrisq; exterius diuersa vox prodiit: sed non à diuerso fonte dilectionis emanauit. Duo quippe sunt præcepta charitatis, amor dei & proximi. Per actiuã igitur vitã prodesse proximis cupiēs Esaias officiũ prædicationis appetiit. Per contēplatiuam verò Hieremias amori cõditoris sedulè inhærere desiderãs: ne mitti ad prædicandũ debeat, cõtradicit. Quod ergo laudabiliter vnus appetiit, hoc laudabiliter alius expauit. Iste ne tacitæ contēplationis lucra loquēdo perderet, ille ne dãna studiosi operis tacēdo sentiret. Sed hoc in vtrisq; est subtiliter intuendũ: quia & is qui recusauit, plenè non restitit: & is qui mitti voluit, ante se per altaris calculũ purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quisquã mysteria sacra audeat: aut quē superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbè cõtradicat. IDEM in Moralib. *Cap.13.li.35.*

Locus deiectionis in voto dignitatis semper sit in necessitate. IO *ad ca.42.Iob.*

SCiendum summopere est quòd obedientia aliquãdo si de suo aliquid habuerit, nulla est: aliquãdo si de suo aliquid nõ habuerit, minima est. Nam cùm huius mũdi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur: is qui ad percipiēda hęc obedit, obedientiæ sibi virtutē euacuat, si ad hæc ex proprio anhelat. neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipiēda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit. Rursus cùm mundi despectus præcipitur, cũ probra adipisci & contumeliæ iubentur: nisi ex semetipso animus appetat, obedientæ sibi meritum minuit: quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensque descendit. Et paulo superius. Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur: quod contra ariolandi peccatum inobedientia esse monstratur. Ex aduerso ergo melius ostenditur quid de eius laude sentiat. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: sola est quæ fidei meritũ possidet obedientia, sine qua quisque infidelis cõuincitur, etiam si fidelis esse videatur. ITEM Augustinus. *Cap.19.lib.19*

Qui præesse & non prodesse desiderat, episcopari non debet. II *de ciuit. dei.*

QVi episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Expo- *1.Tim.3.a.* nere voluit quid sit episcopatus: quia nomē est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde dictum vocabulũ, quod

quòd ille qui præficitur, illis quibus præficitur superintendit, curam eorum, scilicet gerens. σκόπος quippe intentio est. Ergo episcopos si velimus latinè superintendẽtes possumus dicere: vt intelligat non se esse episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaq; à studio cognoscẽdæ veritatis nemo prohibetur: quod ad laudabile pertinet ociũ. locus verò superior, sine quo regi populus non potest, & si ita teneatur atque ministretur vt decet, tamẽ non decenter appetitur, quamobrem ociũ sanctum quærit charitas veritatis: negocium iustum suscipit necessitas charitatis: quã sarcinã si nullus imponit, percipiẽdæ atq; intuẽdę vacandũ est veritati. Si autẽ imponitur, suscipiẽda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnimodo veritatis delectatio desiderãda est: ne subtrahatur illa suauitas, & opprimatur iusta necessitas. ITEM Petrus.

In epistola Clementis 1. ad Iacobum. 3. pars.

Pro ingenio discentium doctor moderetur verba doctrinæ. 12

OPortet eum qui docet & instruit animas rudes, esse talẽ vt pro ingenio discentiũ semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audiẽtis capacitate dirigere. debet ergo apprime esse eruditus & doctus, irreprehensibilis, maturus, pauidus, sicut ipsi probastis fore Clementem hunc post me.

In eadẽ epistola.

ITEM eiusdem.

Qui omnibus præest, singulos releuare contendat. 13

CLemens si tanquam omnibus præesse volueris, singulos (prout poteris) iuua, & singulos releua: qui & singulorũ onus ac solicitudinẽ portas. ITEM Hieron. ad Titũ cap. 1.

In commẽtariis huius. Et constituas per ciuitates pres.

Contra Christum faciunt, qui gratia non meritis gradum ecclesiasticum tribuunt. 14

QVi vos spernit, me spernit. Ex quo manifestũ est eos qui apostoli lege contempta, eclesiasticũ gradum non meritis voluerint alicui conferre, sed gratia: contra Christum facere: qui qualis in ecclesia presbyter constituendus sit, per apostolum suum in sequentibus executus est.

Luc. 10. c.

Origenes homil. 6. ad cap. 8. Leuitici.

ITEM Hieronymus in libro Leuit.

Ad sacerdotium non eligatur nisi qui cæteris & sanctior & doctior habetur. 15

LIcet ergo dominus de constituendo principe præcipisset & elegisset, tamen cõuocatur etiam synagoga. Requiritur ergo in ordinando sacerdote etiam populi præsentia: vt sciant omnes & certi sint quòd qui præstãtior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminẽtior: ille eligitur ad sacerdotium, & hoc attestãte populo: ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. hoc est autẽ quod & Apostolus pręcipit in ordinatione sacerdotis dicens: Oportet autẽ illũ & testimonium habere bonũ ab his qui foris sunt. Ego tamẽ & amplius aliquid video in eo quod dicit:

1. Tim. 3. b.

dicit: quia conuocauit Moyses omnem synagogam, vt hoc sit colligere omnes animi vires, & in vnum congregare virtutes: vt cùm sermo de sacerdotalibus habetur sacramẽtis, vigilent omnes animi virtutes, & intẽtæ sint, vt nihil scientiæ, nihil in eis sapiẽtiæ, nihil desit industriæ: sed adsit omnis multitudo sensuũ, adsit omnis congregatio sanctarum cogitationum, vt quid sit pontifex, quid vnctio, quid indumenta eius, conferens intra sacrarium cordis sui possit aduertere.

ITEM ex libro Numerorum. Orige. homi. 23 ad cap. 27. Numero.

Populi gubernatio diuina electione præstetur. 16

SI ergo tantus ille ac talis Moyses non permittitur iudicio suo de eligendo populi principe, de cõstituendo successore: quis erit q. audeat vel ex plebe, quæ sæpe clamoribus, aut gratia, aut precio fortasse excitata moueri solet: vel ex ipsis etiã sacerdotibus quis erit qui idoneum ad hoc se iudicet? nisi si cui hoc oranti & petenti à domino reueletur: sicut & deus dicit ad Moysen: Assume ad temetipsum Iesum filiũ Naue hominẽ qui habet spiritũ dei in semetipso, & impones manus tuas super eũ: & statues eum corã Eleazaro sacerdote, & præcepta ei dato in cõspectu totius synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illũ, vt audiãt eum filij Israel. Audis euidenter ordinationẽ principis populi tam manifestè descriptam, vt penè expositione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla cõsanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contẽplatio est. propinquis, agrorũ & prædiorũ relinquatur hæreditas. Gubernatio populi illi tradatur quẽ deus elegit: homini scilicet tali qui habet (sicut scriptum audistis) spiritũ dei in semetipso, & pręcepta dei in conspectu eius sunt: & qui Moysi valde notus & familiaris sit, id est, in quo sit claritas eius legis & sciẽtia, vt possint eum audire filij Israel. Numer. 27. d

ITEM Gregorius ciuibus Neapolitanis. Epist. 40. lib. 8

Non ex fauore sed iudicio debet venire electio. 17

NEc nouum, nec reprehensibile est in eligẽdo episcopo populi se vota in duas partes diuidere, sed graue est quando in huiusmodi causa non ex iudicio, sed ex solo fauore venit electio. Cùm autem gubernatio populi ei tradi iubetur, quẽ deus elegit datur intelligi quòd aliquando quibusdam traditur quos deus non elegit. VNDE Hieronymus. 4. pars.

Non ex arbitrio dei aliquando datur princeps ecclesiæ. 18

AVdacter fortasse aliquid dicimus, tamen quod scriptũ est dicimus: Non semper princeps populo, & iudex ecclesiæ per dei arbitrium datur: sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri: & operamur maligna in cõspectu dei: datur nobis princeps secundũ cor nostrũ. & hoc tibi de scripturis sanctis probabo. Audi nanq; quid domin⁹ dicat: Fecerunt Osee. 8. a

runt sibi regem, & non per me: principem, & non per consiliũ meum. Et hoc dictum videtur de Saule illo, quem vtique ipse dominus elegerat, & regem sibi fieri iusserat: sed quoniã non secundum Dei volũtatem, sed secundũ peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eũ cum sua voluntate vel consilio constitutũ. Tale ergo aliquid intelligamus etiam in ecclesiis fieri, quòd pro meritis aut in verbo & opere potens à Deo tribuitur rector ecclesiæ: aut si malignũ faciat populus in cõspectu domini, & tales perseuerẽt: talis ecclesiæ iudex datur, sub quo famẽ & sitim populus patiatur: nõ famẽ panis, neq; sitim aquæ, sed famem audiendi verbũ Dei. ITEM Augustinus.

Non sunt filij sed mercenarij, qui honorem ab hominibus appetunt. 19

Philippen. 2. ca. SVnt in Ecclesia quidam præpositi, de quibus apostolus Paulus dicit. Sua quærentes, nõ quæ Iesu Christi. Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, sed Deũ non propter Deum quærentes: temporalia commoda sequentes, lucris inhiantes, honorẽ ab hominibus appetentes. hæc quando amãtur à præposito, & propter hæc seruitur Deo: quisquis talis est, mercenarius est: inter filios eius se non computet. Non ergo qui præficiuntur, semper cæteris meliores intelliguntur.

Ad locum si quis est sine crimine. VNDE Hieronymus ad Titum. 1. cap. 1.

Ex electione non præficiuntur episcopi, sed comprobantur. 20

ILlud inferendum est aduersus eos qui de episcopatu intumescunt, & putant se non dispensationem Christi, sed imperiũ consecutos: quia nõ statim omnibus his meliores sunt quicunque episcopi nõ fuerint ordinati: & ex eo quod episcopi electi sunt, ipsi se magis existimãt cõprobatos: sed intelligant propterea quosdam a sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impedierint. Si aũt peccata filiorũ iustum ab episcopatu prohibent: quanto magis se vnusquisque considerans, & sciens quia potentes potenter tormenta patientur: retrahit se ab hoc non tam honore quàm onere: & aliorum locum qui magis digni sunt, non ambit occupare. ITEM eiusdem ad Titũ, ca. j.

Pro gradu sui officij quemque meliorem esse oportet. 21

QValis enim erit ędificatio discipuli, si intelligat magistro se esse maiorem? Vnde nõ solum episcopi, presbyteri & diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctũ populũ cui præsidẽt, cõuersatione sermone ac sciẽtia præeant: verumetiã & inferior gradus, exorcistæ, lectores, custodes ædiũ, acolyti, & omnes omnino qui domui dei deseruiũt: quia vehemẽter ecclesiã dei destruit meliores laicos esse, q̃ clericos. Idẽ ad Titũ cap. j.

Ad locum, sed hospitalem.

Populus iudicabit episcopum sua officia non agentem. 22

VEreor ne quomodo regina Austri veniens à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, iudicatura est homines tẽporis sui, & viri Niniuitę acta pœnitẽtia ad prædicationẽ Ionæ con-

Ionæ condĕnabunt eos qui maiorē etiam Iona saluatorē cōtempserunt: sic plurimi in populis episcopos iudicent, subtrahĕtes se ab ecclesiastico gradu, & ea quæ episcopo cōueniūt non exercentes. ITEM Amb. in increpatione ad populū. Serm. 83.

Qui clericos suos non corrigit, populum corrigere non valet. 23

QVid autem ego vos arguo, cùm possitis me vno sermone conuincere? conuincor enim ego cùm in hac parte clericos vobis magis video negligĕtes. quomodo enim possū corrigere filios, cùm fratres emĕdare non possim? aut qua fiducia succenseam laicis, cùm à consortibus pudoris verecundia conticescam? Ego autem fratres non de omnibus loquor: sunt certè quidam deuoti: sunt & alij negligentes. Ego neminem nomino, conscientia sua vnumquemque conueniat.

ITEM Beda super Matthæum.

Episcopo ad salutem non sufficit moribus & vita populo adæquari. 24

NEc sufficere nobis ad salutem arbitremur, si turbis negligentium vel quorumlibet indoctorum fide vel actibus adæquemur: quibus sacris litteris vnica est credendi pariter & viuendi regula præscripta.

» Ne ergo (vt suprà dictum est) tales sui officij successores » aliquis sibi quæreret, prohibentur episcopi alterum pro se » successorem sibi statuere, ac designatis nominibus in locum » suum alium sibi subrogare. GRATIAN.

QVAESTIO II.

AN AMICORVM PATROCINIA IN ELECTIONE DEBEANT CONVALESCERE.

» QVòd autem amicorum patrocinia in aliquorum ele- » ctione conualescere non debeant: auctoritate beati » Gregorij papæ probatur; qui in tertio libro Regesti » scribit Antonio subdiacono dicens. GRATIAN. Greg. epi. 22. li. 2. sine cap. 61.

In electione episcopi non munerum datio, nec aliquorum patrocinia conualescant. 1

ILlud quidē præ omnibus curæ tibi sit, vt in hac electione nec datio quibuscunq; modis interueniat præmiorum: nec quarūlibet & personarū patrocinia cōualescāt. Nā si quorūdam patrocinio quisquā fuerit electus: voluntatibus eorū cū fuerit ordinatus, reuerĕtia exigente obedire cōpellitur: sicque fit vt res illius diminuantur ecclesiæ, & ordo ecclesiasticus non seruetur. Talem ergo te admonente debent sibi personā eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deseruiat: sed vita & moribus decorata, tanto ordine digna valeat inueniri.

ITEM ad clerum Mediolanensem.

In electione antistitis cōmuni vtilitati non suo lucro quisque prospiciat. 2

DIlectissimi filij, officij nostri censura commoniti suademus, vt in suscipiendi antistitis causa nullus vestrum ne- glecta Greg. epi. 29. sine c. 68. li. 2.

lecta vtilitate communi suo lucro prospiciat: ne si quisquã propria commoda appetit, friuola æstimatione fallatur: quia nec libero iudicio præferendam sibi personam examinat mẽs quam cupiditas ligat. Pensantes ergo quæ cunctis expediunt: ei quem vobis gratia diuina prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete, id est talẽ eligite, cui semper debeatis obedire. Iudicari nanque à vobis vltra non debet semel prælatus: sed tanto nunc subtiliter iudicandus est, quanto postmodum iudicandus non est.

QVAESTIO III.

AN SIT HABENDVS SIMONIACVS QVI POST ELECTIONEM HVIVSMODI IVRAMENTVM CANONICIS PRAESTAT.

GRATIAN. QVòd autem quæritur, an simoniacus habendus non sit qui post electionem pro indẽnitate ecclesiæ iuramẽtum præstiterit, facilè probatur. Aliud est enim ante electionem iuramentum facere, vel se pacisci facturũ ad hoc vt eligatur: aliud est nulla præcedente conuentione post electionem huiuscemodi iuramentum offerre. Illud ab officio tanquam munus impensum deiicit, hoc autem consecrando nullum impedimentum generat.

De priori casu scribit Pelagius clero Catinensi.

Qui in episcopum eligitur de rebus ecclesiasticis aliquem securitatem nulli faciat. 1

TAlia quidem iamdudum ad fratrem & coepiscopum nostrum Eucarpum de visitatione Catinensis ecclesiæ scripta direximus, vt in eis iudicium nostrum potuissetis agnoscere. veruntamen quia quosdam ibi non sana intentione, sed prauis studijs dissensiones suscitare vestra etiam relatione cognouimus, qui scientes se ad episcopatum, nec ætate, nec sciẽtia, nec vitæ meritis posse perduci: ad hoc tantũmodo inquietare ecclesiã voluerunt, vt sibi de his quæ ex ipsa præsumpta sunt, impunitatem futurus promittat episcopus: & fiat rapinæ securitas, episcopatus ambitio. Hoc etiam vos duximus cõmonendos, vt decretum in Elpidium diaconũ factum, & subscriptũ ab omnibus quos vestra relatio designauit, ad nos cũ prædicti visitatoris epistola, & cum eodem diacono maturetis deo propitiãte perducere. & post pauca. Cùm igitur hic filius noster magnificus vir Leo prætor venisset, retulit nobis de singulis quæ ibi mota sunt, & quomodo vota propè toti[*] ciuitatis in Elpidio diacono concordarent. vnde quia de memorati viri testimonio dubitare omnino non possumus: iccirco (sicut dictum est) Elpidium diaconum ad nos facite properare: nec expectetis vlterius vt admonitio ad eũ nostra debeat

beat destinari: * quem tamen per vestram dilectionem in hac * iterati.
præsenti iussione specialiter admonemus, ne cuiquam se aliquid dare vel daturum se esse promittat: sed neque de ecclesiasticis præteritis causis aliquam securitatem cuiquam audeat facere siue promittere: aut quasi factus episcopus ea quæ direpta sunt, permanere liberè patiatur: sciens quòd si tale aliquid fecerit vel fecit, nec à nobis omnino permittitur valere ipsa promissio: & cũ iudicij nostri quod de seipso habuimus damno, pastoralis consecrationis ordinem promereri non poterit.

De secundo vero casu in gestis Vrbani.ij. legitur.

Post electionem pro indemnitate ecclesiæ licet electo iuramentum præstare. 2

ARtaldus Arelatensis episcopus Narbonensis ecclesiæ suffraganeus Romam consecrandus ad dominum papam Vrbanum venit. suus quippe archiepiscopus eum consecrare nolebat: quoniam post electionem suam propter bona ecclesiæ conseruanda canonicis iurauit: consecratus itaque est à domino papa Vrbano, ante purgatus huiusmodi iuramento. De iuramento quod canonicis nostrę ecclesiæ feci post electionem: nullam conuentionem ante vt eligerer feci. Narbonensis verò ecclesiæ archiepiscopus nullius præter id criminis causa consecrationem omisit me sciente: neque mihi criminis conscius sum propter quod à sacerdotio me repellat.

QVAESTIO IIII.
AN LICEAT CLERICIS ANTE SENTENTIAE TEMPVS AB EPISCOPO SVO DISCEDERE.

QVòd autem clericis ante tempus sententiæ ab episcopo suo discedere non liceat: probatur auctoritate Symmachi papæ dicentis. GRATIAN. In li. Ennodij.

Ante tempus sententiæ non licet clericis ab episcopo suo discedere. I

NOnne directa * sunt verba decreti, si quis clericorum ab episcopo suo ante sententiæ tempus pro dubia suspicione discesserit, manifestam in eum manere censuram? lex enim ecclesiastica pontificem ab alijs accusatum priusquam sub luce obiecta constiterint, exigit non relinqui. * dicta.

QVAESTIO V.
AN SINE LITERIS APOSTOLICIS DEBEAT REDIRE AD PROPRIAM ECCLESIAM.

SIne literis apostolicis episcopus accusatus, & à sancta sede vocatus, ad suam non reuertatur ecclesiam. GRATIA.

VNDE Sixtus papa ait. Epist. 2.

A sede apostolica vocatus episcopus ad domum nō reuertatur nisi purgatus, & apostolicis literis instructus. 1

QVilibet fratrum pulsatus, atque ab hac sancta sede vocatus: cùm se nobis repræsentauerit, non prius reuertatur, quàm hinc literis apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus sit, si fuerit vnde: vt postquam domum reuersus fuerit, recognoscant vicini sui qualiter suam aliorumque causam hic finierit: quatenus illam absque ambiguitate vlla nunciare & prædicare omnibus possit. ab hac enim sancta sede à sanctis apostolis tueri, defendi, & liberari episcopi iussi sunt: & sicut eorum dispositione ordinante domino primitus sunt cōstituti: sic huius sanctæ sedis (cuius dispositioni eorum causas & iudicia seruauerunt) protectione futuris temporibus sint ab omnibus peruersitatibus semper liberi. Vnde culpantur qui circa fratres aliter egerint, quàm huius sanctæ sedis rectoribus placere cognouerint.

CAVSA IX.

GRATIA.



SEntentia excommunicationis notatus quidam archiepiscopus aliquot clericos alterius metropolitani ordinauit. quendam capellanum sui suffraganei illo inconsulto deposuit: atq; alium in loco eius ordinauit.

1 Hic primum quæritur, an ordinatio quæ ab excommunicatis facta est, aliquo modo possit rata haberi.

2 Secundò, an liceat episcopo, archiepiscopo, primati vel patriarchæ clericos alterius prouinciæ sine proprijs literis ordinare.

3 Tertiò, an archiepiscopus clericos suffraganei sui illo inconsulto damnare valeat, vel damnatos absoluere.

QVAESTIO I.

AN ORDINATIO QVAE AB EXCOMMVNICATO FACTA EST ALIQVO MODO POSSIT RATA HABERI.

GRATIA.

QVòd ordinatio quæ ab excommunicatis celebratur, nullas omnino vires obtineat, nec etiam consecratio appellanda sit: testatur Greg. dicens.

Greg. epi. 20. lib. 3. ad Maximianum.

Non potest appellari consecratio quæ fit ab excommunicatis. 1

NOs consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excōmunicatis hominibus est illicitè celebrata. ITEM.

Palea. 2

EXcommunicati illicitè manus imponunt: quia potestatem ordinandi non habent. vbi autem illicita est manus impositio, vulnus infligitur. vnde reiterari necesse est quod minimè probatur esse collatum.

Epist. 4. de chorepiscopis.

VNDE Damasus papa ait.

[*Palea.*

[Palea.

Deest in veteri manuscrip.

PEr illicitam manus impositionem vulneratum caput illi qui videbantur aliquid accepisse, habebant: & vbi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhiberi: qua fixa sanetur macula. Item reiterari necesse est quod legitimè actum aut collatum minimè probatur. Nam quomodo possit honorem retinere, qui ab illo accepit qui potestatem dare non habuit legitimè: inuenire non possum.]

GRATIAN.

" Sed excommunicati hic intelliguntur qui in ipsa sua ordi-
" natione pœnam excommunicationis contraxerunt: qui nun-
" quam in numero catholicorum fuerunt. Cæterùm qui inter
" catholicos prius deputati sunt: si postea excõmunicationis sen-
" tentia notati fuerint: ordinationes tamen eorũ ab ecclesia mi-
" sericorditer tolerantur. VNDE Vrbanus ij. scribit dicens.

Ordinationes ab excommunicatis non simoniacè factæ, ex misericordia tolerantur. 3

" AB excommunicatis, quondam tamen catholicis, episcopis
" ordinatos, si quidem non simoniacè ordines ipsos acce-
" perunt: & si ipsos episcopos simoniacos nõ fuisse constiterit:
" ad hoc si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogatiua visa
" fuerit promereri: pœnitẽtia indicta quã congruã duxeris, in ip-
" sis quos acceperũt ordinibus permanere permittas: ad superio-
" res autẽ conscendere non concedimus: nisi necessitas & vtili-
" tas maxima flagitauerit & ipsorum sancta cõuersatio prome-
" ruerit. Sed & illud Greg. de nominatim excõmunicatis intel-
" ligitur: quorum ordinationes funt irritæ, si eorũ dãnatio non
" erat ordinandis incognita. VNDE idem Vrbanus ait.

Qui nominatim excommunicati sunt, & qui aliorum sedes inuadunt: alios ordinare non possunt. 4

ORdinationes quæ ab hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, & ab eis qui catholicorũ adhuc viuentium episcoporum sedes inuaserunt, irritas esse iudicamus: nisi probare valuerint se cùm ordinarentur eos nescisse damnatos. Qui verò ab episcopis quondam quidem catholicè ordinatis, sed in schismate à Romana ecclesia separatis consecrati sunt: eos nimirum cum ad ecclesiæ vnitatẽ redierint, seruatis proprijs ordinibus misericorditer suscipi iubemus: si vita & scientia eos commedant. Amodo verò quicunque à prædictis schismaticis sanctæque Romanæ ecclesiæ aduersarijs se ordinari permiserit: nullatenus hac venia dignus habeatur. Quãuis autem misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente hinc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus: nullum tamen præiudiciũ sacris canonibus fieri volumus: sed obtineant proprium robur: & cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate. vbi enim multorum

strages iacet: subtrahendum est aliquid seueritati.

GRATIA. Electio quoq; nisi à catholicis facta fuerit, irrita esse probatur. VNDE Greg. scribit Mediolanensibus.

Irrita sit electio quæ non à catholicis facta probatur. 5

NOs in hominē qui non à catholicis eligitur, nulla præbebemus ratione cōsensum: nec si alicuius vsurpatione factū fuerit in locum vel ordinem illum sacerdotis suscipimus.

QVAESTIO II.

AN LICEAT EPISCOPO, ARCHIEPISCOPO, PRIMATI VEL PATRIARCHAE CLERICOS ALTERIVS PROVINCIAE SINE PROPRIIS LITERIS ORDINARE.

GRATIA. QVòd autem episcopus vel quilibet superiorum clericos alterius sine proprijs literis ordinare non debeat, Calixtus papa scribit dicens.

Epist. 2. episcopis Galliæ.

Alterius ecclesiæ parœcianum nullus iudicare præsumat. 1

NVllus alterius terminos vsurpet: nec alterius parœcianum iudicare vel ordinare aut excommunicare præsumat: quia talis iudicatio vel ordinatio aut excommunicatio vel dānatio nec rata erit, nec vires vllas habebit: quoniam nullius alterius iudicis nisi sui sententia tenebitur aut damnabitur. Vnde & dominus in Deuteronomio loquitur dicens, Non trāsgrediatis terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. IDEM.

Deut. 19. d. Pro. 22. d.

Palea. 2

In eadem epist. Extat in veteri manuscripto sub paleæ notis.

PLacuit vt deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti recipere ad pœnitentiā sine cōsensu eius cui se prius cōmisit, nisi per ignorātiā illius cui peccās prius confessus est. qui verò contra hæc statuta facere præsumpserit: grad⁹ sui periculo subiacebit. ITEM Cœlestinus papa.

Calixtus pa. epi. 2.

In alterius parœcia, nisi eo vocante, nulli aliquid agere licet. 3

NVllus primas, nullus metropolitanus, nullus reliquorū episcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionē accedat quæ ad eum non pertinet, & alterius episcopi parœciam super eius dispositione: nisi vocatus ab eo cuius iuris esse cognoscitur: vt quidquam ibi disponat vel ordinet aut iudicet: si sui gradus honore potiri voluerit. sin aliter presumpserit, damnabitur: & non solùm ille, sed cooperatores & consentientes ei: quia sicut ordinatio, ita etiam eis iudicatio & aliarū rerum dispositio prohibetur. nam qui ordinare non poterit: quomodo iudicabit? nullatenus proculdubio iudicabit, aut iudicare poterit. ITEM ex concilio Meldensi.

De eodem. 4

IN dominicis diebus vel festis presbyteri antequam missas celebrent, plebem interrogent si alterius parœcianus in eccle-

ecclesia sit, qui proprio cõtempto presbytero ibi missam velit audire. quem si inuenerint, statim ab ecclesia abijciant: & ad suam parœciam redire compellant.

ITEM ex concilio Nauatensi.

De eodem. 5

NVllus presbyter aut diaconus alterius plebanum (nisi in itinere fuerit, vel placitum habuerit) ad missam recipere audeat. ITEM ex concil. Antiocheno. Cap. 13.

Ad ordinationem clericorum vel ecclesiarum alterius episcopi nisi ab eodem inuitatus non accedat episcopus. 6

NVllum episcopum audere debere ex alia prouincia ad aliã transitum facere: & ordinare aliquos in ecclesia aut præferre ad sacrum ministerium. nec ab alijs illuc attrahatur episcopus, nisi fortè per literas rogatus abierit, non solùm à metropolitano, sed & ab his qui cum eo sunt omnibus ipsius prouinciæ episcopis. Quòd si nullo inuitante inordinatè superueniat episcopus, & aliquos vel ordinare præsumpserit, vel quoslibet illi ecclesiæ competentes qui ad se minimè pertinẽt, vsurpare tentauerit: vacua quidem & inania erunt omnia quæ gesserit, ipse verò huius indisciplinati ausus & irrationabilis cœpti dignas causas expendat: tanquam depositus à sancta synodo, & propter huiuscemodi præsumptionem iam prædamnatus. ITEM ex eodem. Cap. 22.

Ad ordinationem ecclesiæ quæ sibi commissa non fuerit, minimè accedat episcopus. 7

EPiscopum non debere in alienam irruere ciuitatem, quæ illi probatur non esse subiecta, neque in regionem quæ ad eius curam minimè noscitur pertinere, ad aliquid ordinãdum: neq; presbyteros aut diaconos constituere ad alios episcopos pertinentes, nisi fortè cum volũtate & testimonio propriç regionis episcopi. Quòd si quispiam horum quid tale facere voluerit: irrita quidem erit talis ordinatio: & super his etiam quç malè vsurpauerit, à synodo arguatur. nam si ordinare non potuerit: nullatenus ad alios pertinentes iudicare præsumat.

ITEM ex synodo Constantinop. Cap. 2.

Non accedant episcopi ad ecclesias quæ sunt extra eorum diœcesim. 8

EPiscopi qui extra suam diœcesim sunt: ad ecclesias quç extra terminos eorum sunt, non accedant: neque confundant & permisceant ecclesias secundum regulas statutas. Alexandriæ quidem episcopi ea quæ sunt in Aegypto tantummodo gubernent. Oriẽtales autem episcopi solius Orientis curá gerant: seruatis tamen honoribus primatus ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ synodi continentur. Sed & Asianæ diœcesis episcopi: & ea quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantũmodo diœcesim pertinẽt, gubernent. Ponti autem

episcopi Pontinæ tantummodo diœcesis habeant curã: Thraciæ verò ipsius tantummodo Thraciæ. ITEM.
Ibidem cap. 3.

De eodem. 9

NOn inuitati episcopi vltra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus vel quibuscunque disponendis ecclesiasticis causis seruata regula quæ supra scripta est de vnaquaque diœcesi. Manifestum nanque est quòd per singulas quasque prouincias prouincialis synodus administrare & gubernare omnia debeat secundum ea quæ sunt in Nicæna synodo diffinita.

3. pars. GRATIAN. His auctoritatibus prohibentur quilibet episcopi clericos alterius ordinare. Sed quæritur si contingat eos aliquibus sacros ordines distribuere: an ordinati ab episcopis suis in propriis ordinibus recipi possint. DE his ita scribit Vrbanus papa. Hugo. Lugdunen. archiepiscopo.

Clerici ab episcopo alterius paræciæ ordinati, à proprio in suis ordinibus recipi possunt. 10

LVgdunensis parœciæ clericos quos contra statuta canonum ab alterius parœciæ episcopis ordinatos literarum tuarum significatione monstrasti: cum graduum suorum honore recipere, religionis tuæ prudentia poterit, si eos aliàs canonicè & sine prauitate aliqua ordinatos constiterit: si tamen eorum probabilem vitam id indulgentiæ prospexeris promereri. Legimus quippe sanctum Epiphanium episcopum ex diœcesi sancti Ioannis Chrysostomi quosdam clericos ordinasse: quod sanctus vir omnino non fecisset, si ei detrimentum fore perpenderet. Quos igitur recipiendos moderatio tua arbitrata fuerit: iniuncta satisfactionis gratia propter ecclesiam quam offenderunt cognita pœnitentia miserationis intuitu in suo quoque honore recipies: salua tamen in omnibus sanctorum canonum disciplina.

QVAESTIO III.

AN ARCHIEPISCOPVS CLERICOS SVFFRAGANEI SVI ILLO INCONSVLTO DAMNARE VALEAT, VEL DAMNATOS ABSOLVERE.

GRATIA. QVòd autem archiepiscopus clericos sui suffraganei illo inconsulto damnare valeat vel absoluere, sic videtur posse probari: sicut totius episcopatus ecclesiæ in potestate sunt episcopi, sic & ecclesiæ totius archiepiscopatus ad diœcesim pertinent archiepiscopi. Vocantur enim episcopi à metropolitano in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Sic quippe vices suas eis impertitur, vt potestatem suam sibi non adimat. vnde & sine eius cõsilio nihil eis age-

" " eis agere licet. Sicut in concilio Martini papæ legitur. Cap. 4. li. Martini episco. Era. ex synodo Græcorum.

Nec episcopi sine metropolitani consensu, nec ille sine eorum consensu aliquid agere debet. I

PEr singulas prouincias oportet episcopos cognoscere metropolitanum suum:& ipsum primatus sui curam suscipere: nihil autem oportet agere reliquos episcopos præter eum, secundum quod antiquitus à patribus nostris constitutum in canone continetur: propter quod & metropolitanus nihil præsumptiuè assumat absque consilio cæterorum.

ITEM ex concilio Antiocheno. Cap. 9.

Sine metropolitani consciẽtia extra suã diœcesim nihil agat episcopus. 2

PEr singulas prouincias episcopos singulos scire oportet episcopum metropolitanum qui eis præest, curam & solicitudinem totius prouinciæ suscepisse, propter quod ad metropolitanam ciuitatem ab his qui causas habent, concurratur: quapropter placuit eum & honore præcellere,& nihil vltra sine ipso reliquos episcopos agere secundum antiquum patrũ nostrorum canonem: nisi hoc tantum quod vnicuiq; ecclesiæ per suam diœcesim cõpetit. Vnumquemq; enim oportet episcopum habere suæ diœcesis potestatem: vt regat & gubernet secundum competentem singulis reuerentiam, & prouidentiam gerat omnis regionis quæ sub ipsius est ciuitate: ita vt ordinare ei presbyteros & diaconos probabili iudicio liceat: & de singulis ipsius regionis causis cum moderatione & pondere disceptare. vltra autem nihil agere permittatur citra metropolitani episcopi conscientiam: nec metropolitanus sine cæterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

" " Nisi fortè episcopi ipsi œconomos in ecclesia sua ordinare " " contempserint. VNDE in vij. synodo legitur. GRATIA.

Metropolytanus cõstituat œconomos quos episcopus habere neglexerit. 3

CVm simus debitores, omnes sacras regulas custodire: & eam quæ dicit in vnaquaque ecclesia œconomos esse debere, modis omnibus inuiolabilem conseruare debemus. Et si quidem vnusquisque metropolitanus in sua ecclesia constituerit œconomum, bene vtiq; est. sin autem ex auctoritate propria Constantinopoleos episcopis licentia est præponendi œconomos in eius ecclesia: similiter & metropolitanis, si episcopi qui sub eis sunt, non sategerint œconomos statuere in suis ecclesiis. Idipsum autẽ seruandũ est etiam in monasteriis.

" " Probatur illud idem exemplo apostoli qui fornicatorem GRATIAN.
" " Corinthium impœnitentem satanæ tradidit: postea pœniten- 1. Corinth. 5. 8.
" " tem ecclesiæ reconciliauit: hoc tantum scribens Corinthiis in
" " prima & secunda epistola, vt excommunicato non communi-
" " carent:& reconciliato socia charitate copularentur. Sed cõ- Iginius pa. epi-
" " tra probatur auctoritate multorum. Ait enim Iginius papa. stol. 1.

Metropolitanus sine episcoporum consensu vel præsentia alicuius eorum non audiat causas. 4

SAluo in omnibus Romanæ ecclesiæ priuilegio, nullus metropolitanus absq; cæterorum omnium cóprouincialium episcoporum instantia aliquorũ audiat causas: quia irritæ erũt aliter actæ, quàm in cõspectu eorum omniũ ventilatæ: & ipse si fecerit, coerceatur à fratribus. ITEM Anicius papa.

Anicetus scribẽs episc. Galliæ.

De eodem. 5

ARchiepiscopus nihil de episcoporum causis aut aliis communibus iuxta statuta apostolorum absq; cunctorũ illorum agat consilio: nec illi assumant nisi quantum ad suas pertinet parœcias sine suo consensu: quoniam tali cõcordia gaudet altissimus & gloriatur in membris suis. IDEM.

Anicet. in eadem epistol.

De eodem. 6

SI autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium comprouincialium præsentia vel concilio episcoporum, vel causas eorum aut alias causas (nisi eas tantum quæ ad propriam suam pertinent parœciam) agere, aut grauare eos voluerit: ab omnibus districtè corrigatur: ne talia deinceps præsumere andeat. Si verò incorrigibilis, eisque inobediens apparuerit: ad hanc apostolicam sedem cui omnium episcoporum iudicia referri præcepta sunt, eius cõtumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri de eo timorẽ habeant. ITEM Calixtus papa.

Epist. 2. episcopus Galliæ.

De eodem. 7

NVllus primas, nullus metropolitanus diœcesani ecclesiam vel parœciam, aut aliquem de eius parœcia præsumat excommunicare vel iudicare, aliquídve agere absque eius consilio vel iudicio: sed hoc obseruet quod ab apostolis ac patribus & decessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum, id est, si quis metropolitanus episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriã pertinet parœciam) sine consilio & voluntate omnium comprouincialium episcoporũ extra agere aliquid tentauerit, gradus sui periculo quidem subiacebit, & quod egerit, irritum erit & vacuum. Sed quicquid de cõprouincialium episcoporum causis, eorumq́; ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc communi consensu cõprouincialium agatur pontificum: nõ aliquo dominationis fastu, sed humili atq; concordi administratione; sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare, & alibi. Qui maior est vestrum, erit minister vester. similiter & ipsi comprouinciales episcopi cuncta eius cõsilio (nisi quantũ ad parœcias pertinet proprias) agant iuxta sanctorum cõstituta patrũ, vt vno animo, vno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in sæcula. ITEM Nicolaus

Ibidem.

Math 20. d.
Ibid. 23. b.

laus papa Rodulpho Bituricensi archiepiscopo. *Iuo Carn. lib. 4. de dignitate refert.*

In suffraganei parœcia nihil absq; eius consilio metropolitanus agat. 8

COnquestus est apostolatui nostro frater noster Sigedodus archiepiscopus Narbonensis, quòd clericos suos eo inuito ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi iure patriarchatus tui disponas: cùm hoc nec antiquitas (cui sancti patres sanxerunt reuerentiam) habeat, & auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi fortè pro causis quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum prouocauerint per appellationes; vel si episcopus suus detulerit, res ecclesiæ suæ iudicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus: ita vt secundum Nicænas regulas sua priuilegia seruentur ecclesiis: præterquam si apostolica sedes aliquam ecclesiam vel ipsius rectorem quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare.

ITEM Beda super Apocalypsim: Et angelo ecclesiæ Ephesi scribe. *Apocal. 2 a. Ad ca. 2. Glossa ordinaria id habet Apocalypsis.*

De eodem. 9

EPiscopo scribit Ioannes, de cuius manu peccata subditorum requirit, ne sine eius consiliò subditos iudicare debeat. Sola enim Romana ecclesia sua auctoritate valet iudicare de omnibus, de ea verò nulli iudicare permittitur.

VNDE Nicolaus papa primus. *Nicolaus ad Michaelem imperatorem.*

Apostolicæ sedis iudicium à nemine est retractandum. 10

PAtet profectò sedis apostolicę (cuius auctoritate maius nõ est) iudicium à nemine fore retractandum: neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: iuxta quod Innocentius papa Ruffo & cæteris episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait: Nemo vnquã apostolico culmini (de cuius iudicio nõ licet retractari) manus obuias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari. & beatus papa Gelasius: Nec de eius iudicio, id est Romanæ ecclesiæ canones vnquam præceperunt iudicari, sententiamq; illius constituerunt non oportere dissolui: cuius potius sequenda decreta mãdauerunt. ITEM Anastasius patriarcha papæ Felici.

Ab aliis damnatos vel excõmunicatos. apostolica soluit auctoritas. 11

FVit semper apostolicæ sedis vestræ licentia, iniustè damnatos vel excommunicatos potestati suæ sua auctoritate restituere. & sua omnia eis reddere, & illos qui eos condemnauerunt aut excommunicauerunt, apostolico punire priuilegio: sicut etiam nostris & anterioribus nouimus factum temporibus. ITEM.

De eodem. 12

ANtiquis regulis sancitum est vt quicquid (quamuis in remotis aut in longinquo positis prouinciis, super earum querelis aut accusationibus ageretur) non prius tractandum vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ sedis vestræ esset deductum: vt huius auctoritate iuxta quod fuisset faciendum pronunciatio infirmaretur aut firmaretur.

** al. tribuitur Syluestro. in quadam vetere epitome decretorum.*

Ino Carn. lib. 4. id refert similiter.

ITEM Innocentius papa.

Prima sedes nullius iudicio subiaceat. 13

NEmo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem. neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur.

In lib. Ennodij.

ITEM Symmachus papa.

De eodem. 14

ALiorum hominum causas deus voluit per homines terminari: sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. voluit beati Petri apostoli successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere conscientiā. Nolite existimare eas animas inquisitionis non habere formidinem, quas deus præ cæteris suo reseruauit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipsorum factorum vtitur eo teste quo iudice. Tu dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione cōditio: replicabo, vni dictum est. Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cęlo. Et rursus patet sanctorum voce pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est vbique, submittitur: dum totius corporis caput esse designatur. De hac mihi per prophetam dictum videtur: Si hæc humiliatur, ad cuius fugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam vestram? ITEM Antherius papa.

Matth. 16. c.

Esai. 10. a.

Antherius epist. ad episcopos prouinciarum Betica & Toletanæ.

De eodem. 15

FActa subditorum iudicantur à nobis, nostra veró à domino iudicantur. Deteriores sunt qui vitam moresq; bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaq; diripiunt.

Gelasius 1. Fausto legato.

ITEM Gelasius papa.

De eodem. 16

IPsi sunt canones qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sanctæ sedis examen voluerunt deferri: ab ipsa vero nusquā prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium: nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamq; eius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt. IDEM omnibus episcopis.

Gela. epis. Dardaniæ.

De eo-

De eodem. 17

CVncta per mundum nouit ecclesia quòd sacrosancta Romana ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi: neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. si quidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa præterimus quòd apostolica sedes sine vlla synodo præcedente, & soluendi quos synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existēte synodo quos oportuit habuit facultatem, & hoc nimirum pro suo principatu quem beatus Petrus apostolus domini voce & tenuit semper, & tenebit. IDEM episcopis per Dardaniā cōstitutis. *Idem Gela. ibid.*

De eodem. 18

CVncta per mundum nouit ecclesia quoniam quorūlibet sententijs ligata pontificum, sedes beati Petri apostoli ius habeat resoluendi: vtpote quæ de omni ecclesia fas habeat iudicandi, &c. ITEM Sixtus papa Hispanorum episcopis. *Epist. 2.*

De eodem. 19

FRatres, quos timore terreno iniustè damnastis, scitote à nobis iustè esse restitutos quib⁹ ex apostolica auctoritate beati Petri omnia quæ eis ablata sunt, integerrimè reddi præcipimus, si non vultis & vos & principes vestri à collegio nostro & à membris ecclesiæ separari.

ITEM Stephanus episcopus Gualberto patriarchæ.

Cuiuslibet ecclesiæ clericos papa valet ordinare. 20

NVnc verò iterato tibi scribimus, nolentes alicuius ecclesię priuilegium infringere, licet apostolica prærogatiua possimus de qualibet ecclesia clericū ordinare: desine iam cuiuspiam zelo Cumensis ecclesiæ antistitē protelare: quia si protelaueris, & eum cōsecrare iam totiēs monitus non maturaueris, proculdubio ad nos veniens consecratus abibit.

ITEM Nicolaus papa Michaeli imperatori. *Nico. I.*

De eodem.

PEr principalem igitur apostolorum Petri & Pauli dexteram, quam suprà exposuimus, & potestatē & ius habuimus non solum in monachos, verumetiam in quoslibet clericos de quacunque diœcesi cum necesse fuerit ad nos conuocare, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus inuitare.

» Sed aliud est quod ex temeritate assumitur præsumptio- GRATIAN.
» nis: aliud quod ex necessitate geritur charitatis. Cùm suffra-
» ganei archiepiscoporum subditis suis ad malum fauere cœ-
» perint, atque circa eorum correctiones negligentes extite-
» rint: tunc licet metropolitanis præter illorum voluntatem
» & ligandos damnare, & reconciliandos absoluere. Cùm
» verò episcopi zelo diuinæ charitatis accensi, bonos verbo &
» exemplo ædificant, & malorum vitia aspera increpatione

redar-

redarguunt, absque talium consilio non licet metropolitanis in eorum parœcia aliquid agere vel disponere. Vnde in fine capituli Martini papæ non simpliciter dictum est. Nihil agat, sed cum determinatione nil præsumptiuè assumat absque eorum consilio: vt vitium præsumptionis videatur improbatum, non officium charitatis. Sic & apostolus quia Corinthios vidit negligentes circa correctionem fornicatoris, sua auctoritate illum damnauit. Ioannes verò quia episcopum Ephesiorum vidit paratum ad corrigenda vitia subditorum, sine eius auctoritate illos corrigere noluit: sed illum tantum de eorum correctione admonuit.

1. Cor. 5. 4.

Apoca. 2. 4.

CAVSA X.

GRATIAN.



Vidam laicus basilicam à se factam à diœcesana lege segregare quærit. episcopus ecclesiam cum omni dote sua ad suam dispositionem pertinere contendit. tandem euincit episcopus: & per parœcias militibus comitatus crudeliter deseuit: quæ ecclesiarum sunt, tanquam sibi debita, vsurpare contendit.

1 Modo primùm quæritur an basilica cum omni dote sua ad episcopi ordinationem pertineat? [a]

2 Secundò, an res ecclesiarum episcopis vsurpare liceat? [b]

3 Tertiò, quid nomine cathedratici à sacerdotibus suis exigere valeat? [c]

a pertinet. vt infra patebit.
b minime. vt infra pat.
c duos solidos. vt infr. patebit.

QVAESTIO PRIMA.
AN BASILICA CVM OMNI DOTE SVA AD EPISCOPI ORDINATIONEM PERTINEAT.

Cap. 3.

DE prima quæstione sic diffinitur in concilio Hilerdensi.

Basilica quæ consecratur, à diœcesana lege nõ segregetur. 1

SI ex laicis quispiam* à se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub monasterij specie vbi congregatio non colligitur, à diœcesana lege audeat segregare.

*al. quisquam

Cap. 19.

ITEM ex concilio Toletano. iij.

Ecclesiæ cum dotibus suis in episcopi potestate consistant. 2

SI quidam[d] contra omnem auctoritatẽ ecclesias quas ædificauerunt postulant consecrari, vt dotem quam eidem ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem nõ pertinere. quod factum taliter in præterito corrigatur, vt & in futuro ne fiat prohibeatur: & omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem & potestatem pertineãt.

d legend. vt in veteri. Sic quidam.

ITEM ex concilio secundo Cabilonensi.

Ecclesiæ

Ecclesiæ & omnia iura earum ad ordinationem episcopi pertinent. 3

DEcretum est vt omnes ecclesiæ cum dotibus suis & decimis & omnibus suis iuribus in episcopi potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant.

ITEM Leo papa quartus.

Vnaquæque parœcia episcopi prouisione regatur. 4

REgenda est vnaquęque parœcia sub prouisione ac tuitione episcopi per sacerdotes vel cæteros clericos quos ipse cum dei timore præuiderit cui iure pertinere videtur, & circumire, vt sibi necessarium visum fuerit ecclesiastica auctoritate cogente. ITEM ex concilio Antiocheno. Cap. 24.

Iudicio & potestate episcopi res ecclesiasticæ gubernentur. 5

QVæcunque res ecclesiasticæ sunt, conuenit cum omni diligentia & bona fide quæ deo debetur, qui omnia[a] præuidet, & cuncta iudicat: gubernari & dispensari cum iudicio & potestate episcopi: cui totius plebis animæ videntur esse commissæ. ITEM ex concilio Toletano quarto. Cap. 32.

a al. prouidet, quæ est recta lectio.

Basilicarum conditores in rebus ecclesiarum nullam potestatem se habere cognoscant. 6

NOuerint cõditores basilicarum in rebus quas eisdem ecclesijs conferunt, nullam se potestatem habere: sed iuxta canonum instituta sicut ecclesiam ita & dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere.

ITEM ex concilio Aurelianensi. Cap. 17.

De eodem. 7

DE his quæ parœciis in terris, [in] vineis, mãcipiis, atq; peculijs quicunque fideles obtulerint, antiquorum canonũ statuta seruentur, vt in episcoporum potestate consistant. de his tamen quæ altario accesserint, tertia pars fideliter episcopis deferatur. ITEM ex eodem. Cap. 16.

De iis quæ altario offeruntur, medietatem sibi vendicet episcopus. 8

ANtiquos canones relegentes, priora statuta credimus renouanda: vt de his quæ altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem sibi episcopus vẽdicet, & medietatẽ sibi dispensandam secundi gradus clerus accipiat, tam de propriis prædijs, quàm de omni commoditate in episcoporum potestate durantibus. ITEM ex concilio Toletano.

De episcopis qui diœcesim suam visitare contemnunt, & ad redimendas mansiones quæ visitantibus debentur, clericos cogunt. 9

RElata est coram sancta synodo querimonia plebiũ, quòd sint quidam episcopi nolentes ad prædicandũ vel ad confirmandum suas per annum parœcias circumire: qui tamẽ exigãt vt mãsiones quibus in profectione vti debuerãt, [aliquo] precio redimãt, qui parare debebant; quæ duplex infamia, negligentiæ, & auaritiæ sanctæ synodo magno fuit horrori; statuerunt

alio.

tuerũt itaque, ne quis vltra exerceat id cupiditatis ingenium, & vt solicitiores sint episcopi de suis gregibus visitandis.

Cap. 8. ITEM ex concilio Terraconensi.

Annuis vicibus ecclesiæ ab episcopis visitentur. 10

*Decreuimus. DEcreuimus * vt antiquæ cõsuetudinis ordo seruetur; & annuis vicibus diœceses ab episcopo visitentur: & si qua fortè basilica fuerit reperta destituta, ordinatori eius reparari præcipiatur: ab episcopis autem tertia ex omnibus accipiatur, 2. pars. sicut antiqua traditione nouimus esse statutum. Si autẽ episcopus inualetudine impeditus diœceses suas per semetipsum visitare non poterit, visitationis officium committat alijs.

Cap. 35. VNDE in concilio Toletano quarto legitur.

Inualetudine grauatus episcopus, visitationis officiũ aliis cõmittat. 11

EPiscopum per cunctas diœceses parœciasque suas per singulos annos ire oportet, vt exquirat quo vnaquæque basilica in reparatione sui indigeat. Quòd si ipse aut lãguore detẽtus, aut alijs occupationibus implicatus adimplere nequiuerit: presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui redditus Basilicarũ & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.

3. pars. GRATIAN. Visitantes autem episcopi quid à clericis suis exquirere debeant, & quid eos docere, in concilio Bracharensi secundo sic statutum legitur.

Cap. 1.

Quæ visitantes episcopi à clericis suis exquirere debeant. 12

PLacuit omnibus episcopis, vt per singulas ecclesias episcopi & per diœceses ambulantes primùm discutiãt clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum, vel qualiter quæque officia in ecclesia peragant: & si rectè quidem inuenerint, deo gratias agant. si autem minimè, docere debent ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones iubẽt, vt ante viginti dies baptismi, ad purgationem exorcismi catechumeni concurrant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum quod est, Credo in deum patrem omnipotentem specialiter doceantur. Postquam ergo hæc suos clericos discusserint vel docuerint episcopi, alia die (conuocata plebe ipsius ecclesiæ) doceant illos vt errores fugiant idolorum, vel diuersa crimina, id est [homicidium] adulterium, periurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera: & quæ nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, & vt credant resurrectionem omnium, & diem iudicij, in quo vnusquisque secundum opera sua recepturus sit. & sic postea episcopus de ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

ITEM Hieronymus ad Damasum papam.

Oblationes ecclesiæ laicis vsurpare non licet. 13

4. pars. QVia sacerdotes pro omnibus solent orare, quorũ eleemosynas & oblationes accipiunt: qua frõte pręsumũt laici obla-

oblationes quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel ipsi comedere, vel alijs concedere: cùm ipsi non debeant ex officio suo pro populo orare? Ob hoc papa gloriosè mittere oportet illos præsumptores in excommunicationem perpetuam: vt & cæteri metum habeant, & amplius hæc in ecclesia non fiant. ITEM Calixtus papa.

Minimè auferantur à laicis oblationes altaribus & crucibus factæ. 14

SAnctorum patrum canonibus cõsona sanciẽtes, oblationes de sacratissimo & reuerendissimo altari beati Petri, & saluatoris, & sanctæ Mariæ Rotundæ, aut alijs ecclesiarũ altaribus siue crucibus à laicis auferri penitus interdicimus, & sub districtione anathematis prohibemus: & ecclesias à laicis incastellari, aut in seruitutẽ redigi, auctoritate apostolica prohibem⁹. ITEM Damasus papa.

Et de regula monachorũ, cap. de contemplatione.

Ecclesiarum oblationes sub laicorum dominio non detineantur. 15

HAnc consuetudinem quæ contra sanctã ecclesiam catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, vt nullo modo vnquam vllo tempore oblationes quę intra sanctam ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur: sed tantummodo sacerdotibus qui quotidie domino seruire videntur, illis solis liceat comedere & bibere: quia in veteri testamento prohibuit dominus panes sanctos comedere filiis Israël. nisi tantummodo Aaron & filijs eius, qui panes longè erant ab istis panibus, qui nunc in sancta ecclesia offeruntur: quia illi sub vmbra legis erant: qui verò modo sub gratia sunt spiritus sancti, toto mundo euangelio coruscante, lucidiores esse videntur. Qua fronte aut qua conscientia oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedum pro alijs, deo preces offerre? quia prauum est, & contra dominicũ præceptum: & detrimentum animæ suæ infert qui illud agere conatur quod ei nulla ratione conceditur. Quia omnibus sanctis patribus nostrísque prioribus placuit hanc sanctionem fieri, & nos similiter in eisdem persistere volumus, vt nullus audeat irritum facere hoc quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluerit persistere. Si quis verò contra hanc regulam nostram, & contra regulam sanctorum .ccc patrum, qui in Nicæno concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, & vlterius oblationes de sacris ecclesijs auferre molitus fuerit: sub anathematis vinculo sit colligatus & condemnatus. Responderunt omnes, Fiat, fiat.

GRATIAN.

„ Præmissis auctoritatibus ecclesiæ cum omnibus rebus suis „ ad episcopi ordinationem pertinere monstrãtur, & tam eccle„ siæ quàm oblationes vel facultates earum à laicorum dispositione probantur esse immunes.

QVAE-

QVAESTIO II.

AN EPISCOPIS RES ECCLESIARVM VSVRPARE LICEAT.

GRATIA. SEd cùm in episcoporum potestate facultates ecclesiæ cõstitutæ [‡] esse [‡] dicantur: potestas dispensandi intelligenda est, non distrahendi vel dilapidandi.

Cap. 7. VNDE in Agathensi concilio legitur.

Res ecclesiæ aliquo modo episcopis alienare non licet. 1

CAsellas vel mancipiola ecclesiæ episcopi (sicut prisca sanctorum canonum præcepit auctoritas) vel vasa monasterij quasi commendata fideli præposito, integro ecclesiæ iure possideant, id est vt [‡]episcopi[‡] neque vendere, neque per quoscunque contractus res vnde pauperes viuunt, alienare præsumant. *Quod si necessitas vt pro ecclesiæ necessitate aut vtilitate vel in vsufructu vel indirecta venditione aliquid distrahatur apud duos vel tres comprouinciales aut vicinos episcopos causa qua necesse fuerit vendi, primitus comprobetur: vt habita discussione sacerdotali eorum subscriptione quæ facta fuerit venditio vel transactio corroboretur, aliter facta venditio vel transactio non valebit. Nimis verò vtiles possessiones, peregrinus vel clericus saluo iure ecclesiæ in vsum præstare permittimus. Impr. Iustinianus. Excepta videtur causa captiuitatis. Impr. Leo. Ea enim & c. vt hic.* Codice lib. j. tit. de sacrosanctis ecclesijs. Imperator Iustinianus. Excepta causa videlicet captiuitatis. Imperatores Leo & Antonius.[‡]

Hæc omnia ex veteri manusc.

Tit. 2. leg. 17

Ti. 2. leg 14.

‡ *Anthemius.*

De eodem. 2

EA enim quæ ad beatissimę ecclesiæ iura pertinent, vel posthac peruenerint, tanquam ipsam sacrosanctam & religiosam ecclesiam intacta conuenit inuiolabiliter custodiri.

Constitutio noua.

Hoc ius porrectum est ad omnem locum venerabilem, omneque collegium quod actio pia constituit: vt nec res eorũ pignorentur, & hoc perpetuò seruetur in his rebus immobilibus, quæ ab imperiali domo prædictis locis applicantur. In cæteris eatenus excipitur, si debitum vrget. Præterea si habet superflua vasa, nec aliunde soluere valet: ne quid immobile alienetur vel distrahatur, ea (gestis habitis corã eo cuius est [‡]loci[‡] ordinatio) vel integra alijs locis venerabilibus [‡]oblata dentur,[‡] vel cõflata cuilibet alij vendãtur. Qui autẽ hæc acceperit citra hãc obseruationẽ, ijsdẽ pœnis subiaceat, quę in rebus immobilibus proditæ sunt. Si autẽ debitũ [‡]quod vrget[‡] ex mobilib⁹ solui nõ valet: primò res immobiles speciali dẽtur pignori: cuius fructus creditor sibi reputet tam in sortẽ quàm in vsuras vsque ad quartam centesimæ. Quod si nolit, tunc ordinator domus apud eum, à quo ordinatur, habitis absque dispendio gestis iuxta maiore parte ibidem seruientium consentiente,

tiente,& debitum vrgere, nec ex mobilibus solui posse: quo subsecuto, per viginti dies rem ecclesiæ esse venalem publicè sit notum, vt plus offerenti detur, precio modis omnibus pro debito dãdo. aliter enim emptori res non cõceditur,& hoc inscribatur, nihil esse factũ in eadẽ re ad damnũ diuinæ domus. emptore verò nõ inuento, res æstimata districtè detur creditori in solutũ: addita in precio decima parte vniuersæ æstimationis,& accedente cõsensu ordinatoris,& maioris partis ibidem seruientiũ. sit tamẽ ea res mediocris inter cæteras, inspecta ipsius qualitate,& quantitate,& onere. Et is creditor hic intelligatur, qui quod credidit, probat in vtilitatem religiosæ domus processisse. [a] Sicut autẽ alienatio rerũ ecclesiæ interdicitur, ita prohibetur ne qua sterilis ei detur possessio, aut aliâs onerosa, veluti nomine fiscalium. [b] Item, Prædium propter onus fiscalium inutile alienetur: gestis vt suprà conficiendis,& eodẽ iuramẽto præstito, id est, quòd alia de causa nõ alienetur, nisi vt immunitas eiusdem venerandæ domus seruetur. [c] Sed & permutare principes possunt pro re maiori vel æquali, si respublica hoc exposcit: pragmatica forma super hoc prçcedẽte. [d] Item, Sibi inuicem rectè permutant, cum vtriusque indemnitate, eorum scilicet consensu qui & suprà referuntur. [e] Perpetua quoque emphyteosis in his rebus permittitur, si res in eorũ geratur præsentia quibus hoc assignatur lege, iurãtibus his quorum interest, ex eo cõtractu nihil ad læsionem diuinæ domus effici: solito reditu ipsius rei qui fuit cùm diuino iuri dedicaretur, non imminuendo nisi in sextam partem: aut si ob cladem diminuta fuerit, tunc pro constante nunc pensione in emphyteusim detur. Quòd si res preciosa quidem est, parũ tamen aut nihil præstat pensionis: res subtiliter æstimanda est, vt ex hac æstimatione iusta pensio constituatur. Ea tamen sola detur in emphyteusim, quæ ad hoc videntur cõgrua œconomo,& alijs gubernatoribus. [f] Qui rem huiusmodi conductam, vel in emphyteusim acceptam fecerit deteriorem, aut canonem per biennium non soluerit, repelli potest: vt tamẽ soluat totius temporis pensionem,& id in quo rem læsit, resarciat, nõ repetiturus si quid impenderit nomine meliorationis. [g] Si quas verò ruinas habent memoratæ domus, quas reædificare non valent, in emphyteusim dentur perpetuam, emphyteuta vsuro materia depositæ habitationis domus, vt pensio minuatur in tertiam partẽ ab ea quæ stantibus adhuc habitationibus colligebatur: aut eo prius reædificante ex additis illic per æstimationẽ pensionibus medietas detur religiosæ domui. nam priore casu ab initio emphyteusis præstanda est pensio. [h] Qui verò res iam dictas non gratuito alienationis titulo citra formã legis accipit: rem quidem cum omni incremento medij temporis restituat:

a Autem, sicut e. ti.

b Autem, item, prædium. e. ti.

c autem sedet permutare e. ti.

d Autem. item. e. ti.

e Autem perpetua. e. ti.

2. pars.

f Autem. qui rem. e. ti.

g Autẽ. si quas ruinas. e. ti.

h Autem. Qui res.

tuat: eius autem quod dedit, nullam aduersus venerabilem domum, sed aduersus eum qui alienauit, habeat actionem. donatarius autem & rem cum omni causa restituat, & aliud tantundem. creditor quoque restituta re pignorata, crediti actionem contra solum pignoris datorem nō ecclesiam habet. Emphyteusis acceptor ab ea cadat, nec quod dedit, repetat: immo statim soluat quod soluturus esset si iure cōtraxisset. [a] Sed melius dicitur omnino denegandas actiones esse huiusmodi acceptori. Item Cod. lib. 1. titu. de sacrosanctis ecclesijs. Imperator Leo. [b] Si œconomus ecclesiæ prospexerit expedire, vt cuiquam desideranti certarum possessionum atque prædiorum vrbanorum & rusticorum ad ius ecclesiasticum pertinentium temporalis vsusfructus possessio pro petitione ipsius præstetur: eius tēporis quod inter vtrosque conuenerit, siue in diem vitæ suæ, si ab eo qui desiderat postuletur, pacta cum eo qui hoc elegerit ineat œconomus, atque conscribat: per quæ & tempus intra quod hoc præstari placuerit statuatur: & manifestum sit quod quisque accepit ad inuicem. *Completo vero spatio quod inter eos fuerit constitutum, &c. vt infra.*

a Hæc non sunt verba Nouellæ sed adiecta ab VVarnerio, sed Ioanes Cremonensis Bulgarus & Placentinus contra senserūt. ita notatur in lib. manuscr.

Titu. 2. le. 14.

b Sumptum ex l. iubemus. §. sane. C. de sacro s. eccles.

Ibidem. continuò.

[*Palea.*

Continenter hoc caput legitur in veteri & inclusa desunt.

HViusmodi beneficij gratia præstando quidem ecclesiastici prædij vsufructu: post statutum autem tempus & placitum redituum ipsorum proprietate ad ius & dominium ecclesiasticum reuertente firmiter, ita vt siue] completo spatio quod inter eos fuerit constitutum: seu mortis suæ tempore (si hoc quoque conuenerit) is qui ecclesiasticam possessionem & cæterorum redituum vsumfructum habendi gratia pacto interueniente susceperit: non minus quàm alterius tantæ quantitatis quantæ acceperat, reditus cum ipsorum prædiorum dominio, & rebus immobilibus eorumque colonis & mancipijs ecclesiæ derelinquat. nisi enim hac conditione pacta inita fuerint, ea quoque decernimus non valere. [Nam] hæc vsus præstatio locum habet in omni domo religiosa. quo finito res vtraque pleno iure perueniat in domum iam dictam, nec tributis quidem grauata sit maioribus ea res quæ datur adinuicem. [Quibuscunque modis alijs permittitur interdicitur tamen certis personis rem eiusmodi accipere: vt œconomo, eiusque cognatis.]

In veteri C. N. constitutio nouella. recte. est enim aut. hæc vsus præstatio. C. de sacrosanct. eccles.

¶Quòd si necessitas compulerit, vt pro ecclesiæ necessitate aut vtilitate, vel in vsufructu, vel in directa venditione aliquid distrahatur: apud duos vel tres comprouinciales, aut vicinos episcopos causa qua necesse fuerit vendi, primitus comprobetur vt habita discussione sacerdotali, eorum subscriptione quæ facta fuerit venditio vel transactio corroboretur. aliter facta venditio vel transactio non valebit. Minus verò

Hæc erat reliqua pars. c. 24. concilij Agathensis perperā sup. ca. 1. omissa & malè huc reiecta.

verò vtiles possessiones peregrinis vel clericis saluo iure ecclesiæ in vsum præstare permittimus[ll].

ITEM ex concilio Mediomatricis.

Ecclesiasticarum rerum precariæ qualiter fieri debeant. 4

PRecariæ à nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi[l]tantũ quantũ de qualitate cõuenienti datur ex proprio, duplum accipiant * ex rebus ecclesiæ in suo tantum qui dederunt nomine, si res proprias & ecclesiasticas fructuario vsu tenere voluerint. si autem res proprias ad præsens dimiserint, ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario vsu suo tantum quisq; nomine sumat: quia sic eas quemque tractare, vt rerum ecclesiasticarum dispensatorem conuenit, non vt propriarum largitorem. Decreuit etiam sancta synodus, & imperialis auctoritas denunciauit, vt à nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus deo & sanctis eius dicatis: cùm ratio & vsus obtineat neminem qui non vult, contra vtilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium. Nec commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorũ quælibet persona sine licentia & regio consensu facere præsumat. Iũge c.24. præcario. infra 12. q.2. *al. accipiant.

ITEM ex concilio Beluacensi.

De eodem. Palea. 5

PRecariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem renouentur. Extant in vete. duæ paleæ seq.

ITEM ex concilio Carthaginensi. Non inuenitur

De eodem. Palea. 6 In al quo conciliorum Carthaginiensium.

DE precarijs quæ à rectoribus ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se suosque successores pœna graui obligabant, vt facta ipsorum nequiuissent dissoluere: præcipimus vt nemo successor in antecessoris sui pœna sit obligatus: sed suæ prouidentiæ sit concessum; vt si antecessor eius res ecclesiæ irrationabiliter distribuit: ab eo ad ius ecclesiæ eiusdem tenendum reuocentur. Fides igitur sit penes Gratianũ

ITEM ex concilio Martini papæ. Cap.16. ex syno

Res ecclesiæ dispensandi potestatem habeat episcopus. 7 do Græcorum. 3. pars.

EPiscopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, vt dispenset necessitatem habentibus cum omni reuerentia & timore dei participare eum etiam oportet quæ necessaria sunt: si tamẽ ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquo: vt necessitatem nullo modo patiãtur, secundũ Apostolũ sanctum dicentẽ. Victu tantum & tegumento his cõtenti sumus. Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas proprias volũtates vosurpare voluerit: aut fratribus vel filijs vel quibuscunque propinquis suis dederit potestatem, vt per eos latenter lædantur res ecclesiasticæ: hunc oportet obnoxiũ esse concilio. Sin autẽ episcopus vel qui cum eo sunt presbyteri aut diaconi accusentur, quia ea quæ vel ex reditu vel ex quolibet actu ecclesiæ 1. Tim. 6. b.

obueniunt, in suos vsus colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiunt: hoc quidem corripi oportet secundum quod ordinatum fuerit à sancto concilio.

4 pars. GRATIAN. Si verò contra hanc prohibitionem aliquam de rebus ecclesiæ episcopum vendere contigerit, & res ipsa ecclesiæ restauranda est: & ipse gradu suo deiiciendus decernitur.

Cap. 14. synodorum Græcarū. VNDE in eodem concilio Martini papæ legitur.

De episcopo qui nulla necessitate res ecclesiæ vendit. 8

SI quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in clero suo, aut fortè vbi presbyter non est, de rebus ecclesiasticis præsumpserit aliquid vendere: & res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur: & in iudicio episcoporum deiiciatur auditus & conuictus: & tanquam furti aut latrocinij reus suo priuetur honore.

QVAESTIO III.

QVID NOMINE CATHEDRATICI A SACERDOTIBVS SVIS EXIGERE VALEAT EPISCOPVS.

GRATIA. Cap. 2. QVid verò nomine cathedratici episcopus exigere debeat, in secundo concilio Bracharensi legitur.

Præter honorē cathedratici nihil episcopus per diœcesos exigat. 1

PLacuit vt nullus episcoporum per suam diœcesim præter honorem cathedræ suæ, id est duos solidos, aliud aliquid per ecclesias tollat: neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi ecclesiis parœcialibus facta sibi vsurpet, sed ecclesiæ reparationi seruetur: & singulis annis episcopo ratio fiat. nam si tertiam partem illam episcopus tollat: lumen & sarta tecta abstulerit ecclesiæ. Similiter & parœciales clerici seruili more in aliquibus operibus episcopo seruire non cogantur: quia scriptum est: Neque vt dominantes in clero.

1. Petr. 5. a. ITEM ex concilio apud [a] Merech.

a Marech.

Basilicarum reparationi proficiat tertia, quam episcopus accipere consueuerat. 2

PRiscis quidem canonibus erat decretum vt episcopus de parœcianis ecclesiis tertiam consequeretur, cui sua plenissimè sufficere non possunt. placuit huic sancto concilio vt nullus prouinciæ Lusitanæ episcopus à qualibet parœciana ecclesia tertiam auferre præsumat. sed quæ exinde consequi poterat, reparationi basilicarum proficiant. ITEM ex concilio Toletano.

Non accipiant episcopi tertiam partem, nisi diruptas ecclesias reparare voluerint. 3

VNio nostræ congregationis decreuit atque instituit, vt tertias quas antiqui canones de parœciis suis habere episcopos consueuerunt: si eas exigendas crediderint, ab ipsis episcopis di-

pis dirutæ ecclesiæ reparentur. si verò eas maluerint cedere ecclesiæ: ab earum cultoribus sub cura & solicitudine sui pôtificis reparatio eisdem est adhibenda basilicis. Quòd si omnes ecclesiæ aut incolumes fuerint, aut quæ dirutæ erât, reparatæ extiterint: secundùm antiquorum canonum instituta si tertias sibi debitas vnusque episcopus assequi voluerit, facultas illi omnimoda erit: ita videlicet, vt citra ipsas tertias nullus episcoporum quippiam pro regiis inquisitionibus à parœcianis ecclesiis exigat: nihilq; de prædiis ipsarum ecclesiarum cuiquam causa stipendij dare præsumat. Sed & hoc necessarium instituere duximus, vt plures ecclesiæ vni nequaquam committantur presbytero: quia solus per totas ecclesias nec officium valet persoluere, nec rebus earum necessariam curam impendere. Eadem scilicet ratione præcipimus vt ecclesia quæ vsque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem: quæ verò minus, aliis côiungatur ecclesiis. Si quis sanè episcoporum hanc nostram constitutionem paruipenderit: duorum mensium spatio se nouerit excommunicatione mulctari. ITEM Pelagius Cresconio illustri.

De eodem. 4

ILlud te volumus modis omnibus custodire, ne qui episcoporum Siciliæ de parœciis ad se pertinentibus nomine cathedratici amplius quàm duos solidos præsumant accipere: neque compellere presbyteros aut clerum parœciarum suarum supra vires suas eis conuiuia præparare. ITEM Gelasius papa Fabiano episcopo.

Baptizandis numerus non imponatur: nec cathedraticum vltra vetustum morem exigatur.

NEc numerus baptizandis iustè creditur imponendus: cùm quanti petierint, vel ad regenerationem festinauerint, non sint pro alterius voluntate repellendi. Et ideo frater charissime huiusmodi superfluam constitutionem modis omnibus remouebis, vt vnusquisque aut in vicina sibi ecclesia, aut in electa pro suæ mentis baptizetur arbitrio. Cathedraticum etiam non amplius quàm vetusti moris extiterit, ab eius loci presbytero noueris exigendum: & de his quæ die dedicationis fuerint offerentium deuotione collata, consuetudinem quæ generaliter omnibus ecclesiis est præscripta, seruabis.

» » Cathedraticum quod his auctoritatibus episcopis permit- 2. pars.
» » titur exigere: præter medietatem vel tertiam partem oblatio- GRATIAN.
» » num, quæ etiam pro varia ecclesiarum consuetudine ex præ-
» » missis auctoritatibus episcopo debetur, intelligendum est;
» » nec illa pars oblationum omnium generaliter intelligen-
» » da est: sed vel anniuersariæ dedicationis, vel quorundam
» » etiam solennium dierum: prout inter episcopum & sacerdotē

tempore dedicationis conuenerit. De his verò episcopis qui per parœcias suas crudeliter desæuiũt, sic est statutum in tertio concilio Toletano.

Cap. 20.

Vltra morem antiquum à parœcianis presbyteris episcopi nil exigant. 6

QVia cognouimus episcopos per parœcias suas non sacerdotaliter sed crudeliter desæuire, & dum scriptum sit: Forma estote gregi, non vt dominantes in clerum: qui exactiones diœcesi suæ vel damna infligunt: ideo censemus (excepto quòd veterum constitutiones à parœciis habere iubẽt episcopos) vt alia quæ illis hucusque præsumpta sunt denegẽtur: hoc est neq; angarijs presbyteri aut diaconi neque aliquibus fatigentur indictionibus: ne videamur in ecclesia dei exactores potius quàm pontifices nominari. Hi verò clerici tã locales quàm diœcesani qui se ab episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad metropolitanum deferre non differant: & metropolitanus non moretur huiusmodi præsumptiones auertere. ITEM ex concilio Gabilonensi.

1. Pet. 5. a.

A parœcianis stipendia non nisi cum charitate episcopi exigant. 7

CAuẽdum est sanè ne cùm episcopi per parœcias suas peragrant: quãdam non solùm erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant: ne (quod absit) non cum charitate, sed cum quadam iactantiæ temeritate, nec cum gratiarum actione: sed cum quadam iudiciaria inuentione stipendia ab eis exigant. Obseruandum modis omnibus est, vt si quando eis peragrandæ parœciæ necessitas incumbit, in confirmãdis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi dei, in lucris animarum potius quàm deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dent: & si quando ad peragendum ministerium suum à subditis aut fratribus aliquid accipiendum est: hoc summopere obseruare debent, ne quem scandalizent aut grauent. Tanta ergo discretio in hac re tenenda est, vt verbi dei prædicator vbi proprij sumptus desunt, à fratribus accipiat: & iidem fratres illius potentia non grauentur: exẽplo apostoli Pauli: qui ne quem grauaret, arte & manibus victum quærebat.

1. Thes. 3. b.

Cap. 4. conci. Toletan. 7.

ITEM ex concilio Toletano quarto.

Vltra duos solidos à parœcianis ecclesiis episcopus non præsumat accipere. 8

INter cætera denique quę consensu communiter nos cõferre competenter oportuit: querimonias etiam parœcialium presbyterorum Galliæ prouinciæ solertissimè discernere decuit: quas contra pontificum suorum rapacitates necessitas (vt comperimus) tandem compulit in publicum examen deferri. hi enim pontifices (vt eorundem euidens inquisitio patefecit) in discreto moderamine parœcianas ecclesias prægrauantes

uantes: dum in exactionibus superfluis frequentes existunt, penè vsque ad exinanitionem extremæ virtutis quasdam basilicas perduxisse probantur. ne ergo fiat de cætero quod cōstat hactenus inordinatè præsumptum: non amplius quàm duos solidos vnusquisque episcoporum præfatæ prouinciæ per singulas diœceses vel basilicas iuxta synodum Bracharensem annua illatione sibi expetat inferri: monasteriorum tamē basilicis ab hac solutionis expensione seiunctis. Cùm verò episcopus diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat: nec vnquam quinquagenarium numerum euectionis excedat: aut amplius quàm vna die per vnamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. Quicunque verò pontificum eorundem aliter quàm decreuimus agendum præsumpserit, correctioni proculdubio canonum subiacebit tanquam constitutionum synodalium transgressor, & priscorū patrum edictorum corruptor. ITEM Gregorius episcopis Siciliæ. i. facultatis. Greg. epi. 20. lib. 11.

Sacerdotes ab episcopis suis vltra modum non grauentur. 9

RElatum est nobis sanctæ memoriæ decessoris mei tēporibus per seruum dei diaconum qui tunc ecclesiastici patrimonij curam gessit, fuisse dispositum vt sacerdotes per vniuersas vestras diœceses constituti, quotiens ad consignandos infantes egredimini, vltra modum grauari minimè debuissent. summa enim præfixa fuerat vobis (vt audio) consentibus quæ ab eis sacerdotibus pro labore clericorum dari debuisset: atqui hoc quod tunc placuit: sicut nunc dicitur, minimè custoditur. vnde fraternitatem vestram admoneo, vt subiectis vestris non graues studeatis existere.

ITEM Pelagius papa Cresconio illustri.

Secundum loci mediocritatem episcopis conuiuia parentur. 10

ILlud magnitudinem tuam minimè volum' ignorare, quòd Syracusanæ ciuitatis episcopus inter alia quæ in cautionū suarum pagina spopondit: hoc etiam specialiter sub interpositione pœnæ legitimæ promisisse legitur, nūquam se à quolibet suæ diœcesis presbytero vltra duos solidos cathedratici nomine petiturum: nec per quamlibet aliam occasionē quicquam in eius se dispendio esse gesturum. quod magnitudo tua non solùm à prædicto episcopo, sed de omnium episcoporum Siciliæ personis competenti solicitudine custodire non desinat: nec ipsa quoque prādia enormia fieri, sed secundum mediocritatem vniuscuiusque loci episcopo ad consignationem venienti susceptionis præparari conuiuium: quia nec eo prætextu pauperibus incuti damna volumus, aut qualibet ratione permittimus.

CAVSA XI.

GRATIA.

Clericus aduersus clericum quæstionem de prædiis agitauit: quem ad ciuilem iudicem producere voluit. reus non nisi ante iudicem ecclesiasticum stare volebat. Actor verò potentia ciuilis iudicis illum à possessione sua deiecit. quo audito episcopus eum ab officio suo suspendit. ill. contempta episcopi sententia officium suum administrauit hoc comperto episcopus sine spe restitutionis in eum sententiam dedit.

Hic primùm quæritur, vtrum clericus ante ciuilem iudicem sit producendus? *non.* 1

Secundò, si producendus non est: an hæc culpa sit digna suspensione? *vtique.* 2

Tertiò, si digna non fuerit, an contemptorem sententiæ sui episcopi irreparabiliter oporteat deponi. *sic.* 3

QVAESTIO I.

VTRVM CLERICVS ANTE CIVILEM IVDICEM SIT PRODVCENDVS.

GRAT.

Quòd clericus apud seculares iudices accusandus non sit, Caius papa scribit dicens.

Caius pa. episco. ad Felicem Episcopum.

Apud secularem iudicem nullus clericus conueniatur. 1

Nemo vnquam episcopum aut reliquos clericos apud iudicem secularem accusare præsumat.

Palea. [a] 2

a Ex concilio Parisiensi cap. 10. sic inscribitur in meo manuscripto Gratiano. extat autem et hoc ca. extra. de foro competenti c. 2. Contius

Nullus iudicum neque presbyterum neque diaconum, aut clericum vllum aut ecclesiæ † iuniores sine licentia pontificis per se distringat aut condemnare præsumat. quod si fecerit: ab ecclesia cui iniuriam irrogare dignoscitur, tandiu sit sequestratus, quousque reatum suum agnoscat & emendet.

ITEM Marcellus papa.

Marcellinus pa. epist. 2. episcopis Orientalibus.

† *In decretalibus perperam legitur minores & glossographus in eo verbo illic exponendo frustra torquetur. Contius.*

De eodem. 3

Clericum cuiuslibet ordinis absque pontificis sui permissu nullus præsumat ad secularem iudicem trahere: nec laico quemlibet clericum liceat accusare.

ITEM ex Nicæno concilio. [b]

b non est in Nicæno concilio.

Ab eis quisque iudicandus est quos sibi iudices elegerit. 4

Iulius pa. 1. ca. 34. in decretis.

Iudices autem esse non debent, nisi quos ipse qui impetitur elegerit: aut quos suo consensu hæc sancta sedes aut eius primates auctoritate huius sanctæ sedes delegauerint.

Ex codice Theodosiano.

ITEM Valentinus, Theodosius, & Arcadius imperatores.

Ad secularia iudicia nullus clericus est pertrahendus. 5

COntinua lege sancimus, vt nullus episcoporum vel eorum qui ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad iudicia siue ordinariorum siue extraordinariorum iudicum protrahatur. habent enim illi suos iudices, nec cuiquam his publicis est commune cum legibus.

a Histor. eccles. lib. 10. Cõtius.

[a]Item Constantinus imperator præsidens in sancta synodo quæ apud Nicæam congregata est: cùm querelam quorũdam clericorum conspiceret coram se deferendam, ait: Vos à nemine diiudicari potestis quia ad dei solius iudicium reseruamini.

Cap. 8. concilij Matisconensis primi.

ITEM ex concilio Matiscen. cap. ix.

De eodem. *Palea.* 6

NVllus clericus alium clericum ad iudicem secularem accusare, aut ad causam dicendam trahere quocunque modo præsumat: sed omne negocium clericorum, aut in episcopi sui, aut presbyterorum [[b] cum] archidiaconi præsentia finiatur. quòd si quis clericus hoc adimplere distulerit: si minor fuerit, vno minus de xl. ictibus accipiat, si verò honoratior, xxx. dierum conclusione mulctetur.

b pro inclus. in.

ITEM Bonifacius ad episcopos Galliæ.

c Hæc palea deest in meo manuscr. sed subiicitur post ca. 25.

[*De eodem.* [c]*Palea.* 7

QVæcunque contentiones inter Christianos oriuntur: ad ecclesiam deferantur, & ab ecclesiasticis viris terminentur: & si obedire noluerint, quousque obediant, à liminibus ecclesiæ excludantur. ITEM Marcellus papa.]

Neque pro causa ciuili neque pro criminali episcopus apud ciuilem iudicem producatur[d]. 8

d In meo manuscr. tribuitur hoc cap. Bonifacio ad episcop. Galliæ.

NVllus episcopus neque pro ciuili, neque pro criminali causa apud quemuis iudicem siue ciuilem siue militarē producatur vel exhibeatur. magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit, amissione rerum, & cinguli condemnatione plectetur. ITEM Siluester papa.

In epilogo breui concil. Romani.

Quilibet clericus non est in publico examinandus. 9

TEstimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat, nemo clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in ecclesia.

Tit. 3. leg. 1.

Item Codice lib. j. titul de episcopis & cleric. Imperator Theodosius. Nec honore nec legibus episcopus ad Testimonium flagitetur. Item. Episcopum ad testimonium dicendũ admitti non decet. nam & persona inhonoratur, & dignitas sacerdotis excepta confunditur.

Ibidem.

Nouella constitutio[e].

e In manusc. ita scriptum. C. N. id est, constitutio noua.

EPiscopus non flagitetur ad testimonium iureiurando: sed euangeliis tantum coram positis. Item. Sed iudex mittat ad eum ex suis ministris vt propositis sacrosanctis euangeliis,

llis, secundum quod decet sacerdotes, dicat quæ nouerit.

IDEM.

Clericus ad ciuilem iudicem clericum perducens, anathema sit. 10

SI quis clericus accusans clericum in curiam introierit, anathema sit.

,, Subaudiendũ est, si [^a plurimorum] iudiciorum cognitionem petierit. episcopale nanque iudicium nihil obest ab imperatore postulare. — GRATIA: a publicorum in vet.

VNDE in Carthaginensi concilio 8. legitur. — *Cap. 13. concil. Mileuitani.*

Proprio priuetur honore publici iudicij cognitionem ab imperatore postulans.

PLacuit vt quicunque ab imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur. si autem episcopale iudicium ab imperatore postulauerit, nihil ei obsit.

,, Sic & sequentes auctoritates intelligendę sunt quibus clericorum causas non nisi clerici cognoscere iubentur. — GRATIAN.

VNDE Gelasius papa scribit Ezechiæ comiti.

A seculari iudice clericus non est audiendus. 11

CHristianis gratum semper debet esse quod ab eorum poscitur dignitate præstandum: quia deo seruientibus beneficiũ negare non conuenit. Siluester atque Faustinianus qui se à cunabulis clericos confitentur, à Theodora se opprimi per violentiam conqueruntur: quia dicunt se ingenuos, atque deo auctore pristinæ conditionis nexibus absolutos, in sortem deterrimæ iterum seruitutis addici: & per auctoritatem regiam contra leges publicas cum clericali cingulo olim tenerentur astricti, per archidiaconum vrbis Grumentinæ esse cõuentos, cùm constet eum qui cœlestem militem pulsat, non nisi eius forum debere sectari. Et ideo dilecte fili, depensæ salutationis affatu, supradictos clericos tibi commendo: vt si ad delegatorum iudicium eorum aduersarij venire contempserint, sublimitatis tuæ tuitione vallentur: ne quid illis aut surreptio, aut inimica legibus violentia necessitatis imponat: quia qui iudicium refugit, apparet eum de iusticia diffisum.

IDEM Crispino & Sabino episcopis. — Ex mag. Iuone pag. 8.

Non nisi ad episcoporum iudicium clericus vocetur. 12

SIluester & Faustinianus ecclesię Grumentinæ clerici, lachrymosa nobis insinuatione cõquesti sunt libertatẽ sibi domini sui benignitate concessam, hæredũ eius oppressione pulsari; sibique in clericatus officio pene à cunabulis seruientibus, etiã manumissore viuente in eodẽ actu nihilominus cõstitutis, diuinis ministeriis impẽdere seruitiũ non licere: cùm (si petitionem veritas subsequatur) cõtra patris & auctoris sui factũ venietibus, vt indignis hæreditas legibus auferatur, nec eis liceat hæreditatem capientibus contra auctoris sui prosilire iudiciũ. Et ideo fratres charissimi, quoniã se etiã ab archidiacono di-

ctæ ecclesiæ queruntur oppressos, qui per eorum absentiã moderatoris iudicium promisit eos esse secuturos, calcatis omnibus rationibus contra leges diuinas & publicas pulsatis forum suum putauit auferri: in vestro iudicio quisquis ille est qui clericũ lacesserit aduenіat: vt ecclesiæ iura quæ vetusti principes assidua sanctione firmauerunt, impetitis clericis non negẽtur.

Epist. 1. ITEM Alexander omnibus orthodoxis per diuersas prouincias Christo domino famulantibus.

Ante iudicem ciuilem sacerdotes non accusentur. 13

RElatum est ad huius sanctæ & apostolicæ sedis apicẽ (cui summarum dispositiones causarũ, & omnium negocia ecclesiarum ab ipso dñó tradita sunt, quasi ad caput ipso dicẽte: Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã) quod quidem æmuli Christi, eiusdemque sanctæ ecclesię insidiatores, sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumant: cùm magis apostolus Christianorũ causas ad ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat: quoniã taliter præuaricantes præuaricauerunt in deum suum, & non obedierũt prę ceptis eius. ITEM Pelagius Benegesto defensori.

Actor forum rei sequatur. 14

EXperientiæ tuæ præsenti auctoritate mãdamus vt in causis in quibus quælibet ecclesiastici officij persona loco petitoris existit, quenquã laicum pulsatura apud suæ prouinciæ iudicem suas proponere actiones non deserat. In his verò negociis in quibus ecclesiastici officij persona pulsatur: totius submoto pulsationis obstaculo, ad iudiciũ episcopi vel presbyterorum in loco vbi quæstio vertitur constitutorum occurrat indifferenter examen. ITEM Sergio cancellario.

De eodem. 15

SI quisquam clericus siue inferioris siue potioris gradus petitor existat, & cõtra laicam personã suas dirigat actiones: iste modis omnibus non alibi quàm apud prouinciæ iudicem negocium suum dicturus occurrat. Si quis autẽ laicus clericũ cuiuscunque gradus duxerit esse pulsandũ, ad episcoporũ iudicium in eadẽ ciuitate vel territorio cõstitutorum proponat eas quas se habere existimat actiones. quem ordinem legibus per omnia conuenientẽ atq; cõsentaneum demõstrari illa regula manifestat, quæ præcipit actorẽ, rei forum semper sequi pulsati. Clericis verò pulsatis, in episcopali iudicio forum competere, principalium quoq; sanctionum designat auctoritas.

Cap. 32. ITEM in concil. Agatheñ. legitur.

Episcopo non permittente apud secularem iudicem clericus pulsari non debet. 16

CLericum nullus præsumat apud secularem iudicem episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondeat

respondeat vel proponat: nec audeat criminale negotium in seculari iudicio proponere. ITEM Pius Papa. Epist.2.

Clericus suo inobediens episcopo depositus curiæ tradatur. 17

SI quis sacerdotum vel reliquorum clericorum suo episcopo inobediens fuerit, aut si ei insidias parauerit, aut contumeliam aut calumniã aut conuitia intulerit, & cõuinci potuerit: mox depositus curiæ tradatur, & recipiat quod inique gessit.

ITEM ex concilio Carthaginensi tertio. Cap. 38.

Principali cogatur auctoritate qui plebem inuasam non vult deserere. 18

PEtimus vt dignemini dare[a] fiduciam qua necessitate ipsa cogente liberum nobis sit rectorem prouinciæ secundum statuta gloriosissimorum principũ aduersus illum adire qui plebem quam inuaserat, vsque hodie commonitus (secundũ quod statutum fuerat) relinquere cõtemnit: vt qui miti admonitioni sanctitatis vestræ acquiescere noluerit, & emendare illicitum: auctoritate iudiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Seruata forma disciplinæ non existimabitur appetitus, si vestra charitate modestè conuentus recedere detrectauerit: cũ fuerit suo contemptu & cõtumacia faciẽte iudiciaria potestate conuentus. Honoratus & Vrbanus episcopi dixerũt: Hoc ergo omnibus placet. ITEM Gregorius papa.

a pro licentiam, adiar.

A principibus corrigantur, quos ecclesia corrigere non valet. 19

ISTud est quod à vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus vt Paulinum Aquileiensem pseudoepiscopum, & illum Mediolanensem episcopum ad clementissimum principẽ sub digna custodia dirigatis: vt & iste qui episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnem canonicã consuetudinẽ factus est, alios vltrà non perdat: & ille qui contra morem antiquum eum ordinare præsumpserit, canonũ vindictæ subiaceat.

ITEM ex concilio Chalcedonensi. Cap. 18.

Proprium gradum amittant clerici coniurantes vel conspirantes. 20

COniurationum & conspirationũ crimen (quod apud Græcos dicitur φρατρία)[b] publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi. hoc multo magis in sancta Dei ecclesia ne fiat, conuenit abdicari. Si qui verò clerici seu monachi inuenti fuerint coniuratores aut conspiratores, aut phratrias vel factiones componentes, aliquas suis episcopis aut aliis, omnino cadant de proprio gradu. ITEM Calixtus papa.

b fratrea. vet.

Clerici conspirantes proprio gradu amisso retrudantur in carcerem, cæteri excommunicentur. 21

COnspirationum crimina vestris in partibus vigere audiuimus, & plebes contra episcopos suos cõspirare nobis mandatũ est: cuius criminis astutia non solũ inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos, & ab exteris legibus

prohibita: & idcirco huius criminis reos non solum ecclesiasticæ, sed etiam seculi damnant leges: & non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores verò nostri cũ turba plurima episcoporum quicunque eorum in sacerdotali honore sunt positi, aut existunt clerici, honore quo vtuntur, carere præceperunt: cæteros verò communione priuari, & ab ecclesia extorres fieri iusserunt: omnesque simul vtriusque ordinis viros infames esse censuerunt: & non solum facientes, sed etiã consentientes. ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Cap. 18.

Clerici aut monachi coniurantes, proprio priuentur honore. 22

SI qui clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu suo proprio penitus abiiciantur.

ITEM ex concilio Toletano.

Cap. 2. concilij Toletani 10.

De eodem. 23

SI clerici aut monachi inuenti fuerint conspiratores, aut per coniurationem calumniam machinantes episcopis vel clericis: proprium amittant gradum.

ITEM ex concilo Aurelian.

Cap. 21. concil. Aurelian. 3.

De eodem. 24

SI qui clericorum (vt nuper in multis locis per superbiã diabolo instigante actum fuisse patuit) rebelli auctoritate se in vnum coniuratione intercedente collegerint: aut sacramenta inter se data, aut chartulam conscriptam fuisse patuerit: nullis excusationibus præsumptio elabatur: sed de re detecta, cùm in synodum ventum fuerit, in præsumptores iuxta personarum & ordinum qualitatem à pontificibus qui tunc in vnum collecti fuerint vindicetur: quia sicut charitas ex præceptis diuinis corde, non chartulæ conscriptione vel coniuratione est exhibenda: ita quæ supra sacras admittuntur scripturas, auctoritate & districtione pontificali sunt reprimenda.

ITEM Innocentius papa[a].

a Ad Victricium Rhotomagens. hanc citat Isidorus in præfatione canonum cum ait non extare integrum concilium Nicænum. Cõtius.

Inter clericos & laicos causa exorta ab episcopis audiantur. 25

SI quæ causæ vel contentiones inter clericos & laicos tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ: placuit vt secundum Nycænam synodum congregatis omnibus eiusdem prouinciæ episcopis iudicium terminetur.

GRATIA.

2. pars.

Cùm ergo his omnibus auctoritatibus clerici ante ciuilem iudicem denegentur producendi: cùm (nisi prius depositi vel nudari fuerint) curiæ non sint repræsentãdi: patet quòd ad secularia iudicia clerici non sunt protrahendi. His ita respondetur: clerici ex officio episcopo sunt suppositi, ex possessionibus prædiorum imperatori sunt obnoxij: ab episcopo vnctionem, decimas & primitias accipiunt: ab imperatore verò prædiorum possessiones nanciscuntur. vnde August. ait super Ioan. Quo iure

iure villas defendis? diuino, an humano? &c. require in principio vbi differentia signatur inter ius naturale, & ius constitutionis. Quia ergo vt prædia possideantur, imperiali lege factũ est: patet quòd clerici ex prædiorum possessionibus imperatori sunt obnoxij.

ITEM Ambrosius contra Auxentium. Lib. 5. epist. post

Imperatori tributum ecclesia denegare non debet. 26 epist. 32.

SI tributum petit imperator, non ei negamus: agri ecclesiæ soluant tributum. si agros desiderat imperator, potestatem habet vendicãdorum: tollat eos si libitum est. imperatori non dono, sed non nego. IDEM. Ambr. ad ca. 5.

Potestatibus tributa non sunt deneganda. 27 Luc. comment.

MAgnum quidem est & speciale documentum quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti: ne quis cõstitutionem terreni regis putet esse soluendam. Si enim censum filius dei soluit, quis tu tantus es qui putas esse non soluẽdum? Item Apostolus: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Item Petrus apostolus generaliter omnibus fidelibus scribit: Estote subditi dominis vestris: siue regi quasi præcellenti: siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Matth. 17. d. Rom. 13. a 1. Pet. 2.

ITEM ex epistola Clementis. Epist. 1. ad Iacobum fratrem domini.

De secularibus negocijs episcopus cognoscere non debet. 28

TE quidem oportet irreprehensibiliter viuere: & summo studio niti vt omnes vitæ huius occupationes abiicias: ne fideiussor existas: ne aduocatus litium fias: néve in vlla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis officij occasione perplexus. neque enim iudicem neque cognitorem *seculariũ negociorum hodie te ordinare vult Christus: ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo dei vacare. hæc verò opera quæ tibi congruere minus diximus, exhibeant sibi inuicem vacãtes laici: & te nemo occupet ab his studijs per quæ sua salus hominibus datur. ITEM ex eodem. Clemens in eadẽ epist. continuò.

In his quæ ad communis vitæ vsum pertinent, laici sibi inuicem operari debent. 29

SIcut enim impietatis crimẽ est tibi, ô Clemẽs, neglectis verbi dei studiis solicitudines seculares suscipere: ita vnicuique laicorum peccatum est nisi inuicem sibi etiam in his quæ ad communis vsum vitæ pertinent, operam fideliter dederint. te verò securu m facere ex his quibus non debes instare, omnes communiter elaborẽt. Quòd si fortè à semetipsis hoc laici non intelligunt, per diaconos edocendi sunt: vt tibi solius ecclesiæ solicitudines relinquant.

Ex his omnibus datur intelligi quòd in ciuili causa clericus ante ciuilem iudicem conueniendus est. Sicut enim ecclesia-

ecclesiasticarum legum ecclesiasticus iudex est administrator: ita & ciuilium non nisi ciuilis debet esse executor. Sicut enim ille solus habet ius interpretandi canones, qui habet potestatē condendi eos: ita ille solus ciuilium legum debet esse interpres, qui eis ius & auctoritatem impertitur. In criminali verò causa non nisi ante episcopū est clericus examinandus. & hoc est illud quod legibus & canonibus suprà diffinitū est: vt in criminali videlicet causa ante ciuilē iudicem nullus clericus producatur, nisi fortè cum consensu episcopi sui: veluti quādo incorrigibiles inueniuntur: tunc detracto eis officio, curiæ tradendi sunt. VNDE Fabianus papa ait.

Epi. 2. episcopis Orientalibus.

Qui episcopo insidiatur, semotus à clero curiæ tradatur. 30

STatuimus vt si quis clericorū suis episcopis infestus, aut insidiator extiterit: mox ante examinatū iudiciū submotus à clero curiæ tradatur: cui vitæ suæ omnibus diebus seruiat, & infamis absque vlla spe restitutionis permaneat.

3. pars.

Quia ergo iste non in criminali sed in ciuili causa clericum ante ciuilem iudicem produxit, non est iudicandus transgressor canonum: nec est dicendus pertraxisse reum ad iudicē non suum: quia de ciuili causa non nisi iudex ciuilis cognoscere debet. Econtra ea quæ in actoris defensione dicta sunt, verisimilia quidem videntur: sed pondere carent. Sacris enim canonibus & forensibus legibus, tam in ciuili quàm in criminali causa clericus ad ciuilem iudicem protrahendus negatur.

Epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

VNDE in epistola Clementis legitur.

Fratres apud presbyteros iudicentur. 31

SI qui ex fratribus negocia habent inter se: apud cognitores seculi non iudicentur, sed apud presbyteros ecclesiæ quicquid illud est dirimatur. ITEM Syluester papa.

Cap. 16. synod. Rom. sub Sylu.

Nullus clericus propter aliquam causam intret curiam. 32

NVllus clericus vel diaconus vel presbyter propter quamlibet causam intret in curiam: nec ante ciuilē iudicem suam præsumat dicere causam.

Leo 1. epi. 90. ad Rusticum.

ITEM Leo papa.

Ecclesiasticum non forense iudicium pœnitens expetat. 33

ALiud quidē est debita iustè reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere: sed illicitorū veniam postulantem oportet etiam à multis licitis abstinere, dicente apostolo: Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Vnde si quis pœnitens habet causam quam negligere fortè non debeat: melius est illi vt expetat ecclesiasticum quàm forense iudicium.

1. Cor. 6. c.

GRATIAN. Non ait propter criminalē causam tantùm, sed generaliter propter quamlibet causam, tam ciuilem quàm criminalē intelligens. VNDE Theodosius imperator.

In Cod. Theod. lib. xviij. tit. xj.

Cuicun-

Cuicunque licet sacrosanctæ sedis antistitis iudicium eligere. 34

QVicunque litem habens siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negocium peroratur, siue cùm iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. IDEM. 35

OMnes itaque causæ quę prætorio vel ciuili iure tractãtur, episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur, nec vlterius liceat retractari negociũ quod episcoporum sententia deciditur. Testimonium etiam ab vno licet episcopo perhibitũ, omnes iudices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cùm testimoniũ episcopi à qualibet parte fuerit repromissum: illud enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptũ habeatur, quod à sacrosancto homine secundum scientiã mentis illibatæ fuerit prolatum. hoc nos edicto firmamus salubri, & perpetua lege tenendum esse censemus.

Ivo Carn. lib. 5. de causis & negocijs laicorũ ex eodem refert.

GRATIAN.

,, Hæc si quis antiquata cõtendat: quia in Iustiniano codice ,, non inueniũtur ita inserta, per Carolum renouata cognoscat, qui in suis capitularibus ait inter cetera. 36

VOlumus atq; præcipimus vt omnes nostræ ditioni subiecti, tã Romani quàm Frãci, Alemani, Bauari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Frisones, Galli, Britones, Longobardi, Guascones Beneuentani, Gothi, Hispani, cæteriq; omnes subiecti nobis, quocunq; legis vinculo videãtur astricti, vel consuetudinario annexi more, hanc sententiam quã ex .xvij. Theodosij imperatoris li. c. videlicet .xj. ad interrogata[a] Blauij ducis quam illi & omnibus per scripturam misimus, & inter nostra capitula pro lege tenendam consulto omnium fideliũ nostrorum posuimus, lege cuncti perpetua teneant, id est quicunq; litem habens siue petitor fuerit &c. vt supra.

a Ablabij ducis rectè in vet. Interdum appellatur Ablauius vt Cod. Theodos. l. 16. tit. 1. l. 6. Contius.

ITEM Greg. Ioan. defensori eũti in Hispaniã monẽdo dicit. Epi. 54. lib. 11.

Presbyter apud episcopum tantùm iudicari debet. 37

DE persona presbyteri hoc attendẽdum est, si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed episcopum ipsius adire debuit: sicut nouellarum[b] constitutio manifestat: quæ ita loquitur de sanctissimis & deo amabilibus atq; reuerendissimis episcopis clericis & monachis. Imperator Iustinianus Augustus Petro gloriosissimo præfecto prætorio. [c]cliij. Si quis cõtra aliquem clericum, aut monachũ, aut diaconissam, aut monastriã, aut ascetriam habeat aliquam actionem, doceat prius sanctissimum episcopum, cui horum vnusquisque subiaceat. Ille verò causam inter eos dijudicet: & si quidem vtraque pars his quæ iudicata sunt non acquieuerit: iubemus per loci iudicem executioni perfectè [[d]mandari]

b Nouell. 123.

c In vet. manuscrip. cap. liij. legitur.

d contradi.

GRATIAN.

Ne verò obiiciatur quia de clerico hoc loquitur, non de presbytero, sciendum est quia superius in constitutione eadem [lib. C.] †legitur appellatione clericorum etiam presbyteros & diaconos contineri. verba autem legis ista sunt. Presbyteros autem, & diaconos & lectores, & cantores, quos om- Epi. 32. li. noni. nes clericos appellamus, & reliqua. ITEM Gregorius Romano defensori Siciliæ.

†[ ]Pro inclus. legendum est ex meo manuscripto. cap. LI. Intelligit autem Gratia. §. presbyteros. No. 123. de ecclesiasticis diuersis capitulis. Nam olim omnes Nouellæ in certos capitum numeros diuidebantur, quem morem nuper in excudendis denuo Nouellis retinere conatus sum. Contius.

Clericus clericum ad publica iudicia non pertrahat. 38

PEruenit ad nos quòd si quis contra quoslibet clericos causam habeat, despectis eorum episcopis, eosdem clericos tuo facias iudicio exhiberi: quod si ita est, valde cōstat esse incongruum: sed hac tibi auctoritate præcipimus, vt denuo hoc facere non præsumas: sed si quis cōtra quemlibet clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat, vt aut ipse cognoscat, aut certè ab ipso iudices deputentur, aut si fortè ad arbitros eundum est, partes ad eligendos iudices ab ipso executio deputata compellat. Si quis verò laicus vel clericus contra episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes: vt inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente sibi iudices eligant. nam si sua vnicuique episcopo iurisdictio non serua- Epi. 26. li. 3. tur, quid aliud agitur nisi vt per nos per quos ecclesiasticus custodiri ille ordo debuit, confundatur? ITEM Ianuario episcopo Caralitano.

A laicis iudicibus clerici non sunt opprimendi. 39

FRatris & coepiscopi nostri Felicis, & Ciriaci abbatis relatione cognouimus, quòd in insula Sardinia sacerdotes à laicis iudicibus opprimantur, & fraternitatem tuam ministri tui Epist. 75. lib. 4. despiciant, dumq; solùm à vobis simplicitati studetur, quantum videmus, disciplina negligitur. ITEM Gregorius Mauricio imperatori.

Sacerdotes à Regibus sunt honorandi, non iudicandi. 40

SAcerdotibus autem non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur: sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiā debitam Exo. 22. b reuerentiā impēdat. Nā in diuinis eloquiis sacerdotes aliquā- Ibidem. do dij, aliquādo angeli vocantur. Nā & ad Moysen de eo qui ad iuramentū deducendus est, dicitur: Applica illum ad deos, Mala. 2. b. id est ad sacerdotes. Et rursus scriptum est: Diis nō detrahes id est sacerdotibus. Et propheta ait: Labia sacerdotis custodiūt scientiam, id est iustitiam, & legē exquirunt ex ore eius: quia angelus

angelus domini exercituum est. Quid igitur mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuēs eos, aut angelos, aut deos, ipse etiā appellat deus? Ecclesiastica quoque historia testatur: quia cum piæ memorię Constantino principi in scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicēs: Vos dij estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras discutite: quia dignum nō est vt nos iudicemus deos. In qua sententia sibi magis ex humilitate quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impēsa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant: & tamen eorum sacerdotibus honorē maximum tribuebant. Quid ergo mirum si Christianus imperator veri dei sacerdotes dignatur honorare, dum pagani (vt prædiximus) principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui diis ligneis & lapideis seruiebant? Hæc ergo non tantum specialiter quantum generaliter pro omnibus asserimus sacerdotibus: quoniam adhuc nescimus quis in terribili iudicio dei qualis futurus sit. etenim Paulus egregius prædicator dicit: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus, & reliqua. *1. Cor. 4. a* Nam sunt multa quæ de iudicio illius homines ignorant: quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet, & quæ vos reprehenditis, ille laudabit.

ITEM ex concilio Mileuitano. [a]

Qua pœna feriatur clericus clericū ad secularia iudicia pertrahens. 41 *Ca. 13. conci. Toletani tertij.*

a sic citatur in c. si diligenti ex. de foro competenti.

INolita præsumptio vsque adeò illicitis ausibus aditum patefecit, vt clerici clericos (suo relicto pontifice) ad iudicia publica pertrahant. proinde statuimus, vt hoc de cætero nō præsumatur. Si quis hoc præsumpserit facere, conuentus & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

ITEM ex concilio Carthaginensi tertio. *Cap. 9.*

Clericus apud ciuilem iudicem iudicari non debet. 42

PLacuit vt quisquis episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, seu clericorum cùm in ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota: si derelicto ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiā si pro ipso lata fuerit sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione: in ciuili verò perdat quod euicit, si locū suum obtinere maluerit. siquidem ad eligendos iudices iniquè de ecclesiæ consortio iudicat, qui de vniuersa ecclesia malè sentiendo, de iudicio sæculari poscit auxilium: cùm priuatorum etiam causas apostolus ad ecclesiam deferri, atque ibidem determinari præcipiat. *1. Cor. 6. a* ITEM ex eodem.

Clericus

Clericus non accusetur nisi ante ecclesiasticum iudicem. 43

Consti. 83. nouellarũ constitutionum.

DE diuersis ordinibus ecclesiæ seruientibus, si quis in causam criminis incurrerit, & abnuerit iudiciũ ecclesiasticum, debet periclitari. ITEM consti. lxxiiij. cap. j.

Qui cum clerico litigium habet, episcopum ipsius adeat. 44

Sumtum non ex libro autẽticorũ sed ex epitome Nouellarũ à Iuliano facta. Contius.

SI quis cum clerico litigium habuerit, si quidem de causa pecuniaria, adeat prius episcopum, cuius iudicio clericus suppositus est. Ille autem sine damno & sine dilatione cõpetentem finem liti impositurus est. sin autem noluerit episcopus litem dirimere: tunc ad ciuilem iudicem deceptatio causę perueniat. vbi autem dirimere episcopus vult causam: sine scriptura omnia procedant, & diffinitiua sententia ab eo sine scriptis feratur. Quòd si de criminali causa litigium emerserit: tunc competentes iudices in hac ciuitate, vel in prouinciis interpellati, consentaneum legibus terminum causæ imponãt: ita tamen, vt disceptatio litis duorum mensium spatium non excedat à litis contestatione numerandum. Item: In criminalibus verò causis nunquam sine scriptura procedere debet. Non autem aliter puniatur clericus, nisi obnoxius repertus sacerdotio nudatus fuerit ab episcopo suo, vel clericatus honore. Si autem crimen ecclesiasticum est: tunc secundum canones ab episcopo suo causæ examinatio & pœna procedant: nullam communionem aliis iudicibus in huiusmodi casibus habentibus. ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Cap. 9.

Clericus aduersus clericum negocium habens, sæcularia iudicia non exerceat. 45

Extat ad verb. ext. de foro competenti. c. 1.

SI clericus aduersus clericum habet negociũ, non relinquat suum episcopum: & ad sæcularia iudicia non cõcurrat, sed prius negocium agitetur apud proprium episcopum. Vel certè si fuerit negocium ipsius episcopi, apud arbitros ex vtraq; parte electos audiatur negocium. si quis verò contra hoc fecerit, canonum correctionibus subiaceat. Et si clericus aduersus suum vel alium episcopum habeat causam, apud audientiã synodi prouinciæ conqueratur. Si verò contra ipsius prouinciæ Metropolitanum episcopũ episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergant ad ipsius diœcesis primates, aut certè ad Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis sedem, vt eorum ibi negocium terminetur. [ITEM ex concilio Agathensi.

Cap. 32.

Palea.

Hæc palea deest in meo manuscripto.

CLericum nullus pręsumat apud sæcularem iudicem episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat, nec audiat criminale negocium iudicio sæculari proponere.]

GRATIAN.

" Ex his omnibus datur intelligi quòd clericus ad publica iudicia, nec in ciuili, nec in criminali causa est producendus: nisi forte

fortè ciuilem causam episcopus decidere noluerit, vel in criminali causa non sui honoris cingulo eum denudauerit. Illud autem quod in epistola Clementis dictum est, non cognitorem sæcularium negociorum te vult Deus esse: ex episcopali vnctione intelligendum est. non enim in episcopum vngitur, vt cognitor sæcularium judiciorum resideat, sed vt procurator animarum, & distributor spiritualium existat. prohibetur ergo sæcularibus negociis occupari, non ad tempus sequester fieri: vel sæcularia iudicia non de rebus sæcularibus, sed sæcularium virorum intelligenda sunt. Iudicia de rebus sæcularibus sæcularia appellantur. iuxta illud apostoli: Sæcularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia constituite. Iudicia verò sæcularium sæcularia appellantur: iuxta illud apostoli in epistola Clementis: quod ex subsequentibus datur intelligi cùm dicitur. Hæc opera quæ tibi minus congruere diximus, exhibeant sibi inuicem vacantes laici. Prohibentur ergo clerici à cognitione negociorum sæcularium virorum, non sæcularium causarum. Negocia quippe clericorum siue criminalia, siue ciuilia fuerint, non nisi apud ecclesiasticum iudicem ventilanda sunt. 1. Cor. 6. a

VNDE Hadrianus papa ait.

Non nisi in foro suo audiatur clericus. 46

CLericus siue laicus si crimine aut lite pulsatus fuerit: non alibi quàm in foro suo prouocatus audiatur. IDEM.

De eodem. 47

IN clericorum causa huiusmodi forma seruetur, vt nequaquam eorum sententia à non suo iudice dicta constringat.

Res verò in litigio posita ante legitimum cognitionis euentum in nullam debet omnino transferri personam. GRATIAN

VNDE Gelasius papa Quingesio episcopo.

In nullam transferatur personam res in litigio posita ante cognitionis euentum. 48

QVia res in litigio posita, in nullam transferri potest omnino personam donec legitimæ cognitionis euentu, cui potius debeatur, iudiciaria disceptatione possit agnosci: ex eadem re quispiam non sinatur exigere pensiones: sed in eodem statu re eadem posita in quo videtur (sicut dictum est) ante constitutam litem: quisquis sibi putat quidpiam posse competere, iuridico pulset examine: præiudiciis omnibus inde submotis.

QVAE-

QVAESTIO II.

AN SVSPENSIONE SIT DIGNVS QVI ECCLESIASTICVM AD IVDICEM SECVLAREM PERTRAHIT.

GRATIA. Supra prox. q. c. 41.

QVòd verò culpa illa suspensione digna sit, ex capitulo illo Mileuitani concilij liquido constat. si enim communione priuandus est, qui clericum ad ciuilem iudicem crediderit protrahendum: multo magis suspensione dignus est qui sui episcopi iudicium interpellātem ad iudicium sæculare pertrahere non dubitauit.

QVAESTIO III.

AN CONTEMPTOREM SENTENTIAE SVI EPISCOPI IRREPARABILITER OPORTEAT DEPONI.

GRATIANA.

SEd ponatur quòd hæc culpa suspensione digna non fuerit: quęritur vtrum sit deponendus qui officium contra prohibitionem episcopi celebrare ausus est. Sed quod sententia episcopi, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda sit: Gregorius testatur dicens.

Greg. homil. 26 euangelio.

Timenda est sententia pastoris. 3

SEntentia pastoris siue iusta siue iniusta fuerit, timenda est.

ITEM ex concilio Antiocheno.

Cap. 6. cōc Antioch.

A suo episcopo excommunicatus non est ab alio recipiendus. 2

SI quis à proprio episcopo excommunicatus est, nec eum prius ab aliis debere suscipi, nisi aut à suo fuerit receptus episcopo, aut concilio facto episcopis occurrat, & respōdeat: & synodo satisfecerit quod statuerit sub alia eum sententia recipi, quod & circa laicos, & presbyteros, & diaconos, & omnes qui in clero sunt, conuenit obseruari.

Nico. pa. 1.

ITEM Nicolaus ad Lotharium regem.

Excommunicationis meretur sententiam qui excommunicatis communicat. 3

Puto legen. pręcipuę. vt sit proprium nomen.

PRæcipuè Gualdradæ pellicis tuæ, & dudū à te repudiatæ communionem declina, excommunicata est enim, & vsq; ad præsentiam nostram ab omni cōtubernio Christianorum sequestrata. quamobrem cauēdum est ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ: ac pro vnius mulierculæ passione vinctus & obligatus, ad perenne traharis exitium. deterius quippe in populis prælati delinquunt, ac per hoc ipsi crudelius quàm cæteri puniuntur: vt ait beatus Gregor. Scire prælati debent quòd si peruersa vnquam perpetrant: tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua quæ faciunt, non soli moriuntur. & infra.

Cæterùm

Cæterùm præcaue nequando nobis secundum domini præceptum duos aut tres testes adhibeamus: immò verò hoc sanctæ ecclesiæ dicamus: & (quod non optamus) de cætero fias cunctis sicut ethnicus & publicanus.

ITEM ex conci. Sardicensi cap. xvij. Cap. 17.

De eodem. 4

SI episcopus fortè iracundus (quod esse non debet) citò & asperè commouetur aduersus presbyterum siue diaconũ, & eum de ecclesia exterminare voluerit: prouidendum est ne innocẽs damnetur, aut perdat communionem: & ideo habet potestatẽ is qui est abiectus, vt episcopos finitimos interpellet: & causa eius audiatur, ac diligentius pertractetur. Ille verò episcopus qui iustè vel iniustè eum abiecit, patienter accipiat vt negocium discutiatur, vel probetur eius sententia à pluribus, vel emendetur: tamen priusquam omnia diligenter ac fideliter examinẽtur, eum qui fuerat cõmunione priuatus, ante cognitionẽ nullus debet præsumere vt communioni societ.

ITEM ex concilio Carthaginensi. Cap. 8. concil. Carth. 2.

De eodem. 5

SI quis presbyter ab episcopo suo correctus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, & per ipsos suo episcopo reconciliari: quod si non fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cũ aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathematizetur, & nihilominus locum amittat. At si quærimoniã iustam habuerit aduersus episcopum, inquirendum est.

ITEM ex concilio Antiocheno. Cap. 4.

De his qui damnati à synodo sacra ministeria contingunt. 6

SI quis episcopus damnatur à synodo, vel si presbyter aut diaconus à suo episcopo, & ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere: siue episcopus iuxta præcedentẽ consuetudinem, siue presbyter, siue diaconus, nullo modo licet ei nec in alia synodo spem restitutionis aut locum satisfactionis habere: sed & communicantes ei omnes abiici de ecclesia oportet: & maximè si postquam didicerint aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint. 3

ITEM ex concilo Martini papæ. 37. synodorum Græcarũ à Martino episc. Brach. collectarum.

Sine spe sit reconciliationis qui excommunicatis communicare præsumit. 7

SI quis episcopus in concilio excommunicatus fuerit, siue presbyter, aut diaconus à suo episcopo, & post excommunicationem prçsumpserit siue episcopus ille aut presbyter aut diaconus facere oblationem, vel matutinum vel vespertinum sacrificium quasi in officio suo agere sicut prius: non liceat ei nec

nec in alio concilo ſpem recōciliationis habere, nec vltrà reconciliari: ſed etiam eos qui ei communicauerunt, omnes ab eccleſia reſpui: maximè eos qui ſciebant eum eſſe deiectum, ſi autem permanſit turbans & concitans eccleſiam per forinſecam poteſtatem: oportet eum ſicut ſeditionarium ab omni plebe expelli. ITEM ex conci. Agathenſi.

Cap. 3.

De epiſcopis qui innocentes aut minimis cauſis culpabiles excommunicant. 8

EPiſcopi ſi ſacerdotali moderatione poſtpoſita innocentes aut minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, aut ad gratiam baptiſmatis feſtinantes fortaſſe recipere noluerint: à vicinis epiſcopis eiuſdem prouinciæ literis moneantur: & ſi parere noluerint, communio illis vſque ad tempus ſynodi à reliquis epiſcopis denegetur: ne forte per excommunicationis peccatum excommunicati longo tēpore morte præueniantur. ITEM ex concilio Africano.

De his qui tempore ſuæ excommunicationis communicare præſumunt. 9

PLacuit vniuerſo concilio, vt qui excōmunicatus fuerit pro ſuo neglectu: ſiue epiſcopus quilibet, ſiue clericus: & tempore ſuæ excommunicationis ante audientiam cōmunicare præſumpſerit: ipſe in ſe damnationis ſententiam iudicetur protuliſſe. ITEM Nicolaus papa.

Nico. I.

Deponantur epiſcopi qui excommunicatis communicant. 10

TEugualdum Treuerenſem, & primatem Belgicæ prouinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ archiepiſcopos nūc coram nobis & ſancta ſynodo ſub geſtorum inſinuatiōe qualiter cauſam Lotharij regis, & duarum mulierū eius, Thebergæ ſcilicet & Gualdradæ, recognouerint & iudicauerint, ſcriptum ſuper hoc propriis manibus roboratum offerentes, nihil ſe plus vel minùs aut aliter egiſſe ore proprio multis coram poſitis teſtibus affirmantes, & ſententiam quam à ſede apoſtolica in Engeltrudam vxorem Boſonis ſanctiſſimus frater noſter Mediolanenſis archiepiſcopus Thado, & cæteri coepiſci noſtri petiuerant emittendam, & nos diuino ſuccenſi zelo ſub anathematis atteſtatione canonicè protuleramus, publicè ſe viua voce violaſſe confitētes: in quibus omnibus inuenimus eos apoſtolicas atque canonicas ſanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normā nequiter temeraſſe ab omni iudicamus ſacerdotij officio manere penitus alienos: & ideo ſancti ſpiritus iudicio, & beati Petri per nos auctoritate epiſcopatus exutos regimine cōſiſtere definiētes: prędictis aūt depoſitis licentiā cōcedimus eccleſiā ingrediēdi, & cōmunicandi ſicut laicis, loquendi ſuas vtilitates: non autem turbas concitandi, vel ſcandalum ſolicitandi illis tribuimus facultatem.

quan-

quantum autem ad episcopale ministerium specialiter pertinet, etiam nulla eis sit licentia cõtingendi, sicut nos cum sancta synodo iam decreuisse constat. ITEM Clemens.

Cle.pa.epist.1. ad Iacobum.

Clerici & laici qui non obediunt episcopis, infames efficiuntur. 11

SI autem vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, & reliqui clerici, omnesq; principes tam maioris ordinis quàm inferioris, atque reliqui populi: non solùm infames, sed etiam extorres à regno dei, & consortio fidelium, & à liminibus sanctæ dei ecclesiæ alieni erunt. ITEM Petrus in ordinatione Clementis.

Clemēs epist.1. ad Iacobum.

In Christum peccat qui veritatis doctorem contristat. 12

QVicunque contristauerit doctorem veritatis, peccat in Christum: & patrem omnium exacerbat deum: propter quod & vita carebit æterna. ITEM Ambrosius in libro de officiis.

Cap.24. lib.2.

Simulata virtutum affectione obedientia episcopo non denegetur. 13

SI quis verò non obediat episcopo, sese extollere atque exaltare desiderans: quærens etiam obumbrare merita episcopi simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ: is à vero deuius superbit: quoniam veritatis ea regula est, vt nihil facias commendandi tui causa quo minor alius fiat: neque si quid boni operis habeas, id ad deformationem alterius & vituperationem exerceas. Non defendas improbum, & sancta indigno committenda non arbitreris. Neque iterum arguas & impugnes cuius crimen non deprehenderis.

ITEM Antherius papa.

Episcopis Hispaniæ.

Episcopo non obediens, dæmonum ore discerpitur. 14

ABsit vt quicquam sinistrum de his arbitremur qui apostolico gradui succedẽtes, Christi corpus sacro ore cõficiunt: per quos nos Christiani sumus: qui claues regni cœlorum habentes, ante iudicij diẽ iudicant. In veteri quidẽ lege habetur: Quicunq; sacerdotibus non obtẽperasset: aut extra castra positus lapidabatur à populo aut gladio ceruice subiecta contẽptum expiabat cruore. Nũc verò inobediens spirituali animaduersione truncatur, aut eiectus de ecclesia rapido ore dæmonũ discerpitur. ITEM Petrus in ordinatione Clementis.

Deute.17.

Clem. epist. 1. ad Iacobum fratrem domini.

Quibus papa est inimicus, his nec loqui debemus. 15

SI inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare vt ipse vobis dicat &c. vt suprà in tractatu ordinandorum: vbi agitur de obedientia minorum erga maiores. ITEM Fabianus episcopus.

Fabianus papa. epist.1.

Excommunicatus est qui excommunicatis communicat. 16

SIcut apostoli statuerunt dicentes: cum excommunicatis nõ est cõmunicandum: & si quis cum excõmunicato auersando* regulas sciẽter saltẽ in domo simul locutus fuerit vel orauerit,

** auertendo.*

O

Ivo Carn. lib. 5. de ſenten. excō. ex eodem refert.

uerit, ille communione priuetur. ITEM Calixtus papa.

De eodem. 17

EXcommunicatos quoſcunq; à ſacerdotibus nullus recipiat ante vtriuſque partis examinationem iuſtam : nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut oſculo communicet : nec aue eis dicat: quia quicunq; in his vel aliis prohibitis ſciēter excōmunicatis communicauerint : iuxta apoſtolorum inſtitutionem & ipſi ſimili excommunicationi ſubiacebunt.

ITEM Iſidorus.

De eodem. 18

CVm excommunicato neque orare, neque loqui (niſi quæ ad eandem excommunicationem pertinent) nec veſci licet. Si quis enim cum eo aut palam aut abſconsè locutus fuerit: ſtatim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam. ITEM ex concilio Carthaginenſi.

Cap. 73. conc. Carth. 4.

De eodem. 19

QVi communicauerit vel orauerit cum excommunicato: ſi laicus eſt, excommunicetur: ſi clericus, deponatur.

ITEM ex decreto Honorij papæ.

Excommunicatorum nomina vicinis omnibus palam & publicè annuncientur. 20

CVræ ſit omnibus epiſcopis excommunicatorum omnino nomina tam epiſcopis vicinis quam ſuis parœcianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita præ foribus eccleſiæ cunctis conuenientibus inculcare: quatenus in vtraque diligentia excommunicatis vbique eccleſiaſticus aditus excludatur: & excuſationis cauſa omnibus auferatur.

GRATIA. Verùm hoc de nominatim excommunicatis intelligitur. « excommunicationis enim pœnam dupliciter ſubimus, & « dum reatum incurrimus, & dum ſententia notamur.

Origenes homil. 3. ad ca. 2. Iudicum. 1. Corinth. 5. b. 2. pars.

VNDE Hierony. in lib. Iudicum.

Duobus modis aliquis ſatanæ traditur. 21

AVdi denique apoſtolum dicentem de eo qui peccauerat. Tradidi (inquit) huiuſmodi hominē ſatanæ in interitum carnis, vt ſaluus fiat ſpiritus eius in die domini. Vides ergo quia & modo, non ſolum per apoſtolos ſuos tradidit deus delinquentes in manus inimicorum, ſed etiam per eos qui eccleſiæ præſident, & poteſtatem habent non ſolum ſoluendi, ſed etiam ligandi. Traduntur autem peccatores in interitum carnis, cum pro delictis ſuis à Chriſti corpore ſeparantur. Et (vt mihi videtur) dupliciter etiam nunc traduntur homines de eccleſia in poteſtatem zabuli hoc modo quo ſuperius diximus, cum delictū eius manifeſtum fit eccleſiæ, & de eccleſia per ſacerdotem pellitur, vt notatus ab omnibus erubeſcat: & conuerſo eueniat ei illud quod ſequitur: vt ſpiritus ſaluus fiat in die

in die domini nostri Iesu Christi. Alio verò modo quis traditus est zabulo, cum peccatum eius non est manifestum hominibus: deus autē qui videt in abscondito, perspiciens eius mentem & animum eius vitiis ac passionibus feruētem, & in corde eius non se diligi, sed aut auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, vel alia huiusmodi: istum talē dominus tradit satanæ. Quomodo autē tradit eum satanæ? Discedit à mēte eius, & auertit se, & refugit à cogitationibus eius malis, & desyderiis eius indignis: & relinquit domum cordis eius vacuam.

Cùm ergo per sententiam quis nominatus fuerit, cum eo communicare nō debemus. Cum autē solo reatu occultæ excommunicationis cōtraxerit pœnā, non est ab eius cōmunione cessandum. Vnde dominus in euangelio tunc demū peccatorem dixit habendū sicut ethnicū & publicanū, cum ecclesiā audire contēpserit. Apostolus quoq; non ait: Si quis frater est fornicator: sed si quis frater nominatur fornicator, &c. sententiæ nominationem intelligens. Hinc etiam Vrbanus Guilimundo episcopo. Sanè quod super Richardo. Require in causa: Quidam episcopus in hæresim lapsus. Hinc etiam Christus in euangelio zizania dixit esse toleranda vsq; ad messem. Hinc etiam Hieronymus in eodem libro Iudicum.

GRATIAN.

Matth. 18. c.

1. Corint. 5. d.

Matth. 13. d.

Mali à bonis penitus separari non possunt. 22

Origen. homil. 21. ad c. 15. Iosue.

NOlite recedere à domino vsque in hodiernum diem: hoc est donec sæculum stat. Ostendat ergo mihi quomodo Hiebusæus donec sæculum stat, habitet cum filiis Iuda in Hierusalem: quippe cum nec ipsi quidem filij Iuda habitēt in Hierusalem. ideo ergo nec istud verum esse poterit, quòd Hiebusæi cum Iudæis in Hierusalem habitent: quādo nec ipsi quidem habitant in ea. Sed nos intelligimus hoc spiritualiter, assumentes euangelij parabolam quæ dicit de zizaniis: Sinite vtraque crescere: ne fortè volentes eradicare zizania, eradicetis simul cum ipsis & triticum, & infra. Audi ergo scripturam dicentem quia non potuerunt filij Iuda disperdere Hiebusæos: sed habitauerūt cum ipsis vsq; in hodiernum diem in Hierusalem. Vnde deprecor vos qui fideles estis, vt ita vitā vestram & conuersationem seruetis, ne in aliquo vel ipsi scandalum patiamini: vel aliis scandalum faciatis: sed sit vobis summi studij summæq; cautelæ ne quis in hanc sanctorum congregationem pollutus introeat: ne quis Hiebusæus habitet in vobis. Vides enim quia dicit scriptura quòd non potuerūt eiicere filij Iuda Hiebusæos de Hierusalem. Hiebusæus autē interpretatur conculcatio. Esto ergo, quia nō possumus eiicere istos qui nos conculcant: eos quos saltē possumus, quorū peccata manifesta sunt, eiiciamus. Vbi enim peccatū manifestum non est, eiicere de ecclesia neminem possumus: ne fortè eradi-

Matth. 15. d.

Iosu. 15. g.

Ibidem.

cantes zizania, eradicemus cum illis & triticum. Mouet tamen me quod dixit quia non potuerunt eiicere Hiebusæos, id est, eos qui interpretantur cõculcatio. & ideo videamus qui sunt in ecclesia conculcantes, illi sine dubio de quibus dominus dicebat in euangelio: *Matth.7.a.* Nolite mittere sanctum canibus, neque margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos. Iste est ergo Hiebusæus, id est conculcatio, qui indignè audiunt verbũ dei, & cùm audierint, neq; vt infideles discedunt, neque permanent vt fideles: sed percepta mysteriorum notitia, & fidei nostræ secretioribus perscrutatis, conuersi postmodum impugnant nos: & contradictionibus suis corda nostra dirumpunt, conculcantes verbi dominici margaritas, & ornamenta fidei maculantes. De istis ergo dicitur quia non potuerunt filij Iuda eiicere Hiebusæum de Hierusalem vsque in hodiernum diem.

ITEM idem super duodecim prophetas.

Porcis & canibus sancta non sunt committenda. 23

QVando ergo vir ecclesiasticus & prudens atque intelligẽs multas impietates in ea quæ vocatur domus dei, esse cognouerit, & non solùm multas, sed etiam fortes, & quæ opprimere possint iustitiam, & intantum doctorum rabiem processisse, vt accipiant precium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant: pauperes deuitent in portis, & audire contemnãt: taceat in illo tempore, ne det sanctum canibus, & ne mittat margaritas ante porcos, qui cõuersi conculcent eas: & imitetur Hieremiam dicentẽ: *Hierem.15.* Solus sedebam, quia amaritudine repletus eram. ITEM Ioan. Chryso. in epist. ad Hebræos. *Chrysost. homil. 25. ad cap. 11. epistola ad Hebraeos.*

Cum Pagano comedere, sed cum excommunicato minimè licet. 24

AD mensam quippe paganorũ si volueris ire sine vlla prohibitione permittimus. Si enim quis frater nominatur inter vos, fratrẽ in hoc loco omnem fidelem simpliciter intellige, non monachũ tantum. quid autẽ est quòd fraternitatẽ vocat, nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse vocari deũ patrem? Si quis (inquit) nominatus fuerit frater fornicator, aut auarus, aut ebriosus: cum huiusmodi, neque cibum sumere debetis. *1.Cor.5.d.* Cùm autem de paganis ageret, non ita, sed si quis vos vocauerit ex infidelibus (paganos significans) & vultis ire: *Luc.10.b.* omne quod apponitur vobis, comedite: si quis frater nominatur ebriosus, &c. O quanta integritas, nos non solum nõ fugimus ebriosos: sed etiam imus ad eos, participantes cũ eis.

GRATIAN. Euidenter itaque ex præmissis apparet quòd eorum communionem vitare non cogimur, qui sententia notati nõ sunt: sed ipsius sententiæ notatio multipliciter intelligitur. Aliquãdo enim arcetur quis à liminibus ecclesiæ, & à communione corporis & sanguinis Christi vel teste conscientia: *1.Cor.11.b.* iuxta illud

apostoli:

apostoli: Probet se homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: quia qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit. Item illud Prosperi. Facilius sibi deum placabunt, &c. require infra causa. xxxiij. maleficiis impeditus. quæstio.j. de pœnitentia. Vel sententia ecclesiastica: sicut pœnitentes quibus tempore præfinito beneficium reconciliationis impenditur, hæc sententia excommunicatio vocatur, quia à communione corporis & sanguinis Christi notatum prohibet: sicut & Adam ab esu ligni vitæ excommunicatus est domino dicente: Videte ne fortè sumatis de ligno vitæ. qua sententia nõ separatur quis à cõsortio fidelium. Est & alia sentẽtia quæ anathema vocatur: qua quisq; separatur à consortio fideliũ, de qua supra: Cum excommunicatis nolite communicare. Hanc distinctionẽ licet cuiq; aduertere ex auctoritate Ioannis papæ: Engeltrudam vxorem Bosonis, &c. require supra in causa, quidam episcopus à propria sede deiectus. Item ex auctoritate eiusdem. Si quis domum dei violauerit, &c. require infra in causa. xvij. quidam presbyter infirmitate grauatus. Item ex auctoritate Siluestri papæ, præsenti decreto censemus, &c. require supra in causa: In infamia cuiusdam episcopi. Iuxta igitur hanc distinctionem intelligenda est illa auctoritas Innocentij: Si quis suadente diabolo, &c. vt infra causa quidam presbyter, vt iuxta etymologiam vocabuli anathemati, id est, separationi subiaceat, qui in edictum illud inciderit, qui à corpore & sanguine Christi, & ab ingressu ecclesiæ se alienum facit, qui impias manus in clericum iniicere ausus fuerit: qui etiam à nullo episcoporum absolui, id est more pœnitentium reconciliari poterit: nisi primum apostolico conspectui se repræsentare curauerit. Illud autem Petri de Clemente: Si inimicus est iste Clemens, &c. de sententia notatis intelligendum est, sicut & illud Vrbani, quibus episcopi non communicant, &c. vt infra in eadem causa. Cæterum falsum esset illud Vasensis concilij secundi, si tantum episcopus alieni sceleris se conscium nouit. Item & illud: Placuit vt si quando episcopus, &c. require supra in causa, duo fornicatores & infamia notati, &c. Gen. 3.

ITEM Gregorius clero & populo Salonitano. Gregor. epi. 48. seu cap. 148. lib. 5.

Communicare non licet his qui excommunicatis communicant. 25

ROgo & moneo ne cuiquã sacerdoti suprascripto maximo communicanti contra animam suam quisquam vestrum communicare præsumat. ITEM ex concilio Toletano. j.

Nullus clericorum vel laicorum ad domum excõmunicati accedat. 26

SI quis laicus abstinetur, ad domum eius vel clericorum vel religiosorum nullus accedat: similiter & clericus si abstinetur, à clericis deuitetur. Si quis verò cum illo colloqui aut 6

conuiuari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur, sed hoc pertinet ad eos clericos qui eiusdem episcopi sunt, & ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abstinetur, siue laico quolibet siue clerico.

3. pars. GRATIAN. Sed hoc specialiter in his qui excommunicatis nominatim communicant. vnde infra Vrbanus: Sanè quòd super Richardo, &c. infrà causa, quidam episcopus in hæresim lapsus. Item Nicolaus papa in c. excellentissimus rex Carolus. infra circa finem huius causæ. ITEM Vrbanus papa.

Vrba. pa. 1. scribens omnibus episcopis.

Sententia pastoris timenda est, licet iniuste liget. 27

QVibus episcopi non communicant, non communicetis: & quos eiecerint, non recipiatis: valde enim est timenda sententia episcopi, licet iniustè liget. ITEM ex octaua synodo.

Excõmunicationis contrahit pœnã, qui excõmunicatis cõmunicat. 28

SI quis frater aut palàm, aut absconsè cum excommunicato fuerit locutus, aut iunctus communione: statim cum eo excommunicationis contrahit pœnam. ITEM ex concilio Carthaginensi secundo.

Cap. 7. conc. Cartha. 2.

De eodem. 29

QVi merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo episcopo, vel presbytero, vel clerico fuerint in communione suscepti: etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius refugiens sui episcopi regulare iudicium.

Cap. 66. ITEM ex concilio Carthaginensi quarto.

Qui sententiam episcopi putat esse iniustã, recurrat ad synodum. 30

CLericus qui episcopi districtionem circa se putat iniustã, recurrat ad synodum. ITEM Ioannes Chrysostomus super epistolam ad Hebræos.

Homil. 4 ad ca. 2. epist. ad Hebraeos.

Vincula ecclesiastica non sunt contemnenda. 31

NEmo contemnat ecclesiastica vincula. non enim homo est qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. ITEM Augustinus de verbis Apostoli, sermone. lxviij.

Satanæ traditur, qui ab ecclesia excommunicatur. 32

OMnis Christianus dilectissimi qui à sacerdotibus excommunicatur, satanæ traditur. quomodo? quia scilicet extra ecclesiam diabolus est, sicut in ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione remouetur. Vnde illos quos tunc Apostolus satanæ esse traditos prædicat: excommunicatos à se esse demonstrat.

1. Corint. 5. b.

Aug. tract. 27. ad cap. 6. Ioan. ITEM super Ioannem.

De eodem. 33

NIhil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. si enim separatur à corpore Christi, non est mem-

membrum eius. si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Quisquis autem (inquit Apostolus) spiritum dei nō habet: hic non est eius. Item Hieronymus, Quorum dimiseritis peccata, &c. id est, quibus ecclesiam interdixeritis: nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis ianua regni cœlestis clausa erit. ITEM ex concilio Mileuitano.

Roma. 8. b.
Matth. 16. c.
Cap. 22.

Vicini episcopi audiant eos qui de iudiciis episcoporum suorum queruntur. [a] *Palea.* 34

a extat in vete. manuscrip. nec est vt palea in eo notatum.

PResbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici si in causis quas habuerint, de iudiciis suorum episcoporum conquesti fuerint: vicini eos episcopi audiant: & inter eos quicquid est definiant, adhibiti ab eis ex consensu suorum episcoporum, quòd si ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates suarum prouinciarum. Ad transmarina autem qui putauerint appellandum: à nullo intra Africam in communione suscipiantur. ITEM ex concilio Carthaginensi quarto.

Cap. 28.

Iniusta episcoporum damnatio irrita esse censetur. 35

IRritam esse & iniustam episcoporum damnationem censemus: & idcirco à synodo retractandam. ITEM ex concilio Carthaginensi quinto.

Cap. 12.

Qui causæ suæ adesse, & innocentiam suam asserere voluerit, intra annum excommunicationis hoc faciat. 36

RVrsus constitutum est vt quotiens clericis conuictis vel confessis in aliquo crimine, vel propter vtilitatem eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter ecclesiæ opprobriū, aut insolentem insultationem hæreticorum atque gentilium, si fortè causæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere: intra annum excommunicationis hoc faciant. si verò intra annum causam suam purgare contempserint: nulla eorum vox penitus audiatur. ITEM Gelasius.

Iuo carn. lib. 5. in fine id refert.

Audientiam suam negat, qui excommunicationis suæ causam agere, intra annum differt. 37

QVicunque intra anni spatium ciuiliter siue publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi aditum audientiæ clausisse videantur. Quòd si obstinato animo sine cōmunione defuncti fuerint, nos eorum causam iuxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiā diuino iudicio reseruantes, quibus viuis non communicauimus, nec mortuis communicare debemus.

[b] *Palea.*

b deest omnino in vet. manusc.

QVi verò excommunicato scienter communicauerit, & amodo saltem in domo simul orauerit: atque latebras quominus ad satisfactionem perducatur præbuerit: donec ab episcopo excommunicatore pœnitentiam accipiat, cor-

poris & sanguinis domini communione priuatum se esse cognoscat. ITEM ex concilio Hilerdensi.

Cap. 10.

Tardius recipiatur ad veniam, qui sacerdote iubente ecclesiam exire contemnit. 38

QVi iubente sacerdote pro qualicunque culpa ab ecclesia exire contempserit, pro noxa contumeliæ tardius recipiatur ad veniam.

GRATIAN. Sed quæritur si ante damnati absolutionem episcopum mori contigerit: vtrum damnatus postea valeat absolui.

DE his ita statutum est in concilio Eupanensi.

Iuo lib. 5. id refert de hereticis post.

A successore soluatur, qui post mortem episcopi remanet ligatus. 39

SI episcopus ante damnati absolutionē obitu rapiatur: correctum aut pœnitentem successori licebit absoluere.

GRATIAN. Præmissis auctoritatibus quibus iniustæ sententiæ vsq; ad examinationē vtriusq; partis parere iubemur, ita respondetur. Gregorius non dicit sententiam iniustè latā esse seruandā, sed timendā, sic & Vrbanus. Timenda est ergo, id est nō ex superbia contemnenda. Reliquæ verò auctoritates de excommunicatis loquuntur, qui vel vocati ad synodum venire cōtempserunt, vel calliditatibus aduersantium occurrere nesciētes, iniustam sententiam à iudice reportauerunt: vel qui neglectu suæ vitæ sinistram de se opinionem nasci permittentes, sentētiam in se exceperunt. Hos siquidem solos excōmunicationis sententia ferire licet. VNDE in Meldensi concilio.

Iuo Carn. lib. 5. de sentent. excōmu. idem refert.

Cap. 56. Conc. Meldensis anathema

Quibus culpis exigentibus aliquis sit communione priuandus. 40

NEmo episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa cōmunione priuet ecclesiastica. sub anathemate autem sine conscientia archiepiscopi aut coepiscoporum nullum præsumat ponere, nisi vnde canonica docet auctoritas: quia anathema æternæ est mortis damnatio: & nō nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter nō potuerunt corrigi. ITEM ex concilio Aluernensi.

est can. 2. conc. 5. Aurelian.

Pro paruis & leuibus causis, nullus communione priuetur. 41

NVllus sacerdotum quenquam rectæ fidei hominē pro paruis & leuibus causis à communione suspendat: præter eas culpas pro quibus antiqui patres arceri ab ecclesia iusserunt committentes. ITEM ex concilio Triburiensi.

Iuo lib. 5. de sent. excom. similiter refert.

Pro his tribus criminibus, quilibet communione priuetur. 42

CErtum est pro his tribus criminibus aliquem excommunicari debere: cùm ad synodum canonicè vocatus venire contemnit, aut si postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis: aut si ante finitam causæ suæ examinationem à synodo abire præsumit.

4. pars. GRATIA. De his inquam & huiusmodi præmissæ auctoritates loquuntur, non de iniustè suspensis. Quod autē iniustæ sententiæ pa-

" tiæ parendum non sit, multis auctoritatibus probatur: quarum " prima est illa Hieronymi super Matthæum, libro. iij. *Ad ca. 16. Matthæi in coment.*

Sententia pastoris reum vel innocentem non constituit vel facit. 43

QVomodo sacerdos mundum leprosum non facit, sic episcopus vel presbyter non allegat eos qui insontes sunt: nec soluit noxios: sed pro officio suo cùm peccatorum varietates audierit, scit qui ligandus sit: qui soluendus.

ITEM Augustinus super Matthæum.

Palea.

RIdiculum[a] est vt eum mundum esse dicamus, qui vinculis peccatorum suorum ligatus est, propter hoc solum quòd episcopus dicitur habere huiusmodi potestatē, vt soluti ab eo, soluti sint in cœlo: & ligati in terris, ligati sint in cælo. Sit ergo irreprehensibilis qui alterum ligat aut soluit.

a deest omnino in manuscripto.

ITEM Gelasius papa episcopis Orientalibus de damnatione Dioscori.

Non est petenda absolutio, cùm iniquè fertur sententia. 44

CVi est illata sententia, deponat errorem, & vacua est. sed si iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud deū & eius ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia. ita ergo ea se nō absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum. ITEM Augustinus de summo bono.

Deus non nocet, nec noceri aliquem patitur iniustè. 45

SEcundum catholicam fidem nec dei naturæ nocere quisquam potest, nec natura dei iniustè nocere cuiquam potest: nec nocere iniustè patitur quenquam. qui enim nocet (vt apostolus ait) recipiet hoc quod nocuit. *Colos. 3. d.*

IDEM de verbis domini. *August. ser. 16. secundū Matth.*

Iniusta vincula dirumpet iustitia. 46

COepisti habere fratrem tuum tanquam publicanum. ligas illum in terra: sed vt iustè alliges, vide. nam iniusta vincula dirumpit iustitia, quem solueris, inquit, in terra: solutus erit in cælo. IDEM de sermone domini in monte. *Matth. 16.*

Temeritas iudicandi, non ei qui iudicatur, sed iudici nocet. 47

TEmerarium iudicium plærunq; nihil nocet ei de quo temerè iudicatur. ei autem qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est vt noceat. IDEM ad clerum Hipponensi. *Lib. 2. August. epist. 157.*

Non obest homini iniusta sententia. 48

QVid obest homini quòd ex illa tabula vult eum delere humana ignorantia, si de libro viuentium non deleat iniqua conscientia? IDEM ad Secundinum Manichæum.

De eodem. 49

SEnti de Augustino quicquid libet: sola me in oculis dei conscientia non accuset. ITEM Gregorius Constantino Mediolanensi archiepiscopo. *Greg. epist. 14. seu cap. 178. lib. 6.*

Quos conscientia iustificat, aliorum maledicta non timeant. 50

IN cunctis quæ in hac vita aduersa proueniunt, sola est (sicut nostis) omnipotentis dei districtio pensanda, atque ad cor proprium semper recurrendum: vt nullius ibi lingua implicet, vbi conscientia non accusat, quem enim conscientia defendit, liber est inter accusationes: & liber sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius addicit conscientia accuset. De vestra igitur sanctitate absit à Christianorum iudicio ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta credimus, in qualicunque modulo suspicionis adduci: quia & sacri eloquij testimonium tenemus, vt mala maiorum cùm forsitan dicuntur, nisi probata credi non debeant, sed citius probata vlcisci. Hoc igitur dixi vt nimiæ leuitatis esse ostenderē, si quis mala grauia credere studeat quæ probari non possint, vnde sanctitas vestra debet mentem suam à maledicorum hominum rumoribus atque obtrectationibus disiungere: & sola quæ æternæ vitæ sunt, atq; ad vtilitatē subditorum proficiūt, cogitare. VNDE Augustinus in Psal. xxxvij.

* damnatur

Frustra aspernatur ab homine, quem deus iustificat.* 51

ET si ad tempus damnaris, ab homine: & si dixerit sententiam proconsul in Cyprianum, aliud est sella terrena, aliud est tribunal cœleste: ab inferiori accipit sententiam, à superiore coronam. IDEM in Psal. xxviij. 52

Aug. ad versum Psal. 37. Quoniam in te speraui.

CVstodi intus innocentiam tuam: vbi nemo opprimit causam tuam: præualebit in te falsum testimonium, sed apud homines. nunquid apud deum valebit, vbi causa tua dicenda est? Quando deus erit iudex, alius testis quàm conscientia tua non erit. inter iustum iudicem & conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. ITEM Gregorius papa.

Epist. 45. lib. 8. ad Paladiū presbyterum.

Non hominum linguas, sed conscientias curare debemus. 53

INter verba laudantiū siue vituperantium ad mentem semper recurrendum est: & si nō in ea inuenitur bonū quod de nobis dicitur, magnā tristitiā generare debet, & rursum si non in ea inuenitur malum quod de nobis homines loquuntur: in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si nō omnes laudant: & conscientia liberos nos esse demonstret? habemus Paulum dicentē: Gloria nostra hæc est, testimoniū consciētiæ nostrę. Iob quoq; dicit: Ecce in cęlo testis meus. Si ergo est nobis testis in cælo, testis in corde: dimittamus stultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciunt nisi ꝙ in puluerem sufflant, & in oculos suos terrā excitant? vt vnde plus detractionis perflant: inde magis nihil veritatis videant? Vocandi tamen etiam sunt ipsi, & tranquillè admonendi: eisq; satisfieri modis omnibus debet: sciētes quid de Iudæis veritas dicit: Ne fortè scandalizemus eos. Si autem satisfieri sibi ex veritate

2. Corinth. 1. c.
Iob. 16. d.

veritate noluerint, habes consolationẽ quam aspicias in euangelio. cùm enim domino dictũ fuisset: Scis quia audito hoc verbo scandalizati sunt Iudæi? respondit: Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Paulus quoque apostolus admonet dicens: Si fieri potest (quod ex vobis est) cum omnibus hominibus pacem habentes. dicturus, cum omnibus pacem habeamus: hoc difficile esse perspiciens, præmisit, si fieri potest: & subiunxit quod fieri potest, cùm dicit quod ex vobis est: quia si nos in mente charitatem erga odientes seruare cupimus: etsi illi nobiscum pacem non habent, nos tamen cum illis sine dubio habemus. Hoc inter eos obseruandum est, qui parati sunt suspicari quod non vident: parati semper reprehendere, nunquam imitari. Apud alios autem conscientia est necessaria nobis, fama illis. VNDE Augustinus.

Math.17.d.

Roma.12.d.

Conscientia nobis, & fama proximus est necessaria. 54

NOn sunt audiendi siue viri sancti siue fœminæ qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit vt in malã veniant suspicionẽ, vnde suã vitã longè abesse sciunt: dicunt coram deo sufficere sibi conscientiã, existimationẽ hominum non solùm impudẽter, verumetiã crudeliter contemnentes, cùm occidant animas aliorum siue blasphemantium viam dei: quibus secundum suam suspicionẽ quasi turpis quæ casta est displicet vita sanctorum, vel etiam cum excusatione imitantium nõ quod vident, sed quod putãt. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suã custodit, sibi bene facit: quisquis autẽ etiam famã, & in aliis est misericors. nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.

ITEM Hierony. super epist. Pauli ad Philemonem.

Apud deum maledicitur, qui moribus dissenã profert sententiam. 55

SI quis dixerit iustum iniustum, & iniustum iustum: abominabilis est vterque apud deum. similiter qui sanctum dicit non sanctum: & rursus non sanctum asserit sanctum: abominabilis est apud deum. IDEM.

Ad locum. Gratias ago deo meo.

Hierony. il idem paulo superius.

Christum violat qui sanctum non sanctum, vel non sanctum sanctum esse crediderit. 56

SI quis hominem qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, & dei eum iunxerit societati, Christum violat, cuius membra sumus. & infra. Omnes credentes (secundum Apostolum) Christi corpus efficimur: qui in Christi corpore errat & labitur, asserens membrum eius esse sanctum, cùm non sit, vel non esse sanctum, cùm sit: vide quali crimine obnoxius fiat. Esaias enim dicit: Væ his qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Dulce puto esse sanctimoniam, amarum quod sanctimoniæ contrarium est. ITEM Esaias.

Roma.12.b.

Esai.5.c.

Aeternum

Aeternum vae maledictionis inueniet, qui bonos malos, & malos bonos dixerit. 57

Esai. 5. e.

VAe qui dicitis bonum malum, & malum bonũ, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. propterea captiuus ductus est populus meus: quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descenderunt fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eum, & incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimiũ deprimẽtur, & exaltabitur dominus in iudicio, & deus sanctus sanctificabitur in iustitia.

Gregor. homilia 26. euangeliorum.

ITEM Gregor. in Homilia. xxvij.

Ligandi soluendique potestate se priuat qui hanc iniustè exercet. 58

Gregor. ibidem.

IPse ligandi atq; soluẽdi potestate se priuat, qui hãc pro suis voluptatibus & non subditorũ moribus exercet. IDEM.

De eodem.

Grego. paulo inferius.

IVdicare dignè de subditis nequeunt, qui in subditorũ causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. IDEM.

Non est vera praesidentis absolutio, nisi sequatur arbitrium interni iudicis. 59

TVnc vera est absolutio praesidentis, cùm interni sequitur arbitrium iudicis. quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat. hoc videlicet demõstrat: quia prius dominus mortuum suscitauit & viuificauit dicens. Lazare veni foras. & postmodum is qui viuus fuerat egressus: à discipulis est solutus, sicut scriptum est. IDEM in Regesto.[a]

Ioan. 11 f.

Simplicius papa epist. 2.

a est Simplicij papae in manuscrip.

Priuilegio meretur exui qui eodem abutitur. 60

PRiuilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. IDEM.

Gregor. epist. 9. lib. 2.

Is in quem canonica non fertur sententia, poenam non debet ferre canonicam. 61

NOn debet is poenam sustinere canonicam, in cuius damnatione non est canonica prolata sententia.

GRATIAN.

Ex his datur intelligi quòd iniusta sententia nullum alligat apud deum, nec apud ecclesiam eius aliquis grauatur iniqua sententia: sicut ex Gelasij. c. habetur. Non ergo ab eius communione abstinendum est, nec ei ab officio cessandum, in quem cognoscitur iniqua prolata sententia. Cur ergo capitula Carthaginensis & Africani, atque aliorum conciliorum prohibent iniustè damnatum in communione recipi ante iudicij examinationem? cur & illud in concilio Maguntinensi statutum est?

Cap. 27. conc. Toletani. 4.

Qui damnatus à synodo, quo modo in secunda innocens reparetur. 62

EPiscopus, presbyter aut diaconus, à gradu suo iniustè deiectus, si in secunda synodo innocens inueniatur, nõ potest esse

esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manibus episcoporum. Si episcopus est, orarium & baculum, & annulum. Si presbyter est, orarium & planetam. Si diaconus, orarium & albam. Si subdiaconus patenam & calicem. sic & reliqui gradus in reparatione sua recipiant ea quæ cùm ordinarentur perceperant.

Si[a] ergo iniustè deiecti, nec etiã per episcopos reparari possunt, nisi de manibus eorum recipiant quæ amiserant: quomodo sua auctoritate cuique licet iniustè ligatis communicare, & eis non petita absolutione sua celebrare officia: sicut Gelasius videtur sentire? Ad hoc respõdendum est quòd sententia aliquando est iniusta ex animo proferentis, iusta verò ex ordine & causa: aliquando est iusta ex animo & causa, sed non ex ordine: aliquando iusta ex animo & ordine, sed non ex causa. Cùm autem ex causa iniusta fuerit, aliquãdo nullum in eo omnino qui accusatur delictum est quod sit damnatione dignum. aliquando non est in eo illud supra quod fertur sententia: sed ex alio nominandus est. Ex animo est iniusta sentẽtia, cùm aliquis seruata integritate iudiciarij ordinis, in adulterum vel in quemlibet criminosum non amore iustitiæ, sed liuore odij, vel precio aut fauore aduersariorum inductus sententiam profert. Vnde Beda super epist. Iacobi ait: Ira enim viri iustitiam dei non operatur: quia qui iratus in aliquẽ sententiam profert: etsi ille quantum ad se iustam reportet sententiam, iste tamen qui nõ amore iustitiæ, sed liuore odij in eum sententiam dedit: iustitiam dei (in quem perturbatio non cadit) non imitatur. ITEM Gregorius.

a Sic 5. pars. GRATIAN.

Iacob. 1.

Sententia iustitia non est pro præmio ferenda. 63

QVi rectè iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in deum perpetrat: quia iustitiam quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit. bonis malè vtuntur, qui pro temporali lucro iustè iudicant. tales quippe ad veritatem non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat: quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à iustitiæ confessione recedunt. Acceptio nummorum, præuaricatio veritatis est. vnde & pro iusto dicitur: Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.

Esai. 33 c.

IDEM Mauricio imperatori.

Greg. epist. 18. lib. 8. ad Guidiscalcum ducẽ Campaniæ.

In præpositorum operibus sibi totum ratio vendicet. 64

ILla præpositorum solicitudo vtilis est, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat. Restringenda sub ratione potestas est, nec quid agendum prius quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. nam commotionis tempore iustum putat omne quod fecerit.

Ambr. cap 13. lib. de Ioseph.

ITEM Ambrosius de sancto Ioseph.

Grauiter

Grauiter delinquit, qui ex ira sententiam profert. 65

IRa sæpe etiam innocentes ad crimen adducit: quia dum iusto amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus, ideo Apostolus ait: Non vos vindicantes charissimi, sed date locum iræ. hoc est declinemus eã, ne nos illa corripiat. vnde dominus Iesus mittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga: vt incentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis. ITEM ex lib. ecclesiasticæ historiæ.

Roma. 12. d.
Luc. 9. a.

Ratio debet corrigere quod furore promulgatum est. 66

CVm apud Thessalonicam seditio esset exorta, & quidã vir ex militaribus impetu fuisset populi furentis extinctus: Theodosius repentini nuncij atrocitate succensus, ad ludos circenses inuitari populum, eiq; ex improuiso circũfundi milites, atque obtruncare passim, prout quisq; occurrisset gladio, iubet, & vindictam dare nõ crimini, sed furori. Ob hoc cùm à sacerdotibus Italię redargueretur, agnouit delictum, culpamq; cum lachrymis professus, publicam pœnitentiam in totius ecclesiæ conspectu egit, & in hoc sibi tempus adscriptum absque regali fastigio patienter impleuit, quibus omnibus illud quoq; mirabiliter adiecit, leges sanxit in posterum vt sententię principum super animaduersione prolatæ, in diem. xxx. ab executoribus differrentur, quo locus misericordiæ, vel (si res tulisset) pœnitentiæ non periret. ITEM Gregorius.

In dictandis sententiis rectores nullo furore ducantur. 67

SVmmopere præcauendũ est ne rectores ecclesiæ, & qui publica iudicia exercent, in dictandis sententiis nullatenus leuitate aut furore ducti sint præcipites, sed causis prius diligenter ventilatis, cùm res quæ ignorabatur ad notitiam pleniter venerit, tunc diuina & humana lex resoluatur, & tunc secundum quod ibi cõstitutum est, remota personarum acceptione definitiua proferatur sententia. Hinc est quòd Moyses querelas populi semper ad dominum tabernaculum ingressus referebat: & iuxta quod dominus imperabat, iudicia proponebat, nimirum nos instruens vt non ex corde nostro, sed ex præcepto diuino condemnationis & iustificationis sententiam proferamus. ITEM August. ad Macedonium.

Exod. 32.
Epi. 54.

Iustum iudicium vendi non potest. 68

NOn licet iudici vendere iustum iudicium, etsi liceat aduocato vendere iustum patrocinium & iuriscõsulto rectum consilium. ITEM Isidorus.

De eodem. 69

PAuper dum non habet quid offerat in iudicio, non solùm audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. Citò violatur auro iustitia, nullamq; reus pertimescit culpam

pam redimere nummis existimat.

» Huic itaque sententiæ quæ non amore iustitiæ, sed ex alia qualibet causa fertur in quenquam: humiliter obediendũ est. GRATIAN.

» VNDE in Niceno concilio. Cap. 5.

Non recipiantur ab aliis qui suorũ episcoporũ contrahũt offensam. 70

SEruetur ista sententia, vt hi qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur. Requiratur sanè ne fortè qui ex aliqua indignatione animi, aut cõtemptione, aut qualibet tali commotione stomachi episcopi sui abstẽti sunt: vt ita demum hi qui ob culpas suas episcoporum suorum meritò contraxerunt offensas: dignè etiam à cæteris excommunicati similiter habeantur, quousque episcopo suo visum fuerit humaniorem circa eos ferre sententiam.

» ITEM: Sententia est iniusta ex ordine, quando nõ seruato iudiciali ordine quilibet pro sua culpa damnatur. VNDE Grego. scribit Constantino Mediolanen. episcopo. GRATIAN. Greg. epist. 30. lib. 8.

Res dubia non diffiniatur certa sententia. 71

GRaue satis est & indecens, vt in re dubia certa detur sententia. ITEM Augustinus in lib. de pœnitentia. Cap. 3. lib. de pœnitentiæ medicina.

Non credantur quæ certis indiciis non demonstrantur. 72

QVamuis vera sint quædam, tamen iudici non sunt credenda nisi certis indiciis demõstrentur. ITEM Damasus papa. Damasc. epist. sexta.

Antequam examinentur aliqui non iudicentur. 73

EOrum qui accusantur causas discutere nõ licet priusquam canonice vocati ad synodum veniant, & præsens per præsentem agnoscat veritatẽ, & intelligat quę ei obijciũtur: quod & per sapientiam Salomonis dicitur: Antequam scruteris non reprehendas. Intellige prius, & tunc increpa. Antequã audias non reprehendas. Et licet apertissima sit contrariorum reprehensio, veruntamẽ oportet ab his qui dati sunt ad eorum examinationem, ordinem seruari. ITEM ex viij. synodo. 3. Reg. 3. c. Eccle. 19. c.

Qui falsum de alio profert, & is qui criminia credit: vterque reus est. 74

NOn solùm ille reus est qui falsum de alio profert: sed etiam is qui aurem citò criminibus præbet.

» Cùm ergo sententia ex ordine iniusta est, nec tũc ab ea recedendum est: quia etiam antequam sententia daretur in eum, pro qualitate sui reatus ligatus apud deũ tenebatur. Contingit aliquando vt adulter sententiam pro sacrilegio reportet, cuius reatum in conscientia non habet. hæc sententia etsi iniusta sit, quia non est in eo crimen super quod lata est sentẽtia: tamẽ iustè ab eo reportata est: quia ex reatu adulterij iam diu apud deum excommunicatus fuerat. Et in hoc casu intelligenda est illa auctoritas Gregorij: Sententia pastoris, &c. Iustam sententiam vocat quando crimen subest super 6. pars. GRATIAN.

quod

quod fertur: iniustam quando illud non subest: quæ tamen timenda vel seruanda est: quia ex alio iamdudum damnandus erat: vnde cùm præmisisset Grego. vtrum iustè an iniustè obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, subsecutus adiecit: Ne is qui subest, & cum iniustè forsitan ligatur: ipsam obligationis suæ sentẽtiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autẽ qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne etsi iniustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa quæ non erat fiat. Aliquando nullum subest crimen: & tamen vel odio iudicis vel factione inimicorum oppositam sibi sententiam damnationis in se excipit. VNDE Gregorius ait.

Quot modis humanum iudicium peruertitur. 75

QVatuor modis humanum iudicium peruertitur, timore, dum metu potestatis alicuius veritatẽ loqui pertimescimus. cupiditate, dum præmio alicuius animum corrũpimus. odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur. amore, dum amico vel propinquo contendimus præstare auxilium.

GRATIAN. Quàm verò graue sit vel odio, vel amicitia, vel metu, vel munere, vel quolibet modo iudicium peruertere. Augustinus testatur dicens.

De his qui aliquo modo iudicium peruertunt. 76

QVicunque aut consanguinitate, aut amicitia, seu hostili odio vel inimicitiis in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi, qui est iustitia, & fructum illius vertit in damnationis amaritudinem. IDEM ad Casulanum.

De his qui metu potestatis veritatem occultant. 77

QVisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, irá dei super se prouocat: quia magis timet hominẽ, quàm deum: & post pauca. Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. IDEM in eodem.

De eodem. 78

NEmo peritorum aut prudentium putet quòd minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. melius est autem pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione beneficium. ITEM Pelagius Benigno archiepiscopo.

Pelag. pa. 2.

De eodem. 79

VNicuique prouidendum est ne aliquem iniustè prosequatur, iudicet vel puniat, ne Iesum persequatur.

GRATIA. Hic* quoque qui veritatem pro pecunia negat, vel falsum testimonium contra aliquem dicit, deum negare vel vendere probatur. VNDE Beda super Marcum.

**al. sic quoque.*

Beda ad ca. 14. Marci.

Qui

Qui falsum testimonium dicunt, & veritatem pecunia negant: sceleris Iudæ participes fiunt. 80

ABijt Iudas ad summos sacerdotes, & constituerunt ei pecuniam se daturos. Multi hodie scelus Iudæ qui deum ac magistrum dominumq́ue suum pecunia vẽdidit, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen cauent. nam cùm pro muneribus falsum cõtra aliquẽ testimonium dicunt: profectò quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecunia vendunt. ipse enim dixit: Ego sum veritas. Cùm societatẽ fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, deũ produnt: quia deus charitas est. Qui ergo charitatis & veritatis iussa spernunt, deum vtique qui charitas est & veritas, prodũt: maximè cùm nõ infirmitate vel ignorantia peccant, sed in similitudinem Iudæ opportunitatem quærunt, qualiter arbitris absentibus mendacio veritatem & virtutem crimine mutent. Matt.26.b Ioan.14.a. 1.Ioan.4.c.

ITEM Hieronymus.

Christum negat qui peruersis se socium facit. 81

EXistimant quidam in eo tantùm deum negari, si in persecutione quis à gentibus comprehensus se confiteri renuerit esse Christianũ: Ecce Apostolus in omnibus quę peruersa sunt factis deũ asserit negari. Christus sapientia est, iustitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiã sapientia: per iniquitatẽ iustitia: per mendaciũ veritas: per turpitudinem sanctitas: per imbecillitatẽ animi fortitudo. quotiescunq; vincimur à vitijs atq; peccatis, totiens deũ negamus: & ecõtrario, quotiens bonum quid agimus deũ confitemur. Nec arbitrandum est in die iudicij illos tantùm à Dei filio esse denegãdos qui in martyrio Christũ negauerunt, sed & illos omnes quorũ opere vel sermone vel cogitatione Christus negatus negat, vel confessus cõfitetur. de hac puto cõfessione de qua discipulis præcipit dicens: Eritis mihi testes in Hierusalẽ: & in omni Iudæa & Samaria: & vsque ad vltimum terræ. Act.1.a.

ITEM Augustinus.

Qui Christianum se negat, Christum negare conuincitur. 82 Trac.113. ad cap.18. Ioãnis.

NOn solùm abnegat Christũ qui dicit eum non esse Christum, sed ille etiam qui (cùm sit) negat se esse Christianũ. Dominus enim non ait Petro: Discipulum meũ te esse negabis. negauit ergo Christũ cùm se negauit esse eius discipulum. quid autem aliud isto modo quàm se negauit esse Christianũ? Idem timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuę. quanta enim vita est confiteri Christum tanta mors est negare Christum. An apostolus Petrus (sicut eum quidam fauore peruerso excusare nituntur) Christum non negauit, quia interrogatus ab ancilla hominem se nescire respondit? Luc.22.d.

ITEM Ioannes Chrysostomus. Ho.25. in Matthæum.

Veritatem prodit non solùm qui pro veritate mendacium loquitur, sed etiam qui veritatem non liberè prædicat. 83

Math.10.c. NOlite timere eos qui occidunt corpus: ne fortè propter timorem mortis nō liberè dicatis quod audistis, nec fiducialiter prædicetis omnibus quod in aure soli audistis. Sicut enim ex his verbis ostenditur, non solùm ille proditor est veritatis qui transgrediens veritatem, palàm pro veritate mendacium loquitur: sed etiam ille qui non liberè veritatem pronunciat, quam liberè pronunciare oportet: aut non liberè veritatē defendit, quam liberè defendere conuenit: proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est vt veritatem quam audiuit à Deo, liberè prędicet: sic laicus debitor est vt veritatem quam audiuit à sacerdotibus, probatam quidem in scripturis, Rom.10.b. defendat fiducialiter: quod non fecerit, prodit veritatem. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autē confessio fit ad salutē.

Hæc sententia potius iudicem lædit, quàm eum in quem temere fertur. VNDE August. ait.

Iniustè aliquem anathematizans, sibi non alijs nocet. 84

ILlud planè non temerè dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniustè: potius ei oberit qui facit, quàm qui hanc patitur iniuriam. spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut soluitur, immeritam nulli ingerit pœnam per eum quippe diffunditur charitas in cordibus nostris: quæ non agit perperā. pax ecclesiæ dimittit peccata: & ab ecclesię pace alienus tenet peccata nō secundū arbitrium hominum: sed secundum arbitrium dei. petra tenet, petra dimittit: columba tenet, colūba dimittit. Item Salomō: Pro.26.a. Sicut auis in incertum volans, & passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum venit super eum qui misit illud.

Grego.ho.26. euan. ITEM Greg. in homilia. xxvi.

Cuius vita officio non congruit, alios ligatus soluit. 85

PLerunque contingit, vt iudicis locū teneat, cuius ad locum vita minimè concordat, ac sæpe agitur vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat: sæpe in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit vt ipse ligandi aut soluendi potestate se priuet. & infra. Sæpe fit vt erga quēlibet proximū odio vel gratia moueatur pastor. iudicare autē dignè de subditis &c. vnde rectè per prophetam dicitur: Mortificabant animas quæ non Eze.13.d. moriuntur: & viuificabant animas quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurū viuificare nititur, qui reum à supplicio soluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt: & tunc ligandi ac soluendi potestas exercenda. Vnde videndū est quæ culpa præcessit; & quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compun-

punctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. tunc enim vera est absolutio &c. & infra. Ex qua cõsideratione intuendum est quòd illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare. & infra. Veniat itaq; foras mortuus id est, culpam confiteatur peccator. Veniẽtem verò foras soluant discipuli: quia pastores ecclesiæ ei debent pœnã amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

Hæc de solutionis ordine breuiter diximus, vt sub magno moderamine pastores ecclesiæ vel soluere debeant vel ligare.

ITEM Calixtus papa. *Epist. 1. ad Benedictum episcopum.*

Viribus caret sententia iniustè prolata. 86

INiustum iudiciũ & definitio iniusta regio metu & iussu aut cuiuscunque episcopi, aut potentis à iudicibus ordinata vel facta non valeat. Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum nõ exercere aut augere malè loquendo, nisi etiam eas extinguere factis bene loquendo studuerit. Melior est in malis factis humilis cõfessio, quàm in bonis superba gloriatio.

ITEM August. super Psalmum. cij. *Ad versum: Faciens misericordias dominus.*

Præmium meretur qui iniustè maledicitur. 87

QVi iustus est, & iniustè maledicitur: præmiũ illi redditur.

GRATIAN. Hic etsi, vt dictũ est, non teneatur ligatus apud deum, sententiæ tamen parere debet: ne ex superbia ligetur, qui prius ex puritate conscientiæ absolutus tenebatur.

Idem est quando contrà æquitatem sententia fertur: veluti quando subditi non possunt cogi ad malum, scientes obedientiam non esse seruandam prælatis in rebus illicitis. *7. pars.*

VNDE etiam Euticianus papa ait.

Non est obediendum episcopo qui pro hæreticis missam canere iubet. 88

SI quis episcopus aut abbas presbytero aut monacho suo iusserit missas pro hæreticis cantare, non licet: non enim expedit obedire eis. ITEM Augustinus.

Præceptis non obedire multotiens expedit. 89

NOn semper malum est non obedire præcepto: cùm dominus iubet ea quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediẽdum non est. ITEM Hieron. in epistola ad Ephes. *Cap. 6. ad locũ Serui obedite dominis.*

De eodem. 90

SI dominus ea iubet quæ non sunt aduersa sanctis scripturis, subijciatur domino seruus. si verò contraria præcipit: magis obediat spiritus quàm corporis domino. & infrà. Si bonũ est quod præcipit imperator: iubentis exequere voluntatẽ. malũ, responde: oportet Deo magis obedire quã hominibus. Hoc ipsum & de seruis apud dominos, & de vxoribus apud viros, & de filijs apud patres: quòd in illis tantùm debeãt dominis &

viris parentibusq; esse subiecti, quæ contra Dei mandata non sunt. ITEM Ambrosius.

Non sunt audiendi qui contra Deum aliquid iubent. 91

IVlianus imperator quamuis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites: quibus cùm dicebat, Producite aciem pro defensione reipublicæ: obediebant ei. cùm autem diceret eis, Producite arma in Christianos: tunc cognoscebant imperatorem cæli. ITEM Fabianus papa.

Epi. 2. omnibus episcopis.

Non iubet aliquid iniustum, qui Deum timere probatur. 92

QVi omnitentē deum metuit, nec contra euangelium nec contra Apostolos, nec contra prophetas vel sanctorum patrum instituta agere aliquid vllo modo consentit.

Nico pri.

ITEM Nicolaus papa Lothario regi.

Et qui peccat, & qui peccanti consentit, vterq; reus est. 93

ITa corporis tui cedere motibus consensisti: & relaxatis voluptatum habenis temetipsum in lacum miseriæ & in lutū fecis prohibitum deiecisti: vt qui positus fueras in gubernatione populorum, effectus sis ruina multorū. probat hoc Tergaldi & Gūtarij dudum episcoporum legitimus casus: qui pro eo quòd te minimè cōpetenter erudierunt: quinimmo quia præuaricationem tuam tegere argumentis suis, & sub quadam iustitiæ specie fucatis quibusdam exquisitis adinuentionibus æquitatem obruere studuerunt: nostra sunt apostolica depositi auctoritate, & ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati. ITEM August.

Sermo. 6. de verbis domini.

De eodem. 94

Rom. 13. a.

QVi resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed quid si illud iubeatur quod non debeas facere? hic sane contemne potestatem. ipsos humanarum legum gradus aduerte: si aliquid iusserit curator, faciendum est: non tamen si contra proconsul iubeat. Non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire: nec hinc debet minor irasci, si maior prælatus est. Rursus si ipse consul aliquid iubeat, & aliud iubeat imperator; vel si aliud iubeat imperator, & aliud deus: quid iudicatis? Maior potestas deus: da veniam ô imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur: hic iam tibi assumenda est fides tua tanquam scutum: in quo possis omnia ignea iacula inimici extinguere. IDEM Donatistis.

Epi. 50. ad Bonif.

De eodem. 95

IMperatores si in errore essent (quod absit) & pro errore suo contra veritatem leges darent, per quas iusti probarentur & coronarentur: non tamen faciendum est quod illi iubent: quia Deus prohibet: sicut iusserat Nabuchodonosor vt aurea statua adoraretur: quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem imperatores veritatem tenent, & pro

pro ipsa contra errorem iubent: quòd quisq; contēpserit, ipse sibi iudicium acquirit. nam inter homines pœnas luit & apud deum frontem non habebit: quia hoc facere noluit: quod ei per cor regis ipsa veritas iussit: sicut & ipse Nabuchodonosor post miracula salutis trium puerorum commotus atque mutatus, pro veritate cōtra errorem edictum proposuit, vt quicunque blasphemarent deū Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum irent: & domus eorū in dispersionem. Et non vultis quòd aliquid tale iubeant contra vos imperatores Christiani, cum sciāt à vobis in illis quos rebaptizatis Christū exsufflari. Idē in psalmis. Iulianus *etitit infidelis imperator, nōne extitit apostata iniquus & idololatra? Milites Christiani seruierūt imperatori infideli. vbi veniebant ad causam Christi, nō agnoscebāt nisi illum qui in cælo erat. quādo volebat vt idola colerent, & thurificarent, præponebant illi deum. Quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem: statim obtemperabant, & distinguebāt dominum æternum à domino tēporali.

Dan. 3. a.
Dan. 3. g.
*extitit

ITEM Gregorius.

Greg. cap. 12. lib. 35. in Iob.

Per obedientiam bonum deserere: malū verò nunquam facere licet. 96

QVid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ breuitate se subijcit, quando hanc mediator Dei & hominum tenuit, & tenendam præcepit: & cum obedientes remunerant, non relinquit? Sciendum tamen est nunquam per obedientiam malum fieri: aliquando autem per obedientiam debet bonum quod agitur intermitti. Neque enim in paradiso arbor mala extitit quam deus homini ne contingeret interdixit: sed vt melius per obedientiæ meritum homo bene cōditus cresceret, dignum fuerat vt etiam à bono prohiberetur: quatenus tāto verius hoc quod ageret virtus esset, quāto & à bono cessans auctori suo se subditum & humilem exhiberet. ITEM Isidorus[a].

1. Tim. 2. a.

a Isidorus in libris de summo bono.

Apud deum maledicitur qui peccantibus consentit. 97

QVi consentit peccantibus, & defendit alium delinquētem: maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Hinc etiam quidam sanctissimus pater ait: Si quis peccantem defendit; acrius quàm ille qui peccauit coerceatur. Hinc & alius pater ait: Si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iucandum. IDEM Isidorus.

libro quo supr.

Non est obediendum quod contra deum præcipitur. 98

SI is qui præest, fecerit, aut cuiquam quod à domino prohibitum est, facere iusserit: vel quod præceptum est, præterierit, aut præterire mandauerit, sancti Pauli apostoli sententia ei ingerenda est dicentis: Etiā si nos aut angelus de cęlo euangelizauerit vobis præterquam quod vobis euangelizauimus,

Leui. 19. a.
Gala. 1. a.

excommunicatis cõmunicant, siue illos qui cõmunicant cum illis qui excõmunicatis cõmunicant. Quicũq; autem orator siue peregrinus aut viator in terram excõmunicatorum deuenerit, & ibi non possit emere, vel nõ habeat vnde emat: ab excomunicatis accipiẽdi licentiam damus. Et si quis excommunicatis in sustentationem nõ superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus.

Item Bonifacius martyr Zachariæ papę.

De Bonifacio qui excommunicatis à pseudoepiscopis se non communicaturum iurauit. 101

ANtecessor prædecessoris nostri venerãdæ memoriæ Gregorius dum me indignũ ordinauit, & ad prędicandum verbum Dei Germanicis gentibus misit: sacramento me astrinxit vt canonicis & iustis episcopis & presbyteris in verbo & facto & consensu astipulator & adiutor fierem. hoc autem cũ diuina gratia implere studui. falsos aũt sacerdotes hypocritas & seductores populorũ vel corrigerẽ ad viam salutis, vel declinarem, & abstinerẽ à communione ipsorum. quod ex parte seruaui, & ex parte custodire & implere nõ potui. Sed & spiritualiter impleui sacramentum: quia in consensum & in consiliũ corũ non venit anima mea. Corporaliter autẽ omnino ab eis abstinere nõ potui. dum enim venissem ad principẽ Francorũ, cogente ecclesiarum necessitate: non tales reperi quales volui, sed tamẽ in sancta cõmunione corporis Christi illis non communicaui. ITEM Zacharias papa Bonifacio martyri. *Zacharias Bonifacio episcopo.*

Excommunicatis non communicat, qui eis animo non consentit. 102

QVòd prædecessor beatæ memoriæ Gregorius huius sedis apostolicæ præsul dum ad prædicandum verbum euangelij tuam misisset fraternitatem in Germaniæ partibus, & gentibus illis paganis, & verbo pollicitationis illam voluit ante esse munitam, ita vt orthodoxos, episcopos, presbyteros, vel quoscunque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares: & eis communicares, quod & factũ est. Si quos verò seductores episcopos aut pseudopresbyteros à recto fidei tramite deuiare reperisses, nulla tibi cùm eis esset communio: quod te Deo solatiante vsque ad præsens spiritualiter seruasse confessus es, vel si omnino per principalem & humanum fauorem gentis Frãcorum, dum ad eos accessisses corporaliter, abstinere non potuisti cogente ecclesiarũ dei necessitate: attamen in eorum consilio & communionis consensu anima tua non est coinquinata. itaque propter hoc quòd cum eis conseruatus es non consentiens iniquitati eorum: nullum tibi est detrimenum coram Deo.

Excommunicationis autem forma & modus atque reconciliationis hæc est. *pars. 9.*

Modus & forma excommunicationis. 103

DEbent .xij. sacerdotes episcopum circunstare, & lucernas ardentes in manibus tenere: quas in conclusione anathematis vel excommunicationis proijcere debent in terram, & cõculcare pedibus. deinde epistola per parœcias mittatur continens excommunicatorum nomina & causam excommunicationis. ITEM ex concilio Aurasico.

De eodem. 104

CAnonica instituta & sanctorum patrum exempla sequentes ecclesiarum dei, violatores auctoritate Dei & iudicio sancti spiritus à gremio sanctæ matris ecclesiæ & à consortio totius Christianitatis eliminamus quousque resipiscant, & ecclesiæ Dei satisfaciant. ITEM ex eodem.

Modus reconciliationis excommunicatorum & solennitas. 105

CVm aliquis vel excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit: episcopus qui eum excõmunicauit, ante ianuas ecclesiæ venire debet, & xij. presbyteri cum eo, qui eum hinc & inde circunstare debent: & si ille terræ prostratus veniam postulat, & de futuris cautelam spondet, tunc episcopus apprehensa manu eius dextra, in ecclesiã illum introducat & cõmunioni Christianæ reddat: & septem psalmos pœnitentiales decantet, & cum istis precibus, kyrie eleison. & Pater noster. Saluum fac seruum tuũ. oratia: Præsta quæsumus domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, vt ecclesiæ tuæ sanctæ à cuius integritate deuiauerat peccando, admissorum veniã consequendo reddatur innoxius. Per, &c.

GRATIAN.

10. pars. GRATIAN.

Presbyteris verò qui excommunicati sacrum ministerium contingere præsumunt: quæ pœnitentia sit imponenda, Ioannes viij. clero & ordini Salonitano scribens diffinit dicens.

Quæ sit pœnitentia sacerdotum, qui excommunicati sacrum ministerium contingere præsumunt. 106

Ivo Carn. idem refert lib. 5. de senten. excom.

DE illis presbyteris qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri domini papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis (sicut canones statuerunt) sententiam intulerunt. tamen quia miseratio apostolica veniam solet præstare correctis: ob multitudinem misericordiæ illius hanc indulgentiam exhibemus, vt sancta communione saginati studeant tribus annis continuis per hebdomadam omni tempore ij. & iiij. & vj. feria à vino & à carne penitus ieiunare, & vltra lugenda nequaquam committere.

GRATIA. Ivo ibidem refert.

Qui autem excommunicatis communicant: pro modo peccati pœnitentiæ modum accipiant.

VNDE Vrbanus .ij. Genebaldo Constantien. episcopo.

Pro

Pro modo peccati puniantur, qui excommunicatis cõmunicant. 107

SAnctis quippe canonibus cautum constat, vt qui cum excommunicatis communicauerit, excommunicetur. ipsius tamẽ pœnitẽtiæ atq; absolutionis modos eo moderamine decernimus, vt quicunque seu ignorantia seu timore seu necessitate cuiusquam negocij maximi & maximè necessarij eorum se conuictu & salutatione, oratione, osculatione contaminauerit: cum minoris pœnitentiæ medicina, societatis nostræ participationem sortiantur. Eos verò qui aut spontaneè aut negligenter inciderint: sub ea volumus disciplinæ coercitione suscipi, vt cæteris metus incutiatur.

CAVSA XII.

QVIDAM clerici propria relinquere volunt, de suis & ecclesiæ rebus testamentum cõficiunt. de rebus ecclesiæ nonnulla largiuntur. GRAT.

1 Modo primùm quæritur, vtrum liceat clericis proprium habere?

2 Secundò, an res ecclesiæ quæ ab eis datæ sunt, possint constare aliqua firmitate eis qui eas acceperunt?

3 Tertiò, si ante tempus ordinationis suæ qui nihil habere videbantur, & post ordinationem aliqua inuenisse noscuntur: an possint ea relinquere quibus voluerint, an non?

4 Quartò, si de suis & ecclesiæ rebus aliqua acquisisse noscuntur: an vtrique communiter, an singulariter ecclesię vel sacerdotij iure proueniant?

5 Quintò, si testamenta liceat eis conficere.

QVAESTIO I.

VTRVM LICEAT CLERICIS PROPRIVM HABERE.

CLericos nihil possidere debere, multis auctoritatibus iubetur. AIT enim Toletanum concilium. Cap. 24. concilij Tolet. 4.

Impuberes & adolescentes in vno conclaui manentes, probatissimo seniori deputentur. 1

OMnis ætas ab adolescentia in malum prona est. nihil incertius quàm vita adolescẽtium: ob hoc constituere oportuit, vt si qui impuberes aut adolescentes in clero existunt, oẽs in vno conclaui commaneant: vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeãt. Quòd si aliqui ex his pupilli existũt, sacerdotali tutela foueantur: vt & vita eorũ à criminibus intacta sit: & res eorũ

ab iniuria impiorum. Qui autem his præceptis resultauerint, monasterio deputentur, vt vagantes animæ & superbæ seueriori regula distringantur.

Clemēs epist. 5. ITEM Clemens in epistola iiij.

Omnibus clericis communis est vita seruanda. 2

DIlectimis fratribus & condiscipulis Hierosolymis cū charissimo fratre Iacobo & coepiscopo habitantibus Clemēs episcopus. Communis vita omnibus fratres necessaria est, & maximè his qui Deo irreprehēsibiliter militare cupiunt: & vitam apostolorum eorumq; discipulorum imitari volunt.

Cōmunis enim vsus omnium quæ sunt in hoc mundo omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatē alius hoc dixit esse suum, & alius istud: & sic inter mortales facta est diuisio.

Denique quidā Græcorum sapientissimus hæc ita sciēs esse communia debere, ait amicorum esse communia omnia. In omnibus autē sunt sine dubio & coniuges. & sicut, inquit, nō potest diuidi aër, neq; splendor solis: ita nec reliqua quę communiter omnibus data sunt ad habendum, diuidi non debere, sed habenda esse communia. Vnde & Dominus per Prophetam loquitur, dicens: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, &c. (Psalm. 132.) Istius enim consuetudinis more retento, etiam apostoli eorumque discipuli (vt prædictum est) vnà nobiscū & vobiscum communem vitā duxerunt. vt enim bene nostis, erat multitudinis eorum cor vnum, & anima vna: nec quisquā (Act. 4. f.) eorum aut nostrum, de his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat: sed omnia nobis & illis erant communia, nec quisquam egens erat inter eos. Omnes verò qui domos vel agros possidebant, vendebant eos: & precia eorum, & reliquas res quas habebant, offerebant, ponentes ante pedes apostolorum, sicut nobiscum quidam vestrum cognouerunt & viderunt: & diuidebatur singulis prout cuique opus erat. (Ibidem 5. a) Ananias autem vir austerus, & Sapphira vxor eius, quia mentiti sunt apostolis de precio agrorum suorum quos vendiderant, nobis præsentibus in conspectu omnium circunstantium à conspectu apostolorum propter peccatum eorum & mendacium quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Cætera quæ de talibus cognouimus & vidimus, nec recordatione nec demōstratione digna sunt; Quapropter hæc vobis cauēda mādamus, & doctrinis & exēplis apostolorū obedire pręcipimus: quia hi qui eorū mandata postponunt, nō solum rei, sed etiā dei extorres fiunt: quæ nō solum vobis cauēda, sed omnibus prædicanda sunt. Vnde cōsilium dantes, vestrā prudentiā hortamur, vt ab apostolicis regulis non recedatis: sed communē vitā ducentes, & scripturas sacras rectè intelligentes, qui bene nouistis adimplere satagatis. ITEM Eugenius papa & Leo ix.

Iuxta ecclesiam clericorum claustra constituantur. 3

NEcessaria etenim res existit vt iuxta ecclesiā claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacēt. Itaque omnibus vnum sit refectorium ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad vsus clericorum necessariæ. Ministri verò post episcopum super eos eligātur, quorum vita atque doctrina illos potius exornet, quàm dehonestet. Nec in atrio ecclesiæ alia ædificia nisi clericorum ponantur. *De vita cleric.*

VNDE Nicolaus papa.

Nec in atrio ecclesiæ nisi clericorum ædificia ponantur. 4

NVlla ædificia in atrio ecclesię ponantur, nisi tantum clericorum. ITEM Hieron. ad Nepotianum.

Clericus nihil seculare possideat. 5

CLericus qui Christi seruit ecclesiæ, interpretetur primum vocabulum suum: & nominis diffinitione prolata nitatur esse quod dicitur. si enim κλῆρος Gręcè, Latinè sors appellatur: propterea clerici dicuntur, quia de sorte domini sunt: vel quia ipse dominus sors. i. pars clericorū est: & quia vel ipse pars domini est, vel dominum partē habet, talem se exhibere debet, vt ipse possideat dominum, & ipse possideatur à domino. Qui dominum possidet, & cū Propheta dicit: Pars mea dominus: nihil extra dominum habere potest. quòd si quidpiam aliud habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, seu possessiones, si variā supellectilē, cùm istis partibus non dignatur dominus fieri pars eius. Si autem ego pars domini sum, & funiculus hæreditatis eius: non accipio partes inter cæteras tribus: sed quasi leuita & sacerdos viuo de decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor. habens victum & vestitum, his contentus ero: & nudam crucem nudus sequor. ITEM Ambro. de fuga seculi. *Psalm. 15.* *Amb. 2. c. lib. de fuga seculi.*

Nihil præter deum debet curare, qui in eius sortem eligitur. 6

CVi portio deus est. nihil debet curare nisi deum: ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia cōfertur, hoc religiōis cultui atq; huic nostro officio decerpitur. hæc enī vera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorū, & quædam alienatio charissimorū: vt suis se abneget, qui seruire Deo elegerit. ITEM Hieron. ad quendam suum leuitam de duobus generibus hominum. GRATIAN.

Clericis & deo deuotis nec causas agere, nec aliquid propriū habere licet. 7

DVo sunt genera Christianorū. est autē vnum genus quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare cōuenit: vt sunt clerici & deo deuoti, videlicet cōuersi. κλῆρος enim Græcè Latinè sors. inde huiusmodi homines vocātur clerici, id est sorte electi. omnes enim deus in suos elegit. hi nāque sunt reges,

ges, id eſt, ſe & alios in virtutibus regentes: & ita in deo regnũ

1.Timot.6.b. habent. & hoc deſignat corona in capite. hanc coronã habent ab inſtitutione Romanæ eccleſiæ, in ſignũ regni quod in Chriſto expectatur. Raſio verò capitis eſt temporalium omnium depoſitio. Illi enim victu & veſtitu cõtenti, nullã inter ſe proprietatem habentes: debẽt habere omnia cõmunia. Aliud verò genus eſt Chriſtianorum, vt ſunt laici. λαὸς enim Græcè, eſt populus Latinè. his licet temporalia poſſidere: ſed non niſi ad vſum. nihil enim miſerius eſt quàm propter nummũ Deũ contemnere. his conceſſum eſt vxorẽ ducere, terram colere, inter virum & virum iudicare, cauſas agere, oblationes ſuper altaria apponere, decimas reddere: & ita ſaluari poterunt, ſi vitia tamẽ benefaciendo euitauerint.

Greg. c.1. reſpõſionum ad Aug. ITEM Gregorius Auguſtino Anglorum epiſcopo.

Clerici nihil proprium poßideant. 8

QVia tua fraternitas monaſterij regulis erudita, ſeorſum nõ debet fieri à clericis ſuis in eccleſia Anglorum, quæ (auctore Deo) nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere conuerſationem, quæ in initio fuit patribus noſtris: in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebat, proprium habebat: ſed erant illis omnia communia. Si qui verò ſunt clerici extra ſacros ordines conſtituti qui ſe non poſſunt continere, ſortiri vxores debent, & ſtipẽdia ſua accipere exterius: quia & de eiſdem partibus nouimus ſcriptum, quod diuidebãt prout cuiq; opus erat. De eorum quoq; ſtipendio cogitandum atq; prouidendum eſt, & ſub eccleſiaſtica regula ſunt tenendi, vt bonis moribus viuant: & canendis pſalmis inuigilent, & ab omnibus cor & linguã illicitis & corpus deo auctore conſeruẽt. Communiter autẽ viuẽtibus iam de faciendis portionibus, vel exhibenda hoſpitalitate, & adimplẽda miſericordia à nobis quid erit loquendũ? cùm omne quod ſupereſt neceſſitatibus in cauſis pijs ac religioſis erogandũ eſt: domino magiſtro omnibus dicente: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.

Cap.2.eiuſdem

Lucæ 11.f

Vrban.1. ad omnes epiſcopos. ITEM Vrbanus papa omnibus catholicis.

Clerici omnia communia eſſe debent. 9

SCimus vos non ignorare quòd hactenus vita cõmunis inter omnes Chriſtianos viguit, & adhuc gratia Dei viget: & maximè inter eos qui in ſortem domini ſunt electi, id eſt, clericos, ſicut in Actib. apoſtol. legitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erãt illis omnia communia. & ĩ. Quicunque veſtrum communem vitam ſuſceptam habet, & vouit ſe nihil propriũ habere. videat ne pollicitationem ſuam irritã faciat: ſed hoc quod domino eſt pollicitus, fideliter cuſtodiat: ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat:

Act. 4.f

acquirat: quoniam melius est nõ vouere, quàm votum, prout melius potest non perficere. Grauius enim puniuntur qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, & votum nõ perfecerut, aut in malis vitam finierunt: quàm illi qui sine voto aut fide mortui sunt, & tamen bona egerunt opera. *Ecclesiastes 5.a*

ITEM August. in serm. de communi vita clericorum. *Aug. ser. 52 ad fratres in erem. 0.*

De eodem. 10

NOlo vt aliquis de vobis inueniat malè viuendi occasionẽ. Prouidemus enim bona (vt ait Apostolus) non solum coram Deo, sed etiã coram hominibus. Propter nos cõsciẽtia nostra nobis necessaria est, propter vos fama nostra nõ polluit, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt conscientia & fama. conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conscientię negligit famam, crudelis est. & infrà. Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium: sed si fortè aliqui habent, nulli licet: & qui habuerint, faciunt quod nõ licet. & post pauca. Enthecam habere non licet. Nõ est episcoporum seruare aurum, & à se reuocare mendicantis manum. quotidie tam multi petunt, tam multi gemũt, tam multi inopes nos interpellant, vt plures tristes relinquamus: quia quod dare omnibus possumus, non habemus. Non habeamus ergo enthecam. & infrà. Qui habuerit proprium, vel habere voluerit, & de proprio viuere, & contra præcepta ista facere: parũ est vt dicam non mecum manebit: sed nec clericus erit. dixeram enim, & scio me dixisse, vt si nollent suscipere etiam socialem vitam mecum, illis non tollerem clericatum, sed seorsum manerent, seorsum viuerent. Malui enim habere cæcos vel claudos, quàm plangere mortuos. Qui enim hypocrita est, mortuus est. Quomodo ergo quicunque voluisset extra manere, & de suo viuere, non tollerẽ clericatum ei: ita modo quia placuit eis deo propitio hæc socialis vita, quisquis cum hypocrisi vixerit: quisquis inuentus fuerit habens proprium, nõ illi permitto vt inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Item. Qui non vult mecum manere, & in cõmuni viuere, habeat libertatem: sed videat vtrum habere possit fœlicitatis hæreditatem. *Rom. 12.d* *2. Cor. 8.d*

IDEM. *Aug epist. 109 ad monachas.*

Non licet habere proprium his qui suis renunciant, & communiter viuere spondent. 11

NOn dicatis vos aliquid habere proprium, sed sint vobis omnia communia. & j. Quicunque autẽ intantum progressus fuerit malũ, vt occultè literas ab aliquo vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo: si autem deprehẽditur atq; conuincitur, secundum arbitrium presbyteri vel præpositi grauius emendetur. & infrà. Cùm huius nostræ cõgregationis fratres, non solum faculta-

tibus

tibus, sed voluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renunciauerint, & semper promissam obedientiā penitus aliorū potestati & imperiis in Christo & pro Christo subdiderint, certū est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere. quòd si propinquus vel amicus, vel quilibet fratrū cuiquā aliquid offerre voluerit, primò quidē priori insinuetur. & sic suscipiatur. si ipse mandauerit. de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod priori placuerit. IDEM.

Aug. tract. 50. ad ca. 12. Ioan.

De eodem. 12

EXemplū domini accipite conuersantis in terra. Quare habuit loculos cui angeli ministrabant, nisi quia ecclesia ipsius loculos habitura erat? Quare furem admisit, nisi vt eius ecclesia fures cùm patitur, toleret. IDEM Prosper.

Prosper. ca. 9. li. 2. de contemplatiua vita.

Ecclesiarum præpositi: rerum dispensatores efficiuntur earum. 13

EXpedit facultates ecclesiæ possidere, & proprias perfectionis amore contemni. non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis fit rei suæ cōtemptor, cùm præpositus factus fuerit ecclesiæ, omnium quæ habuit ecclesia, efficitur dispensator. Denique S. Paulinus (vt ipsi melius nostis) ingentia prædia quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogauit: sed cùm factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispēsauit. Quo facto satis ostēditur, & propria debere propter perfectionē contemni, & sine impedimento perfectionis posse ecclesiæ facultates (quæ sunt profecto communes) possideri. Quid sanctus Hilarius? nónne ipse omnia sua aut parentibus reliquit, aut vēdita pauperibus erogauit? Is tamen cū merito suæ perfectionis fieret ecclesiæ Arelatēsis episcopus: quæ illa tunc habebat ecclesia, non solum possidebat, sed etiā (acceptis fideliū numerosis hæreditatibus) ampliauit. Itaq; homines tam seculariū quàm diuinarū literarū sine ambiguitate doctissimi si scirent res ecclesiæ debere contemni: nunquam eas debuerant suscipere qui omnia reliquerant.

Epist. 29. li. 2.

ITEM Gregorius Felici episcopo de Acropoli.

Diaconi vel qualibet religiosæ personæ regularem vitam ducere cogantur. 14

QVoniam Velina, Vixentina, & Blādina ecclesiæ, ubi in vicino sunt cōstitutæ, propterea fraternitati tuæ earū solenniter operā visitationis iniungimus, illud præ omnibus cōmonentes vt vbicunque præfatarū ecclesiarū siue diœcesum, vel diaconi, vel religiosæ personæ inuentæ fuerint, districtè ac canonicè viuant. †ITEM Melchiades papa.

†Id habetur tit. de prim. eccl. & munificētia Cōstātini imperat.

Quare in primitiua ecclesia prædia vendebantur. 15

FVturam ecclesiam apostoli in gentibus præuidebant: iccirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti: sed precia tantummodo

modo ad fouendos egentes. At verò cùm inter turbines & aduersa mundi succresceret ecclesia, ad hoc vsque peruenit, vt non solum gentes, sed etiā Romani principes, qui totius orbis monarchiam tenebant: ad fidē Christi, & baptismi sacramenta concurrerēt, è quibus vir religiosissimus Cōstantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, dedit licentiā per vniuersum orbem suo degentibus imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandi ecclesias, & prædia constituit tribuenda. denique idem præfatus princeps donaria immensa cōtulit, & fabricā templi primæ sedis B. Petri instituit, adeò vt sedem imperialem relinqueret, & beato Petro successoribusque suis profuturam concederet. Idem verò pręsidens sanctę synodo, quæ apud Nicęnam congregata est, cum querelam quorundā clericorum conspiceret coram se deferendā, ait: Vos à nemine iudicari potestis: quia solius dei iudicio reseruamini, dij etenim vocati estis: & iccirco nō potestis ab hominibus iudicari. Ab illo etenim tempore & deinceps viri religiosi non solum possessiones & prædia quæ possidebant, sed etiam semetipsos domino consecrarunt: ædificantes basilicas in suis fundis in honorem sanctorum martyrum per ciuitates ac monasteria innumera, in quibus cœtus domino seruientium conueniret. Exod. 22. Psal. 81.

ITEM Vrbanus papa. *Vrban. 1. ad omnes episcopos. & intr. cap. 26.*

Quare prædia fidelium hodie ab ecclesia non alienentur. 26

VIdentes autem summi sacerdotes, & alij atque leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates & agros quos vendebant, ecclesiis quibus præsidebant, episcopi traderent, eo quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex precio ipsorū: cœperunt prædia & agros quos vendere solebāt, matricibus ecclesiis tradere, & ex sumptibus earum viuere. Ipsæ verò res in ditione singularum parœciarū episcoporum (qui locum tenent apostolorum) erant, & sunt vsque adhuc & futuris semper debent esse temporibus, è quibus episcopi & fideles dispensatores eorum omnibus communi vita degere volentibus ministrare cūcta necessaria debēt, prout melius potuerint: vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsæ enim res fidelium, oblationis appellantur, quæ à fidelibus domino offeruntur. Memoratis ergo augmentationibus, intantū ecclesiæ in quibus episcopi præsident domino adminiculante creuerunt, & in tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus sit in eis communem vitam gerens indigens: sed omnia necessaria ab episcopo suisque ministris percipiat. Ideo si aliquis extiterit modernis aut futuris tēporibus qui hæc auellere nitatur: iam dicta damnatione feriatur.

ITEM Augustinus. *Aug. cap. 15 de mendacio.*

De

De eodem. 17

HAbebat dominus loculos, à fidelibus oblata cõseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. *Ioan 13.c.* Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, & vt intelligeremus quod præcepit non esse cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruetur à sanctis: sed ne Deo propter ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur.

GRATIAN. 2. pars. His omnibus auctoritatibus claret quòd clericis nullo modo licet habere quid proprium: quòd si habuerint, non clerici erunt. non tamen clericatus eis tollendus est.

Aug. in ser. 52. ad fratres in eremo. VNDE August. ait in eodem sermone.

Clericatus non tollatur eis qui volunt habere aliquid proprium. 18

CErtè ego sum qui statueram nullum ordinare clericũ, nisi qui mecum vellet manere, aut si vellet à proposito recedere, rectè illi clericatum tollerem: ecce in conspectu dei & vestro muto consilium, qui volũt habere aliquid proprium, quibus non sufficit deus & ecclesia eius, maneãt vbi volũt, & vbi possunt: non eis aufero clericatum. nolo habere hypocritas. malum enim esse quis nesciat? malũ est cadere à proposito: sed peius est simulare propositum. & post pauca. Si nõ seruat sanctitatem foris, dimidius cecidit. si verò intus habuerit simulationem, totus cecidit. nolo vt habeat necessitatẽ simulãdi. scio quomodo homines amant clericatum. nemini eum tollo nolenti mecum communiter viuere.

GRATIAN. Econtra sunt aliæ auctoritates quibus conceditur propria habere, non solum aliis, sed etiam episcopis.

Cap. 48. VNDE in concilio Agathensi legitur.

De rebus propriis vel acquisitis episcopi hæredibus suis derelinquãt. 19

EPiscopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis (si voluerint) derelinquant. quicquid verò de prouisione suæ ecclesiæ fuerit, siue de agris, siue de fructibus, siue de oblationibus: omnia in iure ecclesiæ reseruare censuimus. ITEM ex concilio Martini papæ.

Ca. 15. synodorum collectarum Martino episcopo Brac.

De eodem. 20

MAnifesta autem debent esse quæ ad ecclesiam pertinent, his qui circa episcopos sunt presbyteris & diaconis, vt si episcopo cõtingerit inopinatus trãsitus, res ecclesię nullo modo possint minui & perire: neq; res proprię episcopi importunitatẽ patiãtur pro rebus ecclesiæ, vt nec ecclesia dãnum incurrat, nec episcopus in suis rebus pro rebus ecclesię proscribatur.

cap. 40. IDEM statutum est in canonib. apost. vbi legitur.

De eodem. 21

SInt manifestæ res proprię episcopi (si tamẽ habeat res proprias) & manifestæ dominicę, vt potestatem habeat de propriis

prijs rebus epiſcopus moriens ſicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere: ne ſub occaſione eccleſiaſticarum rerum, ea quæ epiſcopi eſſe probantur, interdicantur. Fortaſſis enim aut vxorem habet, aut filios aut propinquos, aut ſeruos. & iuſtum eſt hoc apud deum & homines, vt nec eccleſia patiatur detrimentum ignorantia rerum pontificis, nec epiſcopus vel eius propinqui ſub obtentu eccleſiæ proſcribantur, & in cauſis incidant qui ad eum pertinent, mortiſque eius iniuriis infamentur. ITEM in eiſdem canonibus. Cap. 41.

Ex rebus eccleſiæ epiſcopus ſi indiget ſibi & ſuis neceſſaria ſumat. 22

EX his autem quibus epiſcopus indiget, ſi tamen indiget, in ſuas neceſſitates & peregrinorum fratrum vſus & ipſe percipiat, vt nihil ei omnino poſſit deeſſe. lex enim dei præcipit, 1. Corinth. 9.
vt qui altario deſeruiunt, paſcantur de ipſo.

ITEM ex conc. Antiocheno, cap. XXXV. Cap. 25.

Res eccleſiaſticas epiſcopus diſpenſet. 23

EPiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigēt, cum ſumma reuerentia & timore dei. participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam in ſuis quàm in fratrum qui ab eo recipiuntur neceſſariis vſibus profuturis: ita, vt nulla qualibet occaſione fraudētur: iuxta ſanctū Apoſtolum ſic dicentē: Haben- 1. Timoth. 6. b
tes victum & veſtitum, his contenti ſumus. Quòd ſi cōtentus his minimè fuerit, conuertat autem res eccleſiæ in ſuos domeſticos vſus, & eius commoda, vel agrorū fructus nō cum presbyterorum diaconorumq́, conſcientia pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis, aut propinquis aut fratribus, filiiſque ſuis committat, vt per huiuſmodi perſonas occultè res lædantur eccleſiæ: ſynodo prouinciæ pœnas iſte perſoluat. Si autem & aliter accuſatur epiſcopus aut presbyteri, qui cum ipſo ſunt, quòd ea quæ pertinent ad eccleſiā vel ex agris, vel ex alia qualibet eccleſiaſtica facultate ſibimet vſurpēt, ita vt ex hoc pauperes affligantur, criminationibus verò & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quàm hi qui diſpenſant, taliter exponantur: & hoc oportet corrigi, ſancta ſynodo id quod condecet comprobante. ITEM ex canonibus apoſtolorum. Cap. 41.

Res eccleſiæ ſunt in epiſcopi poteſtate. 24

PRæcipimus vt in poteſtate ſua res eccleſiæ epiſcopus habeat. ſi enim animæ hominū precioſiores illi creditæ ſunt, multo magis oportet eum curam de pecuniis agere: ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per presbyteros & diaconos: & cum timore & omni ſolicitudine miniſtrentur. ex his autem quibus indiget, &c. vt ſ.

Cùm ergo in concilio Agathenſi, & Martini papæ, & canonibus apoſtolorum dicatur, ſint manifeſtæ res propriæ epi- GRATIA.

ſcopi: cùm in eiſdem canonibus, & in concilio Antiocheno præcipiatur, vt epiſcopus participet res eccleſiæ, ſi tamen indiget: nónne patenter oſtēditur quòd epiſcopus habeat liberè propria? Dicendo enim, ſi indiget rebus eccleſię, notat eũ habere propria, quæ fortè ſuis neceſſitatibus non ſufficiũt. Quomodo ergo clericus ſi proprium habere voluerit, clericus non erit: & epiſcopus habens propria, non ſolum non deſinit eſſe epiſcopus: verumetiam cunctas eccleſiaſticas facultates in ſua iubetur habere poteſtate?

Sed notandum eſt epiſcopos Orientales vxores habere & filios: quoſdam autem ex noſtris partibus cum in laicatu ſiue in minoribus ordinibus conſtituti habeãt vxores & filios: ſiue morte vxoris interueniente, ſiue continentia pari voto ſeruata, ad ſacros ordines accedere: his omnibus conceditur habere propria ad ſuos & ſuorum vſus: qui autem ab infantia ſacræ militiæ traditi ſunt, nullo modo eis permittitur habere propria: quia nulla eſt eis excuſatio proprietatis, niſi fortè retinendo ſua, à ſumptibus eccleſiæ abſtineant: quod fieri poſſe Proſper teſtatur dicens.

Proſper. ca. 12. lib. 2. de vita cõtemplatiua.

De his qui tam infirmi ſunt vt ſuis rebus renunciare non poſſint. 25

ILli autem qui tam infirmi ſunt, vt poſſeſſionibus ſuis renunciare non poſſint, ſi ea quę accepturi erant, diſpēſatori relinquunt, nihil habentibus conferēda, ſine peccato poſſident ſua: quia & ipſi quodammodo ſua relinquunt, quãdo propriis contenti rebus, nihil eorum quę labori vel ordini ſuo deberi arbitrantur, accipiunt. *quod ſi putant, &c.*

prolixius recitatur in quibuſdã.

GRATIAN.

De rebus verò eccleſiæ quæritur, an liceat eas per præbendas diuidi: vt annuos reditus quiſque ſibi ſpecialiter vendicet? Hoc non poſſe fieri, argumento & auctoritate probatur. Clerici ſucceſſores eorũ ſunt, de quibus dicitur: multitudinis enim credentium erat cor vnum, & anima vna. Neceſſe eſt ergo vt eorum ſequantur vitam, quorum in eccleſia gradum adminiſtrant. Non ergo aliquid proprium ſibi vendicabunt, ſed erunt eis omnia communia.

Actuum 4. f.

Vrban. 1. epiſt. ad omnes epiſc. vt ſupr. ca. 16.

ITEM Vrbanus papa ait.

Res eccleſiæ quaſi communes epiſcopus diſpenſet. 26

RES eccleſiæ non quaſi propriæ, ſed vt communes & Domino oblatæ cum ſummo timore non in alios quàm in præfatos vſus ſunt fideliter diſpenſandæ.

ITEM ex ſynodo habita Romæ ab Eugenio papa.

Non liceat epiſcopo res eccleſiarum in proprios vſus conuertere. 27

NVlli epiſcoporum liceat res mobiles aut immobiles de ſubiectis plebibus aliiſque piis locis in proprios vſus habere: ne maiores enormiter locupletētur: & minores tali facto paupe-

pauperes inueniantur. contra agens,canonica auctoritate coarctatus exiſtat.

Si ergo res eccleſiæ non quaſi propriæ, ſed quaſi communes habendæ ſunt: cùm de communi nullus dicat,hoc meum eſt: nec de rebus eccleſiæ, hæc eſt mea,poteſt aliquis dicere: ne videatur non imitari charitatẽ illorum in qua nulli aliquid erat proprium, ſed erant illis omnia cõmunia. His ita reſpondetur: Sicut perfectione charitatis manente,ſecundum diſcretionem eccleſiarum, diſtributio fit eccleſiaſticarum facultatũ, dum aliis poſſeſſiones huius eccleſiæ ad diſpenſandum committuntur: ex quibus licet res eccleſiæ omnibus debeant eſſe communes: primùm tamen ſibi & ſuæ eccleſiæ deſeruiẽtibus neceſſaria epiſcopus ſubminiſtret: reliqua quæ ſuperſunt, fidelium vſibus miniſtraturus: ita & præbendæ eccleſiarum eadem charitate manente,piè & religiosè poſſunt diſtribui, nec tunc rebus eccleſiæ vt propriis, ſed vt communibus vtilitatibus deſeruituris: vt ex his quæ ſibi aſſignata ſunt,primum ſibi neceſſaria percipiat. ſi qua verò ſuis neceſſitatibus ſuperſunt, in communes vſus eccleſiæ expendat. GRATIAN.

VNDE Auguſtinus ad Bonifacium.

De eodem. 28

SI priuatum poſſidemus quod nobis ſufficiat, nõ illa noſtra ſunt quorũ procurationẽ quodammodo gerimus, nõ proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicemus. Oſtẽſum eſt quomodo liceat clericis habere propriũ,& quomodo non. Item quomodo res eccleſiæ per præbendas diuidi poſſint.

QVAESTIO II.

AN RES ECCLESIAE QVAE AB EIS DATAE SVNT, POSSINT CONSTARE ALIQVA FIRMITATE EIS QVI EAS ACCEPERVNT.

NVNC quæritur ſi ſacerdotes àliqua de rebus eccleſiæ dediſſe noſcuntur,an his qui eas acceperunt,aliqua firmitate conſtabunt? cùm res eccleſiæ nullo modo diſtrahi poſſint, & diſtractæ poſſideri multis auctoritatibus prohibeantur. AIT enim Stephanus papa. GRATIAN.

Anacl.pa.epiſt. 1. id habet.

Eccleſiæ pecuniam auferens, velut homicida damnatur. 1

QVi Chriſti pecunias & eccleſiæ aufert, fraudat & rapit: vt homicida in conſpectu iudicis deputabitur.

ITEM Pelagius Hoſtilio epiſcopo.

Quicquid de ſacratis vaſis vel miniſteriis à quolibet clerico vſurpatũ fuerit, eccleſia reſtituatur. 2

AVguſtino noſtræ ſedis notario ſuggerẽte didicimus quòd ei dilectio tua directis apicibus indicaſſet quoſdam de

clero tuo & maximè parœciarum ad te pertinentium nõ paucæ sacrata vasa vel ministeria distraxisse: & aliqua huiusmodi perpetrasse, quæ à religioso aliena sunt proposito. charitatem verò tuam (vt hoc competenti solicitudine debeat insequi vel vlcisci) nostræ præceptionis auctoritate volumus cõmuniri: qua de re præsentibus mandamus affatibus vt competenti viuacitatis instantia quicquid de sacratis vasis vel ministeriis à quolibet clericorũ vsurpatũ vel distractum fuisse compereris, sine cuiusquam moræ interuentu exigere non dimittas, & ecclesiasticis vsibus reformare.

ITEM Bonifacius papa.

Quicquid domino consecratur, ad ius pertinet sacerdotis. 3

NVlli liceat ignorare, omne quod Domino cõsecratur: siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit domino: & ad ius pertinet sacerdotum: propter quod inexcusabilis erit omnis qui, quæ à domino, & ecclesia cui competunt, aufert, vastat, & inuadit vel eripit: & vsque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, vt sacrilegus iudicitur: & si emendare noluerit, excommunicetur.

ITEM Gregorius vij.

Excommunicationi subiaceat qui ecclesiastica prædia inuadit. 4

QVicunque militum vel cuiuscunq; ordinis vel professionis persona prædia ecclesiastica à quocunque rege seu seculari principe, vel ab episcopis inuitis seu abbatibus aut aliquibus ecclesiarum rectoribus susceperit vel inuaserit, vel eorum consensu tenuerit: nisi eadem prædia ecclesiis restituerit, excommunicationi subiaceat.

Epist. 1. ITEM Pius papa.

Sacrilegij crimen incurrit qui prædia ecclesiastica vexat. 5

PRædia diuinis vsibus tradita, quidam humanis vsibus applicant: & Deo nostro cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt sibi inseruiant. quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est: ne prædia vsibus secretorum cælestiũ dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. quòd si quis præsumpserit: vt sacrilegus iudicetur.

Anacl. epist. 1. ITEM Anacletus papa.

De eodem. 6

QVi abstulerit patri aut matri aliquid, dicitque hoc peccatum non esse: homicidij particeps est. pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: mater vero nostra ecclesia est, quæ nos in baptismo regenerauit. ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit vel fraudat, homicida est.

Ioã. 3. epi. 1. ad Zach. archiepis. ITEM Ioannes papa tertius.

Qua-

Quadruplum restituat, qui res ecclesiæ inuadit. 7

IN antiquis ecclesię statutis decretum est vt qui aliena inuadit, non exeat impunitus: sed cum multiplicatione omnia restituat. Vnde in euangelio scriptum est: Quod si aliquid defraudaui, reddo quadruplum. & in legibus seculi cautum habetur. Qui rem surripit alienam, &c. vt ĩ. in auctor. Eusebij. *Luca 19. b.*

ITEM Greg. ad Constantiam reginam Galliæ. *Epist. 33. lib. 4. seu cap. 77.*

Pro tenore secularium legũ puniantur inuasores rerũ ecclesiasticarum. 8

CVm deuotissimã dominã sciam de cælesti vita atq; remedio animæ suæ sedulo cogitare: culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore dei omnipotentis sunt suggerenda siluero: & te sanctissimam de ecclesiastica pace sedulo nõ commonuero, nimis me Iuliani fratris & coepiscopi nostri proclamatio nuper cõtristauit maximè cum villæ suæ. i. ecclesiæ à nequissimis prædonibus sunt deprædatæ, atq; nocturnis incendiis more furum combustæ: & dum ijdẽ maligni iuxta nostri prædecessoris Bonifacij decreta pro violata immunitate illud emẽdare noluerunt: dum & seculi leges hæc eadem ita se habere voluerũt: lege vulgari teste in qua sic scribitur. Si quis manu armata vsq; ad quatuor homines in vicũ alterius ad malefaciendũ venerit: ille qui prior est, pro illicita præsumptione componat solidos nongentos: sequaces verò eius vnusquisque solidos lxxx. si verò incendium fecerint: sibi nonies tantum cõponant. si verò prædam fecerint, in quadruplum restituant. IDEM.

De eodem. 9

SI seculi leges talem iustitiam habere voluerunt: lex diuina cur inferior esse debebit? cùm in ipsius veritatis præsentia à Zacheo collaudatum sit. vt si aliquid defraudaret, in quadruplum restitueret. Et quia summum in rebus bonum est iustitiã colere, ac sua cuiq; iura seruare: & in subiectos nõ sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodire (quod & vos diligere, & omnino cõfidimus studere) ea propter excellentiæ vestræ mense Nouembrio præsentis anni secunda indictione Petrum fratrẽ & coepiscopum nostrum à gremio sanctæ Romanæ ecclesię transmittemus: vt fratribus eiusdem prouincię in vnum cõgregatis, immunitas violata & præsumptio & sacrilegium canonica auctoritate & vestra regia dignitate talem terminum accipiant, ne posthac membra diaboli filij nequam in sancta ecclesia (te etiam ibi regnante) talia præsumant. *Luca 19. b.*

ITEM Eusebius papa. *Euseb. epi. 2. ad Aegyptios.*

Ecclesiæ res surripiens in decuplum restituat quod abstulit. 10

IN legibus seculi cautum habetur: Qui rem surripit alienam: illi cui res directa est, in decuplũ quæ sublata sunt restituat. & in lege diuina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos *Deute. 27. c.*

 minos

minos proximi sui. Talia ergo non præsumantur absque vltione: non hæc exerceantur absq; damnatione. Proinde si quis ecclesiasticas oblationes, & quod deo cõsecratum est, rapuerit, vel consenserit facientibus: vt sacrilegus diiudicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat.

GRATIAN. Contrà Greg. scribit August. Anglorũ episcopo de his qui furtim auferunt aliquid de ecclesia.

Gre. c. 4. responsionum ad Aug.

Sine augmento sibi ablata ecclesiam recipere oportet. 11

FRaternitas tua ex persona furis pensare potest qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidã qui habentes subsidia furtum perpetrãt, & sunt alij qui hac in re ex inopia delinquunt. vnde necesse est vt quidam damnis, quidam verò verberibus corrigantur. & cùm paulò districtius agitur, ex charitate agendum est, & nõ ex furore: quia ipsi hoc præstatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Addis etiã quo augmento ea quæ furto de ecclesiis abstulerunt, reddere debeãt, sed absit vt ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærere.

GRATIAN. Verum illud Eusebij de legum seueritate: istud Gregorij de ecclesiastica mansuetudine dictum intelligitur.

ITEM Deusdedit episcopo Mediolaneñ.

Non sunt alienanda in episcopatu acquisita. 12

RES in episcopatu acquisita sacerdotibus nulla est alienãdi licentia. ITEM ex sexta synodo vniuersali.

Vasa sacra, nisi pro redemptione captiuorũ, non sunt alienanda. 13

APostolicos & paternos canones renouans hęc sancta & venerabilis synodus diffinit neminẽ prorsus episcopũ vendere vel vtcunq; alienare *cimilia & vasa sacrata, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet pro redemptione captiuorum: sed nõ tradere salaria ecclesiarum in emphyteotica pacta: nec alias rusticas possessiones venundare: ac per hoc ecclesiasticos redditus lædere: quos ad propriã vtilitatem, & ob escã pauperũ, & perigrinorũ sustentationẽ esse decernimus. & paulòpost. Quisquis autẽ post hanc diffinitionẽ nostrã contrarium quid huic sanctæ sedi ac vniuersali synodo agere tentauerit, deponatur vt præuaricator diuinarũ rerum & præceptorum, cassata videlicet omnino quę facta est in scriptis vel sine scriptis ab episcopo vẽditione vel emphyteotica traditione, vel alia qualibet alienatione cimiliorũ & salariorũ locorum. Qui verò ceperit aut emerit aliquid ex prædictis cimilis vel salariis, & non restituerit ecclesiæ iterum quæ ecclesiæ sunt, vel non reddiderit ad incidendum chartã venditionis vel emphyteoseos: sit anathema vsq; dum fecerit quod ab hac sancta & vniuersali synodo confirmatum est. Si autem episcopus conuictus fuerit construxisse monasterium de ecclesiasticis

κειμήλια Græcè, thesauri dicũtur, opes, pecunia reposita, instrumenta preciosa. aurea vasa. clinodia inde cimiliarchiis. C. de agri. & cen. l. litibus lib. 11.

siasticis reditibus: tradat eidem ecclesiæ ipsum monasterium.

ITEM Greg. domino episc. Messano. Gre.epi.35. secu ca.199.libr.6.

Pro redemptione captiuorum sacra vasa non prohibentur alienari. 14

ET sacrorum canonū & legalia statuta permittunt ministeria ecclesiæ pro captiuorum esse redemptione vendenda.

IDEM Demetrio & Valeriano clericis* Firmianis. *Firmanis. Firma erat Illirici ciuitas.

Res ecclesiæ licitè impenduntur pro redemptione captiuorum. 15 Gre.l.7.epi.14

SAcrorum canonū statuta & legalis permittit auctoritas licitè res ecclesiasticas in redemptionem captiuorum impendi, & ideo quia edocti à vobis sumus, ante annos, f. xviij. †Fauium episcopū eccl. *Firmianæ, xj. libras argenti de eadē ecclesia pro redemptione vestra, ac patris vestri Passiui, fratris & coepiscopi nostri, tunc verò clerici, necnon matris vestræ, hostibus impendisse, atque ex hoc quandam formidinem vos habere, ne hoc quod datum est, à vobis quolibet tēpore repetatur: huius præcepti auctoritate suspicionē vestrā præuidimus auferendam, cōstituentes nullam vos exinde hæredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere: nec à quoquam vobis aliquam obiici quæstionem. IDEM. †al. Fabium. al. Fanium. *Firmanæ.

Res ecclesiæ desolatæ non præponuntur captiuis. 16 Greg.epi.35.li.6.ad Dominum episcopum. 2.pars.

SIcut omnino graue est frustra ecclesiastica ministeria venundare: sic iterum culpa est imminente huiusmodi necessitate res maximè desolatæ ecclesiæ captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.

» Quæ verò pœnitentia huiusmodi inuasoribus atq; prædo- GRAT.
» nibus qui vasa sacra & reliqua diuino cultui dedicata sunt pol-
» lutis manibus arripuerint, & quasi profana contrectant sit in-
» dicenda: Nicolaus papa definit scribens Frontario archiepi- Nicol.pri.
» scopo Burdegalensi.

Inuasoribus rerum ecclesiasticarū quæ pœnitentia sit imponenda. 17

DE viro nefando Burgando nomine, qui rabie insana commotus diabolicis se irretire laqueis non dubitauit, atque gentilium more per abrupta itinera & compita insidiás vobis in vestræ ecclesiæ villa vna cum clericis vestris manentibus & populum salubribus instituere dogmatum monitis decertantibus, paneq; spiritualis verbi vacua hominū corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desideriū habentibus, sancta apostolorū Petri & Pauli limina visitare: collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis cōplicibus nefarias inuasiones & deprædationes violētas inferre dæmoniaco ausu præsumpserit: & vt epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrū altare, sacraq; dominici corporis & sanguinis vasa, insuper & sanctū chrisma pollutis arripere manib9 quasi vilia & ad vsum cōmunem apta præsumpserit: dilectio nos vestra consuluit si ipse vel qui cū eo in tā impio & iniquo scelere fuerūt, ad pœnitentiā qua-

doque gratia tacti diuina venire voluerint: quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis: de quibus (si tamē ita est) iubemus cum ad pœnitentiam quandoque reuerti accelerauerint, vno anno extra ecclesiam dei consistere: cuius sacratissima vasa extra ritū fidei Christianæ diripiēdo auferre nō dubitauerant: secundo verò anno ante fores ecclesię sine cōmunione maneant. tertio verò anno ecclesiam dei ingrediantur: & inter audientes astent sine oblatione: non manducantes carnem, neque bibentes vinum, prętet natiuitatis & resurrectionis dominicę dies. quarto prętera anno (si his prioribus tribus annis eorū fructuosus fuerit pœnitentiæ labor) communioni fideliū restituātur: totaq; mentis intentione spōdentes talia se vlterius nunquam facturos, corpus & sanguinem domini suscipere mereantur: & vsq; ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium & vini potatione maneant pœnitentes.

ITEM in concilio Leonis papæ quarto.

Res ecclesiæ episcopus vsurpare vel alienare non præsumat. 18

§ pars. MOnemus & irrefragabiliter affirmamus, vt nullus episcoporū vel sacerdotū rem tituli sui vsurpare præsumat, sed neq; salarium à Christianis sanctis locis oblatū causa amicitiæ vel timoris aut muneris pertētet auferre: ne ecclesia dei ad nihilum redigatur. quod qui facere præsumpserit episcopus vel sacerdos, canonicā sine dubio subeat vltionem: & quod ecclesiæ iniustè ablatum est, reddere compellatur: ita vt deinceps nullàs vires pro his ad litigandum vel possidendū habere possit. ITEM ex historia Eusebij episc. Cæsarieñ. cap. xij.

Episcopo vel abbati res ecclesiæ alienare non licet. 19

QVisquis episcopus vel abbas de salariis episcopi vel monasterij transferre quicquam in principum manus, vel etiā alij personæ conferre voluerit: irritū sit quod datum esse constiterit, secundum canonem sanctorum apostolorū, qui dicit: Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus habeat solicitudinem, & dispenset eas, tanquam deo contemplante. Nō liceat autem ei fraudare quicquam ex illis, vel cognatis propriis dare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur: sed non sub horum occasione quæ sunt ecclesiæ defraudentur. Quod si calliditate vsus excusationem prætenderit episcopus damnum facere, & nihil ad profectum agrum vel locum existere: nec sic principibus tribuatur ager vel locus, sed clericis vel agricultoribus. Quod si calliditate vsus fuerit princeps, & vel à colono vel à clero agrū emerit: sit irrita venditio: & restituatur episcopo vel monasterio. Episcopus vel abbas hoc faciens, abiiciatur tanquam qui dispersit quæ non
In synodo ca. 4. collegit. ITEM Symmachus papa.

Prędia

Prædia eccleſiæ non liceat papæ alienare. 20

NOn liceat papæ prædium eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate: nec in vſum fructum rura dare niſi tantummodo domos quę in quibuſlibet vrbibus non modica impenſa ſuſtentantur: qua lege omnes cuſtodes aſtringantur, vt donator, accenſator, venditor honorem perdat: & qui ſubſcripſerit, anathema ſit cũ eo qui dedit vel qui recepit: niſi reſtituatur. Liceat etiã quibuſlibet eccleſiaſticis perſonis contradicere, & cum fructibus alienata repoſcere. quod non ſolummodo in apoſtolica conſeruandum eſt eccleſia: verumetiam vniuerſis eccleſijs per prouincias quidem dicitur id cõuenire.

ITEM.

In ſynodo Romana. Cap. 6.

Qui res eccleſiaſticas vendit, ad altare non audeat accedere. 21

INdignè ad altare domini properare permittitur, qui res eccleſiaſticas audet inuadere, aut iniuſtè poſſidere: aut iniqua vel iniuſta defenſione in eis perdurare: de quibus debet eſſe tanta prouiſio, vt vindictam admonitio præcedat, & res vſurpatas iniuſtè qui abſtulit, aut iniuſtè ablatas qui retinet: æquitate patrocinãte legibus reſtituat. Quod ſi neglexerit, & neceſſitas compulerit, demum prædonẽ ſacerdotalis diſtrictio maturata percellat. Valde enim iniquum & ingens ſacrilegiũ eſt, vt quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute ac requie animarum ſuarum vnuſquiſq; venerabili eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit: ab his quibus maximè ſeruari conuenit id eſt Chriſtianis & Deum timentibus hominibus in aliud transferri vel cõuerti permittatur. propterea qui hęc non prouiderit, & aliter quàm ſcriptum eſt prædia eccleſiæ tradita petierit vel acceperit aut poſſederit: niſi ſe citò correxerit quo iratus deus animas percutit anathemate feriatur, ſitque accipienti vel donanti vel poſſidenti anathema, & inſtitutæ pœnę contubernium aſſiduum: nec aliquo ſe ante tribunal Chriſti obſtaculo muniat, qui religioſis animabus ad ſubſtãtiam pauperum derelicta, contra fas ſine aliqua pietatis conſideratione diſpergit. ITEM Nicolaus papa Adoni Viennẽſi archieſcopo.

Excommunicentur, qui principum auctoritate res inuadunt eccleſiæ. 22

DE rebus quæ ſemel Deo contributæ atque dicatæ ſunt, & poſtea ſub occaſione conceſſionis principũ à quibuſdam inuaduntur atque diripiũtur: ſancimus vt prius conſulatis principem ad reſecandam tam præſumptiuam factionẽ: & cognoſcendum vtrum illius ſit conceſſio, an inuaſoris præſumptio. quòd ſi principis inordinata fuerit largitio: & ipſe princeps ſit pro emendatione redarguendus. Si autem inuaſoris declaratur præſumptio: vſque ad emendationem excommunicationis ſit vindicta coercendus.

ITEM Gelaſius Iuſtino archidiacono, & Fauſtino defenſori.

De rebus ecclesiæ non est aliquid alienandum. 23

VObis enim & famę vestræ consulendum duximus vt pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui eius nomine pariter vniuersa disponat: quatenus omnia prædia ad vestrũ reuocetis studiũ. nec cuiquã clerico pro portione sua aliquod solũ ecclesiæ putetis esse deputandũ: ne per incuriam & negligentiã minuatur: sed omnem pẽsionis summam ex omnibus prædijs rusticis vrbanisq; collectam ad antistitẽ deferatis. ex qua tamen collectione habeatur ratio quid ad causas vel expensas accedentium necessitatũ opus esse perspicitur, & de medio sequestretur: & quatuor portiones, videlicet vel de fideliũ oblatione, vel de hac fiant modis omnibus pẽsione: ita vt vnã sibi tollat antistes, aliam clericis pro suo iudicio & electione dispertiat: tertiã pauperibus sub omni conscientia faciat erogari: fabricis verò quartã quæ cõpetit ad ordinationẽ pontificis, erogatione vestra decernimus esse pensandã. si quid fortè sub annua remanebit expẽsa: electo idoneo ab vtraq; parte custode tradatur enthesis, vt si maior emerserit fabrica, sit subsidio quod ex diuersi tẽporis diligẽtia potuerit custodiri: aut certè ematur possessio quæ vtilitates respiciat cõmunes. IDEM Maiorico, Sereno, & Ioãni episcopis.

Diuini muneris participatione priuetur, qui ecclesiastica priuilegia calcat. 24

al. qui & humanis.

QVi & diuinis* & humanis legibus in ciuili damnatione calcatis, & reuerentia religionis abiecta, vel ecclesiastica priuilegia calcare contendunt, vel vbilibet in pauperum prosilire dispendium: nec huiusmodi saltem commoniti, conuictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta resarcire: meritò diuini muneris participatione sunt priuandi: & huius perceptione careãt, quod sacrilegis ausibus habuêre despectui. Cœlestinus verò presbyter fratris & coepiscopi nostri Sereni, qui contra pontificale iudicium, contraq; apostolicæ sedis mandatum prorumpens, supradictis cõmunionẽ sacrã ministrare præsumpsit: cùm non potuerit ignorare sententiam proprij sacerdotis, ab officio protinus ecclesiastico repellatur: vt nullus ecclesiæ ministrorum contra pontificalia instituta venire contendat. IDEM eisdem.

De eodem. 25

VVlteranæ ecclesiæ actus vel patrimonium quod hactenus comperimus destitutum, & post damnationem Eucharisti quo fuerat deprauãte dispersum, curæ vestræ decreuimus esse delegandũ: vt diligẽtia (qua pro vos vtilitatibus ecclesię existimamus esse vigilantes) prædia culturæ, restituatis antiquæ, & reuocetis siqua sunt vendita aut donata mancipia. possessiones etiã quas ab Eumancio & Opilione episcopis vel cæteris quo-

vis iure videritis teneri (quia cõtra cõstituta synodi ab episcopis prædia alienari nullo potuerũt cõmento) nihilominus reuocentur, sit emptoribus ad eum recursus, qui præsumpsit aliquid de ecclesiæ rebus illicita venditione distrahere: ita vt pensiones annuas ad põtificem deferatis: cui priuilegia sua integra conuenit omni ratione seruari: vt eius dispẽsatione portiones proueniant consuetæ: ita vt portionem quartam quæ ad eos pertinet, sua pontifex ordinatione distribuat, prout cuiusque locum meritumq; cognoscit. Pariter etiá ex fidelium oblatione faciendum est, vt clericis quartá partá eroget pro cõsideratione suæ electionis antistes. fabricarum etiá portio episcopo sciente & disponente vestra erogatione pẽdatur: quatenus nihil pœnitus in detrimentum alicuius rei patiamini generari.

IDEM clero & ordini & plebi Brundusij.

Redituum & oblationũ duæ portiones clericis committantur. 26

COncesso vobis quem petistis antistite fratre iam & coepiscopo meo Iuliano: necessarium fuit (eodem ad ecclesiam suam mox remisso) ad vos nostra scripta pariter destinari: quibus agnosceretis eidem fuisse præceptum ne vnquam ordinationes præsumat illicitas. & infra. Reditus & oblationes fidelium in quatuor partes diuidat: quarum vnam episcopus sibiipsi retineat: alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quartá pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam: quarum rationem diuino est redditurus examini. IDEM.

Gels. papa. 1. cap. 29. epist ad episcopos per Lucaniá et Brutiá.

De oblationibus fideliũ quot portiones fiant, & quæ cuiq; proueniat. 27

QVatuor autem tam de reditu quàm de oblatione fidelium prout cuiuslibet ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretum) conuenit fieri portiones: quarum vna sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricis applicanda. de quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris ecclesiæ memoratá dispendere quantitatem: sic clericus vltra delegatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendum. Ea verò quæ ecclesiasticis restaurandis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio sanctorum manifesta: quia nefas est si sacris ædibus destitutis, in luctum suum præsul impendia his sacris ædibus deputata conuertat. ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem quanquam diuinis rationibus se dispẽsasse monstraturus esse videatur: tamen iuxta hoc quod scriptũ est: vt videát opera vestra bona, & glorificẽt patrẽ vestrum qui in cælis est: oportet etiam præsenti testificatione prædicari, commendari, & bonæ famæ præconijs non taceri. quapropter nec clericorum quispiam, &c.

Matth. 5.

ITEM Simplicius papa Florentino & Equitio episcopis.

Simplicius epi. 3

De

De reditibus oblationum & redituum ecclesiæ quatuor portiones presbytero dispensandæ credantur. 28

DE reditibus ecclesiæ vel oblatione fidelium sola episcopis ex his vna portio remittatur. duæ ecclesiasticis fabricis & erogationi pauperum profuturæ à presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur. vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur, & infra. Cui id est, Gaudentio episcopo specialiter hoc præcipimus, vt tres illas portiones quas triennio sibi tantùm dicitur vendicasse, restituat.

Epist. 11. lib. 3. ITEM Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

De redditibus ecclesiæ etiam nouiter quæsitis quarta pars clericis erogetur. 29

COgnouimus de redditibus ecclesiæ nouiter acquisitis, ad canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire: sed episcopos locorum distribuere tantummodo quartam antiquorum redituum: nunc verò quæsita suis vsibus retinere: quam rem prauam subintroductamq; consuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare festinet: vt siue de præteritis reditibus, siue de his quæ obuenient, vel obuenientibus, quartæ secundum distributionem canonicam dispensentur. Incongruum nanque est vnam eandemque ecclesiæ substātiam duplici quodammodo iure censeri.

Greg. in responsione ad primam interrogationem Augustini. IDEM Augustino episcopo Anglorum.

De stipendio ecclesiæ quatuor debent fieri portiones. 30

MOs est Apostolicæ sedis ordinato episcopo præcepta tradere, vt de omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones: vna videlicet episcopo & familiæ eius propter hospitalitatem atque susceptionem: alia clero, tertia verò pauperibus, quarta ecclesiis reparandis.

ITEM ex concilio Toletano.

De eodem *Palea.*

SAncimus omnibus episcopis curam laicorum eis instare: vt si quos in fide Christi inuenerint, nimio affectu diligant: & insuper confirmamus, vt si aliqua ab ipsis accipiant dona, statim in quatuor diuidant partes: ita vt prima pars secundum Apostolorum præcepta titulorum, necnon cœmeteriorum restaurationibus diligenter attribuatur, secunda clericis, tertia cunctis pauperibus, quarta verò aduenis.

Cap. 22. ITEM ex concilio Agatensi.

Omnes presbyteri per iussionem episcopi res ecclesiæ dispensare studeant. 31

5. pars. STatuimus (quod episcopi omnes iubent) vt ciuitatenses siue diœcesani presbyteri vel clerici rem ecclesiæ saluo iure ecclesiæ (sicut permiserint episcopi) teneant: vendere autē aut donare penitus non præsumant. Quod si fecerint, & facta vendi-

ditio

ditio non valebit,& de facultatibus, si quas habent proprias, indemnem ecclesiam reddant,& communione priuentur.

ITEM ex eodem concilio. Cap. 26.

De clericis qui documenta ecclesiæ supprimunt, aut aduersarijs impendunt. 32

SI quis de clericis documenta quibus ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere aut negare, aut aduersarijs fortasse tradere damnanda & punienda obstinatione præsumpserit: quicquid per absentiā documentorum dāni ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione priuetur. Hi autem qui in damno ecclesiæ impiè solicitati à traditoribus aliquid susceperint: superiori sententia teneantur.

ITEM ex eodem. Cap. 33.

Episcopus hæredem non habens, non alium quàm ecclesiam hæredem instituat. 33

EPiscopus qui filios aut nepotes non habuerit: alium quàm ecclesiam non relinquat hæredem, si quid de ecclesia non in ecclesiæ causa aut necessitate præsumpserit: quod distraxit aut donauit, irritum habeatur. qui verò filios habeat: de bonis quæ reliquit, ab hæredibus eius indemnitatibus ecclesiæ consulatur. ITEM ex eodem. Cap. 49.

Qui in clero constituti sunt, de rebus ecclesiæ nihil alienare præsumant. 34

DIaconi vel presbyteri in parœcia constituti de rebus ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vēdere, vel donare: quia res ecclesiæ sacratæ Deo esse noscuntur. Similiter & sacerdotes nihil de rebus ecclesiæ sibi commissæ (vt superius comprehensum est) alienare præsumant: quod si fecerint, conuicti in cōcilio & ab honore depositi, de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi fuerint pręsumpsisse. Libertos etiam quos sacerdotes vel diaconos de ecclesia Christi sibi cōmissa facere volunt, actus ecclesiæ prosequi iubemus: quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reuerti seruitium. ITEM ex eodem. Cap. 53.

De possessione ecclesiastici iuris quicquid à presbytero distrahitur, inane habeatur & vacuum. 35

QVicquid parœciarum presbyter de Ecclesiastici iuris possessione distraxerit: inane habeatur & vacuum vendicatione comparantis, & actione vendentis.

ITEM Vrbanus papa.

Alienationes factæ ab intrusis & ordinationes sine consensu clericorum, irritæ sunt. 36

ALienationes omnium per intrusionem seu canonicè electorum sub episcopi nomine aut abbatis, qui secundū ecclesiæ suæ vsum consecrandus est: alienationes dico quocunq; modo

modo factas, necnon & ordinationes personarum ab eisdem sine communi consensu clericorum ecclesiæ, siue per simoniã itidem factas, irritas iudicamus. Illud etiã per omnia interdicimus, vt nullus clericus præbendam suã seu beneficium aliquod ecclesiasticum aliquo modo alienare præsumat. quod si præsumptum olim fuit, vel aliquando fuerit: irritum erit, & vltioni canonicæ subiacebit.

Cap.16. ITEM ex concilio Hilerdensi.

Episcopo defuncto vel adhuc in supremis agente, de rebus ecclesiæ nihil est vsurpandum. 37

HAec huius placiti constitutione inter nos censura placuit custodiri, vt defuncto antistite, vel etiam adhuc in supremis agente, nullus clericorum cuiuslibet ordinis, officij, gradúsve sit quicquã de domo eius præsumat, vel de vtilitate quę instrumenti domus esse noscitur, id est mobilis & immobilis rei ecclesiasticæ, conetur inuadere: nihil furto, nihil dolo supprimens, auferens, atq; abscõdens. Sed is cui domus commissa est, subiunctis sibi vno vel duobus fidelissimis, omnia vsq; ad tempus substituendi pontificis debet conseruare: & his qui in domo inueniuntur clericis consuetam alimoniam ministrare. Substitutus autem antistes susceptæ sedis cõmoda ordinabit velut Deus imperabit, vt eis vti cum his debeat, quos cognouerit disciplinę & charitati prędecessoris sui fideliter paruisse. Quod si quisquã post hæc cuiuslibet ordinis (vt superius dictum est) clericus quacunq; occasione vel de omni facultate quippiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegij prolixiori anathemate cõdemnetur, & vix ei peregrina communio concedatur: quia durũ est vt hi quos cõstat in seruitio domini cũ primæ sedis antistite desudasse, ab his qui suarũ rerum incubatores, vel vtilitatibus seruientes atque vacantes fuisse noscuntur: despecti aliquatenus crucientur. ITEM ex concilio Toletano. iiij.

Cap.66.

Episcopi qui nihil ecclesiæ conferunt: famulos eius libertate non donent. 38

ET si illi qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi, distribunt, ęterni iudicis voce condemnabuntur in futuro; quanto magis hi qui auferunt pauperibus quod non dederũt? Quapropter episcopi qui nihil ex suo proprio ecclesiæ Christi cõpensauerũt hanc diuinam sententiã metuant: & liberos ex familia ecclesiæ ad condẽnationem suam facere non præsumãt. Impium enim est, vt qui res suas ecclesiæ Christi non contulerit: dãnum inferat, & ius ecclesię alienare contendat. Tales igitur liberos successor episcopus absque vlla oppositione ad ius ecclesiæ reuocabit: quia eos non æquitas sed improbitas absoluit. ITEM ex concilio Aurelianensi.

De

De clericis qui documenta ecclesiæ supprimunt, aut negant, aut alijs damnabiliter tradunt. 39

SI quis de clericis documēta quibus ecclesiæ possessio firma tenetur: aut supprimere, aut negare, aut auertere, aut fortasse tradere dānabili & puniēda obstinatione præsumpserit: quicquid pro absentia documentorum damni ecclesiæ illatum est, de proprijs facultatibus reddat. ITEM ex eodem. Cap. 23. concil. Aurelia. 3.

Ministris ecclesiæ de rebus eiusdem ecclesiæ absque episcopi permissu nihil alienare licet. 40

ABbatibus, presbyteris, alijsque ministris de rebus ecclesiasticis vel sacro ministerio deditis alienare & obligare absque permissu & subscriptione episcopi nihil liceat. Quòd si præsumpserint, degradentur communione concessa: & quod temerè alienatum est, ordinatione episcopi reuocetur.

ITEM ex synodo Ancyritana. Cap. 15.

Res ecclesiæ quæ absente episcopo distrahuntur, ad ius ecclesiasticum reuocentur. 41

SI qua de rebus ecclesiæ cùm episcopus non adest, presbyteri vendiderint: placuit recisso contractu ad ius ecclesiasticum reuocari. in iudicio autem erit episcopi constitutum si precium debeat recipi, nécne: propter quod sæpe contingit distractarum rerum reditus ampliorem summā pro accepto precio reddi. ITEM ex concilio Chalcedon. Cap. 22.

Post mortem episcopi res ad eum pertinentes clerici non rapiant. 42

NOn liceat clericis post mortē episcopi sui rapere res pertinentes ad eum: sicuti præcedentibus regulis constitutum habetur. si verò hoc fecerint, periclitari se nouerint à proprio gradu. ITEM ex conci. Mediomatricis.

Rescindantur precariæ & commutationes ab inuasoribus factæ. 43

PRecariæ & commutationes tempore viduatarum ecclesiarum factæ ab his qui loca episcoporum occupauerant, rescindantur: & cum auctoritate ecclesiastica vel ciuili, si faciendæ sunt, fiant.

ITEM Gregorius Maximiano Syracusano episcopo. Epist. 11. lib 3.

Pro labore inuentarij nihil accipiant œconomi de rebus ecclesiæ. 44

CHaritatem tuam cōmonere curauimus, vt si quisquā episcoporum de hac luce migrauerit, vel (quod absit) pro suis fuerit remotus excessibus: conuenientibus œconomis, cunctisque clericis prioribus, atque in sui præsentia inuentarium ecclesiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta fuerint, subtiliter describantur, nec (sicut antea fieri dicebatur) species quædam aut aliud quodlibet de rebus quasi pro faciendi inuentarij labore tollatur. Visitatores ecclesiarum, clericique eorum qui cum ipsis non per suæ ciuitatis parœcios fatigātur, aliquid laboris sui capiant te disponente subsidij. Iustum namq; est vt

illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commendare reperiuntur obsequium.

ITEM ex concilio Vrbani papæ Aluerniæ celebrato.

Excommunicentur laici qui morientium clericorum audent bona diripere. 45

DE laicis quæstio facta est qui morientibus episcopis siue alijs clericis res defunctorũ inuasas ecclesiæ pauperibusq; surripiunt. contra quos commune totius concilij anathema prolatum est, ipso papa huiusmodi sententiam promulgante: Si quis post interdicti præsentis cognitionem episcoporũ seu presbyterorum aut aliorum clericorum res inuaserit, vsque ad satisfactionem excommunicetur. Episcoporum verò deficientium res per archipresbyterorum seu archidiaconorum manus, aut secundum mortuorũ iudicium pro ipsorum salute in eleemosynas dispensentur, aut successori qui futurus est reseruentur. Idipsum de presbyterorum seu clericorum aliorum rebus per episcopum vel supradictas personas aut cui deficientes commiserint, fiat. Si quis autem aduersus ista præsumpserit, anathema sit. ITEM Innocentius papa. ij.

Pro Cam. refert. lib. 8.

De eodem. 46

ILlud quod in sacro Chalcedonensi concilio institutum est, irrefrabiliter obseruari præcipimus, vt videlicet decedentium bona episcoporum à nullo omnino hominũ diripiãtur: sed ad opus ecclesiæ & successoris sui in libera œconomi, & clericorum permaneant potestate. Si quis autem amodo hoc attentare præsumpserit, excommunicationi subiaceat. Qui verò morientium episcoporum presbyterorum vel clericorum bona rapuerint, simili sententiæ subiaceant.

GRATIAN. Hoc non solùm de laicis, verumetiam de Metropolitanis & quibuslibet aliis clericis intelligendum est, sicut in sexta synodo legitur.

Res episcopi morientis Metropolitano non liceat inuadere. 47

NOn liceat alicui Metroplitano moriẽte episcopo qui sub eo est, aut res suas aut ecclesiæ suæ auferre: sed sint sub custodia clericorum ecclesiæ defuncti episcopi vsque dum alius ordinetur episcopus. Si verò clerici in ecclesia non fuerint, tunc Metropolitanus illibata omnia episcopo qui ibi ordinabitur reddat.

GRATIA. Sicut autem res ecclesiæ nulli vsurpare licet: ita ecclesiæ aliena inuadere non permittitur. VNDE Gregorius.

Epist. 43 lib. 2. ad Bonifacium episcopum.

Alienam ecclesiam non licet inuadere 48

SIcut ecclesia proprias res amittere non debet, ita etiam rapacitatis ardore alienas inuadere non oportet. His omnibus auctoritatibus perspicuè mõstratur ꝙ nulli sacerdotũ res ecclesiasticas alicui tradere licet, & ille qui de manu sacerdotis facul-

facultates eccleſiæ acceperit, nullo iure eas vendicare poterit: ſed potius cogetur reſtituere etiam quod illicitè accepit.

GRATIAN. Sed notandum eſt quòd quibuſdam cauſis exigentibus res eccleſiæ diſtrahi poſſunt. cauſa enim neceſſitatis cũ cõſilio clericorũ, vel vt meliora proſpiciant, res eccleſiæ à ſacerdotibus diſtrahi poſſunt. VNDE in Africano concilio legitur.

Niſi cauſa neceßitatis nec epiſcopo liceat rem eccleſiæ ſuæ vſurpare. 49

NOn habenti neceſſitatẽ, nec epiſcopo licet matricis eccleſiæ rem ſui tituli rapere vel vſurpare. ITEM ex concilio Carthaginenſi.

Vide ca.4.conc. Carthagi.5.

Nec presbyteri ignorantibus epiſcopis, nec epiſcopi ignorante concilio rem eccleſiæ vendant. 50

PLacuit vt presbyteri non vendant rem eccleſiæ vbi ſunt cõſtituti, neſcientibus epiſcopis ſuis, quomodo nec epiſcopis liceat vendere prædia eccleſiæ inconſulto concilio, vel cũcto presbyterio ſine vlla neceſſitate. ITEM ex epiſtola Leonis papæ vniuerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis.

Niſi vt meliora proſpiciat, rem eccleſiæ non licet diſtrahere epiſcopo. 51

SIne exceptione decernimus ne quis epiſcopus de rebus eccleſiæ ſuæ quicquam donare vel commutare vel vendere audeat, niſi fortè aliquid horum faciat vt meliora proſpiciat, & cum totius cleri tractatu atq; cõſenſu id eligat, quod non ſit dubium profuturum eccleſiæ. & infra. Epiſcopus rebus eccleſiæ tanquam commendatis non tanquam propriis vtatur. Irrita enim epiſcoporum venditio & commutatio rei eccleſiaſticæ erit abſque omnium [a] conniuentia & ſubſcriptione clericorum.

Cap.32.concil. Car.4.

[a] legendum vt in manuſcripto meo conuenientia.i. conſenſu.

GRATIAN. Item: Domus vrbium vel caſtrorum quæ eccleſiæ plus incommodi quam vtilitatis afferunt, licet rectoribus eccleſiarũ (ſicut in ſuperiori capitulo Symmachi, Non liceat papæ &c. continetur) vendere vel commutare. ITEM ſicut in Agathen. concilio legitur.

Cap.45. 6.pars.

De eõdem. 52

TErrulas aut vineolas exiguas & eccleſiæ minus vtiles, aut longè poſitas paruas, epiſcopus ſine conſilio fratrum (ſi neceſſitas fuerit) diſtrahendi habeat poteſtatem. Seruos quoque fugitiuos qui reuocati retineri non poſſunt, ſimiliter epiſcopis diſtrahere licet.

VNDE in eodem concilio legitur.

Cap.46.

Alienentur fugitiui qui teneri non poſſunt. 53

FVgitiui domos ſuas aut familiam deſerentes, qui etiam ſi reuocati fuerint, teneri non poſſunt: ſimili ratione ab epiſcopis ſi voluerint aut ſi meruerint diſtrahantur.

ITEM ex concilio apud Tanſiatum cap.ij.

al.Tricisiacum cap.3.

n manus. extat
um paleę nota.

Palea. 54

INiustum videtur & ineptū vt mancipia quæ fideles viri seu fœminæ pro redēptione animæ suæ deo & sanctis eius consecrauerint, cuiuscunque muneris precio vel commutationis commercio iterum in secularem seruitutem redigantur, cum canonica auctoritas seruos fugitiuos tantummodo distrahi permittat. & ideo omnes rectores ecclesiarum summopere caueant ne vnius eleemosyna, alterius peccatum fiat. & est absurdum vt ab ecclesiastica dignitate seruus decedens, humanæ obnoxius sit seruituti. Item si rectores ecclesiæ de rebus propriis tantundē ecclesiæ restituere voluerint: ecclesiasticas facultates libere dare possunt, & constabunt his quibus datæ fuerint, perpetua firmitate.

7. pars.

VNDE in Agathen. concilio legitur.

Cap. 49.

Alienatio de rebus ecclesiæ quomodo rata esse poterit. 55

SI quis qualibet conditione de rebus ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum ecclesiæ contulerit, quātum visus est abstulisse, tum demum illud stare licebit.

Itē si seruos ecclesiæ libertate episcopus donauerit: ea quæ in manumissione data illis fuerint, perpetua firmitate tenebūt, si tamen quantitatē canonibus præfixam data nō excesserint.

8. pars.

VNDE in eodem concilio legitur.

Cap. 7.

De eodem. 56

SI quos de seruis ecclesiæ benemeritos sibi episcopus libertate donauerit, collatam libertatē à successoribus placuit custodiri, cum hoc quod manumissor eis in libertatem contulerit. quod tamen iubemus xx. solidorum numerum & modū in terrula vel vineola vel hospitiolo tenere. quòd si amplius datum fuerit, post manumissoris mortem ecclesiæ reuocetur.

GRAT.

Sed notandum est quòd serui ecclesiarum manumitti non possunt non retento ecclesiastico patrocinio, nisi fortè manumissor duos eiusdem meriti & eiusdem peculij ecclesiæ conferre voluerit. VNDE in conc. Toletano iiij. legitur.

Cap. 67.

De episcopo qui nō retento patrocinio seruos ecclesiæ manumittit. 57

EPiscopus qui mancipium iuris ecclesiæ non retento ecclesiastico patrocinio manumitti desiderat, duo meriti eiusdē & peculij corā concilio ecclesiæ cui præeminet, per commutationem subscribentibus sacerdotibus offerat, vt rata & iusta inueniatur diffinitio commutantis. tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio ecclesiæ concedere poterit: quia eū quem libertati tradere disposuerit, iam iuri proprio acquisiuit. Huiusmodi autem liberto aduersus ecclesiam cuius iuris extitit, accusandi ac testificandi denegetur licentia. quòd si præsumpserit, placet vt stante commutatione in seruitutem propriæ ecclesiæ reuocetur, cui nocere conatur. Libertus enim nisi

niſi venia impetrata patronum in ius vocare non permittitur. Vnde in ſecundo libro digeſtorum, titulo de in ius vocando. Tit.4.lege.25. Si ſine venia edicti impetrata libertus patronum in ius vocauerit, ex querela patroni vel ſupradictam pœnam, id eſt, 50. aureos det, vel à præfecto vrbis quaſi inofficioſus caſtigetur, ſi inopia dinoſcitur laborare. Si verò à collegio quis manumiſſus fuerit, non ſingulis, ſed vniuerſitati reuerentiam debet. Vnde in eodem libro, titulo eodem. Idem. Qui manumittitur à corpore aliquo vel collegio, vel ciuitate, ſingulos in ius vocabit. nam non eſt libertus eorum, ſed reipublicæ honorem habere debet. Et ſi aduerſus rempublicam vel vniuerſitatem velit experiri, veniam edicti petere debet, quanuis actorem eorum conſtitutum in ius ſit vocaturus. ſi verò ingenuum princeps fecit, patrono reuerentiam non debet. Leg.10.eiuſdē.

In criminali verò cauſa ſi libertus patronum in ius vocauerit, caput eius & fortunas petiturus, ante litis exordium capite puniendus eſt. Crimen verò læſæ maieſtatis excipitur, vel ſi patronam illicito ſerui concubitu vti deprehenderit, quo caſu etiam ſeruo cum munere libertatis dominam accuſare permittitur: ſicut C. lib. ix. titu. de mulieribus quæ ſeruis propriis commiſcentur, imperator Iuſtinianus cōſtituiſſe legitur. Tit 11.l.9.eod.

Si qua cum ſeruo ſuo occultè rem habere detegitur, capitali ſententiæ ſubiugetur, tradendo ignibus verberone, ſitque omnibus facultas crimen publicum arguendi, ſit officio copia nunciandi, ſit etiam ſeruo licentia deferendi: cui libertas probato crimine dabitur. In patronos etiam teſtificari nō poſſunt, niſi in quibuſdam caſibus, in quibus etiam ſerui in dominos torqueri, liberti in patronos iubentur.

VNDE in libro eodem Codicꝭ tit. de quæſtionibus. Imperatores Antonius & Seuerus. Tit.41.l.1.

De eodem. 58

QVæſtionem de ſeruis contra dominos haberi nō oportet, exceptis adulterij criminibus. Item fraudati cenſus accuſationibus, & crimine maieſtatis, quod ad ſalutem principis pertinet. In cæteris autem quanquam ſecundum ea quæ ſeruus contra dominum dixerit, iudicaturi ſententiam formare non debeant: tamen ſi aliis quoque probationibus fides veritatis inueſtigetur, præſcriptionis inuidia euaneſcit. In pecuniariis verò cauſis ex inopia probationum ſeruos contra dominū poſſe interrogari manifeſtum eſt. IDEM. 59 Lib 2.eiuſdem.

INſolitum eſt & graue exemplo audiri ſeruos aduerſus tutores vel matrem dominorū ſuorum, niſi vbi tutelæ agatur.

,, Si verò libertus ſua auctoritate à patrocinio eccleſiæ receſ- GRATIAN.
,, ſerit, ſi admonitus redire contempſerit, in ſeruitutem reuoca- Cap.70.
,, bitur. VNDE in eodem concilio legitur. conci.Toleta.4.

De libertis ecclesiæ qui ab eius patrocinio discedunt. 60

LIberti ecclesiæ qui ab eius patrocinio discedentes quibuscunque personis adhæserint, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit, qui per * inobedientiæ contemptum ingrati actione tenentur.

* obedientiæ.

Cap. 8. concil. Spalensis 2.

ITEM ex conci. Hispalensi.

Reuocentur in seruitutem ecclesiarum liberti, qui contra eius libertatem superbiunt. 61

OCtaua discussio agitata est de quodam Elisep ex familia Agabiniēsis [a] ecclesiæ, qui ab episcopo suo traditus libertati, de libertate confestim ad contumaciæ morbum trāsiliit: sicq; per superbiam nō solum eiusdē episcopi malis vel insidiosis artibus salutem lædere voluit: sed etiam patronā ecclesiam libertatis immemor prædānauit. aduersus quem ingrati actio canonū & legū auctoritate iustè dirigitur: scilicet vt immeritæ libertatis damno mulctatus, ad seruitutis nexū coact⁹ reuocetur. talium enim status qui contra episcopū suū vel patronā ecclesiā nitūtur, decidi potius quàm conseruari conuenit: vt quorum libertas perniciosa est, sit salutifera seruitus, & qui superbire voluerunt adepta libertate, proditi discant obedire subiecti. ITEM ex concilio Toletano quarto.

a Agabrensis

Cap. 6. concil. Toleta. 3.

A patrocinio non discedant ecclesiæ liberti ad sacros ordines promoti. 62

DE libertis aūt hæc præcipit sancta synodus, vt si qui presbyteri vel diaconi ab episcopis facti sunt secundū modum quo canones antiqui dant licentiā, sint liberi, & tamen à patrocinio ecclesiæ tam ipsi quàm ab eis progeniti nō recedāt.

Ab aliis quoque libertati traditi, & ecclesiis cōmendati, patrocinio episcopi colligantur, & ne cuiquam donentur, hoc à principe episcopus postulet. Ne verò longinquitate temporis obscuretur cōditio originis, tempore suæ manumissionis scribant liberti professionem qua se profiteantur de familia esse ecclesiæ, & ab eius obsequio se nunquam recessuros.

9. parū

Cap. 9. concil. Tolet. 6.

VNDE in eodem concilio legitur.

Professionem suæ conditionis liberti ecclesiæ faciant. 63

LOnginquitate sæpe fit temporis, vt non pateat conditio originis. vnde iam decretū est in anteriori vniuersalis concilij canone, vt professionem suam liberti ecclesiæ debeant facere, qua profiteantur se & de familia ecclesiæ esse, & eius obsequium nūquam relicturos. vnde his quoque nos adiicimus, vt quotiens cursum vitæ sacerdos impleuerit, & de hac vita migrauerit: mox cùm successor eius aduenerit, omnes liberti ecclesiæ, vel ab eis progeniti chartulas suas in conspectu omnium debeant ipsi qui substituitur pontifici publicare, & professionem in conspectu ecclesiæ renouare: quatenus status sui

vigorem

vigorem & illi obtineant, & obedientia eorum ecclesia non careat. Si autem scripturas libertatis suæ intra annum ordinationis noui sui pontificis manifestare cõtempserint, aut professiones renouare noluerint: vacuę & inanes chartulæ ipsæ re maneant, & illi origini suæ redditi sint perpetuò serui.

ITEM ex eodem. Cap. 69. concil. Toletani. 4.

Nec liberti, nec eorum posteri à patrocinio discedant ecclesiæ. 64

LIberti ecclesiæ (quia nunquam eorum moritur patrona) à patrocinio ecclesiæ nunquam discedãt, nec posteritas quidem eorum: sicut priores canones decreuerunt: ac ne fortè libertas eorum in futura prole non pateat, ipsáq; posteritas sese ab ecclesiæ patrocinio non subtrahat, necesse est vt tam iidem liberti quàm ab eis geniti professionem episcopo faciant, per quam ex familia ecclesiæ libertos se esse fateantur, eiusque patrocinium non relinquãt, sed iuxta virtutem suam obsequiu ei vel obedientiam præbeant.

» Pro remuneratione impensi obsequij res ecclesiasticæ vtiliter possunt donari. VNDE in Toletano concilio quarto legitur. GRATIAN. Cap. 36.

Quæ de rebus ecclesiæ in remunerationem obsequij præstantur, rata permaneant. 65

QVicunque suffragio cuiuslibet aliquid ecclesiasticæ vtilitatis prouiderint, & pro eo quodcunque cõmodum in remunerationem promiserint: promissi solutionem eos absoluere oportebit: ita vt ad concilium cõprouinciale deferatur, vt eorum conniuentia confirmetur: quia (sicut Paulus ait) dignus est mercenarius mercede sua. ITEM Gregorius. 1. Tim. 5. c Epi. 18. lib. 2. ad Theodorum.

Serui ecclesiarum in eorum dominium transferri possunt qui ecclesiasticis vtilitatibus deseruiunt. 66

ECclesiasticis vtilitatibus desudantes, ecclesiastica dignũ est remuneratione gaudere: vt qui se volũtariis obsequiorum necessitatibus spontè subiiciunt, dignè nostris prouisionibus consolentur. Quia igitur Theodorum virũ eloquentissimum consiliarium nostrum mancipiorum cognouimus ministerio destitutũ: ideo puerum nomine Acosinum natione Siculum iuri dominioq; suo dari tradiq; præcipimus: quẽ quoniam ex nostra auctoritate iam possidet, huius necesse fuit scripti pro futuri tẽporis testimonio, ac robore largitatis, auctoritate fulciri: quatenus (domino protegente) securè eũ semper sine vllius retractationis suspicione vt dominus valeat possidere.

» Miserationis quoq; intuitu serui ecclesiarum liberta donari possunt. VNDE Gregorius Montano & Thomæ. GRATIA. Epi. 112. li. 5.

Miserationis & pietatis intuitu serui ecclesiarũ possunt manumitti 67

CVm redemptor noster totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere vt diuinitatis

nitatis

uitatis suæ gratia dirupto quo tenebamur captiui vinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati: salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit, & ius gẽtium iugo substituit seruitutis: in ea qua nati fuerant manumittentis beneficio libertate reddãtur. Atqui ideo pietatis intuitu, & huius rei consideratione permoti nos Montanum & Thomam famulos sanctę Romanę ecclesię (cui deo auctore deseruimus) liberos ex hac die, ciuesque Romanos efficimus: omneque vestrum vobis relaxamus seruitutis peculium. Hanc autem manumissionis paginam Paterio notario scribẽdam dictauimus: & propria manu vnà cũ tribus presbyteris prioribus & tribus diaconis pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradimus. Actum in vrbe Romana.

GRATIAN. Item serui ecclesiarũ publicis angarijs non debent fatigari.

Cap. 21. VNDE in concilio Toletano tertio legitur.

Serui ecclesiarum publicis angarijs non fatigentur. 68

ECclesiarum seruos, & episcoporum vel presbyterorum vel omnium clericorũ, à iudicibus vel exactoribus publicis in diuersis angarijs fatigari dolemus: propter quod omne concilium à pietate gloriosissimi domini nostri poscit vt tales vsus deinceps inhibeat: sed serui supradictorũ officiorum in eorum vsibus vel ecclesiæ laborent. Si quis verò iudicũ vel actorum clericum aut seruum clerici vel ecclesiæ in publicis ac priuatis negocijs occupare voluerit: à cõmunione ecclesiastica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.

GRATIAN. Item pro alimonia pauperum, pro redemptione captiuorum res sacras distrahi licet.

Cap. 28. lib. 2. VNDE Ambrosius ait in libro de officijs.

Res sacræ quibus ex causis alienari debeant. 69

AVrum ecclesia habet, non vt seruet: sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid est opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atq; argenti de templo domini Assyrij sustulerunt? Nónne melius conflat sacerdos pro alimonia pauperum, si aliqua subsidia desunt: quàm si sacrilegus cõtaminat & asportat hostis? Nõne dicturus est dominus, Cur passus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum vnde ministrasses alimoniam. Cur tot captiuj in captiuitatem ducti, nec redempti ab hoste occisi sunt? melius fuerat vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum. his non potes responsum referre. quid enim dices? Timui ne templo Dei ornatus deesset? Respondet: Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacrorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa preciosa quæ redimunt animas à morte: ille verus thesaurus est domini qui operatur quod sanguis eius operatus est.

Et

Et post pauca. Nemo potest dicere, cur pauper viuit? nemo potest queri, quia captiui redempti sunt. nemo potest accusare, quia templum Dei est ædificatum. nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquijs spatia laxata sunt. nemo potest dolore, quia in sepulchris Christianorum requies defunctorum est. in his tribus generibus vasa ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus est vt de ecclesia mystici poculi forma non exeat: nec ad vsus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo primum intra ecclesiam quæsita sunt vasa quæ initiata non essent, deinde comminuta: postremò conflata per minutas erogationes dispensata egentibus captiuorumque preciis profecerunt. Quod si desunt noua, & quæ nequaquam initiata videantur: & in huiusmodi quos suprà dixi vsus omnia arbitror piè posse conuerti. ITEM Hieronymus ad Nepotianum. *Hiero. de vita clericorum.*

Non parietes templi ornare, sed pauperibus prouidere, gloria episcopi est. 70

GLoria episcopi est pauperũ opibus prouidere, ignominia sacerdotis est propriis studere diuitijs. Natus in paupere domo & in turgurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturare poteram: nũc similam & mella fastidio. Item eiusdem. Multi ædificant parietes, & columnas *Ibidem paulo inferius.* ecclesiæ subtrahũt, marmora nitent, auro laquearia splendẽt, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla est electio. Neque vero mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum mẽsam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos mortariola, & cætera ex auro fabricata. tunc hæc probabantur à domino: quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum: quanquã hæc omnia præcesserint in figura. Scriptũ est autẽ propter nos, in quos fines seculorũ de- *1. Cor. 10. A* uenerunt. nunc verò cum paupertatẽ domus suæ pauper dominus dedicauit, portemus crucẽ, & delicias lutum putemus.

Item eiusdem. Amico rapere quippiam, furtum est. eccle- *Ibidem.* siam fraudare: sacrilegiũ est, accepisse pauperibus erogandum & esurientibus plurimis: illud reseruare, vel cautum, vel timidum est: aut, quod apertissimi sceleris est, exinde aliquid subtrahere omnium prædonum crudelitatem superat. Item eiusdem *De institu. monachi.* ad Paulum. Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnũ auri pondus abiecit: neque putauit se posse & virtutes & diuitias simul possidere. Nos suffarcinati auro Christum pauperẽ sequimur: & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incubãtes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reseruamus? Plenus venter facilè de ieiunijs disputat. Nõ Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudãdum est.

GRATIAN. Item largitate etiam episcopi stipendium de rebus ecclesię clericis dare licet: cuius professio sub precoriæ nomine fieri debet. VNDE in concilio Toletano.

Cap. 5. concil. Toleta. 6.

Qui beneficium ab ecclesia accepit, eius professionem nomine precariæ faciat. 71

SAepe fit vt proprietati originis obsistat longinquitas tēporis. quapropter prouidendum decernimus, vt si quis clericorum stipendiū de rebus ecclesiæ cuiuscunq; episcopi percepit largitate sub precariæ nomine debeat professionem scribere: ne per retentionem diuturnam præiudicium afferat ecclesiæ: & quæcunque in vsu percepit, debet vtiliter laborare: vt nec res diuini iuris videantur aliqua occasione negligi, & subsidium ab ecclesia cui deseruiunt, percipere possint clerici: quód si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo videbitur priuare. Religionis quoque intuitu ea in quibus ecclesia detrimentum non patitur, monasteriis tradi possunt. VNDE in Toletano concilio legitur.

Cap. 4. concil. Toleta. 3.

Licet religionis intuitu res ecclesiæ alienare. 72

SI episcopus vnā de parœcianis ecclesiis suis in monasteriū dedicare voluerit, vt in ea monachorum regulariter cōgregatio viuat: hoc de consensu concilij sui habeat licentiam faciendi: qui etiam si de rebus ecclesiæ pro eorum substantia aliquid quod detrimentū ecclesiæ non exhibeat, eidē loco donauerit: sit stabile. rei enim bene statuendæ sanctum concilium dat consensum. ITEM ex eodem.

Cap. 5. concil. Tolet. noni.

Nec vltra quinquagesimam partem rerum ecclesiæ monasterio quod constituit episcopo licet conferre. 73

BOnæ rei dare consilium: & præsentis habetur vitæ subsidium: & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. quisquis itaque episcoporum in parœcia sua monasteriū cōstruere fortè voluerit, & hoc ex rebus ecclesiæ cui præsidet, ditare decreuerit: non amplius ibidem quàm quinquagesimam partē dare debebit: vt hac tēperamenti æquitate seruata: & cui tribuit, competens subsidium conferat: & cui tollit, dāna grauia non infligat. Ad ecclesiā vero quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partē census ecclesiæ cui præsidet ibidem conferre licebit: ea tamē cautela seruata, vt vnam tantummodo quæ placuerit ex his duabus remunerationem assumat. ITEM Gregor.

Epist. 17. li. 2. Gratioso.

Iure proprietatis res ecclesiæ monasteriorum ædificiis tradere licet. 74

REligiosam vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cuiusquam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur (quod absit) conuersationis infrin-

infringat. idcirco tibi auctoritate præsenti præcipimus quatenus domum positam in hac vrbe regione quarta iuxta locum qui appellatur Gallinas albas: vel hortum iuris sanctæ Romanæ ecclesiæ cui auctore deo præsidemus: in qua Cāpana quondam vxor patricij mansisse dinoscitur: simul & hortum atque hospitia quæ intra eandem domum ianua cōclusit: eidem debeas tradere proprietatis iure proculdubio possidēdam: in qua domo monasterium (vbi cum cōgregatione sua habitare possit) Christo adiuuante construere: & tam ipsa quàm quæ in eius loco honoreq; successerit, prædictam domum & hortum cum omnibus ad se pertinentibus (sicut diximus) quieto & inconcusso iure à nobis pietatis consideratione concessam valeat possidere.

Ecce ostensum est quomodo res ecclesiæ sine culpa dari possint, & constare his quibus datæ fuerint. GRATIAN.

QVAESTIO III.

SI ANTE TEMPVS ORDINATIONIS SVAE QVI NIHIL HABERE VIDEBANTVR, ET POST ORDINATIONEM ALIQVA INuenisse noscũtur, an possint ea relinquere quibus voluerint.

NVnc quæritur si ante tempus suæ ordinationis nihil habere videbantur: quid de his fieri debeat quæ post ordinationem suam inuenisse noscuntur. GRATIA.

DE his ita statutum est in concilio Carthaginen. iij. Cap. 49.

De his qui primum nihil habentes, tempore suæ administrationis aliqua acquirunt. 1

PLacuit vt episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicunque clerici qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros & quęcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur: nisi admoniti ecclesiæ eadem contulerint. si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicuius, vel successione cognationis euenerit: faciant inde quod eorum proposito congruerit. Quòd si à suo proposito retrorsum exorbitauerint: honore ecclesiastico indigni tanquam reprobi iudicentur.

ITEM ex concilio Toletano xj. Cap. 4 con. Toletani 9.

De ministris qui nulla ecclesiæ occasione, sed sui vtilitate aliqua acquirunt. 2

QVicunque de sacerdotibus vel ministris pro sua vtilitate atque amicitia quocunque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint ab aliquo percipere, in rebus ecclesiæ non poterit numerari: sed quod exinde voluerint facere, ipsorum voluntatis arbitrio subiacebit. quòd si hoc post eorum mortem inordinatum fortasse remanserit: ecclesia cui præfuit,

vel minister extitit, hoc sibi in perpetuum vendicabit.

GRATIAN. Ecce quòd illa quæ non ex officio ecclesiastico, sed ex aliqua præstatione suæ vtilitatis lucratus est: potest dare quibus voluerit.

2. pars. Sed quæritur de his quæ sibi communiter cum ecclesia, vel sequestratim pro remedio animæ offeruntur: vel de tertia parte quam de rebus parœcialium ecclesiarum sibi debitam accipit: si ea poterit dimittere quibus voluerit. De his ita diffinitur in concilio Agathensi.

Cap. 6.

De pontificibus quibus ab extraneis vel cum ecclesia vel sequestratim aliquid dimittitur. 3

POntifices quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis aliquid aut cũ ecclesia, aut sequestratim dimittitur aut donatur: quia hoc ille qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre: non quasi suum proprium, sed quasi dimissum ecclesiæ inter facultates ecclesiæ computabunt: quia iustum est vt sicut sacerdos habet quod ecclesiæ dimissum est: ita ecclesia habeat quod relinquitur sacerdoti. Sanè quicquid per fidei commissum aut sacerdoti aut ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicunque alij postmodũ profuturum: id inter facultates suas ecclesia computare aut retinere non poterit. ITEM ex concilio Toletano.

Cap. 6. concil. Toletani. 9.

Episcopus tertiam partem sibi debitam ecclesiæ relinquere potest. 4

EPiscopus si tertiam partem quam de rebus parœcialium ecclesiarum sibi debitam nouit, ecclesiæ cuius res esse patebit, aut alteri ecclesiæ conferre decreuerit: licitum maneat: & irreuocabile robur eius sententia ferat.

QVAESTIO IIII.

SI DE SVIS ET ECCLESIAE REBVS ALIQVA ACQVISIVISSE NOSCVNTVR, AN VTRIQVE COMMVNITER, AN singulariter ecclesiæ vel sacerdotij iure proueniant.

GRATIAN. QVòd autem quæritur si de suis & ecclesiæ rebus aliqua acquisisse noscuntur, cui proueniant: ita diffinitur in eodem concilio.

Cap. 4.

De his qui de suis & ecclesiæ rebus aliqua acquisisse noscuntur. 1

SAcerdotes vel quilibet quibus ecclesiasticarum rerum cura commissa est: quæcunque administrationis suæ tempore emerint: si de rebus propriis vel vile vel carum habuerint, ad ecclesiæ nomen cui præsunt, chartarum conficere instrumenta procurẽt. non enim iustum est vt ecclesia quæ suscepit extraneum, efficiat in alieno diuitẽ, & in suo retineat fraudatorem.

Hi verò qui suarum rerum noscũtur habere compendium: ex omni re quam post ordinationis suæ diem visi sunt cõquisisse:

fisse: siue nulla siue aliqua sint instrumenta confecta: compensatione tam sui iuris quàm ecclesiasticarum rerum habita, si se vtriusque rei quantitas exæquauerit, inter ecclesiam & decedentis hæredes æquo iure conquisitio pertinebit.

GRATIA.

Si quis verò pro compendio suarum rerum ecclesiæ rebus detrimentum intulerit, vel si occasione rerum ecclesiasticarũ in rebus propriis detrimentum passus fuerit: vicissim qui lucrum sentiunt, detrimentum patientibus resarcient.

VNDE in concilio Bracarensi legitur. *Cap. 8. concilij Brac. tertij.*

Resarciantur detrimenta sacerdotis vel ecclesiæ, quæ alterius occasione alter sensit. 2

QVicunque sub hoc neglectu res diuinas laborare distulerit, speciali placito distringendus est, vt si de rebus vel augmentis ecclesiæ quæstum laboribus suis propriè auxit: & ex hoc ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem vel perditionem induxit: quicquid in rebus ecclesię minuit, ille restituat ex cuius rebus atque suffragijs suos conuictus fuerit ampliasse labores. Quòd si aliquid pro vtilitatibus ecclesiæ aut substantiæ expendit, aut dispendij vel perditionis quippiam pertulerit: si hoc comprobare potuerit, totum illi à rebus ecclesiæ eiusdem reformabitur, pro cuius vtilitate id expendisse probatur.

GRATIAN.

Si verò de rebus ecclesiæ tãtummodo aliqua acquisisse noscuntur, & ad nomen ecclesiæ instrumenta debent componere: nec aliquibus poterunt illa donare.

VNDE in Agathen. concilio legitur. *Cap. 54.*

De his quæ sacerdotes emunt, ad ecclesiæ nomen scripturam faciant. 3

PResbyter cùm diœcesim tenet: de his quæ emerit, ad ecclesiæ nomen scripturam faciat: aut ab eius quam tenet ecclesiæ ordinatione discedat.

QVAESTIO V.

SI TESTAMENTA LICEAT ECCLESIASTICIS CONFICERE.

GRATIAN.

TEstamenta verò non licet eis conficere, nisi de propriis rebus.

VNDE Gregorius scribit Lucidio episcopo. *Greg. epist. 43. lib. 10. ad Deodatum episcop.*

Quomodo de rebus ecclesiæ liceat testari sacerdotibus. 1

NVlli dubium est ꝙ sicut sacerdotibus res in episcopatu acquisitas nulla est alienandi licentia: ita de his quas antea habuerũt, quicquid iudicare voluerint non vetetur. Itaque fraternitatem tuam tempore quo ad nos fuit, cõquestam esse recolimus, quòd quædã mobilia quæ Constantinus decessor vester Luminosæ ancillæ dei & fratrib⁹ suis testaméti serie legati titulo dereliquit, iã episcopus acquisisset: decreuisseq́; nos, vt

vt si hoc constaret, nullum ex his ecclesia vestra præiudicium pateretur: quod & vos oportet recolere, & molestiam aliquam prædictæ ancillæ dei non facere, nec ei sine cognitione de his quæ possidet quicquam auferre. IDEM.

Greg. epist. 22. seu cap. 66. lib. 4. ad Cyprianũ.

De eodem. 2

OBitum Theodori episcopi dilectionem tuam credimus cognouisse: sed quia testamentum dicitur condidisse: subtiliter te (ne quid de rebus ecclesiæ suæ consumpsisset) oportet inquirere: & si quidem eum exinde aliquid incongruè minuisse didiceris, ita age, vt res ab eo cuius interest modis omnibus reparentur

Epist. 111. lib. 5. Mariniano.

ITEM Gregorius Mariano archiepiscopo Rauennati.

Quæ monasterijs ab episcopo conferuntur, reuocari non debent. 3

QVia Ioannes quondam prædecessor tuus sæpius à nobis expetijt, vt ea quæ in monasterio illo contulerat quod iuxta ecclesiam sancti Apollinaris ipse construxerat, nostra auctoritate debuissemus firmare, & hæc facturos nos esse promisimus. Fraternitatem vestram necessario prȩuidimus adhortandam vt nihil de his quæ illic contulit atque constituit, aliquo modo patiatur imminui: sed omnia firma studeat stabilitate seruare. Huius igitur monasterij, & collectarum illic rerum quia in testamẽto quod condidit, fecisse noscitur mentionem: sciendum vobis est non nos ideo ea confirmasse, quoniã eius supremam sequimur voluntatem: sed quia hoc ei (sicut diximus) viuenti promisimus. Hæc itaque omnia sic solicitè fraternitas vestra implere festinet: quatenus & quæ in suprascripto monasterio constituit, & à nobis sunt confirmata seruentur: & illa quæ in damna dari vel fieri per testamentum suæ decreuerit ecclesiæ, nullam prohibente lege obtineant firmitatem. ITEM ex concilio Hispalensi.

Cap. 1 concilij Hispalensis 1.

Quæ ante suam ordinationem vel post hæreditaria successione acquisiuit episcopus, cui vult derelinquat. 4

FIxum ab hinc & perpetuo mansurum esse decernimus, vt episcopus res sui iuris quas ante episcopatum, aut certè in episcopatu hæreditaria successione acquisiuit, secundum auctoritatem canonicam cui vult conferat: & quicquid vult de eis faciat. postquam autem episcopus factus est, quascunque res de facultatibus ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine comparauerit, decernimus vt non in propinquorum suorum, sed ecclesiæ cui præest iura deueniant. De rebus verò ecclesiasticis testari licet episcopo, si tantundem de propriis restituat.

Cap. 51.

VNDE in Agathensi concilio statutum est.

Quomodo

Quomodo possunt esse rata quæ de ecclesiæ proprietate testamento leguntur. 5

SI episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici iuris proprietate légauerit: aliter non valebit, nisi tantundem de proprij iuris facultate suppleuerit. Sed si episcopus vel quilibet ex gradu ecclesiastico intestatus defunctus fuerit, nec aliqui inuenti fuerint qui iure cognationis ei succedant, ecclesia sua ei succedat in integrum: nec licebit alicui aliqua ex rebus eius præsumere. 2. pars.

VNDE in Terraconensi concilio statutum est. Cap. 12.

Episcopo intestato ecclesia succedat ex integro. 6

SIcubi defunctus fuerit episcopus intestatus, post hanc diffinitionem à presbyteris eius & diaconis de rebus ipsius breuis conscriptio fiat à minimo vsque ad maximum, id est, de vtensilibus & omni supellectili: ita tamen vt si quis exinde vel præsumpsisse aliquid, vel occultè tulisse fuerit conuictus: secundum furti tenorem restituat vniuersa.

ITEM ex concilio Tributiensi.

De eodem. 7

QVicunque ex gradu ecclesiastico sine testamento & sine cognatione decesserit: hæreditas eius ad ecclesiam vbi deseruierit deuoluatur. Similiter de sanctimonialibus assignatur.

CAVSA XIII.

GRATIAN.

DIœcesani cuiusdam baptismalis ecclesiæ cladibus bellorum pressi, hostili metu compulsi, domicilia sua transtulerunt in aliam diœcesim: prædia tamen antiqua non desierunt colere. cœperunt persoluere decimas illi ecclesiæ in cuius diœcesim transierunt: & apud eam sibi elegerunt sepulturas. transactis quinquaginta annis clerici quibus quondam persoluerant decimas, cœperunt mouere quæstionem in eos qui ab istis accipiunt primitias & decimas. veniunt ad causam.

Modò primùm quæritur, si illi quorum domicilia sunt in diœcesi huius baptismalis ecclesiæ, debeant persoluere decimas illi ecclesiæ: & celebrare suas exequias apud eam ecclesiam in qua quondam hæc fiebant à parentibus eorum. 1

Secundò, an præscriptione temporis, ius percipiendi decimas & funerandi tollatur. 2

QVAESTIO

QVAESTIO I.

SI ILLI QVORVM DOMICILIA SVNT IN DIOECESI BAPTISMALIS ECCLESIAE HVIVS, DEBEANT PERSOLVERE DECImas illi ecclesiæ, & celebrare suas exequias apud eam ecclesiam in qua quondam hæc fiebant à parentibus eorum.

GRAT.

QVód priori ecclesiæ hæc omnia iure persoluenda sint, actores his argumentis probare contendunt. Constat vnamquanque baptismalem ecclesiam habere diœcesim sibi legitimè assignatam: sicut & parœciales ecclesiæ habent parœcias sibi distributas.

Dionys. pap. epist. 2.

VNDE Dionysius episcopus Seuero episcopo.

Singuli sacerdotes proprias debent habere ecclesias.

ECclesias singulas singulis presbyteris dedimus: parœcias & cœmeteria eis diuisimus: & vnicuique ius proprium habere statuimus: ita videlicet, vt nullus alterius parœcię terminos aut ius inuadat. Sit vnusquisque terminis suis cõtentus: & taliter ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat. vt ante tribunal æterni iudicis ex omnibus sibi cõmissis rationẽ reddat: & non iudicium, sed gloriam pro suis actibus percipiat.

Verba Gratiani allegantis ea quæ à partibus allegata sunt.

In diœcesi autẽ designata quæcũq; prædia coluntur, prouentus decimationũ baptismali ecclesiæ designatus debet solui. Quia ergo prædia hæc intra terminos nostræ diœcesis continẽtur, & prouẽtus decimationũ nobis legitimè assignatus, nostræ ecclesiæ persoluendus est.

2. pars. al. his ita. Numer. 18.

*His itaque respondetur, decimæ à deo constitutæ sunt per Moysen, vt persoluerẽtur à populo filiis Leui pro ministerio in quo deseruiebãt ei in tabernaculo. Non accipiebant filij Leui decimas nisi ab eis pro quibus offerebãt preces & sacrificia. Quia ergo nos seruimus domino in tabernaculo, offerẽdo pro istis preces & sacrificia: & ipsi debent nobis persoluere decimas & primitias. Itẽ cùm decimæ darẽtur filiis Leui: nõ electione offerẽtis persoluebãtur, vt contempto leuita qui secũ erat, ipse eligeret cui vellet decimas dare. nã dictũ est: Leuita qui tecũ moratur, & intra muros tuos habitat, comedet eas. Ideo etiã ex singulis tribubus ciuitates ad habitandũ acceperunt, vt vnaquæque tribus illis persolueret decimas qui secum erant. nam Moyses præcepit filiis Israel (sicut legitur in Deuteronomio) In loco quem elegerit dominus deus vester, vt sit nomen eius in eo: illuc omnia quæ præcipio cõferetis, hostias, holocausta, & decimas ac primitias manuum vestrarum, & quicquid præcipuum est in muneribus *iustis quæ vouistis domino. ibi epulabimini coram domino deo vestro vos, & filij & filiæ, famuli & famulæ vestræ: atq; leuita

Deut. 18. a

Deuter. 12. b

* vestris.

uita qui in vrbibus vestris commoratur. neque enim habet aliam partem atque possessionem inter vos. & infrà. Decimam *Deuteron. 12.c* frumenti, vini & olei, & primogenita armētorum & pecorum, & omnia quæ voueris, & sponte offerre volueris, & primitia manuum tuarum coram deo tuo comedes ea in loco quē elegerit dominus deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua: seruus, & ancilla tua: atque leuita qui manet in vrbibus tuis. Quia ergo nos intra muros vrbis istorum sedemus, & eis habitatione iuncti sumus: rite ab eis decimas accipimus. Item ait Propheta: *Psalm. 103.* Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominū. Fœnum & herba ex terra producitur, sed quibus? iumētis irrigantibus eam, id est hominibus colentibus eam, & in hoc seruientibus ipsi. Itē Apostolus: Cōmunicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis, hoc Galatis. *Gal. 6.b* Corinthiis autem probat specialiter sibi deberi sumptus, qui *1. Corinth. 9.b* eis spiritualia ministrauit, dicens: Si seminauimus vobis spiritualia, magnum est si carnalia vestra metamus? Itē. Si alii participes vestræ potestatis facti sunt: cur non magis & nos? Itē. *1. Corinth. 9.a* Quis plantat vineam: & de fructu eius non edit? Nos plātauimus vineā: & vos vultis fructus eius edere? Itē præcepit dominus per Moysen vt nemo mittat falcem in alienam messem. *Deuteron. 23.d* Hęc messis nostra est, & vos vultis falcem in eam mittere? Itē. Non alligabis os bouis triturantis. Nos sumus boues triturā- *Deut. 25.a* tes: vos vultis alligare os nostrum: & de nostra tritura victum vobis quæritis? Item apostolus. Qui altario seruiūt, de altario *1. Corint. 9.b* viuant. sed nunquid de eo cui non seruiunt? Item. Qui in sacrario operantur, cum sacrario participant. sed nunquid cum illo in quo non operantur? Nos seruimus altario: vos ei participare vultis, nos verò vacuos & inanes dimittere quęritis? Item apostolus. Laborantem agricolam prius oportet suscipere de fructibus suis. vos autem econtra quęritis? Nos sumus agricolæ laborantes: vos primū vultis percipere de fructibus nostris? imò non primum: quia nec vltimum nobis relinquere vultis. A prioribus enim incipientes, paulatim serpitis, & totum vsurpare contenditis: vt pro vobis videatur dictum: Frustatim lupus comedit agnū. Item. Quis vnquam militat stipēdiis suis? quis *1. Corint. 9.a* pascit gregem, & de lacte eius nō edit? Nos militamus: & vos stipendia nostræ militiæ vobis quæritis. Nos gregē pascimus, & vos lac eius & lanam accipere vobis vultis. Sapere est, de alieno labore victum quærere: si sapere est velle quod non possis. Item dominus dixit discipulis suis. In quancunque domū *Matth. 10.b* intraueritis, in eadem manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Cùm autem intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Nos domum hāc ingressi sumus, & ei pacem obtulimus: vos autē quasi ociosi alieno cibo pasci gaudetis? Videte ne in

vos

vos vertatur illud. Vide quid faciat ocium & alienus cibus.

Psalm.80. Item propheta. Sumite psalmum, & date tympanum. Isti à nobis sumunt psalmum: & vos ab eis quæritis tympanum? Itẽ Leo iiij. De decimis non tantum nobis, sed etiã maioribus nostris iusto ordine visum est plebibus tãtum, vbi sacrosancta baptismata dãtur, debere dari. Quibus autem plebibus debẽtur? an illis à quibus baptisma accipiunt, an ab alijs? Nos eos baptizamus, & vos ab eis decimas sumitis? Honesta ista interpretatio est: vtinã inueniatis qui sic pro vobis interpretẽtur. Quia ergo nos rigamus populũ hunc, imbrẽ doctrinæ ei ministrantes, qui colimus eum vomere prædicationis, corda eius ad fidẽ *Thob.4.c* aperientes: si non vultis sinere, vel patiamini nobis eũ fructifi- *Matth.7.b* care: & qualia vobis fieri non vultis, nobis inferre cauete: ne si *3. pars.* pergitis dicere quæ vultis, audiatis quæ non vultis. Ad hęc callida & multiplici argumentatione iura nostra auferre contenditis: ita vt si fides verbis adhiberetur, non verba pro verbis, sed res pro verbis reportaretis: sed deo propitio si verba dedistis, verba recipietis. Arguitis nos quòd ea quę vobis debentur, surripere quærimus: quia nostra prosequimur. Sapienti quidem & philosophico ore prolata sententia. suum prosequi, est ne aliena rapere? vnde ad vos hæc sententia manauit, nisi quia tanto ardore nostra concupiscitis, vt vestra putetis vobis auferri cùm nos nostra consequimur? vnde cùm causa nostra debitũ finem sortita fuerit, exclamabitis: Ah miser, crucior tantũ bolum esse ereptum ex faucibus meis. Sed videte ne damnum effusi vnguenti vobis recompensare quæratis. Constituistis vos plãtatores vinearum, fossores agrorum, trituratores arearum, rigatores camporum: & multa alia huiusmodi officia vobis assumpsistis, & debita vobis obsequia à nobis subtrahi cõquesti estis: sed non negamus quod vestrum est. boui trituranti paleæ & tegumenta seruãtur: sint hæc vobis: & grana nobis relinquite. Pastinatores vinearũ, fossores agrorum, rigatores camporũ, trituratores arearum, diurna mercede accepta proueniẽtes fructus dominis relinquũt. Vos ergo recepta mercede vestri operis in quotidianis oblationibus & alijs obsequiis quæ pro spiritualibus quæ à vobis accipiũt, quotidie deferũtur: prouenientes fructus decimationum & primitiarum nobis relinquite.

Item præcepit dominus discipulis suis vt comederent & biberẽt ea quæ apud auditores suos erãt: sed non iussit eis vt dominos de domibus suis eiicerent, & rebus suis spoliarent. nõ facile inuenietis qui tales hospites libẽter suscipiat. Mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio, malè suos remunerãt hospites. *Prouerb.6.b* Vnde in prouerbiis dicitur: Qui serpentem in sinu suo nutrit, percutietur ab eo. Tales inueniatis vobis hospites, quales nobis esse vultis. Nõ sufficit vobis edere & bibere quæ in domo

nostra

nostra sunt, dum quotidianos fructus oblationū percipitis, ex quibus victum & vestitū habeatis: quibus cū apostolo debetis esse contenti, sed non vultis: quia eius imitatores non estis, sed potius nos de domo nostra expellere, & rebus nostris nos penitus expoliare contēditis, dum nec etiam eorum decimationes nobis relinquere vultis. Vt autem vniuersaliter omnia colligantur: cuncta quæ pro vobis inducta sunt siue de laborante agricola, siue de eo qui suis stipēdijs nō militat: ad hūc articulum deferimus, vt fructū vestri operis quē adeo recipere contenditis, in oblationibus & quotidianis obsequijs istorū recipiatis: decimationes verò eorum quæ nobis debentur, intactas nobis relinquite, ne dum quæritis vsurpare quod vestrum non est, iusta animaduersione etiam illud cogamini amittere quod vobis aliquo modo videbatur, competere. Quod autem hæ decimationes nullo iure vobis debeantur, facilè probabimus. dicitur enim in quodā concilio: Si quis laicus vel clericus, siue vtriusq; sexus persona proprietatis suæ loca, &c. sicut in eodē capitulo in causa monachorum notata inueniūtur. Si ergo laicus vel clericus, vel quælibet persona loca suæ proprietatis vēdens aut donans, prouētum decimationum ab ecclesia cui legitime assignatus est, nullo modo potest abstrahere: nec isti de diœcesi ad diœcesim transeūtes, decimas suorum prædiorum, quæ intra terminos nostræ parœciæ continētur nobis auferre possunt. Quantum enim ad ius percipiendarum decimarum attinet, idem est possessorem de diœcesi ad diœcesim trāsire, quod possessionem de diœcesano ad diœcesanum transferre.

QVAESTIO II.

AN PRAESCRIPTIONE TEMPORIS IVS PERCIPIENDI DECIMAS ET FVNERANDI TOLLATVR.

AD hæc, decimationes istæ etsi iure vobis debentur (vt asseritis) tamen tricennalis obiectio vobis silentium imponit. Omnis enim possessio tricennaria præscriptione tollitur, vel quadragenaria sicut possessiones religiosarum domorum: vel centenaria, sicut prædia sanctæ Romanæ ecclesiæ. VNDE Gelasius papa ait. GRATIA.

Qua. xxx. annis ab episcopis possidentur, iure ab eis vendicantur. 1 *Gela pri. episcopis Sicilia.*

FAcultates ecclesiæ necnon & diœceses quæ ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi vendicent quod tricennalis lex conclusit: quia & filiorum nostrorum principū ita emanauit auctoritas, vt vltra xxx. annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus exclusit.

At illi*ccōtra: cuius auctoritate nobis silentium imponitis, eiusdem auctoritate vestra ora claudimus. Ait enim idē Gelasius: Nulla præsumptione statum parœciarum, &c. Si ergo GRATIA. *al. & illi.

temporalis obiectio diœcesim semel constitutam diuellere
non potest, patet quòd nec vobis patrocinabitur vt statum pa-
rœciæ nostræ mutantes, decimationes nobis quondam legi-
timè assignatas, vindicabili vsurpatione vobis vendicetis.
Quomodo autem distinguendæ sunt hę auctoritates, in causa
2.pars. monachorum inuenitur. Nunc autem quæritur de iure fune-
randi : quæ harum ecclesiarum habeat ius tumulandi istos.
Sicut Hieronymus scribit, coniugati in vno sepulchro viden-
tur esse ponendi. Ait enim.

In sepulchro patrum suorum filij sunt collocandi. 2

EBron dicitur esse ciuitas trium virorum, quia in ea sepulti
sunt tres patriarchæ in spelunca duplici cum tribus vxori-
bus suis, id est, Abraham & Sara: Isaac & Rebecca: Iacob &
Tho.4.a. Lia: præter ipsum Adam, & Euam vxorem suam. Thobias
dicit ad filium suum: Cum acceperit deus animã meam, cor-
pus meum sepelies: & honorem habebis matri tuæ omnibus
diebus vitæ eius: & cum ipsa compleuerit tempus suum, sepe-
Tho.14.b. lias eam iuxta me in vno sepulchro. Idem. Quos coniunxit
vnum coniugium, coniungat vnum sepulchrum: quia vna ca-
Mat.19. ro sunt. Et quos deus coniunxit, homo non separet.

ITEM Augustinus. 3

3.pars. VNaquæque mulier sequatur virum suum siue in vita, si-
Greg.cap.34. ue in morte. Item Gregor. Soror beati benedicti sepulta
lib.2.dialogorũ. est in sepulchro quod ipse sibi præparauerat: vt quorum mens
vna fuit semper in domino, eorum quoque corpora sepultura
non separaret.

GRATIAN. Item Ioseph moriens in Aegypto, rogauit fratres suos vt
Gen.50.d. tempore visitationis suæ ossa sua secum deferrent: & in sepul-
chro patrum suorum ea collocarent. Item. Dictum est Pro-
phetæ domini qui contra præceptum domini comederat in
Bethel: Non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum
3.Re.13.d. tuorum. Item de nonnullis legitur in libro Regum: Obijt, &
appositus est ad patres suos: hoc est in sepulchro patrum suo-
rum. Item. In nouo testamento beatus Philippus legitur ædi-
ficasse sibi sepulchrum, in quo ipse & filij eius quieuerunt.
Item. Beatus Seuerus Rauennatum archiepiscopus tumulum
fieri iussit, in quo se & vxorem & filiam collocauit. His om-
nibus exemplis colligitur quòd in sepulchris parentum cor-
pora filiorum collocanda sunt. Quia ergo parentes istorum
apud priores ecclesias sepulti sunt, & hi apud easdem debent
Gen 25.a. tumulari. Econtra Adam (vt asseritis) in ciuitate Arbeæ tumu-
latus est, sed nunquid omnes filij eius sepulti sunt ibi? tanta
multitudo humani generis tam breui tumulo non tam facile
posset includi. Item. Abraham ibi sepultus est, sed nunquid
Ismael & Madai & alij quos de Cethura genuit, ibi sepulti
sunt?

sunt? Item, Isaac ibi sepultus est, sed nûquid Esau cum eo tumulatus est? Item Iacob ibi collocatus est, sed nûquid aliquis filiorum eius præter Ioseph ibi sepultus est? Rachel quoque non in Ebron, sed iuxta Bethel tumulata legitur. Exêplo igitur istorum liquet, quòd liberum est filijs sepeliri in sepulchris patrû suorum, & liberû est eis alibi pro locorû & têporum opportunitate corpori suo hospitium inuenire. Non ergo hoc exemplo isti coguntur sepeliri in sepulchris patrû suorû. Item quæ legibus diffinita sunt, mutari non licet. Quæ autê legibus expressa non sunt, arbitrium sequuntur humanæ voluntatis. At legibus diffinitum est quibus decimæ sint persoluendæ: & ideo danti mutare non licet. Vbi autem quisque tumulandus sit, legibus expressum non est: & ideo in voluntate tumulandi consistit. VNDE beatus Gregorius ait. Gen.35.d. Ge.49.d. Gen.50.d. Gen.35.c. Epi.9.& 10. lib.3.

Vltima voluntas defuncti seruari debet. 4

VLtima voluntas defuncti modis omnibus seruari debet. 4.pars.

Quod de libero & non de seruo intelligêdum est. Seruus enim testamenti paginam condere non potest. GRATIA.

VNDE Gelasius papa scribit Honorio episcopo.

Seruus testamentum facere non potest. 5

ILlud etiam synceritatem tuam volumus non latere, ad nos fuisse perlatum, quòd ampliatus conductor, quê non solùm seruum constat esse ecclesiæ, sed ita eius rationibus à multis temporibus implicatum, vt etiam si esset ingenuus, donec ratiocinia cuncta deduceret, modis omnibus obnoxius haberetur, ausu temerario molitus fuerit condere paginâ testamenti, cuius omne peculiû ecclesiastico iuri legibus non dubitetur obstrictum. quapropter his præsumptionibus vice nostra tua fraternitas côtradicat, nec fieri prorsus aliqua surreptione permittat: ac si eidê quicquâ humanitus fortè côtigerit: quia grandæuus esse cômemoratur, mox eius sine dilatione substâtiam præcipiat humanitas tua filijs eius dûtaxat quibus patrimoniû probatur esse commissum, sub fideli descriptione côtradi, donec vniuersis temporibus quibus hoc patrimoniû gubernasse cognoscitur, partes dominicas reddere cogantur indemnes.

Quia ergo secundum Gregorium vltima volûtas defuncti conseruanda est, pro istorum voluntate corpora eorum sunt tumulanda, non pro arbitrio vestræ dispositionis. GRATIA. 5.pars.

ITEM in Triburień. concilio legitur. Cap.15.

Vbi quisque decimas persoluerit ibi sepulturam eligere debet. 6

VBicunque temporum vel locorum facultas tulerit, apud maiorem ecclesiam vbi sedes est episcopi, sepulturæ celebrentur. si autem propter temporis vel loci asperitatem hoc difficile fuerit visum, apud ecclesiam in qua religiosorum canonicorum vel monachorum vel sanctimonialium religiosa

congregatio communiter degerit, ſepeliatur. Si autem & hoc ineptum viſum fuerit: vbi quis decimas perſoluebat viuus, ibi ſepeliatur & mortuus.

GRATIAN. Quia ergo decimam nobis perſoluebat viuus, & apud nos ſepeliendus eſt mortuus. Item ſi quis de prouincia ad prouinciam tranſiret, & ibi domicilium ſibi collocaret: liber factus à ditione prioris iudicis, iuriſdictioni illius iudicis ſubijceretur, in cuius prouincia ſedem ſibi eligeret. Quia ergo iſti à veſtra diœceſi in noſtram tranſierunt, liberi à veſtra ditione, noſtro iuri ſubijciuntur. noſtrum eſt ergo ius funerandi eos. Sed obijcitur illud Melchiadis papæ.

Propria temeritate ſepulturam parentum relinquere non licet. 7

PLacuit per omnia magno cõcilio, vt nullus proprij arbitrij temeritate aliam eccleſiam niſi cui vſus antiquorum parentum canonica inſtitutione ſubiacere perhibetur, ſepulturæ cauſa adire procuret, niſi infirmitatis cauſa præpeditus in aliam fuerit regionem quolibet negocio progreſſus. Ad hæc ſi quis prælatus contra hoc agere ſategerit, eccleſiaſtico vinculo ſe ſubdi cognoſcat.

GRATIA. Sed aliud eſt ex temeritatis ſuperbia vſum antiquorum parentum non ſequi, atque aliud rationabili occaſione nouam ſibi ſepulturam eligere. Contra Melchiadis papæ auctoritatem nititur qui ſuperbia vel odio ductus ſiue vanis perſuaſionibus, aut varijs munuſculis illectus, ſepulturam parentum ſuorum ſequi contemnit. ſecundum Gregor. autem liberam habeat volũtatem, qui certæ rationis cauſa nouum ſuo corpori quærit hoſpitium. Vel (vt quidam diſtinguunt) libera eſt vltima voluntas cuiuſq; nõ in ſepultura ſibi eligẽda, ſed in teſtamento conficiendo. vnde & teſtamentũ appellatur, quia eo quiſq; liberè teſtatur quod poſt ſuum deceſſum de proprijs rebus fieri voluit. Sed non videtur libera teſtatoris voluntas, cùm ſecundum Auguſtinum pro numero filiorum debeat fieri teſtamentaria diſtributio facultatum, veluti ſi quis habet vnum filium, Chriſtum putet alterum: ſi verò duos, Chriſtum faciat tertium, & ſic per ordinem, & ſecundum Leonem quiſq; medietatem eorũ quæ Chriſto teſtatur, eccleſiæ iubetur relinquere apud quem fidei ſacramenta ſuſcepit. Sed illud Auguſtini non eſt iubentis, ſed dehortantis, ne quis iratus filium ſuum exhæredaret, atque totum Chriſto relinqueret. Ait enim in ſermone ſecundo de vita clericorum.

Pro numero filiorum pars hereditatis deo offeratur. 8

SI quis iraſcitur filio ſuo, & moriẽs exhæredat eum, ſi viueret, nónne eum placaremus? nónne ei filium reconciliare deberemus? quomodo ergo cum filio ſuo volo vt habeat pacem, cuius appeto hæreditatẽ? ſed planè ſic faciat quod ſæpe hotta-

hortatus sum, qui vnum filium habet, putet Christũ alterum. si duos habet, putet Christum tertium. si decem habet, vndecimum Christum faciat, & suscipio.

,, Hac nimirum auctoritate mẽsura testatori præfigitur, non quam cogatur exoluere, sed quam prohibetur transcendere. Oblationes ergo defunctorum qui reddere noluerit, excommunicetur. VNDE in Carthaginensi concilio quarto. GRATIAN. Cap. 93.

Excommunicentur qui defunctorum oblationes ecclesiis negant. 9

QVi oblationes defunctorum aut negant ecclesijs, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. ITEM ex concilio Varensi. Ca. 4. *Vasensis conc.*

Vt infideles eijciantur ab ecclesiis, qui defunctorum oblationes retinent. 10 Vasensi in manuscripto.

QVi oblationes defunctorum retinent, & ecclesijs tradere demorantur: vt infideles ab ecclesia sunt abijciendi: quia vsque ad exinationem fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinę exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes, votorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ & necessaria sustentatione fraudantur. Hi ergo tales quasi egentium necatores, nec credentes iudicium dei habendi sunt. Vnde & quidam patrum hoc scriptis suis inseruit congruẽte sententia, qua ait: Amico quippiam rapere, furtum est. ecclesiam verò fraudare, sacrilegium est. ITEM ex concilio Agatheñ. Cap. 4.

Qui oblata ecclesiis aut testamento relicta retinere præsumpserint, excommunicentur. 11

CLerici vel seculares qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere perstiterint, aut id quod ipsi donauerint ecclesijs vel monasterijs crediderint auferendum: sicut sancta synodus cõstituit, velut necatores pauperum quousque reddant ab ecclesijs excludantur. Si quis autem clericus furtum ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

,, Item quæritur, an pro sepultura mortuorum aliquid sit exigendum? De his ita scribit Greg. in regesto Ianua. episcopo Sardiniæ. GRATIA. 7. pars. *Epist. 55. lib. 7.*

Pro sepultura nihil muneris exigendum est. 12

QVesta est nobis Nereida fœmina clarissima, quòd ab ea centum solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra velit exigere. hoc autem vitium & nos postquam deo auctore ad episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra omnino vetuimus, & per prauam denuò consuetudinem nequaquam vsurpari permisimus: memores quia dum Abraham à filijs* Ephron, hoc est à filijs Seor sepulchrũ precio ad humandum corpus coniugis postularet, præmium accipere renuit, ne commodum de cadauere videretur consecutus. Si

al. à filijs Emor, hoc est, Ephron filio Seor.

ergo tantæ considerationis paganus vir fuit: quãto magis nos qui sacerdotes dicimur, hoc facere nõ debemus? Vnde ne hoc auaritiæ vitium in alienis denuo tẽtari præsumatur admoneo: sed siquando aliquem in ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius proximi vel hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus: Peti verò aliquid aut exigi omnino prohibemus, ne (quod valde irreligiosum est) aut venalis fortasse (quod absit) dicatur ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studeatis quærere quolibet modo compendium. ITEM Hieronymus super Genesim.

Gen.23.

In quæstionibus Hebraicis ad ca. 23.

Etiam coacti de sepultura precium non debemus accipere. 13

POstquam precio victus est Ephron vt sepulchrum venderet, & acciperet argentum, licet cogente Abraham, vau litera quæ apud illos pro o legitur, ablata de eius nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran: significante scriptura non eum fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit vendere memoriam mortuorum. Sciant igitur qui sepulchra vendunt voluntariè, nec coguntur vt accipiant precium, sed à nolentibus quicquam extorquent, mutari nomen suum, & perire quiddam de merito eorum: cùm etiam ille reprehendatur occultè, qui inuitus accepit.

Cap.16.

ITEM ex concilio Triburiensi.

De eodem. 14

IN ecclesiastico namq; libro scriptum est: Mortuo nõ prohibeas gratiam, sciẽs quoniã omnes moriemur. & item: Omnia quæ de terra orta sunt, in terram conuertentur. Quid terra terrã vendis? memẽto quòd terra es, & in terram reuerteris. (& *alibi de homine dictum est: Terram teris, terram geris, & in terram cõuerteris: qui de terra sumeris) & quoniam mors tibi futura est, & appropinquat, etsi tardat. Recordare quia nõ hominis est terra, sed (vt Psalmista commemorat) domini est terra, & plenitudo eius. Si terrã vendis, inuasione rei dominicæ reus teneberis. Gratis accepisti à deo, gratis da pro eo. Quare interdictũ sit omnibus omnino Christianis terrã mortuis vẽdere, & debitã sepulturã denegare: nisi fortè proximi & amici defuncti propter nomen & redemptionẽ animæ viri defuncti gratis aliquid dare velint. ITEM ex concilio Varensi.

Eccli.7.d.
Eccli 40.b.
Gene 3.d.
Eccl 17.a.
**Quod hac parenthesi includitur, suppositititiũ puto quia in antiquis nostris exemplaribus non habetur.*
Psal.23.

De eodem. 15

PRæcipiendum est secundum canonum auctoritatem, vt de sepulchris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigãt: nisi fortè qui sepelitur, viuens iusserit ecclesiæ in cuius atrio sepelitur, aliquid de suis rebus tribuere. aut etiã post mortem ipsius illi, quibus commissum est eius eleemosynam facere, de rebus illius aliquid spõte dare voluerint, & tamen nullatenus à presby-

presbyteris ecclesiæ illius aliquid exigatur, siue ab illis qui locis & villis præsunt. Prohibendum est etiam secundum maiorum instituta, vt in ecclesia nullatenus sepeliãtur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exhedris ecclesiæ. Intra ecclesias verò aut prope altare vbi corpus & sanguis domini conficitur, nullatenus sepeliantur. ITEM Augustinus.

A sacris locis non iuuãtur post mortẽ, quibus peccata nõ sunt dimissa. 16

QVibus peccata dimissa nõ sunt, à sacris locis post mortem adiuuari non possunt: quia quos peccata grauiora deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur: quia eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant. ITEM Gregorius. 8.pars. Ca.50.li.4. Dialogorum.

Quibus prosit in ecclesia sepultura. 17

CVm grauia peccata non deprimunt, tunc prodest mortuis si in ecclesia sepeliantur: quia eorum proximi quotiens ad eadem sacra loca veniunt, suorumq; sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundunt. nam quos peccata grauia deprimunt, ad maiorem cumulum damnationis potius quàm ad solutionem eorum corpora in ecclesijs ponuntur. ITEM ex concilio Magociensi. Ca.52.con. Maguntiaci.

Qui sepeliantur in ecclesia. 18

NVllus mortuus intra ecclesias sepeliatur, nisi episcopi aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici.

„ Quid verò mortuis prosit iuxta ecclesiam sepeliri, quídve GRATIA.
„ ad eos perueniat Augustinus in libro de agẽda cura pro mor- Cap.18.
„ tuis ostendit dicens.

Quare mortui iuxta ecclesiam sepeliantur. 19

NOn æstimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus. Quamuis enim non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed his tantũ pro quibus dum viuunt cooperantur vt prosint: sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere: vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista his quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt. Diligentius tamen facit hoc quisque pro necessarijs suis, quo pro illo fiat similiter à suis. Corpori autem humano quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secũdum effectum quo nemo vnquam carnem suam odio habuit. vnde oportet vt quã potest pro carne proximi curam gerat, cũ ille inde recesserit qui gerebat. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt: vt corpori, sed tamen vt resurrecturo, & in æternitate mansuro, impensum eiusmodi officium sit

etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium. Quòd verò quis apud memorias martyrum sepelitur, hoc tantum videtur mihi prodesse defuncto, vt cõmendans eum etiam martyrum patrocinio affectus pro illo supplicationis augeatur. Econtrà Hieronymus.

Post mortem orationes viuentium mortuis damnatis non prosunt. 20

IN præsenti sæculo scimus siue orationibus siue consilijs inuicem posse nos adiuuari. cùm autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquã, sed vnumquemq; portare onus suum. Verùm hoc de impœnitentibus accipiendum est, de quibus propheta dicit: Non dabit deo placationem suam, nec precium redemptionis animæ suæ, & ideo frater non redimet eum, sed laborabit in æternum, & viuet adhuc in finẽ. De alijs autem intelligi non potest. VNDE Greg. papa Bonifacio archiepiscopo.

Psal.48.

Greg.3.

In pœnitentia defunctis bona prosunt viuentium. 21

PRo obeuntibus quippe consuluisse cognoueris, si liceat pro eis oblationes offerri. sancta sic tenet ecclesia, vt quisque pro mortuis verè christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memoriam. & quamuis peccatis omnes subiaceamus, congruit vt sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat & intercedat: non tamen pro impijs (quamuis Christiani fuerint) tale quid agere licebit. IDEM.

Aug.ca.2.lib. de cura pro mortuis.

Animæ mortuorum quatuor modis soluuntur. 21

ANimæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarũ, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura preciosa: oberit pio vilis aut nulla. Non ideo tamen contemnenda aut abijcienda sunt corpora defunctorum, maximéq; iustorum. vbi illud etiam salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis quas viuentibus & sentientibus exhibemus: si neque hoc apud deum perit quod exanimis hominum membris officij diligentia persoluitur.

Cap.110.

ITEM Augustinus in Enchiridio.[a]

a De hoc libro vide quid Erasmus putet. Vide eiusdem Augustini sententiam hac de re lib.18. de ciuitat. Dei & lib.9. confess.

Ante diem iudicij sacrificijs & eleemosynis mortui iuuantur. 22

TEmpus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositũ est, animas abditis receptaculis continet sicut quæq; digna est vel requie vel ærũna pro eo quod sortita est in carne dum viueret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuẽtium releuari cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynę fiunt in ecclesia. sed hæc eis prosunt qui cum viuerent, hæc sibi vt postea possent prodesse, meruerunt. Est etenim quidam viuendi modus,

dus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortem: nec tam malus vt ei ista post mortem non prosint. est verò talis in bono vt hæc non requirat: & est rursus talis in malo vt nec his valeat cum hæc vita transierit, adiuuari. quocirca omne hic meritum comparatur quo possit post vitam releuari quispiam vel grauari. Et post pauca: Cum sacrificia altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen viuorum consolationes sunt. quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio: aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

De obseruatione autem tertij, septimi, tricesimi, vel quadragesimi diei quæritur vnde exordium sumpserit. Ambro. in lib. de obitu Theodosij imperatoris dicit. GRATIAN. 9. pars. Quasi in principio huius.

Quare certi dies in mortuorum commemoratione seruentur. 23

QVia alij tertium diem, alij tricesimum, alij septimum, alij quadragesimũ obseruare consueuerunt in officijs mortuorum: quid doceat lectio consideremus. Defuncto inquit Iacob, præcepit Ioseph pueris suis sepultoribus vt sepelirent eum. & sepelierunt sepultores Israel: & completi sunt quadraginta dies. sic enim dinumerabantur dies sepulturæ. & luxit eum Israel. vij. diebus. hæc ergo sequenda solennitas est quam præscribit lectio. sic etiam in Deuteronomio scriptũ est: quia planxerunt filij Israel Moysen. xxx. dies: & consummati sunt dies luctus. vtraque ergo obseruatio habet auctoritatem qua necessarium pietatis impletur officium. Gen. 50. Deu. 34. c.

Lugere autem & tristari tam pro nostra quàm pro aliorum morte Cyprianus prohibet dicens. GRATIA. 10 pars.

Nec pro nostra nec pro aliorum morte tristari debemus. 24 Sermone 4. de mortalitate.

QVàm præposterum est quámque peruersum, vt cùm dei voluntatem fieri postulemus: quando euocat nos Deus & accersit de hoc mundo, non statim voluntatis eius imperio pareamus. obnitimur & reluctamur: & peruicacium more seruorum ad cõspectum domini cum tristitia & mœrore perducimur exeuntes istinc necessitatis vinculo, non voluntatis obsequio: & volumus ab eo præmijs cœlestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Idem: Nobis quoque ipsis minimis & extremis quotiens reuelatum est, quam frequenter atque manifestè de dei dignatione præceptum est vt contestarer assiduè, vt publicè prædicarem fratres non esse lugendos accersione dominica de sæculo liberatos: cum sciamus non amitti, sed præmitti recedentes: præcedere, vt proficiscentes & nauigantes solent. ITEM Ioannes Chrysost. in epistola ad Hebræos.

Ex pusillanimitate mortuos lugere contingit. 25

Psal. 23.

VBicunque sepeliamur: domini est terra, & plenitudo eius: secundum quod oportet fieri efficiatur. lugere autem & deplorare & lamentari eos qui ab hac vita decedūt, ex pusillanimitate contingit. Hoc autem ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur. Vnde & apostolus non simpliciter ait: Nolumus vos ignorare de dormiētibus, vt nō contristemini: sed addidit, sicut & cæteri qui spem non habent. Pietatis nāq; affectu & humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur: sicut nonnullos sanctorū aliorum exequijs pias lachrymas impendisse legimus. HINC etiam Anastasius papa.

1. The. 4. c.

Epist. 2. ad Nepotianum.

Qui spē futuræ resurrectionis habent, de mortuis tristari non debent. 26

HAbent forsitan illi iustam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt: qui de hoc sæculo ad melius esse transitū non confidunt, nos autem qui hoc credimus & docemus, tristari nimiū de obeuntibus nō debemus: ne quod apud alios pietatis tenet speciē, hoc magis nobis in culpa sit. nā diffidentiæ quodāmodo genus est, contra hoc quod quisq; prædicat, quærere iustitiam amans, dicēte apostolo: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. ITEM ex conci. Toleta. iij.

1. The. 4. c.

Cap. 22.

De eodem. 27

QVi diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo & psallentium vocibus debent ad sepulchrum deferri. sufficiat autem quòd in spe resurrectionis Christianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum. Prohibet & nos apostolus sanctus lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolumus vos contristari sicut & cæteri qui spem non habent. Et dominus non fleuit Lazarum mortuum, sed ad huius vitæ ærūnas plorauit resuscitandum. Si autē potest hoc episcopus omnibus Christianis prohibere, nō moretur agere. Religiosis autem omnino aliter fieri non debere censemus. sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.

1. The. 4. c.

Ioan. 11. c.

GRATIAN. II. pars.

Esa 63.

Cap. 15.

" De mortuis autem quæritur vtrum sciant ea quæ à viuis geruntur. Esaias ex persona populi afflicti ait: Abraham pater noster nesciuit. Augustinus quoque in libro de agenda cura pro mortuis illud idem testatur dicens. "

Mortui ex se nesciunt quid hic à viuis geratur. 28

FAtēdum est nescire quidem mortuos quid hic agatur dum hic agitur. postea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriēdo pergunt: non quidem omnia, sed quę sinuntur etiā isti meminisse: & quæ illos quibus hęc indicētur, oportet audire. possunt & ab angelis, qui rebus quæ hic agūtur præsto sunt, audire aliquid mortui, quod nunc quemquā illorum audire debere iudi-

iudicat cui cuncta subiecta sunt. Multi quoque ad viuos aliquos ex mortuis ve.ire credunt: sicut econtrario Paulum ex viuis in paradisum raptum esse diuina scriptura testatur.

2. Corin. 12. A. 12. pars.

GRATIA. De his autem qui in patibulis suspenduntur, quæritur an iuxta ecclesias sint sepeliendi. De quibus etiam in Maguntinen conci. ita statutum est.

In fine con. Vormatiensis.

Non est deneganda communio his qui in patibulis suspenduntur. 29

QVæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionē deo peractam, vtrum cadauera eorum ad ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non? Quibus respondemus: si de omnibus peccatis suis purā confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine secundum præcepta canonum danda est: cur canones communionem vel sepulturā eis interdicunt qui pro peccatis suis pœnam extremam persoluūt, & confitentur vel confiteri desiderant? Scriptum est enim: Non iudicat deus bis in idipsum.

Naū. 1. secundum aliam literam.

[[a]Palea.] 30

FVres & latrones si in furando aut deprædando occidantur, visum est quod pro eis non est orandum: sed si comprehēsi aut vulnerati presbytero aut diacono confessi fuerint, confessionem eis non negamus.

GRATIA. a Extat in vet. sed est notata vt palea ex concilio Triburiensi cap. 5.

De eodem. [[b]Palea.] 31

SI fur aut latro captus fuerit, & absq; occisione potest comprehendi, & tamen interficitur: quia ad imaginem dei creati, & baptizati sunt nomine eius, interfectores eorū .xl. diebus pœnitētiæ subiaceant: intrent in ecclesiā veste induti: ab escis & potibus interdicti sint: à thoro & gladio & equitatu abstineant: in tertia & quinta feria & sabbato aliquo genere leguminū & olerū pomis & paruis pisciculis cū medioci ceruisia vicissim vtantur & temperatè: Si autem à veridicis cōprobatur testibus quòd sine odij meditatione se suaq; liberando diaboli membra interfecerint: & pariter pœniteant: pœnitētiam pro homicidio eis non iniungimus nisi ipsi voluerint aliquid humanitatis facere. At si presbyter est, non deponatur: cunctis tamen diebus vitæ suæ pœnitentiam agat.

GRATIAN. b Ex concilio Aurelianēsi. c. 8 vet. manuscrip.

CAVSA XIIII.



CAnonici cuiusdam ecclesiæ quæstionē mouent de prædijs: testes ex fratribus suis producūt, negociatoribus pecuniam crediderunt, vt ex eorum mercibus emolumenta acciperent.

In vet. manuscr. Clerici.

1 Hic primū quæritur, an liceat eis sua repetere?

2 Secundò, an illi testes sint audiendi?

3 Tertiò, an illud sit vsuras exigere?

4 Quartò, an liceat clericis vel laicis à quolibet vsuras expetere.

GRATIAN.

5 Quin-

5 Quintò, an eleemosynæ de vsuris fieri possint?

6 Sextò, an vsurarij pœnitentiam agere valeant, nisi quod malè acceperunt restituant?

QVAESTIO PRIMA.

AN LICEAT CANONICIS SVA REPETERE.

GRATIA. Mat.19.e. Luc.18.d. Mar.10.c. Mat.5.f. 1.Cor.6.a. Ibidem.c.

QVòd autem sua repetere nõ possint, facilè videtur probari. Ait enim dominus in euangelio: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes: & da pauperibus. Quia ergo isti iter perfectionis arripiunt, non licet eis sua habere. multo ergo minus licet eis repetere: quia non debet repeti quod possideri non licet. Item. Si quis voluerit tibi tunicam tollere, & in iudicio tecum contendere: dimitte ei & pallium. Item Apostolus in epistola ad Corinth. Secularia igitur iudicia si habueritis, omnino peccatum est in vobis. Item Gregorius exponens, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate: inquit. Cum mens cõcepta desideria sequitur, seruire rebus conuincitur, quarum amore superatur.

Cap.10. ITEM ex concilio Carthaginensi quarto.

Pro rebus transitoriis episcopus prouocatus non litiget. I

EPiscopus nec prouocatus pro rebus transitoriis litiget.

GRATIAN. Quia ergo generaliter perfectis prohibetur in iudicio contendere. patet quòd istis non licet stare coram iudice. His ita respondetur. prohibetur perfecto in iudicio stare captando lucrum, sed non euitando damnum. Vel aliter. Aliud est sua possidere, aliud est communium procuratorem esse. Canonici non possident sua, quia res deo oblatæ non sunt alicuius. vtuntur enim rebus ecclesiæ non vt suis, sed tanquam ad dispensandum sibi creditis. Vnde Prosper in lib. de vita contemplatiua. Sacerdos cui dispẽsationis cura commissa est, &c. require in causa eius à quo pro ingressu monasterij pecunia exigebatur. Sicut ergo isti non sua possidẽt, ita nec sua repetunt, sed res ecclesiæ quarum procurationem gerunt. Similiter quòd in iudicio prohibentur contendere, sic intelligendum est: videlicet vt non sibi stent coram iudice, sed alijs. Alijs autem coram iudice astitisse, & pro eis iudicem interpellasse nonnullos sanctorum legimus. hi autem non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessitatibus profutura repetunt: & ita non prohibentur stare coram iudice. Illud verò euangelij, Si quis abstulerit tibi tunicam, &c. non est præcipiẽtis, sed exhortantis. VNDE Augustinus ait.

Cap.25 li.19. contra Faustum.

Peccat qui vltra debitum exigit: non qui sibi debita reposcit. 2

QVod debetur etsi benignè remittitur, non tamen iniquè repetitur. peccat autem qui exigit vltra debitum: ideoq; lex modum figens, pœnam talionis instituit. sed tu eo longè

es à

es à peccato iniusti exactoris, quo omnino non exigis debitum: ideoq; bonus magister ait: Qui te percutit in vnam maxillam, præbe ei & alteram. Matth. 5. præsertim ne cogamur & ipsi reddere debitum ab eo qui nullum habet debitum. Sic & cætera accipias. ITEM de sermone domini in monte.

De eodem. 3

QVisquis præceptis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ. & paulo post. Præcepto domini non obedire, peccatum est, & consilio si vti nolueris, minus boni adipisceris: non mali aliquid perpetrabis. Item Gregorius in epistola ad Iouinianum. Quòd præcipitur, imperatur: quod imperatur, necesse est fieri: si non fiat, pœnam habet. vbi consilium datur, offerentis arbitrium est. vbi præceptum, necessitas est seruientis vt obediat, vel imperantis vt ei obediatur.

QVAESTIO II.

AN DE SVIS FRATRIBVS TESTES PRODVCERE POSSINT.

DE eo autem quod quæritur, an de suis fratribus testes GRATIA. producere possint, multis auctoritatibus videtur esse prohibitum. Leges enim tam sacrorum canonũ quàm secularium principum prohibent aduersum aliquem testẽ de sua domo produci. contra se enim quisque testari potest: pro se verò minimè. Quia ergo isti producuntur vt pro seipsis testimonium ferant (non enim vtilitatis suæ ecclesiæ se penitus immunes arbitrantur futuros) patet quòd eorum vox in talibus non est audienda. Sed distinctio hæc, & testium examinatio in criminalibus causis seruanda est: in ciuilibus autem non vsquequaq;. in criminali enim causa non licet testem de propria domo produci: in ciuili autem prælatis ecclesiæ licet. VNDE Paschalis. ij. Guidoni archiepiscopo Viennensi apostolicæ sedis legato scribit dicens.

Clerici pro sua ecclesia testimonium ferre possunt. 1

SVper prudentia tua plurimum admiramur quòd in negotio beati Stephani clericorum ipsorum acceptare nolueris testimonium. diuersæ nanq; sunt species causarum, nec in omnibus causis crimina agitãtur. In criminibus siquidem accusatorum & testium illa distinctio obseruanda est quę in canonibus continetur, ne qui ad probationem domestici assumãtur. Cæterum in possessionum vel huiusmodi negocijs hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negocia tractauerũt, de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat. Si ergo ijdẽ clerici idonei sunt ad assertionem causæ illius nullatenus remoueantur: sed sicut alijs literis deliberatum est inter sancti Ioannis & sancti Stephani canonicos lis illa plenius decidatur.

Potest etiam intelligi aliter. domestici ad probationẽ non GRATIA. admit-

admittantur: vt pro his videlicet quorum sunt domestici, testimonium ferant. hi autem (sicut suprà de actoribus dictum est) non pro domesticis, sed pro ecclesia quæ mater est omnium pauperum testimonium dicant. In conficiendis autem instrumentis secularium negotiorum presbyteri non vocentur ad testimonium: sed si casu contractui eos interfuisse contigerit, iubente episcopo testimonium dicant.

VNDE in synodo habita Romæ ab Eugenio papa statutum est.

In conficiendis instrumentis sacerdotes ad testimoniũ non vocentur. 2

QVanquam sacerdotum testimonium credibile habeatur, tamen in ipsis secularibus negociis pro conficiendis instrumentis ad testimonium non rogentur: quia eos talibus rebus interesse non conuenit. si autem euentu aliquo causæ interfuerint, & aliquid viderint vel audierint: vbi nullæ ad illud idoneæ secularium inueniantur personæ: ne veritas occultetur, & malus vt bonus æstimetur: in prouidentia proprij episcopi sit, vt aut coram se & competentibus iudicibus, aut aliter honorificè veritatem testificentur.

QVAESTIO III.

AN SIT VSVRAS EXIGERE PRAETER SVMMAM SECTARI EMOLVMENTA.

GRATIA. *Ad versum Tota die miseretur.*

QVòd autem præter summam emolumenta sectari sit vsuras exigere, Augustini auctoritate probatur, qui in psalmo. xxxvj. scribit dicens.

Qui plus quàm dederit accipit, vsuras expetit. 1

SI fœneraueris homini, id est, si mutuò dederis pecuniã tuam à quo plus quàm dedisti expectes: non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dedisti, siue illud triticum sit, siue vinũ siue oleum, siue quodlibet aliud: si plus quàm dedisti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.

Ad ca. 18.

ITEM Hieronymus super Ezechielem. lib. vj.

Quicquid supra datum exigitur, vsura est. 2

PVtant quidam vsuras tantum esse in pecunia, quod prouidens diuina scriptura omnis rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias quàm dedisti. Item alij pro pecunia fœnerata solent munuscula diuersi generis accipere, & non intelligunt scripturam vsuram appellare & superabundantiam quicquid illud est si ab eo quod dederint plus reacceperint.

Ca. 14. li. de Tobia.

ITEM Ambro. de Tobia.

Quicquid sorti accedit, vsura est. 3

PLærique refugientes præcepta legis, cùm dederint pecuniã negociatoribus, non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam vsurarum emolumẽta percipiunt. ideo audiant

audiant quid lex dicat. Neq;, inquit, vsuram escarum accipies, neque omnium rerum. Item. Esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcunque accedit sorti, vsura est: & quod velis nomen ei imponas, vsura est. Item si quis instaurandum conuiuium putat, ad negociatorem mittit vt absinthiaci cupellam deferat sibi gratis. ad cauponē dirigit, vt picenum vinum aut tyriacum requirat, ad lanium, vt hilam sibi procuret. ad alium, vt sibi poma adornet. ITEM ex concilio Agathensi. *Iuo etiam refert*

Quando amplius quàm debetur, exigitur, vsura est. 4 *lib. 3. de vsuris.*

VSura est vbi amplius requiritur quàm quod datur: verbi gratia, si solidos decem dederis, & amplius quæsieris: vel si dederis frumenti modium vnum, & super aliquid exegeris. Ecce euidenter ostenditur quòd quicquid vltra sortem exigitur, vsura est.

QVAESTIO IIII.
AN LICEAT ALICVI VSVRAS EXPETERE.

QVòd verò nec clericis nec laicis liceat vsuras exigere, GRATIA. probatur auctoritate Gelasij & aliorum.

Ait enim Gelasius papa scribens clericis per Lucaniam & Siciliam. *Cap. 17. epistolæ.*

A quæstibus negociationis clerici abstineant. 1

CLerici ab indignis quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio vel cupiditate cessandum. in quocunque verò gradu sint, si cessare noluerint, mox à clericalibus officijs abstinere cogantur.

ITEM ex concilio Arelatensi primo, quod confirmauit GRATIAN. papa Siluester. *Cap. 12.*

Excommunicentur ministri altaris qui fœnerantur. 2

MInistri qui fœnerantur, placuit iuxta formam diuinitus datam eos à communione abstinere.

ITEM ex concilio Terraconensi. *Cap. 2.*

Qui volunt esse in clero, à studio negociationis abstineant. 3

CAnonum statutis firmatum est, vt quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius, & vendendi carius studio non vtatur. quòd si exercere voluerit, cohibeatur à clero.

ITEM ex concilio Martini papæ. *Cap. 63. synodorũ Græcarum à Martino episcopo Brac. collectarum. 1.*

Alienetur à clero vsuras aut superabundantiam exigens. 4

SI quis oblitus timorem domini & sanctarum scripturarum quæ dicunt: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: post hanc cognitionē magni concilij fœnerauerit, vel centesimam exegerit, aut ex quolibet negocio turpis lucri quæsierit, aut per diuersas species vini vel frugis, vel cuiuslibet rei emendo vel vendendo aliqua incrementa susceperit: de gradu suo deiectus, alienus habeatur à clero. ITEM ex eodem. *Psal. 14. cap. 3. conci. Taraconen.*

Pro pe-

Pro pecunia quam clericus mutuò dedit, iusto precio species accipere potest. 5

a pecuniam numeratam.

SI quis clericus in necessitate [a]solidum[!] præstiterit, hoc de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuerit venundari. cæterùm si speciem non habuit necessariam: ipsum quod dedit, sine vllo augmento recipiat. ITEM ex concilio Agathensi tertio.

Ca.16. con. Carthag.3.

Clericus non accipiat plus quàm commodauit. 6

NVllus clericorum amplius accipiat quàm commodauit. si pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eandem quam dedit, accipiat. & quicquid aliud, tantum quantum dedit accipiat. ITEM Leo papa.[b]

Leo primus epistola.1.

b Ad episcopos per Campaniam & diuersas prouincias.

Etiam laicis vsura damnabilis est. 7

NEc hoc prætereundum quoque duximus esse, quosdam lucri turpis cupiditate captos, qui vsurariam exercere pecuniam, & fœnore volunt ditescere: quos nos vt non tantum dicamus in eos qui sunt in clericali ordine constituti, sed etiam in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus: quod vindicari acrius in eos qui fuerint confutati, decernimus, vt omnis peccandi opportunitas adimatur.

Cap.17.

ITEM ex Nicæno concilio.

Eijciantur à clero turpia lucra sectantes. 8

c turpe lucrum vet.

Psal.14.

QVoniam multi clerici auaritiæ causa [c]turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti quo dictum est: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: statuit hoc sanctum cōcilium vt si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem vsuras accipere, vel ex quolibet tali negocio turpia lucra sectari, vel etiam species frumentorum ad sesquplum dare: omnis qui tale aliquid conatus fuerit ad quæstum, deijciatur à clero, & alienus habeatur ab ecclesiastico gradu. ITEM Iulius papa.

Iuo id etiam refert lib.3. de vsuris.

Turpe lucrum sequitur, qui minus emit vt plus vendat. 9

QVicunque tempore messis vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus nummis comparat modium vnum: & seruat vsque dum vendatur denarijs quatuor aut amplius: hoc turpe lucrum dicimus.

Cap.12.

ITEM Ambrosius in libro de bono mortis.

Rapinam facit, qui vsuram accipit. 10

SI quis vsuram accipit, rapinam facit: vita non viuit.

Epi.54.

ITEM Augustinus ad Macedonium.

Non minus crudelis est qui pauperem trucidat fœnore, quàm qui diuiti aliqua rapit. 11

QVid dicam de vsuris quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore. Hæc vtique

vtique atque huiusmodi malè vtique possidentur: & vellem vt restituerentur: sed non est quo iudice repetantur. Iam verò pru denter intueamur quod scriptum est: Fideli homini totus mun dus diuitiæ sunt: infideli autē nec obolus. Nónne omnes qui sibi videntur gaudere conquisitis, eísque vti nesciunt: alienum possidere conuincimus? Hoc enim certè alienum non est quod iure possidetur. hoc autem iure possidetur, quod iustè: & hoc iu stè, quod bene. Omne igitur quod malè possidetur, alienū est. malè autem possidet qui malè vtitur. Porrò à quo vsuræ exigendæ sint, Ambrosius testatur dicens. *Ambr. cap. 15. lib. de Tobia, quem librū quidam putant esse adulterinum & supposititium, vt Erasmus & quidam scolastici Theologi.*

Ab illo vsuram exigere possumus, cui iure nocemus. 12

AB illo exige vsuram cui meritò nocere desideras: cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferūtur vsuræ, quem bello vincere non potes. ab hoc vsuram exige quem non sit crimen occidere. sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat. sine gladio se de hoste vlciscitur, qui fuerit vsurarius exactor inimici. Ergo vbi ius est belli, ibi ius vsuræ.

QVAESTIO V.

AN ELEEMOSYNAE DE VSVRIS FIERI POSSINT.

QVòd verò eleemosynæ non sint faciendæ ex fœnore vel vsuris, nec quolibet malè acquisito, Augustinus testatur in libro de verbis domini, tractatu XXXV. *GRATIAN. Ser. 35. de verbis domini.*

De vsuris eleemosyna fieri non possunt. 1

NOlite velle eleemosynas facere de fœnore & vsuris.

ITEM Augustinus.

Oblatio de rapina reprobatur. 2

IMmolans ex iniquo, oblatio est maculata. Dona iniquorū non probat altissimus: nec respicit in oblationibus iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium, vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit: necessario fratres sunt. ITEM Augustinus in homilia. *Eccles. 34. e*

Non est aliquid rapiendum diuitibus, vt detur egenis. 3 *Hom. 7. li. 50. homiliarum.*

FOrte aliquis cogitat & dicit: multi sunt Christiani diuites auari, cupidi, non habebo peccatum si suum illis abstulero, & pauperibus dedero, vnde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero. sed huiusmodi cogitatio ei diaboli calliditate suggeritur. nam si totum tribuat pauperibus quod abstulerat: addit potius peccatum quàm minuat.

ITEM Hieronymus.

[illegible] 4

a Omnino abest à veteri manusc.

De eodem. [a]Palea.

NEmo qui rapit, moriens si habet vnde reddat saluatur. Si eos quorum fuit, inuenire non poterit: ecclesiæ vel pauperibus tribuat. ITEM Ambrosius.

b deest omnino in vet.

De eodem. [b]Palea.

RApinam emere non licet, nisi ea intentione vt cui est ablata, restituatur. ITEM Augustinus.

Ser. 19. de verbis apostoli.

Furtum committit qui inuentum non reddit. 4

SI quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti, quantum potuisti fecisti: quia plus nō inuenisti, ideo plus non rapuisti. qui alienum negat: si posset, & tolleret. deus cor interrogat, non manum. ITEM Gregorius.

Epist. 110. lib. 7. ad Siagrium Bethenium.

Qui de rebus concessis & bene quæsitis eleemosynam impendit, illa placet deo. 5

ELeemosyna redemptoris nostri oculis illa placet quæ non ex illicitis & iniquitate congeritur: sed quæ de rebus concessis, & bene acquisitis impenditur.

Ori hom. 4. ad cap. 6. Leuit.

ITEM Hieronymus in libro Leuitici.

Peccat qui rem inuentam non reddit. 6

MVlti sine peccato putant esse si alienum quod inuenerint teneant, & dicunt: deus mihi dedit, cui habeo reddere? discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat. ITEM Augustinus.

Bonus vsus non iustificat iniustè quæsita. 7

NEque enim si agris iniquè ac perperam inuasis, ita quisquam vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleemosyas faciat, ideo rapinam iustificat. Neque si aliàs ruri paterno vel iustè quæsito auarus incumbat, ideo culpanda est iuris ciuilis regula qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicę factionis peruersitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet; Nec vituperetur ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæuiat. aliud est nanque iniusta potestate iustè velle vti; & aliud est iusta potestate iniustè velle vti.

Cap. 9. lib. 3. offic.

ITEM Ambrosius in libro de officijs.

Cum alterius detrimento alteri subuenire non licet. 8

DEnique si non potest subueniri alteri nisi alter lædatur, cōmodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. ideoq; in causis pecuniarijs interuenire non est sacerdotale, in quibus non potest fieri quin frequenter lædatur alter qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus: posse autem solius dei est. ITEM Gregorius in regesto.

Prouerb. 15. b

Eleemosyne & sacrificia non placent deo quæ offeruntur ex scelere. 9

SCriptum est: Victimæ impiorum abominabiles sunt deo: vota iustorum placabilia. neque enim in omnipotentis dei iudicio

iudicio quid, sed à quo detur inspicitur. Hinc est enim quod scripum est: Respexit deus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Dicturus quippe quia dominus respexit ad munera, pręmisit solicitè quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. dona quippe iniquorum non probat altissimus: nec respicit in oblationibus eorum: nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis eorum. Idem. Longè est dominus ab impijs, & *orationes eorum non exaudiet.

Genes. 4. c | Eccles. 34. c | Prouerb. 15. d | Exod. 3. g | *al. orationes iustorū exaudiet. | Greg. ca. 12. li. 22. super Iob.

Econtra in Exodo legitur quòd filij Israel exituri de Aegypto à vicinis suis acceperunt mutuò vasa aurea & argentea: ex quibus postea ædificauerunt tabernaculum domino. His respondet Augustinus in libro quæstionum Exodi.

2. pars. GRATIAN.

Non licet aliena rapere exemplo Israelitarum spoliantium Aegyptios. 10

Quæst. 39. ad cap. 11. Exod. | Exod. 3. g

DIxit dominus ad Moysen: Petat vir à proximo, & mulier à proxima vasa argentea & aurea, & vestem. Non hinc quisquam sumendum exemplum putare debet ad expoliandū isto modo proximum. hoc enim dominus iussit: qui nouerat quid quemque pati oporteat. nec Israelitæ furtum fecerunt, sed deo iubente ministerium præbuerunt.

Item. Obijcitur. Aliena rapere non est contra præceptum. nullo siquidem dei mandato rapina videtur prohibita. Sed nomine furti omnis illicita vsurpatio rei alienæ intelligitur.

GRATIAN. 3. pars.

VNDE Aug. in eodem lib.

quęst. 71. lib. 2.

Maioris pœnitentiæ est violenter aliquid eripere, quàm furari. 11

Aug. q. 71. lib. 2. quæst. super Exod.

POenale est occultè auferre: multo maioris pœnæ est visibiliter eripere. Auferre ergo nolenti siue occultè, siue palam habet præceptum suum. Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit. sed vtique furti nomine in lege veteris testamenti, & rapinam intelligi voluit: à parte enim totū significauit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur.

His auctoritatibus probatur, quòd neque ex rebus inuētis, neque ex malè conquisitis eleemosynam quisquam facere potest. Sed August. contrà testatur dicens.

GRATIAN. 4. pars. | Serm. 35. de verbis domi.

De malè acquisitis bonum fieri potest. 12

QVi habetis aliquid de malo, facite inde bonum. qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo. Esto tu bonus qui bonum facis de malo: & cùm cœperis aliquid boni facere de malo, noli remanere tu malus. nummi tui conuertuntur in bonum: & tu remanes malus?

Sed hoc multipliciter intelligitur. Facit enim de malo bonū, qui reddit quod illicitè abstulit, nomine etiam mali cura & solicitudo mortalium exprimitur. de malo ergo bonum facit

GRATIAN.

qui pauperibus dispensat quod cum labore & solicitudine acquisiuit: iuxta illud euágelij: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. (Luc. 16. c) Vel ex malo acquiritur quod ex turpi causa possidetur: veluti cùm mathematicus ex arte quam docet, vel ex futuris quæ prænunciat, nonnulla lucratur. Quæ verò de malo sic acquirũtur, in bonum possunt conuerti. de peccato etiá aliqua nonnunquam acquiruntur, quæ pauperibus iustè erogantur. (Epist. 54.) VNDE Augustinus ad Macedonium.

Quæ malè acquiruntur, aliquando bene possunt expendi. 13

NOn sanè quicquid ab inuito sumitur, iniuriose aufertur. nã plęrique nec medico volunt reddere honorem suũ, nec operario mercedẽ: nec tamen hæc quæ ab inuito accipiuntur, per iniuriam accipiuntur: quæ potius per iniuriam non darentur. Sed non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis testimonium verum, quia vendit aduocatus iustũ patrocinium, iurisperitus verum cõsilium. Illi enim inter vtramque partẽ ad examen adhibentur: isti ex vna parte consistunt. Cùm autem iudicia & testimonia, quæ nec iusta nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur: multo sceleratius vtique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamuis à volentibus datur. Ille tamen solet malè sibi ablatam pecuniá repetere, qui iustũ iudicium emit: quoniá venale esse non debuit. Qui verò pro iniquo iudicio dedit, vellet quidẽ repetere, nisi timeret vel puderet emisse. Sunt aliæ personæ inferioris loci quæ ab vtraque parte non insolenter accipiũt, sicut officialis & qui amouetur, & cui admouetur officium: ab his extorta per immoderatá improbitatem repeti solent: magisq; reprehendimus, qui talia insitatè repetierunt, quàm qui ea de more sumpserunt: quoniá multæ necessariæ personæ rebus humanis vel inuitãtur huiusmodi commodis vel tenentur. Isti si viam vitæ mutauerint, aut excellentioris conscenderint sanctitatis gradum, facilius ea quæ hoc modo acquisierunt, tanquam sua pauperibus largiuntur, quàm eis à quibus accepta sunt, tanquá aliena restituant. Qui verò contra ius societatis humanæ furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, inuasionibus aliqua abstulerint, reddenda potius quàm donanda censemus, Zacchæi publicani exemplo.

QVAESTIO VI.

AN VSVRARII POENITENTIAM AGERE VALEANT NISI QVOD MALE ACCEPERVNT RESTITVANT.

(GRATIA. Epist. 54.) QVòd verò pœnitentia agi non possit nisi res aliena reddatur, testatur August in epist. ad Macedonium.

Pœnitentia non agitur, si aliena res non restituatur. I

SI res aliena propter quam peccatum est, reddi possit & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. si autem veraciter

tacitet agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (vt dixi) restitui potest. plærunque enim qui aufert, amittit siue patiendo malos, siue ipse malè viuendo, nec aliud habet vnde restituat. Huic certè nō possumus dicere, redde quod abstulisti, nisi cùm habere credimus, & negare. verùm quidem si aliquos sustinet cruciatus repente dum existimatur habere quod reddat, non est iniquitas: quia si non est vnde reddat ablatam pecuniam, tamen dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo malè ablata est, pœnas luit. Sed non inhumanum est etiam pro talibus intercedere, non ad hoc vt minimè restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominē sæuiat. & paulò post. Illud verò fidentissimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem (quantum honestè potest) ad reddendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. nam misericordius opem nostrā talibus subtrahimus quàm impēdimus. Non enim opem fert qui ad peccandū adiuuat, ac non potius adiuuat, sed obuiat subuertendo atque opprimendo. Sed nunquid nos ideo aut exigere, aut exigēdū tradere, vel possumus vel debemus? Agimus quantū episcopalis facultas dat, & humanum quidē nonnunquam, sed maximè ac semper diuinū iudicium cōminantes. Nolētes autē reddere quos nouimus & malè abstulisse, & vnde reddāt habere, arguimus, increpamus, obtestamur, quosdam clam, quosdā palam: sicut diuersitas personarū diuersam videtur posse vel velle accipere medicinam.

Si verò rem alienam quis consecrauerit: non eandem, sed æstimationem eius restituere debet. VNDE Greg. 2. pars. GRATIAN.

Qui rem alienam consecrat, eius æstimationem restituat. 2

COmperimus nullam extitisse causam pro qua res eorum potuissent rationabiliter à te occupari, atque eas inconsultè ac temere consecrari. idcirco experientiæ tuæ præcipimus, vt quia quod semel cōsecratum est, eis non valet vltra restitui, studij tui sit vt ipse episcopus debeat precium dare.

Pro malis autem apud principes ecclesia debet intercedere, non eos temerario ausu defendere. 3. pars. GRATIAN.

VNDE Gregorius Romano defensori. Epist. 24. lib. 7.

Ecclesia pro malis intercedat, non eos temerario ausu defendat. 3

HI qui in furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniustè defendi, ne opinionem malè agētium ex indiscretæ defensionis ausu in nos vllo modo transferamus: sed quantum decet ecclesiam, admonendo, & verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, vt aliis opem feratis, & opinionem sanctæ ecclesiæ non inquinetis.

Furtum autem non tam in quantitate rei quàm in affectu furantis consideratur. GRATIAN.

Ad cap. 2.

VNDE Hieronymus in epistola ad Titum.

Non solum in maioribus furtum committitur, sed etiam in minoribus. 4

4. pars, vel furtum.

FVr* autem non solum in maioribus sed in minoribus etiam iudicatur. non enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione non iccirco diuersa sit fornicatio si mulier sit pulchra aut deformis, ancilla aut ingenua, paupercula aut opulenta: sed qualiscunque illa fuerit, vna est fornicatio: ita in furto quantuncunque quis abstulerit, furti crimen incurrit.

CAVSA XV.

GRATIA.



QVIDAM sacerdos crimine carnis lapsus esse perhibetur antequam sacerdotalem benedictionem consequeretur. postquam verò sacerdotiũ adeptus est, in furorem versus quendam interfecit. recuperata verò sanitate, apud episcopum accusatur ab ea cum qua lapsus esse dicitur. episcopus autem die dominico causam examinat. sacerdos inficiatur crimen sibi illatum. quorundam clericorum sibi patrocinia quærit. illi verò non sine precio sibi patrocinantur. tandem episcopus confessionem quæstionibus extorquet. demum solus & absque synodali audientia illum sententia ferit.

1 Quæritur autem an ea quæ mente alienata fiunt, sint imputanda?

2 Secundò, an pro impensis patrocinijs liceat clericis munera exigere?

3 Tertiò, an ex mulieris confessione iste sit condemnandus?

4 Quartò, an die dominico eius causa sit ventilanda?

5 Quintò, an sibi neganti purgatio sit deferenda?

6 Sextò, an eius confessio cruciatibus sit extorquenda?

7 Septimò, an absque synodali audientia episcopus valeat sacerdotem damnare?

8 Octauò, si sponte confessus est aut ab alijs conuictus fuerit quòd ante ordinationem peccauerit, an suscepti ordinis officium exequi sibi liceat?

QVAESTIO I.

AN EA QVAE MENTE ALIENATA FIANT, SINT IMPVTANDA.

GRATIAN.

QVòd autem quæ alienata mente fiunt, non sint imputanda, facilè videtur posse probari. Peccata nanque alia penes voluntatem animi, alia circa naturæ infirmitatẽ videntur consistere. Est autem voluntas (vt Aug. ait in lib. j. retractationum) animi motus ad aliquid imitandum, vel non imitandum, vel adipiscendum. quod propterea dictum est, vt hac diffinitione volens à nolente discerneretur. Ex voluntate

Cap. 15. lib. 1. Retractat.

itaque

taque peccata procedunt quæ libero mentis arbitrio, & delinquendi proposito committuntur. Porrò infirmitas alia est animi, alia carnis. Infirmitas animi, est ignorantia. Carnis infirmitas est eius concupiscentia. Ex vtraque autem infirmitate quæ procedunt imputantur ad pœnam. Vnde de quibusdam ignorantibus dictum est: Si quis ignorat, ignorabitur. Tales 1. Cor. 14. g illi erant de quibus Christus ait apostolis: Extra synagogam fa Ioan. 16. a cient vos: quia arbitrabuntur obsequium se præstare deo. De Rom. 10. a eisdem etiam apostolus scribit in epistola ad Romanos: Testimonium illis perhibeo: quia zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Nullum tamen eorum in perfidia sua perseuerantem hæc ignorantia excusat. Ex carnis infirmitate procedunt quæ naturæ languore fiunt: quę nisi imputarentur ad pœnam, nequaquã apostolus lege carnis grauatus diceret: Infœlix Roman. 7. d ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius, &c. Siue ergo penes voluntatẽ, siue penes infirmitatẽ peccata consistant, semper imputantur ad pœnã. Cui sententiæ illud Augustini de vera religione contrarium videtur: Vsque adeò peccatum volũtarium malum est, vt nisi sit voluntariũ, nullo modo peccatũ sit, & hoc quidẽ adeò manifestum est, vt nulla huic doctorũ paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandũ est peccatum committi, aut fatendum est cum voluntate cõmitti. Sed hoc non generaliter de omnibus peccatis intelligendum esse idem Aug. in lib. j. retractationum ostendit, dicens: Vsque adeò peccatum voluntariũ malum est, vt nullo modo peccatũ sit, si non sit voluntariũ. Potest videri falsa hæc diffinitio, sed si diligẽter excutiatur, inuenitur verissima. Peccatũ illud quippe cogitandũ est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiã pœna peccati: quamuis & illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur: quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrãtur, non omnimodo possint non voluntaria dici. Idem, in eodem. Diffinitio peccati quã diximus, Aug. lib. de duabus animabus cap. 11. Peccatũ est volũtas retinendi vel cõsequendi quod iustitia vetat: vnde liberum est abstinere, propterea vera est: quia id diffinitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. IDEM in lib. quæstionum. Quæst. 24. lib. 1 quæst. 4. super Numeros ad cap. 15.

Non sunt peccata nolentium, nisi nescientium.

MErito quæritur quę sunt peccata nolentium, vtrum quæ à nescientibus cõmittuntur, an etiam rectè possit dici peccatum esse nolẽtis quod facere compellitur. nam & hoc cõtra voluntatem dici solet. sed vtique vult id propter quod facit: tãquam si peierare nolit: quod tamen facit cùm vult viuere si quisquam nisi fecerit, mortem minetur. vult ergo facere, quia vult viuere: & ideo non per seipsum appetit vt falsum iuret: sed vt falsum iurãdo viuat. quod si ita est, nescio vtrum possint

iſta dici peccata nolentium, qualiter hìc dicuntur peccata expianda. nam ſi diligenter inſpiciatur, forte ipſum peccare nemo velit, ſed propter aliud quod vult peccat. omnes quippe homines qui ſcientes faciūt quod non licet, vellent licere facere. vſque adeò ipſum peccare nemo appetit propter hoc ipſum, ſed propter illud quod ex eo conſequitur. hæc ſi ita ſe habent, non ſunt peccata nolentium, niſi neſcientium, quæ diſcernuntur à peccatis volentium. ff. titu. de iniurijs. 2

Lib.47. Digeſt. tit.10. leg.2.

Illud relatum peræquè eſt, eos qui iniuriam pati poſſunt, & facere poſſe. Sanè ſunt quidam qui facere non poſſunt: vt puta furioſus, & impubes qui doli capax non eſt. nanque hi pati iniuriam ſolent, non facere. Cùm enim iniuria ex affectu facientis conſiſtat, conſequens erit dicere hos ſiue pulſent, ſiue conuitium dicant, iniuriam feciſſe non videri. Itaque pati quis iniuriam etiam ſi non ſentiat, poteſt: facere verò nemo niſi qui ſcit ſe iniuriam facere, etiam ſi neſciat cui faciat. Quare ſi quis per iocum alium percutiat, aut dum certat, iniuriarum non tenetur. Si quis liberum hominem cæciderit, dum putat ſeruum ſuum, in ea cauſa eſt ne iniuriarum teneatur.

GRATIAN.

Itaque (vt ex præmiſſis apparet) ſiue voluntate, ſiue ex infirmitate peccata procedant, palam eſt illa imputari. Sed carnis infirmitas dupliciter intelligitur. Eſt enim languor naturæ, qui carnis concupiſcentia appellatur, quæ verius animæ infirmitas dici poteſt. ſed ideo carnis infirmitas dicitur, quia accidit animæ ex coniunctæ carnis corruptione. Porrò alia eſt infirmitas quæ propriæ carnis dicitur: qua (elementorum ſeu humanorum concordia turbata) ipſa caro afficitur, & tandem diſſoluitur. Similiter animi infirmitas duplex eſt. Vna quæ vitiū appellatur, qua anima à deo ſeparatur: vt eſt ira, odium, & alia huiuſmodi. Alia infirmitas animi, quæ cùm ipſa non ſit peccatum, eſt tamen pœna & cauſa peccati: vt eſt obliuio, & ignorantia. Furor autem cùm non ſit peccatum, eſt tamen pœna peccati, vt febris, & cæteræ paſſiones, quas propriè carnis dicimus eſſe: quarum motus, id eſt ea quæ illis perturbantibus fiunt, nulli imputantur ad pœnam. Sed obiicitur de Lamech qui cùm cæcus eſſet, Cain interfecit, nec eum excuſauit cæcitatis infirmitas. vnde dictum eſt: Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagiesſepties. Sed cæcitas ignorantiæ ſimilis eſt. Ex vtraque enim quædam fiunt quæ imputantur: quædam verò quæ minimè. cæcus nanque ſi debitum ſuę vxori credens reddere alienam polluit, non eſt reus adulterij. Si autem ex ludo vel exercitatione virium, vel venatione iaculum mittēs aliquem perimat: quia ab eo penitus hoc debet eſſe alienum, homicidij reus habetur. Mens verò alienata furore cùm ſui compos non ſit, eorū quæ admittit reatum non contrahit:

Geneſ.4.

trahit: quia facultatem deliberãdi non habuit. vnde pupillo & furioso in maleficijs subuenitur, vt non eis imputentur ad pœnam, quæ ex mentis deliberatione non processerunt. ff. tit. de iniurijs. illud relatum. require suprà, quod non solum humanis, sed etiam diuinis legibus noscitur approbatum. Ait enim Augustinus de paruulis ad Petrum diaconum. 3 Cap. 30.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites (exceptis illis qui pro nómine Christi suo sanguine baptizantur) nullum hominẽ accepturum vitam æternam qui non hîc à malis fuerit per pœnitentiam fidemque conuersus, & per sacramẽtum fidei & pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus. Et maioribus quidem necessarium esse & pœnitentiam de malis suis agere, & fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, & sacramentum baptismatis accipere, paruulis verò qui necdum propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter contrahunt, agere possunt, sacramentum fidei quod est sanctum baptisma, quandiu rationis ætas eorũ capax esse non potest, sufficere ad salutem.

GRATIAN.

Ex eo autem quod in fine huius auctoritatis dicitur: quandiu scilicet rationis eorum ætas capax esse non potest, euidenter datur intelligi nulli post baptismum peccata imputari, siue sit adultus, siue impubes, nisi rationis sit capax. vnde etiam de brutis animalibus eadem ratio ab Augu. in eodem lib. redditur quare sua facta eis non imputentur. Animalia enim (inquit) præsentis temporis seculi cursum aut ornatum secũdum creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quæ de suis factis nullam rationem reddituri sunt: quia rationabilia non sunt. Nunquid enim de bobus cura est deo? Homines verò quia rationabiles sunt facti: & de se, & de omnibus rebus quas in vsu vitæ præsentis acceperunt, rationem reddituri sunt deo, & pro suorum actuũ qualitate recipient, aut gloriam, aut pœnã. Sacræ tamen legis auctoritate animalia iubentur interfici, non propter conscientiam peccati, sed quia refricant memoriam facti. VNDE August. super Leuiticum. Quæst. 74. ad cap. 20. Leuit.

Non propter culpam, sed propter memoriam facti pecus occiditur ad quod mulier accesserit. 4 Leuitic. 19. c

MVlier quę accesserit ad omne pecus, & vult ascendi ab eo, interficietis mulierem, & pecus morte moriatur. rei enim sunt. Quæritur quomodo sit reum pecus, cùm sit irrationabile, nec vllo modo capax legis est? Idem. Pecora inde credendum est iussa interfici: quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

GRATIAN.

De furiosis autem euidentissimè scribit Augustinus in libro quæstionum veteris & noui testamenti. ita dicens.

Culpa non necessitate, sed voluntate reum constringit. 5

ALiquos scimus subitò dementes factos, ferro, fuste, lapidibus, morsibus multis nocuisse, quosdam etiam occidisse, captos autem industria, & iudicijs oblatos, minimè reos factos: eo quòd non voluntate, sed impellente vi nescio qua hęc gesserint nescientes. Quomodo enim reus constituitur qui nescit quod fecerit?

Cap. 8. lib. 1. ITEM Ambrosius in Hexamero in tractatu primi diei.

Reus voluntate non necessitate constringitur. 6

ILla cauenda sunt quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta iuuentutis, & irrationabiles corporis passiones. Quorum igitur nos sumus domini, eorum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios: sed agnoscamus ea propria quę nostra sunt. quod enim possumus nō facere si volumus huius electionem mali nobis potius debemus asscribere quàm alijs. ideo etiam in iudiciis istiusmodi voluntarios reos non necessitate compulsos culpa constringit: pœna condemnat. neque enim si per furorem aliquis innocētem perimat, obnoxius morti est, quin etiam ipsius diuinæ legis oraculo si quis per imprudentiam intulerit necem: accipit impunitatis spem, & refugij facultatem, vt possit euadere. hoc igitur de eo quod propriè malum videtur, dictum sit. mala enim non sunt nisi quæ crimine mentem implicant, & conscientiam ligant. Cæterùm paupertatem, & ignobilitatem, ægritudinem, & mortem nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauerit: quia necessaria ista in bonis habentur maximis: quorū nobis alia ex natura, alia ex commoditate accidere videntur.

Cap. 6. lib. de Abraham. IDEM in lib. de patriarchis.

Veniam habent quæ ignorantes ebrij committunt. 7

SAnè diximus vitandam ebrietatem: per quam crimina cauere non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent: iacent sepulti. Ideoque si qui per vinū deliquerunt, apud sapientes iudices venia quidem facta donantur: sed leuitatis damnantur auctores.

ITEM Augustinus lib. j de ciuitate dei.

Inobedientia vel concupiscentia non habet culpam in corpore non consentientis. 8

SI concupiscentia vel inobedientia quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi sua lege mouetur: si absque culpa est in corpore dormientis: quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis?

Cap. 44 li. 22. IDEM contra Faustum lib. ij.

Loth non de inceſtu, ſed de ebrietate culpatur. 9

INebriauerunt Loth filiæ eius, & ſe neſcienti miſcuerunt. Quapropter culpandus eſt quidem: non tamen quãtum ille inceſtus ſed quantum ebrietas illa meretur.

Item Ambroſius de beata vita. *Cap. 3. li. 1. de Iacob & vita beata.*

Nemo trahitur ad culpam, niſi ductus propria voluntate 10

NOn eſt quòd cuiquam noſtram aſſeribamus ærumnã, niſi noſtræ volũtati, nemo noſtrũ tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit, nõ habent crimẽ quæ inferũtur reluctãtibus, volũtaria tantam cõmiſſa ſequitur delictorũ inuidia quam in alios deriuamus. Voluntariũ ſibi militem eligit Chriſtus: voluntariũ ſeruũ ſibi diabolus auctionatur & acquirit ſuo iuri. Neminẽ iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe ei prius peccatorũ ære vendiderit. Idem in li. de paradiſo. *Cap. 4. lib. 2. de Cain & Abel.*

Miniſter Dei eſt qui inuitus homicidium facit. 11

NEc is qui inuitus aliquod homicidiũ fecerit, extra miniſterium Dei eſt. ſiquidem lex ait de eo: Quia Deus dedit eũ in manu eius. manus ergo eius inſtrumenti modo diuinæ vltioni miniſterium præbuerunt. leuita igitur miniſter remiſſionis eſt. percuſſor autem qui non ex diſpoſitione, ſed prçter volũtatem fecerit homicidium, diuinæ miniſter eſt vltionis.

Illud quoque ſpecta: quia cùm interficitur impius, Chriſtus infunditur: & vbi abominatio aboletur, ſanctificatio conſecratur, quia dixit dominus: In ea die qua interfecero omne primogenitũ Aegypti, ſanctificabo mihi omne primogenitum Iſraël. quod non ad vnum diem afflictionis refertur Aegypti: ſed ad omne tempus.

Cùm itaque qui inuitus hominem interfecerit, miniſter dei ſit, cum innocentem furore perimens morti nequaquam obnoxius ſit, cùm ſubitò dementes eorum quæ faciunt reatum minimè geſtent: patet hunc ſacerdotem homicidij reum non eſſe: vnde nec ſacerdotio priuari debet. Obiicitur autem illud quod inuenitur in pœnitentiali Theodo. GRAT.

In ſe reuerſus pœnitentiam agat qui inſaniens aliquem occidit. 12

SI quis inſaniens aliquem occiderit: ſi ad ſanam mentẽ peruenerit, leuior ei pœnitentia imponenda eſt.

Sed hoc fortè de eo intelligitur quem propria culpa ad furorem perduxit. GRATIA.

Item obiicitur: ſunt quædam quæ etſi non imputentur ad pœnam: tamen impediunt ſacramenti ſignaculum. Ambitio nanque parentum filio non imputatur ad pœnam: cui tamen obeſt ad eccleſiæ munus accipiendum. ſic quæ mente alienata fiunt: etſi non imputentur ad pœnam: tamen ſacri muneris executionem impediunt.

Vnde Hieronymus ait.

Innocens

Innocens est qui non iratus sed propter disciplinam casu aliquem interfecit. 13

SI quis non iratus, sed propter disciplinam aliquem verberauerit, vel palmam alicui dederit, & casu occiderit, sicut fieri solet: quantum ad gratiam innocens est: quia voluntatem non opus requirit. Quantum autem ad legem reus est: quia opera lex quærit. Item si in persecutione virgo fuerit oppressa, repellitur lege: quia opus inspicit, non voluntatem. In gratia autem quasi virgo suscipitur: quia non opera quærit, sed voluntatem.

GRATIAN. Sicut ergo qui propter disciplinam casu homicidium facit, quantum ad legem reus est: quantum ad gratiam innocens est: sic iste sacerdos qui furore homicidium fecit, quantum ad culpam innocens est, quantum ad suscepti muneris executionem reus probatur. His ita respondetur, non omnia quæ ordinandum impediunt, ordinatum deiiciunt. non enim potest ad sacerdotium prouehi qui aliquando insaniuit: veruntamen si post sacerdotium furere incepit, non ideo sacerdotio carebit: nisi forte nunquam ad sanæ mentis officium illum redire contingat. Sicut de quodam episcopo Gregorius scribit in registo ad Eleutherium episcopum: Quamuis triste sit nobis, &c. vt supra in causa. Longa inualetudine grauatus est.

QVAESTIO II.

AN PRO IMPENSIS PATROCINIIS LICEAT CLERICIS MVNERA EXIGERE.

GRATIAN. Cap. 10. PRo impensis veró patrociniis in Terraconensi concilio clerici exigere munera prohibentur: in quo sic statutum legitur.

Pro patrocinijs impensis clericus munera exigere non debet. 1

OBseruandum quoque decernimus, ne quis sacerdotum vel clericorum more secularium iudicum pro impensis patrocinijs munera audeat accipere, nisi in ecclesia gratuito oblata: quæ non fauore muneris videntur accepta, sed collatione deuotionis illata. Quòd si quis ita probatur accipere: veluti exactor fœnoris aut vsurarum possessor: secundum statuta patrum se nouerit degradandum.

GRATIAN. Hoc autem de illis intelligẽdum est qui canonicam vitam professi, regulariter se victuros proposuerunt. generali nanque ecclesiæ consuetudine receptum est, & moribus approbatum, vt clerici more aduocatorum patrocinia impendant, & pro impendendis munera exigant, & pro impensis suscipiant.

QVAE-

QVAESTIO III.

AN EX MVLIERIS CONFESSIONE ISTE SIT CONDEMNANDVS.

Tertiò quæritur an ex mulieris confessione iste sit condemnandus? In quo primò videndum est an mulier sacerdotem accusare valeat: quod sacris canonibus omnino videtur esse prohibitū, generaliter enim statutū est ex decretis Fabiani papæ, vt sacerdotes domini non accusent nec in eos testificentur qui sui ordinis non sunt, nec esse possunt. Mulieres autem non solum ad sacerdotium, sed nec etiam ad diaconatum prouehi possunt, vnde nec sacerdotes accusare, nec in eos testificari valent. Legibus quoque cautum est vt ob verecundiam sui sexus mulier apud prætorem pro alio non intercedat: nisi fortè suas vel suorum iniurias prosequi voluerit. Hæc autem quæ nec suas nec suorum iniurias prosequitur: ad ad hanc accusationem admitti non debet. Econtra qui iudicis personam gerere valet, ab accusatoris officio non remouetur. mulieres autem in veteri testamento populum iudicasse quicunque librum Iudicū legerit, ignorare non potest. Non itaque ab accusatione remoueri possunt quas etiam iudicis personam frequenter gessisse constat: nec vlla serie diuinarum scripturarum ab accusatione prohibentur. His itaque respondetur. In veteri lege multa permittebantur quæ hodie perfectione gratiæ abolita sunt. Cùm enim mulieribus permitteretur populum iudicare, hodie pro peccato quod mulier introduxit, ab apostolo eis indicitur verecundari: viro subditas esse, in signum subiectionis velatum caput habere. quę ergo in his omnibus viro subiecta esse ostenditur: cui pro alio postulare non conceditur, ad accusationem admittenda non videtur. Econtra quanquam passim & indifferenter ad accusationem mulier non admittatur, sunt tamen quædam crimina, quorum accusationem mulier subire non prohibetur. GRATIAN. *Iudic. 4. a* *Ephes. 5. e*

VNDE in libro Codicis ix. Imperator Diocletianus j. titu. scribit dicens. 1 *Tit. Qui accusare non possunt, leg. 12.*

De crimine quod publicorum fuerit iudiciorum, mulieri accusare non permittitur nisi certis ex causis, id est, si suam suorumque iniuriam prosequatur, secundum antiqui iuris statuta tantum, de quibus ei specialiter cōcessum est, non exacta subscriptione. vnde aditus præses prouinciæ in primis examinabit, an tale sit crimen cuius accusationem mulier subire non prohibeatur.

ITEM in lib. digest. Paulus lib. ij. de adulteriis. 2 *Titu. 5. de testibus leg. 18. lib. digest. 22.*

Ex eo quòd prohibet lex Iulia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem: colligitur etiam mulierem testimonium in iudicio dicendi ius habere. Item dige-

stis

Lib. 48. digest. titul. 2.

stis titu. de accusationibus & inscriptionibus lib. ij. Non est est permissum mulieri publico iudicio quẽquam reum facere: nisi scilicet parentum liberorumque & patroni & patronæ, & eorum filij, filiæúe, nepotis, neptisue mortem exequatur.

Tit. 2. leg. 2. vel. Papinian.

*Paulus lib. xlviij. digestorum tit. de accusationibus. 3

CErtis de causis concessa est mulieribus publica accusatio: veluti si mortem exequantur eorum earumq; in quos ex lege testimonium iudiciorum publicorum inuitæ non dicãt. Idem & in lege Cornelia testamentaria senatus statuit. Sed & de testamento paterni liberti, vel materni mulieribus publico iudicio dicere permissum est. Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillæ aui sui mortem exequi concessum est lege testamẽtaria, nam de patris quidẽ testamento pupillis agere diuus Vespasianus permisit. sed & si non exhibeãtur tabulæ testamenti, per interdictum possunt experiri. Codice de ijs qui accusare possunt vel non, Imperat. Alexand. Dionysio. Vxor tua si consobrini sui necem vindicandam existimat: adeat præsidem prouinciæ. In digestis ad legem Iuliam maiestatis. Papinia. lib. xij. responsorum. In quæstionibus læsæ maiestatis etiam mulieres audiuntur. Coniurationem denique Sergij Catilinæ Fuluia mulier detexit: & Marcum Tullium consulem in iudicium eius instruxit.

Li 9. Codic. tit. 1. leg. 4.

Lib. 48. digest.

GRATIAN.

Quæcunque verò persona ad accusationem publicorum iudiciorum vel læsæ maiestatis admittitur: eadem accusationem simoniæ subire non prohibetur.

Titu. 3. de epis. & cler. leg. 29.

VNDE in j. li. codic. imperat. Leo Armasio pręfecto pręt.

Læsæ maiestatis, & publicorum iudiciorum, & simoniæ accusatio æqualiter proponatur. 4

SAnè quisquis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecuniæ interuẽtu subiisse, aut si quis vt alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse detegitur: ad instar publici criminis & læsæ maiestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotis retrahatur: nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoq; infamiæ dãnari decernimus: vt quos facinus par coinquinat & æquat, vtrosque similis pœna comitetur.

GRATIAN.

Cùm autem sacris canonibus accusationes omnino submoueantur quas leges seculi non asciscunt: ediuerso videntur admittendæ, quæ legibus seculi non prohibentur. verũ hoc non infertur: quicunq; enim clericorũ sacris canonibus nuptias cõtrahere prohibentur, etiã legibus imperatorũ non autẽ consequẽter omnium copulam leges admittũt, quorũ coniunctionem sacri canones non prohibent. legibus enim soli cãtores & lectores: canonibus autẽ etiam acolyti vxores ducere possunt: quamuis igitur sacris canonibus submoueantur accusationes quas leges seculi non asciscunt: non ideo consequenter recipiuntur

piuntur quascunque principum leges admittunt. Sed (sicut circa huius operis initium præmissum est) totiens legibus imperatorum in ecclesiasticis negociis vtendum est, quotiens sacris canonibus obuiare nō inueniuntur. Vnde aut specialiter sacris canonibus mulier ab accusatione læsæ maiestatis & simoniæ ostendatur prohibita: aut præmissis rationibus ad huiusmodi accusationem admittenda probetur: nec quisquam distinguere quærat ad aliorum non ad sacerdotum accusationem in hoc casu simonię mulieres esse admittendas. Cū enim generaliter legibus hoc eis permissum inueniatur, nisi quis specialiter aliqua lege hoc prohibitum ostenderit: eius distinctio locum non habebit. Verum cum contra generales regulas quædam crimina specialiter excepta sunt, in quibus mulieri accusare permittitur, inter quæ fornicatio non numeratur: patet quòd huiusmodi accusatio dupliciter infirmatur, & quia fornicationis crimen intendit: & quia dum de se confitetur, super alienum crimen ei credi non oportet.

VNDE Iulius papa scribit dicens. *Iulius papa. I. ca. 18. in decre.*

Rei professio aduersus quemlibet admitti non debet.

NEmini (præterquam de crimine læsæ maiestatis) de se confesso, super alienum crimen credi oportet: quoniam eius atque omnis rei professio periculosa est, & admitti aduersus quemlibet non debet.

Quia ergo ista de se confitetur, super alienum crimen ei credi non oportet: sed contra eam sua confessio interpretāda est. GRATIAN.

QVAESTIO IIII.

AN DIE DOMINICO CAVSA SIT VENTILANDA.

QVòd verò die dominico nec episcopo nec presbytero causam aliquam ventilare liceat, in Terraconensi concilio prohibetur: in quo sic statutum est. GRATIAN.

Ministri ecclesiæ die dominico causas ventilare non debent. I

NVllus episcoporum aut presbyterorum vel clericorum die dominico propositum cuiuscunq; causæ negocium audeat vētilare: nisi hoc tantum, vt deo statuta solēnia peragant: cæteris verò diebus conuenientibus personis illa quæ iusta sunt habent licentiam iudicandi excepto criminali.

ITEM ex cōcilio apud Ephesū habito pręsente rege Hēric.

Solennibus diebus, & legitimorum ieiuniorum, secularia placita non agantur. 2

PLacita secularia dominicis diebus vel aliis præcipuis festis seu etiam in his diebus in quibus legitima ieiunia celebrantur, secundum canonicam constitutionem minime fieri decernimus. Insuper etiā sancta synodus decreuit, vt nulla iudiciaria

ciaria potestas licentiam habeat sua auctoritate Christianos ad placitum bannire in supradictis diebus, id est, septem diebus ante natalem domini vsque in octauas Epiphaniæ,& à quinquagesima vsque ad octauas paschæ,& septem diebus ante natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ: quatenus adeundi ecclesiã, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

ITEM Hadrianus papa.

De eodem. 3

NVllus episcopus vel infra positus die dominico causas iudicare præsumat.

QVAESTIO V.

AN NEGANTI PVRGATIO SIT DEFERENDA.

GRATIAN. PVrgationem verò neganti esse præstãdam Stephanus scribit Leoni episcopo Theanensi.

Diaconus si de crimine conuinci non poterit: apud episcopum seipsum secretò purificet. I

DE crimine sibi illato diaconus tuus verissimè fatebatur se esse immunem: veruntamen si suspicio habetur, & accusatores idonei reperiuntur, & tales testes quales sacri canones sanciunt: accito tecum certo episcoporum numero veniant accusatores: vocetur & ipse Aldericus diaconus: & si negauerit, ventiletur causa canonicè,& si vel sponte confessus, vel legitimis testibus fuerit approbatus, canonica feriatur sententia: qui si nec sponte confitetur, nec accusatores & testes legitimi reperti fuerint,& mala fama crebrescerit: non in publico examine, sed coram te & aliquantis reuerendissimis presbyteris & diaconis tuæ ecclesiæ secreto iuramento se purificet, & deinceps boni testimonij eum annuncia: & compesce & commone ecclesiæ tuæ filios ne sacerdotẽ dei vlterius infamare præsumant, timentes quòd Cham maledictus est, qui patris verenda derisit. ITEM Nicolaus Soloni Cõstantiensi episcopo.

Genes.7.d

Non est spoliandus presbyter vel diaconus, nisi sponte confessus, vel legitimè conuictus fuerit. 2

PResbyter aut diaconus quem asseris crimina nolle publicè confiteri, sed velle cum sacramento defendere se: etsi tamen notum sit episcopo scelus ipsius esse perpetratum, non potest per aliquam pœnitentiam sacerdotali vel diaconali officio potiri. Sed mirandũ est si ipse confessus non fuerit, quomodo notum potest esse episcopo scelus ab ipso perpetratum: nisi accusatore fortè idoneo per testes idoneos approbante. Vnde si examinãte episcopo causam presbyteri vel diaconi (nisi fuerit per testium approbationẽ presbyter vel diaconus fortè conuictus) nõ est scelus episcopo legitimè manifestũ, nisi sua spõte ipsum confiteatur: quod nisi fecerit, interim non videmus suo debere

bere presbyterum vel diaconū officio priuari. Sola ergo spontanea confessio, & canonicus numerus, vel qualitas testium (decernentibus episcopis, & accusatore quod obiecerat comprobante) clericum priuat proprio gradu.

QVAESTIO VI.
AN CONFESSIO CRVCIATIBVS SIT EXTORQVENDA.

" QVòd verò confessio cruciatibus extorquenda non sit, GRATIA.
" Alexander papa testatur scribēs omnibus orthodoxis. Epist. 1.

Ministrorum confessio non sit extorta, sed spontanea. 1

SI quandoq; à sacerdotibus & auctoribus ecclesiæ quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel vt se liberare possint, quocunque ab eis conscriptæ aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullū eis præiudicium vel nocumentum valere censemus: neque vllam eos infamiam vel calumniam, aut à suis sequestrationē bonis vnquam deo auctore & sanctis apostolis eorumq; successoribus sustinere permittimus. confessio enim in talibus nō compulsa, sed spontanea fieri debet. omnis enim confessio quæ fit ex necessitate, fides non est. Confessio ergo in talibus non debet extorqueri, sed spōte ꝓfiteri. pessimum enim est de suspicione aut extorta cōfessione quemquam iudicare: cùm magis sit inspector cordis dominus, quàm operis. Non potest autē humano cōdemnari examine, quem dominus suo reseruat iudicio. Si omnia namq; in hoc seculo vindicata essent: locum diuina iudicia non haberent. Item. Est hoc etiam perlatum ad sanctam sedem (quod pudeo dicere: & nō tantum sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini est inimicum) quòd nonnulli episcopos vel sacerdotes aut metu cōpellunt, aut vi extorquēt, aut fraude decipiunt aliquas confessionis suæ in alterā partem quàm debeant literas scribere, aut pro suarum non requisitione causarū, aut (quod deterius est) alieni erroris sectæ scripturas facere, & propriis manibus roborare, & corā populis recitare atque cōfiteri. alios dicunt carceribus & ergastulis retrudi, vt saltem his territi insidiis domini sacerdotes suis faueant voluptatibus. Item. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet ipso testante qui ait: Ex corde procedunt homicidia, adulteria, & cætera quæ sunt ad hæc pertinētia. Matt. 7. Nec tantum attendenda sunt quæ fiunt, quātum quo animo fiant. amplius enim respicit deus ad cogitationes & spōtaneas voluntates, quàm ad actus qui per simplicitatē aut necessitatem fiunt. ITEM Nicolaus papa episcopis Galliæ.

Apostolica auctoritas penitus illicita in irritum deducit iuramēta. 2

AVctoritatem venerabilium prędecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi papæ & martyris Alexandri

quinti à beato Petro: ab omnibus iuramentis & cuiuscunque modi obligationibus quibus illi sese coacti violentia impiorum obligauerant, absoluimus: & ne illa seruentur, vetuimus tam præfatum archiepiscopum Treuerensem, quàm eius propositum, & omnes qui tunc temporis capti se illis quoquomodo obligauerunt: neque vllam eos proinde infamiam vel calumniam, aut à suis bonis sequestrationem vnquam auctore deo & sanctis apostolis & nostris prædecessoribus sustinere permittimus: sicut per prophetam dominus dicit: Dissolue colligationes impietatis &c. Quinetiam præfato fratri nostro filiisq; Treuerensis ecclesiæ illiusq; defensoribus hæc in mandatis damus, vt spirituali simul & materiali gladio tandiu malignos illos eorumq; fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones vel quæcunque res ecclesiasticæ hoc facto vel quocunque pacto distractæ seu direptæ sunt, reuocentur.

Esai. 58.

GRATIN. ‹‹ A fidelitatis etiam iuramento Romanus pontifex nonnullos absoluit, cùm aliquos à sua dignitate deponit.

‹‹ VNDE Gelasius papa Anastasio imperatori.

Pontificalis auctoritas à iuramento fidelitatis nonnullos absoluit. 3

ALius item Romanus pontifex, Zacharias scilicet regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quòd tantæ potestati erat inutilis à regno deposuit, & [a]Pipinum Caroli imperatoris patrem in eius locum substituit: omnesq;, Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. quod etiam ex auctoritate frequenti agit sancta ecclesia cum milites absoluit à vinculo iuramenti, quod factum est his episcopis qui apostolica auctoritate à pontificali gradu deponũtur.

a filium Martelli

ITEM Gregor. vij. Romanæ synodo præsidens dixit.

Iuo id refert lib. 5. de sententia excom.

Excommunicatis vinculo fidelitatis non tenemur obnoxij. 4

NOs sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate à iuramento absoluimus: & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousq; ipsi ad satisfactionem veniãt. ITEM Vrbanus. ij. episcopo Vapicensi.

Ibidem.

Antequam reconcilientur, fidelitatem excommunicatis nullus seruare cogitur. 5

IVratos milites Hugoni comiti ne ipsi quandiu excommunicatus est seruiant prohibeto: qui si sacramenta prætenderint, moneantur oportere deo magis seruire quàm hominibus. fidelitatem enim quam Christiano principi iurarunt, deo eiusque sanctis aduersanti & eorum præcepta calcanti nulla cohibentur auctoritate persoluere.

QVAE-

QVAESTIO VII.

AN ABSQVE SYNODALI AVDIENTIA EPISCOPVS VALEAT SACERDOTEM DAMNARE.

Absque synodali verò audientia sacerdotem damnari in Hispalensi concilio cui Isidorus interfuit, sic prohibetur. GRATIA.

Sine concilij examinatione presbyter vel diaconus non deijciatur. 1

Ex ta actione comperimus Flagitanum Coraubentis ecclesiæ presbyterum inultè olim a pontifice suo deiectum, & innocentem exilio condemnatum: quem rursus ordini suo restitutum esse comperimus. id denuò aduersus præsumptionem vestram decreuimus, vt iuxta sanctorum patrum synodalem sententiam nullus vestrum sine cócilij examine quemlibet presbyterum vel diaconum deiiciendum putet, nam multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica nó auctoritate canonica damnant. Et sicut nonnullos gratia fauoris sublimant, ita quosdam odio inuidiaq; humiliant: & leui opinionis aura condemnant, quorum crimen non approbant. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest: solus auferre non potest. si enim hi qui in hoc seculo à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in seruituris nexum non reuoluuntur, nisi publicè apud prætores ac præsides in tribunali foro fuerint accusati: quanto magis hi qui diuinis altaribus consecrati, honore ecclesiastico decorantur: qui profectò nec vno damnante, nec vno iudicante poterunt honoris sui priuilegio exui: sed præsenti synodali iudicio quod canon omnino de illis præceperit, oportet diffiniri. Fragilitanum

ITEM Gregor. Ioanni episcopo Panormitano.

Causas clericorum episcopus non nisi cum senioribus ecclesiæ audiat. 2

Si quid de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè possit offendere, facilè non credas: ne te ad vindictam res accendat incognita: sed præsentibus ecclesiæ tuæ senioribus diligenter est perscrutáda veritas: & tunc (si qualitas rei poposcerit) canonica districtio culpam feriat delinquétis.

ITEM ex concilio Agathensi primo.

A quot episcopis presbyteri vel diaconi sunt audiendi. 3

Si quis tumidus vel côtumeliosus extiterit in maiorem natu vel aliquam causam habuerit, à tribus vicinis episcopis, si diaconus est qui arguitur: si presbyter, à sex: si episcopus, à duodecim sacerdotibus audiatur. Vniuersi episcopi dixerunt: Contundi debet contumacia: & superbia in omnibus frangi. Causæ verò pro personis ab his statuto numero audiantur.

ITEM ex concilio Carthaginensi. ij.

De eodem. 4

FElix episcopus Seleucitanus dixit: Etiam hæc additio secundum statuta veterum conciliorum, vt si quis episcopus (quod nō optamus fieri) reatum aliquem incurrerit:& si fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare episcopos: ne in crimine maneat, à duodecim episcopis audiatur:& à sex presbyter,& à tribus diaconus cum proprio suo episcopo.

ITEM ex concilio Carthaginensi quarto.

De eodem. 5

SI autem presbyteri vel diaconi accusati fuerint: adiuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus* legitimo numero collegarum quos ab eodem accusati petierint, id est, vnà secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, qui ipsorū causas discutiant: eadem in dierum dilatione, & à communione remotionum,& discussione causarum inter accusatores & eos qui accusantur forma seruata: reliquorum verò clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat & finiat.

** proximis episcopus.*

2. pars. GRATIAN. Solus autem ad exclusionē aliorum episcoporum, nō suorum clericorum dicitur, sine quorum præsentia eius sententia erit irrita. VNDE in Carthaginensi concilio iiij. legitur.

Absque præsentia clericorum nullius causam episcopus audiat. 6

EPiscopus nullius causam audiat absq; præsentia suorū clericorum: alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi præsentia clericorum firmetur. ITEM ex conci. Hispalensi. ij.

Nisi in synodo canonicè vocati sacerdotes damnari non possunt. 7

EPiscopus sacerdotibus ac ministris solus honorē dare potest: sed solus auferre non potest. Si enim hi qui in hoc seculo à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in seruitutis iugum non reuocantur nisi publicè apud prætores ac præsides in tribunali foro fuerint accusati: quanto magis hi qui diuinis altaribus consecrati, honore ecclesiastico decorantur? qui profectò nec ab vno damnari, nec vno iudicante poterunt honoris sui priuilegio exui: sed præsente synodali iudicio quid canon de illis præceperit oportet diffiniri.

QVAESTIO VIII.

SI SPONTE CONFESSVS EST, AVT AB ALIIS CONVICTVS FVERIT, QVOD ANTE ORDINATIONEM PECCAVERIT, AN SVSCEPTI ORDINIS OFFICIVM EXEQVI POSSIT.

GRATIA. DE vltima verò quæstione sic statutum est in concilio Neocæsariensi.

Cap. 9.

Presbyter qui ante ordinationem confitetur se corporaliter lapsum, postea non offerat. 1

QVi admisit corporale peccatū,& hic postea presbyter ordinatus est: si confessus fuerit quòd ante ordinationem

ſuam peccauerit, non quidem offerat: maneat autem in aliis officiis propter eius ſtudij vtilitatem. cætera verò peccata cenſuerunt plurimi etiam ordinatione priuari. Quòd ſi de his non fuerit confeſſus: nec ab aliquibus manifeſtè poteſt conuinci: huic ipſi de ſe poteſtas eſt cõmittenda. Similiter & diaconus ſi in eodem culpæ genere fuerit inuolutus: ſeſe à miniſterio cohibebit. ITEM ex concilio Ilerdenſi. Cap. 5.

Deſeruientes altario ſi carnis fragilitate deliquerint, epiſcopi arbitrio ſubiaceant. 2

HI qui altario dei deſeruiunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & deo reſpiciẽte dignè pœnituerint: ita vt mortificato corpore cordis contriti ſacrificiũ deo offerant: maneat in poteſtate pontificis vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiori tempore ab eccleſiæ corpore ſegregare: ita tamẽ, vt ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora vlterius promoueri. Quod ſi iterato velut canes ad vomitũ reuerſi fuerint: non ſolum dignitate officij careant, ſed etiam ſanctam communionẽ, niſi in exitu non percipiant. ITEM ex conci. Toleta. ix. Cap. 19.

Ex miniſtris eccleſiæ geniti, in ſeruitutem deuocentur eiuſdem. 3

CVm multæ ſuper innocẽtia ordinis clericorum hactenus emanauerint ſententię patrum: & nullatenus ipſorum firmari correctio morum quiuerit, vſqueadeo ſententiã iudicãtium protraxere commiſſa culparum, vt non tantum inferretur vltio in auctores ſcelerum, verumetiam in progeniem dãnatorum. Ideoq; quilibet ab epiſcopo vſque ad ſubdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore cõſtituti filios procreauerint: illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica cenſura damnentur. proles autem aliena pollutione nata, non ſolum hæreditatem nunquã accipiet: ſed etiam in ſeruitute eius eccleſiæ de cuius ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt.

ITEM ex concil. Martini papæ. Cap. 25. ſyn. Græcarũ à Martin. epiſco. Bra. collectarum.

Qui confitetur ſe ante ordinationem peccaſſe, non ſacrificet: conuictus autem deponatur. 4

SI quis presbyter ante ordinationem peccauerit, nõ offerat, ſed tantũ pro religione nomẽ presbyteri portet. Si aũt non ipſe cõfeſſus fuerit, ſed ab alio publice conuictus: nec hoc ipſum habeat vt nomẽ presbyteri portet. Similiter & de diaconis obſeruandũ eſt; vt ſi ipſi cõfeſſi fuerint, ordinẽ ſubdiaconi accipiant. ITEM Nicolaus ad conſultationem Bulgarorum. Ivo. Carn. li. 5. id ſimiliter refert.

De manu ſacerdotis qui ab eccleſia toleratur, licite ſacramenta ſumuntur. 5

SCiſcitantibus vobis ſi à ſacerdote qui fuerit comprehenſus in adulterio, ſiue de hoc ſola fama reſperſus eſt, debeatis cõ

munionem accipere nec ne: respondemus, non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, sacramenta diuina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. qualiscunque enim sacerdos sit: quæ sancta sunt coinquinari non possunt. idcirco ab eo (quousque iudicio episcoporum reprobetur) communio percipienda est. Quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt, &c. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat: aliis verò lumen in tenebris administrat: & vnde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. Fides est enim quæ hunc mundum vincit: & quia non dantis, sed accipientis fit: dicente beato Hiero. Ad credendum omni animæ baptismus est perfectus. & in omni sacerdote corpus Christi est perfectum. Qui rursus sacræ scripturæ concordans ait: Priusquam audias, ne iudicaueris quenquam, atq; ante probationẽ accusationis illatæ neminem à tua communione suspendas: quia nõ statim qui accusatur, reus est: sed qui conuincitur criminosus.

CAVSA XVI.

GRATIAN. 
Vidam abbas habebat parœcialem ecclesiam: instituit ibi monachum: vt officium celebraret populo. possedit eam per xl. annos sine aliqua interpellatione. tandem querela aduersus abbatem mouetur à clericis baptismalis ecclesiæ, in cuius diœcesi parœciana ecclesia illa consistebat.

1 Hic primùm quæritur, vtrum monachis liceat officia populis celebrare, pœnitentiam dare & baptizare?

2 Secundò, si contigerit eos capellas habere episcopali beneficio: an ab eis sint instituendæ, an ab episcopis?

3 Tertiò, an iura ecclesiarum præscriptione tollantur?

4 Quartò, si ecclesia aduersus ecclesiam præscribat: an etiã monasterium aduersus ecclesiam præscribere possit?

5 Quintò, si capellam in suo territorio ædificatam iure territorij sibi vendicare valeat?

6 Sextò, si archipresbyter vel episcopus sua auctoritate non iudiciaria sententia capellam illam irrepserit: an cadat à causa: vt ecclesia cui præsidet, non vltra habeat ius reposcendi, quod suus pastor illicite vsurpauit?

7 Septimò quæritur, si laici capellam tenebant (vt quibusdã moris est) & in manibus abbatis eam refutauerint, & ordinandam tradiderint: an consensu episcopi & clericorum abbas possit eam tenere?

QVAE.

QVAESTIO PRIMA.

VTRVM MONACHIS LICEAT OFFICIA POPVLIS CELEBRARE, POENITENTIAM DARE ET BAPTIZARE.

QVòd monachi officia populis celebrare non possint, multis auctoritatibus probatur, quarum prima est illa sanctæ Nicænæ[a] synodi, qua dicitur.

a Nec in prima Nicæna synodo nec in secunda reperitur. vt hodie extant. & si quid diuinãdum esset, putandum esset, ex secunda potius esse quàm ex prima.

Monachorum conuersatio ab omnibus debet esse discreta. 1

PLacuit omnibus residentibus in sancta Nicæna synodo, vt monachorum conuersatio, & vita secundum etymologiã nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Grecè, Latinè singularis dicitur. vnde monachum per omnia singulariter agere oportet. quamobrem firmiter & indissolubiliter omnes præcipimus, vt aliquis monachus pœnitentiam nemini tribuat: nisi sibi inuicem, vt iustum est. mortuum non sepeliat nisi monachũ in monasterio secum commorantem: vel si fortuitu quemquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit. ITEM Gregor Io. Rauennati archiepiscopo. *Epist. 1. lib. 4.*

Monasterij districtionem & ecclesiasticum ministerium quilibet simul tenere non potest. 2

NEmo potest ecclesiasticis officiis deseruire, & in monastica regula ordinatè persistere: vt ipse districtionem monasterij teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. ITEM Innoc. *Inno. pa. 1. epist. 2. cap. 10. ad Victorem episcopum.*

Monachi qui ad clericatum promouentur, à priori proposito discedere non debent. 3

DE monachis qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordinem peruenerint, statuimus non debere eos à prioi proposito discere.

GRATIAN.

Si ergo (sicut Innocentius diffiniuit) à suo proposito eis discedere nõ licet, & sicut Grego. testatur, in monastica regula deuotè persistere, & ecclesiasticis obsequiis simul deseruire non possunt: patet quòd parœcianis ecclesiis monachi præfici non possunt. ITEM Hiero. ad Riparium & Desiderium. *Hieron. aduersus Vigilantium.*

Monachus non habet officium docentis, sed plangentis. 4

MOnachus non docentis, sed plangentis habet officium: qui se vel mundum lugeat, & domini pauidus præstòlętur aduentum. IDEM ad Paulinum. *Idem Hieron de institutione monachi.*

In populari frequentia monachi esse non debent. 5

SI cupis esse quod diceris monachus, id est solus: quid facis in vrbibus? quæ vtiq; non sunt solorũ habitacula, sed multorum, & infra. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos. & serpentis astutiã, ne aliorum supplanteris insidiis. Nõ multum distat in vitio vel decipere posse, vel decipi. Christianum quẽ senseris tibi, aut semper aut crebrò de

nummis loquentem (excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet) institorem potius habeto quàm monachum. præter victum & vestimentum, & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant.

Idem Hiere. de laude vitæ solitariæ.

IDEM ad Heliodorum.

Monachus pascitur, clerici pascunt. 6

ALia causa est monachi, alia clerici. Clerici oues pascunt, ego pascor. illi de altari viuunt, mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur. Si munus ad altare non defero, mihi ante presbyterum sedere non licet. Illi, si peccauero, licet me tradere sathanæ in interitum carnis, vt spiritus sit saluus in die domini. IDEM ad Rusticum.

1. Corint. 12. c.

Hier. in commẽtariis ad cap. 3. Esaiæ.

Non licet aliquid monachis agere sine presbyterorum consilio. 7

ECclesia habet senatum cœtum presbyterorũ: sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum: quia audire noluit presbyteros suos. Senatum quoq; Romani habebant, cuius consilio cuncta agebant: & nos habemus senatum nostrum cœtum presbyterorum. ITEM Eugenius papa.

3. Reg. 14. c. Eccle. 47. d.

Secundum etymologiam nominis solitariam vitam ducat monachus. 8

2. PLacuit communi nostro cõcilio, vt nullus monachorũ, pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat. Neque pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neq; baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neq; ad ecclesiam secularem transire, neq; aliis qualibuscunq; negociis sese implicare. sit claustro suo contẽtus: quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaq; solitarius & taceat: quia mundo mortuus est, deo autem viuit. Agnoscat nomen suum. μόνος enim Græcè, Latinè est vnus. ἄχος Græcè, Latinè est tristitia & dolor siue mentis ægritudo. vnde dicitur monachus, id est vnus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet.

ITEM Paschalis secundus Victori Bononiensi episcopo.

Absq; episcoporũ consensu episcopalia iura monachi nõ vsurpent. 9

PEruenit ad nos (vnde valde miramur) quòd quidã monachi & abbates in parœcia vestra contra sanctorum decreta episcopalia iura & officia sibi arroganter vendicant, videlicet pœnitentiam dare, & remissionem peccatorum, reconciliationem pœnitẽtium, decimas & ecclesias, cum absq; proprij episcopi licentia vel apostolicæ sedis auctoritate hoc nullatenus præsumere debeant, sicut in Chalcedonensi concilio de huiusmodi à sanctis patribus statutum est, & sub anathematis vinculo monachis omnibus prohibitum. Mandamus itaque dilectioni tuæ vt eos conuenias, & ne talia deinceps præsumant, omnino prohibeas. ITEM Calixtus papa.

De eo-

De eodem. 10

INterdicimus etiam abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, & vnctiones facere, & missas publicas cantare, chrisma & oleum consecrationesq; altariũ, ordinationes clericorum ab episcopis accipiant, in quorum parœciis manent. ITEM Alexander.ij.

Monachi intra claustra morantes, clericorum officia exterius non ministrent. 11

IVxta Chalcedonensis tenorem optimi concilij monachis quamuis religiosis, ad normam sancti Benedicti intra claustrum morari præcipimus, vicos, castella, ciuitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omnino cessare censuimus: nisi fortè quis de suæ animæ salute solicitus, vt eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit. ITEM ex concilio Chalcedonensi. Cap. 4.

Monachi qui sunt in ciuitatibus, episcopo debent esse subiecti. 12

QVi verè pureq; solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore. Eos verò qui per ciuitates singulas seu possessiones in monasteriis sunt, placet nobis episcopo esse subiectos, & quieti operam dare, atque obseruare ieiunia & orationes in locis in quibus semel se deo deuouerint permanentes, & neque communicare ecclesiasticas, neque seculares aliquas attrectare actiones *relinquentes propria monasteria, nisi fortè iubeantur propter vrgentes necessitates ab ipsius ciuitatis episcopo. Et neminem seruorum suscipi in monasterium, vt sit cum eis monachus, nisi cum domini proprij licentia. Prætereuntem verò hæc decreuimus extra communionem esse, ne nomen domini blasphemetur.

GRATIAN.

» Conuenit ergo ciuitatis episcopo curam & solicitudinem necessariam monasteriis exhibere. His ita respondetur, auctoritas illa Nicænæ synodi prohibet monachos de monasteriis exire, & per capellas sepulturas mortuorum celebrare, confluere videlicet more clericorum ad cuiuslibet exequias celebrandas. cæterum si apud monasteriũ aliquis semetipsum tumulari voluerit, non est prohibendus. VNDE Gregorius scribit Ioanni episcopo de vrbe veteri. Epist. 12. lib. 1.

Missa celebrari, & mortui sepeliri in monasterio non prohibentur. 13

AGapitus abbas monasterij sancti Grego. insinuauit nobis plurima se à vestra sanctitate grauamina sustinere, quòd in eodem monasterio missas prohibeas celebrari, mortuos etiam interdicas sepeliri: à qua inhumanitate vos hortamur suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, missas celebrari nulla vlterius habita contradictione permittas. IDEM Carolitano episcopo Venerio.

Idem Grego. Ianuario Caralitano episcopo epist. 9. lib. 3.

Non ſunt caſſandæ piæ voluntates defunctorum. 14

ADmonere te volumus ne piæ defunctorũ voluntates tua (quod abſit) remiſſione caſſentur. ITEM Gelaſius papa.

Teſtatoris arbitrium ſeruari oportet. 15

COnſideratio eccleſiaſticæ vtilitatis hoc poſtulat, ex iuſta diſpoſitione teſtatoris ſeruandum arbitrium eſſe.

ITEM ex concilio Triburien.

De eodem. 16

VBicunque facultates rerum & opportunitas temporum ſuppetit &c. ſicut in eodem cap. ſupra legitur in cauſa eorum qui de diœceſi ad diœceſim tranſierunt.

GRATIA. Ecce his auctoritatibus patet, quòd ſi quis apud monaſterium ſepulturam ſibi eligere voluerit, liberè à monachis poteſt ſepeliri. vnde liquidò colligitur prohibitionem illam Nicænæ ſynodi propter improbitatem circumuagãtium eſſe factam. VNDE in Chalcedonenſi concilio legitur.

Cap. 23.

Monachi qui ſine licentia epiſcopi vagantur: ad propria loca redire cogantur. 17

QVidam monachi nihil habentes ſibi iniunctum à proprio epiſcopo, interdum verò etiam illi qui ab eo fuerãt excommunicati, veniunt ad ciuitatem Conſtantinopolitanam, & in ea perturbationes tranquillitati eccleſiaſticæ inferunt, & diuerſorum domus corrũpunt. Statuit igitur ſancta ſynodus hos primum commoneri vt exeant à regia ciuitate, demũ eos inuitos deiici, ac deinde per defenſorem compelli, vt ad ſua loca redeant. ITEM Pelagius papa Paulino ſolitario.

Monachi circumuagantes per defenſores ſunt compellendi. 18

PRobinum Samariæ* & Milianum atque Probinianum vel alios pſeudomonachos Ioanni defenſori præcipimus, vt eos debeat detinere: quatenus ſi quam deſiderant ſuæ cõtentionis rationẽ cognoſcere ad nos vt informentur, debeant exhiberi. Certè ſi ſola obſtinatione ab eccleſiaſtico corpore ſunt ſciſſi, in Reatina (ſicut petiſti) inſula vt exulent. prædicto defenſori duximus iniungendum. ITEM Leo papa.

* al. Sabariæ, al. Salariæ.

Leo. 1. epi. 61. ad Theodori. epiſcopi. Cypri.

Nullus monachus præter domini ſacerdotes audeat prædicare. 19

ADiicimus illud etiam quod nobis propter improbitatem quorundam monachorum religionis veſtræ verbis mandaſtis per vicarios veſtros, hoc ſpecialiter ſtatuentes, vt præter domini ſacerdotes nullus audeat prædicare, ſiue monachus, ſiue laicus ille ſit, qui cuiuſcunq; ſcientiæ nomine glorietur.

GRATIAN. Ecce in hoc ca. & vitium eſt expreſſum, & generali cõſtitutione euacuatũ. quòd verò pœnitentiã dare prohibentur, inde eſt quòd nulli ſacerdotũ licet alterius parœcianum ligare vel ſoluere. Monachi autem etſi in dedicatione ſui presbyteratus (ſicut & cæteri ſacerdotes) baptizandi, prædicãdi, pœnitentiã dandi,

dandi, peccata remittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi ritè potestatē accipiunt, vt amplius & perfectius agant ea quæ sacerdotalis officij esse, sanctorum patrū constitutionibus cōprobantur, tamen executionē suæ potestatis non habēt nisi à populo fuerint electi, & ab episcopo cum cōsensu abbatis ordinati. Ecclesiasticas verò atque seculares actiones attrectare prohibentur, vt non præsumant sibi patrocinia causarum, nisi ab episcopo commoniti fuerint, nec secularibus causis occupentur, vt resideant cognitores dirimendarum litium.

VNDE Pelagius scribit Antoninæ patriciæ & Deciæ.

Monachus defensor fieri non debet. 20

DE præsentium portitore quod defensor factus non est, nulla vobis animi molestia sit: quia satis valde amarissimum habeo de isto proposito ad illud officium homines deduci, in quo nullo modo quæ à monachis deo promissa sunt valeant adimpleri. omnimoda enim est illius habitus & istius officij diuersitas. illic enim quies, oratio, labor manuum: at hic causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcunque vel ecclesiastica instituta, vel supplicātium necessitas poscit. faciat autem deus vt tales sint hi vel qui à nobis in isto habitu nutriuntur, vel in monasteriis crescunt, vt prouecta ætate & vita probata non ad litigiorum officia, sed ad sacerdotium valeant promoueri.

Gelasius tamē, sicut in tractatu de promotionibus clericorū inuenitur in capitulo illo Monachus nouitius &c. permittit illos ex dispēsatione fieri defensores. Quòd verò sacerdotaliū officiorum potestatem habeant, testatur Ambrosius dicens. 2. pars. GRATIAN.

Clericorum officia celebrare monachi presbyteri non prohibeantur. 21

DOctos ac probos monachos presbyterij honore dedicatos prædicare, baptizare, pœnitentiam dare, debita miseris relaxare, decimarum, primitiarum, oblationum viuorū & mortuorum portione iusta perfrui debere, moderata dispensatione commendamus: vt iuxta Apostolum de altario cui seruiūt viuentes, per obsequium dominicæ plebis panē & vinū immaculata benedictione transforment in corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi. ITEM Innocentius papa.

1. Corinth. 9. b.

Innoc. 1. epist. 2. cap. 10.

Beneficiis ecclesiasticis monachus presbyter liberè perfruatur. 22

SI monachus ad clericatum promoueatur, beneficia præstentur ei pleniter, & annonæ & decimæ donentur absque vlla dilatione & minoratione: vt quanto melius possit iuxta possibilitatem quando necessitas extiterit, ad opera ecclesiastica & ipsam restaurandam ecclesiam adiutorium facit.

ITEM Gregorius.

De eodem. 23

MOderamine apostolicæ auctoritatis decernimus, vt monachi

nachi si presbyterij honore dedicati sunt, cum ligandi soluendiq; potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum quæ fiunt pro viuis & pro defunctis portionem iuxta canonem ad suam proximorumq; vtilitatem merito perfectioris iustitiæ non minus quàm cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vendicent. IDEM.

Clericorum officia monachi presbyteri liberè administrent. 24

EX auctoritate huius decreti (quod apostolico moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum (sacerdotibus monachis apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere. ITEM ex decreto Bonifacij papæ.

Monachi presbyterij honore decorati potestatem habent ligandi & soluendi. 25

SVnt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflāmati, asserentes monachos qui mundo mortui sunt, & deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos, neque pœnitentiam, neq; Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem. sed omnino labuntur. neque enim beatus Benedictus monachorum præceptor almificus huius rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos secularium negociorum edixit expertes fore tantummodo. quod quidem apostolicis documentis, & omnium sanctorum patrū institutis non solùm monachis, sed etiam canonicis magnopere imperatur. Nemo enim militans deo, implicat se negociis secularibus. Tantorum igitur patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus à sacerdotibus monachis ligandi soluendiq; officium deo operāte dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omni modo præcipimus, vt ab huiuscemodi ausibus reprimantur in posterū: quia quanto quisque est celsior, tanto & illis erit potentior.

2. Ti. 2. 4.

GRATIAN. His omnibus auctoritatibus perspicuè monstratur monachos posse pœnitentiam dare, baptizare, & cætera sacerdotalia officia licitè administrare. Quòd verò populi electione, episcoporum institutione, & abbatis consensu potestatē suam exequi valeant, Hieronymi, Gelasij & Greg. auctoritate probatur. AIT enim Hieron. ad Rusti. monachum.

De viuendi forma.

Dignè in monasterio viuens, per populi electionem ad clericatum poterit promoueri. 26

SIc viue in monasterio, vt clericus esse merearis. multo tempore disce quæ postmodum doceas, & inter bonos semper sectare

sectare meliores. Quòd si populus vel episcopus te in clericũ elegerit, age ea quæ clerici sunt. IDEM ad eundem.

Hiero. ad Rusticum in eadem.

Ad ordinem clericatus promoueri monachi possunt. 27

SI clericatus titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem deo offeras hostiã. ne sis miles prius quàm tyro, ne prius magister sis quàm discipulus. Non est humilitatis meæ neq; mensuræ iudicare de cæteris, & de ministris ecclesiarum sinistrum quippiam dicere. habeant illi ordinẽ suum & gradum, quẽ si tenueris: quomodo tibi in eo viuendũ sit, æditus ad Nepotianũ liber te docere poterit. Nunc monachi cunabula moresq; discutimus, & eius monachi qui liberalibus studiis eruditus, in adolescentia iugũ Christi collo suo imposuit. Primumq; tractandũ est vtrum solus, an cum aliis in monasterio viuere debeas. Mihi placet vt hebeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam quam nunquam ingressus es. ITEM Gelasius papa.

In loco quo abbas iudicauerit monachus eligatur, & ab episcopo sacerdos ordinetur. 28

SI quis monachus fuerit qui venerabilis vitæ merito sacerdotio dignus videatur, & abbas sub cui⁹ imperio regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit: ab episcopo debet eligi, & in loco quo iudicauerit ordinari: omnia quæ ad sacerdotis officium pertinẽt, vel populi vel episcopi electione prouidè ac iustè acturus. ITEM Siricius papa.

Epist. 1. ad Himerium episcopum, cap. 13.

Tempore maturitatis ecclesiasticis monachi promoueãtur ordinibus. 29

MOnachos quoq; quos morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus & volumus: ita vt qui intra tricesimũ ætatis annũ sunt digni minoribus, per gradus singulos crescẽtes tempore promoueantur ordinibus: & sic ad diaconatus vel presbyterij insignia maturæ ætatis consecratione perueniant: nec saltu ad episcopatus culmen ascendant: nisi in his eadem quæ in singulis dignitatibus vt superius præfiximus, fuerint tempora custodita. ITEM Aug. ad Eudoxium.

Aug. epi. 81. ad Eudoxium abbatem.

Ecclesiastica officia nec auida electione monachi suscipiant, nec blandiente desidia respuant. 30

VOs autem fratres exhortamur in domino, vt propositum vestrum in domino custodiatis, & vsque ad finem vitæ perseueretis: ac si qua opera vestra mater ecclesia desiderauerit: nec elatione auida suscipiatis: nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis deo, cum mãsuetudine portantes eum qui nos regit qui nos dirigit mites in iudicio: qui docet mansuetos vias suas. nec ocium vestrum necessitatibus ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis.

ITEM

ITEM Pelagius papa Bono episcopo Sauinati.

Gelasius quendam Ruffinum monachum iubet sacerdotem fieri, & in quadam basilica ordinari. 31

IN parœcia tua basilica sancti Laurentij quæ in possessione filij & cõsiliarij nostri viri magnifici Theodori fundata est, officium presbyteri deesse cognouim⁹: & quia præfatus filius noster nobis retulit se inuenisse Ruffinum quẽdam monachũ olim sibi vita, religione & moribus comprobatu,& hunc postulat ibi presbyterum consecrari: quod subitò fieri nos prorogata obseruantia nõ acquieuimus: ideo dilectio tua his literis acceptis sabbato veniente faciat eum diaconum: etsi deus voluerit,& vixerimus, mediana hebdomada presbyterum faciemus: quatenus superueniente paschali festiuitate sacra ministeria in memorata basilica à persona competenti valeant adimpleri. ITEM Gregor. in registro.

Gregor. epi. 40. lib. 1. ad Anthemium subdiaconum.

Qui de clerico monachus efficitur: proprio episcopo ordinante poterit eligi & consecrari. 32

SI quem à clericatu in monasticam contigerit venire conuersationem: si talis vitæ monachus fuerit, vt episcopus cui ante militauerat, eum dignum sacerdotio præuideat: in loco quo iudicauerit, eligi poterit & ordinari. ITEM ex concilio Agathensi.

Cap. 27.

Sine testimonio abbatis ad clericatus officiũ monachi nõ eligantur. 33

MOnachi vagantes ad officium clericatus (nisi eis testimonium abbas suus dederit) nec in parœciis nec in ciuitatibus ordinẽtur. si enim necesse fuerit clericum de monachis ordinari: cum consensu & voluntate abbatis præsumat episcopus. ITEM ex concilio Hilerdensi.

Cap. 3.

Cum abbatis voluntate monachi ordinentur, quos pro vtilitate ecclesiæ episcopus ordinare voluerit. 34

CVm pro vtilitate ecclesiæ aliquos monachorum in clericatus officio episcopus probauerit promouendos: cum abbatis voluntate debent ordinari. Ea verò quæ in iure monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab episcopis contingãtur. ITEM ex conci. Terraconensi.

Cap. 11.

Sine abbatis imperio ad clericatus officium monachi non eligantur. 35

MOnachi à monasterio foras egredientes, ne aliquod ministerium ecclesiasticum præsumant agere prohibemus, nisi fortè cum abbatis imperio. Similiter vt nullus eorum, id est, monachorum, forensis negocij susceptor vel executor existat, nisi id quod monasterij exposcit vtilitas abbate sibi nihilominus imperante. ITEM Aug. ad Aurelianum.

August. ad Aurelium epis. 76.

Ad clericatus militiam non eligantur desertores monasteriorum. 36

LEgi epistolam benignitatis tuæ de Donato & fratre eius: & quid responderem, diu fluctuaui: sed tamen etiam atq; etiam

etiam cogitanti quid sit vtile saluti eorum quibus nutriendis in Christo seruimus: nihil mihi aliud occurrere potuit, nisi non esse viam dandam seruis domini vt se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. etenim ipsis facilior lapsus, & ordini clericorū fit indignissima iniuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eligantur: cùm ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere soleamus: nisi fortè (sicut vulgares dicunt) malus choraula, bonus symphoniacus est. ita ipsi vulgares de nobis iocabūtur dicentes: malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendū est si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus: & tam graui contumelia clericos dignos putamus, in quorum numero sumus: cum aliquando bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Sed de istis credo quòd arbitrata sit beatitudo tua quòd nostra voluntate (vt suis potius corregionalibus vtiles essent) de monasterio recessissent, sed falsum est. sponte abierunt: sponte deseruerunt, nobis, quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus.

3. pars.

GRATIAN.

,, His autem omnibus auctoritatibus monstratur quòd mo-
,, nachi qui sunt à populo electi, & ab ipsis episcopis cum con-
,, sensu sui abbatis sunt ordinati: legitimè potestatem suam exe-
,, qui valent. Illud vero Gregorij, Nemo potest obsequiis ec-
,, clesiasticis deseruire, &c. de illis intelligendum est qui in nu-
,, mero cardinalium vel episcoporum ordinati, monasterij sui
,, dispensationem sibi reseruare contendunt. VNDE idem
,, Grego. scribit Mariano episcopo Rauennati.

Epist. 40. seu cap. 204. li. 6. ad Marinianū.

Pro abbatis vel monachi promotione nullo modo grauentur monasteria. 37

NE pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione onus fortasse aliquod monasteria sustineāt, studendū est nobis, vt si quispiā monachorū ex quocunq; monasterio ad clericatus officium vel sacrū ordinē accesserit: non ibi aliquā vlterius habeat potestatem. IDEM Maximia. Syracu. episcopo.

Grego. epist. 11. lib. 3.

Qui ecclesiis quoquo modo militant, abbates monasteriorum esse non possunt. 38

PResbyteros, diaconos, cæterosque cuiuslibet ordinis qui ecclesiis quoquo modo militant, abbates per monasteria esse non permittas: sed aut amissa clericatus militia, monasticis non promoueantur ordinibus: aut si abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum vnum ex his præ sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrunque videatur idoneus.

Omnes clerici vel monachi tutelæ immunitatem habere debent. 40

GEneraliter sancimus omnes viros reuerendissimos episcopos necnon presbyteros seu diaconos & subdiaconos & præcipuè monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso iure omnis habere tutelæ, siue testamétariæ, siue legitimæ, siue datiuæ: & non solum tutelæ esse eos expertes, sed etiam curæ non solum pupillorum & adultorú, sed etiam[a] furiosi, & muti & surdi, & aliarum personarum quibus tutores vel curatores à veteribus legibus dantur. Eos tamen clericos & monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui ad sacrosanctas ecclesias vel monasteria permanent, non diuagantes, neque circa ministeria diuina desides: cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgemus, vt alijs omnibus derelictis, Dei omnipotentis inhæreant ministeriis: & hoc non solum in veteri Roma, vel in hac regia ciuitate: sed in omni terra vbicunq; Christianorum colitur nomen, obtinere sancimus. Nouarum etiam collationum & sordidorum munerum immunitatem acceperút. Vnde Constantiuus cunctis scribit clericis. ¶ Iuxta sanctioné quam dudum meruisse perhibemini: fundos & mancipia vestra nullus nouis collationibus obligabit: sed vacatione gaudebitis. *Cum dicit nullus, nemo excipitur, sed & princeps concluditur*[a].

a furiosorum & mutorum.

Titu. eodé leg. 1. Cap. 41.

a a Additur in manuscripto.

ITEM Imperato. Honorius & Theodosius. ¶ Placet rationabilis consilij tenore perpenso districta moderatione perscribere: à quibus specialiter necessitatibus ecclesiæ vrbium singularum habeantur immunes. Prima quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus cælestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fece vexentur: nihil extraordinarium abhinc superin dictúmve flagitetur: nulla solicitudo translationis signetur: postremò nihil præter canonicam illationem, nisi quam si aduentitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit, eius functionibus asscribatur. Si quis contrauenerit: post debitæ vltionis acrimoniam quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuæ deportationis mulctetur.

Cap. 42. *Titu. 2. de sacrosanctis ecclesiis leg. 5.*

GRATIAN.

Hoc idem datur intelligi de verbis Beati Syluestri: qui obedientiam minorú erga maiores assignans ait: Abbas ostiario, monachus abbati sit subditus. supra in tractatu ordinandorum. Ostendit ergo Hieronymus, quòd simpliciter monachis nihil liceat agere sine consilio presbyterorum. Nec officium docendi sibi assumere liceat sine auctoritate clericorum, nisi fortè diuina gratia intus cómoniti: sicut beatus Gregorius refert in dialogo de beato Benedicto: qui homines mótis Cassini ad fidem adduxit: & ará Apollinis, quę erat ibi erecta subuertit: & de quodá Equitio cui angelus in somnis apparuit, & eú ad prædicédum misit: qui cùm de vitio lingue con

Cap. 8. lib. 2. dialogorum.

X que-

quereretur, angelus phlebotomo linguam eius tetigit, & totum illud vitiū curauit. Quòd verò Hierony. seipsum talibus Philip.4.c. cōnumerat, tale est quale illud apostoli ad Philippēses: Qui Hiero.ad Nepotianum scribēs. cunq; imperfecti sumus, hoc sentiamus. seipsum imperfectis cōnumerans. Hinc idem Hieronymus alibi ait: Natus in paupere domo & tugurio rusticano. & infra. Nos suffarcinati auro, se famelicū fastidientibus mella, pauperē diuitibus connumerans: supra vbi agitur de clericis qui propria relinquere nolunt. cap. gloria episcopi. Ecce sufficiēter monstratū est quòd monachis presbyterij honore decoratis, à populo electis, ab episcopo institutis eadem liceant quę & alijs sacerdotibus. probatur hoc etiam ex similitudine consecrationis. non enim in consecratione eorū aliud dicitur, & aliud in consecratione aliorum. Vtrisque enim in commune à Domino benedictionem infundi episcopus obnixè deposcit. Et dum consecrat, cūctis sacerdotibus sigillatim dicit: consecrētur & sanctificentur domine manus istæ: vt quicquid consecrauerint, consecratum sit: & quæcunq; benedixerint, benedicta sint. Ecce cōmunis est benedictio: vnde igitur diuortium? Sicut ergo in benedictione vtrique cōmunem nanciscuntur potestatem: ita in institutione cōmuniter assequuntur potestatis executionem.

Cæterum absq; episcoporū licentia non solum monachis, sed omnibus generaliter clericis potestatis executio interdicitur. Epist.3. VNDE Clemens.

Sacerdotalia officia sine permissu episcoporum non agant presbyteri. 41

CVnctis fidelibus & summopere omnibus presbyteris & diaconis & reliquis clericis attendendum est, vt nihil absque episcopi proprij licentia agant: non vtiq; missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parœcia agat: non baptizet, nec quicquam absque eius permissu faciat. 4.pars. De his verò qui intra monasterij claustra consistunt, quibus populus ad regendum non committitur: quæritur vtrum dare vel accipere decimas debeant. In quibus hęc discretio seruanda est, vt de agris & vineis quæ ad proprium stipēdium coluntur, decimas sibi retineant. Si enim decimæ à populo filijs Leui reddebantur pro ministerio quo domino deseruiebant in tabernaculo offerendo sacrificia & holocausta pro populo: patet quòd monachi de proprijs prædiis non magis quàm alij sacerdotes decimas soluere coguntur. Sed dicitur, prædia monachorum, siue precio sint empta, siue pro salute animarum oblata antequam in ius eorum venirent, baptismalibus ecclesijs siue quibuslibet alijs primitias & decimas persoluebāt: illæ autē ecclesiæ suo iure priuari non possunt.

VNDE in Maguntunensi concilio statutum inuenitur.

Qui

Qui res suas alieni dare delegauerit, decimationum prouentum priori ecclesiæ auferre non poterit. 44

SI quis laicus vel clericus vel vtriusque sexus persona proprietatis suæ loca vel res alicubi dare delegauerit: decimationum prouentum priori ecclesiæ legitimè assignatum inde abstrahere nullam habeat potestatem. quod si facere tentauerit, talis traditio irrita prorsus dicitur, & ipse ad emendationem ecclesiastica coerceatur censura.

ITEM ex concilio Cabilonensi.

Antiquiores ecclesiæ nec decimis nec vlla possessione priuentur. 45

ECclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis nec vlla possessione priuentur: ita vt nouis oratoriis tribuantur. Conc. Vormacien.

ITEM ex concilio Guarmaciensi.

Antiquiores ecclesiæ propter nouas iustitiam suam non perdant.

QVicunque voluerit in sua proprietate ecclesiam ædificare, & consensum & voluntatem episcopi habuerit in cuius parœcia est: licitum sit. veruntamen omnino prouidendum est episcopo vt aliæ ecclesiæ antiquiores propter nouam suam iustitiam atque decimam non perdant: sed semper ad antiquiores ecclesias persoluantur.

Decimas autem baptismalibus ecclesijs persoluendas Leo papa iiij. affirmat dicens. GRATIAN.

Baptismalibus ecclesiis decima dari debent. 46

DE decimis iusto ordine non tantũ nobis, sed etiam maioribus visum est plebibus tantum vbi sacrosancta baptismata dantur, debere dari.

Si ergo nulli licet decimationum prouentum à priori ecclesia cui assignatus fuerat, abstrahere: si ius antiquioris ecclesiæ nouis tribuendum non est: si decimæ tantummodo baptismalibus ecclesijs dandæ sunt: patet quòd monachi ex propriis prædijs decimas dare coguntur. Sed & illa auctoritas Magociensis* concilij de venditore vel donatore loquitur, diffiniens quòd ille qui vendit aut donat, non potest prouentum decimationum illi ecclesiæ detrahere, cui prius legitimè fuerat assignatus. monachi autem decimas & primitias non auctoritate vendentis vel donantis, sed auctoritate eiusdem concilij & Paschalis papæ detinent: à quibus definitum est vt monachi de propriis prædijs decimas non persoluant. GRATIAN. *al. Maguntin.

Sic enim in Magociensi* conci. statutum est. *al. Maguntin. Ivo Carn. lib. 2. de decimis id refert.

Non persoluant de proprijs prædijs abbates & episcopi decimas. 47

QVesti sunt præterea quidã fratres quòd essent aliqui episcopi & abbates qui decimas non sinerent dari ad ecclesiam, vbi illorum coloni missam audiunt. proinde decreuit iste sacer conuentus vt episcopi & abbates de agris & vineis quæ ad suum & fratrum stipendium habent, ad ecclesias suas

deferri faciant. familiæ vero eorum ibi dent decimas suas, vbi eorum infantes baptizentur, & vbi per totum anni circulum missas audiunt. ITEM Paschalis quartus.

De proprijs laboribus monachi & canonici decimas minimè soluere cogantur. 48

DEcimas à populo sacerdotibus ac leuitis esse reddendas diuinæ legis sanxit auctoritas. cæterum à monachis siue clericis cõmuniter viuẽtibus nulla ratio sinit vt milites aut episcopi, aut personæ quęlibet decimas de laboribus seu nutrimẽtis suis proprijs extorquere debeant. Vnde beatus Gregorius sic ait: Communi vita viuentibus iam de faciẽdis portionibus, vel exhibẽda hospitalitate, vel adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum, cùm omne quod superest, in causis pijs ac religiosis erogandum sit: dicente domino. Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quod autem dicitur quòd antiquiores ecclesiæ propter nouas, nec decimis nec vlla possessione priuentur, non ita intelligendũ est vt nullo modo credatur licere episcopo aliquam partẽ possessionũ vel decimationũ vnius ecclesiæ altereri pro tẽpore tribuere. sicut enim papa duos episcopatus in vnũ potest redigere, ita & vnus proprio cõsentiente episcopo in duos potest diuidi: vel etiã Metropolitano inuito quęlibet ecclesia ab eius iurisdictione apostolica eximi potest auctoritate.

1 q. 1. f. 5. pars.

GRATIAN. VNDE Greg. papa scribit Benenato episcopo cap. XXV.

Greg. epi. 31. seu. cap. 31. li. 2

Duos episcopatus in vnum redigere, apostolica potest auctoritas. 49

ET temporis qualitas, & vicinitas nos locorũ inuitat vt Cumanam atque Musitanam vnire debeamus ecclesias: quoniam nec longè à se itineris interuallo seiunctę sunt, nec (peccatis facientibus) tanta multitudo populi est, vt (sicut olim fuit) duos habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum huius vitæ expleuit, vtrasq; nos ecclesiãs præsentis auctoritatis pagina vnisse, tibiq; cõmisisse cognoscas. vtrarumque etiam ecclesiarum scitote esse propriũ pontificem. Et ideo quæcunq; vel de earum patrimonio, vel cleri ordinatione promotionéve iuxta canonũ statuta visa fuerint ordinare atque disponere, habebis vt proprius reuera sacerdos liberam ex nostræ auctoritatis consensu atque permissione licentiam. vbi verò commodius atque vtilius esse perspexeris, ibi habitato: ita sanè, vt alteram ecclesiã cui corporaliter præsens non es, solicita prouidentiáque cura disponas: quatenus illic diuina ministeria solenniter domino præstante peragãtur.

Greg. epist. 35. lib. 2.

IDEM Ioanni episcopo.

Duos episcopatus in vnum redigere apostolica valet auctoritas 50

POstquam hostilis impietas diuersarum ciuitatũ ita (peccatis facientibus) desolauit ecclesias, vt reparãdi eas spes nullomodo

lo modo populo deficiente remāserit: maiori valde cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernante per inuia fidei hostis callidi rapiantur (quod absit) insidiis. Huius ergo rei solicitudine sæpe cōmoniti, *hoc nostro sedit cordi concilium, vt vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoq; fraternitati tuæ curam gubernationemq; Treuerensium ecclesiæ præuidimus committendā, quā tuç ecclesiæ aggregari vniriq; necesse est: quatenus vtrarumque ecclesiarum sacerdos rectè (Christo adiuuante) possis existere: & quæ tibi de eius patrimonij, vel cleri ordinatione seu promotione vigilanti ac canonica cura visa fuerit disponere. quippe vt pontifex proprius liberam habeas ex præsenti nostra permissione licentiam. * commoti.

ITEM ex concilio Carthaginensi secundo. Cap. 5.

Non habeant episcopum diœceses quæ nunquam habuerunt. 51

FElix episcopus Seleucitanus dixit: etiam si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo vt diœceses quæ nunquā episcopos habuerunt, non habeant: & illa diœcesis quæ aliquādo habuit, habeat proprium. secundum hanc persecutionē sanctitatis vestræ est ęstimare quid fieri debeat. Ab vniuersis dictum est, Placet. ITEM ex Africano concilio. iij. Cap. 42. conc. Carthag. 3.

Nisi cum voluntate episcopi diœceses quæ ab eo retinentur, non recipiant proprios episcopos. 52

MVltis concilijs hoc statutum est à cœtu sacerdotali, vt plebes quæ in diœcesibus ab episcopis retinētur, quæ episcopos nunquam habuerunt: nō nisi cum voluntate eius episcopi à quo tenentur, proprios accipiant rectores.

ITEM Gregorius Ioanni episcopo Lauseo. Greg. Ioāni episcopo Larisseo epistola. 7. lib. 2.

Apostolica auctoritas à iurisdictione archiepiscopi episcopos valet eximere. 53

FRater noster Hadrianus Thebanę ciuitatis episcopus ad Romanam vrbem veniens lachrymabiliter est conquestus de quibusdam se capitulis à fraternitate tua, necnon à Ioanne primæ Iustinianæ vrbis antistite iniustè condemnatum. De nequissimo autem damnandoq; eius iudicio aliàs sumus (iuuante domino) tractaturi. Hadrianū verò episcopum reperimus & tuo contra sacerdotales mores odio laborasse: & nullo iure pecuniarijs in caussis eum fraternitatis tuæ fuisse condemnatum sententia. Quia igitur & ab antefato Ioannę Primæ Iustianianæ vrbis episcopo contra ius canonesq; depositus, honoris sui gradu carere non potuit: in sua eum reformari ecclesia, atque in propriæ dignitatis ordine decreuimus reuocari. Et cū oportuisset, te ex eo dominici corporis communione priuari, quòd post admonitionē sanctæ memorię decessoris nostri contemptam (per quam eum ecclesiamq; eius de tuæ iurisdictione po-

testatis exemit) rursus in eis aliquid tibi iurisdictionis seruare præsumpseris: tamen nos humanius decernentes, communionisque tibi sacramentum interim cõseruantes, decernimus vt fraternitas tua ab eo ecclesiaq; eius omnẽ antehabitæ suæ potestatẽ iurisdictionis abstineat, & secundum scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduersus præfatum Hadrianum cõsacerdotem nostrũ potuerit euenire: per eos qui nostri sunt vel fuerint in vrbe regia respõsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur: vel huc ad apostolicam sedem (si est ardua) deducatur: quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Quòd si contra hęc quæ statuimus, quolibet tẽpore, qualibet occasione vel subreptione venire tẽtaueris: sacra scias te communione priuatum: nec eam te (excepto vltimo vitæ tuæ tempore) nisi cùm concessa Romani pontificis decernimus iussione percipere: res autem siue sacras siue alias mobiles immobilesq; eius ecclesiæ quas hactenus diceris retinere (quarum notitiã nobis oblatam præsentibus annectimus literis) sine aliqua ei fraternitas tua dilatione restituat. de quibus si qua inter vos quæstio vertitur, volumus vt apud responsalem nostrum in vrbe regia ventiletur. Si autem necdum in diœcesi alicuius episcopi illa loca assignata fuerint; ex vigore apostolicæ sedis proprium episcopum accipiant.

VNDE Gregorius iunior scribit Bonifacio episcopo.

Vbi multitudo fidelium excreuit, ibi episcopi sunt ordinandi. 54

PRæcipimus vt iuxta canonum statuta vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore apostolicæ sedis debeas ordinare episcopos: pia tamen contẽplatione, vt non vilescat dignitas episcopatus.

GRATIAN. Sicut duo episcopatus suprascripto modo in vnum possunt redigi, & vnus in duos valet diuidi: sic etiam episcopus de baptismalibus & parœcianis ecclesiis facere potest cum consensu suorum clericorum. quod cùm factum fuerit, illa pars populi quæ nouis ecclesijs supponitur, à iure prioris ecclesiæ absoluitur. hoc nisi fieri posset, multitudo ecclesiarum ad paucitatem redigeretur. Plures autem baptismales ecclesias in vna terminatione facere non potest.

VNDE in Toletano concilio legitur.

In vna terminatione plures baptismales ecclesiæ esse non possunt. 55

PLures baptismales ecclesię in vna terminatione esse nõ possunt, sed vna tantũmodo cum capellis suis: & si contentio fuerit determinatione duarum matricum, plebes vtrarumque discernant. & si non conuenerint, lis dei iudicio discernatur.

GRATIAN. Ius ergo ecclesiarum ita interpretandũ est, vt nisi episcopo disponente alijs ecclesijs fuerit assignatũ: in nullo priorũ redituum diminutionem patiantur. Vnde Anastasius episc.

Communione priuetur qui decimas vel oblationes extra episcopi conscientiam tenere voluerit. 56

STatuimus vt si quis oblationes ecclesiæ vel decimas quas populus dare debet, tenere contenderit, vel extra baptismalem ecclesiam dare voluerit præter conscientiam episcopi vel eius cui huiuscemodi officia commissa sunt, nec cum eorum voluerit agere consilio: bannum nostrum componat, & communione priuetur.

CVM addit extra conscientiam episcopi, intelligendum relinquit quòd episcopo consentiente alijs ecclesijs dari possunt. GRATIAN.

IDEM.

Iuxta dispositionem episcopi decimæ distribuantur. 57

IN sacris canonibus præfixum est, vt decimæ iuxta episcopi dispositionem distribuantur. quidam autem laici qui vel in proprijs vel in beneficijs suas habent basilicas: cõtempta episcopi dispositione non ad ecclesias vbi baptismum & prędicationem & manus impositionem, & alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant: sed proprijs basilicis vel alijs ecclesijs pro suo libitu tribuunt: quod omnibus modis diuinæ legis & sacris canonibus constat esse contrarium. Vnde vestram potestatem vt eos corrigatis exposcimus.

Cùm autẽ reprehenduntur: quia contẽpta episcopi dispositione hoc faciunt, intelligitur, quòd si episcopo disponente hoc fecerint, irreprehensibiles inueniantur. ITEM Symmachus episcopus ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ dixit. GRATIAN.

In synodo sexta Romana.

Anathema sit qui præter episcopi conscientiam decimas & oblationes dispensare voluerit. 58

IN canonibus in Gangrensi ecclesia* apostolica auctoritate conditis de fructuum oblationibus quæ ministris ecclesiæ debentur, & de his quæ in vsus pauperum cõferuntur, scriptũ habetur: Si quis oblationes ecclesiæ accipere vel dare voluerit præter episcopi conscientiã vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere cõsilio: anathema sit. Et iterum in eodem concilio Gangrensi: Si quis oblata deo dederit alteri, vel acceperit præter episcopi vel eius consensum qui ab eo institutus est ad dispensandum misericordiam pauperibus: & qui dat, & qui accipit, anathema sit. Valde ergo iniquum & ingens sacrilegium est, quæcunq; vel pro remedio peccatorum, vel pro salute animarum suarũ, aut requie vnusquisque venerabili ecclesiæ cõtulerit, aut certe reliquerit, ab his à quibus maximè seruari conuenit Christianis & deum timẽtibus hominibus, & super omnia à principibus & primis regionum in aliud transferri, vel conuerti. & infrà. Generaliter verò quicunque res ecclesiæ confiscare aut competere vel peruadere periculosa sua infestatione prẽsumpserit, similiter & hi qui

** concilio.*

Cap. 7. conc. Gangrensis.

Cap. 8. eiusdem.

hi qui res ecclesię iussu vel largitione principum, vel quorundam potẽtum, aut quadam inuasione vel tyrannica potestate tenuerint, & filijs vel hæredibus suis (vt à quibusdam iam factum audiuimus) quasi hæreditarias relinquerint: nisi citò res Dei admoniti à põtifice agnita veritate reddiderint: perpetuo anathemate feriantur. Iniquum enim esse censemus vt potius custodes chartarum, quàm defensores rerum creditarum (vt præceptum est) iudicemur. & infra. Ferro enim abscindenda sunt vulnera quæ fomenta non sentiunt. Similiter & illi extorres debẽt fieri ab ecclesia, qui sacerdotali admonitione nõ corriguntur, dicente domino: Auferte malum ex vobis. Vniuersa synodus surgens acclamauit, Vt ita fiat rogamus. Dictũ est octies: Exaudi Christe. Symmacho papæ vita sit: dictum est duodecies. IDEM.

1. Cor 5. d

Symmachus in synodo sexta Romana.

Eadem plectuntur pœna qui ecclesiæ res & bona episcoporum inuadunt. 59

SImiliter & hoc ad omnium ecclesiarum notitiam vestra cæterorumque exhortatione & iudicio censemus peruenire, & ab omnibus firmiter teneri (quia res episcoporum esse ecclesiæ non dubitantur) si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, peruasores rerum memoratarũ prædicta canonum districtione feriãtur: vt qui moribus proprijs, ac nulla conscientiæ castigatione corrigũtur, saltem ecclesiasticæ & canonicæ vindictæ perfodiantur aculeis.

ITEM ex libro capitulorũ Caroli & Ludouici imperatorũ.

Res ecclesiæ principum auctoritate distribui non possunt. 60

QVia iuxta sanctorum patrum traditionem nouimus res ecclesiæ, vota fidelium esse, precia peccatorum, & patrimonia pauperum: cuique non solum habita conseruare, verumetiam (Deo opitulãte) conferre optamus: vt autem ab ecclesiasticis officijs de diuidendis rebus ecclesiæ suspicionẽ dudum conceptam penitus amoueamus: statuimus, vt neque nostris neque filiorum, & Deo dispensante successorum nostrorũ temporibus vllam penitus diuisionem aut iacturam patiãtur.

GRATIA.

Cum ergo præter conscientiam episcopi, vel eius cui officia huiuscemodi commissa sunt, quilibet prohibetur oblationes ecclesiæ distribuere: liquidò apparet, quòd cum episcopi consensu, quibuslibet ecclesijs possint distribui.

Cap. 32 conc. Toleta. 4.

Huic interpretationi videtur contraire auctoritas illa Toletani concilij.

Nihil de iure sua diœcesis episcopi præsumant auferre. 61

COnstitutum est à præsenti concilio episcopos diœceses suas ita regere, vt nihil ex earum iure præsumant auferre: sed iuxta priorum auctoritatem conciliorum, tam de oblationibus, quàm de tributis ac frugibus tertiam consequantur.

Quòd

Quòd si amplius quippiam ab eis præsumptum extiterit, per conciliú restauretur: appellantibus ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum si iam illi à seculo decesserunt.

ITEM Symmachus papa. *Ad Cæsarium fratrem.*

Possessiones ecclesiæ derelictas nulli sit alienandi licentia 62

POssessiones quas vnusquisque ecclesiæ proprio dedit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis aut distractionibus, vel sub quocunque argumento nõ patimur, nisi fortè aut clericis bonorũ meritorum, aut monasteriis religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas largiri suaserit: sic tamẽ vt hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.

GRATIAN. Sed illud Toletani concilij ita intelligendum est, vt episcopi præter quartam vel tertiam, quę secundum locorum diuersitates eis debetur, nihil contingant.

VNDE in concilio Leonis papæ statutum est.

A clericis & piis locis vltra statuta patrum, aliquid episcopus non exigat. 63

NVlli episcoporum liceat à subiecto sacerdote vel alio quocunque clerico & piis locis dationes vltra statuta patrum exigere, aut supposita in angariis inferre, sed cùm optimus sit perspector, ita prospiciat, vt vniuersæ sibi oues commissæ, à se maximè alantur, atque in necessitatibus iuuentur: non illicitis exactionibus opprimantur: quia Dominus pascere & docere nos docuit, & omnibus ministrare: non terrenis lucris & auaritiis delectari.

ITEM Greg. Leoni episcopo Carthaginensi. *Epi. 8. l. 7. episcopo Catiensi.*

De redditibus ecclesiæ quarta pars clericis est distribuenda. 64

AD hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, & iudicia esse constituit, vt nec præpositi in opprimẽdos se frustra valeant occupare subiectos, nec subiectis iterum contra suos præpositos effrenata sit resultandi licentia. Volumus igitur vt quicquid ecclesiæ tuæ ex reditu, vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum domini timorẽ presbyteris, diaconis, ac clero (vt tibi visum fuerit) discretè diuidere.

ITEM ex sexta synodo.

Episcopus turpis lucri gratia nihil à monachis vel clericis suis exigere debet. 65

PRædicator ecclesiæ Paulus diuinus apostolus, ac si canonẽ ponens Ephesiorum presbyteris, imò verò & omni sacratæ multitudini ac plenitudini, ita fiducialiter perhibuit: argẽtum, aut aurum, vt vestem nullius concupiui. ipsi scitis: quoniam ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauit manus ista. Omnia ostendi vobis, quoniã sic laborãtes oportet suscipere infirmos: beatius existimans dare quàm accipere. *Act. 20. b.*

Propter quod & nos docti ab eo, diffinimus nullatenus episcopum turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis, expetere aurum vel argentum, aut aliam speciẽ à presbyteris, vel clericis, vel monachis qui sub ipso sunt. *1. Cor. 12. e* Ait enim Apost. Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filiis. *1. Pet. 5. a* Et apostolus Petrus: Pascite qui in vobis est gregẽ dei, non coactè, sed spontè secundum deum: non turpis lucri gratia: neq; vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo: & cùm apparuerit princeps pastorũ, percipietis inmarcescibilis gloriæ coronam.

GRAT. Illud autem quod in fine capituli Symmachi ponitur, hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur: ad personales tantum possessiones clericorum videlicet & pauperum, nõ ad monasteriales referendum est. *7. pars.* Quàm verò sit graue apud deum decimas & oblationes ac primitias sacerdotibus nõ soluere, auctoritate Hieron. & Aug. apparet.

Hier. in commẽtariis ad cap. Malach. 3. AIT nanque Hieron. super Malachiam.

Reus apud deum habetur qui decimas sacerdotibus non soluerit. 67

REuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit dominus exercituum. & dixistis: In quo reuertemur? Si affligit homo deum, quia vos configitis me. & dixistis: In quo cõfligimus te? In decimis & primitiis: & ideo in penuria vos maledicti estis, & me cõfligitis tota gens. Nunc sequamur ordinẽ prophetæ. Quia mihi non reddidistis decimas & primitias, idcirco in penuria & fame maledicti estis, & me vos supplãtastis siue defraudastis. ecce annus expletus est, & nihil in meos thesauros, sed in vestra horrea cõportastis, & pro decimis & primitiis quæ parua erant, vt à vobis darentur, vbertatẽ possessionum vestrarũ, & omnẽ frugum abundantiá perdidistis. Vt autem sciatis hoc me irascente perfectũ, quia fraudastis me parte mea, hortor vos atque commoneo, vt inferatis decimas in horrea mea, hoc est in thesauros templi, vt habeant sacerdotes & leuitæ qui mihi ministrant, cibos: & probate me si nõ tantas pluuias effudero, vt cataractæ cæli apertæ esse credãtur, & effundam benedictionẽ meam vobis vsque ad abundantiam. Verbum effusionis, nomen largitatis ostẽdit: sed fieri potest vt agros irrigantibus pluuiis sit quidẽ fertilitas, verum aut locusta veniat, aut brucus, aut ærugo, aut eruca, & labores hominũ vastabunt, propterea adiungit, & dicit: Et increpabo pro vobis deuorantes, locustas videlicet, & reliqua quæ prædiximus, & non corrumpent fructum terræ vestræ. Si quando fames & penuria, & rerũ omniũ egestas opprimit mundũ, sciamus hoc ex ira dei descendere, qui se in pauperibus si nõ accipiant eleemosynã fraudari loquitur, & suas possessiones possumus decimas & primitias interpretari. Si quis doctus & eruditus in lege

ge domini poteſt alios erudire, nō debet ſuæ aſſignare prudentiæ ingenioque quod poſſidet: ſed gratias agat primùm Dn̄o qui cuncta largitur, deinde ſacerdotibus eius ac miniſtris, à quibus doctus eſt. ſi enim non egerit gratias, ſed ſcientiā vendicauerit ſibi, in penuria maledicetur. quòd ſi intelligens largitorem deum, & agēs his gratias per quos à deo eruditus eſt, humiliauerit ſe, & in horreum dei intulerit cibos, hoc eſt, ſcripturæ alimenta in eccleſiis populis miniſtrauerit, ſtatim aperientur ſuper eum cataractæ cęli: & effundetur pluuia ſpiritualis, & mandabit nubibus ſuis vt pluant ſuper eum imbrem, & abundantia rerum omnium perfruetur.

Ser. 119. *de tempore, ſiue prima dominica poſt Trinitatem.* quem ſermonem vt & reliquos de tempore falsò Auguſt. tribui, multos docet Eraſmus in cenſuris ad illos libros.

ITEM Auguſtinus.

Quòd decimæ ſacerdotibus ſunt tradendæ. 68

DEcimæ tributa ſunt egentium animarum. quòd ſi decimā dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis & animæ conſequeris: nō igitur dominus deus pręmium poſtulat, ſed honorē. Deus enim noſter qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatus eſt recipere, nō ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturā. ſed ſi tardius dare peccatum eſt, quanto magis peius eſt peccatum non dediſſe? De militia, de negocio, & de artificio redde decimas. Cùm enim decimas dando, & terrena & cæleſtia poſſis pręmia promereri, quare pro auaritia duplici benedictione fraudaris? hæc eſt enim dei iuſtiſſima cōſuetudo, vt ſi tu illi decimā non dederis, tu ad decimā reuoceris. dabis impio militi quod non vis dare ſacerdoti. benefacere ſemper deus paratus eſt, ſed hominum malitia prohibetur. decimæ etenim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. & quāti pauperes in locis ſuis vbi ipſe habitat, illo decimas nō dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni iudicis tribunal apparebit: quia rem à Deo pauperibus delegatam, ſuis vſibus reſeruauit. qui ergo ſibi aut præmium cōparare, aut peccatorum deſiderat indulgentiā promereri, reddat decimam, etiam de nouem partibus ſtudeat eleemoſynā dare pauperibus.

ITEM Hieronymus.

Seipſum condemnat qui euangelizantibus neceſſaria ſubtrahit. 69

APoſtolicis viris & euangelizatoribus Chriſti in neceſſariis vſibus nolle tribuere, ſeipſum condemnare eſt.

Quod autē decimæ epiſcoporū conſenſu monachis licitè tribuantur, B. Hieron. Damaſo papæ ſcribit, dicens. GRAT.

Liberum eſt clericis, monachis, & religioſis decimas concedere. 70

QVoniā quicquid habent clerici, pauperū eſt; & domus illorum omnibus debent eſſe communes, ſuſceptioni peregrinorum & hoſpitū inuigilare debent: maximè curandū eſt illis, vt de decimis & oblationibus cœnobiis & xenodochiis,

qualem

qualem voluerint & potuerint sustentationem impendant. Liberum est enim monachis & spiritualibus viris deum colentibus & timentibus decimas & oblationes cunctaque remedia cōcedere, & de iure suo in dominium illorum & vsum transferre, nec tam in pauperibus paupertatem quàm religionẽ attendere. Quòd autem beatitudo tua quęsiuit vtrum vsus decimarum & oblationum secularibus prouenire possit, nouit vestra sanctitas omnino non licere, protestantibus hoc diuinis auctoritatibus paternorum canonum, quamobrem si aliquando fuerint ab his malè detenta quæ diuini iuris esse noscũtur, & in vsum transierint monachorum & seruoru Dei, episcopo tamen loci illius præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate & stabilitate subnixa. Clericos autem illos conuenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & amicorum nulla suffragantur stipendia. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò incurrunt & committunt: & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt.

GRATIA. In lib. manuscr. hic incipit quæstio secunda.

De prædiis autẽ quæ à colonis eorum coluntur, sic diffinitum est in Magociensi concilio. Questi sunt præterea, &c.

QVAESTIO II.

SI CONTIGERIT EOS CAPELLAS HABERE EPISCOPALI BENEFICIO, AN AB EIS SINT INSTITVENDAE AN AB EPISCOPIS.

GRAT.

De capellis verò quæ ab eis possidentur, quòd per eorũ institutionem à sacerdotibus sint gubernandæ, Ioãnes papa probat scribens Isaac Syracusano episcopo.

Presbyteri in monasteriorum ecclesiis per abbates instituantur. I

Visis literis charitatis vestræ, quibus satis perpẽditur quanto studio huic sanctæ sedi reuerentiã exhibetis, non modicè gauisi sumus. Nunc itaq; super ea quę cõsuluistis, vt charissimo fratri benignè discretum consilium damus. delegauit enim nobis pia mansuetudo vestra vtrum ecclesiæ pro quiete monachorum à sanctis catholicis episcopis eis traditæ, per sacerdotes ab eis ordinatos & inuestitos debeãt institui: addidit quoque fraternitas tua, litem & seditionem inter clericos mõnachosque ex hac causa nõ modicam esse ortam, quod instigatione versuti hostis nemo fieri ambigat. habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus astutiã eius. conatur nanque à principio ruinæ suæ vnitatẽ ecclesiæ rescindere, charitatem vulnerare, sanctorũ operum dulcedinẽ inuidiæ felle inficere, & omnibus modis humanũ genus euertere & perturbare. dolet enim satis & erubescit, charitatem quam in cælo nequiuit habere,

bere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra. vnde oportet (quantum fragilitati nostræ conceditur) vt omnes aditus nocẽdi eius versutiæ muniamus, ne mors ingrediatur per portas nostras. Cõsilio itaq; multorũ fratrum diligẽter exquisito decernimus, vt amodo ecclesiæ monachis traditæ per suos sacerdotes instituantur. Diuinæ enim leges habent & seculares, vt cuius est possessio, eius fiat institutio, & si in dando quod maius est, facilis fuit charitas: sit facilior in concedendo quod minus est sancta largitas. maius enim fuit possessionem dare, quàm sit inuestituram concedere. Quomodo possessoris iura cognoscentur, & suarum rerum sibi tributa reddẽtur, vbi quod suum est per alterũ datur, & cùm voluerit aufertur? Humani moris est illum vereri, cuius iudicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur. Vnde fit vt in partẽ episcopi ad seruiendum sacerdos procliuior fiat: & sic episcopus quod sanctè & religiosè dederat, quadam simulata auctoritate ad se trahat. sic itaq; priuatur mercede quam consecutus fuerat, tum quia ficta charitate aufert quod dederat, tum quia prauorum sacerdotum discordias & scissuras amantium verbis nimis factus credulus, & quod prius fucatè moliebatur lucrari, post detecta fraude conatur quadam vsurpatione ex toto auferre: quorum aduertentes calliditates, & hostis versuti suasiones monachis deinceps omnino licentiam damus suarum ecclesiarum inuestitores fieri: ita tamen, vt iudicio synodi si contra sacerdotũ agere præsumpserint, mulctentur, & fœlici mucrone episcopi sacerdotum piacula resecentur.

2. pars.

„ Hac auctoritate monachis conceditur inuestitura suarum „ ecclesiarum. sed videtur contraire Vrbanus papa ij. dicens. GRAT.

Ivo refert lib. 2. de decimis.

Palea.

ADmonemus atque præcipimus, vt decimas omnino dare deo non negligant, quas ipse deus dari cõstituit: quia timendum est, qui deo suum debitum subtrahit, ne ei auferat necessaria. ITEM Nicolaus papa.

Quinque sequẽtes paleæ prorsus desunt in veteri lib. manusc.

De eodem. *Palea.*

PRæcipimus vt & decimæ & primitiæ, seu quæcunque oblationes viuorum & mortuorũ ecclesiis dei fideliter reddantur à laicis, & vt in dispositione episcoporum sint secundũ canones distribuendæ, quas qui tenuerit, à sancta communione priuetur aut separetur. ITEM Leo papa.

De eodem. *Palea.*

NVllus decimas ad alium pertinentes accipiat.

ITEM Ambrosius. *Palea.*

NAm qui deo non vult reddere decimas quas tenuit, & homini non studet reddere quòd iniustè abstulit, non timet adhuc deum, & ignorat quæ sit vera pœnitentia, veraq; confessio.

feſſio. iſte talis non poteſt veram facere eleemoſynam.

ITEM Vrbanus ſecundus.

Abbates abſque epiſcopi conſilio in parœcialibus eccleſiis presbyteros non ordinent. 2

SAnè quia monachorum quidam epiſcopis ius ſuum auferre contendunt: ſtatuimus ne in parœcialibus eccleſiis quas tenent, abſque epiſcoporum conſilio presbyteros collocẽt: ſed epiſcopi parœciæ curam cum abbatis conſenſu ſacerdoti committant: vt eiuſmodi ſacerdotes de populi quidẽ cura epiſcopis rationem reddant, abbati verò pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubiectionem exhibeãt, & ſic ſua cuique iura ſeruẽtur. Idem: In parœcialibus eccleſiis presbyteri per epiſcopos inſtituantur, qui eis reſpondeant de animarum cura, & his quæ ad epiſcopum pertinent.

ITEM ex conc. apud Fauentiam habito.

Quorumcũque monachorũ eccleſiæ epiſcoporũ ſubdantur regimini. 3

STatuendum nobis eſt quatenus eccleſiç quorumcunq; monachorum in ſingulis parœciis ſitæ, epiſcoporũ (vt decet) diuinitus ſubdantur regimini, eiſq; debita obſequia exhibeãt.

GRAT. Ecce Vrbanus papa prohibet inueſtituram parœcialium eccleſiarum per monachos fieri, quas Ioannes papa eis cõceſſit. Sed illud Ioannis papæ intelligendum eſt de illis capellis quæ cum omni iure ſuo ab epiſcopis monachis cõceduntur. Illud autẽ Vrbani intelligitur de illis quas abbates in propriis prædiis ædificant in villis vel in caſtellis ſuis.

In vet. manuſc. quæſtio quinta. *Aduerte hic, tertiam pro quinta, & conſequẽter quartam pro tertia, ac quintam pro quarta quæſtion. intitulari.*

QVAESTIO III.

SI CAPELLAM IN SVO TERRITORIO AEDIFICATAM IVRE TERRITORII SIBI VENDICARE VALEAT.

TALES et ſi ius territorij habeant, tamen poteſtatem gubernandi populum, & ſpiritualia miniſtrãdi non habẽt. quod etiam de epiſcopo intelligendum eſt.

VNDE Nicolaus papa ait.

Epiſcopus qui in alterius diœceſi eccleſiam ædificat, eius conſecrationẽ ſibi vendicare non valet. 1

SI quis epiſcoporum in alienæ ciuitatis territorio pro quacunque ſuorum opportunitate eccleſiá ædificare diſponit, non præſumat dedicationem facere: quç illius eſt in cuius territorio eccleſia aſſurgit. ædificatori verò epiſcopo hæc gratia reſeruetur: vt quos deſiderat clericos in re ſua ordinari, ipſos ordinet is cuius territorium eſt, vel ſi ordinati iam ſunt, ipſos habere acquieſcat, & omnis eccleſiæ ipſius gubernatio ad eũ, in cuius ciuitatis territorio eccleſia ſurrexit, pertinebit.

Cap. 34. ITEM ex concilio Toletano iiij.

Baſ-

Basilicæ nouiter conditæ ad episcopum pertinent, cuius conuentum esse constiterit. 2

POssessio territorij conuentum non adimit: ideoque nouæ Basilicæ quæ conditæ fuerint, ad eum proculdubio pertinebunt episcopum, cuius conuentus esse constiterit.

ITEM Gregorius. *Epist. 19. li. 11. ad Ioannem subdiaconum.*

Aedificatori episcopo in diœcesi alterius ecclesiam consecrare nō licet. 3

LAtor præsentium Ioannes frater & coepiscopus noster indicauit nobis, quòd Exuperantius episcopus ausu temerario in diœcesi ipsius oratorium cōstruxit, ipsúmque sine præcepti auctoritate contra morem præsumpserit dedicare: missásque illic celebrare non metuit. quam rem cum summa celeritate ac districtione conuenit emendare, nec vlterius tale aliquid attentare permittas.

GRATIAN.

Quod de iure ordinandi non possidendi intelligendum est. His auctoritatibus facilè perpendi potest, quòd siue abbates, siue episcopi in suis castellis vel villis ecclesias ædificauerint: non ideo episcopo in cuius diœcesi fuerint, cōuentus adimitur: & ideo sacerdotes iuxta illud Vrbani & Nicolai in eis nō nisi per episcopos cum consensu tamen & electione ædificantium ordinari possunt.

QVAESTIO IIII. *In vet. manuscr. quæstio tertia.*

AN IVRA ECCLESIARVM PRAESCRIPTIONE TOLLANTVR.

GRAT. *Cap. 17. concil. Chalcedonensis.*

QVÒD autem præscriptione temporis omnia iura tollantur, probatur auctoritate Chalcedoñ. cōcilij, & Gelasij papæ, & Toletani concil. Prima hæc est.

Rusticanæ parœciæ apud episcopos qui eas possident xxx annis sine violentia permaneant immobiles. 1

PEr singulas ecclesias parœcias rusticanas permanere immobiles apud eos qui eas tenent episcopos decernimus: & maximè si eas sine violentia per xxx. annos gubernauerunt. Si verò intra triginta annos facta fuerit de his dubitatio: liceat eis qui se dixerint læsos, propterea mouere apud synodum prouinciæ certamen.

ITEM Gelasius. *Gela pa. 1, epi. 2. ad Siculos.*

Triginta annis ab episcopis possessæ, immobiles permaneāt diœceses. 2

PRæsulum nostrorum auctoritas emanauit vt facultates ecclesiæ episcopi ad regendū habeant potestatē: ita tamen vt viduarum & pupillorū atque pauperum, necnō & clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari quod hactenus decretum est: reliquū sibi episcopi vendicent: vt (sicut antea diximus) peregrinorum atq; captiuorum largi-

gores

tores esse possint. Item Gelas. ij. Illud etiam annecti placuit, vt si (quod absit) facultates ecclesiæ necnõ diœcesis ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi vendicẽt quod tricennalis lex concludit: quia & filiorum nostrorum principum ita emanauit auctoritas. ITEM ex conc. Toletano iiij.

Gela. papa. I. in eadé 2. epist.

Cap. 34.

Territorij possessio conuentum non adimit. 3

SIcut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorij possessio conuentum non adimit.

ITEM ex eodem.

Cap. 33.

Tricennalis possessio intra vnam prouinciam seruari debet. 4

QVicunque episcopus alterius episcopi diœcesim per xxx. annos sine aliqua interpellatione possederit. quamuis secundum ius legis eius non videatur esse diœcesis, admittenda tamen non est contra eum actio reposcendi. Sed hoc intra vnam prouinciam: extra verò nullo modo: ne dum diœcesis defenditur, prouinciarum termini confundantur.

2. pars.
GRAT.

Ecce his auctoritatibus probatur quod possessionis & gubernationis iura præscriptione tolluntur. Sed idem Gela. contra testatur, scribens Maximo & Euse. episcopis.

Status parœciarum nec præsumptione nec temporis præscriptione mutari potest. 5

LIcet in regulis contineatur antiquis, parœcias vnicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas nulla posse ratione conuelli: ne per consuetudinem pessimam exẽpli mali temeritate crescente, vniuersalis confusio nasceretur: tamen etiã decretis nostris ante nõ multum temporis destinatis omnia iussimus quæ taliter fuerant inuasa, restitui: sed quia temeritas peruadentiũ legẽ sibi posse putat generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adiungat: ea quæ inter fratrẽ & coepiscopum nostrum Constantinũ * Anuscanæ ecclesiæ sacerdotem, & inter nuncios directos ab Anconitano põtifice decreuimus, per vos impleri cupimus: tunc formã in cæteris cognitionibus quæ sit sequenda præscripsimus. Nulla igitur præsumptione statum parœciarũ qui perpetuæ ætatis firmitate durauit, patimur mutari: quia nec negligentia pontificis, nec tẽporalis obiectio (quæ per incuriã fortè generatur) neque ignauia faciente consensus adhibitus, nec subrepẽte supplicatione præceptio diuellere potest semel diœcesim cõstitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem episcopi plebs deuota conuenit. territoriũ etiam nõ facere diœcesim olim noscitur ordinatum. Hoc multipliciter distinguitur. Sunt quædam diœceses quæ certis limitibus distinctæ sunt. Hæ nullo modo præscribi possunt. Aliæ verò quæ non sunt certis limitibus distinctæ, & de quibus certa definitio non olim præcessit, præscriptione tolluntur. VNDE Innoc. papa ait.

**Camisanæ. sic manuscript.*

GRAT.

Limitis

Limitis possessio praescribi non potest. 6

INter memoratos fratres nostros Fulgentium Astigitanum, & Honorium Cordubensem episcopos discussio agitata est propter parœciam Basilicæ cuiusdam, quã horum alter [a] Cellanensem, alter Reginensem asseruit. Et quia inter vtrasque partes hactenus limitis actio ventilata est: cuius quamuis sit vetusta retentio, nullum tamen iuris præiudicium affert: ideoque ne in dubium vltra inter eos nostra deuocaretur sentẽtia, prolatis canonibus synodalia decreta perlecta sunt: quorum auctoritas præmonet ita oportere inhiberi cupiditatem, *vt* ne quis terminos alienos vsurpet. Ob hoc placuit inter alternas partes inspectores viros mittendos: ita vt diœcesis possidentis, si tamen Basilicam veris signis limes prouisus monstrauerit, ecclesiæ cuius est ius retentionis, sit æternum dominium. Quòd si limes legitimus eandem Basilicam non [b] concludit, & tam longi temporis probatur obiecta præscriptio: appellatio præsentis episcopi non valebit: quia illi tricennalis obiectio silentium imponit. hoc etiam & seculariũ principũ edicta præcipiunt, & præsulum Romanorum decreuit auctoritas. Si verò intra metas tricennalis temporis extra alienos terminos Basilicæ iniusta retentio reperitur: repetentis episcopi iuri sine mora restituetur.

Ca. 2. con. Spalen. id habetur.
a Cellacensem,
b concludit,

ITEM Gelasius papa Iusto episcopo.

Spatia quæ diffinita fuerint, tempore præscribi non possunt. 7

DIlectio tua studeat (inquisita omniũ fideliter rerũ veritate) vt si de spatiis de quibus memoratur orta contentio, definitio dudũ certa processerit: intemerata seruetur: alioquin si nihil vnquam cõstiterit terminatũ, [c] tunc de præscriptione temporum si qua pars cõfidit, præbeat sacramentũ: vt tamen quæ hactenus possedisse probabitur, iusiurandũ sinatur offerre.

Iuo li. 2. de præscriptione id refert.
ex mag. Iuo. p. 6
c al. nunc

GRAT. *3. pars.*

Potest etiam aliter distingui. Quæ quisque sua auctoritate vsurpat: quia nullo titulo possidere incipit, præscribere non potest. & in hoc casu intelligenda est illa auctoritas Gelasij: temporalis obiectio quæ per incuriam fortè generatur non potest diuellere diœcesim semel constitutam. intelligendum est, si nullo titulo, sed sola vsurpatione eam possidere cœpit. Si verò iudicis auctoritate & priuilegiorum longa consuetudine possidere cœpit: tunc temporalis obiectio actori silentiũ imponit, VNDE Gelasius papa ait.

Debent priuilegia xxx. annis possessa immobiliter obseruari. 8

PLacuit huic sanctæ magnæq; synodo, vt res vel priuilegia quæ dei ecclesiis ex longa cõsuetudine pertinẽt, etiam siue à diuæ recordationis imperatoribus, siue ab aliis dei cultoribus in scriptis donata, & ab eis per annos xxx. possessa sunt, nequaquã à potestate præsulum eorum quæcunq; persona secularis

laris per potestatem subtrahat, aut per argumēta quælibet auferat: sed sint omnia in potestate ac iussu præsulis ecclesiæ quæcunque intra xxx. annorum spatia ab ecclesijs possessa fuisse noscuntur. Quisquis ergo clericorum vel secularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus iudicetur, & donec se correxerit, & ecclesiæ propria priuilegia seu res restituerit, anathema sit.

IDEM episcopis Dardaniæ inter cætera inquit.

Repeti non possunt quæ xxx. annis quietè possidentur. 9

POst quingentos annos constituta Christi quosdam audio velle subuertere: cùm xxx. annorum lex hominum nō possit abrumpi.

GRATIAN. 4. pars. Item si de rebus ecclesiæ controuersia mota est, & definitio subsecuta: & si iniusta sit, tamen quia non sua, sed definientis auctoritate possidere cœpit: tricennalis præscriptio petitori silentium imponit: ita tamē, vt supputatio præscriptionis non à tēpore definitionis, sed à decessu definientis exordium sumat.

Cap. 8. concilij Toleta. 9. VNDE in Toletano concilio statutum est.

Vita irritè disponentis non poterit pertinere ad tricenniū tēporis. 10

SI sacerdotes vel ministri dum gubernacula ecclesiarum administrare videntur, contra patrum sanctissimas sanctiones de rebus ecclesiæ definisse aliqua dinoscuntur: non ex die quo talia scribendo decreuerunt, sed ex quo talia moriēdo definita reliquerunt, supputationis ordo substabit. nusquā etenim poterit ad tricenniū temporis pertinere vita irritè iudicātis: quia status contractuum nō sumpsit initium ab origine æquitatis.

GRAT. 5. pars. Item ea quæ in beneficiis possidentur, siue quę metu hostilitatis interueniente diutius possessa fuerint, præscribi non possunt. VNDE in Agatheñ. concilio definitum est.

Cap. 59.

Quæ in beneficijs possidentur, præscribi non possunt. 11

CLerici quilibet quantacunque diuturnitate temporis de ecclesiæ remuneratione aliqua possederint, in ius proprium præscriptione temporis non reuocentur, dummodo pateat ecclesiæ rem fuisse: ne videantur etiam episcopi tempore administrationis prolixè aut precarias cùm ordinati sint facere non debuisse: aut diu retētas facultates in ius suę proprietatis posse transcribere.

Cap. 25. ITEM ex concilio Aurelianensi.

Quæ humanitatis intuitu aliquibus præstātur, præscribi nō possunt. 12

SI episcopus humanitatis intuitu mancipiola, vineolas vel terrulas clericis aut monachis vel quibuslibet præstiterit excolēndas, vel tempore tenendas: etiam si longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum ecclesia præiudicium patiatur: nec secularis legis præscriptio quæ ecclesiam aliquam impediat, opponatur.

Ca. 1. cō. Spal. 2. ITEM ex concilio Hispalensi, cui interfuit Isidorus.

Temporis

Tẽporis præscriptio non obiicitur, vbi hostilitatis metus interuenerit. 13

PRima actione Theodulphi Malechitanæ ecclesiæ antistitis ad nos oblata precatio est asserentis antiquã eiusdem vrbis parœciam militaris quondã hostilitatis discrimine fuisse decisam: & ex parte aliqua ab ecclesiis Astigitanæ Elibertanæ, atq; [a] Egabiensis vrbium esse retentam: pro qua re placuit vt omnis parœcia quã antiqua ditione ante militarẽ hostilitatem retinuisse ecclesiã suam quisque comprobaret: eius priuilegio restitueretur. sicut enim per legẽ mundialem his quos Barbarica seueritas captiua necessitate transuexit, postliminio reuertentibus redditur antiqua possessio: nõ aliter & ecclesia receptura est parœciam quam ante tenuit cum rebus suis, siue ab aliis ecclesiis possideatur, siue in cuiuslibet possessionẽ transfusa fuerit. non enim erit obiicienda præscriptio tẽporis, vbi necessitas interierit hostilitatis.

[a] vet. Agonsesa

ITEM Ioannes papa Paulino episcopo fungenti legatione in Germania & Pannonia.

Temporis non currit præscriptio, vbi furor hostilitatis incumbit. 14

POrrò si de annorum numero fortè quis causatur, sciat quia inter Christianos & eos qui vnius fidei sunt, numerus certus affixus est: cæterũ vbi paganorũ & incredulorum furor in causa est: quantalibet prætereant tẽpora, iuri non præiudicant ecclesiarum, quæ corporalia nescientes arma, solùm deum & propugnatorẽ suũ quando ei placuerit misereri patiẽter expectant. Verum si annorũ prolixitas in talibus impediat, Deus ipse reprehendẽdus est, qui post quadringentos & xxx. annos filios Israël de durissima seruitute Pharaonis & fornace ferrea liberauit: sed ipse per se redemptor noster humanum genus

,, post annorum milia de inferni claustris eripuit. Tolluntur
,, etiam præscriptione illæ diœceses, quas propriis episcopis negligentibus alij ab hæresi ad fidei integritatem reuocauerunt.

GRATIAN. 7. pars.

VNDE in ix. Africano concilio legitur.

Cap. 24 concil. Mileuitani.

Si qui episcopi diœceses suas lucrari deo negligunt: post triennium eis constabunt episcopis, quorum studio fidei sunt reconciliatæ. 15

PLacuit vt quicunque episcopi negligunt loca ad suã cathedram pertinentia in catholica vnitate lucrari, conueniantur à diligentibus vicinis episcopis, vt id agere non morentur. quod si intra sex menses à die cõuentionis nõ effecerint: qui potuerit eas lucrari, ad ipsum pertineant: ita sanè, vt si ille ad quem pertinuisse videbantur, probare potuerit magis illius electam negligentiam ab hæreticis, vt impune ibi sint, & suam diligentiam fuisse præuentam vt eo modo eius cura solicitior vitaretur: cùm hoc iudices episcopi cognouerint, suę cathedrę loca restituantur.

,, Potest etiam aliter intelligi præscriptio illa longi temporis

GRAT.

qua Gelasius negat statum parœciarum posse mutari. Longũ enim tempus (sicut ex legibus habetur) decennium & vicennium intelligitur. Huius ergo longi temporis præscriptio auctoritate Gelasij & secularium legum ecclesiis obiici non potest.

2. pars. Præscriptionum aliæ sunt introductæ odio petentis, & fauore possidentis: aliæ tantùm odio petentis. qui enim bona fide & iusto titulo rem præsentis per decennium, absentis verò per vicẽnium tenuerit: perpetua exceptione tutus erit non solum aduersus alios, sed etiã aduersus creditores quibus res ipsa obligata fuerat: etiam aduersus verum dominum. Si verò aliquo casu à possessione ceciderit, etiam aduersum verũ dominum vtiliter rem vendicare poterit. Si autem nullo titulo, bona tamen fidem per tricennium rem alicuius possederit: simili gaudebit præsidio. Bona verò fides non ad tractum medij temporis, sed ad initium possessionis refertur. Sufficit enim in initio cuiq; bona fide possidere cœpisse, etiã si medio tempore scientiam rei alienæ habuerit. Hæ præscriptiones introductæ sunt fauore possidentis, & odio petentis: quia lex fauet his qui bona fide & iusto titulo, vel bona fide tantum possident. odit autem & punit circa rem suam negligentes & desides. Quòd si mala fide rem alienam quis possidere cœpit, post triginta annos aduersus omnem petẽtem exceptione tutus erit. Si verò aliquo casu à possessione ceciderit, actionem non habet: quia hæc præscriptio nõ fauore malæ fidei possessoris, sed odio tantum rem suam prosequi negligentis introducta est. Si autẽ res ad creditorem suum vel ad dominũ peruenerit: detentionis commodum habebit. Si verò ad aliũ, creditor vel alius dominus aduersus eum experiri poterit: nec sibi proderit exceptio medij tẽporis possessoris: quia nõ ab eo habuit causam possidendi. Quòd si violẽter possessio ad eos peruenerit: malæ fidei possessor indistinctæ possessionis commodum recipiet. Hæc de præscriptionibus decennij vel vicennij vel tricennij intelligẽda sunt, si sine interruptione possessa probentur. Quòd si per naturalem detẽrionem possessio interrupta fuerit: à die recuperatæ possessionis noui xxx. anni in omnibus præscriptionibus numerabuntur. Si per litis contestationẽ, ab vltimo die litigij xl. anni cõputabuntur. Quòd si ab eo qui in causa præscribẽdi erat, possessionẽ aliquis nanciscatur, tempus præcedens cum suę possessionis tẽpore continuare poterit. Is autem cuius res præscribitur: si litem contestari non poterit, vel propter aduersarij absentiã vel infantiã, vel furoris laborẽ, cùm neminem tutorem vel curatorem habeat, vel quia in magna potestate cõstitutus est: intra constituta tempora præsidem adeat, libellum ei porrigat, & hoc in querimoniam deducat: & sic temporis interruptionem faciat.

l. vt perfectius C. de annali exceptione. l. vlt. C. de episcoporum audientia.

Si autem

Si autem præsidem adire non poterit, saltem ad episcopū locorum vel defensorem ciuitatis eat, & suam manifestare volūtatem in scriptis deproperet. Quòd si pręses vel episcopus vel defensor abfuerit, liceat ei publicè proponere vbi domicilium habet possessor: sed cum tabellariorum subscriptione: vel si ciuitas tabellarios non habet, cum trium testium subscriptione, & hoc sufficiat ad omnem temporalem interruptionē siue triennij, siue longi tēporis, siue triginta vel quadraginta annorū præscriptio sit. Hæc de præscriptionibus inter priuatos. Cæterum aduersus loca religiosa non nisi quadraginta annorum præscriptio currit. Vnde in authenticis. Quas actiones tricennalis præscriptio præcludit si loco religioso cōpetant, quadraginta annis clauduntur. Et in nouellis. Neque decennij vel vicennij, &c. In canonibus verò ecclesia aduersus ecclesiam triginta annis, monasterium aduersus ecclesiam nō nisi quadraginta annis præscribere permittitur. Quòd si priuatus primitias & decimas siue sine titulo, siue cum titulo possederit, nulla temporis præscriptione tutus esse poterit. Quæ enim ab initio de iure sortiri effectum non possunt, tractu tēporis non conualescunt. *l. quod ab initio. de reg. iur.* Vnde si liber homo longo tempore pro seruo detineatur: etiam si quadraginta annorum curricula excesserint, sola temporis longinquitate libertatis iura minimè mutilabuntur. Ad hæc, ecclesia, res publica, primitiæ, decimationes ciuilium functionum instar obtinent. Porrò publicæ functiones præscribi non possunt.

VNDE in vij. lib. Codicis tit. de triginta vel quadraginta annorum præscriptione imperator Anastasius. 16 *Tit. 30. lib. 7. Co. leg. 6.*

IVbemus eos qui rem alienam per continuum annorum quadraginta curriculū sine aliqua interpellatione legitima possederunt, de possessione quidem rei vel dominio nequaquam remoueri: functiones autem seu ciuilem canonem vel aliquā aliam publicam collationem impositam eis dependere compelli: nec huic parti cuiuscunque temporis præscriptionē oppositam admitti.

GRAT. Sic etiam prædia siue sint priuati, siue ecclesiæ, possunt pręscribi. Prouentus primitiarum & decimationum præscriptione tolli non possunt, etiam si à Romano pontifice quilibet laicus super his rescriptum impetrauerit. Rescripta enim quæ contra ius scriptum impetrata fuerint, nisi talia sint quæ illis quibus data fuerint prosint, & nulli obsint: nullius momenti esse censentur. Item: Decimæ deo mandante sacerdotibus & leuitis separatæ sunt: vt de sorte domini viuāt, qui in eius sorte connumerantur. Non ergo cuiusquā priuilegio laicis concedi possunt: ne diuinis mādatis auctoritas humana præiudicium inferat. Vnde imperatores Valentinianus & Theo-

Theodosius. Vniuersas terras quæ à colonis seu emphiteuticariis dominici iuris, reipublicæ vel templorum in qualibet prouincia venditæ, vel vllo alio pacto alienatæ sunt: ab his qui perperam atque contra leges eas detinent, nulla longi tēporis præscriptione officiente iubemus restitui, ita vt nec precium quidē iniquis cōparatoribus reposcere liceat. De præscriptionibus verò longi tēporis in auctēticis inuenitur colla. viij. constit. vj. Quas actiones alias tricennalis, decennalis, vicennalis præscriptio secludit: si loco religioso cōpetunt xl. annis clauduntur: vsucapione & quadriennij præscriptione suū locū habentibus. Sed sola præscriptio xxx. annorū, & deinceps: à qua tamen præscriptione priuilegia Romanæ ecclesiæ sunt exclusa: quæ nō nisi centum annorū spatio præscribi possunt. VNDE Ioan. viij. scribit Ludouico regi.

9. pars.

10 pars.

vet. Lodoico. Intellige Lodoicum, secundum qui quartus fuit à Carolo magn.

Priuilegia Romanæ ecclesiæ non nisi centum annorum præscriptione tolluntur. 17

NEmo de annorū numero resultandi sumat fomentū, quia sancta Romana (cui deo auctore seruimus) ecclesia priuilegia quæ in firma Petri stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus augustātur: nullis regnorū partitionibus præiudicantur: sed venerandæ Romanæ leges diuinitus per ora principū promulgatæ, rerum eius præscriptionē non nisi per centum annos admittunt.

Quæstio quatta in manuscr.

QVAESTIO V.

SI ECCLESIA ADVERSVS ECCLESIAM PRAESCRIBAT, AN ETIAM MONASTERIVM ADVERSVS ECCLESIAM PRAESCRIBERE POSSIT.

GRATIAN.

OStensum est quando ecclesia aduersus ecclesiam præscribere possit. Nunc videndum est si monasteriū aduersus ecclesiam præscribere valeat: quod Vrbanus secundus prohibuit dicens.

Tricennio temporis aliquid præscribere abbates vel monachi non valent. 1

POssessiones ecclesiarū & episcoporum tricennales abbates vel monachos habere omnibus modis prohibemus: sed si eis tollitur tricennalis possessio, à beato Gregorio conceditur eis quadragenalis præscriptio.

Greg. epi. 9. l. 1

AIT enim Petro subdiacono.

Quadraginta annorum præscriptio religiosis domibus conceditur. 2

VOlumus accedente te ad Panormitanam ciuitatem, quæstionem ipsam tali ratione discutere: dominio rei apud possessorē sicut hactenus possessum est, videlicet permanēte: vt si monasterium præfatum sancti Theodori fines, de quibus

certatio

certatio mora est, inconcussos xl. annis possedisse reperetis: nullam deinceps (etiam si quid Romanæ ecclesiæ competere potuit) patiaris sustinere calumniam : sed quietem eorum inconcussam omnibus modis procurare. sin verò actores ecclesiæ non eos possedisse xl. annis incõcusso iure monstrauerint, sed aliquam intra tempora hæc motam aliquando fuisse quæstionem eorundem finium : electis arbitris tranquillè & legaliter sopiatur. ITEM ex nouellis Iustiniani.

De eodem. 3

NEque decennij, neq; vicennij vel xxx. annorũ præscriptio, sed sola xl. an. curricula religiosis domibus opponantur non solùm in cæteris rebus, sed etiam in legatis & hæreditatibus. GRATIA. Sicut ergo religiosis domibus ex lege non nisi quadragenaria est obiicienda præscriptio, ita & auctoritate Greg. aduersus alias ecclesias præscribere possunt eodẽ spatio tẽporis.

QVAESTIO VI.

SI ARCHIPRESBYTER VEL EPISCOPVS SVA AVCTORITATE NON IVDICIARIA SENTENTIA CAPELLAM IRREPSERIT: AN CADAT A CAVSA VT ECCLESIA CVI PRAESIDET, NON VLTRA HABEAT IVS REPOSCENDI, QVOD SVVS PASTOR illicitè vsurpauit.

QVÒD autem ea quæ ecclesiæ debentur, rectores eiusdem sua auctoritate iudicibus prætermissis repetere non valeant: B. Greg. testatur dicens. GRATIAN. Greg. epist. 44. l. 4. seu. cap. 88

Iudicio non manibus res ecclesiæ defendantur. 1

COnsuetudo noua in hac ecclesia & valdè reprehensibilis erupit, vt cùm rectores eius patrimonij vrbana vel rusticana prædia iuri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant : atque quod competere pauperibus existimant: nõ iudicio, sed manibus defendant. & quia cùm prædicatores suos veritas nihil per contentionẽ agere præcipiat, etiã ipsum litigiosæ contentionis malum transcenditur: & res quælibet cùm æstimatur ecclesiæ posse cõpetere, per vim tenetur: proinde præsenti decreto cõstituo, vt si quis ecclesiasticorum vnquam titulos ponere siue in rusticano siue vrbano prædio sua sponte præsumpserit: anathema sit. Et respõderunt omnes: Anathema sit. Is autem qui ecclesiæ præest, si hoc vel ipse fieri præceperit, vel sine sua præceptione factũ digna punire animaduersione neglexerit: anathema sit. Responderunt omnes : Anathema sit.

Quòd autẽ quisquis sua auctoritate quod sibi deberi putat, 2. pars. GRATIAN.

 vsurpat,

vſurpat,nec per iudicem repoſcit,cadat à cauſa:ex auctoritate Cap. 21. Mileuitani concilij habetur, in quo ita ſtatutum legitur.

Cauſa ſuæ detrimentum patiatur epiſcopus, qui eccleſias ſuas ab alio detentas propria auctoritate quærit adire. 2

PLacuit vt quicunque epiſcopi eccleſias vel plebes quas ad ſuam cathedram exiſtimant pertinere, nō ita repetierint vt cauſas ſuas epiſcopis iudicantibus agant,ſed alio retinente irruerint,ſiue volentibus ſiue nolentibus plebibus cauſæ ſuę detrimentum patiantur: & quicunq; hoc iam fecerint: ſi nondū inter epiſcopos eſt finita contentio,ſed adhuc inde contēdunt: ille inde diſcedat quem conſtat prætermiſſis iudicibus eccleſiaſticis irruiſſe. Nec ſibi quiſquam blandiatur ſi à primate vt retineat literas impetrauerit : ſed ſiue habeat literas, ſiue non habeat:conueniat eum qui tenet: & eius literas accipiat: vt eū appareat pacificè tenuiſſe eccleſiā ad ſe pertinentem. ſi autem ille aliquam quæſtionem retulerit, per epiſcopos iudices cauſa finiatur, ſiue quos eis primas dederit,ſiue per eos quos ipſi vicini cum cōſultu primatis delegerint. GRATIA. 3. pars. Econtra Greg. Ioan. defenſori eunti in Hiſpaniam,ſcribit dicens.

Delictum perſonæ in damnum eccleſiæ conuerti non debet. 3

SI epiſcopum(quod abſit) talem culpā commiſiſſe conſtiterit,vt conſtet eum non irrationabiliter eſſe depoſitū:eadem eius depoſitio confirmetur,& omnes res ſuæ eccleſiæ quæ ablatæ fuerunt reſtituantur : quia delictū perſonæ in damnū eccleſiæ non eſt conuertendū. ſi autē dicitur quia Commitiolus defunctus eſt : ab hærede eius quæ iniuſtè ab illo ablata ſunt, ſine excuſatione reddantur. IDEM Petro ſubdiacono. Grego. epiſt. 42 lib. 1.

In perſonam delinquentis, non in facultates eius vltio procedat. 4

COgnouimus quòd ſi quis ex familia culpam fecerit eccleſiæ:non ipſum,ſed in eius ſubſtantiam vindicetur. De qua re præcipimus , vt quiſquis culpam fecerit in ipſum quidē (vt dignum eſt) vindicetur: à communione autem eius omnino abſtineatur. Gre. in ead. epi. IDEM.

Res eorum qui ex clero labuntur,ſimul cum ipſis mōnaſterio tradūtur. 5

DE lapſis ſacerdotibus vel quolibet ex clero obſeruare te volumus, vt in rebus eorū nulla contaminatione miſcearis:ſed pauperrima regularia monaſteria require,quæ ſecundū deum viuere ſciunt : & in eiſdē monaſteriis ad pœnitentiā lapſos trade: & res lapſorū in eo loco proficiāt,in quo agere pœnitentiā traduntur: quatenus ipſi ex rebus eorū ſubſidium habeant, qui de correctione eorum ſolicitudinē gerunt. Si verò parentes habēt,res eorū legitimis parētibus dentur: ita autem, vt eorū ſtipēdia qui in pœnitentiā dati fuerint,eos ſufficienter debeant procurare. Si qui verò ex familia eccleſiaſtica ſacerdotes vel leuitæ vel monachi vel clerici, vel quilibet alij lapſi fuerint,

fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus: sed res eorum ecclesiastico iuri non subtrahi: ad vsum tamen suum accipiant, vnde ad pœnitentiam subsistant: ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint sint onerosi. ITEM Leo. iiij. Carolo regi.

Inutilis sacerdos ecclesiam suam dignitate non priuat. 6

SI fortassis (quod nõ credimus) apud vos inutiles iudicamur: ecclesia tamen cui permittente domino præsumus, non inutilis, sed caput principiumque omnium merito simul ab omnibus vocatur. ITEM in Magotiensi* concilio. *al. Magūtinen.

Possessiones monasterij pro peccato abbatis episcopo tollere non licet. 7

EPiscopo non liceat possessionem monasterij tollere quanuis abbas peccauerit: sed subijciat eum potestati abbatis alterius monasterij. ITEM Gelasius.

Quæ sacerdotes dederunt, subsequentes pontifices nullatenus auferre præsumant. 8

ILlud statuẽdum censuimus, vt quascunq; munificentias clericis aut sibi seruientibus de re ecclesiæ in vsum, aut de proprijs in proprietatem præcedentes dederint sacerdotes: vt subsequentes pontifices nullatenus auferre præsumant: Si quid tamen culpæ extiterit: pro qualitate personarum, vel regula præcedentium canonum in persona habeatur, non tamen in facultate districtum.

Si ergo delictum personæ in damnum ecclesiæ non potest conuerti, quia procurator conditionem ecclesiæ potest facere meliorem, nõ deteriorem: si peccato abbatis possessiones monasterij auferri non licet: quomodo delictum episcopi vertetur in damnum ecclesiæ: vt inde detrimentũ causæ suæ patiatur? Sed detrimentum causæ pati non sic est accipiendum, vt ecclesia suo iure priuetur: sed potius quia clericis coram suo iudice stãtibus episcopus tacebit, & pro iniuria illata mulctabitur, si propria habuerit. GRATIAN.

QVAESTIO VII.

SI LAICI CAPELLAM TENEANT ET IN MANIBVS ABBATIS EAM REFVTAVERINT ET ORDINANDAM TRADIDERINT, *an consensu episcopi & clericorum abbas possit eam tenere.*

QVòd autẽ ecclesias de manu laicorũ nec abbati nec alicui accipere liceat, omnium canonum testatur auctoritas. Generaliter enim tã ecclesiæ quàm res ecclesiarũ in potestate episcopi consistunt. Laici autẽ nec sua nec episcoporũ auctoritate decimas vel ecclesias possidere possunt. vnde episcopi siue beneficio siue precio ecclesias vel decimas laicis dederint, domũ orationis, domũ negociationis & speluncam latronum faciunt. vnde post euersionem cathedræ à certu GRATIAN.

Iuo Carn. lib. 8. in fine id refert.

fidelium segregati, æterno verbere à domino flagellabuntur.

VNDE gregorius septimus ait.

Decimæ à laicis non possideantur. 1

DEcimas quas in vsum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus. siue enim ab episcopis vel regibus vel quibuslibet personis eas acceperint: nisi ecclesiæ reddiderint, sciãt se sacrilegij crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere. Oportet autem congruentius nos decimas & primitias quas iure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere: quas fideles domino præcipiẽte offerunt, iuxta illud vaticinium Malachiæ prophetæ: Inferte omnẽ decimationem in horreum meum: vt sit cibus in domo mea. Has verò decimas sub manu episcopi fore cẽsemus: vt ille qui cæteris præest, omnibus iustè distribuat: nec cuiquam personæ honorabilius exhibeat vnde alij scrupuloso corde moueãtur: sed sint omnia communia: quia inhonestum videtur vt alij sacerdotes habeant. alij verò detrimentum patiantur: sed sicut vna est fides catholica, ita necesse est vt ille qui prouisor est loci, quãuis multæ sint ecclesiæ, omnibus tamen fideliter distribuat.

Malach. 3. a.

VNDE Vrbanus. ij.

De eodem. [a]*Palea.* 2

a extat in vet. cũ notis paleæ.

COngregato apud Claremotẽ. vrbẽ multorum coepiscoporum synodali conuentu, proposita nobis est à quibusdã eorum quæstio de ecclesiis vel de ecclesiasticis possessionibus à clericis vel monachis vsque impræsentariũ inconsultis episcopis acquisitis. nos autẽ vsi saniori consilio eorundem episcoporum, condescentes pro tempore prouidentesq; ecclesiasticę paci, vel quia aliter absq; ineuitabilis scãdali periculo huiusmodi quæstio non poterat procedere: apostolica auctoritate decreuimus, vt ea quæ à clericis vel monachis à quibuscũq; personis, prout potuerint, vsq; hodie fuerint acquisita, rata perenniter & incõcussa permaneant: hoc tamen tenore, ne in posterũ inconsultis episcopis talia præsumant. ITEM Gregor.

b extat in vet. siue notis paleæ

[b]*Palea.* 3

GRATIAN.

PEruenit ad nos fama sinistra, quòd quidam episcoporum nõ sacerdotibus proprię diœcesis decimas atq; Christianorum oblationes cõferunt, sed potius laicalibus personis, militum videlicet, siue seruitorum, vel (quod grauius est) etiã consanguineis, vnde si quis amodo episcopus inuentus fuerit huius pręcepti diuini trãsgressor, inter maximos hæreticos & antichristos nõ minimus habeatur, & sicut Nicęna synodus de simoniacis cẽsuit, & qui recipiũt ab eo laici: & qui dat episcopus siue precio, siue beneficio, æterni incendij ignibus deputentur. ITEM Ambros. in sermone quadragesimæ.

Fide-

Fideliter decimas dat, qui omnium suorum decimas soluit. 4

QVicunque recognouerit in se, quòd fideliter non dederit decimas suas, modo emendet, quod minus fecit. quid est fideliter dare? nisi vt nec peius nec minus aliquando offerat de grano, aut vt vino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negocio, aut de ipsa venatione sua.

ITEM ex concil. Rothomagensi. *Iuo refert lib. 2. de decimis.*

Excommunicentur qui decimas sacerdotibus dare nolunt.

[a Palea.] 5 *a extat in vet. sine notis paleæ.*

OMnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, domini sunt, & illi sanctificantur. Boues & oues, & capræ quæ sub virga pastoris transeunt, quicquid decimũ euenerit, sanctificabitur domino: non eligatur neque bonum neque malum: nec in alterum commutabitur. Si quis mutauerit: & quod mutat, & quod mutatum fuerit, domino sanctificabitur: & non redimetur. Sed quia modo multi inueniuntur decimas dare nolẽtes, statuimus vt secundum domini præceptum admoneantur semel & secundo & tertio. Qui si non emendauerint, anathematis vinculo feriantur vsque ad satisfactionem & emendationem congruam.

ITEM ex concilio *Magotiensi. ** al. Magũtinẽ.*

Veterum exemplo decimæ soluantur. 6 *Iuo ibidẽ refert.*

DEcimas Deo & sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, & Iacob promissis insinuat, & omnes sancti doctores cõmemorant. Non autem decimæ sunt redimendæ à populo, si aliter dare eas noluerint. VNDE in eodem concil. legitur. *Iuo vbi supra refert.*

Decimæ non sunt à populo redimendæ. 7

DEcimas quas populus dare non vult, nisi quolibet munere ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est ne fiat.

ITEM Augustinus. *Augu. homil. 48 lib. 50. homil.*

Quia decimæ Deo non redduntur, indictio fisci accessit. 8

MAiores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cęsari cẽsum reddebant. Modo autem quia discessit deuotio dei, accessit indictio fisci. Nolumus partiri cũ Deo decimas, modo autem tollitur totũ. Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus. ITEM Origines. *Homil. 15. ad cap. 21. Matthei.*

Columbas vendit qui ecclesiam indisciplinatis committit. 9

ET [b] hoc diximus secundum simplicẽ intellectũ. iuxta moralem autem talia dicemus, & primò quidem de templo de quo per prophetam dixit deus: Domus mea, domus orationis vocabitur. ergo secundum corporalem circuncisionem carnis, & secundũ corporalis legis festiuitates, & sacrificia & alia corporalia [c] consequẽtur, & templũ dei æstimabitur quod in lapidibus insensatis erat constructũ. primùm quidẽ à Salomone, deinde reparatum ab Esdra, postea verò post Christi aduentũ à Ro-

b hæc.
Esa. 56. c.
Matth. 21.
2. Para. 2. a.
Esdra 1. a.
c al. consequentes

à Romanis destructũ, & illa domus est domus orationis, quæ destructa necesse est, vt Iudæi quasi iam non habentes domũ orationis, iam non habeant priuilegium, speculationis dei: nec possint secundum legem deo seruire. Hoc ergo facto omnia
**mysterio.* Christus eiecit in ministerio*spiritualium actuum suorum, &
Matth.21.b. tunc quod fecit, visibiliter egit eijciens vendentes & ementes de templo, & mensas nũmulario euertens, cathedras vendentium columbas dissipauit ad correctionem populi, vt non pro mũdanis festiuitates in nomine Dei celebrent, nec emptionibus & vẽditionibus vacent in loco non cõpetenti: in quo non debent emere & vendere, sed orationibus tantum vacare, atq; congregari quasi in domo orationis. Nunc autẽ arbitror templum Dei ex lapidibus viuis constructum esse ecclesiam Christi. Sunt autem multi in ea nõ sicut condecet spiritualiter viuentes, sed secundum carnem militãtes, qui & domum orationis de lapidibus viuis constructã faciunt esse speluncam latronum actibus suis: nõ ecclesia dei digni, sed spelũca latronum. Qui enim considerat, in multis ecclesijs talium Christianorũ peccata inueniet, arbitrãtes quæstũ esse pietatẽ: & cum deberẽt de euãgelio viuere secundũ quod viuere decet seruos Dei, hoc nõ faciunt, sed diuitias & multas possessiones acquirũt. Nõne dices speluncam latronũ factam esse sub illis ecclesiã? vt rectè
Psalm.29. dicat Christus ad eos propter dissipationẽ ecclesiæ suæ: Quæ
Mich.7.a. vtilitas in sanguine meo, dum descendendo in corruptionem? Item ipse per Osee tali modo: Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut qui racemum in vindemia, cum nõ sunt botri ad manducandum & primogenita. væ animæ meæ: quia perijt timoratus à terra, & qui corrigat, in hominibus omnibus nõ est. Et cùm intellexeris Iesum dicentẽ talia, & lugẽtem peccata nostra, aspice simul & illud quod in
Luc.19 f. euãgelio scribitur. Cùm vidisset Hierusalẽ, stetit, & fleuit super eã, & dixit: quia si cognouisses, & tu. & si rationabiliter fleuit super Hierusalẽ: rationabili' fleuit super ecclesiã ædificatã quidem vt esset domus orationis, factam autem propter turpia lucra speluncã latronũ. Et arbitror conuenire verbum dei de venditoribus columbarum eis, qui tradunt ecclesias auaris
Matth.23.a. & tyrannis, & indisciplinatis, & irreligiosis episcopis aut presbyteris, propter quæ & cathedras tantùmodo appellauit euan-
**al. cũ dicentis admonitione scripturæ.* gelista euersas esse ab Iesu: & vtinã audirẽt hæc eum*dicentem admonitione scripturę qui gloriantur de cathedris Moysi, in quibus sedent, & vẽdunt cathedras columbarum, & tradũt eas talibus præpositis, ad quos rectè dicitur à domino per
Hier. 4.e. Hieremiã prophetam: Principes populi mei nõ me cognouerunt. filij enim sunt insipientes, & non intelligentes, sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt.

Cùm

Cùm ergo ecclesiæ & oblationes earum non consistant nisi in potestate episcoporum, patet profectò quòd non sunt ab alio recipiendæ quàm de manu eorum. GRATIAN.

VNDE in Aurelianensi concilio statutum est. Cap. 19.

Omnes basilicæ ad eum pertinent episcopum, in cuius territorio positæ sunt. 10

OMnes Basilicæ quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, in episcopi potestate consistunt, in cuius territorio positæ sunt. ITEM Calixtus papa.

Archidiaconus, archipresbyter, præpositus, vel decanus, nec officia, nec beneficia ecclesiastica sine consensu episcopi tribuat. 11

NVllus omnino archidiaconus aut archipresbyter siue præpositus vel decanus animarum curá vel præbendas ecclesiæ sine iudicio vel consensu episcopi alicui tribuat: immo sicut à sanctis canonibus constitutum est, animarum cura, & pecuniarum ecclesiasticarum dispensatio in episcopi iudicio & potestate permaneat. Si quis verò contra hoc facere, aut potestatem quæ ad episcopum pertinet, sibi vendicare præsumserit, ab ecclesiæ liminibus arceatur.

ITEM Greg. septimus in generali synodo residés, dixit.

De manu laici episcopatus vel abbatia suscipi non debet. 12

SI quis deinceps episcopatum vel abbatiá de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec vlla ei vt episcopo seu abbati audiétia concedatur. Insuper ei gratiam beati Petri, & introitum ecclesiæ interdicimus.: quousq; locum quem sub crimine tam inobedientiæ quàm ambitionis (ex qua scelus idololatriæ cœpit) resipiscendo non deseruerit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis imperatorum, regum, ducum, marcionum, comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum inuestituram episcopatus vel alicuius ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat. IDEM.

Abbas Vspurgésis ait hoc scriptú ab Ildebrádo aduersus principes Germanos & reges Francos.

Excommunicationi subiaceat, nec inuestituræ sumat fructum, qui de manu laici ecclesiam susceperit. 13

QVoniam inuestituras contra sanctorum patrum auctoritatem à laicis in multis partibus cognouimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in ecclesia (imò ruinam sanctæ religionis) oriri, ex quibus Christianæ censuræ religio conturbatur: decernimus vt nullus clericorum inuestituras episcopatus, vel abbatiæ, vel ecclesiæ de manu imperatoris, vel regis, vel alicuius laicæ personæ viri, vel fœminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat inuestituram illá apostolica auctoritate irritam esse, & se vsq; ad dignam satisfactionem excommunicationi subiacere. ITEM ex canone apostolorum.

De

De eodem. 14

SI quis episcopus secularibus potestatibus vsus, ecclesiã per ipsos obtineat: deponatur, & segretur, omnesque qui illi communicant. ITEM ex chronica Anastasij.

De eodem. 15

SAnè Thessalonicenses episcopi ob metũ imperatoris Anastasij Timotheo Constantinopolitano episcopo consenserunt, quem cõcilium Chalcedonẽse anathematizauerat; quadraginta verò episcopi Illyrici & Græciæ cõuenientes in vnũ, per confessionem in scriptis factam, & à proprio Metropolitano discesserunt, & Romam mittentes, Romano episcopo cõmunicare in scriptis professi sunt. & paulò pòst. Cùm Dioscorus iunior manus impositionẽ accepisset à rege, recesserunt multitudines populorum dicentes: quia secundum quod continent canones sanctorũ apostolorum, non est factus episcopus: & ideo non recipietur. Principes enim intronizauerant eum. ITEM Paschalis papa.[a]

a scilicet secundus, qui sequentia 4. capita edidit in concilio Lateranẽsi agẽs publicã pœnitentiã quod captus approbauerat priuilegia Imperatorũ de inuestituris ecclesiarũ. Abbas Vrspergensis in chronico.

Excommunicetur qui per laicos ecclesias obtinet. 16

SI quis clericus abbas vel monachus per laicos ecclesias obtinuerit, secundũ sanctorũ apostolorũ canones & Antiocheni cõcilij capitulum excõmunicationi subiaceat. IDEM.

Qui per laicos ecclesias obtinet, & qui manus imponit: communione priuetur. 17

COnstitutiones sanctorum canonum sequentes statuimus, vt quicunque clericus ab hac hora inuestituram ecclesię vel ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit: & qui ei manũ imposuerit, gradus sui periculo subiaceat, & communione priuetur. IDEM.

De eodem. 18

NVllus laicorum ecclesias vel ecclesiarum bona occupet vel vel disponat. Qui verò secus egerit, iuxta beati Alexandri capitulum ab ecclesiæ liminibus arceatur. IDEM.

De eodem. 19

SIcut domini vestimentum scissum non est, sed de eo sortiti sunt, ita nec ecclesia scindi debet: quia in vnitate tota consistit. In potestatem ergo proprij episcopi ecclesiæ reducãtur, & ab ipso (sicut in sacris canonibus cautũ est) ordinentur. alioquin & ecclesiæ ipsæ & clerici earundem diuinis destituantur officijs. ITEM Alexander papa secundus.

Nullus clericus per laicos ecclesiam obtineat. 20

PEr laicos nullo modo quilibet clericus vel presbyter obtineat ecclesiã, nec gratis, nec precio vllus habitum monachi, suscipiat spem aut promissionem habens vt abbas fiat. Nullus presbyter duas habeat ecclesias.

Cap. 26.

ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Sin-

Singuli episcopi suos habeant œconomos. 21

QVoniam in quibusdam ecclesiis (vt rumore comperimus) præter œconomos episcopi facultates ecclesiæ tractant, placuit omnem ecclesiam habentem episcopum habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam proprij episcopi: ita vt ecclesiæ dispensatio præter testimonium episcopi non sit, & ex hoc non dispergantur ecclesiæ facultates, & sacerdotio maledictionis derogatio procuretur. quòd si hoc minimè fecerit, diuinis constitutionibus subiacebit. 2.pars.

ITEM ex concilio Hispalensi, cui interfuit Isidorus. Cap.9.conc. Spalen.2.

Laici non sunt constituendi œconomi. 22

IN nona actione didicimus quosdam ex vestro collegio cõtra ecclesiasticos mores laicos habere in rebus diuinis cõstitutos œconomos. proinde pariter tractãtes, elegimus vt vnusquisque vestrum secundum Chalcedonensium patrum decreta ex proprio clero œconomum sibi constituat. Indecorum enim est vicarium episcopi laicum esse, & viros ecclesiasticos iudicare. In vno enim eodemque officio non debet dispar esse professio, quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moyse: Non arabis in boue simul & asino, id est, homines diuersæ professionis in vno officio simul non sociabis. Deut. 22.b. Vnde oportet nos & diuinis libris & sanctorum patrum obedire præceptis, cõstituentes vt qui in administrationibus sociãtur põtificibus, nec professione discrepent, nec habitu. nã cohærere & coniungi non possunt, quibus studia & vota sunt diuersa. Si quis autẽ episcopus post hęc ecclesiasticam rem, aut per laicalem procurationem administrandã elegerit, aut si testimonio œconomij gubernandam non crediderit: verè vt contemptor canonum, & fraudator rerũ ecclesiasticarum, non solum à Christo de rebus pauperum iudicabitur reus, sed etiam cõcilio manebit obnoxius. ITEM in synodo Symmachi papæ. Cap.3.

Non habeat laicus aliquid statuendi in ecclesia facultatem. 23

NOn placuit laicum statuendi in ecclesia habere aliquã potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. ITEM in concilio eodem, Gelasius* [a] episcopus Syracusanæ ecclesiæ dixit. *Eulalius. Cap.3.

Ecclesiasticas dignitates laici disponere non possunt. 24 a alias in quibusdam codicibus canonum tribuitur Stephano papæ.

LAicis quamuis religiosis nulla de ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas.

ITEM Calixtus papa.

Laicus sacrilegus habetur, qui dispositionem vel dominationem rerum ecclesiasticarum vsurpat. 25

SI quis principum vel aliorum laicorum dispositionem seu dominationem rerum siue possessionum ecclesiasticarum sibi

sibi vendicauerit, vt sacrilegus iudicetur.

ITEM Gelasius papa Senectiori episcopo.

In ecclesia quam quis ædificat, nihil sibi præ ceteris vendicet. 26

3. part.

PIæ mentis amplectenda deuotio est, qua se Iulius nobis in re Iuliana sui iuris fundasse perhibet ecclesiā, quam in honore norē sancti Viti confessoris eius nomine cupit consecrari. Hanc igitur frater charissime (si ad tuam diœcesim pertinere non ambigis) ex more conuenit dedicari, collata prius donatione solenni quā ministris ecclesiæ destinasse præfati muneris testatur oblator, sciturus sine dubio pręter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprij iuris habiturum. IDEM. *De eodem.* 27

a Trigentius in vet. manuscript.

[a] FRigentius verò peritoria nobis insinuatione suggessit, in re sua quòd Sextilianum vocatur, basilicam se sanctorum Michaelis archangeli & Martini cōfessoris pro sua defensione fundasse, & ideo frater charissime, si ad tuam pertinét parœciam, benedictionē super memoratę basilicæ solenni deuotione, & veneratione impēde: nihil tamē sibi fundator ex hac basilica nouerit vendicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commum debetur. ITEM Clemens.

Epist. 2. ad Iacobum.

De eodem 28

ECclesias per congrua & vtilia facite loca quas diuinis precibus sacrari oportet, & non à quoquam grauari.

ITEM Leo quartus Carolo regi.

Laici presbyteros de ecclesiis non eijciant. 29

COntra sanctorum patrum censuras, videtur existere si secularis vel laicus presbyteros ab ecclesijs in quibus tempore ordinationis eorundem nominati vel introducti fuerint, videtur expellere.

GRATIAN.

Si verò fundatores ecclesiarum ad inopiam vergere cœperint, ab eisdem ecclesiis temporalis vitæ suffragia percipiant.

VNDE in Toletano concilio legitur.

Cap. 37. conc. Toleta. 4.

Fundatores ecclesiarum si inopes cœperint esse, ab eisdem alimenta accipiant. 30

QVicunque fidelium propria deuotione de facultatibus suis ecclesiæ aliquid contulerint, si fortè ipsi aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis vsu percipiant.

GRATIA.

Si ergo ecclesiasticas facultates dispensandi potestatē nō habēt laici, multo minus ecclesias ipsas quibuslibet ad regendū committere, vel alijs auferre valent. Hic autem distinguēdum est quid iuris fundatores ecclesiarū in eis habeāt, vel quid non. habent ius prouidendi, & cōsulendi, & sacerdotē inueniendi: sed non habēt ius vendendi, vel donandi, vel vtendi tanquam proprijs. VNDE in canonibus inuenitur.

Ha-

Hæredes eius qui ecclesiam construxit: & ipsi pro ea solicitudinem gerere debent. 31

Filiis vel nepotibus ac honestioribus propinquis eius qui construxit vel ditauit ecclesiam, licitum sit hanc habere solertiam, vt si sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare præuiderint, aut honesta conuentione compescant, aut episcopo vel iudici corrigenda denuncient. Quòd si talia episcopus agere tentet, metropolitano eius hæc insinuari procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi proprij iuris potestatem præferre: non rapinam & fraudem ingerere: non violentiam quamcunque præsumere: sed hoc solum in salutarem solicitudinem adhibere, quòd aut nullam operatio noxam nocens attingat: aut mulctam vel aliquam partem salutaris mercedis assumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare præsumpserit: & male rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit. ITEM ex cõcilio Toletan. iiij. Cap. 2. conci. Toletan. 9.

Fundatores ecclesiarum ordinandos in eis episcopo offerant. 32

Decernimus vt quandiu fundatores ecclesiarum in hac vita superstites fuerint, pro eisdem locis curam habeant solicitam: atque rectores idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi episcopo offerant ordinandos. Quòd si spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem præsumpserit ordinare episcopus: & ordinationem suam irritam nouerit: & ad verecundiam sui alios in eorum loco (quos ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari. ITEM ex Romana synodo.

A dominio constructoris monasterium non est auferendum. 33

Monasterium vel oratorium canonicè constructum à dominio constructoris eo inuito non auferatur. liceatque illi presbytero cui voluerit pro sacro officio illius diœcesis cum consensu episcopi ne malus existat commendare.

ITEM Gregorius papa omnibus episcopis.

De eodem. 34

Rationis ordo non patitur vt monasterium contra voluntatem fundatorum ab eorum dispositione ad arbitrium suum quis debeat vendicare. Prouidentia tamen & admonitione episcopi à fundatoribus ecclesiæ honorari debent.

VNDE Gregorius.

Episcoporum prouidentia à fundatoribus ecclesiæ honorentur. 35

Considerandum est quatenus si secundum prouidentiam & admonitionem episcopi ipsi, cohæredes eas volueris tenere, & honorare faciant. Si autẽ hoc cõtradixerint: in episcopi potestate maneat vtrum eas consistere permittat, aut reliquias inde auferre velit. ITEM ex concilio Triburiensi. Cap. 32.

Reliquiæ auferantur ecclesiarum, si plures hæredes de eis contenderint. 36

SI plures hæredes contenderint de communi ecclesia: auferri iubeat episcopus reliquias sacras: & ecclesiam claudi, donec communi consensu & consilio episcopi statuant ibi presbyterum, & vnde viuat.

GRATIA. Vt ergo ex his auctoritatibus colligitur, de manu laicorum ecclesiæ recipiendæ non sunt nisi cum consensu episcoporũ. Iuxta illud Magotiensis * concilij.

* Magun tinen. Cap. 29.

Non liceat laicis presbyteros de ecclesia eiicere. 37

LAici presbyteros de ecclesia non eiiciát: neque in eis constituant sine consensu suorum episcoporum.

ITEM ex concilio Cabilonensi.

Ivo lib. 2. etiam refert.

Absq; episcoporũ consensu laici presbyteros de ecclesiis non eiiciát. 38

INuentu est quod multi laici arbitrij sui temeritate (& quod est grauius) ducti cupiditate presbyteris quibuslibet absque cõsensu suorum episcoporum ecclesias dant vel auferunt. vnde oportet vt canonica regula seruata, nullus absque consensu episcopi sui cuilibet presbytero ecclesiá det: quam si iustè adeptus fuerit, hanc non nisi graui culpa corá episcopo canonica seueritate amittat. Sicut ergo auctoritate Hieronymi decimas malè possessas à laicis episcopo consentiente licet monachis de manu laicorum recipere, & eas perpetua stabilitate tenere: sic & ecclesias à laicis malè detentas cum consensu episcoporum licet monachis ad ordinandum accipere, & eis in perpetuum prouidere.

VNDE Vrbanus papa. ij.

Sine voluntate episcoporum decimas vel ecclesias à laicis monachi non suscipiant. 39

DEcimas & ecclesias à laicis monachi non suscipiant absq; consensu episcoporum & voluntate. Quòd si aliter præsumptum fuerit canonicæ vltioni subiaceant.

ITEM ex decreto Siluestri papæ.

Nulli liceat in suum ius monasterium conuertere: alij tamen ad ordinandum tradere illud valet. 40

NEmini regum aut cuiquam hominum in proprium ius liceat monasteriũ tradere vel conuertere, nisi ad aliud monasterium: vel commutare, nisi cum alio monasterio: vel quocunque commercio vendere. quod si factum fuerit, non valebit: sed ipsum monasterium in pristinum reformetur statum.

ITEM ex eodem.

Episcopi & fratrum consilio monasterium ad meliorandum alij supponere nullus prohibeatur. 41

5. pars.

SI quis vult monasterium suũ ad meliorãdum in alium locum ponere, fiat cum consilio episcopi & fratrum suorum, & di-

& dimittat presbyterum in priori loco ad ministeria ecclesiæ.

ITEM ex concilio Magotiensi.

Publica pœnitentiæ subijciantur, qui circumueniendo aliquos tondere præsumunt. 42 Cap. 23.

COnstituit sanè sacer iste conuentus vt episcopi siue abbates qui non in fructum animarum, sed in auaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt: pœnitentiæ canonicæ (vtpote turpis lucri sectatores) subiaceant. Hi verò qui electi comam deposuerunt: in eo quod cœperut, perseuerare cogantur: res verò eorum hæredibus reddantur. 6. pars. Infra. c. 20. q. 3. c. Constituit.

ITEM ex concilio Toletano.

Sine voluntate fratrum aliquem de suis propinquis abbas sibi substituere non valet. 43

COngregatio debet sibi eligere abbatem post abbatis sui mortem, vel eo viuente si ipse discesserit vel peccauerit. Episcopus enim non debet abbatem violenter retinere in loco suo. Ipse autem non potest aliquem ordinare de suis propinquis vel amicis sine voluntate fratrum.

CAVSA XVII.

QVidam presbyter infirmitate grauatus se fieri velle monachum dixit ecclesiæ: & beneficio in manu aduocati renunciauit. Postquam conualuit, mox se futurum monachum negauit: & ecclesiam & beneficium repoposcit. GRATIA.

1 Hic primò quæritur, vtrum reus voti teneatur, an liceat ei à proposito sui cordis discedere?

2 Secundò, an ecclesia & beneficium ei reddenda sunt, qui prius libera voluntate refutauit?

3 Tertiò, si contigisset eum se & sua monasterio tradidisse, an sine licentia abbatis liceat ei ad propria redire?

4 Quartò, si sine licentia abbatis retro abierit, an sua sibi ab abbate reddenda sint?

QVAESTIO I.

VTRVM REVS VOTI TENEATVR QVI INFIRMITATE GRAVATVS SE FIERI VELLE MONACHVM DIXIT, AN LICEAT EI A PROPOSITO SVI CORDIS DISCEDERE.

QVòd à voto discedere non liceat, multis auctoritatibus probatur. ait enim propheta: Vouete & reddite vota domino deo vestro. ITEM Aug. GRATIA.

Quæ deo vouentur, necessariò reddantur. 1

SVnt quædam quæ etiam non vouentes debemus: quædam etiam quæ nisi vouerimus, non debemus: sed postquam ea deo promittimus, necessariò reddere constringimur.

Au. ca. 9. lib. de bono viduitatis. ITEM Hieronymus.

De eodem. 2

VOuentibus, non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est. ITEM Greg. in regesto.

Greg. epi. 33. li. pri. ad Venantiũ

Dignus est supplicio qui seipsum deo subtrahit à voto resiliens. 3

ANanias deo pecunias vouerat: quas post victus persuasione diaboli subtraxit. sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit qui eos quos dederat nũmos deo, abstulit: considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris qui non nummos, sed temetipsum deo omnipotenti (cui te sub monachali habitu deuoueras) subtraxisti.

Greg ho. 3. li. 1. ITEM super Ezechielem.

Ante dei oculos cadunt, qui bona quæ concipiunt agere recusant. 4

QVi bona agunt, si meliora agere deliberant: & post deliberata non faciunt: licet in bonis prioribus perseuerent: in conspectu tamen dei ceciderunt ex deliberatione. *Ibid. paulo superius.* Item sunt qui cuncta relinquere & dei seruitio se subdere, & freno castitatis se restringere deliberant: sed cùm post castitatem alios cecidisse conspiciunt, se retrahendo meritum perdunt.

GRATIAN. Si ergo post votum quisq; necessariò cogitur soluere quod vouit: si vouentibus non solùm nubere, sed etiam velle damnabile est: patet quòd sacerdos iste ad executionẽ sui voti cogendus est: & non solùm non fieri, sed etiam velle monachũ non fieri, sibi damnabile est. Quod verò inter vouentes iste computandus sit, patet ex verbis Aug. dicentis: Dixi confitebor &c. Magna pietas dei est vt ad solam promissionem peccata dimittat. nondum enim pronunciat ore: & tamen deus iam audit in corde. Votum enim pro opere reputatur. Sicut ergo propheta inter vouentes reputatur, quia dixit: Ego confitebor: sic iste inter eosdem computandus est, quia dixit: Fiam monachus.

Hic incipit Quæstio secunda in vet. manuscrip. His ita respondetur: Aliud est propositum concipere in corde, & etiam ore enunciare: aliud est subsequenti obligatione se reum voti facere: Quia ergo iste propositum sui cordis ore simpliciter enunciauit, non autem monasterio aut abbati se tradidit: nec promissionem scripsit: nequaquam reus voti habetur.

VNDE Alexander papa, ij. ait.

QVAESTIO II.
AN ECCLESIA ET BENEFICIVM EI REDDENDA SVNT, QVI PRIVS LIBERA VOLVNTATE REFVTAVIT.

Non cogitur aliquis in monasterio manere nisi professionem fecerit in manu abbatis.

GRATIAN.

GOnsaldus presbyter quondam infirmitate ac feruore passionis pressus se monachum fieri promisit, non tamen monasterio aut abbati se tradidit nec promissionem scripsit: sed beneficium ecclesiæ in manu aduocati refutauit. ac postquam conualuit, mox se monachum negauit fieri: quapropter quia & beati Benedicti regula & præcipuè patris & prædecessoris nostri sancti Grego. papæ canonica institutio interdicit monachum ante vnius anni probationem effici: iudicamus, & auctoritate apostolica præcipimus, vt præfatus presbyter beneficia & altaria recipiat, habeat, & quietè retineat. ITEM Aug. ad Bonifac. comitem.

Aug. epi. 70. Hanc epistolam Erasmus putat esse suppositiciā.

Vxor post propositum continentiæ ducta dimitti non debet. 1

NOs nouimus, nos testes sumus quòd omnes actus publicos quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in ocium sanctum conferre, atque in ea vita viuere in qua serui dei monachi viuebant. cùm ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigasti, id est, vxorem duxisti. si coniugem non haberes: dicerem tibi quod & Tubanis diximus, vt in castitate continenter viueres: sed vt te ad istam vitam non exhorter, coniunx est impedimento: sine cuius consensu continenter viuere tibi non licet: quia etsi tu eam post illa verba Tubanẽsia ducere non debueras: illa tamen nihil eorum sciens innocenter tibi & simpliciter nupsit.

GRATIA.

Ecce iste corde concepit se monachum fieri, & ore pronunciauit se velle in ocium sanctum conferre: non tamen postea coactus est suscipere quod corde concepit, & ore pronunciauit. Auctoritas illa Alexand. secuta [est] institutionem beati Gregorij & beati Benedicti [quę] probãdis annum indulget, sed [tantum] notis. incognitis verò triennium concedit[a].

VNDE [ex decreto Bonifa.]

Ante probationem triennij nullus in monasterio suscipiatur. 2

SI quis incognitus monasterium ingredi voluerit: ante triẽnium monachi habitus non præstetur. & si intra tres annos aut seruus aut liber colonus quæratur à domino suo, reddatur ei cum omnibus quæ attulit: fide tamen accepta de impunitate. si autem intra trienniũ non fuerit requisitus, postea quæri non potest: nisi sit tam longè quòd inueniri non possit.

a Coinedltur. vet. Pro incluso legitur in manuscrip. in cōc. Toletano. ad verbum autem hoc translatũ est ex Nouellis Iustiniani Imperatoris. Nouella. 5. *Iuo. li. 3. de religiosis refert.*

QVAESTIO III.

SI CONTINGAT ALIQVEM SE ET SVA MONASTERIO TRADIDISSE, AN SINE LICENTIA ABBATIS LICEAT EI AD PROPRIA REDIRE.

GRATIAN. QVòd autem quæritur, an post traditionem sit ei fas cum licentia abbatis ad propria redire: facilè monstratur non posse fieri. Ipsum enim redire criminosum est. qui autē manifesto facinori desinit obuiare cùm potest: cōsentit. Hic autem non solùm non obuiat, sed etiam permittendo fautor existit. Non ergo licet abbati dare licentiam alicui retro abeundi, nec illi vtique licet retrorsum abire: quia ex quo semel se abbati subiecit: absque eius permissione nihil agere potest.

QVAESTIO IIII.

QVI SINE LICENTIA ABBATIS RETRO ABIERIT, AN SVA SIBI AB ABBATE REDDENDA SINT.

GRATIAN. SI autem sine licentia abbatis de monasterio discesserit: quæritur vtrum sua sint ei reddenda, an non? sed res & possessiones ecclesię traditas quolibet modo alienare nec abbati nec alicui licet. VNDE Symma. papa. Possessiones quas vnusquisque &c. & iterum.

Symmac. in synodo. Ro. 3. c. 6.

Honore priuetur qui de iure ecclesiæ aliquid alienauerit. 1

QVicunque episcoporum, presbyterorum diaconorum oblitus dei, & decreti huius immemor, in constitutum cōmittens, prædium ecclesiæ magnum vel exiguum, vel quicquam de iure ecclesiæ alienare tentauerit: & donator, & alienator, & venditor, honoris sui amissione mulctetur.

ITEM Grego. Anthemio subdiacono.

Extat in vet. manusc. cum notis Paleæ.

Palea[a]. 2

RAtio nulla permittit vt proprijs cuiusquā vsibus applicetur, quod pro cōmuni vtilitate datum esse cognoscitur.

ITEM Amb in lib. de pœnitentia.

Cap. 9. li. 2.

Qui reuocandum putat quod ecclesiæ contulit, sacrilegij crimen incurrit. 3

SVnt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, vbi ecclesiæ contulerint, postea reuocandas putauerunt: quibus nec prima merces grata est, nec secunda: quia nec prima iudicium habuit: & secunda habuit sacrilegium. Sunt quos pœnitet opes suas diuisse pauperibus. sic eos qui pœnitentiam agunt, hoc solum timere oportet, ne ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam. ITEM Grego. Sabino subdiacono.

Gre Sabino subdiacono epist. 6. lib. 8.

Qui

Qui sacris locis derelicta retinere contenderit, sacrilegiũ cõmittit. 4

SAcrilegium & contra legem est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studiis tentauerit suis compendiis retinere. ITEM Lucius episcopis omnibus episcopis.

Sacrilegi iudicantur qui ecclesiæ facultates alienant. 5

OMnes ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus eiusdem matris ecclesiæ anathematizamus, apostolica auctoritate pellimus, damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus: & non solùm eos, sed omnes consentientes eis: quia non solùm qui faciunt, rei iudicantur: sed etiam qui facientibus consentiunt. par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. ITEM Nicolaus papa omnibus episcopis.

Excommunicetur qui confinia ecclesiæ frangere tentauerit. 6

SIcut antiquitus à sanctis patribus statutum est, statuimus vt 2. pars.
maior ecclesia per circuitum .xl. passus habeat: capellæ verò vel minores ecclesiæ. xxx. Qui autem confinia eorum confringere tentauerit, aut personam hominis vel bona eius inde subtraxerit: nisi publicus latro erit, quousque emendet: & nisi quod rapuerit reddat, excommunicetur. ITEM ex concil. Triburiensi. Cap. 6.

Soluatur altario quod pro emunitate emendatur ecclesiæ. 7

SI quis in atrio ecclesiæ pugnam committit, aut homicidium fecerit, quicquid pro emunitate violata emendandum est, altario soluatur cuiuscunque fuerit illa ecclesia.

ITEM Augustinus ad Bonifacium. Epist. 187.

Non licet alicui hominem vel aliquid de ecclesia rapere. 8

MIror quomodo tam subitò fidei murum aries ruperit inimici. noui enim qua religione semper sis veneratus ecclesiam. quo instigante facinore hominem de ecclesia rapuisti? tuus si de tuo amico fortè præsumeret fugitiuus, posset proculdubio intercessoris causa veniam promereri. ergo si amicus intenditur, cur deus offenditur? Sed etsi de potestate præsumitur, Nabuchodonosor regem intende, qui causa superbiæ in bouem est ex homine commutatus, atque à regno suo profugus recedens, non ante regnum recepit, quàm conuersus deum prædicauit. Non vt confundam te. hæc scribo: sed vt filium charissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem irreligiosissime rapuisti. Oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur interdixi. communionemq; tibi interdico, donec peracta pro ausibus vel errore à me diffinita tibimet pœnitentia tempore ordinato pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium deo. Daniel. 4.f.

ITEM ex libro capitularium.

Fugientem ad ecclesiam nemo audeat abstrahere. 9

REum ad ecclesiam fugiētem nemo abstrahere audeat, neque inde damnare ad pœnam vel ad mortem, vt honor ecclesiarū conseruetur, sed rectores ecclesiæ pacem eius & vitam & membra obtinere studeāt: tamen legitimè componat quod iniquè fecit. ITEM Gelasius Victori Constantino Martino Fœlicissimo Sereno & Timotheo episcopis.

Ab ecclesiæ arcentur ingressu, qui aliquem de ecclesia violenter rapuerint. 10

FRater & coepiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggessit Benenatum & Maurum Beneuentanæ municipes ciuitatis in cōtumeliam religionis acerba nimis & plectibili contumacia prosiluisse, qui confugientem ad ecclesiæ septa curialem suum nec illi quidem tutum de iniuria sua securum esse dimiserunt, ausi irruptione temerariæ mentis admittere, quod nec potestatibus quidem vel principibus vnquā licuit perpetrare, vt hominem in sanctuarijs constitutum (captata sacerdotis absentia) reluctantem reclamantemque violenter abstraherent. quos (quantum sua nobis suggestione patefecit) merito indignos esse sacra communione iudicauit, & si reuera tanti facinoris constat admissum, nostra etiam auctoritas in hac parte consentit. nec enim iure ad supplicandum debet admitti qui admittere sacrilegium non dubitauit. nullus enim inter limina tantæ venerationi deputata vtrumque sibi licere existimet pro suæ voluntatis arbitrio, vt & humanitatem sibi vendicet, & furorem. Et ideo fratres charissimi supradictos si manifesta reos facit conquestio, ab omnibus episcopatuū & parœciarum vestrarum ecclesijs nostræ præceptionis auctoritate prohibete, vt non solùm hi qui in iniuriā sanctorum locorum prosiluisse probantur, merito consequātur pro facti sui qualitate vindictam: verumetiam cæteri à tali præsumptione vltionis istius timore reuocentur.

IDEM Epiphanio episcopo.

Ecclesiarum non est dignus ingressu qui eas violat 11

AD episcopos cunctos direximus iussionem, vt eos qui ecclesias violasse perhibentur, accessu earum iudicent esse indignos. ITEM Pius papa.

Epist. 2. Italicis.

Qui ecclesiam dei vastat, & eius sacerdotem insequitur, sacrilegus iudicatur. 12

SIcut qui ecclesiā dei deuastat, & eius prędia & donaria spoliat, & inuadit, fit sacrilegus: sic ille qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegus iudicatur. Non ergo grauius peccatū est fornicatio, quàm sacrilegium. Et sicut maius peccatum est quod in deum cōmittitur, quàm quod in hominem[a]: sic grauius est sacrilegium agere, quàm fornicari. [ITEM Vrbanus.[4]]

Papa 1. ad omnes episcopos.
a in vet. manuscr. pro inclus. leg. Item ex concilio Herdensi.

Qui

Qua pœna feriatur qui ecclesiæ vsibus dedicata prædia vexare tentauerit. 13

ATtrendendum est omnibus ne prædia vsibus secretorum cœlestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur. quòd si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam (quę erga sacrilegos iure promenda est) perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis seruetur.

ITEM Iginius papa. *Iuo. refert li. 2. de præscript.*

Palea. 14

SI quis ecclesiam igne combusserit, quindecim annis pœniteat, & eam sedulè restituat, & preciũ pauperibus restituat. *2 Extat in vet. cũ nota paleę.*

ITEM Clemens. *Epi. 2. ad Iaco.*

Iudæ similis probatur, qui ornamenta surripuit ecclesiæ. 15

SI fortè quispiam presbyter siue diaconus sacrarij sindonẽ vel velum subtractum vendiderit, Iudæ Iscariotis similis æstimabitur: qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, nouerit se supradicti Iudæ pœnam suscepturum.

ITEM ex pœnitentiali Theodori.

De eodem. *Palea.* 16

PEcunia ecclesiastica furata vel rapta reddatur in quadruplũ: populi verò dupliciter. Si quis aliquid de ministerio sanctæ ecclesiæ furatus fuerit, septem annis pœniteat, tres in pane & aqua. *Extat in vet. cũ nota paleæ.*

ITEM ex pœnitentiali Romano.

De eodem. *Palea.* 17

SI quis clericus furtum fecerit capitale, id est, quadrupedem vel domum fregerit, aut quamlibet rem melioris præsidij vel precij furatus fuerit. vij. annis pœniteat: laicus. v. Si quis autem de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo: & vno anno pœniteat in pane & aqua. & si reddere non potuerit, tribus annis pœniteat. *Extat in vet. cũ nota paleæ.*

ITEM Anacletus. *Epist. prim.*

Sacrilegium facit, qui pecuniam ecclesiæ rapit. 18

QVi rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. qui autem pecuniam aut res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. ITEM ex concilio Hilerdensi. *Cap. 8.*

Segregetur ab ecclesia clericus, qui seruum vel discipulũ suum ad eam fugientem verberare præsumit. 19

NVllus clericorum seruum vel discipulum suum fugientẽ ad ecclesiam extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit donec dignè pœniteat, à loco cui honorem non dederit, segregetur. Si qui verò clerici in mutuam cædẽ proruperint: prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, à pontifice districtus vindicentur. *Cap. 11. eiusdẽ.*

ITEM ex concilio Triburiensi. *Cap. 20.*

Qui de atrio vel porticibus ecclesiæ fugientem abstrahit, excommunicetur. 20

SI quis contumax vel superbus timorem dei, vel reuerentiam sanctarum ecclesiarum non habuerit, & fugientē seruum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio ecclesiæ, vel de porticibus ecclesiæ quolibet modo adhærentibus per vim abstraxerit: pro emunitate nongentos solidos episcopo componat: & ipse publica pœnitentia iusto iudicio episcopi mulctetur. Sacrilegium ergo est, quotiens quis sacrum violat, vel auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro. Dicitur etiam sacrilegium committere, qui violentas & impias manus in clericum iniecerit. Porrò ipsum sacrilegium duplicem continet pœnam: pecuniariam videlicet, & excommunicationis. pecuniaria eis persoluenda est, ad quos querimonia sacrilegij pertinet. VNDE Ioan. papa. viij. scribit omnibus episcopis.

De multiplici genere sacrilegij, & pœna eiusdem. 21

QVisquis inuentus fuerit reus sacrilegij: episcopis vel abbatibus, siue personis ad quas querimonia sacrilegij iustè pertinuerit. xxx. libras examinati argenti purissimi componat.

GRATIA. *Iuo lib. 2. de sacrilegio id refert.*

Sacrilegium committitur si quis infregerit ecclesiam, vel xxx. ecclesiasticos passus qui in circuitu ecclesiæ sunt, vel domos quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid inde diripiēdo vel auferēdo, seu qui iniuriá vel ablationem rerū intulerit clericis arma non deferentibus vel monachis, siue deo deuotis, omnibusq; ecclesiasticis personis. capellæ quæ sunt intra ambitum murorum castellorū, non ponuntur in hac. xxx. passuū obseruatione. Similiter sacrilegium cōmittitur auferēdo sacrū de sacro, vel non sacrū de sacro, siue sacrū de non sacro. Idem. Si quis domum dei violauerit, & aliqua sine licentia illius cui commissa esse dinoscitur, inde abstulerit: vel ecclesiasticis personis iniuriam fecerit, donec in cōuentu admonitus legitimè satisfaciat, sciat se cōmunione priuatum. si verò post secundá & tertiá conuentionē corá episcopo satisfacere detrectauerit, sacrilegij periculo ab omnibus obnoxius teneatur: ita vt secundum apostolum nemini fideliū misceatur. Idem. Si qui monasteria & loca deo dedicata & ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, damnum nouies cō ponant, & emunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur. ITEM Alexander papa. ij.

Nisi canonicè iudicatum episcopum qui comprehenderit laicus excommunicetur. 22

SI quis deinceps priorū aut cuiuscunq; dignitatis vel cuiuscunque ordinis laicorum episcopum comprehenderit, percusserit, aut aliqua vi à propria sede expulerit, nisi fortè iudicatum

catum canonicè: auctores & cooperatores tanti sceleris anathematizentur, & bona eorum ecclesiæ ipsius iuri perpetuo tradantur. Si verò in presbyterum vel in quemcunque inferiorum graduum clericum hæc eadem præsumpserit: canonicæ pœnitentiæ atque depositioni subiacebit. si contumax fuerit, excommunicetur. ITEM Nicolaus pa. Thadoni archiepiscopo Mediolañ.

Flagellatores clericorum post tertiam admonitionem si non resipuerint, excommunicentur. 23

DE presbyterorum flagellatoribus & occisoribus, prædonibus scilicet qui seculari brachio minimè coercentur, iuxta præceptum domini, placet vt fraterno amore conueniantur secundo ac tertio, qui requisiti si te non audierint, cõueniente ecclesia eos sacra communione priuare, atque (si in sua obstinatione permanentes sacerdotalia monita fortè contempserint) ab ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus. Quos etiam resipiscentes tandem digna satisfactione præmissa in gremium sanctæ matris ecclesiæ reuocari noueris posse. ITEM ex concilio Maguntinensi capitulo. xxiiij.

Matth. 18. *b.*

Palea. [a]

a prorsus deest in vete.

QVi presbyterum occiderit. xx. annorum pœna secundum canones imponatur. si autem negauerit, si liber est, cum septuaginta duobus iuret. si autem seruus, super xij. vomeres feruentes se expurget conuictus noxa, vsque ad vltimũ vitæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat. ITEM ex concilio [b] Triburiensi.

b Caroli magni

Palea. 24

VT presbyteri non vadant nisi stola aut orario induti. Et si in itinere spoliantur, aut vulnerantur vel occiduntur non stola vestiti, simplici emendatione absoluantur. si autem cum stola, triplici. [Item ex eodem cap. v.] [c]

c pro inclus. legitur in manuscript. Ex libro quinto capitularium. scilicet Caroli magni.

Palea. [d]

d hæc palea prorsus deest in manuscrip.

OMnes presbyteri interfectores compositione episcopi ad cuius parœciam pertinent, soluantur: ita videlicet vt medietate Renaldus episcopus eius vtilitati ecclesiæ cui præfuerit tribuat, & alteram medietatem in eleemosynam eius iustè dispertiatur: quia nullus nobis eius hæres proximior videtur, quàm ille qui ipsum domino sociauit. ITEM ex lib. v. capitularium.

Iuo lib. 8. *de eo qui clericum interficit.*

Pro graduum varietate mulctentur, qui clericos occidunt. 25

QVi subdiaconum occiderit. ccc. sol. componat. qui diaconum. cccc. qui presbyterum. dc. qui episcopum. dcccc. qui monachum. cccc.

Iuo id refert lib. 8. *vbi supra.*

ITEM ex eodem lib. vj. cap.

Capitularium

De eodem. 26

QVi occiderit clericum aut monachum, arma relinquat, & deo in monasterio seruiat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad seculum reuersurus, & vij. annis publicam pœnitentiam agat. ITEM Innocentius papa ij.

Qui clericum percusserit, excommunicetur: & non nisi à Romano pontifice absoluatur. 27

6 SI quis suadente diabolo huius sacrilegij [vitium vel crimē] incurrerit, quòd in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus episcoporum illum præsumat absoluere nisi mortis vrgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.

Pro inclus. legitur in manus. reatum.

3. *pars.* GRATIA.

Qui autem de ecclesia vi aliquem exemerit, vel in ipsa ecclesia vel loco, vel cultui, sacerdotibus & ministris aliquid iniuriæ importauerit: ad instar publici criminis & læsæ maiestatis accusabitur: & conuictus seu confessus, capitali sententia à rectoribus prouinciæ ferietur: sicut in j. lib. Codicis legitur tit. de episcopis & clericis. l. Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit. & in Digestis ad legem Iuliam repetundarū. l. vltima. Committunt etiam sacrilegium qui contra diuinæ legis sanctitatem aut nesciendo committunt, aut negligendo violant & offendunt, aut qui de principali iudicio disputant, dubitantes an is dignus sit quem princeps elegerit: vel qui intra prouinciam in qua prouinciales & ciues habentur, officiū gerendæ ac suscipiendæ administrationis desiderant: vt Codice, li. ix. titu. de crimine sacrilegij.

Similiter de iudicio summi pontificis alicui disputare non licet. VNDE Nico. papa omnibus episcopis.

Nico. pap. 1. ad Michaelem imperatorem scribens.

Nemini est permissum de eo quod papa statuit iudicare, vel eius sententiam retractare. 28

NEmini est de sedis apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiā retractare, permissum: videlicet propter Romanæ ecclesiæ primatū Christi munere in beato Petro apostolo diuinitùs collatum. Sacrilegij quoque reatum incurrit, qui Iudæis publica officia committit.

Cap. 64. conc. Toletani. 4.

VNDE in Toleta. concilio secundo legitur.

Sacrilegium faciunt, qui Iudæis publica officia committunt. 29

COnstituit sanctum cōcilium vt Iudæi, aut hi qui ex Iudęis sunt officia publica nullatenus appetant: quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt. Ideoq; iudices prouinciarū cum sacerdotibus eorum surreptiones fraudulenter relictas suspendant: & officia publica eos agere non permittāt. Si quis autem hoc permiserit, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur, & is qui surrepserit, publicis cædibus deputetur.

tur. Verum ne reuerentia religionis dominos suo iure fraudaret, si famuli ad ecclesiæ septa confugientes inde nequaquã abstrahantur: sacris canonibus est institutum, vt præstito à domino sacramento impunitatis ei etiam reddantur inuiti. *4. pars.*

VNDE Gelasius papa scribit Bonifacio episcopo.

Post præstitam securitatem serui restituantur dominis qui ad ecclesiam confugiunt. 30

MEruentes dominos famuli, si ad ecclesiæ septa confugerint, intercessiones debent quærere, non latebras: ne hæc ipsa præsumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius etenim noster vir spectabilis Petrus quæritur seruum suũ in ecclesia sancti Clementis diutius commorari: cui dum deputasset sacramenta præstari, asserit illum egredi nulla ratione voluisse: & ideo directus supradictus homo de præsenti cum eo quem elegeris esse mittẽdum: cum de impunitate eius sacramenta præbuerit, eum statim facias ad dominum suũ modis omnibus remeare: aut si in hac pertinacia fortè extiterit, post sacramentum sibi præstitum reddatur inuitus.

IDEM Ioanni episcopo Vieneñ.

Securitate recepta ad ratiocinia reddenda fugitiui ab ecclesia redire coguntur. 31

VXor Felicis & filiæ eius Romam (quia sic oportuit (peruenerũt: Siquidẽ hunc ipsum primum se ad Barbarorum basilicam conferentem, seque bonas causas habere iactantẽ, egredi sub hac conditione præcipimus, vt si actus suos fideliter & rationabiliter allegaret, nihil circa eum prorsus asperum fieri durumq́ue pateremur. alioquin si contra fidem & vtilitatem dominicam venisse probatur, ipse sibimet imputaret: atq; domini ordinationi congruè subiaceat. qui superueniente filio nostro viro spectabili Orthasio: sic est ad singula quæque cõuictus: vt os aperire non posset: & vera esse quæ huic obiicerentur, voce propria fateretur: ideoque tenetur in custodia mancipatus. IDEM Syracusano & Constantino & Laurentio episcopis.

Eripiatur in libertatem seruus, cui Christiano Iudæus signaculũ circũcisionis impressit. alioquin ab ecclesia domino suo reddatur inuitus. 32

IVdas qui Iudaicæ professionis extitit, mancipium sui iuris quod ante paucos annos se asserit comparasse, nunc ad ecclesiam Venestanam cõfugisse suggessit: sicut petitorij tenor annexus ostẽdit: eo quòd dicat sibi ab infantia Christiano nuper à præfato domino signaculum circuncisionis infixum. quapropter vestra diligenter inter vtrunque solicita cura rerum fideliter examinet veritatẽ: quatenus nec religio temerata videatur: nec seruus hac obiectione mẽtitus cõpetentis iura domini declinare contendat. ITEM ex concilio Toletano xij. *Cap.10.*

De

De atrio ecclesiæ (quod. xxx. passibus clauditur) nisi prius data securitate fugiens non abstrahatur. 33

Diffiniuit sanctum concilium, vt nullus audeat cōfugientes ad ecclesiam vel residentes inde vi abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis vel damni seu spolij residentibus in loco sancto inferre: sed esse potius his ipsis qui ecclesias petunt, per omnia licitū in xxx. passus ab ecclesiæ ianuis progredi: in quibus xxx. passibus vniuscuiusque ecclesiæ in toto circuitu reuerentia defendatur: sic tamen vt hi qui ad eam confugiunt, in extraneis vel longè separatis ab ecclesia domibus nullo modo abscedant: sed in hoc xxx. passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progredientes aditum obtinebunt, qualiter ad requisitę naturæ vsum debitis exeant locis, & nullo teneantur euentu necessitudinis qui dominicis se defendēdos commiserint claustris. Si quis autem hoc decretū violare tentauerit, & ecclesiasticæ excommunicationi subiaceat, & seueritatis regiæ feriatur sententia. ipsos autem qui ad ecclesiā confugium fecerint: si iuxta priscorum canonum instituta hi qui eos repetunt, sacramenta reddiderint, & sacerdos ipsius ecclesiæ ab ecclesiæ foribus non abstraxerit, aut fuga talium si euenerit, sacerdoti quærenda est. aut damnorum sententia secundum electionem principis huiusmodi sacerdotibus irroganda est. ITEM ex concilio Aurelianensi.

Cap. 3.

Ante securitatem acceptam de atrio ecclesiæ fugitiuus non cogatur exire. 34

ID constituimus obseruandū quod ecclesiastici canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab ecclesiæ atrijs vel domo episcopi eos abstrahere omnino non liceat: sed nec alteri consignare, nisi ad euangelia datis sacramentis de morte, & debilitate, & omni pœnarū genere sint securi: ita vt ei cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conueniat: qui si sacramēta sua conuictus fuerit violasse, reus periurij non solū à communione ecclesiæ vel omnium clericorū, verumetiā à catholicorum conuiuio separetur. quòd si is cui reus est, voluerit sibi intentione faciente cōponi: & ipse reus actus timore de ecclesia discesserit, ab ecclesiæ clericis non quæratur. seruus etiā qui ad ecclesiam confugerit pro qualibet culpa: si à domino pro admissa culpa sacramentum susceperit, statim ad seruitiū domini sui redire cogatur: & postquam dato sacramento domino suo fuerit cōsignatus, si aliquid pœnæ pro eadē culpa qua excusatur probatus fuerit pertulisse, pro contēptu ecclesiæ, & præuaricatione fidei, à communione & conuiuio catholicorum extraneus habeatur. si verò seruus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramenta domini clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem à domino liceat occupari.

Occa-

„ Occasione nanque religionis seruus dominum suum contemnere, & eius ministerium destituere non debet. GRATIAN. 5. pars.

„ VNDE in Gangrensi concilio legitur. Cap. 3.

Religionis occasione dominum suum non audeat contemnere seruus. 35

SI quis seruum alienum occasione religionis docet dominum suum contemnere, & eius ministerium destituere, ac non potius docuerit eum suo domino bona fide & cum omni honorificentia deseruire, anathema sit. 7

ITEM ex concilio Martini papæ. Cap. 47. synodorum Græcarum à Martino Brachar episcopo collectarum.

Corripiatur durissime qui causa religionis docet seruum dominum contemnere. 36

SI quis seruum alienum causa religionis doceat contemnere dominum suum, & recedere à seruitio eius: durissimè in omnibus arguatur.

ITEM ex concilio Carthaginensi cap. xxxj. Cap. 4. conc. Carthag. 5.

Primati insinuetur necessitas, qua res ecclesiæ distrahere compellit. 37

NVllus res ecclesiæ distrahat. quòd si reditus non habet, & aliquando nimia necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati ipsius prouinciæ censemus, vt cum statuto numero episcoporum vtrum faciendum sit arbitretur, & si tanta vrget necessitas ecclesiæ, vt non possit ante primatem consulere, saltem vicinos conuocet episcopos curans ad concilium referre omnem ecclesiæ necessitatem. quod si non fecerit, reus deo & sancto concilio venditor honore amisso teneatur.

ITEM ex concilio Agathensi. Cap. 56.

Sine licentia episcopi quicquid abbas vendiderit, in irritum deducatur. 38

IN venditionibus quas abbates facere præsumunt, hæc forma seruetur, vt quicquid sine episcopi licentia venditũ fuerit: ad potestatem episcopi reuocetur. Mancipia verò monachis donata, ab abbate manumitti non licet. Iniustum enim putamus vt monachis quotidianum rurale opus facientibus, serui eorum libertatis otio potiantur.

„ Etiam si episcopo consentiente monasterij possessio ab abbate data fuerit, nullius momenti erit donatio: nisi fortè in ecclesiæ fabricam erigendam donatio processerit, quo casu tantum ei donare licet, quantum ecclesiæ parietes concludunt. GRATIA. 6. pars.

„ VNDE Gregorius scribit.

Nullo titulo res monasterij valent ab eius iure segregari. 39

QVesti sunt nobis prædicti monasterij monachi abbatem suum in Tranquillitanum castrum terrã, quæ in. dc. pedes extenditur, sub prætextu fabricandæ ecclesiæ fraternitati tuæ donationis titulo concessisse. Ideo volumus quantum parietes possunt ædificatæ ecclesiæ circundare, iure ecclesię vendicare. Quicquid verò extra parietes eiusdem ecclesiæ esse potuerit,

uerit, in iure monasterij sine difficultate aliqua reuertatur: quia nec mundanarum legum nec sacrorum canonum statuta permittunt res monasterij ab eiusdem iure quolibet titulo segregari. ea propter donationem eiusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua dilatione restitue.

[*Palea.*

Prorsus deest in vet. manuscrip.

HAnc ergo scripturarum nostrarum paginam omni futuro in tempore ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatamque seruari: vt & suæ ecclesiæ (iuuante domino) tantùmodo sint iure contenti, & monasteria ecclesiasticis conditionibus seu angarijs seu quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceant, canonicis nullis iuribus deseruiát, sed remotis vexationib' diuinû op' cum summa deuotione perficiát.]

7. pars.
GRATIA.

Sed notandum est quòd aliud est in suos vel propinquorû vsus res ecclesiæ conuertere (quam perniciosam cupiditatem sacri canones vbique prohibent, & damnabilem ostendunt) aliud est quod ex dispensatione charitatis humanæ infirmitati consulitur, vt quondam illi sua reddantur, qui in sacro proposito manere contemnit. quod non tam iure fori, quàm iure poli nonnullos sanctorum fecisse legimus. Beatus enim Ioannes euágelista duobus iuuenibus quos pœnituerat omnia sua pro Christo reliquisse, & pauperibus erogasse, aurum & gemmas reddidit, vt cuncta quæ vendiderant sibi redimerent. Sed obijcitur, beatus Ioannes non oblata reddidit, quæ pauperibus iam erogata fuerant: sed alia recompensauit, quæ in pauperû vel ecclesiarû facultatibus nunquam côputata fuerant. Similiter si abbas vel episcopus aliqua habuerit, quæ in ecclesiasticis facultatibus nondum sunt annumerata, exéplo beati Ioannis det illa recedenti, oblata verò ecclesiæ retineat. Sequitur ergo aliud exemplum quo eadem quæ oblata sunt, laudabiliter reddenda monstrentur. Ait enim Augustinus in sermone de vita clericorum.

Aug. sermo. 52. ad fratres in eremo.

Non debet ecclesia suscipere quæ filio exhæredato sibi offeruntur.

QVicunque vult exhęredato filio hæredem facere ecclesiá, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: immo deo propitio neminem inueniat. Quàm laudabile factum sancti Aurelij Carthagineñ. episcopi. Quidam enim cùm filios non haberet nec speraret, res suas omnes (retento sibi vsu fructu) donauit ecclesiæ. nati sunt ei filij necopinanti. reddidit episcopus ea quæ donauerat. in potestate habebat episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.

GRATIAN.

Ecce quòd aliquádo oblata iure & laudabiliter redduntur. veruntamen non hoc exemplo recedenti sua reddenda monstrantur. aliud est enim in professione suę vitæ persistere, aliud à proposito sui ordinis discedere: Si sanctus Aurelius degenti

in

in laicali habitu oblata reddidit: quia post oblationem filios accepit: non ideo in apostasiam euntibus sua reddenda sunt, quibus vtilius necessaria subtraherentur, vt coacti redirent ad ordinem à quo recesserant. Sed sicut inimicis & persecutoribus iubemur necessaria subministrare, sicut ab apostolo monemur tempus redimere, vt expeditius orationi vacemus: sic ne ecclesia scandalum patiatur, ne discedens in deteriora præcipitetur, ne in perniciem monachorum, aut incendium monasterij occasione suorum exardescat, laudabilius sibi sua non dico redduntur, sed auferri sinuntur, quàm ab illo ista inferatur. 1.Cor.7.a

CAVSA XVIII.

QVIDAM abbas cōsecratus in episcopum, prius monasterio multa contulit, postea in episcopatu plura acquisiuit, cui dum fratres successorē quærerent, episcopus loci semet electioni volebat inserere, vt per ipsum abbas in monasterio ordinaretur. fratres renituntur. GRATIAN.

Quæritur primò, an monasterium possit petere quæ ab episcopo acquisita sunt, an episcopalis ecclesia possit sibi vendicare quæ monasterio fuerant tradita. 1

Secundò, an per episcopum abbas sit eligendus & ordinandus, an tantummodo à propriis fratribus sit instituendus. 2

QVAESTIO I.

AN MONASTERIVM POSSIT PETERE, QVAE AB EPISCOPO ACQVISITA SVNT: AN EPISCOPALIS ECCLESIA POSSIT SIBI VENDICARE QVAE MONASTERIO FVERANT TRADITA.

GRATIA.

PRima quæstio terminatur in concilio habito apud [a]Alteum, in quo sic statutum legitur.

a Alpheum in manuscripto.

Qui de monacho episcopus ordinatur: quod ante consecrationem habuit, monasterio: quod verò post consecrationem acquisiuit, propriæ ecclesiæ derelinquat. 1

STatutum est, & rationabiliter secundum sanctos patres à synodo confirmatum est, vt monachus quem electio canonica à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicādi potestatem habeat: sed quicquid acquisierat, vel visus fuerat habere, monasterio relinquat, & abbatis sui qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti arbitrio. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare ad quod sanctificatur & intitulatur, secundum sacros canones quod acquirere poterit, restituat.

QVAESTIO II.

AN PER EPISCOPVM ABBAS SIT ELIGENDVS ET ORDINANDVS: AN TANTVMMODO A PROPRIIS FRATRIBVS SIT INSTITVENDVS.

GRATIAN.



SECVNDAM verò quæstionem terminat auctoritas Toletani concilij dicens.

Cap. 10. conc. Toletan. 4.

Abbates & alia officia per episcopos debent institui. 1

HOc tantum sibi in monasterijs vendicent sacerdotes quod præcipiunt canones, id est, monachos ad conuersationem sanctam promouere, abbates aliaque officia instituere, atque extra regulam acta corrigere. Quòd si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut vsurpare quicquam de monasterij rebus tentauerint, non deerit ab eis sententia excommunicationis.

2. pars.

Econtra Gregor. scribit Castorio Ariminensi episcopo.

Congregatio monasterij, non episcopus aut aliquis extraneorum abbatem instituat. 2

ABbas in monasterio non per episcopum aut per aliquem extraneorum ordinetur, neque ab episcopo missa ibi celebretur, vt nulli ecclesiæ subiiciatur.

Greg. episc. 37. lib. 4.

IDEM Castorio episcopo.

De eodem. 3

ABbatem cuilibet monasterio non alium, sed quem dignū moribus atque actibus monasticæ disciplinæ communi consensu congregatio poposcerit, ordinari volumus: missas autem publicas per episcopos vel clericos in monasterio omnino celebrari prohibemus.

a Mellito.

ITEM Pelagius papa [a] Mellito subdiacono.

Ille debet abbas institui, quem sua congregatio & possessionis dominus ordinari poposcerit. 4

ABbatem in monasterio illum volumus ordinari quem sibi de sua congregatione & monachorum electio, & possessionis dominus, & (quod magis obseruandum est) ordo vitæ ac meritum poposcerit ordinari.

Gregorius Mariniano episcopo epist. 18. lib. 7.

ITEM Gregorius omnibus episcopis.

De libertate monachorum. 5

QVàm sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, &c. Et infrà. Interdicimus igitur in nomine domini nostri Iesu Christi, & ex auctoritate beati Petri apostolorū principis (cuius vice huic Romanæ ecclesiæ præsidemus) vt nullus episcoporum aut secularium vltra præsumat de reditibus vel chartis monasteriorum, vel cellulis vel villis quæ ad ea pertinent, quocunque modo seu qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. & infrà.

Desun-

Defuncto verò abbate cuiuscunque cõgregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit. Quòd si aptam inter se personam inuenire nequiuerint, solerter sibi de alijs monasterijs eligant ordinandum. & infrà. Pariter autem est custodiendum, vt inuito abbate ad ordinandum alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. & infrà. Nullus monachum sine testimonio & cõcessione abbatis in ecclesia aliqua teneat, vel ad aliquem honorem promoueat. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatamque seruari: vt & suæ ecclesiæ (iuuante domino) tantummodo sint iure contenti, & monasteria ecclesiasticis cõditionibus seu angarijs, vel quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceãt, nullis canonicis iuribus deseruiant, sed remotis vexationibus à cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione animi perficiant.

ITEM Castorio episcopo Ariminensi. Grego. epist. 45. seu ca. 87. li. 4.

Missas publicas in cœnobio episcopi non celebrent, nec aliquod eis grauamen inferant. 6

LVminoso abbate referente plurimis in monasterijs multa à præsulibus præiudicia atque grauamina monachos pertulisse cognouimus. Oportet ergo vt tuæ fraternitatis prouisio de futura quiete eorũ salubri disponat ordinatione: quatenus conuersantes in illis in dei seruitio gratia illis suffragante, mẽte libera perseuerẽt, missas quoq; publicas in cœnobijs fieri omnimodo prohibemus, ne in dei seruorũ recessibus & eorum receptaculis vlla popularis præbeatur occasio conuentus: quia non expedit animabus eorum: nec audeat illic episcopus cathedram collocare, vel quemlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quanuis leuissimam faciendi, nisi ab abbate fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, vt remotis vexationibus ac cũctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione animi perficiant. ITEM [b] Gelasius papa. a al. Gregorius Fortunato episcopo Neapolitan. Ex magn. Iuon.

Baptisterium in monasterio non permittitur fieri. 7

PRidem præcepimus vt de monasterio sancti Andreæ quod est super Mascalas, baptisterium propter monachorum molestias debuisset auferri, atque in eodem loco quo fontes sunt altare fundari, cuius rei perfectio hactenus est protracta. Admonemus igitur fraternitatẽ tuam, nullam iam morã post susceptas literas nostras inserere, sed repleto loco ipsorũ fontium, altare illic sine dilatione aliqua fundetur: quatenus & prędictis monachis opus dei securè liceat celebrare: & non de negligentia tua contra fraternitatem tuam noster animus excitetur.

Cap. 11. ITEM ex concilio Maguntino.

Cum permissione episcopi abbas locum suum deserere potest. 8

ABbas pro humiliatione, & cum permissione episcopi locũ suum potest relinquere: tamen eligant sibi fratres abbatem de ipsis, si habent: sin autem de extraneis.

3. pars. GRATIA. Ecce in Toletano concilio dicitur quòd sacerdotes, abbates, & alia officia instituere debeant. Beatus Gregorius & Pelagius prohibent, dicentes abbatem à fratribus suæ congregationis eligendum & ordinandum. Quomodo ergo hæc tanta diuersitas ad concordiam reuocabitur? Sed sciendum est quosdam monachos esse indomitæ ceruicis, & effrenatæ superbiæ: quos dum abbates ad religionem cogere voluerint, in eorum deiectionem conspirant, & alium moribus suis conuenientem sibi præficere contendunt: quales erant illi qui in necem beati Benedicti conspirasse leguntur. pro huiuscemodi constitutum est, vt abbates & alia officia per sacerdotes instituantur.

VNDE Pelagius papa scribit Opilioni defensori dicens.

Non licet monachis abbates pro suo arbitrio expellere, aut alios ordinare. 9

NVllam potestatem de cætero, nullam licentiam monachis relinquimus pro arbitrio suo aut abbates expellere, aut sibimet alios ordinare: quia nulla auctoritas remanebit abbati si monachorum potestati cœperit subiacere: vt de cætero fideliter & studiose vniuersa quæ vel ad diuini cultus reuerẽtiam, vel ad vtilitatem eiusdem monasterij pertinent, abbatis solicitudo ad quem potestas tota pertinere conuenit, debeat adimplere.

4. pars. GRATIAN. Hinc etiam constitutum est, vt clerici singulorum monasteriorum sint in potestate episcoporum: nec alicui liceat extra eorum conscientiam monasteria ædificare.

Cap. 4. VNDE in Chalcedonensi concilio legitur.

Sine conscientia episcopi monasterium nullus ædificet. 10

QVidam monachorum habitu vtentes indifferenter per ciuitates incedunt, necnon monasteria, & seipsos præsumptione propria commendant. Placuit igitur neminem aut ædificare, aut construere monasteria, aut oratorij domum sine conscientia ipsius ciuitatis episcopi. Cap. 8. eiusdẽ. Item clerici in parœciis, monasteriis, aut martyriis constituti, sub potestate sint eius qui in ea ciuitate est episcopus, secundum traditionem sanctorum patrum, neque per pręsumptionem recedant à suo episcopo. Eos verò qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem quocunque modo, vel si noluerint subiacere proprio episcopo: si quidem fuerint clerici, secundum personarum ordinationem subiaceant condemnationibus canonum. Si verò

laici

aici vel monachi fuerint, communione priuentur. Item clerici qui pauperum dispositioni vel monasteriorum vel martyriorum præsunt: sub potestate singularum ciuitatum episcoporum secundum canonum traditionem perdurent: neque per suam temeritatem episcopi sui moderationem declinent. Qui autem huiusmodi dispositionem quolibet modo subuertere ausi fuerint, & episcopo suo non obedierint: si quidem clerici fuerint, canonicæ damnationi subiaceant: si autem monachi vel laici sunt, à communione suspendantur.

ITEM ex concilio Carthaginensi quarto. Cap. 97.

Examinetur ab episcopo qui religiosis fœminis præponendus est. 11

QVi religiosis fœminis præponendus est, ab episcopis comprobetur. Monasterium quoque absque episcopi permissione nulli incipere aut fundare licet.

VNDE in Agathensi concilio legitur. Cap. 17.

Sine permissione episcopi nullus monasterium præsumat incipere, aut fundare. 12

DE monachis monasterium nouum (nisi episcopo permittente aut probante) nullus incipere aut fundare præsumat.

ITEM ex eodem. Cap. 58. eiusd.

De eodem. 13

CEllulas nouas, aut congregantium ecclesias monachorum absque episcopi notitia prohibemus institui.

ITEM ex concilio Aurelianensi. Cap. 24.

Absque episcopi vel abbatis voluntate nullus monachorum cellulam construere præsumat. 14

NVllus monachus congregatione monasterij derelicta, ambitionis & varietatis impulsu cellulam construere siue episcopi permissione vel abbatis sui voluntate præsumat.

Item. Sunt & alij qui pro executione diuersarum causarum 5. pars.
" quoslibet admittunt qui districtionẽ eorũ soluãt, & quietem GRATIA.
" religionis perturbẽt. De quibus in cõcilio Triburiẽsi legitur.

Abbas qui cautus in regimine non fuerit, à proprio episcopo & à vicinis abbatibus à suo arceatur honore. 15

SI quis abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus, sobriusque non fuerit, ac diuina præcepta verbis & exemplis non ostenderit: ab episcopo in cuius territorio cõsistit, & à vicinis abbatibus & cæteris deum timentibus à suo arceatur honore, etiam si omnis congregatio vitiis suis consentiens, eum abbatem habere voluerit.

ITEM ex concilio Aurelianensi. Cap. 21.

In episcoporum potestate abbates consistant. 16

ABbates pro humilitate religionis in episcoporum potestate cõsistant: & si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco vbi episcopus elegerit, 6. pars.

accepta vocatione conueniant. Monachi autem abbatibus omni obedientia & deuotione ſubiaceant. quòd ſi quis per cõtumaciam extiterit indeuotus: aut per loca aliqua vagari, aut peculiare aliquid habere præſumpſerit: omnia quæ acquiſierit, ab abbatibus auferantur ſecundum regulam monaſterio profutura. Ipſi autem qui fuerant peruagati: vbi inuenti fuerint, cum auxilio epiſcopi tanquã fugaces ſub cuſtodia reuocẽtur. Et reũ ſe ille abbas futurum eſſe cognoſcat, qui in huiuſmodi perſonas nõ regulariter animaduerterit, vel qui monachũ ſuſceperit alienum. ITEM ex concilio Arelatenſi. 17

MOnaſteria vel monachorum diſciplina ad eum pertineãt epiſcopum in cuius ſunt territorio conſtituta.

ITEM Paſchalis papa ſecundus.

Nullus miniſtret abbatibus epiſcopalia, qui alicui epiſcoporum nolunt ſubeſſe. 18

ABbatibus qui neque ſub epiſcopo, neque ſub metropolitano, neque ſub primate, neque ſub patriarcha ſunt, nullus prorſus epiſcoporum epiſcopalia quælibet adminiſtret. cùm enim ſe nulli epiſcopo omnino ſubeſſe profiteãtur, conſequẽs eſt vt nullus epiſcoporum quæ ſua ſunt eis tanquam extraneis largiatur.

GRATIAN. Pro huiuſcemodi ergo ſtatutum eſt, vt cauſæ & vtilitates monaſteriorum per epiſcopos diſponantur.

Epiſt.65.lib.6. VNDE Greg. ſcribit Vitali defenſori Sardiniæ.

Vtilitates monaſterij à proprio epiſcopo debent diſponi. 19

COgnouimus quòd monaſteria ſeruorum dei vel fœminarum pro ſuo quiſque libitu & diuerſarum cauſarum executione perturbet, quod omnino non gratè ſuſcipimus. Tuãque ex hoc experientiam commonemus, vt nequaquam hoc vſurpari denuo accepta noſtra auctoritate permittas: ſed epiſcopo loci illius ſub cuius moderamine degunt, curæ ſit cauſas eorum vtilitateſque diſponere. valde enim eſt indecens, vt omiſſo eo alius quilibet ſe illorum cauſis admiſceat: ſed ille eorum vitas cõpetenti regularię; debet moderamine diſponere, qui pro commiſſis eorum animabus compellitur rationẽ reddere.

7. pars. GRATIAN. Pro huiuſmodi etiam prohibet beatus Gregorius mulieres paſſim ad monaſterium accedere, & monachorum commatres fieri, ſcribens Valentino abbati. Epiſt.40.lib.4.

Neque commatres ſibi facere, neque ad fœminas accedere monacho licet. 20

PEruenit ad nos quòd in monaſterio tuo paſſim mulieres accedant: & (quod eſt grauius) monachos tuos ſibi cõmatres facere, & ex hoc incautã cũ eis cõmmunionem habere. Ne ergo hac occaſione humani generis inimicus ſua eos (quod abſit)

ſit) calliditate decipiat: ideo huius te præcepti ſerie commonemus, vt neque mulieres in monaſterio tuo deinceps quaibet occaſione permittas accedere, neque monachos tuos ſibi cōmatres facere. nam ſi hoc denuo ad aures noſtras quocūq; modo peruenerit, ſic te ſeueriſſimè noueris vltioni ſubdēdum: vt emendationis tuæ qualitate cæteri ſine dubio corrigantur.

Non ſolum autem incauta familiaritas aliarum mulierum eis interdicitur: verumetiam à ſanctimonialium habitatione prohibentur. VNDE in ſeptima ſynodo legitur. 8. part.

Cum ſanctimonialibus monachis habitare non licet. 21

DIffinimus minimè duplex monaſterium fieri: quia ſcandalum id & offendiculum multis efficitur. Si verò aliqui cū cognatis mundo abrenunciare, & monaſticam vitam ſectari voluerint: debent quidē viri virorum adire cœnobium: fœminæ verò mulierum ingredi monaſterium. In hoc enim placatur deus. Quæ autē hactenus fuerunt dupla, ſecundum regulā ſancti patris Baſilij & ſecundum præceptionē eius ita formentur. Non habitent in vno monaſterio monachi & monachæ. adulterium enim intercipit cohabitatio. ſi habeat aditum monachus ad monachā, vel monacha ad monachū ſecreto ſingulariter ad collocutionē. Nō cubet monachus in muliebri monaſterio, neq; ſingulariter cum monacha conuiuetur. & quando neceſſaria vitę à parte virorū ad regulares deferūtur monachas, extra portam hæc ſuſcipiat abbatiſſa in monaſterium fœminarum cum quadam vetula monacha. Porrò ſi contigerit vt aliquam propinquam ſuam videre voluerit monachus: in præſentia abbatiſſæ huic confabuletur per modica & compendioſa verba: & in breui ab ea diſcedat.

ITEM in regeſto Gregorij. Greg. epiſt. 48.

Monachi & monachæ in nullo ſimul cohabitent loco. 22 lib. 1. ad Anthemium.

IN nullo loco monachos & monachas permittimus in vnū monaſteriū habitare, ſed nec ea quæ duplicia monaſteria vocantur. & ſi quid tale eſt, religioſus epiſcopus mulieres quidē in ſuo loco manere ſtudeat: monachos autem aliud monaſterium ædificare cogat. ſi autē plurima ſint talia monaſteria, ſeparētur in alijs monaſterijs monachæ. & in alijs monachi. Res autem quas habent communes, ſecundum iura eis competentia diſtribuantur. ITEM ex concilio Agathenſi. Cap. 28.

A monaſterio monachorū longius conſtruantur monaſteria puellarū. 23

MOnaſteria puellarum longius à monaſterio monachorū aut propter inſidias diaboli, aut propter oblocutionē hominum collocentur. ITEM ex concilio Hiſpalēſi. Cap. 10. concil.

Puellarum monaſteria monachorū præſidio & miniſterio regantur. 24 Spalen. 2.

IN decima actione conſenſu communi decreuimus, vt monaſteria virginū in prouincia *Bethilica monachorū admi- *Batica.

 niſtratione

nistratione ac præsidio gubernentur. tunc enim salubria Christo dicatis virginibus *probamus, quando eis patres spirituales eligimus; quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiã doctrinis ædificari possint. ea tamen circa monachos cautela seruata, vt remoti ab earũ familiaritate, nec vsque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum. sed neque abbatem vel eum qui præficitur extra eam quæ præest loqui virginibus Christi aliquid quod ad institutionẽ vel administrationem earũ pertinet licebit: nec cum ea sola quæ præest, frequẽter eos loqui oportet: sed sub testimonio duarum vel trium sororum: ita vt rara sit accessio, & breuis omnino locutio.

*probemus.

GRATIAN. 9. pars. Prohibẽtur etiã sanctimoniales propria receptacula habere. VNDE Innocentius secundus.

Sanctimonialibus receptacula seu domicilia priuata habere nõ licet. 25

PErniciosam & detestabilem consuetudinem quarundã mulierum (quæ licet neque secundũ regulam beati Benedicti, neque Basilij, aut Augustini viuant, sanctimoniales tamen vulgò censeri desiderãt) aboleri decernimus. Cûm enim iuxta regulam sancti Benedicti degentes in cœnobiis tam in ecclesia quàm in refectorio atq; dormitorio cõmuniter esse debeant, propria sibi ædificant receptacula & priuata domicilia, in quibus sub hospitalitatis velamine passim hospites minus religiosos contra sacros & bonos mores suscipere nullatenus erubescunt. quia ergo omnis qui malè agit, odit lucem, ac per hoc ipsi abscondite in iniustorũ tabernaculo se opinantur posse latere oculos iudicis cuncta cõspiciẽtis: hoc tam inhonestũ detestãdumq; flagitium ne vlterius fiat omnino prohibemus, & sub pœna anathematis interdicimus. Simili modo prohibemus ne sanctimoniales simul cum canonicis & monachis in ecclesia in vno choro conueniant ad psallendum.

Ioan. 3 d

GRATIAN. 10. pars. Item sunt alij quos episcopi prægrauantes, salutem ipsarũ animarum negligunt: quibuslibet occasionibus bona monasteriorum distrahere cupiunt. Tales erant quidam clerici Rauẽnatis ecclesiæ: qui simulata religione monasterijs cupiebãt præfici, non transeũtes ad monasticum habitum, neque renunciantes ecclesiasticæ militiæ. De quibus Gregor. scribit Ioanni Rauennati archiepiscopo.

Epist 1. lib. 4.

Monasteria clericorum aut laicorum habitacula fieri non debent. 26

PEruenit ad me quòd in ecclesijs fraternitatis tuę aliqua loca dudum monasterijs consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt: dumque hi qui sunt in ecclesijs, fingunt se religiose viuere, monasterijs præponi cupiunt: & per eorum vitas monasteria destruuntur. nemo enim potest ecclesiasticis officijs, &c. infrà. Proinde fraternitas tua si hoc quolibet in loco factum est, emendare festinet: quia ego nullo mo-

do

do patiar vt sacra loca pro clericorum ambitu destruantur.

IDEM Martiano archiepiscopo Rauennati. *Greg. Mariniano epist. 40. fine ca. 204. lib. 6.*

Qui in sacro sunt ordine constituti, in monasterijs nullam habeāt potestatem. 27

DVdum ad nos multorum relatione peruenerat monasteria in Rauennatum partibus constituta, omnino clericorum vestrorum dominio prægrauari: ita vt occasione regiminis ea quidem (quod dici graue est) velut in proprietate possideant: quibus non modicum condolentes, prædecessori vestro literas misimus vt hoc hoc emendare debuisset: sed quoniam vitę est termino citius occupatus ne hoc onus monasterijs remaneat, fraternitati vestræ nos eadem scripsisse recolimus: & quia (vt comperimus) in huius rei hactenus correctione cessatum est: hæc audientes ad vos iterum præuidimus scripta dirigere. hortamur ergo vt omni mora, omniq; excusatione summota, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullā deinceps in eis clerici, vel qui sunt in sacro ordine cōstituti, ob aliud (nisi hortandi tantūmodo causa) accedendi habeāt licentiā, aut si fortè ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati *mysteria: sed ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione, &c. & infrà. Nec illic vlterius habeat potestatem aliquam: ne monasteria huius occasionis velamine ea quæ prohibemus simul cum canonicis & monachis in ecclesia sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare iam secundò commonita sanctitas vestra non differat: ne si post hæc negligentes vos esse (quod non credimus) senserimus: aliter monasteriorum quieti prospicere cōpellamur. nam notum vobis sit quòd tantæ necessitati seruorū dei congregationem subiacere non patiemur. IDEM. *Greg. epist. 18. lib. 7. ad Marinianum.*

*Ministeria.

Gratia visitandi & exhortandi monasteriū episcopus adire potest. 28

VIsitandi exhortandiq́ue gratia ad monasterium, quotiens placuerit ab antistite ciuitatis accedatur, sed sic charitatis officium illic impleat episcopus, vt grauamen aliquod monasterium non incurrat. ITEM ex concilio Aurelianensi. *II. pars.*

Frequenter episcopi monasteria visitent, & quæ corrigenda sunt, corrigant. 29 *I 2. pars.*

NOn semel, sed sæpius in anno episcopi visitent monasteria monachorum, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur. Pro talibus qui animarum curam non habentes, bona tamen monasteriorum in suos vsus conuertere cupiebant: statutū est vt monasteria cum suis rebus penitus sint libera à potestate & dominio episcoporū. Quòd autem nullis canonicis iuribus monasteria dicuntur esse subiecta: non ita intelligendū est, quin ipsi episcopo aliquid nomine eulogię vel in die dedicationis, vel in natali sanctorum, quorum nomine ipsum mo-

nasterium dedicatum est, debeat offerri.

VNDE Gelasius papa ait.

Non debet episcopus aliquid à monasterio exigere præter conditiones quas dedicationis tempore constituerit. 30

ELeutherius frater & coepiscopus noster quæritur quod mater eius in casa quæ castellū dicitur, oratorium construxerit ac dedicauerit, & in eodem loco monachos cōstituerit, ex quibus vnus est presbyter. hoc autem tempore dedicationis inter episcopum Cardellum (cuius ipsa diœcesis est) & matrē suam asserit conuenisse, vt quicquid dedicationis vel natalis martyrum die quorū in eodē monasterio reliquiæ sunt, per fidelium oblationes intrauerit: medietatē quidē habeat ipsum monasterium, medietas autem episcopo offeratur: cōtra quā conuentionem Marium presbyterum (siue sciente, siue nesciēte episcopo) monachis ipsis vel presbytero, qui ex eis est, vim dicitur intulisse, & frequenter molestias generare: ita vt memoratum presbyterum propè cæciderit, & missas eū facere nullo modo permittat: dicens vt quasi pensionis nomine aliquid statuere debeat: Hæc igitur omnia diligenter te examinare iubemus: & si apud te euidēti ratione cōstiterit, quia tempore quo dedicatum est ipsum monasterium, cōditiones superius positæ conuenerint, seruari eas ex nostra auctoritate præcipimus: nec aliquid amplius exinde ab aliquo exigatur. sin verò nil tale inter eos constiterit: mediante te quid episcopo nomine eulogiæ offerri debeat, inter ipsos monachos & presbyterum volumus diffiniri: saluo tamen eo, vt presbyter Gaudētius, qui etiam monachus est, missas in monasterio suo (sicut consueuit) facere à nullo vlterius debeat prohiberi.

ITEM Vrbanus secundus.

Consueta seruitia episcopis monasteria exhibeant. 31

SEruitium quod monasteria, aut eorum ecclesiæ à tempore Gregorij septimi vsq; ad hoc tempus fecerunt: & nos concedimus. Canonica ergo iura quibus monasteria subiecta nō sunt synodales exactiones intelliguntur. non enim cogēdus est abbas (sicut in Turonico concilio statuitur) ad synodum ire, nisi aliqua rationabilis causa existat, sunt enim quædā seruitutis officia, vt angariæ operum, crebræ receptiones, annuę exactiones, mulctationes peccantium, à quibus omnibus monasteria libera sunt.

CAVSA XIX.

GRATIAN. DVo clerici ad monasterium transire volunt: vterque licentiam ab episcopo suo petiit: vnus relicta ecclesia propria eo inuito, alter dimissa regulari canonica cœnobio se contulit.

Modò quæritur, si episcopus debeat permittere

vt

,, vt relicta propria ecclesia clericus monasterium ingrediatur.

,, Secundò quæritur, si episcopus licentiam dare noluerit, an ,, eo inuito monasterium possit adire. 2

,, Tertio quæritur, si contigerit ipsos regulares canonicos ,, fuisse, vtrum concedendus esset eis monasterij ingressus. 3

QVAESTIO I.

AN EPISCOPVS DEBEAT PERMITTERE, VT RELICTA PROPRIA ECCLESIA CLERICVS MONASTERIVM INGREDIATVR.

QVòd episcopus licentiam clericis adeundi monasterium dare debeat, in Toletano concilio præcipitur: in quo sic statutum legitur. *Cap. 49. conci. Toletan. quarti.*

Non debet negari ingressus clericis, qui monachorum propositum appetunt. 1

CLerici qui monachorum propositum appetunt: (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

QVAESTIO II.

SI EPISCOPVS LICENTIAM DARE NOLVERIT, AN EO INVITO MONASTERIVM POSSIT ADIRE.

GRATIAN.



,, INuito verò episcopo clericum eius à nullo es- ,, se suscipiendum Leo episcopus testatur, scribẽs ,, Rustico Narbonensi episcopo. *Leo pa. 1. epis. 82. ad Anasta. Thessal. episc.*

Inuito episcopo eius clericum nemo suscipiat. 1

ALienum clericum inuito episcopo ipsius nemo suscipiat. Sed subaudiendum est, nisi ad propositũ melioris vitæ transire voluerit. tunc enim liberũ est illi etiam episcopo contradicente monasterium ingredi. VNDE Vrbanus Papa [in] capitulo sancti Ruffini. *in deest, rectè.*

Qui monachorum propositum appetit, etiam inuito episcopo suscipiendus est. 2

DVæ sunt, inquit, leges: vna publica, altera priuata. Publica lex est, quæ à sanctis patribus scriptis est confirmata: vt est lex canonum, quæ quidem propter trãsgressiones est tradita. verbi gratia. Decretum est in canonibus clericum nõ debere de suo episcopatu ad alium trãsire sine commẽdatitiis literis sui episcopi, quod propter criminosos constitutum est: ne videlicet infames ab aliquo episcopo suscipiãtur personæ. solebant enim officia sua cùm non poterãt in suo episcopatu, in alieno celebrare: quod iure præceptis & scriptis detestatũ est. *Hebr. 8. d Roman. 2.*

Lex verò priuata est, quæ instinctu sancti spiritus in corde scribitur,

ſcribitur, ſicut de quibuſdam dicit apoſtolus, Qui habent legem dei ſcriptam in cordibus ſuis. & alibi: Cùm gentes legẽ non habeant, ſi naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, ipſi ſibi ſunt lex. Si quis horum in eccleſia ſua ſub epiſcopo populum retinet, & ſeculariter viuit: ſi afflatus ſpiritu ſancto in aliquo monaſterio vel regulari canonia ſaluare ſe voluerit, quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt lege publica conſtringatur, (dignior eſt enim lex priuata, quàm publica. Spiritus quidem Dei lex eſt, & qui ſpiritu Dei agũtur, lege dei ducuntur, & quis eſt qui ſpiritui ſancto poſſit dignè reſiſtere?) Quiſquis igitur hoc ſpiritui ducitur, etiam epiſcopo ſuo contradicente eat liber noſtra auctoritate. Iuſto enim lex non eſt poſita, ſed vbi ſpiritus Dei, ibi libertas, & ſi ſpiritu Dei ducimini: non eſtis ſub lege.

al. qui enim lege.

1. Tit. 1. d

2. Cor. 3. d.

QVAESTIO III.

SI CONTIGERIT EPISCOPOS REGVLARES CANONICOS FVISSE, VTRVM *concedendus eſſet eis monaſterij ingreſſus.*

GRATIAN.

CAnonicos autẽ regulares ad monaſterium tranſire multis auctoritatibus prohibetur.

VNDE in concilio Educenſi congregato ſub Gregor. vij. legitur.

Regulares canonici, monachi fieri non debent. 1

NVllus abbas vel monachus canonicos regulares à propoſito profeſſionis canonicæ reuocare, & ad monaſticum habitum trahendo ſuſcipere audeat, vt monachi fiant, quamdiu ordinis ſui eccleſiã inuenire quiuerint: in qua canonicè viuendo, deo ſeruire, & animam ſuam ſaluare poſſint. quòd ſi temerario auſu id agere tentauerint, anathematis vinculo obligentur. ITEM Vrbanus papa. ij.

De eodem. 2

MAndamus & vniuerſaliter interdicimus, ne quis canonicus regulariter profeſſus, niſi (quod abſit) publicè lapſus fuerit, monachus efficiatur. quod ſi decreto noſtro contraire præſumens agere tentauerit, ad ordinem canonicum præcipimus vt redeat: & deinceps memorialẽ cucullam deferat, & vltimus in choro maneat. Subaudiendum vero eſt: niſi cum patris ſui licentia religionis propoſitum induerit.

VNDE Vrbanus papa. ij. ſcribit abbati ſancti Ruffini.

Patris ſui conceſſione, regulares canonici monachi fieri poſſunt.. 3

STatuimus ne profeſſionis canonicæ quiſpiam poſtquã dei vice ſupra caput ſibi hominem impoſuit, alicuius leuitatis inſtinctu vel diſtrictioris religionis obtẽtu ex eodem clauſtro audeat, ſine patris & totius congregationis permiſſione recedere:

dere: discedentem verò nullus abbatum vel episcoporum, nullus monachorum sine communi literarum cautione suscipiat.

Queritur si monasteria quę semel dedicata sunt, possint trāsire in clericorum vel secularium habitacula? quod in Chalcedonensi concilio omnibus modis prohibetur capite. xxiiij. 2. pars. Cap. 24.

Quae semel sunt dedicata monasteria, semper monasteria perseuerent. 4

QVae semel sunt dedicata monasteria consilio episcoporū, maneāt perpetuò monasteria: & res quae ad ea pertinent, monasterijs reseruari oportet: nec posse ea vltra fieri secularia habitacula. qui verò permiserint hoc fieri, subiaceant his condemnationibus quae per canones constitutae sunt.

ITEM in Synodo vij. cap. xxiij.

Qui loca sacra communia diuersoria fecerit, clericus deponatur, laicus excommunicetur. 5

QVoniam à quibusdam viris quaedam venerabiles domus surripiuntur, tam videlicet episcopia, quàm monasteria, & facta sunt communia diuersoria, si quidem voluerint hi qui haec retinent, reddere ea vt secundum antiquitatem restaurentur, bene & optimè est: alioquin etsi de sacro catalogo fuerint, hos deponi praecipimus. si verò laici vel monachi, excommunicari: quos nimirū constat, & cōdemnatos esse à patre & filio & spiritu sancto, & deputabuntur vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur: quia deo aduersantur, qui dicit, nolite facere domum patris mei, domum negociationis. Ioan. 2. c

Quaeritur de his qui ad conuersionem veniunt: quo tempore debeant tonsurari. De his ita scribit Gregor. papa Fortunato episcopo Neapolitano. 3. pars. GRATIAN. Epi. 23. lib. 8.

Antequam biennium in conuersione compleuerit, aliquis tonsurari non debet. 6

MOnasteriis omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, vt eos quos ad conuersionē susceperint: prius quàm biennium in conuersione compleuerint, nullo modo audeant tonsurare, sed hoc spatio vita moresque eorum solicitè comprobentur: ne quis eorum aut non sit contentus eo quod voluit: aut ratum non habeat quod elegerit. nam cùm graue sit inexpertos hominū obsequiis sociari: quis possit dicere quāto sit grauius ad Dei seruitium improbos applicare? Miles verò si conuerti voluerit priusquam nobis renuncietur, nullus eum sine nostro consensu qualibet praesumat ratione suscipere. 4. pars.

Quaeritur si ingressis monasterium vltra relinquatur licētia testandi? hoc Greg. prohibet ita scribens Ianuario Carolitano episcopo. GRATIAN. Gre. epi. 7. li. 7. Ianuario Caralitano.

Post monasterij ingressum nulli relinquitur licentia testandi. 7

QVia ingredientibus monasterium conuertendi gratia vlterius nulla sit testandi licentia: sed vt res eorum eiusdē monaste-

monasterij sint, aperta legis diffinitione decretum est.

Idem Gregorius epist.6.lib.3.

ITEM Grego.papa Cypriano diacono.

Post monasterij ingressum eidem monasterio omnia sunt conferenda. 8

PErlatum est ad nos Petronellam nomine de prouincia Lucania progenitā per exhortationem Agnelli episcopi fuisse conuersam, resque suas omnes quas habere potuit, licet sibi in re potuissent competere: tamen easdem monasterio in quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse.

GRATIAN.

Econtra Paulus primus eremita in testamento colobium suum Athanasio Alexandrino episcopo reliquit, tunicam verò beato Antonio: sed aliud est de his qui in monasterium ingressi se & sua tradiderunt, aliud de his qui solitariā vitam ducentes, se nulli ecclesiæ tradere possunt. illi semel tradita nulli tradere possunt, isti nulli oblata liberè testari valent.

Constitut.2. Authentic.

ITEM in authenticis constit. nona. 9

SI qua mulier aut vir monasticam vitam elegerit, & intrauerit monasterium, liberis non extantibus, monasterio quod ingreditur, res eius competere iubemus. Sed si persona liberos habens antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere, legitima portione nulli diminuta triente vel semisse, & quod eis non dederit, monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, sua persona filiis suis connumerata partem sibi retineat quæ monasterio competere debeat.

Sed si post ingressum moriatur antequā inter eos diuidat, filij legitimam portionem percipiant, reliqua substātia monasterio competēte. In authenticis de mona.consti.v. in colla.j.

Constit. 26. Authent.

Nunc autem cùm monachus factus esset, hoc ipso res suas obtulisse videatur, si prius testatus non sit, exinde iudicio eius cessante lege disponitur, vt si liberos haberet in quos aut nihil aut minus legitima portione quoquo modo donandi titulo contulerit, eatenus substantiæ monasterio destinatæ detrahatur, ne quid contingat circa liberos iniquū. Itē ex Nouella. 10

Nouell.123.

NOn liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate sua repellere monachos factos, quamuis dum laici fuerant, in causam ingratitudinis inciderunt.

ITEM non liceat parentibus liberos suos ad solitariam vitam transeuntes abstrahere de monasterio.

CAVSA XX.

GRATIAN.

DVo pueritiæ annos agentes, à parentibus monasterio traditi sunt, vnus inuitus, alter spontaneus cucullam induit. ad annos pubertatis venientes, inuitus ad secularem militiam redijt, spontaneus monasterium districtius petit.

Nunc

1 Nunc primum quæritur, si in pueritiæ annis traditi cogantur religionis propositum tenere?

2 Secundò si præter voluntatem parentum tonsuram vel religionis vestem quis in pueritia accipiat, an possit sibi detrahi, an non?

3 Tertiò, qui præter propriam voluntatem cucullam induerit, an cogatur eam retinere, an non?

4 Quartò, si ab vno monasterio in aliud districtius liceat alicui transire?

QVAESTIO I.

SI IN PVERITIAE ANNIS TRADITI COGANTVR RELIGIONIS PROPOSITVM TENERE.

QVòd intra annos pueritiæ traditi, cùm adulti fuerint, liberum habeant arbitrium manendi vel discedendi, probatur auctoritate. ix. synodi, in qua sic statutum est. GRATIAN.

Virginitatis professio quo tempore firma esse incipit. 1

FIrma autem tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta iam ætas esse cœperit, & quæ solet apta nuptiis deputari, ac perfecta. Si virginitatis professio tunc incipit esse firma, cùm ætas cœperit esse adulta, & religionis professio tunc demum debet esse firma, cùm ad adultam ætatem peruētum fuerit, sed dic de illa professione agere, quæ in annis pueritiæ proprio arbitrio Deo offertur: quam non confirmat parentum consensus. Cæterum quæ à parentibus Deo offertur professio, inuiolatam seruari oportet.

VNDE Gregorius scribit ad Augustinum Anglorum episcopum. *Greg. pa. 3. epi. ad Bonifacium. Est Greg. iij. vt patet ex 2. tomo concil. vbi hæc extat sub illius decretis.*

Non licet de monasterio egredi quem pater vel mater intra annos infantiæ fecerit ordinari. 2

ADdidistis adhuc, quòd si pater vel mater, filium filiâmve intra septa monasterij in infantiæ annis sub regulari tradiderunt disciplina, vtrum liceat eis postquam ad pubertatis annos inoleuerint, egredi, & matrimonio copulari, hoc omnino deuitamus: quia nefas est vt oblatis à parentibus Deo filijs voluntatis frena relaxentur.

ITEM ex concilio Toletano. iiij. *Cap. 48.*

Aut propria professio, aut paterna deuotio monachorum facit. 3

MOnachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. quicquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum: & omnes ad seculum interdicimus regressus.

ITEM Isidorus.

In monasterio perpetuo maneant, qui à parentibus traditi sunt. 4

1.Re.1.d.

QVicunque à parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, nouerit se ibi perpetuò mansurũ. Nam Anna Samuel puerum suum natum & ablactatum deo pietate obtulit, qui & in ministerio templi quo à matre fuerat deputatus permansit, & vbi constitutus est, deseruiuit.

Epi.48.li.1.ad Anthemium.

ITEM ex regesto Gregorij.

De eodem. [a]*Palea.* 5

a est in vet. nec notatur vt palea.

QVia autem in insulis dura est congregatio monachorum, etiam pueros in eisdẽ monasterijs ante xviij. annorum tempora suscipi prohibemus: vel si qui sunt, tua eos prouidentia auferat, & in vrbem Romanam transmittat. hoc in Palmaria, aliisque prouinciis te per omnia volumus custodire.

ITEM ex concilio Triburieñ.

Qui à progenitoribus monasterio traditus est, de eo egredi nõ licet. 6

QVem progenitores ad monasterium tradiderunt, & in ecclesia cœpit canere & legere, nec vxorem ducere, nec monasterium deserere poterit: sed si discesserit, reducatur: si tõsuram dimiserit, rursus tondeatur: vxorẽ si vsurpauerit, dimittere compellatur.

ITEM ex pœnitentiali Theodori.

[b]*Palea.* 7

b est in veteribus, nec notatur vt palea.

INfans pro infante potest dari in monasterio, quãuis alter vocatus sit. Tamẽ melius est votum soluere. Similiter & pecora æquali precio (si necesse est) sunt redimenda. Ex his auctoritatibus colligitur quòd paterna professio pueros tenet obligatos, nec licebit eis à proposito discedere quod paterna deuotione in puerilibus annis susceperunt.

GRAT. 2.pars.

Leo pa.1.epist. 90. ad Rusticũ episcopum.

SED obiicitur illud Leonis papæ.

Non licet puellis nuptias eligere quæ spontanea voluntate virginitatis susceperunt propositum. 8

PVellæ quæ non parentum coactæ imperio, sed spõtaneo iudicio virginitatis propositum atq; habitum susceperint: si postea nuptias elegerint, præuaricantur, etiã si nondũ eis consecratio accesserit: cuius vtique non frudarentur munere si in proposito permanerent. ambigi verò nõ potest crimẽ magnũ admitti vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta nõ possunt impunè calcari, quid de eis manebit qui corruperint fœdera diuini sacramenti?

GRAT.

Cùm ergo in principio huius capituli dicatur. Puellæ quæ nõ coactæ imperio parentũ, datur intelligi quòd si coactę habitum virginitatis sumpserint, sine præuaricatione ipsum deserere possunt: sed puella hæc nubilis intelligitur, cuius (vt in sequentibus demõstratur) post xij. annũ liberum est arbitriũ, nec in electione propositi cogitur sequi parentum imperium.

Sic

» Sic & illud intelligendum est quod est statutum in synodo
» habita ab Eugenio papa.

Extra voluntatem propriam retrusi in monasterijs non teneantur. 9

SIcut qui monasteria elegerunt, à monasterijs egredi non permittuntur: ita hi qui inuiti sine iusta offensionis causa sunt intromissi, non nisi volentes teneantur: quia quod non petunt, non obseruant. Ideoque tales considerandi sunt magis peccata committere quàm plangere: sicut in decreto sanctissimi Leonis papæ manifestissimè cōtinetur [libro sexto.] Vnde Marcellus papa.

Palea. 10

ILlud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij monasterio oblati fuerint, vel sacram tonsuram vel velamina susceperint: dignum quidem duximus, vt .xv. anno à prælatis moniti verbis inquirātur vtrum in ipso habitu permanere cupiant, an non. si verò permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti possunt. Si verò ad secularem habitum reuerti voluerint, redeundi licētia nullo modo denegetur: quia satis inutile est, vt coacta seruitia domino præstentur.

Extat in vet. nec notatur vt palea.

» Velamen autem non licet imponere virginibus, nisi certis
» diebus. VNDE Gelasius papa omnibus episcopis.

GRATIA. 3. pars.

Non nisi certis diebus velamen imponatur virginibus. 11

DEuotis virginibus nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paschalibus, aut in apostolorum natalibus sacrum velamen minimè imponatur, nisi forsan (sicut de baptismo dictum est) graui languore correptis. Ne autem sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur. Viduas autem velare pontificum nullus attentet.

Cap. 14. epist. ad episcopos per Lucaniam.

Tempus quoq; consecrationis earum similiter obseruatur.
» VNDE Gregorius in regesto.

GRATIA. 4. pars.

Ante sexagesimum ætatis suæ annum virgines non consecrentur. 12

IVuenculas fieri abbatissas vehemētissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua nisi sexagenariam virginem, cuius vita atque mores hoc exegerint, velari permittat.

Greg. epi. 11. lib. 3.

ITEM ex concilio Carthaginensi. iij. 13

SAnctimoniales ante annum quadragesimum non velentur.

ITEM ex concilio Africano quarto.

Ante .xxv. annum virgines non consecrentur. 14

PLacuit vt ante xxv. annos nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur: & vt lectores populum non salutent.

Ca. 4. conc. Cartha. 3.

ITEM Pius papa. 15

VIrgines non velentur ante xxv. annos, nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, & non sunt consecrandæ nisi in Epiphania, & in sabbato Paschæ, & in Apo-

Iuo lib. 3. de virginibus refert.

5. pars. ſtolorum natalitijs, niſi mortis cauſa vrgente. Quanuis autem viduæ velari prohibeantur, viduitatis tamen profeſſio in ſcriptis ab eis eſt facienda. Veſtis quoque profeſſioni conueniens eſt eis tradenda: qua vbique vtantur.

Cap. 4. VNDE in concilio Toletano decimo.

Profeßionem viduitatis faciant, & habitum ſumant religionis quæ caſtitatem ſeruare proponunt. 16

Vidua quæ ſanctæ religionis propoſitum obtinere voluerit, ſacerdoti vel miniſtro ad quem aut ipſa venerit, aut quem ad ſe venire contigerit, ſcriptis profeſſionem faciat, à ſe aut ſigno aut ſubſcriptione notatam, continentem ſe religionis propoſitum velle (& hoc perenniter) inuiolatè ſeruare, tūc accepta à ſacerdote vel miniſtro apta religionis profeſſioni veſte, ſeu in lectulo quieſcens, ſiue in quocunque loco conſiſtens conſtanter vtatur, nec diuerſi coloris, aut diuerſæ partis eadem ſit notabilis veſtis, ſed religioſa & non ſuſpecta.

QVAESTIO II.

SI QVIS PRAETER VOLVNTATEM PARENTVM TONSVRAM VEL RELIGIONIS VESTEM IN PVERITIA ACCIPIAT, AN POSSIT SIBI DETRAHI.

GRATIA. De his verò qui præter voluntatem parentum tonſuram vel religioſam veſtem ſuſceperint, ſic diffinitur in x. conci. Toleta.

Cap. 5.

Tonſura vel veſtis religioſa in minori ætate ſuſcepta, à parentibus irrita fieri poteſt. 1

SI in qualibet minori ætate vel religionis debitā veſtem vel tonſuram in vtroque ſexu filijs, aut vnus aut ambo parentes dederint fortè, aut nolentibus aut neſcientibus ſe ſuſceptam non mox viſam in filijs abdicauerint, ſed vel coram ſe, vel coram epiſcopo, palamq́ue in conuentu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſecularem reuerti habitum filijs ipſis quandoque penitus non licebit, ſed conuicti quòd tonſuràm aut religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumq́ue reuocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione huiuſmodi obſeruantiæ inſeruire cogantur. Parentibus ſanè filios ſuos religioni tradere non amplius quàm vſque ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit eſſe: poſtea verò an cum voluntate parentum, an ſi ſuæ deuotionis ſit ſolitarium votum, erit filijs licitū religionis aſſumere cultum. quiſquis autem vel abolitione tonſuræ, vel ſecularis veſti aſſumptione detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem, & excommunicationis cēſuram accipiat, & religioni ſemper inhæreat.

Cap. 24. ITEM ex concilio Triburin.

Vſque

Vsque ad annos. xij. paterna voluntatis puella subiaceat arbitrio. 2

PVella si ante. xij. annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes eius vel tutores id factum irritum facere, si voluerint: at si annum & diem dissimulando consenserint, vlterius nec ipsi nec ipsa mutare poterunt. Si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescēs seruire deo elegerit: non est potestas parentibus prohibendi. Velamen autem nulli sanctimonialia alteri imponere licet. 2. pars.

VNDE Eutichianus papa ait.

Abbatissa præsumens velare virginem vel viduam excommunicetur. 3

STatuimus vt si abbatissa aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, vt viduam aut puellam virginē velare præsumat, iudicio canonico vsque ad satisfactionem subdatur. Hac auctoritate prædicta & paterna professione docetur adstringi quilibet in puerilibus annis, & præter voluntatem eorum proposito suscepto perhibetur teneri, nisi tonsuram vel religiosam vestem parētes mox visam abdicauerint. paruuli verò dum offeruntur, non nisi sub multorum testimonio suscipiendi sunt. 3. pars.

VNDE in ix. synodo legitur.

Infantes oblati à parentibus sub plurimorum testimonio suscipiantur. 4

OPortet infantes cum voluntate & consensu parētum, immo ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi: vt omnis occasio maledicti, gratia excludatur hominum pessimorum.

QVAESTIO III.

SI QVIS PRAETER PROPRIAM VOLVNTATEM CVCVLLAM INDVERIT: AN COGATVR EAM RETINERE.

QVòd autem qui inuitus propositum religionis susceperit, non sit cogendus ad inuiti propositi obseruationem: testatur Leo papa dicens. GRATIA.

Leo. 1. epi. 90. ad Rusticum episcopum.

Non potest deseri propositum monachi sponte susceptum. 1

PRopositū monachi proprio arbitrio & volūtate susceptum deseri non potest absque peccato. quod enim quis vouet deo, debet reddere. vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia est, & honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorum deseruisse, transgressio est. ITEM ex conci. Toleta. vij.

Ca. 6. conc. Tolet. 6.

Qui religiosum habitum sponte susceptum deserere voluerit, ad ipsum redire cogatur. 2

PRoclivis autem cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. quamobrē quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontaneè religiosum, aut si vir deditus

ecclesiæ,vel fœmina fuerit delegata puellarum monasterio,in vtroq; sexu præuaricator inuitus reuerti cogatur: vt vir detondeatur,& puella ad monasterium regrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia à Christianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locus eis vllus sit communionis. Viduæ quoque(sicut iamdudum vniuersalis statuit synodus) professionum vel habitus sui desertrices superiori sententia condemnentur.

Cap.7. ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Semel in clero taxati, vel monasterijs deputati, ad militiam non redeant. 5

al. deputati

EOs qui semel in clero*taxati fuerint, siue in monasterio deputati: decreuimus neque ad militiam neque ad honores seculares venire. eos autem qui hoc ausi fuerint facere, & non eius rei pœnitere maluerint, vt ad hoc idem reuertantur quod ante obtẽtu dei sibi proposuerunt, conuenit anathematizari.

GRATIA. 2. pars. Cùm dicitur propositum monachi proprio arbitrio & voluntate susceptum, intelligitur quòd si propria voluntate susceptum non fuerit, obseruari non cogitur.

Nico. I. VNDE Nicolaus papa scribit omnibus episcopis in regno Ludouici.

Monasterialibus disciplinis nullus inuitus subijciatur. 4

PRęsens clericus nomine Lambertus vnà cum patre suo nomine Attho, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans adijt præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater eius in laicali adhuc ordine in prædijs proprijs ædificasset duo monasteria, voluntatẽ gerens, vt post suum decessum præsens eius filius Lambertus in locum eius succederet, quem infra teneram ætatem inter octauum & decimum annum constitutum memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione extra omnem illius voluntatem cucullam induit. Igitur post quoddam ipsius temporis spatium (vt ipse dicit) Salomon episcopus cum quibusdam alijs absque patris oblatione vel abbatis percepta benedictione eundem Lambertum monasticum habitũ induere fecit(vt ferunt) inuitum, & sub hac occasione, paterna seu materna hæreditate à fratribus suis priuatum esse, atque contra omnem (vt dictum est) volũtatem suam quasi regularem illum monachum permanere volunt. Super qua re diligenti cura inuestigantes etiam sub adiuratione patrem ipsius si verum diceret interrogauimus: sed idem pater Attho respondit se talem habuisse & habere voluntatem vt filius suus verus monachus fieret, & in locum ei succederet. Sub testificatione autem iureiurando firmauit quòd quando primitus ei cucullam induit: idem Lambertus semper restitit, & nunquã se fieri mo- [illegible] nachum

nachum consentit: sed demum ab insequentibus monastico habitu violenter est indutus, asserens quod nunquam regulam aliquam promisit: neque ego pater eius pallio altaris indutum, illum obtuli, neque à quocunque sacerdote vel abbate (vt mos poscit) benedictione percepta regulæ vnquam se fieri monachum subiectum futurum promisit. super his omnibus protestatus est præfatus Attho: quia si eo tempore tam duræ obseruantiæ monasticam intellexisset regulam, nunquam eundem filium Lambertum coegisset portare cucullam. Quapropter consultè psalmographi verba recolentes, quibus voluntariè se deo sacrificare pronunciat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu dei obsecrat. præsentem (vt dictum est) clericum nomine Lambertum minimè debere existimauimus sub tali violentia fieri monachum. quod enim quis non eligit nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit. nullum ergo bonum nisi volũtarium. Idcirco dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia vlli inferatur, præcepit. quapropter consultius agitur si pijs suasionibus contemptum mundi & amorem dei prædicando, quàm violentiam inferendo, ad cœlestem amorem illum accenderitis. Vnde omnium vestrum charitati hanc nostri apostolatus mandare decreuimus epistolam, monentes atque præcipientes, quatenus si ita verum est, vt isti dicũt: nullus episcopus vel abbas seu monachorum reliquorum conuẽtus monasticis illum regulis inuitum subiacere compellat, neque vllo modo fratres eius per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum hæreditate priuare: sed vsque dum diuina inspiratione compunctus propria voluntate regulæ se subdat, liceat eum à mundanis & laicalibus remotum vagationibus vel negocijs inter religiosos & ecclesiasticos viros in canonica degere vita. non enim putamus (quod absit) canonicos religiosos à sanctorum monachorum consortio seiunctos, quia vnusquisque secundum apostolum propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.

» Si verò episcopi vel abbatis illecti promissionibus aliqui tonsuram vel religionis vestem susceperint, ipsi quidem in eo quod cœperunt permaneant: res verò eorum hæredibus suis restituantur. GRATIA. 3. pars.

VNDE in Magotieñ.* concilio legitur. cap. xxiij. *Maguntinen.

Restituantur hæredibus res eorum qui ab episcopis vel abbatibus decepti comas deposuerunt.

COnstituit sanè sacer iste conuẽtus, vt episcopi siue abbates qui non in fructum animarũ, sed in auaritiam & turpe lucrũ inhiantes quoslibet homines circunueniẽdo totonderũt, & res eorũ tali persuasione surripuerunt, pœnitentię canonicæ Supra. c. 16. q. 7. c. Constituit.

 (vt po-

(vt pote turpis lucri sectatores) subiaceant. Hi verò qui illecti comam deposuerunt, in eo quod acceperunt, perseuerare cogantur: res verò eorum hæredibus reddantur.

QVAESTIO IIII.

SI AB VNO MONASTERIO IN ALIVD DISTRICTIVS LICEAT ALICVI TRANSIRE.

GRATIAN.

Cap. 26.

QVòd verò ab vno monasterio in aliud districtius trāsire monachis liberum sit, ex concilio Triburiensi habetur: in quo sic statutum est.

Non sunt prohibendæ virgines sacræ, quæ causa religionis aliud monasterium adire desiderant. 1

VIrgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasteriū pergere disposuerint, ibidemque commanere decreuerint: synodus cōcedit. si verò fuga disciplinæ alium locum quæsierint: redire cogantur.

2. pars.

Quod autem de virginibus sacris hoc capitulo statuitur, de monachis etiam consequenter intelligitur, & de quolibet etiam clerico. Sed obiicitur illud Basilij.

Vota monachi sine consensu abbatis sui irrita sunt. 2

MOnacho non licet vota vouere sine consensu abbatis sui: si autem vouerit, frangendum erit.

Cap. 27.

ITEM illud Agatheñ. concilij.

Monachum nullus suscipiat aut ordinet absque abbatis sui permissu. 3

MOnachum nisi abbatis sui permissu aut voluntate ad alterum monasterium commigrantem nullus abbas suscipere aut retinere præsumat: sed vbicunque fuerit, abbati suo auctoritate canonum reuocetur. Item clericis sine commendatitijs literis episcopi sui licentia non pateat euagandi. In monachis quoque præsentis sententiæ forma seruetur: quos si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coerceri. Seruandum quoque de monachis statuimus, ne eis ad solitariam cellulam liceat à congregatione discedere: nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior abbatis licentia regula remittatur: quod ita demum fiat, vt intra eadem monasterij septa manentes, tamen sub abbatis potestate, separatas habere cellulas permittantur. Abbati quoque singulas diuersásque cellulas habere aut plura monasteria non liceat. nisi tantū propter incursum hostilitatis intra ciuitatis muros receptacula collocare.

GRATIAN.

Verùm hoc intelligendum est de monachis religiosè viuentibus: quibus vota specialis abstinentiæ vel alicuius districtionis quæ generalem consuetudinem suorum fratrum excedat, sine abbatis consensu vouere non licet: ne super eos fratres scanda-

ſcandalizentur. cauſa etiam illorum ſtatutum eſt hoc, qui regularem diſciplinam ſubter fugientes, peregrinationis ſuæ vota ſibi aſſumunt: quod nec monacho nec alicui clerico licet, ne hac occaſione ad ſecularem conuerſationem redeat.

CAVSA XXI.

Archipresbyter cuiuſdam eccleſiæ propoſituram alterius accepit: nec priorem vult relinquere: ſecularium quoque negociorum procurator efficitur: qui claris & fulgidis veſtibus ſe exornans, ab epiſcopo ſuo corrigitur: relicto officio ſuo ad ſecularem iudicem habet confugium. GRATIAN.

1 Primùm quæritur, an clericus in duabus eccleſiis poſſit conſcribi?

2 Secundò, ſi vnam voluerit relinquere: an liceat ei ad aliam tranſire?

3 Tertiò, an procurationes ſecularium negociorum clericis liceat ſuſcipere?

4 Quartò, an claris & fulgidis veſtibus eis ornari expediat?

5 Quintò, an ab epiſcopo correcti ſuum officium relinquere, & ad ſecularem iudicem confugere valeant?

QVAESTIO PRIMA.

AN QVIS POSSIT IN DVABVS ECCLESIIS CONSCRIBI.

In duabus eccleſiis aliquem connumerari poſſe ſeptima ſynodus prohibet, dicens.

In duabus eccleſiis clericus conſcribi nullo modo debet. I

Clericus ab inſtanti tempore non cõnumeretur in duabus eccleſiis. Negoriationis enim hoc eſt & turpis lucri proprium cõmodum, & ab eccleſiæ conſuetudine penitus alienũ. Audiuimus enim ex ipſa dominica voce quòd nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. *Matth. 6. b.* vnuſquiſque enim ſecundum apoſtolicam vocem in quo vocatus eſt, in hoc debet manere: & in vna locari eccleſia. *1. Corint. 7 d.* Quæ enim propter turpe lucrum in eccleſiaſticis rebus efficiuntur, aliena conſiſtunt à deo. ad vitæ verò huius neceſſitatem ſtudia ſunt diuerſa. Ex his ergo qui voluerit acquirat corpori opportuna. ait enim Apoſt. Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. *Act. 20. g.* & hoc quidem in hac vrbe ſeruandum: cæterum in villis quę foris ſunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

Sed duæ eccleſiæ intelliguntur eccleſiæ duarum ciuitatum: in quibus nullus debet conſcribi. GRATIAN. VNDE in Chalcedonenſi concilio ſtatutum eſt. *Cap. 10.*

De eodem. 2

CLericum in duarum ecclesijs ciuitatum conscribi non oportet.

GRATIAN. Sed econtra nonnunquam episcopus ciuitatis vnius efficitur archiepiscopus alterius ciuitatis: nec tamen priorem ecclesiam deserit: sed prior ecclesia quasi commendata relinquitur: secunda quasi intitulata habetur.

VNDE Leo quartus scribit.

In vna ecclesia titulatus, alteram sibi commendatam potest habere. 3

QVi plures ecclesias retinet: vnam quidē titulatam, aliam verò sub commendatione retinere debet. Sic & illud Agatheñ. conci. intelligendum est. Cap. 57.

Duobus monasterijs vnus abbas praeesse non potest. 4

VNum abbatem duobus monasterijs præsidere interdicimus. Potest etiam vtrique tanquam titulato præesse, sed iure speciali, non communi. VNDE Gregorius. Epist. 13. lib. 2. ad Agnellum episcopum.

Vnus episcopus duabus præficitur ecclesijs. 5

RElatio cleri simul & populi Terraconensis gentis nos valde lætificat, ob hoc quod de tua fraternitate bona testatur: & quia defuncto pontifice suo Petro sibi cardinalem postulāt te constitui sacerdotem, eorum desyderia necessariò complenda esse præuidimus. Tota ergo mentis intentione ita lucrum animarum domino nostro facere festinato, vt digna te merces ante conspectum eius in die retributionis inueniat. quicquid verò de prædictæ rebus ecclesiæ vel eius patrimonio seu cleri ordinatione promotionéve & omnibus generaliter ad eū pertinentibus solerter atque canonicè ordinare facereque prouideris, liberam habebis (quippe vt sacerdos proprius) modis omnibus facultatem. *Ad eundem.* 6

Gregor. ibidem continuò epist. 13. lib. 2.

ILlud quoq; fraternitatem tuā scire necesse est, quoniā sic te prædictæ Terracoñ. ecclesiæ cardinalē esse constituimus sacerdotē: vt & Fundensis ecclesiæ pontifex esse non desinas: nec curam gubernationeḿq; eius prætereas: quia ita fraternitati tuæ sæpedictæ Terraconeñ. ecclesiæ curā iniungimus, vt Fundensis ecclesiæ tibi iura potestatémve nullo modo subtrahamus.

GRATIA. Non enim potest vtrique præsidere tanquam titulatæ: sed vni tanquam commendatæ, alteri verò tanquam titulatæ præesse valet.

QVAESTIO II.

SI VNAM QVIS VOLVERIT RELINQVERE ECCLESIAM, AN LICEAT EI AD ALIAM TRANSIRE.

GRATIA. QVi verò relicta sua ecclesia, ad aliam transire voluerit, nequaquam sine dimissorijs literis sui episcopi suscipiatur. VNDE in vij. synodo legitur.

Sine

Sine dimissorijs literis in aliena ecclesia clericus non ordinetur. 1

QVoniam diuersarum ecclesiaru clerici suas in quibus ordinati sunt ecclesias relinquentes, ad alios concurrunt episcopos, & ignorante episcopo proprio in alienis constituuntur ecclesijs, vbi contingit eos sine sui examinatione permanere: præcipimus amodo vt nullus clericorum omnino in quocunque gradu sit, licentiam habeat sine dimissorijs literis sui episcopi in altera constitui ecclesia. Qui verò hoc amodo non obseruauerit: ad opprobrium eius qui ordinauerit eum, deponatur tam ipse quam qui eum sine ratione susceperit. ITEM ex conci. Hispalensi. Cap. 3. con.

Ad aliam ecclesiam transire clerico non licet, si proprijs ministerijs sua fuerit destituta. 2 Spalensis. 2.

PLacuit vt si quis clericus ministerijs ecclesiæ propriæ destitutis ad alium transitum fecerit: compellente ad quem confugerit sacerdote ad ecclesiam quam prius incoluerat, reuertatur. Qui verò eum susceperit, nec sine vllo statim nisu exceptionis ad propriam ecclesiam remittendum elegerit: quandiu eum restituat, communione se priuatum cognoscat. desertorem autem clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum aliquo tempore monasterio relegari conuenit: sicque postea in ministerium ecclesiastici ordinis reuocari. Nam non poterit in talibus propagationis aboleri licentia, nisi fuerit in eis per correctionem disciplinæ subsecuta correctio. Obijcitur autem illud Chalcedo. conci. Cap. 10.

Nihil commune habeat cum ecclesia priori, qui de vna ad aliam translatus est. 3

SI quis iam translatus est ab vna ecclesia in aliam, nihil habeat commune cum priori, siue sub ecclesia constitutis martyribus, siue in parœcijs, siue in xenodochijs, aut eorum negocijs. Eos verò qui ausi fuerint post ordinationem huius magnæ & vniuersalis synodi agere quæ prohibita sunt: statuit sancta synodus cadere de proprio gradu. Aliud est transferri, atque aliud propria temeritate transire. illud apostolica auctoritate fieri licet: hoc verò omnibus modis prohibetur. Sicut autem duabus ecclesijs vnus præponi non debet, ita nec vna ecclesia inter plures diuidi valet. 2. pars. 3. pars.

VNDE in Remensi conci. legitur. Ino lib. 2. de

Vna ecclesia duobus sacerdotibus diuidi non potest. 4 presby. & cor. refert.

SIcut in vnaquaque ecclesia vnus presbyter debet esse: ita ipsa quæ sponsa vel vxor eius dicitur, non potest diuidi inter plures presbyteros: sed vnum tantummodo habebit sacerdotē, qui eā castè & syncerè regat. Vnde interdicimus vt nullus præsumat ecclesiam inter duos vel plures diuidere: quia ecclesia Christi vxor & sponsa debet esse, non scortum: sicut

Calixtus papa testatur. Conductitijs quoq; presbyteris ecclesia committi non debet. VNDE Innocen. ij.

Conductitiis presbyteris ecclesia non committatur. 5

PRæcipimus etiam ne cõductitiis presbyteris ecclesia committatur: sed vnaquæq; ecclesia cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

QVAESTIO III.

AN PROCVRATIONES SECVLARIVM NEGOCIORVM CLERICIS LICEAT SVSCIPERE.

GRATIAN.

QVÒD autem clerici secularium negociorum procuratores esse non valeant, auctoritate Carthaginẽsis concilij primi probatur: in quo[a] Nicolaus papa episcopis Castilianis dixisse legitur.

a Legendum videtur Nicasius episcopus Culusitanus, vt in primo cõcilio Carthagin.

Palea.[b]

b Hæc palea omnino deest in veteri manuscript.

PEruenit in sanctam synodum, quia de eis qui in clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam maiorum possessionem conductiones & seculares causas suscipiãt: & seipsos quidem à ministerijs sanctis per desidiam separent: ad domos autem secularium concurrant, & substantiarum eorum gubernationes auaritiæ causa suscipiant. Decreuit igitur sancta synodus neminem deinceps eorum, hoc est non episcopũ siue clericum aut monachũ cõducere possessiones: aut misceri secularibus procurationibus, nisi fortè qui legibus ad minorũ ætatũ tutelas siue procurationes inexcusabiles attrahatur, aut cui ipsius ciuitatis episcopus ecclesiasticarũ rerum cõmiserit gubernacula, vel orphanorũ aut viduarũ quæ indefensæ sunt, aut earum personarum quæ maxime ecclesiastico indigent adminiculo propter timorẽ Dei. Si quis verò transgressus fuerit hæc statuta, correctioni ecclesiasticæ subiacet.

ITEM ex concilio Carthag. j. Nicolaus episcopus Castilianus[a] dixit.

a Culistianus. Calusianus ca. 6

Qui clero annexi sunt seculariũ possessionum procuratores non fiant. 1

CRedo placere suggestionẽ meã sanctitati vestræ: & displicere vobis, vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, accedant ad actiones seu administrationes vel ad procurationes domorum [secularium] Gratianus episcopus dixit apostolorum statuta sunt quæ dicunt: Nemo militãs Deo, implicat se negocijs secularibus. proinde aut clerici sint sine actionibus domorũ, aut [c] actores sine officio clericorũ. Vniuersi dixerunt: boc obseruemus. ITEM ex concilio Charthaginensi quarto.

2. Tim. 2. 4.

c al. auctores.

Cap. 15. conc. Carthag. 3.

De eodem. 2

PLacuit vt episcopi, presbyteri, & diaconi, vel quicũque clerici non sint conductores aut procuratores, neque vllo turpi

turpi vel inhonesto negocio victum quærant: quia respicere debent scriptum esse: Nemo militans deo, implicat se negociis secularibus. *2.Timo.2.a*

ITEM ex epistola Cypriani ad presbyteros & [a]diaconos ad plebem Furnensem.

[a] diacones, vet. Erasmus ait multa in hac epistola aliena immixta.

Secularium negociorum procurationem clerici non suscipiant. 3

Cyprianus presbyteris & diaconis plebi Furnensi consistẽtibus salutem. Iampridem concilio episcoporum est statutum, ne quis de clericis & dei ministris tutorem ac curatorem testamento suo nominauerit, quandoquidem singuli diuino sacerdotio honorati, & in clericorum ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atq; orationibus vacare debeãt. Scriptũ est enim. Nemo militãs Deo, implicat se negociis secularibus, vt possit placere ei cui se probauit. quod episcopi & antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis decedens ad tutelã vel curam clericũ nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificiũ pro dormitione eius celebraretur. neque enim ante altare Dei merentur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros volunt auocare.

Cypr. epi.6.l.1 ad clerũ Furnẽs. *2.Tim.2.a.*

ITEM ex eadem. *Cypr. in eadem epist.*

Non licet clericis mollitiis & secularibus rebus obligari. 4

M†Ollitijs & secularibus rebus laqueisq; obligari non debet, qui diuinis rebus & spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos & seculares actus vacare.

†*Molestiis*

ITEM ex eadem. *Ibidẽ paulò inferius.*

Secularibus negociis clerici non alligentur. 5

HI qui in ecclesia domini ad ordinationem clericorũ promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur: nec molestiis & secularibus negociis alligentur, nec ab altaribus & sacrificiis recedant: sed die noctuq; cœlestibus rebus & spiritualibus seruiant.

ITEM vt suprà Cyprianus. *Cypr. in eadem epist.9.lib.1.*

De eodem. 6

SAcerdotium religiosè decretum & necessariè factũ seruetur à nobis, simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes & ministros Dei altari eius & ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias deuocet. Obseruari de cætero poterit ne quis vltrà hoc faciat circa personam clericorum, si quod factum est, fuerit vindicatum.

QVAESTIO. IIII.

AN CLARIS ET FVLGIDIS VESTIBVS EIS ORNARI EXPEDIAT.

QVòd verò fulgidis & claris vestibus eis ornari non liceat, in septima synodo iubetur, in qua sic statutum est.

Conipiam-

Corripiantur clerici, qui vnguentis & claris vestibus & fulgidis lasciuiunt. 1

OMnis iactura & ornatura corporalis à sacrato ordine aliena est. eos ergo episcopos vel clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet: quòd si in hoc permanserint, epitimio contradantur. similiter & eos qui vnguētis vnguntur. Quoniam verò radice amaritudinis exorta cōtaminatio facta est in ecclesia catholica Christianos calumniantium hæreticorum: hi qui hanc receperunt, non solū imaginarias scripturas abominati sunt, sed etiam omnem reuerētiam repulerunt: eos qui religiose ac piè viuunt, offendētes: ac per hoc completur in eis quod scriptum est: Abominatio est
Prou.15. peccatori dei cultus. Igitur si inuenti fuerint deridentes eos qui vilibus & religiosis vestibus amicti sunt, per epitimium corrigantur.

GRATIA. Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri aut vili veste conuersabatur. omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatē accipitur, elationis habet calumniam, quēadmodum magnus ait Basilius. sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate ve-
Math.11.a stimentorum. audierant enim quia qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. ITEM ex octaua synodo.

Clerici siue in itinere ambulantes, siue alibi degentes, congruis vestibus sibi vtantur. 2

NVllus eorum qui connumerantur in clero, vestimentū indecens habeat, siue in ciuitate degēs, siue in itinere ambulans: sed stolis vtatur, quæ concessæ sunt clericis. Si verò quis tale quid fecerit, per vnam hebdomadam suspendatur.

ITEM Zacharias papa.

Non secularibus vestibus, sed ordini suo cōuenientibus clerici vtātur. 3

EPiscopi, presbyteri, diaconi, secularibus indumentis non vtantur, nisi (vt condecet) tunica sacerdotali: sed neque dum ambulauerint in ciuitate, aut in via, aut in plateis sine operimē to præsumant ambulare, præterquam si in itinere longo tēpo-
1.Cor.11.b. re ambulauerint: quia sicut mulier orans in ecclesiis non velato capite, deturpat caput suum, iuxta apostolicam vocem: ita sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum: quòd si temerè præsumpserit contra statuta agere, communione priuetur: donec quæ statuta sunt adimplere maturet.

ITEM Leo papa.

Extra domos sine proprio ornatu sacerdotes non appareant. 4

SIne ornatu sacerdotali extra domos sacerdotes apparere nullo modo conuenit: ne vt aliquis secularium iniurias patiantur, contrarius deniq; inuentus aut desinat, aut canonicę subia-

subiaceat disciplinæ. ITEM Innocentius papa secundus.

Careant beneficiis ecclesiasticis, qui corrigi ab episcopis contemnunt. 5

PRæcipimus vt tam episcopi quàm clerici in statu mentis, in habitu corporis deo & hominibus placere studeant: & nec in superfluitate scissuræ, aut colore vestium, nec in tonsura intuentium (quorum forma & exemplum esse debent) offendant aspectum: sed potius quod eorum deceat sanctitatem: quod si moniti ab eis emendare noluerint) ecclesiasticis careant beneficiis.

QVAESTIO V.

AN AB EPISCOPO CORRECTI SVVM OFFICIVM RELINQVERE, ET AD SECVLAREM IVDICEM CONFVGERE VALEANT.

›› SVum verò episcopum relinquere, & ab officio suo discedere, atque ad secularem iudicem confugere nulli licet. GRATIA.
›› VNDE in Agathensi concil. legitur. Cap. 8.

Clericus ad iudicem secularem confugiens de communione ecclesiæ depellatur. 1

PLacuit vt clericus si relicto officio propter districtioné ad secularem iudicem fortasse cõfugerit, & is ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit: cum eo de ecclesiæ communione pellatur. ITEM ex concilio Antiocheno. Cap. 12.

Presbyter vel diaconus ab episcopo depositus, imperatoré non adeat. 2 1

SI quis à proprio episcopo depositus presbyter vel diaconus, aut etiam à synodo quilibet episcopus fuerit exauctoratus: molestiam imperialibus auribus inferre non præsumat: sed ad maiorum episcoporũ synodum sese cõuertat: & quæ se putat habere iusta, in eorum cõcilio alleget, atque ab his de se expectet quæ fuerit deprompta sentẽtia: quòd si deficiens pusillanimitate hoc noluerit facere, sed importunus fuerit imperatori, huiusmodi nullam veniam habere, neque locum vllius assertionis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum. ITEM ex concilio Carthaginensi quinto. Cap. 2.

Non defensetur ab aliquo, qui episcoporum iudicio damnatur. 3

SI quis cuiuslibet honoris clericus iudicio episcoporum pro quocunque crimine fuerit dãnatus, non liceat eum siue ab ecclesijs quibus præfuit, siue à quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ atq; honoris: à qua nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipimus. Cap. 4. concil.

ITEM ex concilio Arelatensi. Arelat. 3.

Communione priuetur, qui ecclesiasticæ disciplinæ regulam fugientem defensare præsumit. 4

SI fortè aliquis clericorum regulam disciplinæ ecclesiasticæ subterfugiens fuerit euagatus: quicunque eum susceperit,

perit, & illum pontifici suo nõ reconciliauerit, sed magis defensare præsumpserit, ecclesiæ communione priuetur.

Ca. 35. synodorum Græcarum à Martino episcopo collectarũ.

ITEM ex concilio Martini papæ.

Spe reconciliationis careat, qui ab episcopis condemnatus imperatorem adierit.

SI quis episcopus, presbyter, aut diaconus excommunicatus in concilio iniustè se quæritur condemnatum, ad maiorum episcoporum concilium reuertatur: vt eorum inquisitioné & iudicium expectans, si quas se iustas causas habere putat, illis exponat. si autem contempserit, & importans se palatio aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit peruenire, neque spem futuræ reconciliationis habebit.

Gregor. epi. 34. lib. 4. ad Constantiam Augustam.

ITEM Gregorius Constantino Augusto.

Episcoporum causæ coram principibus examinari non debent. 6

SI episcoporũ causæ mihi cõmissorum apud piissimos dominos aliorũ patrocinio disponuntur: infœlix ego in ista ecclesia quid facio? sed vt episcopi mei me despiciãt, & contra me refugiũ ad seculares iudices habeãt: omnipotenti deo gratias ago: peccatis meis deputo: hoc tamen suggero breuiter, quia aliquantulũ expecto: & si ad me venire distulerint, exercere in eos districtionem canonicam nullo modo cessabo.

CAVSA XXII.

GRATIAN.



QVIDAM episcopus iurauit falsum quod putabat verum: quo cõperto archidiaconus eius iurauit se nunquam præstaturum ei obedientiam. Compellitur archidiaconus ab episcopo ad exhibendam sibi consuetam reuerentiam. accusatur episcopus de duplici periurio: & de eo quòd falsum iurauit, & quia archidiaconum ad peierandum compulit.

1 Primò quæritur, an iuramentum sit præstandum, an non?

2 Secundò, si sit periurus qui iurat falsum, quod putabat verum?

3 Tertiò, si licuit archidiacono denegare episcopo consuetam obedientiam?

4 Quartò, si constiterit esse illicitum, quod iurauit archidiaconus: an sit seruandum?

5 Quintò, si constiterit illud seruandum esse, an episcopus sit reus periurij, qui contra iuramentum archidiaconum suum ire compellit.

QVAESTIO PRIMA.

AN IVRAMENTVM SIT PRAESTANDVM.

GRATIA. Matth. 5. f.

QVòd iuramentum præstandum non sit, auctoritate canonicæ scripturæ probatur. Ait enim Christus in euãgelio discipulis: Sit sermo vester est est: non non. quod autem

autem amplius est, à malo est. Iacobus in epistola ait: Ante omnia fratres mei nolite iurare omnino. vtraque auctoritate iuramentum prohibemur præstare. Sed aliud est ad iuramentum sponte accedere, aliud vel ad asserendam innocentiam suam, vel ad fœdera pacis conseruanda, vel ad persuadendum auditoribus quando pigri sunt credere quod eis vtile est, iuramentum offerre. primum prohibetur, secundum conceditur. non enim iurare omnino peccatum est. VNDE in concil. Tolet. viij. legitur. *Iaco. 5. e.* *Cap. 2.*

Iuramentum pro fœdere pacis est faciendum. 1

OMne quod in fœdera pacis venit, tunc solidius consistit cum iuramenti hoc interpositio roborat. sed & omne quod amicorum animos conciliat, tunc fidelius durat cum eos sacramenti vincula ligant. omne enim quod testibus astipulatur, verius constat cùm id iurationis adiectio affirmat. quod & si testis deficiat: innocentis fidem sola iurisiurandi taxatio manifestat. ITEM Augustin. super epistolam ad Galatas. *August. lib. 1. de ser. do. in monte.*

Iuratio non est prohibenda, nec tanquam bonum appetenda. 2

NOn est contra præceptum dei iuratio, quæ à malo non iurantis est, sed increduli à quo iurare cogitur. Nam hic intelligitur ita dominum prohibuisse à iuramento, vt quantum in ipso est quisque non iuret, quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tanquam magnum & suaue aliquid. Nam vtique Apostolus nouit præceptum domini, & tamen iurauit. Non enim audiendi sunt qui has iurationes esse non putant. quid enim facient de illa iuratione, Quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro: quam Græca exemplaria manifestissimam iurationem esse ostendunt? Prohibemur ergo iurare cupiditate aut dilectione iurandi. quamuis enim iuramentum amplius sit quàm est est, vel non non, & ideo à malo sit, non tamen à malo tuo, sed infirmitatis aut incredulitatis eorum qui non aliter mouentur ad fidem. ITEM August. in epistola ad Publicolam *1. Cor. 15. d.* *Idem Augu. idē repetit in epist. 89. circa finem.* *Matth. 5 f.* *Epist. 154.*

Peierare peccatum est, non iurare. 3

IN nouo testamento dictum est ne omnino iuremus: quod mihi quidem propterea dictum esse videtur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est: à quo longè nos esse voluit qui omnino ne iuremus commonuit. IDEM. *Aug. ser. 28. de verbis apostoli.*

In necessariis verum iurare peccatum non est. 4

VT noueritis verum iurare non esse peccatum, inuenimus & apostolum Paulum iurasse: Quotidie morior per vestram

ſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu domino noſtro. Per gloriam veſtram, iuratio eſt, non enim ſic ait, per veſtram gloriam morior, quaſi veſtra gloria me fecit mori: quomodo ſi diceretur, per venenum, per gladium, per beſtiam, per inimicum mortuus eſt, intelligeretur faciente inimico, faciente gladio, faciente veneno mortuus eſt.

1. Cor. 15. d.

Aug. lib. 1.

IDEM de ſermone domini.

Nec tanquam bonum appetendum, nec tanquam malum iuramentum eſt euitandum. 5

ITa ergo præcepiſſe dominum intelligitur ne iuraretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat iuſiurandum & aſſiduitate iurandi ad periurium per conſuetudinem delabatur. quapropter qui intelligit non in bonis, ſed in neceſſariis iurationem habendam, refrænat ſe quantum poteſt, vt non ea vtatur niſi neceſſitas cogat: videlicet cùm videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis vtile eſt credere, niſi iuratione firmetur. Ad hoc vtique pertinet quod ſic dicitur: Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non. hoc bonum eſt & appetendum. quod autem amplius eſt, à malo eſt, id eſt, ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades: quæ infirmitas vtique malum eſt: vnde nos quotidie liberari precamur cùm dicimus: Libera nos à malo. Itaque non dixit: quod autem amplius eſt, malum eſt. tu enim malum non facis qui bene vteris iuratione. ITEM Auguſt. in ſermone domini in monte. lib. j.

Matth. 3. f.

Matth. 6. b.

To. 4. ibi.

Iurare non eſt peccatum. 6

TV malum non facis, qui bene vteris iuratione: quæ etſi nõ bona, tamen neceſſaria eſt vt alteri perſuadeas, quod vtiliter perſuades. ſed à malo eſt illius cuius infirmitate iurare cogeris. ITEM Hiero. ſuper Hieremiam.

Hiere. 13. d. In commẽta. ad ca. 4. Hier.

Per deum iurare permittitur, ne per idola iuretur. 7

ET iurabunt, viuit dominus, in veritate & in iudicio & in iuſtitia: & benedicent eum gentes, ipſumque laudabunt. Quomodo ergo euangelium iurare nos prohibet? Sed hic iuramentum pro confeſſione dicitur, & ad condemnationem idolorum per quæ iurabat Iſrael. denique offendicula auferuntur; & iuratur per dominum deum: quodque dicitur, viuit dominus, in teſtamento veteri: iuſiurandum eſt ad condemnationem mortuorum, per quos iurauit omnis idololatra. ITEM Hieron. ſuper Matth. lib. j.

Matth. 5. f. Hiero. in cõmen. ad ca. 5. Matt.

Infirmis iurare conceditur. 8

COnſidera quòd ſaluator non per deum iurare prohibuit, ſed per cælum & terram, & per Hieroſolymam, & per caput tuum, & hoc quaſi paruulis fuerat lege cõceſſum, vt quomodo victimas deo immolabant, ne eas immolarẽt idolis: ſic & iu-

& iurare permitterentur per deum, nō quòd rectè hoc facerēt, sed quòd melius est deo id exhibere, quàm dæmoniis.

ITEM ex concilio Carthaginensi iiij. Cap. 61.

Excommunicetur clericus per creaturas pertinaciter iurans. 9

CLericum per creaturas iurantem acerrimè esse obiurgandum: si perstiterit in vitio, excommunicandum: inter epulas verò cantantem, supradictæ sententiæ seueritate coercendū decernimus. ITEM Pius papa. Nouell. in 78. idem prohibet.

Clericus deponatur, laicus anathematizetur per capillum vel caput dei iurans. 10

SI quis per capillū dei vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra deum vsus fuerit: si in ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturas iurauerit, acerrimè castigetur: & iuxta id quod synodus diiudicauerit: pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium quin diuina condemnatione coërceatur: sed si episcopus ista emendare neglexerit, acerrimè corripiatur.

Quæritur quis magis teneatur, an ille qui per deum, an ille qui super sacra euāgelia iurat? Huic quæstioni Ioan Chrysost. respondet dicens. GRATIAN.

Non est maius per euangelium, quàm per deum iurare. 11

SI aliqua causa fuerit, modicum videtur facere, qui iurat per deum. qui autem per euangelium, maius aliquid fecisse videtur. quibus dicendum est. Stulti, scripturę propter deum factæ sunt, non deus propter scripturas. ITEM Hieron.

Non solùm in altari vel reliquiis, sed etiam in communi loquela periurium caueant. 12

HAbemus in lege dei scriptum: Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen dei tui in vanum. Ideo admonēdi sunt omnes, vt diligenter caueant periurium, nō solum in altari seu sanctorum reliquiis, sed etiam in communi loquela. Leuit. 19. b. In memoriis sanctorum iurari scribit Aug. epistola 137.

ITEM Isidorus sententiarum lib. ij. Cap. 31. li. 2. de summo bono.

Non prohibet deus iurare, sed peierare. 13

NOn est cōtra dei præceptum iurare, sed dum iurādi vsum facimus, periurij crimen incurrimus.

ITEM August. de verbis Apost. serm. xxviij. Tom. 10.

Iuratio non est peccatum. 14

SI peccatum esset iuratio, nec in veteri lege diceretur: Non peierabis: reddas autem domino iuramenta tua. Nō enim peccatum nobis præciperetur. Itē non vobis dicimus nos, non iurare. Si enim hoc dicimus: mentimur. quantum ad me pertinet, iuro: sed quantū mihi videtur, magna necessitate cōpulsus, cùm videro mihi non credi nisi faciam: & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit. hac perpensa ratione, & Leuit. 19. Matth. 5.

consideratione librata, cum magno timore dico, coram deo: aut, testis est mihi deus: aut, scit Christus quod sic est in animo meo: & video quia plus est, id est, quia amplius est, quàm est est, non non: sed hoc quod amplius est, à malo est non iurātis, sed non credentis.

GRATIA. 3. pars.

Ex præmissis colligitur quòd iurare non est peccatum: non tamen tanquam bonum est appetendū: ne cōsuetudine iurādi labamur in periurium. sed cùm dicatur procedere à malo non credentis, videtur quòd etsi iurare peccatum non sit, iuramentum tamen recipere malū sit. sed nomine mali nō malitia, sed peccati pœna intelligitur. ex pœnali enim infirmitate incredulitas illa processit, qua ad iurādum compellimur. ipsum autem iurare sicut peccatum non est: ita iuramentum ab aliquo recipere malum non est. VNDE Aug. scribit ad Publicolam.

Epi. 154.

Iuramentum accipere non prohibemur. 15

QVamuis dictū sit ne iurem⁹, nusquā me in scripturis sanctis legisse memini, ne ab aliquo iurationē recipiamus.

GRATIA. 4. pars.

Sed quæritur an sit vtendum fide eius qui per dæmonia iurat. De his ita scribit Aug. ad Publicolam.

Epi. eadē 154.

Licet vti fide eius qui vt eam seruet, per dæmonia iurat. 16

MOuet te vtrum eius fide vtendum sit, qui vt eam seruet, per dæmonia iurauerit. vbi te volo prius cōsiderare vtrū si quispiam per deos falsos iurauerit se fidē seruaturū, & eam non seruauerit, nō tibi videatur bis peccasse. si enim tali iuratione promissam seruaret fidem: ideo tamē peccasse iudicaretur: quia per deos falsos iurauerit se fidem seruaturū. illud autem nemo reprehenderet quia fidem seruauit. nūc verò quia & iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fidem, quod non debuit: bis vtiq; peccauit. ac per hoc qui vtitur fide illius quem cōstat iurasse per falsos deos, & vtitur non ad malum, sed ad bonum & licitum, non peccato illius se sociat, qui per dæmonia iurauit: sed bono pacto eius quo fidem seruauit: neq; enim hic eam fidem dico seruari qua fideles vocātur qui baptizantur in Christo. Illa enim longè alia est, longéq; discreta à fide humanorū placitorum atq; pactorum. Veruntamē sine vlla dubitatione minus malū est per deos falsos iurare veraciter, quā per deū verum fallaciter. quanto enim id per quod iuratur, magis sanctum est: tanto magis est pœnale periurium. Alia quæstio est, vtrum non peccet qui per falsos deos sibi iurari facit, quia ille qui ei iurat, iurat per falsos deos quos colit? Cui quęstioni possunt illa testimonia suffragari quę ipse commemorasti de Labā & Abimelech, si tamē Abimelech per deos suos iurauit, sicut Labā per deum Sochor. Sicut etiam cùm in libro Machabæorum Romani legantur pacē firmasse cū Iudæis, intelligendi sunt iurasse per falsos deos, sicut & Iudæi iurauc-

Gen. 21. d.
Gen. 31. f.
1. Mac. 8.

iurauerunt per deum verum: sic etiā & de iuramento quod fit per creaturas, intelligendum est quòd ipsum quidem iurare per creaturas malum est, quia à deo prohibitum: sed seruare quod iuratur, bonum est, vt euitetur peccatum mendacij & dolositatis

GRATIAN.

Sed obiicitur quòd Ioseph vir sanctus per creaturas iurauit, dum dixit fratribus suis:[a] Per salutem Pharaonis non exibitis hinc. Sed sciēdum est quòd sancti nō tam per creaturas, quàm per creatorem creaturarū iurabāt, nec in creaturis aliud, quàm creatorem ipsarum venerabantur: sicut Ioseph qui per Pharaonem iurādo, hoc in eo veneratus est, quòd dei iudicio positus erat in infimis. vnde apostolus ait: Omnis potestas à domino deo est. Item Christus Pilato: Non haberes in me potestatem, nisi esset tibi data desuper. Deus autē per creaturas iurare prohibuit, ne vel more gentilium aliquod numē deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne creaturas contemptibiles iudicando, per eas promissa pro nihilo duceremus. Sed quæritur quid grauius sit, an per creaturas, an per creatorem iurare fallaciter? Dupliciter enim reus est qui per creaturas iurat mendaciter: quia & contra prohibitionem iurat, per quod sibi iurare nō licet, à quo peccato est immunis, qui non nisi per creatorem iurat. & proximum dolo capit, quod facit etiam per creatorem mendaciter iurans, sed periuriū tanto magis pœnale est, quanto sanctius illud per quod iuratur apparet. quòd & si per creaturas mendaciter iurans dupliciter peccet: grauiori tamen se subiicit pœnæ qui per creatorem iurat mendaciter. Periurij autem pœna grauissima est: quam si quis timens ad confessionem venire noluerit, à fidelium consortio est abiiciendus.

Gen.42.c.

a Tertullianus probat hoc iuramentum in apologetico, reprobat autem iuramētum per genium principis, quod in ff. refertur l. si duo §. vlt. ff. de iureiurando. Sed Carolus magnus & illud in capitularibus prohibuit ne per salutem principis aut filiorum eius iuret. Antonius Cōtius.

Ro.13.a

Ioan.19.

5.pars.

VNDE Euticianus papa.

Fidelium consortio careat qui pœnitentiam periurij agere noluerit. 17

PRædicandum est etiam, vt etiam periurium fideles caueant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege, & in prophetis, & in euangelio prohibitum. Audiuimus autem quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodo periuris pœnitentiæ modum imponere, qui etiam nosse debent talem de periurio pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, & de homicidio spontè commisso, & de cæteris criminalibus vitiis. Si quis verò perpetrato periurio aut quolibet criminali peccato timens pœnitentiam longam ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellēdus est, siue à cōmunione & à consortio fidelium, vt nullus cum eo comedat neque bibat, neque in domo sua eum recipiat.

QVAESTIO II.

AN SIT PERIVRVS QVI IVRAT FALSVM QVOD PVTABAT VERVM.

QVòd autem periurium sit falsum iurare, facilè probatur. Ait enim Augustinus in libro psalmorum super Domini est terra.

Peierat qui aliter facturus est quàm promittit. 1

IN dolo iurat, qui aliter facturus est quàm promittit, cũ periurium sit nequiter decipere credentem.

Lib. 1. commen. ad ca. 4. Hiere. ITEM Hieronymus super Hiere. libro. ij.

Quos debeat habere comites iusiurandum. 2

ANimaduertendum est quòd iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atq; iustitiam. si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit, sed periurium.

GRATIN. Item qui falsum iurat, mentitur. mentiendo autem iurare, nihil aliud est quàm peierare. Cùm ergo omnes qui loquũtur mendacium, perdendi sunt, iuxta illud Psalmistæ: *Psal. 5.* Perdes omnes qui loquuntur mendacium. multo magis damnabiles sunt qui mentiendo peierare conuincuntur: quia nomen dei sui in vanum assumunt. Sed aliud est falsum iurare, aliud iurare in dolo. non enim omnis qui aliter facturus est quàm promittit, in dolo iurat. Licet enim apostolus aliter facturus esset quàm promitteret Corinthijs in prima epistola cùm ait, *1. Cor. 16.* Veniam ad vos: non tamen in dolo iurauit, aut mendaciter promisit. Ille enim in dolo iurat, aut mendaciter promittit, in cuius mente est non sic se facturum vt promittit. Ille autem qui promittit falsum quod putat esse verum, nec in dolo iurat, nec mendaciter promittit.

Tom. 10. VNDE Augustinus de verbis apostoli sermone. xxviij.

De eo qui iurat falsum quod putat verum. 3

HOmines falsum iurant vel cũ fallunt, vel cũ falluntur. Aut putat homo verum esse quod falsum est, & temere iurat. Aut scit vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat. & nihilominus cum scelere iurat. Distant autẽ ista periuria quæ duo cõmemoraui. Fac illũ iurare qui verum putat esse pro quo iurat: verũ putat esse, & tamẽ falsum est. nõ ex animo iste peierat. fallitur hic: pro vero habet quod falsum est, nõ pro re falsa sciẽs iurationẽ interponit. Da aliũ, scit falsum esse, & dicit verum esse, & iurat tanq̃ verũ sit quod scit falsum esse. Videtis q̃ ista detestãda sit belua, & de reb⁹ humanis exterminãda. Quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestãtur. Fac aliũ, putat esse falsum, & iurat tanquã verũ sit: & fortè verũ est. verbi gratia, vt intelligas. Pluit in illo loco, interrogas hominem, & dicit pluisse: & ad negocium eius cõpetit vt dicat pluit, sed

putat

putat non pluisse, periurus est. Interest quemadmodū verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit nisi rea mens.

,, Quia ergo mens huius non erat rea (nesciebat enim falsum GRATIA.
,, esse quod iurauit esse verum) nec temere vel negligenter, sed
,, cum magna diligentia videbatur sibi deprehendisse verum
,, quod iurauit falsum, periurij reus nequaquam est iudicandus.
,, Item quòd dicitur, qui falsum iurat mentitur, non vniuersali-
,, ter hoc intelligi debet. non enim omnis qui falsum dicit, men-
,, titur: sicut nec omnis qui mentitur, falsum dicit.

VNDE Aug. in Enchiridio. Cap. 21.

Non est mentiri dicere falsum quod putat verum. 4

IS autem qui mentitur, cōtra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtique verba propterea instituta sunt, non vt per ea se inuicem homines fallant, sed vt eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. Verbis ergo vti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatū est. Nec ideo vllum mendacium putandum est nō esse peccatum: quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. possumus enim & furando, si pauper cui palàm datur, sentit commodū, & diues cui clam tollitur non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit peccatum non esse. & infra. Nemo mentiens iudicandus est qui dicit falsum quod putat verum: quia quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaq; mendacij, sed aliquando temeritatis arguendus est qui falsa incautus credit, ac pro veris habet, potiusq; econtrario quantum est in ipso, ille mentitur qui dicit tanquam verum quod putat falsum. quantum enim ad animū eius attinet: quia non quod sentit, hoc dicit: non verū dicit, quāuis verū inueniatur esse quod dicit. nec vllo modo liber est à mēdacio qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaq; rebus ipsis de quibus aliquid dicitur, sed solà intentione dicentis: melior est qui nesciens falsum dicit: quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciēs gerit, nesciens verum esse quod dicit. ITEM Gelasius papa.

(margin: Cap. 18. eiusdem.)

Non mentitur qui animum fallendi non habet. 5

BEatus Paulus apostolus non ideo (quod absit) fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius, quoniam cū ad Hispanos se promisisset iturū, dispositione diuina maioribus occupat⁹ ex causis implere nō potuit quod promisit. quātū enim ipsius volūtatis interfuit, hoc pronūciauit quod reuera voluisset efficere. quātū enim ad diuini secreta cōsilij (quę vt homo omnia non potuit, licet spiritu dei plenus, agnoscere) superna prætermisit dispositione præuentus. Nec quia beatus Petrus apostolus pro affectu diuinæ reuerentiæ ipsi domino respōdit, Non lauabis mihi pedes in æternū, fefellisse (quod absit) aut in Ioan. 13. sua pu-

sua putabitur minimè cōstitisse sententia: quia mox eidem diuinæ volūtati cesserit, & quod se dixerat nō esse facturū, causis adstrictus humanę salutis passus est volūtate prona faciēdum.

GRATIAN. 2. pars. Ille ergo falsum iurando mētitur, qui scit falsum esse quod iurat. Est enim mendaciū (vt August. ait) falsa significatio vocis cum voluntate fallēdi. Sed cùm fallere semper sit volūtatis, falli autē vel infirmitatis vel temeritatis: grauius autē sit quod ex volūtate quàm quod ex temeritate vel infirmitate procedit: aliquando cōtingit falli vel nullum vel minimum esse peccatum: aliquando ex ipsa rerum varia cōsideratione minus esse fallere quàm falli. Cap. 21. VNDE idem Aug. in Enchiridio.

Falli in his quæ ad fidē non pertinent, aut paruū aut nullū est peccatū. 6

IN quibus rebus nihil interest ad capessendum regnum dei, vtrum credantur an non, & vtrum vera putentur an falsa, in his errare, & aliud pro alio putare non est arbitrandum esse peccatum: aut si est, minimum esse atque leuissimum. Enchir. cap. 18.

IDEM in eodem.

In his quæ ad fidem pertinent, grauius est falli quàm alios decipere. 7

IN ipsarum consideratione rerum quæ dicuntur, tantum interest (quia siue quis fallatur, siue mentiatur: vtcunque* falli quàm mentiri minus est malum) quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longè tolerabilius est in his quæ à religione fidei seiuncta sunt, mentiri: quàm in his sine quorum fide vel notitia deus coli non potest, falli.

*vbicunque.

GRATIAN. 3. pars. Psal. 5. Item quod dicitur, Perdes omnes qui loquuntur mendacium, non de omni mendacio intelligendum est. Sunt enim quædam mendacia, in quibus etsi sit aliqua culpa, non tamen damnabilia sunt: immo non tanquam mendacia habēda sunt. Sunt & alia mendacia quæ sunt grauioris culpæ, de quibus intelligitur: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Vt autem appareat quæ mendacia sunt venialia, & quæ damnabilia, distinguendum est quot sunt genera mēdacij. Cap. 14. DE quibus August. scribit in libro de mendacio.

Quot sunt genera mendacij. 8

PRimum est capitale mendacium, & longè fugiēdum: quod fit in doctrina religionis, ad quod mendaciū nulla cōditione quiuis debet adduci. Secundum, vt si aliquē lædat iniustè, quod tale est, vt nulli prosit, & obsit alicui. Tertiū, quod prodest alteri, ita vt obsit alteri: quamuis non ad immunditiā obsit corporalem. Quartum, sola mentiendi fallendiq; libidine, quod merum mendacium est. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaui eloquio. His omnibus penitus euitatis atq; reiectis, sequitur sextum genus, quod nulli obest, & prodest alicui: velut si quispiam pecuniam alicuius iniustè tollendam sciens, vbi sit nescire se mētiatur. Septimum ge-

tollen-

nus mendacij est, quod & nulli obest, & prodest alicui, velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur.

Octauum genus mēdacij est, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immunditia corporali aliquē tueatur. Non est igitur mentiendū in doctrina pietatis, quia magnū scelus est, & primum genus detestabilis mēdacij. Nō est igitur mentiēdum secundo genere: quia nulli facienda iniuria est. Nō est mentiēdum tertio genere, quia nulli cum alterius iniuria est consulēdum. Non est mentiendū quarto genere, propter mēdacij libidinem quæ per seipsam vitiosa est. Nō est mentiēdum quinto genere: quia nec ipsa veritas placēdi causa hominibus enuncianda est: quāto minus mendaciū, quod per seipsum quia mēdacium est, vtiq; turpe est. Nō est mentiendū sexto genere: neque enim rectè testimonij veritas pro cuiuscunq; tēporali cōmodo ac salute corrumpitur: ad sempiternā verò salutē nullus ducendus est opitulāte mendacio. Neq; septimo genere mentiendum est: nō enim cuiusquam commoditas aut salus tēporalis perficiendæ fidei præferenda est: nec se quisquam in rectò factis nostris tam malè moueri sentiat, vt fiat etiam animo deterior, longeq; à pietate remotior. Nec octauo genere mentiendum est: quia & in bonis castitas animę, pudicitiæ corporis præfertur: & in malis quod ipsi facimus, eo quòd fieri sinimus, nobis damnabilius est. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat cùm mentitur, quanto magis à primo recedit. Quisquis autem esse aliquod genus mendacij quod peccatum non sit, putauerit: decipiet semetipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitretur aliorum.

ITEM August. de verbis apostoli. — *Sermo. 29.*

Non licet alicui causa humilitatis mentiri. 9

CVm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mētireris, mentiēdo efficeris quod euitaras. Veritas autem ipsa in te nō est nisi te ita dixeris peccatorē, vt etiā esse cognoscas. veritas autem ipsa est vt quod est dicas. nam quomodo est humilitas vbi regnat falsitas? — *4. pars.*

ITEM Gregor. — *Cap. 2. lib. 26. ad ca. 34. Iob.*

De eodem. 10

INcauti sunt homines qui mendacio se illaqueant.

ITEM Augustinus super Ioannem. — *Cap. 18.*

Non licet alicui mentiri, vt arrogantia vitetur. 11

NOn ita caueatur arrogantia, vt veritas relinquatur.

IDEM in Enchiridio.

Non omne mendacium æquè peccatum est. 12

MIhi autem non absurdè videtur omne quidē mendacium esse peccatum. sed multū interest quo animo, & de quibus rebus quisq; mentiatur. non enim ita peccat qui cōsulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur, nec tātum

Cap.20. tomo.9.

nocet qui viatorem mentiendo in aduerſum iter mittit, quantum is qui viã vitæ mẽdacio fallente deprauat. ITEM Aug. in lib.de conflictu vitiorum atque virtutum.

Non eſt aliquo modo quilibet decipiendus. 13

Ad verſum Perdes omnes qui loquuntur.

NEc artificioſo mendacio, nec ſimplici verbo oportet quẽquam decipere: quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam. ITEM Auguſt.in.v.pſalmo.

Pro temporali vita alicuius perfectus mentiri non debet. 14

NE quis arbitretur perfectum & ſpiritualem hominẽ pro iſta temporali vita, morte cuius ſua vel alterius nõ occiditur anima, debere mẽtiri: quoniam aliud eſt mẽtiri, aliud eſt verum occultare. ſi quidẽ aliud eſt falſum dicere, aliud verũ tacere: vt ſi quis fortè non velit ad iſtam viſibilem mortẽ hominem prodere, paratus eſſe debet verũ occultare, nõ falſum dicere: vt neq; prodat neque mentiatur: nec occidat animã ſuam pro corpore alterius. Duo verò ſunt genera mendaciorum in quibus nõ eſt magna culpa, ſed tamen nõ ſunt ſine culpa, cùm aut iocamur, aut proximo cõſulendo mentimur.

Ibidem paulo inferius.

Illud autem primum in iocãdo ideo nõ eſt perniciioſum quia nõ fallit. nouit enim ille cui dicitur, cauſa iocandi fuiſſe dictum. ſecundũ autem ideo minus eſt, quia retinet nonnullã beneuolentiam. Illud verò quod nõ habet duplex cor, nec mendacium quidẽ dicendum eſt: verbi gratia tanquã ſi cui gladius cõmendetur, & promittat ſe redditurum cùm ille qui cõmendauerit popoſcerit, ſi fortè gladium ſuum repetat furẽs, manifeſtum eſt non eſſe reddendũ, ne vel ſe occidat vel alium: donec ei ſanitas reſtituatur. hic ideo non habet duplex cor: quia ille cui cõmendatus eſt gladius, cùm promittebat ſe redditurum poſcenti, nõ cogitabat furentem poſſe repetere. manifeſtum eſt nõ eſſe culpandum.

Li.contra mendacium cap.17.

Aliquando verum tacere, falſum autẽ dicere, non inuenitur ſanctis conceſſum. IDEM in libro de mendacio.

Noſtro peccato alterius ſaluti conſulere non debemus. 15

FAciat homo etiam pro temporali ſalute hominum quod poteſt, cùm autem ad hoc ventum fuerit, vt tali ſaluti niſi peccando conſulere non poſſit, iam ſe exiſtimet non habere quid faciat: quoniam id reliquum eſſe proſpexerit quod rectè faciat. ITEM Iſidor.in ſynonymis.

Iſidorus in dialogo hominis & rationis.

De eodem. 16

OMne genus mendacij ſummopere fuge: nec caſu nec ſtudio loquaris falſum, nec vt præſtes, mentiri ſtudeas: nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas. caue mendacium in omnibus. ITEM Auguſt.

Aug.lib.de mẽdacio cap.6.

De eodem. 17

Sapien.1.c.

SI quis ad te confugerit, qui de mendacio tuo poſſit à morte liberari, non es mentiturus. Os enim quod mentitur, occidit

cidit animam. cùm ergo mentiendo vita æterna amittitur: nunquam pro cuiusquam vita temporali mentiendum est.

ITEM August. in lib. quæstionum Gene. cap. xlv.

Quæst. 145. li. 1. Gene. 44. d.

Non reputantur mendacia cùm ea quæ non sunt, ioco dicuntur. 18

QVod autem ait fratribus suis Ioseph, Nesciebatis quia nō est in augurio homo qualis ego? *de hoc augurio etiā mandauit eis dicendum per hominem: quid sibi velit, quæri solet. At quia non serio, sed ioco dictum est, vt exitus docuit: non est habendum mendacium. mendacia enim à mendacibus serio aguntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt, tanquam sint ioco dicuntur: non deputantur mendacia. Sed in veteri testamento multa permittebantur, quorum exemplis hodie vti non licet. VNDE Gregor.

* *al. de augurio quo commendauit se eis dicēdo per hominē &c.*

Cap. 3. lib. 18. ad cap. 27. Iob.

Veterum exemplo mentiri non licet. 19

SI quis per vetus testamentum vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit: dicat necesse est rerum alienarum raptum, retributionem iniuriæ, quę infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse: quæ omnia cunctis liquet quanta animaduersione veritas insequitur: quæ nobis iam significationis suæ vmbra postposita, in vera carne declaratur. IDEM.

Cap. 2. lib. 18. ad cap. 27. Iob.

Obstetrices de pietate remuneratæ, de mendacio sunt punitæ. 20

SI quælibet culpa sequēti solet pia operatione purgari: quāto magis hæc facilè abstergitur quam mater boni operis pietas ipsa comitatur? Nonnulli verò ex obstetricum fallacia conantur asserere hoc mendacij genus non esse peccatum: maximè quia illis mentientibus scriptum est quòd ædificauit eis dominus domos. in qua magis recompensatione cognoscitur quid mēdacij culpa mereatur. nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui præmissa culpa mendacij in terrenam est recompensationem declinata.

Exod. 1. d.

GRATIAN.

Abraham quoque loquens ad pueros suos ait: Sedete hic cum asino: ego & puer illuc vsque pertrāsibimus: & cum adorauerimus, reuertemur ad vos: licet aliud se facturum deliberaret: tamen excusatur à mendacio. Vnde Ambr. in lib. de patriarchis. Prophetauit Abraham quod ignorabat. ipse solus disponebat redire immolato filio: sed dominus per os eius locutus est quod parabat. captiose autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negocio aut impediret eum aliquis, aut gemitu obstreperet aut fletu. Quandoq; aliquid iubendo significamus velle fieri, quod tamen fieri nolumus: sed experimentum obedientiæ quærimus: sicut Abraham à deo tentatus legitur, cùm iussus est immolare filium: quem dominus nolebat ab eo occidi. Vnde in eodem libro idem Ambr. Non enim volebat deus à patre immolari filium suum: nec impleri

Genes. 22. a.

Ambr lib. 1. de Abrahā cap. 8.

5. pars.

Gene. 22 a.

Lib. 1. de Abraham cap. 8.

pleri hoc munus volebat, qui ouem pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum patris, si dei præcepta præferret filio. & infra. *Ibidem.* Non iniicias (inquit) manum in puerum: neque facias illi quicquam. Affectum tuum inquisiui, non factum exegi. tentaui mentem tuam si etiam filio dilectissimo non parceres propter me. Non aufero quod ipse donaui: nec hæredem inuideo quem largitus sum non habenti.

In cõment epistolæ ad cap.2. ad Galat. ITEM Hieronymus.

Simulatio vtilis est, & in tempore assumenda. 21

VTilem simulationem & in tempore assumendam Iehu regis Israel nos doceat exemplum: qui cùm nõ potuisset interficere sacerdotes Baal nisi finxisset se idolum velle colere, *4.Reg 10.d.* dicens: Congregate mihi omnes sacerdotes Baal: rex Achab *1.Reg.21.d.* seruiuit ei in paucis: ego seruiam ei in multis. Et Dauid quando mutauit faciem suam coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit. nec mirum, quamuis iustos homines tamẽ aliqua simulare pro tempore ob suam & aliorum salutem: cùm & ipse dominus noster nõ habens peccatum nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit, vt cõdemnans in carne peccatum, nos in se faceret iustitiam dei.

GRATIAN. Ecce quæ mendacia sint venialia, & quæ damnabilia. Sed quæritur quare dicat August. non esse mentiendum pro temporali vita alicuius: *Gene.21.c.* cùm Abraham descendens in Aegyptum rogauerit Saram vt sororem eius se esse mentiretur, dicens: Noui quidem quòd pulchra sis mulier: & quòd cùm viderint te Aegyptij dicturi sunt, vxor illius est: & interficient me: seruabuntq; te. dic ergo obsecro te, quòd soror mea sis: vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Sed *Quæst.20. lib. 1. quæstionum.* Abraham non mendacium dici, sed verum taceri voluit.

VNDE idem August. ait in quæstio. Geno.

Quomodo Abraham excusatur à mendacio, quia Saram sororem suam esse dixit. 22

QVæritur cur patriarcha mentiri voluit, vt diceret Saram sororem suam: & non potius deo commisit: qui si vellet, eius pudicitiam apud Pharaonẽ seruare posset. Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici. soror enim dicitur, quia filia fratris erat. Et in hoc ostenditur quòd nemo debet tentare deum suum, dum habet quod rationabili consilio faciat. fecit quod potuit: quod non potuit, deo commisit, in *Gene.22.d.* quem sperauit: nec eum fides aut spes fefellit. si autem interrogatus vxorem illam suam indicaret: duas res deo committeret, & vitam suam, & vxoris pudicitiam.

GRATIAN. Item opponitur quòd Iacob mentiendo & sibi profuit, & *Gene.25.d.* alij nocuit: nec tamen reprehenditur, sed commendatur. Sed Iacob dicendo se esse Esau primogenitum, non est mentitus.

non

non enim dixit se esse primogenitum nascendo, sed ius primogenituræ illo vendente rite adeundo. sic & Christus Ioannem dixit esse Heliam: non persona, sed imitatione virtutis. [Matth. 11. b.] Erat ergo Iacob Esau non nascendo (vt diximus.) sed emptione primogenituræ: de non primogenito in primogenitũ trãseundo: sicut & ipse Esau primogenita vendẽdo de primogenito non primogenitus fieri meruit. Sic & Iudæi cùm essent filij Abrahæ carne, quia non fuerunt filij eius imitatione, non deputantur inter filios Abrahæ, sed dicũtur filij diaboli: cuius filij sunt non nascendo, sed imitando. vnde à domino audire meruerunt: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis. hoc Abraham non fecit. vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri facere vultis. Econtra gentiles cum secundum originem carnis ab Abraham essent alieni, tamen imitatione fidei & iustitiæ successerunt in filios Abrahę. Vnde ab apostolo dicitur eisdem: Si autem Christi, ergo Abrahæ semen estis. [1. Cor. 4. c.] Hinc idẽ apostolus scribẽs Romanis ait: O tu Iudæe si circuncidaris, nec legem eius obserues: circuncisio tua præputium facta est: quomodo & præputium si iustitias legis custodiat, in circumcisionem reputabitur. [Rom. 2. d.] Præfertur ergo (vt ex præmissis colligitur) imitatio operis origini carnis. veraciter ergo non mendaciter Iacob se dixit Esau esse: nec mentiendo, sed verum dicendo sibi profuit: alteri verò non nocuit: quia benedictionem sibi debitam accepit, nõ alienam surripuit. Episcopus verò iste de quo agitur, & si falsum iurauit: tamẽ quia (vt supra dictum est) ream linguam nõ facit nisi rea mens, nequaquam reus periurij habetur. Probatur hoc etiam exemplo Saulis: qui cum esset in castris pugnaturus contra Philistæos, iurauit se interfecturum quicunque ante solis occasum comederet. [1. Reg. 14.] Ionathas autẽ filius eius non audito regis iuramento, cum pugnando magnam hostium stragem dedisset, & salutem fecisset in Israel: fame laborãs vidit fauum mellis: quem regia virga quam gestabat in manibus accepit, & comedit: statimque oculi quos ferè fames clauserat, aperti sunt, & facies eius exhilarata est. quo cõperto Saul voluit eum dare neci: sed precibus & pia populi supplicatione placatus, mortis reuocauit sentẽtiam, ne interficeretur ille, per quem salus data erat in Israel: & quo pugnante, de manibus hostium populus ille liberatus fuerat. Ecce Saul falsum iurauit: quia quod iureiurando se facturum decreuit, precibus populi prouocatus non fecit. nec tamen periurij reus arguitur: quia quantum in ipso fuit, quod iurauit impleuit, dum sententiam mortis in filium dedit: quam non carnali affectu, sed populi supplicatione reuocauit.

QVAE-

QVAESTIO III.

AN LICVIT ARCHIDIACONO DENEGARE EPISCOPO CONSVETAM OBEDIENTIAM.

GRATIA.

CVm ergo (vt ratione & exemplo monstratum est) episcopus reus periurij non esset, consueta obedientia ab archidiacono sibi denegari non debuit: cum etiam si criminosum illum esse cõstaret: ante diffinitiuam tamen sententiam (vt supra monstratum est) nulli clericorum suorum ab eo liceret discedere. constat ergo illicitum esse quod archidiaconus iuramento firmauit: vnde merito quæritur an debeat seruari, vel non?

QVAESTIO IIII.

SI CONSTITERIT ESSE ILLICITVM QVOD IVRAVIT ARCHIDIACONVS, AN SIT SERVANDVM.

GRATIA. Cap. 2.

QVòd autem illicita iuramenta seruari non debeant, in Toletano concilio viij. legitur, in quo sic statutum est.

Melius est vota stultæ promissionis non implere, quàm crimen committere. 1

SI publicis sacramentorum gestis (quod deus auertat) à quibuslibet illicita vel non bona extitisset conditio alligata, quæ aut iugulare animam patris, aut gerere compelleret stuprum sacratissimæ virginis: nunquid non tolerabilius esset stultæ promissionis vota reiicere, quàm per inutilium promissorum custodiam, exhorrendam criminum implere mensurã?

Cap. 13. lib. 3. officiorum.

ITEM Ambrosius de offic. lib. j.

Aliquando non expedit promissum seruare sacramentum. 2

EST etiam contra officium nonnunquam promissum soluere sacramentum: vt Herodes qui iurauit quòd quicquid petitura esset, daret filiæ Herodiadis: necem Ioannis præstauit: ne promissum negaret. ITEM in sermone sancti Aug. episcopi de decollatione sancti Ioannis baptistæ, qui sic incipit: Cùm sanctum euangelium legeretur.

Matth. 14.

Serm. 11. de sanctis cuius principium est propter hunc.

Pietas fuit quòd Dauid Nabal sicut iurauerat non occiderit. 3

1. Reg. 25. d.

QVòd Dauid iuramentum per sanguinis effusionem non impleuit: maior pietas fuit, video Dauid pium hominem & sanctum in iurationem temerariam incidisse: & maluisse non facere quod iurauerat, quàm iurationem suam hominis fuso sanguine adimplere. ITEM.

Ibidem Augustinus.

De eodem. 4

IVrauit Dauid temere, sed non impleuit iurationem maiori pietate ductus. Ecce Dauid sanctus iuramento quidam astrictus non fudit sanguinem hominis: sed eum falsum iurasse negare quis poterit? De duobus peccatis minimũ elegit. sed minus

nus fuit illud in comparatione peioris. Nam per seipsum appensum, magnum malum est falsum iurare. ITEM Isidorus in synonymis libro secundo. *in cap. de voto reddendo.* *Isidorus in dialogo siue synonym.*

Turpia vota seruanda non sunt. 5

IN malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quòd incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio quæ scelere adimpletur. ITEM Beda in homil. xliiij. *Beda in natali decollationis sancti Ioannis.*

Non est obseruandum iuramentum, quo malū incautè promittitur. 6

SI aliquid fortè nos incautius iurare cōtigerit, quod obseruatū in peiorem vergat exitum: libere illud salubriori cōsilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum nobis quam pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Deum occidere Nabal virum stultum & impium, atque omnia quæ ad eum pertinebant, demoliri: sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam: neque aliquid culpæ se pro tali periurio contraxisse doluit. ITEM. *1. Re. 25.* *Beda ibidem.*

De duobus malis minus eligi oportet. 7

NOn solùm in iurando, sed in omni quod agimus, hæc est moderatio solicitius obseruanda, vt si in talem fortè lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possumus: illum potius euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus. ITEM Ambr. de officijs. *Cap. 12. lib. 3.*

Tolerabilius est iuramentū non implere, quàm quod turpe est facere. 8

VNusquisque simplicem sermonem proferat: vas suum in sanctificatione possideat: nec fratrem circunscriptione inducat verborum: nihil promittat inhonestum: aut si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. sæpe plerique cōstringunt se iurisiurandi sacramēto: vt cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramēti tamen contemplatione faciant quod spopōderunt: sicut de Herode supra scripsimus: qui saltatrici præmium quod turpiter promisit, crudeliter soluit. turpe est quòd regnū pro saltatione promittitur: crudele est quòd mors prophetæ pro iurisiurandi religione datur. quanto tolerabilius tali fuisset periurium sacramento: si tamen periuriū dici possit quod ebrius inter vina iurauerat: quod & iuratus inter saltantiū choros promiserat. Infertur disco prophetæ caput: & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentiæ fuit. Et post pauca de Iepte disserēs: Miserabilis, inquit, necessitas quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere, quàm vouere id quod sibi is cui promittitur nolit exsolui. Et post paululum. Non semper igitur promissa soluenda sunt omnia. denique ipse dominus (sicut scriptura in- *Mat. 14. c.* *Iud. 11.*

ra indicat) frequenter suam mutat sententiam.

ITEM ex eodem concilio Toletano.

Cap. 2. conc. Toleta. 8.

Incommutabilis deus quandoque sua mutat statuta. 9

INcommutabilis deus idemque semper existens, deiq; summa natura, sæpe sua in sacris literis legitur mutasse promissa, & pro misericordia tẽperasse sententiã. vnde licet sit impassibilis atq; incõmutabilis: crebrò tamẽ eius & iuramenta leguntur, & pœnitẽtia quæ sacris extant mysterijs adoperta. Iurare nanq; dei, est à seipso ordinata nullatenus conuellere. pœnitere verò, eadem ordinata cùm voluerit immutare. Sic enim per Hieremiam dicit: Repente loquar aduersum gentẽ, & aduersum regnum, vt eradicem & destruam & disperdam illud. si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo agam & ego pœnitentiã à malo quod cogitaui vt facerem eis. ITEM Aug.

Hiere. 18.

Cap. 7.

Sapientis est reuocare quod malè loquitur. 10

MAgnæ sapientiæ est reuocare hominem quod malè locutus est. ITEM ex concilio Hilerdensi.

Quæ pœna feriatur, qui illicitum iuramentum facit. 11

QVi sacramento se obligauerit vt litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat: pro periurio vno anno à communione corporis & sanguinis domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit ieiunijs absoluat. Ad charitatem verò quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet. IDEM.

Amb. ca. 12. li. 3. officiorum.

Non omnia promissa soluenda sunt. 12

NOn semper promissa omnia soluẽda sunt. deniq; ipse dominus frequenter suam mutat sententiam: sicut scriptura indicat. ITEM Isidorus sententiam lib. ij.

Ioan. 3.

Isido c. 31. li. 2 de summo bono.

De eodem. 13

NOn est obseruandum sacramentum quo malum incautè promittitur: veluti si quispiam adulteræ perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramẽtum, quàm permanere in stupri flagitio.

ITEM ex concilio Toletano cap. viij.

Cap. 2. conc. Toleta 8.

Malè iurans, pœnitentiam agat. 14

NEcesse est vt malè iurans dignam agat pœnitentiam: eo quòd nomen domini contra præceptum illius sumpsit in vanum: quia in Exodo scriptum est: Neque enim insontem habebit dominus eum qui sumpsit nomen domini dei sui frustra. ITEM & in Leuitico.

Exod. 22. b.

Leuit. 19. c.

De eodem. 15

NOn peierabis in nomine meo: nec pollues nomen dei tui. ego dominus. Malum tamen quod facturum sese sacramento deuouerat, omnino non faciat, quia stulta vota frangenda sunt. ITEM ex decreto Soteris papæ, cap. iij.

Beda id habet in festo decollatio. Ioan.

Iura-

Iuramentum quo malum incautè promittitur, non est seruandum. 16

SI aliquid fortè incautius nos iurasse contigerit, quod obseruatum in peiorem vergat exitum: illud salubriori consilio mutandum nouerimus: & magis instante necessitate peierandum nobis quàm pro facto iuramento in aliud crimē maius esse diuertendum. ITEM ex concilio Elibertano cap.j. *Iuo.lib.7.id refert de iuramēto.*

Temeritas emendetur, cùm incauta diffinitio soluitur. 17

DIffinitio incauta laudabiliter soluenda est: nec est prçuaricatio, sed temeritatis emendatio. ITEM.

Illicitum iuramentum non est seruandum. 18

ACtione quarta septimæ synodi Ioannes Apocrisarius Orientalium sedium dixit: Significat sermo patris nostri Sophronij, quod melius sit iurantem peierare, quàm seruare sacramentum in fractione sacrarum imaginum. hoc autem dicimus quia sacramento quidam se excusant. Tharasius patriarcha dixit: Quia pater Sophronius nouerat bonitatē dei: propterea transgredi voluit impium iuramentū. Item Tharasius patriarcha dixit. Herodes seruauit iuramentum, & perijt. Petrus verò negauit cum iuramento, & conuersus fleuit, & saluatus est. Omne enim peccatum bonus deus indulget, si quis ex toto corde pœniteat. Sancta synodus dixit. Sic docet sancta scriptura. Item Leontinus episcopus Phociæ dixit, Scriptum est: Iuramentum mendax ne diligatis. qua de causa iuramentum nostrum mendax dissoluatur, quasi nullam virtutem habens. ITEM Isidorus. *Zach.8.c.*

Non obseruentur iuramenta, quæ fiunt contra diuina mandata. 19

SI quis præuentus fuerit vt diffiniat agere aliquid eorū quę non placent deo, pœnitentiam agat: & quod cōtra mandatum domini statutum est, in irritum reuocetur. Item Hieronymus in libro de natura rerum. Tribus siquidem modis iuramenta contracta soluēda sunt. Primò, cùm quis malè iurat. Secundò, cùm quis incautè iurat non putans hoc esse peccatum. Tertiò, si pueri vel puellę in domo parentū se iuramēto cōstrinxerint, patribus postquā audierint, contradicentibus.

Ecce quòd iuramenta illicita laudabiliter soluuntur, dānabiliter obseruantur: quod tunc intelligendum est quando iuramentum illicitum deseritur, vt ad bonum redeatur. cæterū si propterea deseritur, vt in aliud malum transeatur: illicitum sacramentum damnabiliter seruatur, sed damnabilius contēnitur. VNDE Augustinus de bono coniugali, *GRATIAN. 2.pars.* *Cap.4.*

Non est appellanda fides, quæ ad peccatum faciendum admittit. 20

SI ad peccatum admittendum fides exhibeatur: mirum est si fides appelletur. veruntamen qualiscunque sit, si & contra ipsam fit, peius est, nisi cùm propterea deseritur, vt ad fidē veram legitimamq́ue redeatur, id est, vt peccatum emendetur

volun-

voluntatis prauitate correcta: tanquam si quis cum hominem solus expoliare non possit, inueniat socium iniquitatis, & cum eo paciscatur vt simul id faciant, spoliumque partiantur: quo facinore commisso totum solus auferat: dolet quidem ille, & seruatam sibi fidem non esse conqueritur. verum in ipsa sua quærela cogitare debet potius in bona vita ipsi humanæ societati fidem fuisse seruandam, ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quàm iniquè sibi in peccati societate seruata nõ fuerit. ille quippe vtrobique perfidus, ac profecto sceleratior iudicandus est. ITEM.

Aug ibidem ca. 4. li. de bono cõiugali.

Si propterea fides non seruatur, vt ad bonum redeatur, non ideo violari dicitur. 21

MVlier si fide coniugali violata fidem seruet adultero, vtique mala est, sed si nec adultero, peior. porrò si eam flagitij pœniteat, & ad castitatem rediens coniugalẽ, pacta ac placita adulterina rescindat: miror si eam fidei violatricẽ vel ipse adulter putabit.

GRATIAN. Ex his itaque apparet, quòd si quisquam (vt diximus) illicitum iuramentum non seruauerit, vt in aliud malum perniciosum declinet: tanto grauius delinquit, quanto dãnabilius accumulantur peccata peccatis. Si autem propterea deseritur, vt ad bonum redeatur: nihil culpæ pro tali periurio cõtrahitur? potius deflendum est si in aliquo illius iuramẽti occasione nos deliquisse contigerit. Vnde Augustinus scribit Seuero Mileuitano episcopo consulenti de quodam Hubaldo, qui à consanguineis cuiusdam pellicis coactus fuerat iurare se illam ducturum in coniugem, nec matri suæ vel fratribus vlterius necessaria ministraturum. Rescribit ergo beatus August. (vt diximus) Seuero Mileuitano episcopo ita dicens.

De quodam Hubaldo qui iurauit se non ministraturum necessaria matri & fratribus. 22

INter cætera (vt rogaueras) à patre nostro Ambrosio quęsiui quid tibi charissime agendum sit de Hubaldo parœciano tuo, qui captus & timore necis impulsus suę concubinæ iuramẽto firmauit ipsam in coniugẽ suscipere, propriáq; matrem cum fratribus de domo expellere, nihilq; eis alimoniæ vnquã impendere, quia verò quam prius concubinã habuerat, nõ est peccatũ in coniugẽ suscipere: matrimonium sit in deo firmũ & stabile. porrò iuramẽtum non ob hoc fuisse institutum inuenitur, vt esset vinculum iniquitatis, vel matricidij, vel fratricidij, seu cuiusq; criminis: nec credo sacramentũ ad hoc debere fieri, vt iniusta oratio suorum bonorum sit iniustè iurãtibus expoliatio, & accipienti æterna dãnatio. periurij nanque percutitur pœna, & velut homicida in extremo examine à iusto iudice degrandinabitur, per quem sacrosanctũ euangeliũ ad iniu-

ad iniustum & illicitum,& deo minimè amabile quasi testimonium iustæ & humanæ petitionis adducitur. Foueat itaq; Hubaldus matrem & fratres,& lugeat si coactione & timore iuramenti aliquid defuit matri. Qui verò eum iurare coegerunt quod non debuit,reatu periurij impliciti teneantur. Iniuria quippe iniustè irrogata eius est infamia qui facit,nec enim vllo modo ad opprobrium coactæ voluntatis trahitur, quod illicita conditio necessitatis extorsit.

Sed cum his omnibus illicita iuramenta non seruāda probentur,opponitur quòd Iosue Gabaonitas cōtra præceptum domini non deleuerit , quia seniores Israel iuramento cū eis pacem firmauerant Sed notandum est quòd seniores Israel & si scirent à domino esse imperatum vt delerent gentes terræ promissionis,decepti tamen à Gabaonitis nesciebant eos esse incolas terræ sibi promissæ. Venerunt enim (vt historia refert)attritis calciamentis,& cum aridis panibus,dicentes: Viri pacifici,venimus de terra longinqua.calciamenta sunt attrita in pedibus nostris,panis defecit in sitarciis nostris,audiuimus dominum esse vobiscum,& venimus componere pacem.Quod verbum placuit senioribus Israel, & fecerunt pacem cum eis.Post diem verò tertium cùm filij Israel appropinquarent Gabaonitis,occurrerunt eis quibus iurauerant seniores Israel:illi autem videntes se esse deceptos , voluerunt delere eos:sed pepercit eis Iosue propter iuramentum seniorum Israel. VNDE Ambrosius in libro de officiis. — GRATIAN. 3. pars. Iosue. 9. c. Cap. 10. li. 3.

Quædam licet à Deo prohibeantur,tamen iuramento firmata non sunt seruanda. 23

INnocens credit omni verbo.non vituperanda facilitas,sed laudanda bonitas : hoc est innocentem esse , ignorare quid noceat.etsi circunscribitur ab aliquo, de omnibus tamen iudicat,qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis suæ dote inclinatus Iesus vt crederet Gabaonitis,testamētum disposuit,pacem dedit,confirmauit societatem , sed vbi in terras eorum est ventum,deprehensa fraude quòd cum essent finitimi,aduenas se esse simulauerunt:circūscriptū se populus patrū indignari cœpit.Iesus tamē pacē quā dederat, reuocandam non censuit,quia firmata erat sacramenti religione:nedum alienam perfidiam redargueret,suam fidem solueret.mulctauit eos,meliori tamen obsequio ministerij. clemētior enim sententia,sed diuturnior.

Illicitum ergo iuramentum quod seruari prohibetur , intelligendum est quod scitur esse illicitum dum iuratur. si autem nescitur illicitum esse,ipsa ignorantia excusat, si putetur illicitum esse non ex ignorantia iuris,sed facti. Aliud enim est,si alicuius copula creditur esse licita,quia nescitur esse cō — GRATIAN.

ſanguinea, vel quia creditur eſſe vidua: aliud ſi ideo putatur licita, quia conſanguinearum coniunctio vel relictarum copula nullo iure credatur eſſe prohibita. hic enim eſt ignorantia iuris, quæ neminem excuſat, niſi cui permittitur ius ignorare: ibi verò ignorantia facti, qua quiſque verè excuſatur. Seniores autem Iſrael non ignorabant gentes terræ promiſſionis ex præcepto domini eſſe delendas: ſed ignorabant Gabaonitas eſſe incolas terræ promiſſionis. ignorabant ſiquidem factum, ſed non ignorabant ius facti: atque ideo etſi illicitum eſſet quod iurauerunt, tamen licitè ſeruari debuit quod iuramento firmauerunt. Quòd autem illicitum iuramentum ſeruari prohibetur, non eſt generaliter intelligendum. Iuramentum nanque (vt Hieronymus teſtatur ſuper Hieremiam) debet habere tres comites: veritatem, iudicium, & iuſtitiam. vbi autem iſta defuerint: non eſt iuramentum, ſed periurium. Vnde datur intelligi illicitum eſſe iuramentum, cui aliquod iſtorum defuerit: non tamen cuicunque contigerit aliquod iſtorum deeſſe, prohibetur ſeruari. aliquando nanq; iuramento deeſt iuſtitia, veluti cùm quiſpiam poſt votum caſtitatis ducit vxorem, iuramento firmans nunquam ſe ab ea diſceſſurum: quod quanuis illicitum ſit, quia iuſtitia ſibi probatur deeſſe: tamen auctoritate Auguſtini ſeruari præcipitur. hoc autē ſi quis contendat prærogatiua coniugij non propter religionem iuriſiurãdi ſeruari, animaduertat Gabaonitas ob ſolam religionem contra domini imperium reſeruatos. Cùm ergo omne domini præceptum iuſtum ſit, patet ei iuſtitiam deeſſe, quod eius præcepto contrarium inuenitur. Iudicium quoque aliquando iuramento conſtat deeſſe, veluti cum propria temeritate aliquis ductus iurat ſe manducaturum & bibiturum. hoc quanuis leuitate indiſcreta illicitum probetur, non tamen ideo violari iubetur. Iuramentum itaque multipliciter illicitum intelligitur. Etenim illicitum aliquando ex eo quod iuratur, aliquando ex cauſa extrauenienti, aliquando ex modo iurandi. Ex eo quod iuratur, tunc eſt illicitum iuramentum, quando id quod iuratur, in ſui natura vitioſum eſt, vel vitam adimens, vt adulterium, homicidium, & his ſimilia: vel reparari non permittens, veluti cum inimico ad pacē non redire, indigenti miſericorditer non ſubuenire. iſta quia perſpicuam in ſe habent iniuſtitiam, & ſi iuramento firmētur, tamen ſeruari non debent. circa hæc vtique iuramenta intelligenda ſunt quæ de illicitis iuramentis non obſeruandis ſuprà ſtatuta leguntur. Quiſquis ergo ſe iuramento firmauerit aliquid facturum, quo vel corporalis, vel ſpiritualis ſalus adimatur, vel ſine quo vtraque ſalus reparari vel cõfirmari non poſſit, fidem promiſſam ſeruare prohibetur: quorum exem-

pla præ-

pla præmissæ auctoritates subiiciunt, dum eum qui homicidium facere, vel alimẽta matri & fratribus non subministrare, in adulterio permanere, vel ad pacem cum aduersario non redire, iuramentum præstando promiserit: salubriori consilio illicita vota obseruare non permittunt. Est etiam id quod iuratur, aliquando vitiosum non in natura sui: sed ex causis extrauenientibus: veluti cùm aliquis post votum castitatis iurat alicui se habiturum eam in coniugem, coniugem nanque habere, in seipso malum non est: tamẽ huic ex voto perniciosum est. hoc autem iuramentum etiam si illicitum sit, non tamen seruari prohibetur, sed de violatione voti pœnitentia sibi iubetur indici. Ex modo iurandi tunc est illicitum iuramentum, quando inconsideratè & incircunspectè aliquid iuratur, quo nec corporalis, nec spiritualis salus adimatur: & sine quo vtraque salus reparari, & vita conseruari valet: veluti dum aliquis à parentibus coactus, vt clericatus tonsuram, vel religionis vestem suscipiat, se neutrum facturum iuramento firmauerit: hoc quanuis aliquibus videatur reprehẽsibile, quia opus charitatis iuramento se non facturum promisit, nulla tamen auctoritate seruari prohibetur: quia etsi nunquam clericatus tonsuram, vel religionis vestem suscipiat, non tamen ideo minus salutem promereri valet: cùm nonnulli in laicali habitu sanctissimi & deo dilecti inueniantur. quo exemplo euidenter datur intelligi quotiens aliquis iurat se non facturum aliquid, quo expeditior sibi via præparetur ad beatitudinem, dummodo sine eo valeat salutem inuenire: quod iuramentum non prohibetur seruare. Vnde cùm nos iuramus non daturos aliquid alicui, sine quo vtraque salus eius potest esse incolumis, etsi aliqua ex ea sibi commoditas præstaretur: nulla tamen auctoritate iuramentum seruare prohibemur: dũmodo sit nobis alia via necessitatibus eius subueniendi.

QVAESTIO V.

SI CONSTITERIT IVRAMENTVM SERVANDVM ESSE, AN EPISCOPVS SIT REVS PERIVRII QVI CONTRA IVRAMENTVM ARCHIDIACONVM SVVM IRE COMPELLIT.

QVòd autem quinto loco quæritur, si licitũ esset quod archidiaconus iurauerat, an episcopus esset reus periurij, qui ad peierandum archidiaconum cogebat, facilè potest discerni. si enim consentiens pari pœna cum faciente puniendus est: multo magis ille qui cogit, reus admissi criminis probatur. GRATIAN. VNDE Pius papa ait.

Qui peierare compellit, & qui compellitur: periurus vterque probatur. 1

QVi compulsus à domino sciens peierat, vtrique sunt periuri, & dominus & miles. Dominus quia præcepit: miles, quia plus dominum quàm animam suam dilexit. Si liber est. xl. dies in pane & aqua pœniteat, & septem sequentes annos. Si seruus eiusdem, tres quadragesimas & legitimas ferias pœniteat. ITEM.

Pœnitentia eius qui in manu episcopi aut in cruce consecrata peierat. 2

QVi peierat se in manu episcopi, aut in cruce consecreta, tres annos pœniteat. si verò in cruce non consecrata, annum vnum pœniteat. qui autem coactus fuerit, & ignorās se peierauerit, & postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat. ITEM ex pœnitentiali Theo.

Qua pœna sit feriendus qui necessitate coactus periurat. 3

SI quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate periurat: quia plus corpus quàm animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat. Alij verò iudicāt tres annos, vnum ex his in pane & aqua. ITEM Gelasius papa.

Qui peierat, & alios peierare facit: qua pœna sit feriendus. 4

SI quis peierauerit, & alios sciens in periurium duxerit. xl. dies pœniteat in pane & aqua, & septem sequentes annos: & nunquam sit sine pœnitentia, & alij (si conscij fuerint) similiter pœniteant. ITEM Augu. in sermone de decollatione sancti Ioannis.

Ser. 11. de sanctis.

Homicidam vincit, qui sciens ad periurium hominem compellit. 5

ILle qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imò duas animas, & eius animam quem iurare prouocauit, & suam. scis verum esse quod dicis, & falsum quod ille dicit, & iurare compellis. ecce iurat, ecce peierat, tu quid inuenisti? imò & tu peristi, qui de illius morte satiari voluisti. IDEM in sermone de periuriis.

Aug. ser. 28. de verbis domini.

Non peccat qui iuramentum exigit ab eo quem nescit falsum iurare. 6

QVi exigit iurationē, multum interest si nescit illum iuraturū falsum, an scit. si enim nescit, & ideo dicit, iura mihi: vt fides ei sit, non est peccatum, tamen humana tētatio est. si autem scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicida est. Ille enim se suo periurio interimit: sed iste manū interficientis & impressit & pressit. ITEM ex concilio Magotiensi. a

a Maguntinen.

Vsque ad extremum vitæ non communicet, qui alios ad periuria trahit. 7

SI quis cōuictus fuerit alios ad falsa testimonia vel periuria attraxisse, vel quacunque corruptione solicitasse, ipse quidem

dem vsque ad exitum vitę non communicet, ij veró qui ei in periurio consensisse probantur, postea ab omni testimonio sunt remouendi, & secundum legem infamia notabuntur. Item, qui audit aliquem falsum iurare, & tacet: delinquit. 2. pars.

VNDE Augustinus ait in quæstionibus Leuitici cap. j. Anima quæ audierit vocem iurantis falsum &c. Quæst. 1. ad ca. 5. Leuitici.

Cui sit indicandum falsum quod ab aliquo iuratur. 8

HOc videtur dicere, peccare hominem quo audiente iurat aliquis falsum, & scit eum falsum iurare, & tacet. tũc autẽ scit, si eius rei de qua iuratur testis fuit, aut vidẽs, aut cõscius fuerit, id est aliquo modo cognouit, aut oculis suis cõspexit, aut ille ipse qui iurat, illi indicauit. ita enim potuit esse conscius. sed inter timorẽ huius peccati, & inter timorem huius proditionis hominũ, nõ parua existit plærunq; tentatio. Possumus enim paratũ ad periurium admonendo vel prohibẽdo à tã graui peccato reuocare. Sed si nõ audierit, & corã nobis de re quã nouimus, falsum iurauerit: vtrũ prodẽdus sit, ita vt proditus etiã periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia hic nõ expressit cui hoc indicandũ sit, vtrum illi cui iuratur: an sacerdoti cuipiam qui non solũ eum persequi non potest irrogando suppliciũ, sed etiã orare pro illo potest? videtur mihi quod se ab hoc peccati absoluat vinculo, si indicet talibus qui magis prodesse possunt quàm obesse periuro: siue eum corrigendo, siue deum pro eo placãdo, si & ipse confessionis sibi adhibeat medicinam. Si ergo iste (vt suprà dictum est) qui audit falsum iurare & tacet, delinquit: multo magis ille reus est qui ad peierandum aliquem compellit. 3. pars. GRATIA.

Quæritur de eo qui verborum calliditate se circumuenire putat illum cui iuramentum defert, an sit reus periurij, nisi seruauerit quod iurasse creditur. DE hoc ita scribit Isidorus sententiarum libro. ij. Isido. c. 31. libri 2. de summo bo.

De eo qui calliditate verborum iurat. 9

QVacunque arte verborum quis iurat, deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. dupliciter autem reus fit: quia & nomen dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. ITEM ex sermone sancti Augustini. Ser. 28. de verbis Apostoli.

Periurus est qui super lapidem falsum iurat. 10

ECce dico charitati vestræ, & qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico? quia multi etiam in hoc falluntur, & putant quia nihil est per quod iurant, non se crimine teneri periurij. prorsus periurus es: quia per id quod sanctum non putas, falsum iuras. si tu illud sanctum non putas, sanctum puta cui iuras. non enim quando iuras, tibi aut lapidi, sed proximo tuo iuras. homini iuras ante lapidem, sed nunquid

quid non ante deum? non te audit lapis loquentem, sed punit te deus fallentem.

Cap.7.lib.26. in Iob.

Sed obiicitur illud Gregorij in xxvj. lib. moralium.

Apud dominum verba nostra non ex ore, sed ex corde procedunt. 11

HVmanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. diuina verò iudicia talia foris audiũt, qualia ex intimis proferuntur. certè nouerit ille qui intentionem & voluntatẽ alterius variis explicat verbis, quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatẽ & intentionem: quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.

GRATIAN.

Si ergo diuina iudicia verba nostra talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur, si intentio nõ debet seruire verbis, sed verba intentioni: patet quòd deus non accipit sic iuramẽtum sicut ille cui iuratur: sed potius sicut qui iurat intelligit, cum recipienti non ex intimis, sed ex his quæ proferuntur foris verba nostra sonent. Item obiicitur, qui iurat super lapidem putans se iurare super sacrosancta euangelia, perinde tenetur ac si super euangelia iurauerit: licet ille cui iurat, ideo super lapidẽ illum iurare fecerit, ne non seruando quod promittit, reatu periurij teneatur. Item obiicitur illud de ciuibus qui credunt se iurare obedituros consulibus suis in omnibus quæ sibi imperata fuerint pro honore suæ ciuitatis. ne verò obedientiam recusantes, reatu periurij illaqueentur, supponitur breue iuraturis in quo aliud continetur quàm se iuraturos arbitrentur: videlicet ne Padum in Nilũ conuertant, vel aliquid huiusmodi faciant. Si ergo contra hoc quod se iurasse crediderant, consulibus suis obedientiam denegarent, nunquid secundum intentionem recipientis, an potius secundum intentionem iurantis iuramentum deus illud acciperet? Item si innocens de adulterio vel furto impetitus, innocentiã suam vellet asserere, iuraret autem se ab obiectis sic esse immunem, sicut in breui illo continetur, quod manibus suis se scripsisse arbitratur: contineatur autem in illo hunc reum esse obiectorum, nunquid à domino periurus reputabitur? aut nunquid poterit argui se iurasse adulterij, aut furti reatum incurrisse? Non. Hinc etiam Ioannes Chrysostomus ait.

Inter iuramentum & locutionem fidelium nulla debet esse differentia. 12

IVramenti huiusmodi causa est, quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, vt quod verum est loquatur. Et ideo dominus inter iuramentũ & loquelam nostram, nullã vult esse distantiam: quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium: quia vtrunq; & periuriũ & mendacium diuini iudicij pœna damnatur, dicente scriptura: Os quod mentitur, occidit animam.

Sapien.1. Prou.14.

Quis-

Quisquis ergo verum loquitur, iurat, quia scriptum est: testis fidelis non mentietur.

IDEM.

Antequam aliquis iuret peierat, si contra conscientiam iurare parat. 13

QVi peierare paratus est, antequam iuret, iam periurus esse videtur: quia deus non ex operibus iudicat, sed ex cogitationibus & ex corde.

GRATIAN.

Ex his omnibus colligitur, quòd iuramenta secundum intentionem præstantis non recipientis à deo iudicantur. quomodo ergo secundum Isidorum quacunque arte verborum quis iurat, deus sic accipit, sicut ille cui iuratur intelligit? Sed sicut aliud est callida arte verborum iurare, aliud simpliciter intentionem suam iurãdo enunciare: sic aliud est simplici intentione iuramentum factum recipere, aliud in repiendo calliditate vti: quia sicut quisquam apud deũ non valet aliquem lædere, sic nec præter eius intentionem valet quis alicui subuenire. deus autem duplicitatis aspernator simplicem intentionem vtriusque considerat: & tam ex parte recipiẽtis, quàm ex parte præstantis verborum artem aspernatur & odit. De ætate verò iurantium quæritur, qua ætate quisque ad iurandum debeat cogi. de quo in primo libro Capitularium sic inuenitur diffinitum.

4. pars.

Ante rationabiles annos aliqui non cogantur iurare. 14

Iuo id refert lib. 8. de iuram.

PAruuli qui sine ætate rationabili sunt, nõ cogantur iurare: & qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, nec alterius iurator existat. ITEM ex concilio Elibertano.

Iuo ibidem continuò.

Ante quatuordecim annos nullus iurare cogatur. 15

PVeri ante annos quatuordecim non cogantur iurare, puella quoque si in puerili ætate sita in domo patris illo nesciente iuramento se cõstrinxerit, & pater eius vt audierit, statim contradixerit, vota eius & iuramenta irrita erunt, & facilius emendabitur. ITEM Cornelius papa.

Iuo ibidem refert.

De eodem: & vt à ieiunis iuramenta præstentur. 16

HOnestum etiã videtur vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate, & timore dei, & vt pueri ante annos quatuordecim non cogantur iurare. Præterea sunt quædam tempora quibus iurare prohibemur.

VNDE in concilio apud sanctum Medardum habito.

Quibus temporibus iurare prohibemur. 17

DEcreuit sancta synodus, vt à septuagesima vsque in octauam Paschæ, & ab aduentu domini vsque in octauã Epiphaniæ, necnon & in ieiuniis quatuor temporũ, & in litaniis maioribus, & in diebus dominicis, & in dieb' rogationũ (nisi de con-

de concordia & pacificatione) nullus super sacra euangelia iurare præsumat.

GRAT. 5. pars. Inoli. 8. id refert de iuramentis. Hoc caput Obertus in suos libros feudales transtulit.

De forma verò fidelitatis, & quid quis debeat domino, vel econuerso, sic inuenitur in epistola Philiberti episcopi.

Quæ in fidelitate sunt seruanda. 18

DE forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hæc vobis quæ sequuntur breuiter ex librorũ auctoritate notaui. Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex semper in memoria debet habere: incolume, tutum, honestũ, vtile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damnum de secreto suo vel de munitionibus per quas tutus esse potest. Honestũ, ne sit ei in dãnũ de sua iustitia vel de aliis causis quæ ad honestatẽ eius pertinere videntur. Vtile, ne sit ei in damnum de suis possessionib⁹. Facile vel possibile, ne id bonũ quod dominus suus facere leuiter poterat, faciat ei difficile, néve id quod possibile erat reddat ei impossibile. vt fidelis hæc documenta caueat, iustũ est. Sed quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat id quod bonum est: restat vt in eisdem sex supradictis consilium & auxilium domino suo fidele præstet, si beneficiis dignus videri vult, & saluus esse de fidelitate quam iurauit. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicẽ reddere debet. quod si non fecerit, meritò censebitur malefidus: sicut ille qui in eorũ prçuaricatione vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus & periurus. Augustinus.

De eodem. 19

SI quis laicus iuramẽtum violando prophanat quod regi & domino suo iurat, & postea peruersè & dolosè eius regnũ tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur: quia sacrilegiũ peragit, in Christũ dominũ manũ mittens anathema sit, nisi per dignã pœnitentiæ satisfactionem emendauerit, sicut constitutũ à sancta synodo est, id est seculum relinquat: arma deponat, in monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ: veruntamen cõmunionem in exitu vitæ suæ cum Eucharistia accipat. episcopus, presbyter, diaconus, si hoc crimen commiserit, degradetur.

6. pars. GRAT.

Vt itaq; ex præmissis apparet, mendaciũ nec in simplici sermone debet proferri, nec iuramẽto firmari. Mendacium autem non solùm in verbis, sed etiã in simulatis operibus esse probatur.

VNDE Ambr. in sermone habito in dominica de Abrahã.

Mentitur qui professionem suam operibus non ostendit. 20

CAuete fratres mendacium: quia omnes qui amant mendacium, filij sunt diaboli. Non solùm in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est. mẽdacium nanq; est

est se Christianum dicere, & opera Christi non facere. mendacium est episcopum sacerdotem vel clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari. ITEM Hieronymus.

Quotiens sermo malus de ore nostro procedat. 21

QVotiens verò loquimur, aut non in opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non vt conuenit audientibus: totiens sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum qui audiunt. consideremus itaque quid loquamur: quia pro omni ocioso verbo reddituri sumus rationem in die iudicij. Iuramentum verò clericus laico pręstare non debet. VNDE in Remensi concilio legitur. *7. pars. Ivo lib. 5. de cle. infra refert.*

Cuiquam laico clericus nihil iurare præsumat. 22

NVllus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam super sacra euangelia iurare præsumat, sed simpliciter cũ veritate & puritate dicat, est est: non non. sed si est aliquid quod sibi obijciatur, prout iudicauerint qui eiusdẽ ordinis sunt, aut corrigatur, aut expurgetur.

GRATIA. Episcopo similiter clericus iuramentum pręstare non debet, nisi fortè is cui ecclesiæ procurationem committit. VNDE Vrbanus secundus ait.

De eodem. 23

NVllus episcopus clericos suos (nisi fortè quibus ecclesiasticarum rerum dispensatio commissa fuerit) sibi iurare compellat.

CAVSA XXIII.

GRATIAN. QVIDAM episcopi cum plebe sibi commissa in hæresim lapsi sunt, circumadiacentes catholicos minis & cruciatibus ad hæresim compellere cœperunt, quo cõperto apostolicus catholicis episcopis circumadiacentiũ regionum qui ab imperatore ciuilem iurisdictionem acceperant, imperauit vt catholicos ab hæreticis defenderent, & quibus modis possent eos ad fidei veritatem redire cõpellerent. episcopi hæc mandata apostolica recipientes, conuocatis militibus apertè, & per insidias contra hæreticos pugnare cœperunt. tandẽ nõnullis eorũ neci traditis, aliis rebus suis vel ecclesiasticis expoliatis, aliis carcere & ergastulo reclusis, ad vnitatẽ catholicę fidei coacti redierũt.

Hic primum quæritur, an militare peccatum sit? 1

Secundò, quod bellum sit iustũ, & quomodo à filijs Israel iusta bella gerebantur? 2

Tertiò, an iniuria sociorum armis sit propulsanda? 3

Quartò, an vindicta sit inferenda? 4

Quintò, an sit peccatum iudici vel ministro eos occidere? 4

Sextò, an mali sint cogendi ad bonum? 5

 Septimò,

7 Septimò, an hæretici ſuis & eccleſiæ rebus ſint expoliãdi,& qui poſſidet ab hæreticis ablata,an dicatur poſſidere aliena?

8 Octauò,an epiſcopis vel quibuſlibet clericis ſua liceat auctoritate vel apoſtolici,ſine imperatoris præcepto arma mouere?

QVAESTIO I.

AN MILITARE SIT PECCATVM.

GRATIAN.

QVòd militare alienum videatur ab euangelica diſciplina,hinc videtur poſſe probari , quia omnis militia vel ob iniuriam propulſandam, vel propter vindictam inferendam eſt inſtituta.Iniuria autem vel à propria perſona,vel à ſocio repellitur:quod vtrumque euangelica lege prohibetur. cùm enim dicitur:Si quis te percuſſerit in vnã maxillã, præbe ei & alterã.& iterũ : Qui angariauerit te mille paſſus,vade cũ eo duo milia.Item cùm Apoſtolus dicat ad Romanos : Non vos defendentes chariſſimi,ſed date locum irę:quid aliud prohibemur quàm propriæ perſonę iniuriam repellere?Item cùm Petro gladio magiſtrum defendenti Chriſtus dixerit,Conuerte gladium tuũ in vaginã,an putas quia nõ poſſum rogare patrem meũ , & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorũ?denique ſicut de beato[a] Andrea legitur : cùm fieret concurſus populorũ vt de manibus iniqui iudicis eum eriperent, & ab iniuria mortis illũ [b]defenderent:ipſe ecõtra & exẽplo & verbo patientiã docens, rogabat eos ne ſuum martyriũ impedirent:quid aliud monemur,quàm ſicut proprias,ita & ſociorum iniurias patienter tolerare, nec ad arma cõcurrere, ſed eorum exemplo ad ſimilia [per]ferenda animum præparare? Item cùm in Prouerbijs dicatur:Mihi vindictã,[c] & ego retribuam:dicit dominus. Item cùm in euangelio dicatur, Nolite iudicare,& non iudicabimini . Item cùm paterfamiliâs dicat ſeruis volentibus colligere zizaniã,Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem:& tunc dicam meſſoribus,colligite zizaniam, & alligate in faſciculos ad comburendum . Item cùm rex ille qui nuptias fecerat filio ſuo , miſſis exercitibus ſuis angelorũ videlicet dicatur perditurus homicidas prophetarũ & apoſtolorum,qui vocati ad nuptias venire contempſerunt credendo.

Item cùm Paulus apoſtolus dicat in epiſtola ad Romanos, Nolite iudicare inuicem. Item,Tu quis es qui iudicas alienũ ſeruum?ſuo domino ſtat,aut cadit.ſiue ergo viuimus,ſiue morimur,domini ſumus.In hoc enim Chriſtus mortuus eſt,& reſurrexit,vt & viuorum & mortuorum dominetur.in his omnibus quid aliud præcipitur,quàm vt vindicta delinquentium diuino reſeruetur examini ? Cùm ergo (vt ſupra dictum eſt) militia videatur inſtituta ob iniuriam propulſandam,vel propter

Matth.5.f
Ibidem.
Roman.12.d
Matth.26.e
a viro. ver.
b al.defenſarẽt.
c ſubaudi,reſeruate.gloſſa interlinearis.
Deut.32.e
Rom.12.d
Matth.7.a
Ibid.13 d
Matth.22.a
Rom.14.c
Ibidem.a

pter vindictam inferendam: vtrunque autem lege euangelica prohibeatur: apparet quòd militare peccatum est.

HINC etiam Gregorius ait. Origenes hom. 15. super Iosue id habet.

Bella carnalia bellorum spiritualium figuram gerunt. 1

NIsi bella ista carnalia figuram spiritualium bellorum gererent, nunquam (vt opinor) Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi qui venit pacem docere, legendi in ecclesijs fuissent ab apostolis traditi. Quomodo enim bellorũ eis proficeret ista descriptio, quibus dicitur ab Iesu: Pacem meam do vobis: Pacem relinquo vobis: (Ioann. 14. d) & quibus per Apostolum iubetur & dicitur: Non vosmetipsos vindicantes, sed magis iniuriã percipite: & magis fraudem patimini. (1. Corinth. 6. b) Vnde denique sciens Apostolus nobis iam vltra bella non esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina contra spirituales aduersarios desudãda: velut magister militiæ pręceptum dat militibus Christi dicẽs: Induite vos armaturam dei, vt possitis stare aduersus astutias diaboli? (Ephes. 6. b)

His ita respondetur præcepta patientiæ non tam ostentatione corporis, quàm præparatione cordis, sunt retinenda. GRATIAN.

VNDE August. ait in sermone de puero Centurionis. Aug. epist. 4. ad Marcellinum.

Præcepta patientiæ virtute animi, non ostentatione corporis seruanda sunt. 2

PAratus debet esse homo iustus & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit. Potius numerus crescat bonorũ: non vt pari malitia se quis numero addat malorũ. Denique ista præcepta magis sunt ad præparationẽ cordis, quàm ad opus quod in aperto fit: vt teneatur in secreto animi patientia cũ beneuolentia. In manifesto autẽ id fiat quod eis videtur prodesse quibus bene velle debemus. Hinc liquidò ostenditur quòd ipse dominus Iesus exemplum singulare patientiæ cùm percuteretur in faciem, respondit: Si malè locutus sum, exprobra me de malo. si autem bene: quid me cædis? (Ioann. 18. d) Nequaquam igitur præceptum suum (si verba intueamur) impleuit. neque enim præbuit percutienti alteram partẽ: sed potius prohibuit ne faceret, & iniuriam augeret. tamen paratus aduenerat nõ solum percuti in faciem, verũetiam pro his à quibus hoc patiebatur crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: Pater ignosce illis: quia nesciũt quid faciunt. (Luc. 23. d) Neq; Paulus apostolus præceptũ domini & magistri sui videtur impleſse, (Act. 23. a) vbi etiam percussus in faciem dixit principi sacerdotũ: Percutiat te deus paries dealbate. sedes tu iudicare secundum legem: & contra legem iubes me percuti? Et cùm à circũstantibus diceretur Iniuriam facis principi sacerdotum: irridẽs eos, admonere voluit quid dixerit: vt qui saperent, etiam intelligerent iam destruendũ esse in aduentu Christi parietem dealbatum:

tum: hoc est hypocrisim sacerdotij Iudæorũ. Ait quippe: Exod.22. Nesciui fratres, quia princeps est. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices. cùm proculdubio qui in eodem populo creuerat, atque in lege fuerat eruditus: illũ principem sacerdotum nescire non posset, nec eos quibus ita notus fuerat, vllo modo falleret ꝙ nesciret. Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda. ipsa quoque beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda. Agenda sunt autem multa etiam cum inuitis quadã benigna asperitate plectendis: quorum potius vtilitati consulendum est quàm voluntati. Nam in corripiendo filium quantũlibet asperè, nunquam profectò paternus amor amittitur. fiat tamen quod nolit: & doleat, qui etiam inuitus dolore videtur sanãdus. Ac per hoc si terrena ista respub. Christiana præcepta custodiat: etiam ipsa bella sine beneuolentia non gerentur, sed vt ad pietatis iustitiæque societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtilius vincitur: quoniã nihil est infœlicius fœlicitate peccantium: qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut interior hostis roboratur. & paulopost. Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet: hoc potius consilium salutis petentibus in euangelio diceretur, vt abijcerent arma, seq; militiæ omnino subtraherent. Luc.3.c dictũ est autem eis: Neminem concusseritis. estote contenti stipendijs vestris. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.

Epist.1. ITEM eiusdem ad Bonifacium.

In bellicis armis milites deo placere possunt.

NOli existimare neminem deo placere posse qui armis bellicis ministrat. (Psalm.88.c) In his erat sanctus Dauid, cui dominus tã (Matth.8.a) magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat sanctus ille Cẽturio, qui domino dixit: Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Hoc ergo primum cogita quando armaris ad pugnam: quia virtus tua etiam ipsa corporalis donũ dei est. Si enim cogitabis de dono dei: non facies cõtra dominũ. Fides enim quãdo promittitur, etiam hosti seruanda est contra quem bellum geritur: quanto magis amico pro quo pugnatur? Pacem habere, voluntatis est. Bellũ autem debet esse necessitatis, vt liberet deus à necessitate: & conseruet in pace. Nõ enim pax quæritur vt bellũ exerceatur, sed bellum geritur vt pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vnitatem vincendo perducas. Matth.5. Beati enim pacifici (ait dominus) quoniam filij dei vocabuntur. Si autem pax humana tam dulcis est pro tẽporali salute mortalium, quanto dulcior est pax diuina pro æterna salute angelorum? Itaque hostem pugnantem necessitas

deprimat,

deprimat, non voluntas. Sicut bellanti & resistenti violētia red ditur, ita victorijs capto misericordia iam debetur: maximè in quo pacis perturbatio non timetur.

ITEM eiusdem contra Manichæos. *Aug. cap. 74. li. 22. co. tra Faustū manichæū.*

Quæ sunt in bello iure reprehendenda. 4

QVid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque mo rituri, vt dominentur in pace victuri? hoc reprehendisse, timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & siqua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur: quæ plærunque vt etiam iure puniantur, aduersus violentias resistentium (siue deo siue aliquo legitimo imperio iubente) gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere aliquid tale, vel in talibus obedire iustè ipse ordo constringit. vnde neque Ioannes ab armis iubet discedere milites: & Christus tributa Cęsari monet reddi: quia propter bella necessario militi stipendium præbetur. Ordo autem ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atq; consiliū penes principes sit. sed si humana cupiditate bellum geritur, non nocet sanctis, in quos nō habet quisquam potestatem nisi desuper datam. Non enim est potestas nisi à deo, siue iubente, siue sinente. ergo vir iustus si fortè etiam sub rege homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare: si vice pacis ordinē seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra dei præceptū certum est: vel vtrū sit, certū non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.

ITEM eiusdem in libro de verbis domini tractatu xix. *Aug. serm. 19. de verbis domini secundum Matth.*

Militare non est peccatum. 5

MIlitare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est: nec rem publicam gerere criminosum est: sed ideo gerere rempublicam vt diuitias augeas, videtur esse dam nabile. Propterea enim quadam prouidentia militantibus sunt stipendia constituta: ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Item dominus ipse dixit: Reddite quæ sunt dei deo: & quę sunt Cæsaris Cæsari. *Matth. 22. b* Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est: quod imperat, tolerandum est: sed fit intolerabile dū prædam exactores accumulant. Item interrogauerunt Ioannem *Luc. 3. c.* milites dicentes: Quid faciemus & nos? Ait illis: Neminem concutiatis: neque calumniam faciatis: sed estote contenti stipendijs vestris. Sic autē cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim de his tantum militātibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur: sed quisquis militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles asscribitur: atque ideo hæc senten-

sentētia potest dici (verbi gratia) militibus protectoribus, cunctisque rectoribus: Quicunque sibi stipendia publicè decreta consequitur: si amplius quærit, tanquam calumniator & concussor Ioannis sententia condemnatur.

ITEM eiusdem de diuersis ecclesiæ obseruationibus.

Pacata sunt bella quæ geruntur vt mali coerceantur, bonique subleuentur. 6

APud veros dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt: quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur: vt mali coerceantur, & boni subleuentur.

Greg. episcopis Neapolitanus epist. 24. li. 12.

ITEM Greg. vniuersis militibus Neapoli.

Summa est laus militiæ, reipublicæ vtilitatibus obedientiam exhibere. 7

SVmma militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam reipublicæ vtilitatibus exhibere: quicquid sibi vtiliter imperatum fuerit, obtemperare: sicut etiam nunc deuotionem vestram fecisse didicimus: qua epistolis nostris quibus magnificū virum Cōstantinum tribunum custodiæ ciuitatis deputauimus præesse, paruit: & cōgruam militaris deuotionis obedientiā demōstrauit. vnde scriptis vos præsentibus curauimus admonendos vt prædicto viro magnifico tribuno (sicut & fecistis) omnem debeatis pro serenissimorū dominorum vtilitate vel conseruanda ciuitate obedientiam exhibere: quatenus quicquid à vobis hactenus bene gestum agnoscitur, per præsentem temporis vigilantiam ac solicitudinem augmentetis.

GRATIAN.

Ex his omnibus colligitur quòd militare peccatum nō est: & quòd præcepta patientiæ in præparatione cordis, non in ostentatione corporis seruanda sunt.

QVAESTIO II.

QVOD BELLVM SIT IVSTVM: ET QVOMODO A FILIIS ISRAEL IVSTA BELLA GEREBANTVR.

GRATIAN. *Isid ca. 1. li. 18. etymol.*

QVòd autem quæritur quod sit iustum bellum, Isidorus etymologiarum lib. xx. inquit.

Quod sit iustum bellum. 1

IVstum est bellum quod ex [a] edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hominum causa. Iudex dictus est, quia ius dictat populo: siue quòd iure disceptet. Iure autē disceptare, est iustè iudicare. non enim est iudex si non est in eo iustitia.

a Puto legendum, ex condicto. apud Isidorum autem manuscriptum legitur, ex prædicto.

Lib. 6. quæst. quæst. 10. super Iesue.

ITEM Augustinus in libro quæstionum.

Nihil ad iustitiam interest, siue apertè siue ex insidijs aliquis pugnet. 2

DOminus noster iubet ad Iesum Naue vt constituat sibi retrorsum insidias, id est, insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus. Hinc admonemur hoc non iniustè fieri ab his

quï

qui iustum bellum gerunt: vt nihil iustus præcipuè cogitet in his rebus, nisi vt bellum suscipiat cui bellare fas est. non enim fas est omnibus. Cùm autem iustum bellum susceperit: vtrum aperte pugnet, an ex insidijs: nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella solent diffiniri, quæ vlciscuntur iniurias. sic gens & ciuitas petenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est: vel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed hoc genus belli sine dubio iustum est, quod deus imperat, qui nouit quid cuique fieri debeat: in quo bello ductor exercitus, vel ipse populus non tam auctor belli, quàm minister iudicandus est.

Cùm ergo iustum bellum sit quod ex edicto geritur, vel quo iniuriæ vlciscuntur: quæritur quomodo à filijs Israel iusta bella gerebantur? De his ita scribit Augustinus in quæstionibus Numerorum. GRATIA. Quæst.44. lib. quæst.4. super Numeros ad ca. 20.

Innoxius trãsitus filijs Israel negabatur: atque ideo iusta bella gerebãt. 3

NOtandum est sanè, quemadmodum iusta bella gerebantur à filijs Israel contra Amorræos. Innoxius enim transitus denegabatur: qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat.

QVAESTIO III.

AN INIVRIA SOCIORVM ARMIS SIT PROPVLSANDA.

QVòd verò iniuria sociorum armis propulsanda non sit, exemplis & auctoritatibus probatur. Dominus enim cùm ab Herode quæreretur ad interficiendum: non patrocinium sibi quæsiuit armorum, cùm occulto instinctu posset in eum conuertisse manus Iudæorum: sed fugiens in Aegyptum latuit ibi per septennium. Sic etiam cùm à Iudæis lapidibus peteretur, abscondit se, & exiuit de templo. Sic etiam cùm duceretur ad crucem, noluit commouere aduersus seniores Iudæorum turbam quæ nuper ei obuiã processerat, & cum palmis & laudibus eum receperat. Sic etiam interrogatus à Pilato an rex esset, ait: Regnum meum non est de hoc mundo. si enim esset de hoc mundo: ministri mei vtique decertarent, vt ego non traderer Iudæis. Insinuans illos ad regnum huius mũdi pertinere qui auxilio humanarum virium, non diuino præsidio ab imminenti iniuria se tueri contendunt. Item cùm discipulis suis ait: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: non arma armis, sed fugã persequentibus docuit opponi. Item sicut legitur in Esaia. Aegyptus à Nabuchodonosor deuastata est, quia filijs Israel contra Assyrios & Chaldęos protectionis & defensionis auxiliũ promisit. vnde dictum est: Baculus arundineus rex Aegypti: super quem si aliquis innixus fuerit, confringetur: & perforabit ma-

GRATIAN. Matt.2.c Matth.21.a Ioann.18.g Matth.10.c Esai 19.d Esa.36.a Ezech.29 b Heb.10.g

num

num innitentis. Ipsi enim Iudæi captiui ducti sunt: quia spem suæ liberationis non in solo deo, sed in homine posuerunt. Sic etiam de primis credentibus legitur quòd rapinam suorum bonorum cum gaudio suscipiebant: non quærentes sibi aliorum patrocinia: sed gaudentes quoniam digni inueniebantur pro nomine Iesu contumeliam pati. Sic & apostolus in prima epistola suadet Corinthijs vt iniuriam & fraudẽ patienter ferant: potius quàm repetendo fratres scandalizent. sicab idolothytis & à qualibet esca censent abstinẽdum potius quàm cum scandalo fratrum edamus. sic & à sumptibus abstinet ne aliquod offendiculum euangelio Christi præstaret. Cùm ergo ille qui ab iniuria armis arcetur, non minus scandalizetur, quàm ille à quo ablata coram iudice reposcuntur: patet quòd ad propulsandam iniuriam non sunt petenda armorum auxilia. Quod autem petendum non est, illud iure præstari non debet. Sed econtra multa rite præstantur, quæ tamen iure non petuntur. Bonus enim non rite iniuriæ vindictam petit, quia malũ pro malo redderet: quam tamẽ iudex rectè infligeret, nec nisi bonum pro malo redderet.

Act.5.g
1.Corinth.6.b
1.Corinth.8.c
1.Corinth.9

VNDE August. in expositione psalmi cviij. ait.

Quæ sint differentiæ retributionum. 1

Ad versum Pro eo vt diligerent me.

a in veteri legitur. Sex differentiæ sunt, &c.

SEd differentiæ sunt[a], reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis. hæc bonorum sunt, & prius melius. Nõ reddere bona pro bonis: & reddere mala pro bonis. hæc duo malorum sunt: sed posterius deterius. Reddere bona pro bonis: & pro malis mala. hæc duo mediocrium sunt: prius propinquum bonis, conuenit etiã malis: quod Christus non arguit, sed plus oportere dicit: quia & Ethnici hoc faciunt. posterius propinquũ malis: conuenit tamen etiam bonis. vnde & lex modũ vltionis statuit: Oculum pro oculo, quæ (si dici potest) iniustorũ iustitia est: non quia iniqua est vltio, quam lex statuit: sed quia vitiosa libido vlciscẽdi: magisq́ue ad iudicem pertinet hoc inter homines discernere, quàm bonum hominem sibi expetere. hic enim malum pro malo redderet. iudex verò [punit] non [delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo:] sed [b]dilectione iustitiæ (iustum *pro iniusto) quod est bonum pro malo: quod etiam deus iudex facit.

Matth.5.g
Exod.21.c

Inclusa desunt in lib. vet. manuscript.
b a delectatione.
Inclusa parenthesi sunt in exemplaribus Gratiani manuscr.

GRATIA.

Item ab aliquo capto iniustè sua exiguntur: pro vita tamen redimenda iustè offerũtur. Item vasa sacra ab aliquo Barbaro iniustè exiguntur, pro redemptione tamen captiuorum iustè præstantur. sic & iniuriæ propulsatio licet iniustè postuletur, iure tamen præstatur: quanquam & ipsa postulatio non vsquequaque iniusta probetur. Aliud enim est iniuriam propellere, vt sibi liceat voluptuose viuere: aliud vt aliorum vtilitati liberè possit vacare. Sicq́ue aliud est suffragium ab homine tanquã à mini-

**hoc totum iustũ pro iniusto, hoc loco in August. non habetur.*

à ministro iustitiæ postulare, vt mala voluntas aduersantiū eius ministerio careat effectu, & bonorū volūtas eius suffragio sortiatur effectum: aliud spem suam à deo in hominē transferre: vt aduersa quæ inferuntur à deo, ad vitæ correctionem, humano pellantur auxilio, nulla præcedente correctione: sicut Israelitæ, qui per captiuitatem sibi imminentē Aegyptiorum suffragio se putabant posse euadere sine pœnitētia præteritæ vitæ, non reuocantes ad memoriam: Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis, &c. Et idem: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine dei nostri inuocabimus. Petere ergo vel præstare in tribulatione subsidiū, vt voluptuose quis in crimine viuat, damnabile est. Petere autem vel præstare solatium, vt malis facultas delinquendi adimatur, vt ecclesia pacem adipiscatur, vt aliquis multorum vtilitati seruetur, vtile est & honestum: dissimulare verò est grauissimum. Hinc de Paulo legitur quòd cùm quidā Iudæorum iurassent se non comesturos panem nisi eum interficerent, petijt milites à prætore quorum præsidio illæsus seruaretur ab iniuria Iudæorum: non suæ volūtati, sed omniū vtilitati victurus. Hinc in euangelio mercenarius vocatur qui videt lupum venientē, & dimittit oues & fugit. Hinc etiam ecclesia auxilium ab imperatore ad sui defensionem petere monetur.

Psalm. 59. *Psam. 19.* *Act. 23.* *Ioann. 10. b*

VNDE August. ad Bonifacium ait. *Epist. 50.*

Ab imperatore ecclesia auxilium postulare debet. 2

MAximianus episcopus Vagiensis auxilium petijt ab imperatore Christiano contra hostes ecclesię, non tam sui vlciscendi causa, quàm tuēdæ ecclesiæ sibi creditę. quod si prætermisisset, non eius fuisset laudāda patiētia, sed negligentia meritò culpanda. Neque enim apostolus Paulus vitæ suæ trāsitoriæ, sed ecclesiæ dei consuluit, quando contra illos qui eum occidere conspirauerant: consilium eorum vt tribuno proderetur effecit: vnde factum est, vt eum ad locum quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateret insidijs. *Act. 23. d*

ITEM Augustinus ad Demetrium.

Catholici aduersus hæreticos à potestatibus ordinatis defensionem possunt postulare. 3

NOstri aduersus illicitas & priuatas vestrorum violentias (quas & vos ipsi qui talia facitis, doletis & gemitis) à potestatibus ordinatis vltionem petunt: non quòd hos persequantur, sed quia se defendant.

ITEM eiusdem contra Petilianum. *Cap. 88. lib. 2. contra litteras Petilians.*

Quantū interest inter persecutionē catholicorum & hæreticorum. 4

PRo membris Christi aduersus vos sæuiunt, & vobis resistūt quicunque in ecclesia eo animo sunt quo tunc Petrus fuit, cùm ferrum pro Christi nomine strinxit: sed multum interest

Ioan.18.b inter vestram persecutionem, & istorũ. Vos similes estis seruo sacerdotis: quia seruientes principibus vestris, aduersus ecclesiam catholicam, id est, aduersus corpus Christi armamini. Isti autem tales sunt qualis tunc Petrus fuit, qui pro Christi corpore, id est, pro ecclesia etiam corporaliter pugnauit.

Cap.27. ITEM Ambrosius lib.j. de officijs.

Iustitia plenus est, qui patriam bello tuetur à Barbaris. 5

FOrtitudo quæ bello tuetur à Barbaris patriã, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios: plena iustitia est.

Hieron.ad cap. 1. Sopho. in comment. ITEM Hieronymus super Sophoniam.

Prodest latroni vel piratæ, qui membra eius debilitat. 6

SI quis fortitudinem latronis vel piratæ eneruat, & infirmos reddit: prodest illis sua infirmitas: debilitata enim membra, quibus prius non bene vtebantur, à malo opere cessabunt.

Amb.cap.36. ITEM Ambrosius lib.j. de officijs.

Qui socij non repellit iniuriam, similis est ei qui facit. 7

NOn in ferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. qui enim non repellit à socio iniuriam si potest: tam est in vitio, quàm ille qui facit. Vnde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta imbecillis fortitudinis. Nam cùm vidisset Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem, defendit: ita vt Aegyptium prosterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum qui ducitur ad mortem.

Exod.2.b

Prou.24.

ITEM Anastasius & Damasus papa.

Damasus epist. 3. ad Stephanũ.

Malorum impietati fauet, qui eis obuiare cessat. 8

QVi potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit: nihil est aliud quàm fauere impietati eorum. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. ITEM Calixtus.

Epist. 1. ad Benedictum.

Qui diuina mandata contemnunt, seuerius coerceantur vindictis. 9

IVstum est, vt qui diuina contemnunt mandata, & inobedientes paternis existunt iussionibus: seuerioribus corrigantur vindictis: quatenus cæteri talia committere timeant: & omnes gaudeant fraterna concordia: & cuncti sumant seueritatis atque bonitatis exemplũ. Nã si (quod absit) ecclesiasticã solicitudinẽ vigoremq; negligimus, perdit desidia disciplinã: & animabus fidelium profectò nocebitur.

Cap.9. concilij Carthag.5. ITEM ex concilio Carthaginensi v.

Imperatores cum episcoporum prouisione ecclesiæ defensionem aduersus diuitum potentiam debent suscipere. 10

AB imperatoribus vniuersis iustũ est auxiliũ postulandum propter afflictionẽ pauperum, quorũ molestijs sine intermissione fatigatur ecclesia: vt defensores eius aduersus potẽtias diuitũ cum episcoporũ prouisione delegẽtur. Ecce quod nõnunquam est obuiãdum peruersis, & iniuria sociorũ armis est

pro-

propulsanda: vt malis adępta facultas delinquēdi prosit, & bonis optata facultas liberè consulendi ecclesiæ ministretur. Hoc qui non facit, consentit. VNDE Aug. ait in psal. lxxxj.

Ad versum Anfitte pauperem & inopem.

Non sunt immunes à scelere, qui non liberant eos quos possunt à facto liberare. 11

OStendit propheta nec illos immunes à scelere esse qui permiserunt Christum principibus interficere: cùm pro multitudine timerentur, & possent illos à facto, & se à consensu liberare. Qui desinit obuiare cùm potest, consentit.

QVAESTIO IIII.

AN VINDICTA SIT INFERENDA.

GRATIA.

» QVòd autem vindicta inferenda non sit, multis modis
» probatur: mali enim tolerandi sunt, non abijciendi:
» increpatione feriendi, non corporaliter expellendi.

VNDE Aug. ait in lib. de verbis domini.

Serm. 18.

Quomodo mali sunt tolerandi, & quomodo ab eis recedendum sit. 1

TOlerandi sunt quidem mali pro pace: nec corporaliter ab eis recedatur, sed spiritualiter. Spiritualiter autem exire est facere quod pertinet ad correctionem malorum, quātum licet pro gradu cuiusque salua pace. displicere est, non tangere. non enim prophetæ qui hoc dicebant, populū suū dimiserunt, sed inter eos habitabant, quos increpabant: vnum templum cū eis intrabant: eadem sacramenta celebrabant. hoc ergo exire, est ore non parcere. hoc est immundum non tangere, voluntati malæ non consentire. IDEM.

Quòd mali sint tolerandi à bonis. 2

Ioan. 12. a

TV bonus tolera malum. nam & Christus Iudā cùm sciret furem esse, tolerauit, & ad prædicandum misit, eique cum alijs *eucharistiam dedit. IDEM super Ioannem.

*Sunt qui hoc postremum non admittant: sed putent Iudam ante recessisse quàm id fieret: quibus tamen cum ipsa euangelistarum verba, tum plærique veterum patrum repugnat.

Aug. tracta. 50. ad ca. 12. Ioan.

Pro pace ecclesiæ mali sunt tolerandi. 3

QVid ergo voluit dominus noster Iesus Christus fratres charissimi, admonere ecclesiam suam quando vnum perditū inter duodecim habere voluit: nisi vt malos toleremus, ne corpus Christi diuidamus? Ecce inter sanctos est Iudas: ecce fur est Iudas, & ne contendas, fur est & sacrilegus: & non qualiscunque fur, sed loculorum dominicorum & sacrorum. sic crimina discernuntur in fure. nec qualiscunque furti, sed peculatus. peculatus enim furtum dicitur de republica. & non sic iudicatur furtum rei priuatę quomodo publicę. quanto vehementius est iudicandus sacrilegus fur. Non vndecunque tollere, hoc est sacrilegium cōmittere: sed de ecclesia qui aliquid furatur, Iudæ proditori comparatur. IDEM.

Aug. serm. 18. de verbis domini.

De eodem. 4

ECce (inquiunt) dicit propheta: recedite: exite inde: & immundū ne tetigeritis. Quomodo ergo malos pro pace tolerabimus.

lerabimus, à quibus exire & recedere iubemur, ne tangamus immūdum? Nos istam recessionem spiritualiter intelligimus: illi corporaliter. Nā & ego clamo cum propheta. Aequalia sumus vasa. vtitur nobis deus in dispensatione vestra. Clamamus & nos, & dicimus vobis, recedite, & exite inde: & immūdum ne tetigeritis: sed contactu cordis, non corporis. Quid enim est tangere immundū, nisi consentire peccatis? Quid est autē exire inde nisi facere quod pertinet ad correctionem malorū, quantum pro vniuscuiusq; gradu atque persona salua pace fieri potest? & paulopost. Ergo fratres mei, quotquot habetis inter vos qui adhuc amore seculi prægrauantur, auaros, periuros, adulteros, inspectores nugarum, & consultores mathematicorum, augurum, phanaticorum, haruspicūm, ebriosos, luxuriosos, quicquid inter vos malorū esse nostis, quantum potestis improbate, vt corde recedatis: & redarguite, vt exeatis inde: & nolite consentire, vt immundum non tangatis.

Isa.52.c

IDEM in secundo libro contra Parmenianum.

Aug. contra epi. Parmeniani. cap.1.

Pacificus est qui corrigit quod potest, vel excludit à se quod nō potest. 5

QVisquis vel quod potest arguendo corrigit: vel quod corrigere non potest saluo pacis vinculo, excludit: vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat: hic est pacificus, & ab illo maledicto immunis, de quo scriptura dicit: Væ his qui dicunt quòd nequam est bonum: & quòd bonum est nequam. omnino liber prorsus securus, penitus est alienus. Quomodo (inquit Parmenianus) incorruptus poteris permanere, qui corruptis socians? IDEM.

Esa.5.d

Idem ca.21.lib. eiusdem.2.

Quid sit malis sociari. 6

ITa planè sociatur quis malis, si mali aliquid cum eis cōmittit, aut committentibus fauet. Si autē neutrū facit: nullo modo sociatur. porrò si addat tertiū, vt non sit in vindicādo piger, sed vel corripiat iustus in misericordia & arguat: vel etiā si eā personam gerit, & ratio conseruandæ pacis admittit, corā omnibus peccantes arguat, vt cæteri timeant: remoueat etiam vel ab aliquo gradu honoris, vel ab ipsa cōmunione sacramentorum: & hęc omnia cū dilectione corrigēdi, non cū odio persequendi faciat: plenissimū officium non solum castissimæ innocentiæ, sed etiam diligētissimæ seueritatis impleuit. Vbi autē cætera impediuntur, illa duo semper retenta incorruptum castumque custodiunt: vt nec faciat malum, nec approbet factū.

IDEM in epistola contra Donatistas.

Epist.152.

Aliena peccata in ecclesia, alicui non præiudicant. 7

SI quis à catholica ecclesia fuerit separatus, quantūlibet laudabiliter se viuere existimet: hoc solo scelere quod à Christianitate seiunctus est, non habebit vitam: sed dei ira manet su

per

per eum. quisquis autem in hac sancta ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata: quia in ea vnusquisq; proprium onus portabit: sicut ait Apostolus. Ergo cõmunio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorũ, sed consensione factorum. nam si in malis factis non eis quisquã consentiat, portat malus causam suam: nec præiudicat alteri quem in consensione mali operis socium non habet criminis. Galat. 6. b

IDEM in sermone de verbis euangelij. Aug. serm. 18. de verbis domini.

Non te maculat malus si ei non consetis, sed ipsum redarguis. 8

A Malis semper corde disiungimini: ad tempus cautè corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus, si ei non consentias: & si redarguas, hoc est non communicare, non consentire. communicatur quippe quando facto eius cõsortium voluntatis vel approbationis adiungitur. neque ergo consentientes sitis malis, vt approberis: neque negligentes, vt non arguatis: neque superbientes, vt insultanter arguatis.

IDEM ex eodem. In eod. serm. 18.

Immundum tangere, est peccatis consentire. 9

Recedite & exite inde, & immundum ne tetigeritis: sed cõtactu cordis, non corporis. Quid est enim tangere immũdum, nisi consentire peccatis? Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantũ pro vniuscuiusque gradu atque persona salua pace fieri potest? Displicuit tibi quòd quisquam peccauerit? non tetigisti immundum. redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam si res exigit cõgruam, & quæ vnitatis non violet disciplinã? Existi inde. Clamauit Moyses ista: clamauit Esaias, clamauit Hieremias, clamauit Ezechiel. videamus si dimiserunt populũ dei, & se ad gentes alias transtulerunt. Quàm multa & quàm vehementer Hieremias increpauit in peccatores & sceleratos populi: inter eos tamen erat, vnũ cum eis templum intrabat, & eadẽ sacramẽta celebrabat: & in eadem sceleratorũ hominum cõgregatione viuebat: sed clamãdo exibat inde. Hoc est exire inde, hoc est immundũ non tangere, & volũtate non consentire, & ore non parcere. Esa. 52. d

IDEM in epistola ad Vincen. Epist. 48.

Non maculant innocentes facta nocentium, quæ ab eis fieri non possunt. 10

QVàm magnum est crimen, ab istorum innocentium communione separari? Nam etiam facta nocentium quæ innocentibus demonstrari, vel ab innocentibus credi non possunt: non coinquinant quenquam, si propter innocẽtes etiam cognita sustinentur. Non enim propter malos boni sunt deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt: sicut tolerauerũt eos prophetæ contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant: sicut ipse dominus

dominus nocentem Iudam vsque ad condignum eius exitum tolerauit: & eum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit: sicut tolerauerunt apostoli eos qui per inuidiã (quæ ipsius diaboli est vitium) Christum annunciabant.

Philip 1. c

Idem S. August. sermone 24. XXIV. De verbis Apost.: qui in Editione Antverpiensi correctus 1577 est XXII.

IDEM in libro primo de vnico baptismo.

Mali quos ecclesia recipit nec expellit, à bonis sunt tolerandi, non iudicandi. 11

FOrtè in populo dei stat iuxta te auarus raptor inhians rebus alienis, quem nosti talem & fidelis est, vel potius fidelis vocatur: non eum potes de ecclesia pellere: non habes aliquem aditum castigando & corripiendo illum corrigere: accessurus est tecum ad altare. Noli timere: vnusquisque onus suum portabit. Item: Quomodo (inquis) ferrem, quem noui malum? Nónne melius ipsum ferres quàm te foras efferres? Ecce quomodo feres: attende apostolum dicentem: Vnusquisque onus suum portabit. Liberet te ista sententia. Non enim communicares cum illo auaritiam, sed communicares Christi mensam. Et quid tibi obesset, si cum illo communicares Christi mensam? Apostolus dicit: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: sibi, non tibi. Sanè si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula si apud te accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada.

Galat. 6. — item post alia verba — 1. Corinth. 11. g

GRATIAN. Est & alia distinctio tolerandorum & cauendorum, quam ex verbis Augustini licet colligere, dicentis.

Aug. serm. 49. de verbis domini. Ioann. 10. a

Pastor est diligendus, mercenarius tolerandus, latro cauendus. 12

TRes personas dixit dominus (& debemus illas inuestigare) in euangelio, pastoris, mercenarij, & furis. Pastorem dixit animam suam ponere pro ouibus suis, & intrare per ianuã. Furem dixit & latronem ascendere per aliam partem. Mercenarium dixit lupum vel etiam furem si videat, fugere: quia nõ est illi cura de ouibus, mercenarius enim est, & non pastor. Ille intrat per ianuam, qui pastor est: ille ascendit per aliam partem, qui fur est. Ille videns eos qui volũt tollere oues, timet & fugit: quia mercenarius est, nec illi est cura de ouibus. mercenarius enim est. Si inuenerimus tres istas personas, inuenit sanctitas vestra quos diligatis, quos toleretis, quos caueatis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cauendus est latro.

GRATIAN. Ecce quòd mali tolerandi sunt, nec corporali, sed spirituali vindicta sunt puniendi. Vnde cùm discipuli non recepti à Samaritanis, ignem cœlitus super eos deducere voluerunt, dicentes magistro: Vis dicamus vt descendat ignis de cœlo, & consumat eos? audierunt: Nescitis cuius spiritus estis?

Luc. 9. g — Matth. 26. e

ITEM: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Hinc etiam

etiam Hieronymus ait.

Spiritualis nunquam carnalem persequitur: sed econuerso. 13

Galat. 4.

QVi secundum carnem natus erat, persequebatur spiritualem: nunquam verò spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei quasi rustico fratri. Scit eum proficere posse per tempus, & siquando Aegyptiæ filium viderit irascentem, recordabitur vnius patris, qui boues creauit & culices, & in magna domo non solum esse vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia voluit.

ITEM Augustinus in libro de baptismo.

Cap. 12. li. 4. de bap.

Boni à malis nunquam in hac vita penitus possunt separari. 14

QVantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, & arrogantiæ quanta iactatio, vt quis se posse facere credat quod nec Apostolis concessit dominus, vt zizaniam à frumento putet se posse discernere?

Matth. 13. d

ITEM Gregorius.

Homil. 38. euangeliorum.

Præsens ecclesia simul recipit bonos & malos. 15

HAec autem vita quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtrarunque partium ciues communiter recipit, quos tamen sancta ecclesia & indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernet. Si ergo boni estis, in hac vita quàdiu subsistitis, æquanimiter tolerate malos. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet.

Genes. 4.

GRATIAN. 2. pars.

Ex his omnibus colligitur quòd malorũ vindicta deo reseruanda est, nec sunt corporaliter puniẽdi, sed crebra admonitione, & charitatis beneficio ad correctionem inuitandi. Vnde Christus in euangelio ait: Audistis quia dictũ est in lege, quẽ modum vltionis lex statuit: Oculũ pro oculo, dentem pro dente: ego autẽ hanc vicissitudinem tollens, & ad mansuetudinẽ & charitatis perfectionem vos inuitãs, dico vobis: Nolite resistere malo, sed diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Hinc Paulus ait: Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ: si sitit, potũ da illi. Omnis autẽ iniquus, bonorũ est inimicus. Omnis autem amicus huius seculi, etiam inimicus est dei. Inimicus autẽ dei, bonitatis & iustitiæ est inimicus: ac per hoc amatorẽ iustitiæ & bonitatis diligere non potest. Cùm ergo inimicos diligere, vel illis benefacere, cibum & potum subministrare iubemur, iniquos persequi & punire prohibemur. In lege enim veteris testamenti corporalis pœna statuta est, in lege verò euãgelij omni peccanti, per pœnitẽtiam promittitur venia. Vnde illa à terrore incepit dicẽs: Ego sum dominus deus zelotes, visitãs peccata

Matth. 5. f — *Exod. 21. e* — *Matt. 5. g* — *Rom. 12. d* — *Exod. 20. a*

cata patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem. Hæc verò à lenitate manſuetudinis & miſericordiæ, ita *Matth.5.a* inquiens: Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiã conſequẽtur. In illa dicebatur, *Luc.15.b* qui fecerit hoc vel illud, morte moriatur. In iſta dicitur: Gaudeo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitẽtia. Itẽ: *Matth.9.b* Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitẽtiam. *Luc.6.e* Et eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Initium quoque prædicationis ſaluatoris noſtri & præconis eiuſdem ad pœnitentiã peccatores inuitauit. ſic enim vterque *Matth.3.a* exorſus eſt, dicens: Pœnitẽtiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sic & in Actibus apoſtolorum cùm Iudæi *Act.2.f* cõpuncti de ſcelere mortis Chriſti dicerẽt Petro: Quid faciemus viri fratres? Legitur Petrũ reſpondiſſe: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum. Et vt vniuerſaliter dica- *Exod.1.b* tur, in lege populus ille rudis ſeruili timore pœnarum cogebatur. vnde & legem in pædagogum accepit. In euangelio autẽ populus gratiæ liber & adultus filiali amore hæreditatis certitudine ad cultum diuinæ ſeruitutis inuitatur. Vnde cùm quidã legem quaſi coercentem prædicarẽt eſſe tenendã ſimul cũ *Roman.8.c* gratia, ait Apoſtolus: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ, in *Homil.38.euangeliorum.* quo clamamus abba pater. Hinc etiam Gregorius ait in expoſitione euangelij: Simile factum eſt regnum cœlorum homi- *Matt.22.a* ni regi qui fecit nuptias filio ſuo.

In lege cuique permittebatur odire inimicum, & diligere amicum. 16

Leuit.19.c CVm in lege ſcriptum ſit: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: accepta tunc licentia iuſtis fuerat, vt dei ſuoſque aduerſarios quanta poſſent virtute comprimerent, eoſque in ore gladij ferirent, quod in nouo proculdubio teſtamento cõpeſcitur, cùm per ſemetipſam veritas prædicat *Luc.6.d* dicẽs: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderũt vos. Quid ergo per tauros niſi veteris teſtamenti patres ſignantur? Nam dum ex permiſſione legis acceperant quatenus aduerſarios ſuos odij retributione percuterent (vt ita dicã) quid aliud quàm tauri erant, qui inimicos ſuos corporeæ virtutis cornu feriebant? Quid verò per altilia, niſi patres noui teſtamenti figurãtur? qui dum gratiam internæ pinguedinis percipiunt, æternis deſiderijs innitẽtes, quaſi contemplationis penna ſeſe ad ſublimia ſubleuant. His itaque reſpondetur. Sunt quædam quę ſalubri tantum admonitione ſunt corripiẽda, nõ corporalibus flagellis animaduertenda, ſed eorum vindicta diuino examini tantum eſt reſeruanda: quando in delinquentes videlicet diſciplinã exercere non poſſumus, vel quia non ſunt noſtri iuris, vel

quia

quia illorum crimina etsi nobis nota sunt, tamen manifestis indiciis probari non possunt. De his qui non sunt nostri iuris, ait Apostolus in prima epistola ad Corint. Quid enim mihi attinet de his qui foris sunt iudicare? de his dominus iudicabit. Quod Augustinus exponens ait. *1.Cor.5.d*

Infidelium colloquia & conuiuia non sunt euitanda. 17

IN fideles non possumus Christo lucrari, si colloquium eorum vitamus & conuiuium. Vnde & dominus cum publicanis & peccatoribus manducauit & bibit. In his verò qui intus sunt, id est infidelibus, putredo resecanda est. *Luc. 5.f*

Hinc etiam cùm Propheta dicit: Facit dominus iudicium omnibus iniuriam patientibus. exponendo addidit Augustinus ab his qui non sunt sui iuris, in quos nequit disciplina exerceri. Item: Quando multitudo est in scelere, nec salua pace ecclesiæ mali puniri possunt: tolerandi sunt potius, quàm violata pace ecclesiæ puniendi. *GRATIAN. Psalm.145.*

VNDE Augustinus ait.

Quædam mala punienda sunt, & quædam toleranda. 18

QVidam cùm bonorum malorumque commixtionem in ecclesia demonstratam vel prædicatam esse perspexerint, & patientiæ præcepta didicerint, (quæ nos firmissimos reddunt, vt etiam si videatur in ecclesia zizania, tamen non impediatur aut fides aut charitas nostra) & quoniá zizaniam in ecclesia esse cernimus, non ideo ipsi de ecclesia recedamus: destituendam putant ecclesiæ disciplinam, quandam peruersissimam securitatē præpositis tribuentes, vt ad nos nō pertineat, nisi dicere quid cauendum sit, quidúe faciendū sit, quódlibet autem quisque faciat non curare. Nos verò ad sanā doctrinam pertinere arbitramur vtrisque testimoniis vitam sententiamque moderari: vt & canes in ecclesia propter pacem ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum vbi est pax ecclesię tuta non demus. Cùm verò per negligentiam præpositorum, siue per aliam excusabilem necessitatem, siue per occultas surreptiones inuenimus in ecclesia malos, quos ecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus, tunc ne ascendat in cor nostrum impia & perniciosa præsumptio qua existimemus nos ab his esse separandos, vt peccatis eorum non coinquinemur, atque ita post nos trahere conemur, veluti mundus sanctosque discipulos ab vnitatis compage, quasi à malorum coniunctione segregandos, veniant in mentem illæ de scripturis similitudines, & diuina oracula, vel certissima exempla, quibus demonstratum & pronunciatum est malos in ecclesia bonis permixtos vsque in finem seculi, tempusq́; iudicij futuri tolerandos, nihilque bonis in vnitate ac participatione sacramentorum qui eorum factis nō consenserint, obsu-

obfuturos. cùm verò eis per quos ecclesia regitur, adest pace salua potestas disciplinæ aduersus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus neque socordia, neq; segnitia dormiamus, sed aculeis præceptorum quæ ad seueritatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, vt gressus nostros in via domini ex vtrisque testimoniis illo duce atque adiutore dirigẽtes, nec patiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæuiamus.

Cap.2. lib. 3. ITEM contra epistolam Parmeniani.

Leuius occulta, seuerius autem punienda sunt ab ecclesia delicta manifesta. 19

CVm quisque fratrum & Christianorũ intus in ecclesiæ societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur: fiat hoc vbi periculũ schismatis nullum est. & infra. Quando cuiusquam crimẽ est notum, & omnibus execrabile appareat, vt vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinę. Est & alia causa qua

3. pars. correctio verberum vel verborum videtur esse inutilis vel superflua, prædestinati enim ad vitam sine correctione mutantur: sicut Petrus quem dominus respiciens nemine corripiente

Luc.22. commouit ad lachrymas. Præsciti ad mortem inter flagella deteriores fiunt, sicut Pharao. Bonis ergo superflua, dãnandis hæc inueniuntur esse inutilia. His ita respondetur auctoritate Gregorij & Augustini.

Sicut ab oratione cessandum non est, sic nec à correctione. 20

SIcut non est ab oratione cessandũ pro eis quos corrigi volumus, etiã si nullo hominũ orante pro Petro dominus respexit eum, & fecit eum suum flere peccatũ: ita non est negligenda correctio, quãuis deus quos voluerit non correctos faciat esse correctos. tunc autem ex correctione proficit homo, cùm miseretur deus atque adiuuat: qui facit quos voluerit, etiam sine correctione proficere. IDEM in dialogo.

Cap.8. lib.1. dialogorum.

Soli prædestinati saluantur, qui in postulando suo labore meruerunt. 21

OBtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerint: sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens deus ante secula disposuit donare. ITEM Augustinus.

Cap.15. lib. de prædestinatione & gratia.

Occulto dei iudicio mali obdurantur flagellis, boni emendantur. 22

NAbuchodonosor pœnitẽtiam meruit fructuosam. Nónne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnũ quod perdiderat, rursus accepit: Pharao autem ipsis in flagellis

gellis durior est effectus, & periit? Hic mihi rationem reddat qui diuinum consilium nimiu alte sapientiq; corde diiudicat: cur medicamentum vnius medici manu confectũ, alij ad interitum, alij valuerit ad salutẽ: nisi quia Christi bonus odor aliis est odor vitæ in vitam, aliis est odor mortis in mortem? 2. Cor. 2. d Quantum ad naturam ambo homines erant. Quãtum ad dignitatem ambo reges. Quantũ ad causam ambo captiuũ dei populum possidebant. Quantũ ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus dei manum sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra dei misericordissimã veritatem pugnauit arbitrio? IDEM. 23

VAsis iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spõtaneum inueniretur homo habere peccatum: quia nec deus peccanti homini iustè inferret iram, si homo ex prædestinatione dei cecidisset in culpam. Idem: Prædestinationem Dei siue ad bonum siue ad malum in omnibus operari, ineptissimè dicitur, vt ad vtrunq; homines quædam necessitas videatur impellere, cùm in bonis voluntas sit intelligenda nõ sine gratia, in malis autem voluntas sit intelligenda sine gratia. Cùm verò aliquos à deo, aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos magis in peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt, vt ipsi sibi pœnã debuerint, qua eis etiam suppliciũ verteretur in reatum: atq; ita nec de iudicio dei quærimur, quo deserit meritos deseri, & misericordiæ eius gratias agimus quã liberat nõ meritos liberari. vires itaq; obedientiæ non ideo cuiquã subtraxit: quia eum non prædestinauit, sed ideo eũ non prædestinauit, quia recessurũ ab ipsa obedientia esse præuidit. Prædestinatio quoq; dei semper in bono est, quæ peccatũ sola voluntate hominis cõmissum, aut remittẽdum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ. In malis autem operibus nostris sola præsciẽtiæ dei intelligẽda est: quia sicut præsciuit & prædestinauit quæ ipse fecit, & vt faceremus dedit: ita præsciuit tantũ non etiam prædestinauit quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exegit. Hi aũt de quibus dicitur: Ex nobis exierũt, sed nõ fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mãsissent vtiq; nobiscũ, voluntate exierũt, volũtate ceciderũt: & quia præsciti sunt casuri, nõ sunt prædestinati. essent autẽ prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate ac veritate mãsuri. Ac per hoc prædestinatio dei multis est causa stãdi, nemini est causa labẽdi. Non ergo necessitatẽ facit correctionis vel obdurationis diuina prędestinatio seu pręsciẽtia, cùm boni per gratiã corrigantur, & libero arbitrio mali pereant. Nec enim quia prædestinatio seu præscientia dei falli 1. Ioan. 2.

non

non potest, necessariò eueniunt quæ prædestinantur vel præsciuntur: sicut nec necessariò prædestinantur vel præsciuntur quæ futura sunt: sed quia bona absque eius gratia, mala præter eius scientiam euenire non possunt. Quamuis ergo conuenienter dicatur, si hæc prædestinata sunt vel præscita, necessariò euenient: non tamē ideo absolutè verum est, sed necessariò euenient: quæ prædestinata sunt vel præscita: quia hic necessitas refertur ad verum euentum, ibi ad intuitum diuinæ præscientiæ. Vnde Augu. Duæ sunt (inquit) necessitates, simplex vna: veluti necesse est omnes homines esse mortales. altera conditionis: vt si aliquem ambulare quis scit, eum ambulare necesse est: quod enim quisque esse nouit: id esse aliter quàm notum est nequit. sed hæc minimè secum illam simplicem trahit. hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem: quamuis eum tunc cum gradiatur, incedere necessarium sit. Eodē igitur modo si quid prouidentia præsens videt, id necesse est esse: tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. At quidem ea futura quæ ex libertate arbitrij proueniunt, præscientia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinū, necessaria fiunt per dispositionem diuinæ notionis. Per se verò considerata, absolutam naturæ suæ libertatem non deserunt. Fiēt igitur proculdubio cuncta quæ futura deus esse prænoscit. sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio: quæ quamuis eueniant, existēdo tamen naturam propriam non amittunt: quæ priusquam fierent, etiam non euenire potuissent.

GRATIA. His omnibus mala nostra libero asscribuntur arbitrio: cùm alibi diuinæ asscribantur indignationi. Vnde Gregorius.

Grego. cap. 12. li. 9. ad c. 9. Iob Cùm superna indignatione sese (vt ita dixerim) medullitus mouet: hanc opinio vel oppositio humana non remouet: nec se cuiuslibet vtiliter deprecatio obiicit, cū semel deus aliquid ab intimis irascendo disponit. *Exo. 32. c* Hinc est enim quod Moyses qui reatum totius plebis apud dominum suis precibus tersit: dumq; se obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit: ad *Nu. 14. c.* petram Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi domino irascente non potuit.

Item Augustinus. De Tyriis verò & Sydoniis quid aliud possumus dicere, q̃ non esse eis datū desuper vt crederēt: quos credituros fuisse ipsa veritas docet, si talia qualia apud nō cre*Matth. 11. c* dētes facta sunt virtutū signa vidissent. Quare aūt hoc eis negatū fuerit, dicant si possunt qui calumniantur: & ostendant cur apud eos dominus mirabilia quibus profutura non erant, fecerit: & apud eos quibus profutura erant, non fecerit. Nos etenim si ratione facti profunditatem iudicij eius penetrare

non

non possumus: manifestissimè tamē scimus & verū esse quod dixit, & iustum esse quod fecit: & non solùm Tyrios & Sydonios, sed etiam Corozaim & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis voluisset dominus operari. neque enim vlli falsum videri potest quod veritas ait: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. *Ioan.6.c*
Itē qui per prophetā Iudaicæ plebi promisit: Ecce ego sepiā vias tuas spinis, & muniā eas lapidibus quadris: id est, adimam tibi facultatem peccandi: idem per Psalmistā de dānandis dixit: Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum: & angelus domini persequens eos. Sed in his omnibus vitia nostra humanæ asscribuntur mentis arbitrio. quod diuina clementia in electis misericorditer vertit ad bonum: in damnandis iustè relinquit ad malum. Sicut ergo quāuis certissimè sciamus neminē vltra terminum à deo sibi præfixum esse victurū, omnibus tamen languentibus non incōgruè medemur: sic quāuis nemo saluetur nisi prædestinatus ad vitam, omni tamē delinquenti est adhibenda correctio: nec malorum est negligenda disciplina. VNDE idem Augustinus ait Bonifacio. *Osee.2.b* *Psalm.34.* *Epist. 50.*

Non semper in eos qui peccant, vindicta est exercenda.

IPsa pietas, veritas, charitas nos non permittit contra Cæcilianum eorum hominum accipere testimoniū, quos in ecclesia non videmus, cui dominus perhibet testimonium. quos enim diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt. Itē: Molestus est medicus furenti phrenetico: & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædēdo: sed ambo diligendo. Si autē illos negligat, & perire permittant: ista potius falsa mansuetudo est crudelitas. Itē, si per potestatem * quam propter religionē ac fidem regum tempore (quo debuit) diuino munere accepit ecclesia hi qui inueniuntur in viis & sepibus, id est in hæresibus & schismatibus, coguntur intrare: non quia coguntur reprehendant: sed quare coguntur attendant. Conuiuium domini est vnitas corporis Christi non solùm in sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis. In eodē. Theodosius imperator legem generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quisquis eorum episcopus vel clericus vbilibet esset inuentus. x. libris auri mulctaretur. *al. quapropter si potestate.*

Itē, si duo aliqui in vna domo simul habitarent, quàm certissimè sciremus ruiturā: nobisq; id prænūciantibus nollent credere, atq; in eadē manere persisterent: si eos inde possemus eruere vel inuitos, quibus imminentem illam ruinam prædemonstrauimus, vt vlterius redire sub eius periculū non auderent: puto nisi faceremus, nō immerito crudeles iudicaremur. Porrò si vnus illorū nobis diceret, Quando intraueritis eruere, memetipsum continuò trucidabo: alter autē nec exire quidem

dē inde nec erui vellet: sed neq; necare se auderet: quid eligeremus, vtrū ambos ruinæ opprimēdos relinquere, an vno saltē per nostrā operam liberato, alterū non nostra culpa, sed sua potius interire permitteremus? Nemo est tā infelix qui nō quid fieri in talibus rebus oporteat, facillime iudicet. Itē post pauca. Quòd si plurimi essent in domo ruitura: & inde vnus saltem liberari posset, atq; id cum facere conaremur, alij semetipsos præcipitio necarent: doleremus de cæteris: verū de vnius saltē salute consolaremur: non tamen ne seipsos alij perderent, perire vniuersos nullo liberato permitteremus. Quid igitur de opere misericordiæ quod pro vita æterna adipiscenda, & pœna æterna vitanda hominibus debemus impendere, iudicandum est, si pro salute ista non solum temporali, sed etiā breui & ad tempus exiguum liberāda, sic nos subuenire hominibus ratio vera & benigna compellit? Item. Si (inquiunt Donatistæ) oportet vt nos extra ecclesiam & aduersus ecclesiā fuisse pœniteat, vt salui esse possimus: quomodo post istam pœnitētiam apud vos clerici vel etiam episcopi permaneremus? Hoc non fieret quoniam reuera (quod fatendum est) fieri nō deberet, nisi pauci ipsa compensatione sanarentur. Sed hoc dicant, & multo maximè humiliter doleant, qui in tanta mortis præcisione iacent, vt isto quodam vulnere matris ecclesiæ catholicæ reuiuiscant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi vt viuat, qui sine vita radicis peribat: sed cum receptus recipienti coaluerit, & vigor consequitur & fructus. si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim & tale inserendi genus, vt nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur, non tamen nullo, sed vel leuissimo vulnere arboris. ita ergo & isti cùm ad radicē catholicam veniut, nec eis postquam vix erroris sui pœnitet, honor clericatus aut episcopatus aufertur. siquidem fit aliquid tanquā in cortice arboris matris contra integritatē seueritatis: verūtamē quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: ad dei misericordiam precibus fusis, coalescente suorū pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum. Et paulopost. Verū in huiusmodi caussis vbi per graues dissensionū scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed plurimorum strages iacet: detrahendū est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis syncera charitas subueniat. Habeant ergo de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mēdacij timore, amarum dolorē: & veniant ad ecclesiā Christi veram, id est, catholicam matrem. sint in illa clerici: sint episcopi vtiliter. qui contra eam fuerunt hostiliter. nō inuidemus: immo amplectimur, hortamur, optamus,

&

& quos in viis aut in sepibus inuenimus, intrare cogimus: & sic nondum quibusdã persuademus, quia non res eorum sed ipsos quærimus. IDEM Fausto.

Medicinali seueritate mali cogantur ad bonum. 21

QVid faciet ecclesiæ medicina salutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos & lethargicos æstuans? Nunquid contemnere, nunquid desistere vel debet vel potest? Vtrique si necesse est* molesta est quæ neutris est inimica. Nam & phrenetici nolũt ligari: & lethargici nolunt excitari: sed perseuerat diligentia charitatis phreneticum ligare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur. ambo molestari quamdiu ægri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur. In eodẽ, Catholici esse non incipiunt, nisi hæretici esse destiterint.

al. necesse est vt sit molesta, quæ &c.

Neq; enim sacramẽta eorũ inimica sunt nobis, quæ in illis nobis sunt cõmunia: quia nõ humana sunt, sed diuina. Prius error eorũ est auferendus quẽ malè inierunt, non sacramẽta, quæ similiter acceperũt: quæ ad pœnã suam portant & habẽt quãuis indignè habẽt, sed tamen habẽt. Ecce ꝙ crimina sunt punienda quando salua pace ecclesiæ feriri possunt: in quo tamen discretio adhibenda est. Aliquando enim delinquẽtium multitudo diu per patientiam ad pœnitentiam est expectãda: aliquando in paucis est punienda: vt eorũ exemplo cæteri terreantur, & ad pœnitentiam prouocentur. Hinc cùm discipuli cœlesti igne Sameritanos vellent cõsumere, prohibiti sunt & Samaritani ad pœnitentiam sunt expectati, vt Christo prędicante conuerterentur ad fidem.

4. pars.

Luc. 9. g.

VNDE Ambosius ait.

In commen. ad cap. 9. Luca.

Non semper in eos qui peccant vindicta est exercenda. 22

QVod Christus discipulos suos increpauit quia ignem de cælo descendere super eos gestiebant qui ipsum nõ receperant: ostenditur nobis non semper in eos qui peccant, vindicandum: quia nonnunquam amplius prodest clementia tibi ad pœnitentiam † quàm lapso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur, nec discipuli peccant, qui legem sequuntur. sciebant enim & Phinees reputatum ad iustitiam quòd sacrilegos interemerat: & ad preces Heliæ ignem descendisse de cœlo.

†al. patientiam
Nume. 25. c
4. Reg. 1. d.

» Potest in hac prohibitione apostolorum illud intelligi. Apostoli non zelo iustitiæ, sed amaritudinis odio ob iniuriam » suæ expulsionis vindicandam, Samaritanos igne voluerunt » consumere. Dominus autem volens eos iniuriam propriæ » personæ cum patientia & gaudio tolerare, iniuriam verò » seruitutis diuinæ non inultã relinquere, ait, Nescitis cuius spi- » ritus estis? Hinc etiã Petrus qui cũ aliis audierat, Beati eritis

GRATIAN.

Luca 9. g
Matth. 5. a

cùm

cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos: gaudete in illa die, & exultate: quoniã merces vestra copiosa est in cœlis: cõtumelias sibi illatas cũ gaudio suscipiebat: peccata vero quæ in deum committebantur, acerrimè puniebat. Vnde Ananiã & Sapphiram spiritui sancto mẽtientes mortis sentẽtia pertulit. Sic etiã Paulus dũ à suo cõtemptu pia admonitione & multimoda cõmẽdatione sui Corinthios reuocaret, magum illum Elymam qui credituros à fide retrahebat, cæcitate percussit: vt cæteri perterriti prædicationem eius non impedirent, sed in Christum credentes animæ cæcitatem effugerent. Et Corinthium illũ fornicatorem, quia in deum peccauerat: satanæ ad vexandum tradidit. Hinc etiam Gregorius scribit Ianuario episcopo reprehendens eum quòd ob iniuriam propriæ personę quendam excommunicauerat, dicens.

Act.5.a

Act.13.b

1.Corint.5.b

Epist.34.li.2.

Pro iniuria propria episcopo aliquem excommunicare non licet. 23

INter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus à fraternitate tua frustra se excõmunicatum anathematizatumq́; cõquestus est. quod quã ob rem factum fuerit, dum à clerico tuo qui pręsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo quòd te iniuriauerat, factum innotuit. quæ res nos vehemẽter afflixit, quod si ita est: nil te cogitare de cœlestibus ostendis, sed terrenam te habere conuersationem significas, dũ pro vindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionẽ anathematis inuexisti. Vnde de cætero omnino esto circunspectus atque solicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ iniuriæ inferre denuo non præsumas. nam si tale aliquid feceris, in te scias postea esse vindicãdũ. Hinc idẽ in homilijs ostendẽs quòd peccata quæ in deum vel proximũ cõmittuntur, à nobis punienda sunt: ea verò quibus in nos delinquitur, patienter vel toleranda vel potius dissimulãda sunt, ait.

Valde offendit, qui dominica debita impunè dimittit. 24

SI is qui prælatus est, debitori dominico culpas impunè dimittit: non mediocriter profectò offendit, qui debita cœlestis regis & domini sua præsumptione resoluit. ea nanque quę in nos committuntur, facilè possumus dimittere. ea verò quæ in deum commissa sunt, cum magna discretione nec sine pœnitentia possumus relaxare.

GRATIA. 5.pars.

Semel verò culpa dimissa, recidiuo dolore iterum ad animum reuocari non debet.

VNDE Gelasius Geruntino Ioanni Germano & Petro episcopis.

Iniuria cùm semel remittitur, iterum reuocari non debet. 25

SI illic vbi hæc acta sunt, præsentibus vtrisque constiterit & satisfecisse Stephanum, & supplicatione suscepta eum qui malè

malè tractatus est, ignouisse: semel in abolitione remissa punitio, recidiuo dolore non debet iterari: diuinę scilicet imitatione clementię quæ dimissa peccata in vltionem redire nō patitur, sin verò nihil vel de satisfactione probabitur vel de remissione transactū, dilectionis vestræ sermone monstretur: quatenus si vel nunc saltem poterit cōpetens satisfactio prouenire, illud potius exerceatur, vbi animū sanare possit afflicti. Si verò irremissibilis perstet acerbitas: ibidem nihilominus vindicetur, vbi plectibilis orta est præsumptio. *6. pars.*

Sed obijcitur illud Ambrosij: Ad preces Heliæ ignis descendit de cælo vt prophetæ vindicaretur iniuria, quod tunc intelligitur factū quādo Achab rex Israël post sterilitatē illā trium annorum & sex mēsium, quæ facta est quādo precibus Heliæ clausum est cælū annis tribus & mēsibus sex, misit duos quinquagenarios ad Heliā qui dicerēt ei: Homo dei, rex Israël vocat te. qui ait: Si homo dei sum, descēdat ignis de cęlo, & cōsumat vos, & statim ignis descēdit de cælo, & consumpsit eos. Quo facto non cuius meriti apud deum esset, voluit ostendere, sed quòd ille esset verus Deus quem colebat: non ille ad cuius culturā stupro proprij corporis Iezabel nonnullos prouocabat, euidentissimis indiciis monstrare curauit. Iniuria ergo prophetę non alia quam iniuria domini ipsius intelligitur, quæ in paucis vindicata est, vt cæteri terrerentur. GRATIAN. 4. Reg. 1. b.

ITEM obijcitur illud [a] Siluestri. *[a] Siluerius pa. ad Amatorem episcopum. rectè.*

Apostolicus anathematizauit eos qui eum ceperant: vel episcoporum aliquem qui deinceps ceperit, excommunicauit. 26

GVilisatius patricius noster mandauit me ad se venire pacificè pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium principis. & ad primum & ad secundum velum retinuit omnem clerum & populum qui mecum veniebāt, & nullum permisit introire nisi me solum, & Vigilium diaconū nostrū. me verò vi retēto, & ante prædictum patricium deducto, miserunt me in exilium, in quo sustentor modo pane tribulationis, & aqua angustiæ. ego tamen non dimisi nec dimitto propterea officium meum, sed cum episcopis quos cōgregare potui, eos qui talia erga me egerunt, anathematizaui, & vnà cum illis apostolica auctoritate statui nullum vnquā taliter decipiēdum sicut deceptus sum: & si aliquis deinceps vllū vnquā episcoporum taliter deceperit, anathema maranatha fieret in cōspectu dei & sanctorū angelorū. Idē Vigilio. Habeto itaq; cū his qui tibi consentiunt, plenę dānationis sententiā, sublatumq; tibi nomē & munus ministerij sacerdotalis agnosce, spiritus sancti iudicio & apostolica à nobis auctoritate dānatus. *In manusc. legitur Bilisarius &c. & in 2. tomo conciliorum ita legitur hæc epistola.* *Idem Siluerius.*

Sed & hic non suam sed ecclesiæ iniuriam vltus est. Quòd autem peccatum populi in paucis puniendum sit, Moyses exem- GRATIAN. Exod. 32.

exemplo suo docuit, qui peccatum idololatriæ in paucos cultores vituli vindicauit, morte paucorũ expians peccata multorum, in præsens terrẽs, in posterum disciplinam sanciẽs. Sic & ipse Christus peccata totius populi morte paucorũ puniuit, dũ pro fornicatione totius populi vna die .xxiiij. milia perierunt. Sic & pro peccato murmurationis vel tẽtationis nonnulli puniti sunt, vt eorũ exẽplo cæteri ad pœnitentiam cogerẽtur. Sic & quotidie nõnullos punit deus, vt diuina prouidentia etiam circa humana vigilare cognoscatur, & nonnullos etiã per longa tẽpora ad pœnitentiã expectat: vt patientiã suæ benignitatis nobis ostendat. Sic etiã Helias culturam Baal vindicauit, sacerdotes & prophetas eius interficiẽdo, morte paucorũ expians peccata imitantium populorum. Quòd verò peccata quæ publicis iudicijs deferuntur, punienda non sint: illo exemplo probatur, quo Christus qui Iudam solus furem nouerat, non abiecisse sed patienter tolerasse asseritur.

Num. 25.b. Iud. 11.g. Ioan. 12.a.

Amb. ad cap. 5. epist. prima ad Cor. in comment.

VNDE Ambro. super primã epistolam ad Corinthios ait.

Iudicis non est sine accusatione damnare. 27

SI quis potestatem nõ habet quẽ scit reum abijcere, vel probare non valet, immunis est: & iudicis non est sine accusatore damnare: sicut nec Christus Iudam abiecit.

GRATIAN.

Similiter non est ferenda sententia quando multitudo est in causa, vel quando ille peccat qui sociam habet multitudinẽ.

Cap. 2. lib. 3.

VNDE August. in libro secundo contra epistolam Parmeniani.

Quod à multitudine peccatur, vel ab eo qui multitudinem habet sociam: ab ecclesia non punitur, sed defletur. 28

NOn potest esse salubris à multis correctio, nisi cũ ille corripitur qui non habet sociam multitudinẽ. Cùm verò idẽ morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus, vt per illud signũ quod Ezechieli sancto reuelabatur, illæsi euadere ab eorũ vastatione mereãtur. & infrà. Seuera cùm contagio peccandi multitudinẽ inuaserit: diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. nam cõsilia separationis & inania sunt & perniciosa atq; sacrilega: quia impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. & infra. Turba autem iniquorũ cùm facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est: & maximè si occasionem atq; opportunitatem præbuerit aliquod flagellum desuper domini, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Præcepta verò euãgelica de dilectione inimicorũ, & misericordia impendenda proximis: exhortationes quoq; Apostoli de cibandis vel potãdis inimicis: nõ eatenus intelligẽda sunt, vt peccãdi relaxetur impunitas: sed vt delinquẽti correctio, & naturę ministretur subsidiũ: donec

Ezech. 9.c. Luc. 6.d. Rom. 12.d.

donec per sententiam iudicis (adempta spe correctionis) malorum tollatur exercitium. In hoc ergo iubemur diligere inimicos, & misereri eorũ, vt de eorũ perditione doleamus, eorum salutẽ desideremus, & pro eorũ correctione quotidie laboremus & oremus, pœnitentibus solatia impendamus, alter alterius onera portantes: nõ vt pertinaces & in malo persistentes impunitati donemus. Sicut enim erga pœnitẽtes nõ seueri, sed misericordes esse monemur, iuxta illud, Noli esse nimis iustus, quia est nimis iustus qui perit in iustitia sua. & iterum, Iudicium sine misericordia erit ei qui non fecit misericordiã. & item illud Apostoli in secunda epistola ad Corinthios. Cui autem aliquid donastis, & ego. nam ego si quid donaui, propter vos donaui, ac si ipse Christus donaret, vt nõ circũueniamur à satana. nõ enim ignoramus cogitationes eius qui quos nequit consentiendo decipere, facit nimis asperos: sicut inquã pœnitẽtibus (vt dictũ est) misericordes esse iubemur, sic impœnitẽtibus & obstinatis in malo, misericordiã impendere prohibemur. VNDE Ambrosius in lib. I. de Officijs.

Gala. 6. a.
Ecclesiastes 7. c.
Iaco. 2. c.
2. Cor. 2. c.
Ambr. ser. 8. in psalm. 118. vers. 2.

De iusta & iniusta misericordia. 29

EST iniusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam: Non misereberis illius. Et in libro Regum legitur quia Saul contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostiũ regem, quẽ prohibuerat diuina sententia seruari. Itaq; si quis latronẽ, filiis deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius, inflexus, absoluendũ putat, cui adhuc latrocinãdi aspiret affectus: nónne innocẽtes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantẽ? Certè si gladiũ reprimit, vincula dissoluit, laxat exiliũ: cur latrocinãdi qua potest clementiori via nõ eripit facultatem, qui voluntatẽ extorquere nõ potuit? Deinde inter duos (hoc est accusatorẽ & reũ) pari periculo de capite decertantes, alterum si nõ probasset, alterũ si esset ab accusatore conuictus, si non id quod iustitiæ est, iudex exequatur, sed misereatur alterius, aut damnabit probantem: aut dum accusatori fauet, quod probare non possit, addicet innoxium. Non potest igitur hæc dici iusta misericordia. In ipsa ecclesia, vbi maximè quis misereri debet, teneri quàm maxime debet forma iustitię, ne quis à cõsortio cõmunionis vel criminationis abstractus, breui lachrymula atq; ad tẽpus parata, vel etiã vberioribus fletibus cõmunionem quàm plurimis debet postulare temporibus, à facilitate sacerdotis extorqueat. Nónne etiam cùm vni indulget indigno, ad prolapsionis contagium prouocat vniuersos? Facilitas enim veniæ, incentiuum tribuit delinquendi. ITEM Augustinus in libro psalmorum.

Deut. 19. d.
1. Reg 15. b.

Non debemus in mala causa pauperi misereri. 30

NE amisso iudicio sis pauperi in mala causa misericors: cuius

ius si parcis sacello, percutis cor: & tanto nequiorem reddis, quanto iustum sibi fauere videt. IDEM.

Homini est miserendum, peccatori irascendum. 31

DVo ista nomina cùm dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur: quia peccator est, corripe, quia homo, miserere: nec omnino liberabis hominē, nisi eum persecutus fueris peccatorem, huic officio nominis inuigilet disciplina: sicut cuique regenti apta & accōmodata est, nō solùm episcopo regenti plebem suam sed etiam pauperi regenti domu suam: diuiti regenti familiam suam, marito regenti coniugē suā, patri regenti prolem suā, iudici regenti prouinciā suam: regi regēti gentem suam, & paulopost. Ita nulli homini claudēda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est. Hinc itaque intelligendum est quòd non sit contēnenda eleemosyna, quæ quibusque pauperibus iure humanitatis impenditur: quandoquidem dominus subleuauit indigentiam pauperum etiā his loculis quos ex opibus implebat aliorū. & paulopost. Non ergo suscipiamus peccatores, propter hoc quod sunt peccatores, sed tamē eosipsos, quia & homines sunt, humana consideratione tractemus. persequamur in eis propriā iniquitatem: misereamur communem naturam.

GRATIAN. ITEM illud euangelij quod obijciebatur, qui gladio vsus fuerit, gladio cadet. Augustinus exponit in secundo libro contra Manichæos ita dicens.

Cap.70.lib.22 contra Faustum. 7.par:.

Quis dicatur gladium accipere. 32

ILle gladium accipit qui nulla superiori ac legitima potestate vel iubente, vel concedente in sanguinem alicuius armatur. Porrò illud Hieronymi quo ecclesia negatur aliquem persequi, non ita intelligendum est, vt generaliter ecclesia nullum persequatur: sed quòd nullum iniustè persequatur. Non enim omnis persecutio culpabilis est, sed rationabiliter hæreticos persequimur, sicut & Christus corporaliter persecutus est eos quos de templo expulit.

Epist.48. VNDE Augustinus ait Vincentio Donatistæ.

Potestatis officio vtiliter inquieti coriguntur. 33

*al.nimirum. NImium *sunt inquieti quos per ordinatas à deo potestates seculares cohiberi atque corrigi mihi non videtur inutile. nam de multorum iam correctione gaudemus. Item post pauca. Si enim quisquam inimicum suum periculosis febribus phrineticum factum currere videret in præcipitiū, nónne tūc potius malum pro malo redderet, si sic eum ire permitteret, quàm si corrigendum curandumque ligaret? & tamen tunc ei molestissimus & aduersissimus videretur, quādo vtilissimus & misericordissimus extitisset: sed planè salute reparata tanto ei vberius gratias ageret, quanto minus sibi pepercisse sensisset.

&

& post pauca. At quibusdam ista non prosunt, nunquid ideo negligenda est medicina: quia nonnullorum insanibilis est pestilentia? Item post aliqua. Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm blanda oscula inimici. Melius est cum seueritate di- *Prou.27.a.* ligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. Item post pauca. Putas neminem debere cogi ad iustitiã, cùm legas patremfamiliâs dixisse seruis, Quoscunque inueneritis cogite intra- *Matth.22.a* re. cùm legas & ipsum primo Saulum, postea Paulum ad ve *Luc.14.e.* ritatem cognoscendam & tenendam magna violentia Christi *Act.9.c.* cogentis esse compulsum. Item post pauca. Et cùm noueritis furem aliquando auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem flagello errantia pecora reuocare.

Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris: Detrahentem secretò proximo *Psalm.100.* suo, hunc persequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur, iniustus est: & qui eã facit, iustus est. Sed planè sæpe & mali persecuti sunt bonos, & boni malos. illi nocendo per iniustitiam, isti consulendo per disciplinam. illi immaniter, isti temperanter. illi sæuientes cupiditate, isti charitate. nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet. qui autem curat, considerat quemadmodum secet. ille persequitur sanitatem, iste putredinem. Occiderunt impij prophetas, occiderunt impios & *3.Reg.18.a.* prophetæ. flagellauerunt Iudæi Christum, Iudæos flagellauit & Christus. traditi sunt apostoli ab hominibus humanæ potestati, tradiderũt apostoli homines potestati satanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro *Matth.17.c.* iniquitate: quis nocendi causa, quis emẽdandi? Et paulo post. *Ioan.2.g.* Constantinus imperator cõstituit vt res conuictorum & vni- *Act.16.e.* tati, peruicaciter resistentium fisco vendicarentur. & post pau- *1.Cor.5.a.* ca. Certè nullius crimen maculat nescientem. Item facta nocentium quæ innocentibus demonstrari, vel ab innocentibus credi non possunt, non coinquinant quemquam, sed propter innocentium consortium etiam cognita sustinentur. Non enim propter malos boni sunt deserendi, sed propter bonos mali tolerandi: sicut tolerauerunt prophetæ eos contra quos tanta dicebant: nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant. IDEM Donatistæ presbytero. *Aug.epi.204.*

Hæretici ad salutem etiam inuiti sunt trahendi. 34

DIsplicet tibi quòd traheris ad salutem dei: cùm tamẽ multos nostros ad perniciẽ traxeris. Quid enim volumus nisi te cõprehendi & præsentari & seruari ne pereas? Quod autem in corpore læsus es, ipse tibi fecisti, qui mox iumento tibi ad-

moto vti noluisti, & te ad terram grauiter collisisti. nam vtiq; alius qui adductus est tecum collega tuus, illæsus venit: quia talia ipse sibi non fecit. Sed neq; hoc putas tibi fieri debuisse, qui neminem existimas cogenduum ad bonum. Attēde quid [1. Tim. 3.] dixerit Apostolus, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: & tamen multi vt episcopatū suscipiant, tenētur inuiti, producuntur, includuntur, patiuntur inuiti mala, quæ nolunt donec eis adsit voluntas suscipiēdi operis boni. quanto magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis, trahendi estis & perducendi ad veritatem vel cognoscendam vel eligendam: non solum vt honorem salubriter habeatis, sed etiam ne nequissimè pereatis? Dicis dominum dedisse liberum arbitrium, ideo non debere hominem cogi ad bonum. quare ergo illi de quibus supra diximus, cogūtur ad bonum? Attende ergo & considera quòd nō ideo voluntas bona misericorditer impēditur, vt mala volūtas hominis diligatur. Nam quis nesciat, nec damnari hominē, nisi merito malæ voluntatis: nec liberari, nisi bonam habuerit voluntatem? Nō tamen ideo qui diliguntur, malæ suæ voluntati impunè & crudeliter permittendi sunt, sed vbi potestas datur, & à malo prohibendi & ad bonū sunt cogendi. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israëlitæ recusantes & murmurantes tām duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur? Si verò voluntas ma- [Actor 9.] la semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate qua persequebatur ecclesiam, sed prostratus est vt cæcaretur: cęcatus est, vt mutaretur: mutatus est, vt mitteretur: missus est, vt qualia fecerat in er- [Prou. 13. d.] rore, talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala semper suæ permittēda est libertati: quare monetur pater in scripturis sanctis filium durum nō solum verbis corripere, sed etiam latera [Pro. 23. b.] eius tundere, vt ad bonā disciplinam coactus ac domitus dirigatur? Vnde idē Salomon dicit: Tu percutis eū virga, animam autē eius liberas à morte. Si aūt mala voluntas semper suæ permittēda est libertati, quare corripiūtur negligentes pastores, & [Eze. 34. a.] dicitur eis: Errantē non reuocastis, perditū non inquisistis? Et [Hier. 23. a.] vos oues Christi estis, characterē dominicum portatis in sacramento quod accepistis: sed erratis & peritis, non ideo vobis displiceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. melius enim facimus voluntatem domini monētis si vos ad ouile eius redire cogamus: quàm consentiamus voluntati errantium, vt perire vos permittamus. Noli ergo iam dicere quod te assiduè audio dixisse: Sic volo errare, sic volo perire. melius hoc omnino perire nō permittimus quantū possumus. modò quòd te in puteum, quo morereris misisti, vtiq; libera-

voluntate fecisti: sed quá crudeles essent serui dei si huic malæ voluntati tuæ te permitterent,& non te de illa morte liberarent?quis eos non merito culparet? quis impios non rectè iudicaret?& tamen tu te volens in aquá misisti vt morereris.illi te nolentem leuauerũt de aqua,ne morereris.tu fecisti secundum voluntatem tuam, sed in perniciem tuam , & illi contra voluntatem tuã,sed contra mortem tuá. Si ergo salus illa corporalis sic custodienda est , vt etiam in nolentibus ab eis qui eos diligunt seruetur.quãto magis illa spiritualis,in cuius desertione mors æterna metuitur?quanquã & in ista morte quã tibi tuipse voluisti inferre: nõ solum ad tẽpus,sed etiã in æternũ morereris:quia etsi nõ ad salutẽ,nõ ad ecclesię pacẽ,non ad Christi corporis vnitatẽ , nõ ad sanctã,& indiuiduã charitatẽ, sed ad mala aliqua cogereris , nec sic tibi ipse mortem inferre debuisti.considera scripturas diuinas,& discute quãtum potes, & vide vtrum hoc fecerit aliquis iustorũ aliquando atq; fidelium,cum ab eis tanta mala perpessi sunt,qui eos ad interitum, non ad vitam (quo cõpelleris)adigebant.& post pauca. Repetis(sicut audio)quod in euãgelio scriptũ est recessisse à domino lxx.*discipulos, & arbitrio suæ malæ atq; impiæ discessionis fuisse permissos:cæterisq; xij.qui remanserant,fuisse respon sum: Nunquid & vos vultis abire? & non attendis quia tunc primum ecclesia nouello germine pullulabat:nõdum cõpleta fuerat illa prophetia: Et adorabũt eũ omnes reges terrę,omnes gentes seruiẽt ei.quod vtiq;quãto magis impletur,tanto maiore vtitur ecclesia potestate,vt nõ solum inuitet,sed etiã cogat ad bonum.hoc dominus significare volebat:quòd quãuis haberet magnam potestatẽ,prius tamen elegit cõmendare humilitatem: hoc etiã in illa conuiuij similitudine satis euidenter ostenditur vbi misit ad inuitatos, & venire noluerũt,& ait seruo: Exi citò in vias,& plateas,& vicos ciuitatis,& pauperes ac debiles,cæcos & claudos introduc huc. At ait domino seruus:Factum est vt imperasti,& adhuc locus est,& ait dominus seruo:Exi in vias & sepes,& cõpelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nũc quẽadmodum de illis qui primò venerãt, dictũ est,introduc eos:nunc dictũ est,compelle.ita significata sunt ecclesiæ primordia adhuc crescentis , vt essent per vires etiam compellendi. ITEM super Ioannem.

Ioan. 6. / **al. lxxij.* / *Psalm. 71.* / *Matth. 22.* / *Tracta. 11. ad cap. 3. Ioannis.*

Hæretici vtiliter patiuntur, quæ catholici vtiliter inferunt. 35

QVando vult deus concitarę potestatem aduersus hæreticos , aduersus schismaticos , aduersus dissipatores ecclesiæ , aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores Christi,blasphemi non mirentur: quia deus concitat vt à Sara verberetur Agar,cognoscat se Agar, supponat ceruicem.quę cũ humiliata discederet à domina sua,occurrit ei angelus,& dixit:

Gene.21. xit: quid tibi est Agar ancilla Saræ? Cùm cōquesta esset de domina, quid audiuit ab angelo? reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur. atque vtinam reuertatur: quia proles eius sicut proles Iacob cum fratribus hęreditatem tenebit. Mirātur autē quia cōmouentur potestates Christianæ contra dissipatores ecclesię detestandos, si non cōmouerentur, quomodo redderent rationē de imperio suo Deo? Intēdat charitas vestra quid dicam, quia hoc pertinet ad reges seculi, scilicet Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam ecclesiā habere, vnde spiritualiter nati sunt. & paulò post. *Dan.3.g.* Nabuchodonosor rex decreuit dicens: Quicunque dixerint blasphemiā in Deum Sidrac Misac & Abdenago, in interitu erūt: & domus eorū in dispersione. Ecce quomodo rex alienigena sæuit ne blasphemetur Deus Israël, qui potuit tres pueros de igne liberare. & nolunt vt sæuiant reges Christiani, quia Christus exsufflatur: à quo nō tres pueri, sed tot' orbis terrarū cū ipsis regibus à gehennarū igne liberatur. & infra. Quomodo ergo isti reges non moueantur, qui non tantū tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos de flāma gehennę, quando vident Christū à quo liberati sunt, exsufflari Christianis, quando audiunt dici Christiano, dic te non esse Christianum? Talia facere volunt, sed talia pati nolunt. Nam videte qualia faciunt, & qualia patiuntur, occidunt animas, affligun- in corpore: sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur.

Cap.79. lib.2. contra literas Petiliani. IDEM contra Petilianum.

Ecclesia hæreticos ratione persequitur. 36

QVi peccat, non peccat legis auctoritate, sed contra legis auctoritatem. Quia verò interrogas me quæ sit ratio perquendi, vicissim te interrogo cuius sit vox in Psalm. dicentis, *Psal.100.* Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Quęre itaque causam & modum persecutionis, & noli tanta imperitia malorum generaliter persecutiones reprehendere. non enim persequimur vos nisi quemadmodum veritas persequitur falsitatem. Item Petilianus dixit: Si apostoli persequuti sunt aliquem, aut aliquē tradidit Christus? Augustinus respondit. Possem quidem dicere ipsum satanam omnibus malis ho- *1.Cor.5.b* minibus esse peiorē: cui tamen tradidit Apostolus hominē in interitū carnis, vt spiritus sit saluus in die domini nostri Iesu *1.Tim.1.d.* Christi. Itē alios de quibus dicit: Quos tradidi satanæ, vt dis- *Ioan.2.* cant non blasphemare: & dominus flagellatos expulit de tēplo *Psal.68.* improbos mercatores: vbi etiam connexū est testimoniū scripturæ dicentis: Zelus domus tuæ comedit me. Ecce inuenimus Apostolum traditorem. Christum persecutorem. Postremò quare per violentissimas turbas etiam vltro improbi estis ecclesiis catholicis, vbi poteritis aduertere quod innumerabilibus

libus exemplis res ipſa indicat? Sed dicitis vos loca veſtra defendere, & reſiſtitis fuſtibus & cædibus quibuſcunque potueritis. quare non audiſtis ibi vocem domini dicentis: Ego autẽ dico vobis, nolite reſiſtere malo? Aut ſi fieri poteſt, vt aliquando rectè per vim corporalẽ reſiſtatur violentis, nec ideo præceptum violetur quod audiuimus à Domino: Ego autem dico vobis, nolite *reſiſtere malo: cur nõ etiã hoc fieri poteſt, vt per ordinatas & legitimas poteſtates de ſedibus quæ illicitè vſurpantur, vel ad iniuriã dei retinentur, pius expellat impium, & iuſtus iniuſtum? neque enim eo modo perſecutionẽ paſſi ſunt pſeudoprophetæ ab Helia, quomodo ipſe Helias à rege nequiſſimo. aut quia flagellatus eſt dominus à perſecutoribus, propterea paſſionibus eius comparandi ſunt quos ipſe de templo flagellatos eiecit. Reſtat ergo vt nihil aliud requirendum eſſe fateamini, niſi vtrũ iuſtè an impiè vos ſeparaueritis à communione orbis terrarum. Nam ſi hoc inuentũ fuerit, quod impiè feceritis, non miremini ſi nõ deſunt miniſtri dei, per quos flagellamini: quia perſecutionem patimini non à nobis, ſed (ſicut ſcriptum eſt) ab ipſis factis veſtris. & j. De perſecutione veſtra querela ſedabitur, ſi cogitetis prius & intelligatis non omnem perſecutionem eſſe culpabilem. Alioquin verò non laudabiliter diceretur: Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Nam quotidie videmus & filium de patre tanquam de perſecutore ſuo cõqueri, & coniugem de marito, & ſeruum de domino, & colonum de poſſeſſore, & reum de iudice, & militem vel prouincialem de duce vel rege: cùm illi plerunque ordinatiſſima poteſtate homines ſibi ſubditos per terrores leuium pœnarum à grauioribus malis prohibeãt atque compeſcant: plerunque autem à bona vita & bonis factis minando & ſæuiendo deterreant. ſed cum à malo & illicito prohibeant, correctores & conſultores ſunt. cùm autem à bono & licito, perſecutores & oppreſſores ſunt: ſed culpantur etiam qui prohibent à malo, ſi modũ peccati modus correctionis excedat.

Matth. 5. f. — *al. nõ reſiſtere — Ibidem. — 3. Re. 18. et 19. — Pſalm. 100

IDEM in epiſtola ad Vincentium. Aug epiſt. 48.

A regibus terræ contra inimicos ſuos auxilium petat eccleſia. 37

NOn inuenitur exemplum in euangelicis & Apoſtolicis literis aliquid petitum à regibus terræ pro eccleſia contra inimicos eccleſiæ, quis negat non inueniri? ſed nondum implebatur illa prophetia: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Adhuc enim implebatur illud quod in eodẽ pſalmo paulò ſuperius legitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Veruntamen ſi facta preterita in propheticis libris, figuræ fuerunt futurorum, in rege illo

Pſalm. 2. — Ibidem.

qui appellabatur Nabuchodonoſor, vtrunque tempus præfiguratum eſt, & quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet eccleſia. Temporibus itaque Apoſtolorum & martyrum illud implebatur quod figuratum eſt, quando rex memoratus pios & iuſtos cogebat adorare ſimulacrum, & recuſantes mittebat in ignem. Nunc illud impletur quod paulòpoſt in eodē rege figuratum eſt, cum conuerſus ad adorandum deum verum, decreuit in regno ſuo, vt quicunque blaſphemaret deum Sidrac, Miſach, & Abdenago, pœnis debitis ſubiaceret. Prius

Dan. 3. g

ergo tempus illius regis ſignificabat priora tēpora regum infidelium, quos patiebātur Chriſtiani pro impiis. poſterius verò tempus eiuſdem regis ſignificabat tēpora regum fideliū, quos patiuntur impij pro Chriſtianis. Sed planè in eis qui ſub nomine Chriſti erant ſeducti à peruerſis, ne fortè oues Chriſti ſint errantes, ad gregem aliatum reuocandæ ſunt, & temperata ſeueritas & magis manſuetudo ſeruatur, vt coercitione exiliorum atque dānorum admoneantur conſiderare quid & quare patiantur, & diſcāt præponere rumoribus & calumniis hominum ſcripturas quas legunt. Quis enim veſtrum nō laudat leges ab imperatoribus datas aduerſus ſacrificia paganorum? & certè longè ibi pœna ſeuerior cōſtituta eſt. illius quippe impietatis capitale ſupplicium cōſtitutum eſt: de vobis autem corripiendis atque coercendis habita ratio eſt, qua potius admoneremini ab errore diſcedere, quàm pro ſcelere puniremini.

Aug. epiſt. 50.

ITEM eiuſdem ad Bonifacium comitem.

Malos eccleſia iuſtè perſequitur. 38

Galat. 4. d.

SI eccleſia vera eſt, ipſa eſt quæ perſecutionem patitur, non quæ facit. quæratur ab apoſtolo quam eccleſiam ſignificabat Sara, quando perſecutionē faciebat ancillæ. liberā quippe matrē veram cæleſtem Hieruſalem, id eſt veram dei eccleſiam in illa muliere dicit eſſe figuratā quæ affligebat ancillā. Si autem melius diſcutiamus, magis illa perſequebatur Sarā superbiendo, quàm Sara illam coercendo. Illa enim dominæ faciebat iniuriā, iſta imponebat ſuperbiæ diſciplinā. Deinde quæro ſi boni & ſancti viri nemini faciunt perſecutionē, ſed tantummodo patiuntur, cuius putant in Pſal. vocem eſſe vbi legitur:

Pſalm 17.

Perſequar inimicos meos, & cōprehendam illos, & non conuertar donec deficiant? Ergo ſi verum diſcere vel agnoſcere volumus, eſt perſecutio iniuſta, quam faciunt eccleſiæ Chriſti impij. iſta nanque beata eſt, quæ perſecutionē patitur propter iuſtitiam. illi verò miſeri, qui perſecutionē patiuntur propter iniuſtitiam. Proinde iſta perſequitur diligendo, illa ſæuiendo, iſta vt corrigat, illa vt euertat, iſta vt reuocet ab errore, illa vt præcipitet in errorem. Quòd autem dicunt qui contra ſuas impietates leges iuſtas inſtitui nolunt, nō petiſſe à regibus ter-

ræ,

ræ apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tẽporis, & omnia suis conuenire tẽporibus. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator? Quis enim pro pietate cõtra impietatem leges ferendo sæuiret. tunc enim adhuc illud propheticum implebatur: Quare fremuerent gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrę, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Nondum enim agebatur quod paulò post in eodem Psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges domino seruiũt in timore, nisi eà quæ contra domini iussa fuerint, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia rex est. Quia homo est, seruit viuendo fideliter. Quia rex est, seruit leges, iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo, IDEM.

Psalm. 2. — *Ibidem.* — *Augu. in eadem epist. 50.*

Exemplo Christi mali cogendi sunt ad bonum.

QVis nos potest amplius amare quàm Christus, qui animã suam posuit pro ouibus suis? Et cùm Petrum & alios apostolos verbo solo euocasset: Paulum ecclesiæ suæ postea magnum ædificatorem, sed horrendum antea vastatorem, nõ solum voce compescuit, verumetiam potestate prostrauit, atq; in infidelitatis tenebris sæuientem, ad desiderandum lumen cordis vt surgeret, prius cæcitate corporis percussit. Si pœna illa non esset, non ab ea postmodum sanaretur, & quãdo apertis oculis nihil videbat: si eos saluos haberet, non ad impositionem manus Ananię, vt eorum aperiretur intuitus, tanquam squamas quibus clausus fuerat, inde cecidisse scriptura narraret. Vbi est quod isti clamare cõsueuerunt, liberũ est credere, vel non credere, cui vim Christus intulit, quẽ coegit? Ecce habent Paulum Apostolũ, agnoscant prius in eo cogentẽ Christum, & postea docentẽ. Prius ferientem, & postea consolantẽ. Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus quibus qui solo verbo vocati sunt, in euangelio laborauit, & quẽ maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras mittit timorem. cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios vt redirent? IDEM contra Faustum.

Ioan. 10. b — *Matth. 4. c* — *Act. 9. a* — *Ca. 27. lib. 22.*

Non crudelitate sed dilectione Moyses populum flagellauit.

QVid crudele Moyses mandauit aut fecit cùm cõmissum sibi populũ sanctè zelans, viuo & vnico vero deo subditum cupiens, postea quàm cognouit ad fabricandum & colendum idolũ defluxisse, mentemq; impudicam prostituisse dæmonibus: in paucos eorum vindicãs gladio, quos deus ipse quem offenderant, alto & secreto iudicio feriendos voluisset,

Exod. 32. a

mox

mox feriri & in præsenti salubriter terruit, & disciplinam in posterum sanxit? Nam cum nulla credulitate, sed magna dilectione fecisse quod fecit, quis non in verbis agnoscat orãtis pro peccatis eorum, & dicentis: Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ? Sic planè & Apostolus non crudeliter, sed amicabiliter tradidit hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. tradidit & alios, vt discerent non blasphemare.

Ibidem. g — *1. Cor. 5. c.* — *1. Tim. 1 d.*

Inn. 1. epi. 3. ad Exuperiū episc. Tholosanū, c. 23

ITEM Innocentius papa.

Non imputatur fidelibus qui ex officio aut tormenta exercent, aut capitalem sententiam ferunt. 41

QVæsitum est etiam super his qui post baptismum administrauerunt, aut tormenta sæua exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. nihil de his legimus à maioribus diffinitum. meminerant enim à deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & dei [a]ministerio esse datum in huiusmodi [b]vindices. quomodo igitur reprehenderent factum quod auctore domino [c]videtur esse concessum? De his ergo *ita* vt hactenus seruatum, sic habeamus, ne aut disciplinam euertere, aut cõtra auctoritatem domini venire videamur. Ipsis autem in reddenda ratione gesta sua omnia seruabuntur.

a ministrum in vet.
b vet. vindicem
c viderent

IDEM ad [d]Toletanum episcopum.

d vet. Tolosanum.

Idē Inno in eadē epist. 3. a l Exupeiū Tholosanū

Immunis est dictator à culpa, cùm legum auctoritas in improbos exercetur. 42

ILlud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur vtique post baptismi regenerationem à principibus poscere mortē alicuius vel sanguinē de reatu, quá rem principes nunquam sine cognitione concedunt, sed ad iudices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, vt causa ipsa cognita vindicent: [e]qui cum quæsituri fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio pro negocij qualitate profertur. Et dum legum auctoritas in improbos exercetur, erit dictator immunis.

e al. quæ cum quæsitori.

Epist. 5. libr. 7.

ITEM Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

In correctione malorum deus omnipotens placatur. 43

SI quos igitur violentos, si quos adulteros, si quos fures vel aliis prauis actibus studere cognoscitis, deum deorũ correctione placare festinate: vt per vos flagellum perfidarum gentium, quod (quantum videmus) ad multarum nationum vindictam excitatum est, non inducat: ne si (quod nõ credimus) diuinæ vltionis iracundia sceleratorum fuerit actione commota, belli pestis interimat, quos delinquentes ad rectitudinis viam dei præcepta non reuocant.

Gre. epi. 72. l. 1

ITEM Gennadio patricio, & Hexarcho Africæ.

Eccle-

Ecclesiasticæ religionis inimici etiam bellis sunt coercendi. 44

SIcut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita dominus victoriarum fecit luce fulgere: ita oportet etiam inimicis ecclesiæ eius omni viuacitate mẽtis & corporis obuiare: quatenus eius ex vtroq; triumpho magis ac magis enitescat opinio, cùm & forensibus bellis aduersariis catholicæ ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, & ecclesiastica prælia sicut bellatores domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si eis (quod absit) supperit nocendi licentia, contra catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda (si valuerint) Christiani corporis membra transfundant. Cognouimus enim eos contra catholicam ecclesiam domino eis aduersante colla subrigere: & fidem velle Christiani nominis inclinare. sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat. Concilium vero catholicorum episcoporum admoneri præcipite, vt primatem nõ ex ordine loci postpositis vitæ meritis faciat: quoniam apud deum nõ gradus elegãtior, sed vitæ melioris actio comprobatur. ipse verò primas nõ passim (sicut moris est) per villas, sed in vna iuxta eorum electionẽ ciuitate resideat: quatenus adeptæ dignitatis melioris ingenio, resistẽdi Donatistis possibilitas disponatur. Ex concilio verò Numidiæ si qui desiderant ad apostolicam sedem venire, permittite, & si quilibet eorum viæ contradicere voluerit vel putauerit, obuiate. magis igitur profecto excellẽtiæ vestræ apud creatorem gloria proficit, si per eam dispersarum ecclesiarum potuerit societas restaurari. Cùm enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit reuocari; tantò largiora tribuit, quantò per ea religionis suæ dignitatem viderit ampliari. persoluentes præterea paternæ charitatis affectum, dominũ petimus quòd brachiũ vestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, & mentẽ eius fidei zelo velut mucrone gladij vibrantis exacuat.

IDEM ad eundem. *Greg epist. 71. ad Gennadium, lib. 1.*

Merito fidei bellorum paratur victoria. 45

SI non ex fidei merito, & Christianæ religionis gratia tanta excellẽtiæ vestræ bellicorum actuum prosperitas eueniret, non miranda fuerat: cùm sciamus hæc etiam antiquis bellorũ ducibus fuisse cõcessa. sed cùm futuras deo largiente victorias non carnali prouidentia, sed magis orationibus præuenitis, fit vt hoc in stuporẽ veniat, quòd gloria vestra nõ terreno consilio, sed deo desuper largiente descendat. vbi enim meritorum vestrorum loquax nõ discurrit opinio, quæ bella vos frequẽter appetere non desiderio fundendi sanguinis, sed tantũ dilatandæ causæ reipublicæ, in qua deum coli conspicimus, loquitur,

quatenus

quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prędicatione circumquaque discurreret? Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in hac vita constituunt, ita & interna morum ornamenta ex corde mundo procedentia, in futuram vitam cælestium gaudiorum participatione glorificant. Plurima enim pro pascendis ouibus B. Petri apostolorum principis excellentiam vestrã præstitisse didicimus: ita vt nõ parua loca patrimonij eius proprijs nudata cultoribus, largitis Dacorũ habitatoribus restaurasset. Quæcunque igitur illic Christianissima mente confertis, horum retributionem per spem in futuro iudicio sustinetis.

GRATIAN. 8. pars. Breuiter monstratum est quòd boni laudabiliter persequuntur malos, & damnabiliter mali persequuntur bonos. Illud autem Apostoli: Tu autem quis es qui iudicas alienum seruum?
Roman. 14. a. de alieni cordis occultis intelligendum est. Quòd vindicta inferri possit, monstratum est. Nunc restat ostendere quòd debet inferri, & quòd magis diliguntur illi qui puniũtur, quã qui impuniti relinquuntur. quod vtrunque multorum auctoritate probatur.
Sic in manuscr. Greg. epist. 27. lib. 2. primam habet partem. AIT enim Augustinus.

Ad iram deus prouocatur, cùm mala puniri differuntur. 46

SI ea de quibus vehementer deus offenditur, insequi vel vlcisci differimus: ad irascendum vtiq; diuinitatis patientiam prouocamus. Nónne Achor filius Zare preteriit mandatũ domini, & super omnem populum Israël ira eius incubuit? & ille erat vnus homo: atq; vtinam solus periisset in scelere suo.
Iosue 7. d.

Tomo 4. IDEM August. de serm. domini in monte, lib. j.

Vindicta quæ ad correctionem valet, non est prohibenda. 47

EA vindicta quæ valet ad correctionem, non prohibetur: quæ etiam ad misericordiam pertinet, nec impedit illud propositum quo quisque paratus est ab eo quem correctũ esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ inferendæ nõ est idoneus, nisi qui odium quo flagrare homines solent qui se vindicare desiderant, dilectionis mansuetudine superauerit. Non enim metuendum est ne odisse paruulũ filium parentes videantur, cùm ab eis vapulato peccás, ne peccet vlterius: & certè perfectio dilectionis ipsius Dei patris imitanda nobis proponitur, cùm in sequentibus dicitur: Diligite inimicos vestros,
Matth. 5. g. benefacite his qui oderunt vos, & orate pro his qui vos persequuntur. Et tamen de ipso dicitur per prophetã: Quem enim
Prouerb. 3. b. diligit dominus, corripit: flagellat autẽ omnem filium quẽ recipit. Dicit etiam dominus: Seruus qui nescit voluntatem do-
Luca 12. f. mini sui, & facit nõ digna, plagis vapulabit paucis. seruus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit non digna, vapulabit plagis multis. Non ergo nisi ipse vindicet cui rerum ordine potestas est data: & ea voluntate vindicet, qua pater paruulum

uulum filium flagellat: quem tamen per ætatem non pôtest odisse. Hic autẽ apertissimum exemplum datur, quo satis apparet posse peccatum amore potius vindicari, quàm impunitum relinqui: vt illum quem vindicat, non pœna miserum, sed correctione beatum esse velit. paratus tamen sit (si opus est) æquo animo plura tolerare ab eo illicita quem vult esse correctum, siue in eum habeat potestatem coërcendi, siue nõ habeat. Magni autem & sancti viri quanquam optimè scirent mortem istam quę animam dissoluit à corpore, formidandam non esse: secundum tamen eorum animum qui illam timeret: nonnulla peccata morte punierunt, quo & viuentibus vtilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum quod augeri posset si viuerent, diminueretur. non temere illi vindicabant quibus tale iudiciũ deus donauerat. Inde est quòd Helias morte multos affecit 3.Reg.18.g
propria manu, & igne diuinitus impetrato. quod & alij multi & magni viri eodẽ spiritu consulendo rebus humanis non te- 4.Reg.1.d
merè fecerũt. De quo Helia cùm exẽplum dedissent discipuli cõmemorantes quid ab eo factũ sit: vt etiã ipsis daret potestatem petendi de cœlo ignẽ ad consumendum eos qui sibi hospitium nõ præbuerant: reprehendit dominus in eis nõ exemplum prophetæ sancti, sed ignorantiã vindicandi quæ adhuc erat in rudibus: animaduertens eos non amare correctionem, Matth.22.c
sed odio desiderare vindictam. Itaq; postea quàm docuit eos quid esset diligere proximum tanquam seipsum, infuso etiam spiritu sancto quem decem diebus completis post ascensionẽ suam desuper (vt promiserat) misit: non defuerunt tales vindictæ, quãuis multo rarius quàm in veteri testamẽto. Ibi ex maiori parte seruientes timore premebantur: hic autẽ maxime dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis apost. Petri Ana- Act.5.a.
nias & vxor eius (sicut in Actibus apostolorum legimus) exanimes ceciderunt: nec resuscitati sunt, sed sepulti.

ITEM Augustinus contra Cresconium grammaticum, Cap 50. lib.3.
libro primo.

Quæ veritati contraria sunt, Christiani persequi debent. 48

QVisquis Christianus iniquum non persequitur, Christi est inimicus. verum dicis si non hoc in illo persequitur quod Christo est inimicum. neque enim dominus in seruo, pater in filio, maritus in coniuge (cum sint vtrique Christiani) nõ debent persequi nisi vitia Christianæ cõtraria veritati. An verò si non persequantur, non rei negligentiæ meritò tenebuntur?

ITEM Augustinus ad Macedonium. Epist.52.

Quemadmodum homo debet diligere proximum sicut seipsum. 49

DEbet homo diligere proximum suũ sicut seipsum: vt quẽ potuerit hominem beneficentia, consolatione, vel informatione

matione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione adducat ad colendum deum. ITEM August. ad Donatum presbyterum.

De eodem. 50

MAli sunt prohibendi à malo, & cogendi ad bonum.

GRATIAN.

Ex his [omnibus] colligitur, quòd vindicta est inferenda non amore ipsius vindictæ, sed zelo iustitiæ: nō vt odiū exerceatur, sed vt prauitas corrigatur. Sed cum vindicta aliquādo inferatur damnis rerum: aliquādo flagellis, aliquando etiā morte: quæritur an sit peccatum iudici vel ministro reos morti tradere.

QVAESTIO V.

AN SIT PECCATVM IVDICI VEL MINISTRO REOS OCCIDERE.

GRATIAN.

QVÒD autem nulli liceat aliquem occidere, illo præcepto probatur quo dominus in lege homicidiū prohibuit dicens: Non occides. Item in euāgelio: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.

Exod. 20.b
Matth 26.e
Aug epist. 159 ad Marcellinum tribunum.

ITEM Augustinus ad Marcellianum comitem de Donatistis captis.

Mali non sunt interficiendi, sed flagellis emendandi. 1

CIrcumcelliones illos clericos partis Donati quos de Hipponensi ciuitate ad iudicium pro factis eorum publicæ disciplinæ causa deduxerat, à tua nobilitate cōperi auditos: & plurimos eorum de homicidio quod in Restitutum presbyterum catholicū cōmiserunt, & de cæde Innocentij alterius catholici presbyteri, atque de oculo eius effosso, & de digito præciso fuisse confessos, vnde mihi solicitudo maxima incussa est, ne fortè sublimitas tua censeat eos tanta legum seueritate esse plectendos, vt qualia fecerunt, talia patiantur. Ideóq; his literis obtestor fidem tuā quam habes in Christo, per ipsius domini nostri misericordiam, vt hoc non facias, nec omnino fieri permittas. quanuis enim [ab] illorum [a]interitu dissimulare possemus, quia non accusantibus nostris, sed illorum notariis, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat, præsentati videantur examini: nolumus tamen passiones seruorum Dei quasi in alienæ partis suppliciis vindicari, non quòd scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere volumus, vt viui, & nulla parte corporis truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis ocium legū coercitione dirigantur: vel à malignis operibus alicui vtili operi deputentur. vocatur quidē & ista damnatio: sed quis non [b]intelligit magis beneficium quàm supplicium nuncupandum, vbi nec sæuiendi relaxatur audacia: nec pœnitendi salutaris medicina

a interitum

b intelligat

medicina subtrahitur? Imple Christiane iudex pij patris officium: sic succensere iniquitati memineris, vt non in peccatorum atrocitatibus exerceas vlciscendi libidinem: sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione seruasti, quãdo tantorum scelerum confessionem non extento *aculeo, nõ sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, sed virgarũ verberibus eruisti: qui modus coercitionis & à magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus adhibetur: *vt* & sæpe in iudiciis solet ab episcopis adhiberi. Noli ergo atrocius vindicare, quod [a]leuius inquirendi quã puniendi maior necessitas est. ad hoc enim & mitissimi homines facinus admissum diligenter atque instanter examinare debent, vt quibus parcant inueniant. IDEM Marcelliano.

*equuleo,

a lenius

Aug. epist. 158. ad Marcellinum

Præter supplicium mortis rei sunt puniendi. 2

POena illorum quanuis de tantis sceleribus cõfessorum rogo te vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam mãsuetudinem cõmendandam. Ipse enim fructus ad nos peruenit confessionis illorum: quia inuenit catholica ecclesia vbi erga atrocissimos inimicos seruet atque exhibeat lenitatem. in tanta quippe crudelitate quæcunque præter sanguinem vindicta processerit, magna lenitas apparebit. Quod etsi modo quibusdam vestris illa atrocitate commotis videtur indignum, & quasi dissolutionis & negligentiæ simile: transactis tamen motibus animorum (qui recentioribus factis solent turbulentius excitari) egregiè luculenta bonitas apparebit. IDEM Donato.

Aug. epi. 127.

Mali prohibendi sunt à malo, & cogendi ad bonum. 3

VNum solũ est quod in tua iustitia pertimescimus: ne fortè quoniam quicquid mali contra Christianam societatẽ ab hominibus impiis ingratisque committitur, profecto grauius est & atrocius quàm si in alios committatur: tu quoque pro immanitate facinorum, ac nõ potius pro consideratione lenitatis Christianæ censeas coercendũ. quod te per Iesum Christum ne facias obsecramus. Et paulò post. Ex occasione terribilium iudicum & legum ne æterni iudicij pœnas luant: corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus: nec supplicijs quibus digni sunt coerceri. Sic ergo eorum peccata cõpesce, vt sint quos pœniteat peccasse. Et paulò post. Proinde si occidendos in his viros putatis, deterrebitis nos, ne per operam nostram iudicium tale quidem perueniat, quo comperto in nostram perniciem licentiori audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta: vt etiã occidi ab eis eligamus potius, quàm eos occidendos, vestris iudiciis inferamus. IDEM Macedonio.

Epist. 54.

Quies ecclesiæ, principum seueritate iuuatur. 4

PRodest seueritas vestra, cuius ministerio quies adiuuatur & nostra. prodest intercessio nostra, cuius ministerio seueritas temperatur & vestra. Non vobis displiceat quòd rogamini à bonis: quia nec nobis displicet quòd timemini à malis. Nam hominum iniquitatem etiam Apostolus Paulus nō tantū iudicio futuro, verumetiā de præsentibus vestris secularibus potestatibus terruit: asserens etiā ipsas ad dispensationē diuinæ prouidentiæ pertinere. *Roma.13.a* Omnis (inquit) anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Hæc verba apostoli vtilitatem vestræ seueritatis ostendunt. Proinde sicut dilectionem iussi sunt terrentibus debere qui timent, ita dilectionē iussi sunt timentibus debere qui terrent. Nihil cupiditate nocendi fiat, sed omnia consulendi charitate: & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Ita formidetur vltio cognitoris, vt nec intercessoris religio contēnatur: quia & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Quòd si tāta est peruersitas & impietas, vt corrigendis reis nec disciplinæ, nec veniæ remedia suffragentur, ab omni tamē intentione atque conscientia quam deus cernit, siue seueritate, siue lenitate non nisi officium dilectionis impleatur.

Palea. 4

Omnino deest in manuscriptis

HOc tamen intelligendum est de illis quos præsentia supplicia in melius cōmutant: non de illis qui obstinati sunt in malo: qui si semper viuerent, semper peccarent: quorū pœna hic incipit, & in æternum durabit.

ITEM Hieron. in Naum prophetam.

Hier. ad ca.1. in commēt. Naum.

Impræsentiarum nonnulli puniuntur, ne in æternū flagellentur. 5

QVid ergo, ait, contra Dn̄m cogitatis? ipse est qui creauit mundum, & cōsummationē eius faciet. Quòd si vobis videtur crudelis, & rigidus, & cruentus, quòd in diluuio genus deleuit humanū, super Sodomā & Gomorrā ignē & sulphur pluit, *Gen.7.g. Ibidem 19.c* Aegyptios submersit fluctibus, Israëlitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eū ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternū puniret. Certè aut vera sunt quæ prophetæ loquūtur, aut falsa. Si vera sunt quæ de seueritate eius vidētur dicere, ipsi dixerunt: Non iudicabit deus bis in idipsum in tribulatione. Si autem falsa sunt, & falsum est hoc quod dicitur: Non consurget duplex tribulatio: falsa est ergo & crudelitas quæ in lege descripta est. Quod si verū est, vt negare nō poterunt, *Naum.1. secūdum aliā literā.* dicente propheta: Nō iudicabit Deus bis in idipsum in tribulatione: ergo qui puniti sunt, postea nō punientur. Si autem illi postea puniētur, scriptura mentitur: quod nefas est dicere. Receperunt ergo & qui in diluuio perierūt, & Sodomitæ, & Aegyptij, & Israelitæ in solitudine, mala sua in vita sua.

Quæret hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio, decolletur: quid de eo postea fiet? Aut enim punietur, & falsum est hoc quod dicitur. Non iudicabit deus bis in idipsum in tribulatione. Aut nō punietur, & optandum est adulteris vt impræsentiarum breui & cita pœna cruciatus frustrētur æternos. Ad quos respondebimus deum; vt & omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententia iudicis: nec illi in peccatorē exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem, & magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciatibus. Si quis autem punitus sit, vt ille in lege qui Israëlitis maledixerat, & qui in sabbato ligna collegerat: tales postea non puniri: quia culpa leuis præsenti supplicio seueritatis compensata sit. ITEM Gregorius papa. GRATIAN.

Qui rei sunt sanguinis, ab ecclesia defendi debent. 6

REos sanguinis defendat ecclesia, ne effusione sanguinis particeps fiat.

Hinc apparet quòd mali flagellis sunt coercendi, nō membrorum truncatione vel tēporali morte plectēdi. Sed obiicitur illud quod dominus ait ad Moysem: Maleficos non patieris viuere. Item: Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Adulterij etiā vel blasphemiæ crimine notatus immisericorditer lapidari iubetur. Itē Moyses qui legē acceperat, cultores idoli morte puniuit. Samuël etiā Agag pinguissimū regem in frusta conscidit. Phinees quoque Iudæū cum Madianita coeuntem gladio transfixit: quod est ei reputatū ad iustitiā. Similiter nōnulli in veteri testamēto inueniūtur malos trucidasse, nec tamē transgressores legis, sed defensores appellantur. Prohibetur ergo illo præcepto quisque sua auctoritate in necem alicuius armari, nō legis imperio reos morti tradere. qui enim publica potestate functus ipsius legis imperio malos perimit: nec illius præcepti transgressor, nec à cœlesti patria alienus habetur. VNDE Augustinus ad Publicolam.

GRATIAN.
Exod. 22. c.
Leuit. 20. c
Exod. 32. f
1. Reg. 15 g
Num. 25. b
Epist. 154.

Ex officio non est peccatum hominem occidere. 7

DE occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, nō mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur: vt non pro se hoc faciat, sed pro aliis vel pro ciuitate vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ. Qui verò repelluntur aliquo terrore ne mala faciant, etiam ipsis fortasse aliquid præstatur. hinc autem dictum est: ne resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quę alieno malo animum pascit: non tamen vt correctionem hominum negligamus. Vnde nec reus est mortis alienæ, qui cùm suę possessioni murorum ambitū circunduxit, aliquis ex ipsorum vsu percussus interiit. Neq; enim reus est Christianus si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem

occidat: aut ideo non deberent Chriſtianorum boues habere cornua, aut equus vngulas, aut dentes canes. An verò quoniã Paulus apoſtolus ſatiſegit vt in tribuni notitiam perferret inſidias ſibi eſſe à quibuſdam perditis præparatas, & ob hoc deductores accepit armatos, ſi in illos ſcelerati homines incidiſſent, Paulus in effuſione ſanguinis eorũ ſuũ crimen agnoſceret? Abſit vt ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus: ſi aliquid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquã mali acciderit: nobis imputetur: alioquin nec ferramenta domeſtica aut agreſtia ſunt habenda, ne quis ex eis vel ſe, vel alterum interimat: nec arbores plantandæ, ne quis ſe inde ſuſpendat: nec feneſtra facienda, ne per hanc ſe quiſquam præcipitet. & quid plura commemorem, cùm ea commemorando finire non poſſem? quid eſt in vſu hominum bono ac licito, vnde non poſſit pernicies irrogari?

GRATIAN. Seipſum etiam perimere, nulla legis auctoritate alicui permittitur. VNDE Auguſt. lib. j. de ciuitate dei.

Cap. 17.

Qui deo auctore bella geſſerunt, præcepta non occidendi nequaquam transgreſſi ſunt. 8

SI non licet priuata poteſtate alicui hominẽ occidere innocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit: profecto etiam qui ſeipſum occidit, homicida eſt: & tanto nocẽtior cùm ſe occiderit, quanto innocentior in ea cauſa fuit, qua ſe occidendum putauit. Nam ſi Iudæ factum meritò deteſtamur, eumq; veritas indicat cùm laqueo ſe ſuſpendit, ſceleratæ illius traditionis auxiſſe potius quã expiaſſe cõmiſſum, quoniam de dei miſericordia deſperando exitiabiliter pœnitens, nullum ſibi ſalubris pœnitẽtiæ locum reliquit: quãto magis à ſui cæde ſe abſtinere debet, qui tali ſupplicio quid in ſe puniat non habet? Iudas enim cùm ſe occidit, ſceleratiſſimum hominem occidit: & tamen non ſolum Chriſti, verumetiã ſuæ mortis reus finiuit hanc vitam: quia licet propter ſcelus, alio tamen ſuo ſcelere mortuus eſt. cur autẽ homo qui nihil mali fecit, ſibi malefaciat, & ſeipſum interficiẽdo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem: atque in ſe perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum? Item in ſanctis canonicisque libris nobis nuſquam diuinitus præceptum permiſſúmve reperiri poteſt, vt vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis vel ipſius mali cauendi curandíve cauſa nobiſmetipſis necem inferamus. Nam prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, vbi lex ait: Non occides. perſertim quia nõ addidit, proximum tuum: ſicut falſum teſtimonium cùm vetaret: falſum, inquit, teſtimonium non dices aduerſus proximum tuum. Nec ideo tamen ſi aduerſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc ſe putauerit crimine alienum:

Math. 27. a

Exod. 20 c.

num: quoniam regulam diligendi proximum, à ſemetipſo accepit: quoniam quidem ſcriptum eſt: Diliges proximũ tuum ſicut teipſum. *Matth.22.* Porrò ſi falſi teſtimonij non minus reus eſt qui de ſeipſo falſum fatetur, quàm ſi aduerſus proximum hoc faceret: cùm in eo præcepto quo falſum teſtimonium prohibetur, aduerſus proximum prohibeatur: poſſitque non rectè intelligentibus videri non eſſe prohibitum, vt aduerſus ſeipſum quiſque falſus teſtis exiſtat: quanto magis intelligendum eſt non licere homini ſeipſum occidere: cùm in eo quod ſcriptũ eſt: Non occides, nihil deinde addito: nec ipſe vtique cui præcipitur, intelligatur exceptus. Item: non occides, nec te, nec alterum. Nec enim qui ſe occidit, aliud quàm hominem occidit. Quaſdã verò exceptiones eadem ipſa diuina fecit auctoritas, vt non liceat hominem occidi: ſed his exceptis quos deus occidi iubet, ſiue data lege, ſiue ad perſonam pro tempore expreſſa iuſſione. Nam qui occidit, ipſe miniſteriũ prębet iubenti, ſicut adminiculum gladius eſt vtenti: & ideo nequaquã contra hoc præceptum fecerunt quo dictum eſt: Non occides, qui deo auctore bella geſſerunt: aut perſonã gerentes publicæ poteſtatis, ſecundũ ius legis, hoc eſt iuſtiſſimæ rationis imperiũ, ſceleratos morte punierunt. *Geneſ.22.b* Et Abraham non ſolũ nõ eſt culpatus crudelitatis crimine: verumetiam laudatus eſt nomine pietatis, quòd voluit filiũ nequaquã ſceleratè, ſed obedienter occidere. Et meritò quæritur, vtrũ pro iuſſu dei habendum ſit *Iudic.11.f* quòd Iepte filiã quę occurrit patri, occidit: cùm id vouiſſet immolaturum quod ei victori redeũti de prælio primitus occurriſſet? Nec Sanſon aliter excuſatur, quòd ſeipſum cũ hoſtibus *Ibidem 16.g* ruina domus oppreſſit, niſi quia ſpiritus ſanctus latenter hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ deus ſpecialiter iubet occidi: quiſquis hominẽ vel ſeipſum vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Item: hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortẽ ſibi inferre debere: velut fugiẽdo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminẽ propter peccata aliena, ne hoc ipſo incipiat habere grauiſſimum peccatũ proprium: neminẽ propter ſua peccata præterita, quæ magis in hac vita opus eſt vt poſſint pœnitendo ſanari: neminẽ velut deſiderio melioris vitæ, quæ poſt mortem ſperatur, quia reum ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.

IDEM contra Petilianum. *Auguſt. cap. 49 lib. 2. contra literas Petiliani.*

Nemini liceat ſibi manus iniicere. 9

TV dixiſti, laqueo traditor periit, laqueũ talibus dereliquit. Hoc ad nos omnino non pertinet. neq; enim veneramur nomine martyrum eos qui ſibi collum ligauerunt.

In comment. ad finē. ca. 1. Ionæ.

ITEM Hieron. in Iona propheta.

De eodem. 10

NOn est nostrum mortē arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere. vnde & in persecutionibus non licet mihi propria perire manu, absq; eo vbi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.

Cap 34. concil. Bracharensi 1.

ITEM ex concilio Bracharensi.

Nulla fiat oratio pro his qui seipsos interficiunt. 11

PLacuit vt hi qui sibiipsis voluntariè aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspēdium vel quolibet modo inferunt mortē, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum psalmis ad sepulturā eorū cadauera deducantur. multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpāt. Similiter & de his placuit fieri qui pro suis sceleribus moriuntur. impœnitentes subauditur.

Aug. c. 26 li. 1 de ciuitate dei. 4. pars.

IDEM in eodem libro primo.

Non est reus homicidij miles, qui potestati obediēs hominē occidit. 12

MIles cùm obediens potestati sub qua legitimè cōstitutus est hominem occidit, nulla ciuitatis suę lege reus est homicidij: imò nisi fecerit, reus est imperij deserti atque cōtempti. quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimē effusi humani sanguinis incidisset. Itaque vnde punitur si fecerit iniussus, inde punietur si non fecerit iussus.

Aug. quæst. 39. ad ca. 11. Exod.

IDEM in quæstionibus Exodi.

Homicida est qui spontè occidit, quos iudex iubet occidi. 13

CVm minister iudicis occidit eum quem iudex iussit occidi: profecto si id spontè facit, homicida est: etiam si eum occidat quem scit à iudice debuisse occidi. IDEM.

Aug. ca. 73. lib. 22. contra Faustum.

Sicut iure laudatur obedientia, ita reprehenditur qui sibi non concessa vsurpat. 14

LEx æterna ita medio quodam loco posuit aliqua, vt in eis vsurpandis meritò reprehendatur audacia: in exequendis iure laudetur obedientia. Abraham si spontaneus in occidēdo filio motus fuisset, execrabilis haberetur: at iubenti deo obsecundans famulatus est.

Aug. quæst 10. libr. 1. quæstion. euangeliorum.

IDEM in quæstionibus super Matthæum.

Bono animo officia vindictæ possunt impleri. 15

OFficia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo iudex, & quomodo lex.

Epist. 54.

IDEM ad Macedon.

Non est iniquus, sed humanus, qui crimen persequitur vt hominem liberet. 16

NOn est iniquitatis sed potius humanitatis societate deuictus, qui propterea criminis est persecutor, vt sit hominis liberator. IDEM.

Aug. in ead. epi. 54. ad Maced.

Quare

Quare sint instituta regia potestas, & legalia tormenta. 17

NOn frustra sunt instituta potestas regis, & cognitoris ius: vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris: habent omnia ista modos, causas, rationes, vtilitates. hæc cum timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos viuunt. IDEM. *Aug. ibidem ad Macedonium.*

Nonnunquam potius peccat qui causam mortis præbet, quàm ille qui occidit. 18

CVm homo ab homine occiditur, multum distat vtrum fiat nocendi cupiditate vel iniustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone: an vlciscendi vel obediēdi ordine, sicut à iudice, sicut à carnifice, vel euadēdi vel subueniēdi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite. Et aliquando qui causa mortis fuit, potius in culpa est, quàm ille qui occidit: velut si quispiā decipiat fideiussorē suum, atq; ille pro isto legitimum suppliciū luat. nec tamē omnis qui causa alienæ mortis est, reus est, velut si stuprum quispiā petit, sese-que si non impetrauerit, interimat. Quid si filius timens patris pia verbera, præcipitio pereat? quid si alius homine liberato, vel ne alius liberetur sibi ipsi mortē inferat? nunquid propter istas alienarum mortium causas aut sceleri cōsentiendum est, aut vindicta peccati quæ non fit nocendi, sed corrigendi studio, aut etiam paterna verbera toleranda, aut opera misericordiæ cohibenda sunt? Hæc cum accidunt, debemus eis humanum dolorem, & non propter illa ne accidant, rectè factorum reprimamus voluntatem. IDEM Isidorus. *de summo bono*

Quod sacerdotes efficere docendo non valent, disciplinæ terrore potestas extorqueat. 19

PRincipes seculi nonnunquā intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent: vt per eandem potestatem, disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. sæpe per regnum terrenum, cæleste regnū proficit: vt qui intra ecclesiam positi contra fidē & disciplinam agunt, rigore principum cōterantur: ipsamq; disciplinam quam vtilitas ecclesiæ exercere non præualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat: & vt venerationem mereatur virtutem potestatis impertiatur. Cognoscant principes seculi se deo debere esse reddituros rationē propter ecclesiam quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes, siue soluatur: ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit. ITEM Leo papa. *Leo I. epist. 29. ad Pulcheriam Augustam.*

Et regia potestas & sacerdotalis defendat auctoritas, quæ ad diuinam confessionem pertinent. 20

RES autem omnes aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas. ITEM ex concil. Turoñ. iij.

Sacerdotalis admonitio quos corrigere non valet, secularis potentia corrigit. 21

INcestuosi, parricidæ, homicidę multi apud nos reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurē accommodare, volētes in pristinis perdurare criminibus; quos oportet per secularis potentiæ disciplinā à tam praua consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt reuerti. ITEM Hierony. super Hieremiam.

In comment. ad ca.22. Hierem.

Malos comprimere, & bonos sublenare, regum officium est. 22

Hierem. 7. b.

REgum officium est proprium, facere iudicium atque iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, & peregrinis pupillisque & viduis qui facilius opprimūtur à potentibus, præbere auxilium. & vt curam eis præceptorum dei maiorem iniiceret, intulit. Nolite cōtristari, vt non solum eripiatis, sed ne patiamini quidem vt vestra conniuentia eueniat eos ab aliis contristari. & sanguinē innocentem non effundatis in loco isto. homicidas enim sacrilegos, &c. & post pauca. Si, inquit, hoc feceritis ô reges Iuda, tenebitis pristinam potestatem.

GRAT. 5. pars.

Ipsis autem principibus & potestatibus fidem & reuerentiā seruari oportet, quam qui non exhibuerit, apud deum præmia inuenire non poterit. VNDE idem Hieron.

Aeterna mercede fraudatur, qui fidem & reuerentiam potestatibus seruare contemnit. 23

SI apud carnales dominos in minimis fideles fuerint, incipient eis apud deū præmia maiora cōmitti. ornat autē doctrinam domini, qui ea quæ cōditioni suæ apta sunt, facit: & è diuerso confundit eam qui nō est subiectus in omnibus & cui conditio sua displicet, qui contradictor atq; fraudator in nullo fidem bonam ostendit. Quomodo enim potest fidelis esse in substantia dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit? ITEM Ambros. in lib. j. de Patriarchis.

Amb ca.3. l.1. de Abraham.

Militaris disciplina regi omnia seruat. 24

Genes. 14. d.

*al. Docet

DIcat aliquis, cùm ipse vicerit, quomodo dixit Abrahā ad regem Sodomorum, Nihil sumam abs te: cùm præda vtique in potestate victoris fuerit? *Docet militarē disciplinam, vt regi seruentur omnia. Sane his qui secum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumenti tribuendā asserit tanquam mercedem laboris. ideoq; quoniam sibi mercedē ab homine non quæsiuit, à deo accepit, sicut legimus scriptū, quia post

quia post hęc verba factum est verbum domini ad Abraham in visu dicens: Noli timere Abrahã, ego protegam te, & merces tua erit magna valde. Gene. 15. a.

Præterea sicut principibus & potestatibus fidem & reuerentiam exhibere cogimur, ita secularium dignitatum administratoribus, defendendarum ecclesiarum necessitas incumbit. quod si facere contempserint, à communione sunt repellendi. VNDE Ioannes octauus. GRATIAN. 6. pars.

Querimonias ecclesiarum, qui in dignitatibus agunt, attentius debent audire. 25

ADministratores planè secularium dignitatum, qui ad ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constitui esse proculdubio debent: quotiês ab episcopis & ecclesiasticis viris cõuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant: & secundũ quod necessitas expetierit, absq; negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. Quòd si dei timorem præ oculis non habentes negligere post secundam & tertiam admonitionem inuẽti fuerint, omni se nouerint communione vsque ad condignam satisfactionem priuatos. ITEM Hierony. super Iohelem. Ad cap. 2. Iohelis in comment.

Non solùm homines, sed & contrariæ fortitudines sunt vltrices iræ Dei. 26

NOn solũ homines ministri sunt & vltores iræ Dei, his qui malum operantur, (vnde non sine causa gladiũ portant) sed etiam contrariæ fortitudinis, quæ appellantur furor & ira Dei. IDEM super Esaiam. 7. pars. Ad cap. 13. Esaiæ in principio.

Qui crudeles iugulat, non est talis qualis patientibus videtur. 27

NOn est crudelis qui crudeles iugulat: sed crudelis ideo vocatur, quia crudelis patiẽtibus esse videtur. Nam latro suspensus patibulo crudelem iudicem putat.

IDEM super Ezechielem lib. iiij.

Minister est Dei, qui malos percutit in eo quod mali sunt. 28

QVi malos percutit in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, vt occidat pessimos, minister est Dei.

IDEM super epistolam ad Galat. ij.

Non scelus admittit iudex, qui homines vincit. 29

IVdex non est auctor sceleris homines vinciendo.

IDEM super Hieremiam. Ad cap. 22. Hiere.

Non sanguinem effundit, qui homicidas & sacrilegos punit. 30

HOmicidas, sacrilegos, & venenarios punire: non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. ITEM Cyprianus. Lib. de exhortatione martyrij.

Principes populis parcere non debent. 31

SI audieris in vna ex ciuitatibus quas dominus deus tuus dabit tibi, inhabitare illic dicẽtes, eamus & seruiamus diis alienis: quos deos non nouisti, interficiens necabis omnes qui sunt Cap. 5. Deut. 13. c.

sunt in ciuitate, cæde gladij: & incendes ciuitatem igni, & erit sine habitaculo in æternum, non reædificabitur etiam nunc, vt auertatur deus ab indignatione iræ suæ, & dabit misericordiã tibi, & miserebitur tui, & multiplicabit te, si audieris vocẽ dñi dei tui, & obseruaueris præcepta eius. cuius præcepti & vigoris memor Mathathias interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat. Quod si ante aduentũ Christi circa deum colendum & idola spernenda hæc præcepta seruata sunt: quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt, quãdo ille veniens non tantùm verbis nos hortatus sit, sed etiam factis?

1. Mach. 2.

Cap. 8; lib. 2. cõtra literas Peti.

IDEM August. contra Petilianum.

Tribulationum flagellis aliquando perfidia castigatur. 32

AD fidem nullus est cogẽdus, vt dicitis: sed per seueritatem imò & per misericordiam dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. nũquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? sed tamen vltrix malè viuendi disciplina præpostera est nisi cura præcedens bene viuendi doctrinam prætendat. sic igitur quod aduersus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini: sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest nisi elegerit, nisi amauerit: quod est in libera voluntate. Cùm aliquid aduersus vos leges cõstituunt, admoneri vos credite vt cogitetis quare ista patiamini. Si propter iustitiam, reuera illi persecutores vestri sunt. Beati autẽ vos, qui persecutionem passi estis propter iustitiam: quia possidebitis regnum cælorum. Si autem propter iniquitatẽ schismatis vestri, illi quidem correctores vestri sunt, vos autem sicut cæteri diuersorum scelerum rei qui pœnas legibus pendent, profectò infelices & in hoc, & in futuro seculo eritis. IDEM.

Matth. 5.

Augu. cap. 92. eiusdem lib. 2.

Iniuria sacramentorum Christi à regibus est vindicanda. 33

SI propterea persecutor nõ fuit Nabuchodonosor rex, quia scelus in sanctam Danielem commissum vindicauit iustissimè, quomodo vindicãdum est à regibus, quòd Christi sacramenta exsufflantur: si prophetæ membra quia in periculum missa sunt, sic vindicari meruerunt? IDEM.

Diligentissimi rectores sunt, qui malos vt à malo fugiant, persequuntur. 34

SI vos contra ecclesiã Christi altaria erexisse, & à Christiana vnitate (quæ toto orbe diffunditur) sacrilego schismate separatos esse, & corpori Christi (quod est ecclesia toto orbe diffusa) rebaptizando & blasphemando, & quantum potestis aduersarios oppugnãdo, sancta & canonica scriptura cõuincit, vos impij atque sacrilegi estis. Illi autem qui vos pro tãto scelere tam leuiter damnorum admonitionibus, vel locorum vel bonorum vel pecuniæ priuatione deterrendos coercendosque decer-

decernunt, vt cogitantes quare ista patiamini: sacrilegium vestrum cognitum fugiatis, & ab æterna damnatione liberemini, diligentissimi rectores, & piissimi consultores deputãtur.

IDEM super epistolam Ioannis. Tracta. 7.

Non amatur seruus vel filius, cùm non corripitur. 35

NOn putes te tunc amare seruum tuũ quando eum nõ cædis, aut tunc amare filium tuũ quando ei nõ das disciplinam: aut tunc amare vicinum tuum quando eum non corrigis. non est ista charitas, sed languor. ferueat charitas ad emẽdandum & corrigendum: si sunt boni mores, delectent: si autem mali emendentur. IDEM in libro de ciuitate Dei.

Innocentis officium est nulli nocere, & peccantem punire. 36

NOn est innocentiæ parcendo sinere, vt in malum grauius incidatur. pertinet ergo ad innocentiæ officium, non solum nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum: vt aut ipse qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alij terreantur exemplo.

IDEM ad Lotharium. Ino lib. 8. id refert ex eodem

Non est misericors qui vitijs nutriendis parcit. 37

QVi vitijs nutriẽdis parcit & fauet, ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem: & non timet ne vulneratum doleat vel extinctum. Quãdo homini. Ino lib. 8. refert de eo qui clericum.

ITEM Augustinus super epistolam ad Romanos.

Enormia flagitia per seculi iudices corripiantur. 38

SVnt quædam enormia flagitia quæ potius per mundi iudices, quã per antistites & rectores ecclesiarũ vindicantur, sicut est cùm quis interficit pontificem apostolicum, episcopũ, presbyterum, siue diaconum. huiusmodi reos reges & principes mundi dãnant. ergo non sine causa gladiũ portant, qui talia scelera diiudicãt. sunt enim maximè constituti propter homicidas, raptores, vt & illos damnent, & alios suo timore compescant. ITEM Cyprianus in nono genere abusionis. Ino ex eodem refert lib. 8.

Furta & crimina à rege sunt cohibenda. 39

REx debet furta cohibere, adulteria punire. impios de terra perdere, parricidas & periuros non sinere viuere, filios suos non sinere impiè agere.

ITEM Augustinus de libero arbitrio libro primo. Tomo. 1.

Non peccat qui ex officio nocentem interficit. 40

SI homicidium est hominem occidere, potest aliquando occidere sine peccato. nam & miles hostem, & iudex vel minister eius nocentem, & cui fortè inuito atque imprudenti telum de manu fugerit, non mihi videntur peccare cùm hominem occidunt: sed nec etiam homicidę isti appellari solent.

IDEM in quæstionibus Leuitici. Cùm homo iustè occiditur, GRATIAN.

Aug quæstio.68 lib.3 ad ca.19. Leuit.

tur, lex eum occidit: non tu. ITEM Pelagius papa. ee

Non qui ad bonum, sed qui ad malum cogit, persequitur. 41

NOn vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem ecclesia faciat dum vel ea quæ cōmittuntur, reprimit, vel animarum salutem requirit, errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur nisi qui ad malum cogit. qui verò malum vel factum iam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si (vt illi putant) nemo nec reprehendendus est à malo, nec retrahēdus à malo ad bonum est: humanas & diuinas leges necesse est euacuari, quę & malis pœnam, & bonis pręmia iustitia suadente constituūt. malum autem schisma esse, & per exteras etiam potestates huiusmodi opprimi debere homines, & canonicæ scripturæ auctoritas, & paternarum regularum nos veritas docet. quisquis ergo ab apostolicis diuisus est sedibus, in schismate eum esse non dubium est, & contra vniuersalem ecclesiā altare conatur erigere. Sed quid de talibus insertus in Chalcedonēsi synodo canon constituat, gloria vestra consideret, vbi post alia sic dicit: Qui à cōmunione seipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluerit vocanti episcopo cōsentire, & noluerit eidem acquiescere, neq; obedire primò & secundò vocanti, hunc omnino damnari, nec vnquam vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. si enim permāserit turbas faciens & seditiones ecclesiæ, per exteram potestatem tanquam seditiosum comprimi. Et beatus Augu. de talibus dicit: Multa etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis agēda sunt: quorum potius vtilitati consulēdum est, quàm voluntati. Nam in corripiendo filium quantumuis asperè nūquam paternus amor amittitur: fit tamen quod nollet, vt doleat qui etiam inuitus videtur dolore sanandus. Ecce videtis quemadmodum tanti testimonio patris non persequatur coercendo talia, sed diligat emendando tales semper ecclesia. facite ergo etiam vos quod scientes intentionem Christianitatis vestræ frequēter hortamur: & date operā, vt talia fieri vltrà nō liceat: sed etiam (quod vobis facillimum esse non dubito) hi qui talia præsumpserunt, ad pijssimum principem sub digna custodia dirigantur, recolere enim debet celsitudo vestra quid per vos deus fecerit tempore illo quo Histriam & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanēsem episcopū fieri permisistis, nisi ad clementissimum principem exinde retulissetis: & quid fieri debuisset, eius iterum scriptis recognouissetis, & inter vbique feruentes hostes, Rauennam tamen & is qui ordinabatur, & is qui ordinādus erat, prouidētia culminis vestri deducti sunt.

a Pelagius.ij.

IDEM Narsæ Patricio[a].

Shis-

Schismaticos & hæreticos seculi potestates coerceant. 42

DE Liguribus atq; Veneticis & Histrijs episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra, & ratione,& potestate reprimere: & dimittitis eos in contemptum apostolicarum sediū de sua rusticitate gloriari: cùm si quid eos de iudicio vniuersalis synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, fortè mouebat, ad sedem apostolicā(quomodo semper factū est) electis aliquibus de suis,qui dare & accipere rationē possent,dirigere debuerūt, & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est sanctā ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare huiusmodi homines principali vel iudiciali auctoritate comprimere: quia regulæ patrum hoc specialiter constituerunt, vt siqua ecclesiastici officij persona cui subiectus est restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur atque damnetur. Quòd si fortè & hoc contempserit,& permanserit diuisiones & schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce de quo animus vester fortè timidus est,ne persequi videaris.de patrum vobis auctoritate hæc breuiter dirigenda curaui,cùm mille alia exempla & constitutiones sint quibus euidenter agnoscitur, vt facientes scissuras in sancta ecclesia, non solùm exilijs, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates debeant coerceri. IDEM.

Ab ecclesiæ vnitate diuisi, à secularibus potestatibus coerceantur. 43

QVali nos & *ecclesia* de gloriæ vestræ studijs iudicio gratulemur,non solùm vestrā,sed multorum ac penè omnium credimus habere notitiam: & iccirco nunc de his quæ vobis præsentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerēdum. Thracius siquidem atque Maximilianus nomina tantùm episcoporum habentes, & ecclesiasticam ibi vnitatem perturbare dicuntur,& omnes ecclesiasticas res suis vsibus applicare, intantum,vt contra vnum eorum, id est,Maximilianum vsque ad nos per tam longum iter necessitate compellente quidā infatigabiliter venientes, preces offerrēt, ob quam causam Petrum presbyterum sedis nostræ, sed & proiectum notarium ad eadem loca duximus destinandos: vt ea quæ canonicis statutis à prædictis pseudoepiscopis compererint commissa, vel digna debeant ibi vitione compescere, vel eosdem ad nos vsque perducere. Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus vt præfatis qui à nostra sede directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium,nec putetis alicuius esse peccati,si huiusmodi homines comprimuntur.hoc enim & diuinæ & humanæ leges statuerunt,

fuerunt, vt ab ecclesię vnitate diuisi, & eius pacem iniquissimè perturbantes, à secularibus etiam potestatibus cōprimantur. Nec quicquā maius est vnde Deo sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, vt hi qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.

ITEM Pelagius papa.

Iniquitas prauorum quamuis bonis proficiat, tamen punienda est. 44

RElegentes literas excellentiæ vestræ, de iniuria quidē quā vobis iniquorum hominū pręsumptio ingessit, valde doluimus. Sed quia scimus occulto Dei iudicio animam vestrā, etsi per aliorum iniquitatem & superbiam à contaminatione schismatis custoditam, egimus omnipotenti deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari cōsueuit, nec enim sine illius prouidētia factum esse credendū est: vt insensati & peruersissimi homines vsque ad hoc prosilirent, vt suā diuisionem catholicam esse credētes ecclesiam, à sua vos pollutione prohiberent. sic enim per misericordiam dei etiam nescientibus illis hoc factum est, vt à schismaticorum cōmunione eruti, catholicæ quam diligitis, seruari vos contigisset ecclesię. Quamuis igitur vestra per illorum scelus facta sit vtilitas, nolite tamen impunitam præsumptionem iniquorū hominum grassari permittere. si enim hoc quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum, quòd in minoribus non valeant puniri, ambigi vltra non debet. Exercete igitur in talibus debitam auctoritatē, & ne eis amplius talia cōmittendi spes crescat, vestris coercitionibus reprimantur. Ad hoc siquidem Dei nutu etiam contra vos talia præsumpserunt, vt talia vobis corrigentibus, ab eodem scelere alios possetis Deo propitiante munire. Quales autē sunt qui ecclesiam fugiunt, Eufrasij vos scelera (quæ amplius occulta deus esse noluit) euidenter informant: qui in homicidio quidē, nec hominis necessitudinem, nec fratris charitatem, nec sacerdotij reuerentiam cogitauit. incestuoso autē adulterio etiam ipsius vindictæ adstulit modū: quia si adulterium punias, nō remanet in quo vindicetur incestus. si incestuoso ingeras pœnam, inultum crimen adulterij remanebit. Ecce de quo collegio sunt, qui quantum ad superbiam suam iniuriam vobis inferre moliti sunt, & quantum ad prouidentiam Dei impollutos vos ecclesiæ dei seruauerunt. Auferte tales ab ista prouincia, vtimini oblata vobis à Deo opprimēdi perfidos occasione: quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum principem dirigantur, & maximè ecclesiæ Aquileiensis inuasor: qui & in schismate & in eo maledictus, nec honorem episcopi poterit retinere, nec meritum.

ITEM Nicolaus exercitui Francorum.

In

In certamine quod contra infideles geritur quisquis moritur, cœleste regnum meretur. 45

OMnium vestrum nosse volumus charitatem quoniã quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minimè negabuntur. ITEM Vrbanus ij. Godefredo ij. Lucano episcopo. *suo lib. 8. de eo qui clericũ refert*

Non sunt homicidæ qui aduersus excommunicatos zelo matris ecclesiæ armantur. 46

EXcommunicatorum interfectoribus (prout in ordine ecclesiæ Romanæ didicistis) secũdum intentionem modum congruæ satisfactionis iniunge. non enim eos homicidas arbitramur, quos aduersus excommunicatos zelo catholicæ matris ecclesiæ ardentes aliquos eorum trucidasse contigerit. ne tamen eiusdem ecclesiæ matris disciplina deseratur, eo tenore secundum quem diximus, pœnitentiam eis indicito cõguentem, qua diuinæ simplicitatis oculos aduersus se complacere valeant, si fortè quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint. ITEM Augustinus ad Bonifacium. *Epist. 50.*

Pax ecclesiæ mœstitiam consolatur perditorum. 47

QVis enim vestrũ velit aliquem inimicorũ suorum non solum perire, verumetiam aliquid perdere? Sed si domus Dauid aliter nõ meruit habere pacẽ, nisi Absalõ filius eius in bello quod gerebat contra patrem, fuisset extinctus, quamuis magna cura mandauerat suis, vt eum quantum possent viuum saluumque seruarent, vt esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret, quid ei restitit nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita suam mœstitiam consolari. *2. Reg. 18.*

Si ergo viri sancti & publicæ potestates bella gerentes non fuerunt transgressores illius mandati. Non occides, quamuis quosq; flagitiosos digna morte perimerẽt: si miles suæ potestati obediẽs, nõ est reus homicidij, si eius imperio quẽlibet flagitiosum interfecerit, si homicidas & venenarios punire nõ est effusio sanguinis, sed legum ministeriũ, si pax ecclesiæ mœstitiam cõsolatur perditorũ, si illi qui zelo catholicæ matris ecclesiæ accensi excõmunicatos interficiunt, homicidæ non iudicantur: patet quòd malos non solum flagellari, sed etiã interfici licet. Sed quæritur si cõtingat aliquos malos puniri ab his qui non habent legitimam potestatem, an sint rei effusi sanguinis hi per quos puniuntur. De his ita scribit Ambosius. GRATIAN. *Cap. 4. lib. 2 de Cain & Abel.*

Aliquando puniuntur peccata per populos iussu diuino excitatos. 48

REmittuntur peccata per Dei verbũ, cuius leuites interpres & quidam executor est. Remittuntur per officium sacerdotis, sacrumque ministerium. Puniuntur quoque peccata per homines, sicut per iudices, qui potestate ad tẽpus vtuntur. Puniuntur peccata etiam per populos, sicut legimus: quia sæpe ab alie-

alienigenis dei iussu excitatis propter diuinę maiestatis offensam subactus est populus Iudæorum.

GRATIAN. Hinc notandum est quòd aliquando punit deus peccata per nesciētes, aliquādo per scientes. Per nescientes peccata punit, sicut per Sennacherib, & per Nabuchodonosor, regem &
4 Reg.25.a. per Antiochum, & per principes Romanorum, & per nonnullos reges gentilium populum Israeliticum delinquentem aliquando afflixit, aliquando captiuauit. vnde ipse dominus
2.Mach.5. ait per prophetam: Virga furoris mei Assur: ipse autem non cognouit. Assur erat virga furoris domini: quia per eum innu-
Esa.10.b. meras gentes diuina iustitia flagellare disposuit. Ipse verò non cognouit: quia in superbiam elatus, victoriam quam assecutus fuerat non diuinæ potentię, sed suis viribus attribuit. vnde con
Esa.10.d. tra eius superbiam dominus loquitur dicens: Nunquid gloriabitur serra contra eum qui secat in ea? aut nunquid exaltabitur securis contra eum qui cædit in ea? Quibus similitudinibus satis perspicuè ostenditur quòd sicut serra & securis nec secare nec cædere ligna possunt nisi ab alio regantur, ac ideo contra regentē se superbire non debent: sic illi per quos deus punit, absque nutu diuinæ dispositionis nihil agere valent: ac ideo contra regentem se superbire eis non licet. Tales in eo quòd puniunt, Deo seruire dicūtur: in eo autē quòd ignorantes se esse ministros irę Dei, impia vanitate superbiūt: mercedē suæ seruitutis à Deo non nisi temporalem inueniunt: pœnam verò suæ superbiæ nō effugiunt. Vnde cùm dominus diceret ad prophetam de Nabuchodonosor: Quid dabo ei pro labore
Eze.29.d quo seruiuit mihi apud Tyrum? statim subiūxit: Da (hoc est datam sibi pronuncia) Aegyptum & Aethiopiā. Cùm autem
Dan.4.f. in corde suo superbiens postea diceret, Nónne hæc est Babylon, quam ego condidi in robore regni mei?&c. statim immutauit deus rationabilem mentem eius, & induit eum ferina be
2.Mach.1.e stialitate, vt ab hominibus fugiens cum bestiis viueret. Per Antiochum quoque cùm idololatriā Iudaicæ plebis dominus
*al. punire decreuisset. puniret: *& pacē quam ex lege dei abiecta, & ex sacris nationum assumptis quærebant, illis in perniciē verteret, quia dei dispositionem ignorās, suæ facultati deuastationē illius plebis
Psal.78. attribuit, imprecatur in eū propheta dicens: Effunde irā tuā in gentes quæ te non nouerunt: & in regna quæ non inuocauerunt nomen tuum: ne fortè dicant in gentibus: vbi est deus eorum? Similiter cùm per Romanos peccatum mortis Christi deus punire decreuisset: vrbis excidium, & Iudaicæ plebis miseram captiuitatem suis viribus asscribere cœperunt: vnde con
Psalm.73.a tra eos propheta imprecatur dicēs: Leua manus tuas in super-
Ioan.5.& 6. bias eorū qui te oderunt & qui multa maligna operati, monu-
Deut.7. mēta suæ victoriæ posuerunt in medio atrio tuo. Per scientes

peccata

peccata puniuntur, sicut Deus per filios Israel voluit peccata punire Amorrhæorum, & Chananæorum, & aliarum gẽtium: quarum terram Israelitis possidendam dedit: quibus etiã præcepit vt nemini eorum parcerent, sed omnes morti traderent. Quid propter peccata eorum illis contigisset, ex verbis domini apparet: qui cùm diceret ad Abraham: Semini tuo dabo ter- *Gen.15.d.* ram hanc: veluti quæreret, quare non modo eam das mihi? audiuit: nondum enim sunt peccata Amorrhæorum consummata. quæ tunc intelliguntur fuisse consummata, cùm populus ille de Aegyptiaca seruitute liberatus, terram eorum (sicut Abrahæ promissum fuerat) in hæreditatem accepit. Cùm ergo sic diuino iussu ad puniendum peccata populi excitantur, sicut populus ille Iudaicus est excitatus ad occupandam terram promissionis, & ad delendas gententes peccatrices: sine culpa noxius sanguis effunditur: & quæ ab eis malè possidentur, in ius & dominium ritè trãseunt bonorum. Cùm verò occulto instinctu aliqui mouentur ad persequendũ malos, sicut Sennacherib & cæteri qui populum delinquentem persecuti sunt: licet occulto instinctu operante illorum meritis incitentur ad persequendum, tamen quia praua intentione non peccata delinquentium punire, sed illorum bona rapere, vel suæ ditioni subiicere quærunt: non sunt immunes à crimine. De quibus etiam notandum est quòd aliquando excitantur ad puniendum peccata bonorum: vt tandem per bonos correctos ipsi quoque puniantur: sicut in libro Iudicum *Iudi.4.a.* legitur de Iabin rege Chananæorum & de Madianitis, quòd propter idololatriam populi suscitauit eos deus vt Israel affligerent, & terram eorum occuparent. Cùm autem populus dei sub manibus eorum diutius afflictus peccatum suũ recognosceret, & per pœnitentiam sibi deum placaret: dei præcepto & Barach comitatus Delboram prophetissam vxorẽ Lapidoth, *Iudi.8.c.* Iabin regem Chananæorum & Zizaram ducem exercitus sui contriuit: & Gedeon Zebeæ & Salmana reges Medianitarum, & Oreb & Zeb duces eorum morti tradidit. Apparet ergo quòd aliquando per legitimam potestatem gerentes, aliquando per populos diuino iussu excitatos, mali pro peccatis suis non solùm flagellantur, sed etiam ritè perduntur. Nec est contrarium illud Augu. quod ad Marcellianum pro circuncellionibus supplicans rogabat vt verberibus eos coerceret, non morte perderet. quamuis enim supplicando spatium vitæ eis reseruari poposcit, non tamen legum seueritatem qua tales morte plectuntur, non obseruandam docuit.

QVAESTIO VI.

AN MALI COGENDI SINT AD BONVM.

GRATIA. QVòd autem quæritur, an mali sint cogendi ad bonum, facilè apparet. antiquus nanque populus ille metu pœnarum ad obseruationem legis cogebatur. In euangelio quoque dominus ait discipulis suis: Nolite timere eos qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete (id est ei in timore seruite) qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Paulus quoque cùm ecclesiam dei persequeretur, in itinere cæcatus ad deum cōuerti coactus est: vnde se abortiuo similem testatus est, dicens: Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.

Mat.10.c. — *Act.9.a.* — *1.Cor.15.b.*

Hinc Aug. scribit ad Bonifacium. *Epi.50.*

Ecclesia malos debet cogere ad bonum, sicut Christus Paulum coegit. I

SChismatici dicunt, cui vim Christus intulit: quem coegit? Ecce habent apostolum Paulum: agnoscant in eo prius cogentem Christum, postea docentem: prius ferientem, postea consolantem. Mirū est autem quomodo ille qui pœna corporis ad euangelium coactus intrauit, plus omnibus illis laborauit, qui solo verbo vocati sunt, in euangelio: & quem maior timor compulit ad charitatē, eius perfecta charitas mittit foras timorem. Cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filij coegerunt alios vt perirent? quanuis & illos quos non coegerunt, sed tantummodo seduxerunt: Si per terribiles & salubres leges in eius gremium reuocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multò amplius quàm de illis quos nunquam perdiderat gratulatur. An nō hoc pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues quæ nō violenter ereptæ, sed blandè leniterq; seductæ à grege aberrauerant, & ab alienis possideri cœperant, inuentas ad ouile dominicū si resistere ei voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare? Item à Christo coactum Paulū ostendidimus. Imitatur itaq; ecclesia in istis cogendis dominū suum: qui prius vt neminem cogeret, expectauit vt de fide regū atq; gentiliū prædictio prophetica compleretur. Etiā*hinc nō absurdè intelligitur illa apostolica sentētia vbi beatus Paulus dixit: Paratus sum vlcisci omnē inobedientiam: cùm cōpleta fuerit prior vestra obedientia. Vnde & ipse dominus ad magnam cœnā suam prius conuiuas adduci iubet, & postea cogi. Nam cùm ei serui respondissent: Domine factum est quod iussisti: & adhuc locus est: exite inquit in vias & sepes: & quoscunq; inueneritis, cogite intrare. In illis ergo qui primò leniter adducti sunt, cōpleta est prior obedientia: in istis autē qui cogūtur, inobedientia coercetur. Item si per potestatem quam per religionem

**al incipit, hinc non absurdè.* — *2.Cor.10.b.* — *Luc.14.d.*

gionẽ ac fidẽ regum, tẽpore quo debuit, diuino munere accepit eccleſia, hi qui inueniũtur in vijs & ſepibus, id eſt, in hæreſibus & ſchiſmatibus, cogũtur intrare: nõ quia cogũtur reprehendant: ſed quò coguntur attẽdant. ITEM ad Donatiſtas. Aug.epi.166.

Variis modis errantes corripiuntur à Deo. 2

QVod errauerat (inquit dominus) non reuocaſtis: & quod perierat, non requiſiſtis. hoc vobis ipſe deus per nos facit: ipſe obſecrando, ipſe minando, ſiue corripiendo, ſiue damnis, ſiue laboribus, ſiue per ſuas occultas admonitiones vel viſitationes, ſiue per poteſtatum temporalium leges. Eze.34.

ITEM in epiſtola ad Vincentium. Aug.epi.48.

Non eſt conſiderandum quòd quiſque cogitur, ſed quale ſit illud quo cogitur. 3

VIdes (vt opinor) non eſſe conſiderandum quòd quiſq; cogitur, ſed quale ſit illud ad quod cogitur: vtrum bonum, an malum: non quòd quiſq; bonus poſſit eſſe inuitus: ſed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animoſitatem: vel ignoratam compellitur cognoſcere veritatem: vt timens vel reſpuat falſum de quo contendebat: vel quærat verum quod neſciebat: & volens iam teneat quod nolebat. Item mea primitus ſententia erat neminem ad Chriſti & eccleſiæ vnitatem eſſe cogendum: verùm verbo eſſe agendum: diſputatione repugnandum: ratione vincendum: ne fictos catholicos haberem, quos apertos hæreticos noueram: ſed hęc opinio mea non contradicentium verbis tantùm, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. nam primò opponebatur mihi ciuitas mea: quæ cum tota iiſſet in partes Donati ad vnitatem catholicam legum imperialium timore cõuerſa eſt: quam nunc videmus ita animoſitatis veſtræ perniciem deteſtari: vt in ea nunquam fuiſſe credatur. Item & aliæ multæ quæ mihi nominatim cõmemorabantur: vt ipſis rebus agnoſcerem etiam in hac cauſa rectè intelligi poſſe quod ſcriptum eſt. Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Pro.9.b.

ITEM Gregorius Maximiano epiſcopo. Greg.epi.26. lib.3.Ianuario epiſcopo Caralitano.

Onere penſionis ruſticus ad dominum conuerti cogatur. 4

IAm verò ſi Ruſticus tantæ perfidiæ & obſtinationis fuerit inuentus, vt ad dominum deum minimè venire conſentiat: tanto penſionis onere grauandus eſt, vt ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare.

Ex his omnibus colligitur, ꝙ mali ſunt cogendi ad bonum. GRATIA.
Sed obiicitur illud, ꝙ nemo eſt cogendus ad id, ad quod inutiliter cogitur. ad bonum autem quiſq; inutiliter cogitur, cum deus aſpernetur coacta ſeruitia. Vnde Apoſtolus cum ad eleemoſynas Corinthios hortaretur, ait: Vnuſquiſque det prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate. 2.Co.9.b.

hilarem enim datorē diligit Deus. vnde datur intelligi, quòd qui inuitus dat propter præsentem pudorē,& rem & meritum perdit. Item cùm redderet causam, quare sumptibus ab-
1.Cor.9.c. stineret,ait: Si ex necessitate euangelizauero: nō erit mihi gloria. Itē si inuitus euāgelizauero: dispensatio mihi credita est. si autem volens hoc ago: mercedem habeo apud deum. Item
Gala.5.c. cùm Galatis scriberet legalia non esse tenēda,ait: Si spiritu dei ducimini,non estis sub lege. Ex quo apparet eum qui sub lege est,id est,qui timore pœnæ,non amore iustitiæ seruit:non duci spiritu sancto. si autem spiritu sancto non ducitur: deo placere minimè valet. Item, Non accepistis spiritū seruitutis ite-
Roma.8. rum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus abba pater. Ex quib⁹ verbis datur intelligi, quòd etsi in veteri testamento timore pœnæ homines cogebantur ad bonum,tamen in nouo testamento sola libertate & dilectione iustitiæ sunt inuitandi ad fidem. vnde illi dicuntur serui & filij ancillæ,pertinentes ad Ismahel: isti dicuntur liberi & filij liberæ,pertinētes ad Isaac. Item Ioannes in sua episto-
1.Ioan.4.d. la. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Qui autem cogitur: timore illo ducitur qui non est in charitate: qui manus cōprimit,non animum mutat: quo pœna timetur,non bonū diligitur. Porrò sine dilectione boni nullus Deo placere, vel in numero bonorum cōnumerari po-
Psal.67. terit. vnde cùm propheta diceret: Animalia tua habitabunt in ea scilicet hæreditate. ostendens quomodo ad ipsam habita-
*Hæreditatem. tionem*perueniant,subdit: in dulcedine tua, quam tu præparasti pauperi deus. Dulcedinem vocans suauitatem boni operis qua bonum fit non timore pœnæ,sed delectatione iustitię. Cùm ergo sine hac dulcedine animalia in hæreditate non habitent,patet quòd nemo nisi inutiliter ad bonum cogitur solo timore. Quicunque enim ad bonum cogitur: solo timore, non amore ducitur. non ergo sunt mali cogendi ad bonū. His ita respondetur: si bonum ad quod mali coguntur, semper inuiti tolerarent,& nunquam voluntarij seruirent, inutiliter cogerētur ad illud: sed quia humanæ naturæ est & ea quæ in desuetudinē ducūtur, abhorrere:& consueta magna custodia diligere: flagellis tribulationum mali sunt cohibendi à malo, & prouocandi ad bonum: vt dum timore pœnæ malum in desuetudinem ducitur, abhorreatur: bonum verò ex consuetudine dulcescat. Vnde Aug. in Psal. cxxvij. Cùm per timorem gehennæ continet se homo à peccato,fit consuetudo iustitiæ: & incipit quod durū erat,amari:& incipit excludi timor à charitate:& succedit timor castus,de quo hic dicitur: quo timemus ne tardet sponsus, ne discedat, ne eo careamus. Ille vtilis est: sed non permanet in æternum vt iste.

QVAE-

QVAESTIO VII.

AN HAERETICI SVIS ET ECCLESIAE REBVS SINT EXPOLIANDI: ET QVI POSSIDET AB HAERETICIS ABLATA, AN DICATVR POSSIDERE ALIENA.

NVnc autem quæritur an hæretici ſuis & eccleſiæ rebus ſint expoliandi: & qui poſſidēt hæreticis ablata, an dicantur poſſidere aliena. De his ita ſcribit Auguſtinus ad Vincentium. GRATIA. Epiſt.48.

Res terrena non niſi diuino vel humano iure tenetur. 1

QVicunque vos ex occaſione huius legis imperialis nō dilectione corrigendi, ſed odio inimicandi perſequitur: diſplicet nobis. Et quamuis res quæcunque terrena non rectè à quoquam poſſideri poſſit, niſi vel iure diuino) quo cūcta iuſtorum ſunt) vel iure humano (quod in poteſtate eſt regū terræ) ideoque falsò res appellatis veſtras quas nec iuſtè poſſidetis, & ſecundum legem terrenorum regum amittere iuſſi eſtis: fruſtraque dicitis: Nos in eis congregādis laborauimus. cùm ſcriptum legatis: Labores impiorum iuſti edent. tamen quiſquis ex occaſione legis huius quā reges terræ Chriſto ſeruientes ad emendandam impietatem veſtram promulgauerunt, res proprias veſtras cupidè appetit, diſplicet nobis. Quiſquis deniq; res ipſas pauperum, vel baſilicas congregationū quas ſub nomine eccleſiæ tenebatis (quæ omnino non debentur niſi ei eccleſiæ, quæ vera eſt Chriſti eccleſia) non per iuſtitiā, ſed per auariciam tenet, diſplicet nobis. Quiſquis pro aliquo flagitio vel facinore deiectum à nobis ita ſuſcipit, ſicut ſuſcipiūtur qui excepto errore quo à nobis ſeparamini, ſine crimine apud vos vixerūt: diſplicet nobis. Sed nec facilè iſta monſtratis: & ſi mōſtretis, nōnullos toleramus, quos corrigere vel punire nō poſſumus: neque propter paleam relinquimus areā domini, neq; propter piſces malos rumpimus retia domini, neque propter hœdos in fine ſegregandos deſerimus gregem domini, neque propter vaſa facta in contumeliā migramus de domo domini. Sap.10.d.

ITEM contra Petilianum.

Catholici non ideo aliena poſſident, quia ab hæreticis ablata tenent. 2 ca.43.li.2. contra literas Petiliani.

SI de rebus vel locis eccleſiaſticis quæ non tenetis querimini, poſſunt & Iudæi iuſtos ſe dicere, & iniquitatē nobis obijcere, quia locū in quo impij regnauerunt, modo Chriſtiani poſſident. Quid ergo indignum ſi ea quæ tenebāt hæretici, ſecundum parem domini voluntatem catholici tenent? Ad omnes iniquos & impios illa vox domini valet: Auferetur à vobis regnū dei, & dabitur genti facienti iuſtitiā. An fruſtra ſcriptum eſt: Labores iniuſtorum pij edent? Quapropter magis Mat.21. Sap.10.d.

mirari debetis quòd adhuc tenetis aliquid, quàm quod aliquid amisistis. Item si qua iam præcisi possidere cœpistis, quia vobis ablata, nobis dominus deus dedit: non ideo cōcupiscimus aliena: quia illius imperio cuius sunt omnia, facta sunt nostra: & iustè nostra sunt. vos enim vtebamini ad præcisionem, nos ad vnitatem. Alioquin & primo populo dei possent illi obiicere alienæ rei concupiscentiam, qui diuina potestate ab eorum facie, quia ea terra malè vtebantur, expulsi sunt: & ipsi Iudæi à quibus ablatum est regnum secundum verbum domini, & datum est genti facienti iustitiā: possunt obiicere alienæ rei concupiscentiam: quia Christi ecclesia possidet *vbi persecutores Christi prius regnabant. IDEM.

*ibi præsidet.

Aug. epi. 50. ad Bonifacium.

Res ecclesiasticæ ab hæreticis iniustè possidentur. 3

QVod autem nobis obiiciunt quòd res eorum cōcupiscamus & auferamus, non rectè obiiciunt: sed vtinam catholici fiant: & non solùm quæ dicunt sua, sed etiam nostra in pace & charitate nobiscum possideant. Vsqueadeo autem calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant quā sint inter se contraria quæ loquuntur. Ipsi certè dicunt, & inuidiosissimè sibi conqueri videntur, quòd eos in nostram communionem violento legum imperio coarctamus. Hoc itaque nullo modo faceremus, si res eorum possidere vellemus. Quis enim auarus quærit compossessorem? Quis dominandi cupiditate inflammatus vel fastu dominationis elatus, desiderat habere consortem? Ipsos certè attendant quondam suos, modo etiam socios nostros, & fraterna nobis dilectione cōiunctos, quemadmodum ea teneant non solum quæ habebant, sed etiā nostra, quæ nō habebant: quæ tamē (si pauperum compares sumus) & nostra sunt, & illorū. si autē priuatim quæ nobis sufficiāt possidemus: non sunt illa nostra, sed pauperum: quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatē nobis vsurpatione damnabili vendicamus. Quicquid igitur nomine ecclesiarum partes Donati possidebant: Christiani imperatores legibus religiosis cum ipsis ecclesiis ad catholicam ecclesiam transferri iusserunt. Cùm ergo nobiscum sint plebes earundem ecclesiarum, nobiscum sint pauperes, qui de eisdem possessiunculis alebantur: ipsi potius foris positi desinant concupiscere aliena, sed intrent vnitatis societatem: vt pariter gubernemus non illa tantum quæ dicunt sua, verumetiam quæ dicunt & nostra. Scriptum est enim: Omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem dei.

Codic. Theodosiano lib. 16. titulo 4. lege 44. & 33. Contius.

1. Cor. 3.

IDEM in epistola ad Vincentium.

Aug. in. epist. 50. ad Bonifacium.

Qui à corpore Christi præciditur, spiritum iustitiæ tenere non potest. 4

QVemadmodum mēbrum si præcidatur ab hominis viui corpore, nō potest tenere spiritum vitæ: sic homo si præciditur

ciditur de Christi iusti* corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ, etiam si figuram membri teneat quam sumpsit in corpore. In huius verò compagem corporis veniant, & labores suos non dominandi cupiditate, sed bene viuendi pietate possideant. Nos autem voluntatem nostram (vt iam dictum est) ab huius cupiditatis sordibus quolibet inimicorum iudicante purgamus, quando eosipsos quorum labores dicuntur (vt nobiscum & illis & nostris in societate catholica vtantur) quantum valemus inquirimus. Sed hoc est, inquiunt, quod nos mouet: si iniusti sumus, quare nos quæritis? quibus respondemus: quærimus vos iniustos, ne permaneatis iniusti: quærimus perditos, vt de inuentis gaudere possimus, dicentes: Mortuus erat frater noster, & reuixit: perierat, & inuentus est. quare ergo me, inquit, non baptizas, vt me abluas à peccatis? Respondeo: quia non facio iniuriam characteri imperatoris cùm errorem corrigo desertoris. Quare, inquit, apud te vel pœnitentiam non ago? imò nisi egeris, saluus esse non poteris. quomodo enim gaudebis te esse correctum, nisi doleas te fuisse peruersum? quid ergo, inquiunt, apud vos cùm ad vos transimus accipimus? Respondeo, non equidem accipitis baptismum, qui vobis extra compagem corporis Christi inesse potuit, prodesse non potuit: sed accipitis vnitatem spiritus in vinculo pacis: sine qua nemo poterit videre deum, & charitatem, quæ (sicut scriptum est) operit multitudinem peccatorum. Si autem consideremus quod scriptum est in libro Sapientiæ: Ideo iusti tulerunt spolia impiorum. Item quod legitur in Prouerbiis: Thesaurizantur autem iustis diuitiæ impiorum: tunc videbimus non esse quærendum qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate iustorum. Item post aliqua. Si corpus Christi tollit spolia impiorum, & corpori Christi thesaurizantur diuitiæ impiorum: non debent impij foris remanere, vt calumnientur: sed intrare potius vt iustificentur. Item post aliqua. In Christi ergo compagem corporis veniant, & labores suos non dominandi cupiditate, sed bene vtendi pietate possideant. nos autem voluntatem nostram (vt iam dictum est) ab huius cupiditatis sordibus quolibet inimico iudicante purgauimus, quando eosipsos quorum labores dicuntur (vt nobiscum & illis & nostris in societate catholica vtantur) quantum valemus inquirimus.

*mystico.

Iacob. 5.d. — Sap. 10.d. — Prouerb. 10.a.

GRATIAN.

,, His igitur auctoritatibus liquidò monstratur, quòd ea quæ ab hæreticis malè possidentur, à catholicis iustè auferuntur: nec ideo aliena possidere dicuntur.

QVAESTIO. VIII.

AN EPISCOPIS VEL QVIBVSLIBET CLERICIS SVA LICEAT AVCTORITATE VEL APOSTOLICI, SIVE IMPERATORIS PRAECEPTO ARMA MOVERE.

GRATIA.

DE episcopis verò vel quibuslibet clericis quòd nec sua auctoritate nec auctoritate Romani pontificis arma arripere valeant, facilè probatur. Cùm enim Petrus, qui primus apostolorum à domino fuerat electus, materialẽ gladium exerceret vt magistrum à Iudæorum iniuria defensaret, audiuit. *Matth. 26.* Conuerte gladium tuum in vaginam: omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit. ac si apertè diceretur: hactenus tibi tuisq; prædecessoribus inimicos dei gladio corporali licuit persequi: deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id est, tibi hactenus concessum in vaginã conuerte: & spiritualem tãtum gladium (quod est verbum dei) in mactatione veteris vitæ exerce. *Roma. 13. b.* omnis enim præter illum vel auctoritatem eius qui legitima potestate vtitur, qui (vt ait Apostolus) nõ sine causa gladium portat: cui etiam omnis anima subdita esse debet: omnis inquam qui præter auctoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit. Item Ambros. *Ambros. lib. 5. epist. in oratione contra Auxentium.* Arma episcopi lachrymæ sunt & orationes. Item illud Apostoli: *Roma. 12. d.* Non vosmetipsos defendẽtes fratres charissimi, quamuis omnibus generaliter dicatur, specialiter tamen prælatis dictũ intelligitur. Vnde[a] Ioan. pa. Angelbergæ imperatrici excusans Ioan. episcopum remoueri de militia, dicit.

a in vno manuscripto, quæ sequuntur desunt vsq; ad cap. 4.

De eodem. 1

NImium* certè veretur, & iure formidatur contra professionem sui ordinis secularem militiam exercere, terram defendere, de prælijs tractare, de armis: terrenæ potestatis est. ITEM Innocentius papa.

** Nimirum*

De eodem. 2

CVm à Iudæis (inquit) dominus caperetur: & Petrus cuiusdam inobedientis aurem abscinderet, ferire prohibuit, & forma omnium sacerdotum (quorum prior erat) etiã pro seipso capi arma carnalia prohibuit. ITEM Ambrosius.

Ambr. in oratione cõtra Auxen. lib. 5. epist.

De eodem. [*Palea.*[b]] 3

NOn pila quærunt ferrea non arma Christi milites. coactus repugnare non noui: sed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma aduersus milites. talia enim sunt munimenta sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. fugere autem & relinquere ecclesiam non soleo. seruus Christi non custodia temporali, sed domini prouidentia perire cõsueuit. HINC etiam de his qui in bello aut rixa moriuntur, in

b extat in vete. manusc. nec notatur vt palea.

tur, in concilio Triburiensi sic statutum est.

Pro clerico qui in bello aut rixa moritur, oratio vel oblatio non offeratur. 4

QVicunque clericus aut in bello, aut in rixa, aut in gentiliũ ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neq; in oratione pro eo postuletur: sed in manus incidat iudicis: sepultura tamen non priuetur. ITEM ex concilio Toletano de clericis arma ferentibus.

Cap. 44. conci. Tole. 4.

Gradu amisso traduntur in monasterio clerici voluntariè arma sumentes. 5

CLerici qui in quacunque factione arma volentes sumpserint: reperti amisso ordinis sui gradu, in monasterio perẽniter tradantur. ITEM ex concilio Meldensi.

Ivo li. 3. de vita cleri. refert.

Proprij gradus amißione mulctentur militaria arma clerici ferentes. 6

QVicunque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant: sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeãt. quod si contempserint, tanquam sacrorum canonũ contemptores & ecclesiasticæ auctoritatis prophanatores, proprij gradus amissione mulctẽtur: quia nõ possunt simul deo & seculo militare.

GRATIAN. 2. pars.

His ita respõdetur. Sacerdotes propria manu arma arripere non debent, sed alios ad arripiendum ad oppressorum defensionem, atq; ad inimicorum dei oppugnationem eis licet hortari. VNDE Leo quartus scribit Lodouico Augusto.

Ivo Carn lib. 8. Quando boniculum.

Pro Sarracenis papa iubet populum congregari, & eis ad littus maris occurrere. 7

IGitur cùm sæpe aduersa à Sarracenorũ partibus perueniant nuncia: quidam in Romanum portum Sarracenos clam furtiueq; venturos esse dicebant, pro quo nostrum congregari præcepimus populum, maritimumq; ad littus descendere decreuimus & egressi sumus Romam. ITEM.

Ivo ibidẽ refert.

Vltor sui gregis papa debet esse ac præcipuus adiutor. 8

SCire vos oportet quòd nunquam ab aliquibus nostros homines simus opprimi: sed (si necessitas vlla occurrerit) præsentialiter vindicamus: quia nostri gregis in omnibus vltores esse debemus, & præcipui adiutores.

ITEM exercitui Francorum.

Ivo ibidem.

Cæleste regnum à deo consequitur, qui pro Christianorum defensione moritur. 9

OMni timore ac terrore deposito contra inimicos sanctæ fidei & aduersarios omnium religionum agere viriliter studete. nouit enim omnipotens si quilibet vestrum morietur, quòd pro veritate fidei, & saluatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est. & ideo ab eo præmium cœleste consequetur. ITEM Alcuinus.

Ivo refert vbi supra.

Contra Longobardos precibus Hadria. pa. Carolus bellum suscepit. 10

HOrtatu & precib' Hadriani Romanę vrbis episcopi exoratus Carolus rex bellum contra Longobardos suscepit: quod prius quidē & à patre eius Pipino, papa supplicante cum magna difficultate susceptum est. ITEM Alexander papa omnibus episcopis Hispa.

Iuo ibidem.

Iudaeos non debemus persequi, sed Saracenos. 11

DIspar nimirum est Iudæorum & Sarracenorum causa. in illos enim qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus & propriis sedibus pellunt, iuste pugnatur: hi vero vbiq; seruire parati sunt. ITEM Ioan. viij. Demago* duci glorioso.

** al. Hermanno.*
Iuo lib. 8 refert.

Qui crimina quæ potest emendare non corrigit, ipse committit. 12

PRæterea deuotionis tuę studium exhortamur, vt cōtra marinos latrunculos qui sub prætextu tui nominis in Christicolas debacchantur, tanto vehementius accendaris, quanto illorum prauitate famam tui nominis obfuscatam fuisse cognoscis: quoniam licet credi possit quod te nolente illi nauigantibus insidientur: tamen quia à te comprimi posse dicuntur: nisi eos compescueris, innoxius non habeberis. scriptum quippe est: Qui crimina quæ potest emendare, non corrigit: ipse committit. ITEM Hieronymus ad Riparium.

Iuo ibidem.

Crimen punire pro deo, non est crudelitas, sed pietas. 13

LEgi Syromastem Phinees, auctoritatem Heliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri seueritatem, Ananiam & Sapphiram trucidantem: Paulią; constantiam, qui Elymam Magum viis domini resistentem, æterna cæcitate damnauit. Non est crudelitas crimina pro deo punire, sed pietas. Vnde & in lege dicitur: Si frater tuus & amicus & vxor quæ in sinu tuo dormit, deprauare te voluerit à veritate: sit manus tua super eos, & effunde sanguinem ipsorum. ITEM Ioannes Chrysost. super Matthæum homilia. xvij.

Nume. 25. b.
4. Reg. 1.
Acto. 5. a.
Acto. 13. b.
Deute. 13. b.
Ad cap. 5. Matthei.

Quædam in veteri testamento licebant, quæ in nouo prohibentur. 14

OCcidit Phinees hominem: & reputatum est illi ad iustitiā. Abraham vero non solum homicida, sed etiam parricida (quod certe grauius est) effectus, deo magis placuit. Petrus vero geminum fecit homicidiū: fuit tamen opus spirituale quod factum est. Non solum igitur respiciamus ad opera: sed ad tēpus & ad causam & ad voluntatē: personarum quoq; differentiam, & quantacunq; alia ipsis operibus acciderunt, diligentissimè inquiramus. nō enim possumus ad veritatē aliter peruenire. ITEM Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum.

Nume. 25. b.
Gene. 22. b.
Act. 5. a.
Iuo lib. 8. ibidem refert.

Necessitate instante etiam in quadragesimalibus diebus bellum inire licet. 15

SI nulla vrget necessitas: nō solum quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est à prœliis abstinendum. si autē ineui-

ineuitabilis vrget importunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam suæ quàm patriæ seu legum paternarum est bellorum proculdubio præparationi parcendum: ne videlicet deum videatur homo tentare si habet quod faciat: & suæ ac aliorũ saluti cõsulere nõ procurat, & sanctæ religionis detrimenta non præcauet. ITEM Gregorius in dialogo.

Cap. 30. lib. 2. dialogorum.

Petrus Ananiam & Sapphiram increpando morti tradidit. 16

Acto. 9. Acto. 5.

PEtrus qui Tabitam mortuam orando suscitauit, Ananiã & Sapphiram mentientes morti increpando tradidit. neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetrauerant increpasse. constat ergo quia aliquando talia ex potestate exhibentur: aliquando ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit: & illi reddidit orando. ITEM Veloci magistro militum.

Grego epist. 21. lib. 12.

Beatus Gregor quosdam hortatur vt milites congregent: & contra hostes arma viriliter parent. 17

VT pridem* gloriæ vestræ nõtificauimus, quia milites illuc erant parati venire: sed quoniam inimicos congregatos & hic discurrere epistola vestra significauerat: hæc eos hic cautà retinuit. nunc verò vtile est visum vt aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari vt parati sint & ad laborem, studeat: & occasione inuenta cum gloriosis filiis nostris Mauricio & Vitaliano loquere: & quæcunque vobis deo adiutore pro vtilitate reipublicæ statuerint, facite. & si huc vel ad Rauennæ partes nec dicendum Arnulphum cognoueritis excurrere: vos à dorso eius ita (sicut viros fortes condecet) laborate, quatenus opinio vestra ex laboris vestri qualitate amplius in republica deo auxiliante proficiat. Illud tamen præ omnibus admonemus, vt familiam Alioyn* Adhoniaym atque Lugidifrusim qui cum glorioso Mauricio magistro militum esse noscuntur, fine aliqua mora vel excusatione relaxes: quatenus venientes illuc homines prædicti viri sine aliquo impedimento cum eis debeant ambulare.

* & pri [illegible].

*al. Maloin. & Adobin, Vigildi, atq; Giusingi qui &c. Aloym & Adobin atque Lugidifrusim vete. manusc.

ITEM eisdem Mauricio & Vitaliano. 18

Greg. epist. 33. lib. 12.

SVppliciter gloriæ vestræ per filiũ nostrum Vitalianum cum quo tractaretis, & verbo & scripto mãdauimus. Vndecimo autem die mensis Iunij Arnulphus hanc epistolã, quam vobis direximus, transmisit: & ideo relegentes eam videte si in fide sua Suanenses quam reipublicæ promittere persistiterunt: obsidesq; dignos de quibus possitis cõfidere, ab eis accipite: & insuper denuo sacramẽtis eos adstringite, reddẽtes eis quod loco pignoris sustulistis: sermonibus vestris eos sanantes. Si autem manifestissimè cognoueritis eos cum Arnulpho de sua subiectione locutos esse, vel certè obsides ei dedisse, sicut nos Arnulphi epistola quã vobis direximus, dubios reddidit: salubri

consilio

consilio pertractãtes, ne in aliquo anima vestra vel nostra de sacramentis grauetur: quicquid vtile reipublicæ iudicaueritis, peragite. sed ita faciat gloria vestra, vt neque sit aliquid vnde possimus ab aduersariis reprehendi, neque vtilitas nostræ reipublicæ (quod dominus auertat) negligatur. Præterea gloriosi filij estote soliciti: quia quantũ cõperi, hostis multitudinem habet collectam: & in Marchia dicitur residere: & si huc cursum deo sibi irato mittere voluerit, vel loca ipsius (quantum vos dominus adiuuerit) deprædamini, aut certe sculpas quos mittetis, solitè requirant, ne dolens factum ad nos discurrat.

GRATIA. In regesto etiam legitur quod beatus Gregorius ciuibus Tusciæ vt contra Longobardos arma pararẽt mãdauit, & militantibus stipendia decreuit. Hoc ergo exemplo & præmissis auctoritatibus claret quod sacerdotes & si propria manu arma arripere non debeant, tamen vel his quibus huiusmodi officia commissa sunt persuadere, vel quibuslibet vt ea arripiant, sua auctoritate valeant imperare. Sed obiicitur illud Ni-

3. pars. colai ad Carolum imperatorem.

Episcopi non debent militaribus occupari negociis. 19

REprehensibile valde constat esse quod subintulisti dicendo maiorem partem omnium episcoporum die noctuq; cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, & ob id episcopi impediantur venire, cum militum Christi sit Christo seruire, milites verò seculi seruiant seculo, secundum quod scriptum est: Nemo militans deo, implicat

2. Tim. 2. 4 se negocijs secularibus. quod si seculi milites militię studẽt, quid ad episcopos & milites Christi nisi vt vacẽt orationibus?

Epi. 1. lib. 7. ad Sabinianum. ITEM Gregorius papa.

In mortem cuiuslibet hominis se miscere formident. 20

SI in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem nec ducem haberet: sed quia deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Ecce quod Nicolaus papa prohibet: episcopos seculari militia occupari, nec etiam contra maritimos piratas permittit eos ad pugnam accedere. Quomodo ergo Leo papa aduersus Sarracenos vrbem egreditur, & vt eos procul à littore arceat, populum vndique conuocat: & suorum iniurias præsentialiter vindicat, atque cum Gregorio milites ad arma inuitat? Sed notandum est quosdam episcopos leuitica tantũ portione esse contentos, qui sicut in dei sorte tantum numerantur, sic ipsum deum solummodo in hæreditatem accipiũt,

Psalm. 15. dicentes: Dominus pars hæreditatis meæ. His nihil est commune cum principibus seculi: quia temporalia penitus abiiciunt, ne eorum occasione legibus imperatorum obnoxij teneantur. Talibus nulla occasio relinquitur occupatione secularis

laris militiæ:quia cum de decimis & primitijs viuant,tanquã filij summi regis in omni regno à terrenis exactionibus liberi sunt:ita vt dicere valeant: Venit princeps huius mundi, & in nobis non habet quicquam. Porro alij sunt qui non contenti decimis & primitiis,prædia,villas,& castella,& ciuitates possident,ex quibus Cæsari debent tributa, nisi imperiali benignitate immunitatem ab huiusmodi promeruerint:quibus à domino dicitur: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. quibus idem Apostolus: Reddite omnibus debita,cui tributum,tributum:cui vectigal,vectigal.

Ioan.14.d. *Mat.22 c.* *Rom.14.b.*

VNDE Ambrosius. *Epi.33.ad Marcellinã sororem.*

Ecclesiæ imperatoribus non sunt obnoxiæ. 21

CONuenior ipse à comitibus,vt per me basilicæ fieret matura traditio dicentibus imperatorem iure suo iussisse tradi debere,vtpote in cuius potestate essent omnia. respõdi,si à me peteret quod meum est,id est fundum meum, argentum meum,& huiusmodi meum,me non refragaturum:quanquã omnia quç mea sunt,sint pauperum.verũ ea quæ diuina sunt, imperatoriæ potestati non sunt subiecta.si patrimonium petit:inuadite. si corpus,occurram. vultis in vincula rapere?vultis in mortem?voluntas est mihi:non ego me vallabo circunfusione populorum,nec altaria tenebo vitam obsecrans: sed pro altaribus gratis immolabor. horrebã quippe animo, cum armatos ad basilicã ecclesiæ occupandũ missos agnoscerẽ, ne dũ populus basilicam vindicat,aliqua strages fieret,quæ in perniciem totius veniret ciuitatis. orabam ne tantæ vrbis vel potius totius Italiæ busto superuiuerem. & infrà. Mandatur, trade basilicam: hoc est,dic aliquod verbum in deum,& morere,nec solum dic aduersus deum,sed etiã fac aduersus deũ. Mandatur,trade altaria dei. Vrgemur igitur præceptis regalibus:sed confirmamur scripturæ sermonibus,quæ respondit: Tanquam vna ex insipientibus locuta es.& infrà. Quid ergo turbamini?volens nunquam vos deseram: coactus repugnare non noui. dolere potero, flere potero, gemere potero,aduersus arma,milites Gotthos quoque,lachrymæ meæ mea arma sunt. talia enim sunt munimenta sacerdotis.Aliter nec debeo nec possum resistere. Vtinã essem securus quòd ecclesia hæreticis minimè traderetur:ad palatium imperatoris irem libẽter si hoc congrueret sacerdotis officio, vt in palatio magis certarem quàm in ecclesia: sed in consistorio non solet Christus reus esse, sed iudex. Causam fidei agendam in ecclesia quis abnuat? Si quis confidit,huc veniat. & infra. Allegatur, imperatori licere omnia:ipsius esse vniuersa. Respondeo, Noli grauare te imperator,vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: sed si vis diutius im-

Iob.2.c. *Ambr.in oratio. cont. Auxentiũ.*

Math.22.c. imperare, esto deo subiectus. Scriptum est enim: Quæ dei, deo, quæ Cæsaris, Cęsari. Ad imperatores palatia pertinēt, ad sacerdotes ecclesiæ. Publicorum tibi mœniū ius commissum est, non sacrorū. Itē dicitur mihi mādasse imperatorē, Debeo & ego vnā basilicā habere. Respondeo: Non licet tibi vllam habere. quid tibi cum adultera? Adultera est enim quæ non 3.Reg.21.a. est legitimo cōiugio Christi copulata. & infra. Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ scimus interpellatum petitione regia, vt vineam suam daret, vbi rex succisis vitibus holus vile sereret: eumq; respondisse: Absit vt ego patrum meorum tradam hæreditatē. regem contristatum esse, quod sibi esset alienum ius relatione iusta negatum: sed muliebri cōsilio deceptum, morte in agrum venisse. Sanctus enim Nabuthe vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? dixi enim conuētus: Absit à me vt tradam Christi hæreditatem. Non tradidit Nabuthe suam, & ego tradam Christi hæreditatem? Sed hoc addidi: Absit vt tradam hæreditatem Dionysij, qui in exilio causa fidei defunctus est: hæreditatem Eustorgij confessoris: hæreditatem Myrocletis: atque hęreditatem omniū fidelium retro episcoporū. Respondi ego: Quod sacerdotis est faciam: quod imperatoris est faciat imperator. prius est vt animam mihi quam fidem auferat. & infra. Tributum Cæsaris est, non negatur. ecclesia dei est: Cæsari vtique non debetur: quia ius Cæsaris esse non potest templum dei, quod cum imperatoris honorificentia dictum nemo potest negare. Quid enim honorificentius, quàm vt imperator ecclesiæ filius esse dicatur? Quod enim dicitur, sine peccato dicitur: & cum gratia dicitur. Imperator enim intra ecclesiam est. bonus enim imperator quærit auxilium, ac ecclesia non refutat. & infra. Si de me aliquid compelleretur, & posceretur aut fundus, aut domus, aut ager, aut aurum, aut argētum: id quod mei iuris esset, libenter offerrem. tēplo domini nihil possum nec decerpere nec tradere: cum illud custodiendum non tradendū acceperim. Deinde consulere etiā me imperatoris saluti oportet: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat vocem liberi sacerdotis. Si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria. Hæc plena humilitatis sunt, & (vt arbitror) plena affectus eius quem imperatori debet sacerdos.

ITEM Vrbanus papa.

De suis exterioribus ecclesia soluunt tributa. 22

TRibutum in ore piscis piscante Petro inuentum est: quia de exterioribus suis (quæ palam cunctis apparent) ecclesia tributū reddit. Non autem totum piscem iussus est dare, sed

ſed tantum ſtaterem qui in ore eius inuentus eſt: quia non ecclesia dari imperatori, non pontificalis apex qui in ore capitis eccleſiæ præeminet, ſubiici poteſt regibus: ſed ſane (vt diximus) quod in ore piſcis inuenitur, pro Petro & domino dari iubetur: quia de exterioribus eccleſiæ quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace & quiete, qua nos tueri & defenſare debent, imperatoribus perſoluendum eſt. *Matth. 17. d.*

GRATIAN.

Quanuis etiam huiuſmodi non videātur imperialibus exactionibus ſubiiciendi. Nam cum tempore famis cunctorū Aegyptiorum terram ſibi emeret Pharao, atque ſub eadem fame ſuæ ſeruituti cunctos ſubiiceret: ſacerdotibus ita neceſſaria ſubminiſtrauit, vt nec poſſeſſionibus nec libertate nudarentur, domino extunc pronunciante ſacerdotes in omni gēte liberos eſſe oportere.

VNDE Conſtantinus & Conſtans hanc immunitatem dederunt eccleſiæ, dicentes. 23

IN qualibet ciuitate, in quolibet oppido vel vico, vel caſtello, vel municipio quicunq; voto Chriſtianę religionis meritum eximæ ſingulariſque virtutis omnibus intimauerit, ſecuritate perpetua potiatur: gaudere eū & gloriari ex fide ſemper volumus, ſcientes magis religionibus quàm officijs & labore corporis vel ſudore noſtram rempublicam cōtineri. Valentinianus quoque & valens decreuerunt[a] dicentes: Vniuerſos quos conſtiterit cuſtodes eccleſiarum eſſe, & ſanctorum locorum ac religioſis obſequijs deſeruire, attentationis nullā moleſtiam ſuſtinere decernimus. Imperator Iuſtinianus. Sancimus res ad venerabiles eccleſias, vel xenones, vel monaſteria, vel ptochotrophia, vel brephotrophia, vel orphanotrophia, vel gerontocōmia, vel ſi quod eſt aliud tale conſortium, deſcendentes ex qualicunque curialis liberalitate, ſiue inter viuos, ſiue mortis cauſa, ſiue in vltimis voluntatibus habita, à lucratiuorum inſcriptionibus liberas eſſe & immunes: lege ſcilicet quæ ſuper huiuſmodi inſcriptionibus poſita eſt, in alijs quidem perſonis ſuum robur obtinente, in parte autem eccleſiaſtica vel aliarum domuum quæ huiuſmodi pijs cōſortijs deputatę ſunt, ſuum vigorem pietatis intuitu mitigante.

ex codice Theodoſiano lib. 16, tit. 2. l. 16.

Codice Theodoſiano lib. 16. tit. 2. l. 20.

Lib. 1. C. ti. 2. de ſacroſanctis eccle. le. 18.

Hinc etiam in Pariſienſi concilio legitur.

De agro eccleſiaſtico presbyter non cogatur cenſum perſoluere. 24

SEcundum canonicam auctoritatem & conſtitutionem domini imperatoris Lodouici de eccleſiaſtico agro & manſo, & de mācipiis quæ ipſe ſuis capitulis cōſtituit, vel ſi quilibet pro loco ſepulturæ aliquid largitus eccleſiæ fuerit, de decimis etiam & oblationibus fidelium nullus quemquam presbyterorū aliquē cenſum perſoluere cogat: nec quiſquā cuiuſlibet ordinis

ordinis vel dignitatis exinde quicquam subtrahat, aut redhibitionem quācunque exigat temporalem. quod si fecerit, cōmunione vsque ad satisfactionem priuetur, & regia potestate dare cogatur. ITEM ex concilio Guarmaciensi. 25

Vormacien.

SAncitum est vt vnicuiq; ecclesiæ vnus mansus integer absque vllo seruitio attribuatur, & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque de atriis, vel de hortis iuxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod seruitium faciant præter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde maioribus[a] suis debitum [seruitium] impendant.

GRATIA.

a senioribus legitur in capitula-[ri] Caroli magni lo. 1. cap. 85 vti hoc caput extat ad verbū.

Hinc datur intelligi quòd de his quæ imperiali beneficio vel à quibuslibet pro beneficio sepulturæ ecclesia possidet, nullius iuri nisi episcopi teneatur adstricta. de his verò quæ à quibuslibet emerit, vel viuorū donationibus acceperit, principibus consueta debet obsequia, vt & annua eis persoluat tributa, & conuocato exercitu cum eis proficiscatur ad castra: quod tamen hoc ipsum non sine consensu Romani pontificis fieri debet. VNDE Gelasius papa Elpidio episcopo.

Absque auctoritate Romani pontificis ad comitatum episcopi proficisci non audeant. 26

QVo ausu, qua temeritate rescribis ad Rauennam te parare proficisci, cum canones euidenter præcipiant nullum omnino pontificum nisi nobis antè visis atque consultis ad comitatum debere contendere? quemadmodum tibi putas licere quod non licet, nisi quod hoc officio carere festinas, quo his excessibus te ostendis indignum?

Cap. II.

ITEM ex concilio Antiocheno.

Absque metropolitani consilio vel prouincialium episcoporum ad imperatorem episcopi non peragant. 27

SI quis episcopus aut presbyter vel omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula constitutus, præter consilium vel literas eorum episcoporū qui sunt intra prouinciam, & maximè sine consilio metropolitani ad imperatorem perrexerit: hunc abdicari & eiici non solùm de communione debere, sed etiam propria dignitate priuari decernimus, tanquam molestum & importunum imperialibus auribus contra ecclesiastica constituta.

GRATIAN.

Reprehenduntur ergo Gallicani episcopi à Nicolao, quoniam apostolica auctoritate contempta potius arma sequi elegerāt, quàm apostolico conspectui sese repręsentarēt: quanquam proficiscentes ad comitatum possint intelligi non secuti imperatorem, vt armis sibi auxilientur: sed ipsum cum exercitu suo quotidianis orationibus deo commendent. In quo casu auctoritas illa Sardicensis conci. loqui videtur. in

cuius

cuius .viij. cap Osius episcopus dixisse legitur. *Cap. 8. Sardicen.*

Qui ab imperatoribus religiosis vocati episcopi non fuerint, ad comitatum non proficiscantur. 28

SI vobis fratres charissimi placet, decernite ne episcopi ad comitatum accedant, nisi fortè hi qui à religiosis imperatoribus vel inuitati vel vocati fuerint. Sed quoniam sæpe cõtingit vt ad misericordiam ecclesiæ confugiant qui iniuriam patiuntur, & qui peccantes in exilium vel in insulas damnantur, aut certe quamcunque sententiam suscipiunt: ideo subueniendum est his, & sine dubitatione eis est petenda per ecclesiam indulgentia.

Licet ergo prælatis ecclesiæ exẽplo beati Gregorij ab imperatoribus vel quibuslibet ducibus defensionem fidelibus postulare: licet etiam cum beato Leone quoslibet ad sui defensionem contra aduersarios sanctæ fidei viriliter adhortari, atq; ad vim infidelium procul arcendam quosque excitare, effusionem vero sanguinis nulli episcoporum sua vel imperatorum auctoritate imperare licet. *GRATIA.*

VNDE in Toletano concilio .iiij. legitur. *Cap. 30.*

Sacerdotes ibi consentient fieri iudices, vbi iureiurando indulgentia promittitur. 29

SAepe principes contra quoslibet maiestati obnoxios sacerdotibus negocia sua committunt. quia vero sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant fieri regibus iudices, vbi iureiurando supplicij indulgentia promittitur: non vbi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud ecclesiam perdat proprium gradum.

ITEM ex conci. Toletano .xj. *Cap. 6.*

Non debent agitare iudicium sanguinis, qui sacramenta domini tractant. 30

HIs à quibus domini sacramẽta tractanda sunt, iudiciũ sanguinis agitare nõ licet: & ideo magnopere talibus excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sentẽtia propria iudicare præsumãt, aut per se inferant membrorum truncationes quibuslibet personis, aut inferendas præcipiãt. Quod si quisquam immemor horum præceptorum aut in ecclesiæ suæ famulis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, concessi ordinis honore priuetur & loco: sub perpetuo quoq; ne damnationis teneatur ergastulo religatus, cui tamen communio exeunti ex hac vita non est neganda, propter domini misericordiam: qui non vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur & viuat. Cæteri etiam absque iudiciali auctoritate membrorum

truncationes & domorum incendia facere prohibentur.

VNDE in decretis Euticiani papæ.

Membra detruncans, domos incendens absque iudiciali auctoritate, excommunicetur. 31

SI quis membrorum truncationes, & domorum incẽdia fecerit, siue facere iusserit, aut facienti consenserit, quousque de his vnicuiq; legaliter & amicabiliter coram episcopo ciuitatis aliisque ciuibus non emendauerit, tanquam Ethnicus & Publicanus ab omni Christianorum collegio separetur. De incendiariis quoque Innocentius secundus in vniuersali concilio generaliter constituit dicens.

6. pars. Ino refert in fine lib. 8.

est Canon 18. Concil. gii Romani sub Innoc. 2. anno 1139.

Domos incendens gratia vel odio alicuius, excommunicetur. 32

PEssimam quidem & depopulatricem & horrendam incendiariorum malitiam auctoritate dei & beatorum apostolorũ Petri & Pauli omnino detestamur & interdicimus. Si quis ergo post huius nostræ prohibitionis promulgationem malo studio siue pro odio siue pro vindicta ignẽ apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus cõsilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura, nec absoluatur nisi prius dãno cui intulit secundum facultatem suã resarcito iuret se vlterius ignem non appositurum. pœnitentia autẽ ei detur vt Hierosolymis, aut in Hispania in seruitio dei per annum integrum permaneat. Si quis autẽ archiepiscopus vel episcopus hoc relaxauerit, dãnum restituat: & per annum ab officio episcopali abstineat. Sane regibus & principibus faciendæ iustitiæ facultatem consultis archiepiscopis & episcopis non negamus.

ITEM August. in lib. de ciuitate dei.

Homicida est qui publicam functionem non habens aliquem occidit vel debilitat. 33

QVicunque percutit malos in eo quòd mali sunt, & habet causam interfectionis: minister dei est. qui vero sine aliqua publica administratione maleficum furem sacrilegum & adulterum, periurum vel quemlibet criminosum interfecerit aut trucidauerit, vel membris debilitauerit: velut homicida iudicabitur: & tanto acrius quanto non sibi à deo concessam potestatem abusiue vsurpare non timuit. De his autem qui simul hominem vulnerant, quæritur si ille mortuus fuerit, quis eorum homicidij reatum incurrat. De his ita statutum est in concilio apud Vermerias.

7. pars.

Si plures contra vnum rixentur: qua pœna quisque eorum feriatur. 34

SI quatuor homines aut quinque seu etiam plures contra hominem vnum rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit: quicunq; eorum plagam ei imposuit, secundum statuta canonum vt homicida iudicetur: reliqui autẽ qui eum impugnabant

gnabant volentes eum interficere similiter pœniteāt. qui nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum affuerunt, extra noxam sint.

CAVSA XXIIII.

QVidam episcopus in hæresim lapsus aliquos de sacerdotibus suis officio priuauit, & sententia excommunicationis notauit. post mortem accusatus de hæresi damnatur, & sequaces eius cum omni familia sua. GRATIA.

1 Hic primum quæritur, an lapsus in hæresim possit aliquos officio priuare, vel sententia nodare?

2 Secundò, an post mortem aliquis possit excommunicari?

3 Tertiò, an pro peccato alicuius tota familia sit excommunicanda?

QVAESTIO I.

AN LAPSVS IN HAERESIM POSSIT ALIQVOS OFFICIO PRIVARE VEL SENTENTIA NODARE.

QVòd autem ab hæretico aliquis deponi aut excommunicari non possit, facile probatur. Omnis enim hæreticus aut iam damnatam hæresim sequitur: aut nouam confingit. qui vero hæresim iam damnatam sequitur: eius damnationis se participem facit. GRATIA.

VNDE cum Acatius absque synodali auctoritate ab apostolico se damnatum quæreretur: contra eum Gelasius scribit dicens. Gela. pa. 1. epist. ad Faustum legatum Constantinopol.

Qui in iam damnatam hæresim labitur, eius damnationis se participem facit. 1

ACatius non est factus inuentor noui erroris, sed veteris imitator: atq; ideo non erat necessarium vt aduersus eum noua sententia prodiret, sed antiqua tantummodo renouaretur. factus sum itaque executor veteris constituti, non promulgator noui. quicunque enim in hæresim semel damnatam labitur: eius damnatione seipsum inuoluit. IDEM. Gela ad episcopos Dardaniæ.

Non est retractandum quod semel synodus statuit contra vnamquamq; hæresim. 2 epist. XI.

MAiores nostri diuina inspiratione cernentes necessario præcauerunt vt quod contra vnamquamq; hæresim coacta semel synodus pro fidei cōmunione & veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerēt nouis post hæc retractationibus mutilari: ne prauis occasio præberetur quę medicinaliter fuerāt statuta, pulsandi: sed auctore cuiuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere iudicauerunt, vt quisquis

quis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus. Sic Sabellium damnauit synodus: nec fuit necesse vt eius sectatores postea damnarentur: sed pro tenore constitutionis antiquæ qui vel prauitatis illius vel cōmunionis extiterint participes, vniuersalis ecclesia duxit esse refutãdos. Sic Arrium: sic & Eunomium, Macedonium, Nestorium synodus semel gesta cōdemnãs, vlterius ad noua concilia venire non sinit. ITEM Felix papa.

Idem. Gela. ad Faustum id scribit.

Non vltra in eum procedere oportet, qui in hæresim damnatam recidit. 3

2 ACatius non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eũ noua scita prodirẽt, sed alieno facinori suam communionem miscuit, itaque necesse est vt in illam recideret iusta lance sententiam, quam cum suis successoribus per conueniẽtiam synodalem susceperat auctor erroris.

GRATIAN. Si ergo episcopus ille in hæresim iam damnatam lapsus est, antiqua excommunicatione damnatus alios damnare non poterat. Excommunicatus enim alios excommunicare non valet. VNDE Alexand. ij. scribit Valeriano episcopo & martyri.

Iuo. refert li. 5. de licit. & illi.

Excommunicatus alium excommunicare non potest. 4

AVdiuimus quòd hæreticus Rauennas dictus archiepiscopus nisus sit te excommunicare. verùm quia excommunicatus te excommunicare non potuit: apostolica auctoritate te tuosque absoluendo*mandamus exinde nunquam curare.

vabsoluendos.

GRATIA. Si autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit: ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: quia nec potest deiicere quemquam iam prostratus. ligandi nanq; vel soluendi potestas veris non falsis sacerdotibus à domino tradita est. Apostolis enim dicturus: Quorum remiseritis peccata, &c. præmisit: Accipite spiritum sanctum. vt euidenter cunctis ostenderet eum qui spiritum sanctum non habet, peccata non posse tenere vel remittere. Porrò spiritum sanctum nemo nisi intra ecclesiam accipit, quia & ipsam vnitatem per gratiam facit. Vnde non nisi congregatis in vnum dictum est: Accipite spiritum sanctum. nec nisi super congregatos in vnum die Pentecostes descendit spiritus sanctus. Sicut autẽ extra ecclesiam non accipitur: ita extra eam nihil operatur. Cùm ergo (sicut Apostolus ait) spiritus sanctus postulet, spiritus sanctus impetret: extra ecclesiá nec impetrare facit, nec postulare. Vnde dominus dicturus: Quodcunque petieritis, &c. præmisit. Si duo ex vobis consenserint super terram ex omni re, &c. & iterum. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo: ibi ego sum in medio eorum. nimirum cunctis ostendens se non habitare in cordibus eorum, qui superbiæ singularitatem secuti

Ioan. 20 c. f. — *Acto. 2. a.* — *1. Cor. 12. a.* — *Ioan. 15. c.* — *Mat. 18. c.*

cuti, à corporis Christi cōpage semetipsos abrumpunt. In quibus autē Christus nō habitat: in eis spiritus sanctus mentium scissuras refugiēs locum nō habet. Cùm ergo peccata dimittere vel tenere, excōmunicare vel reconciliare opus sit spiritus sancti, & virtus Christi: apparet ꝙ hi qui extra ecclesiam sunt: nec ligare possunt, nec soluere: nec recōciliando ecclesiasticæ communi reddere: nec excommunicando eius societate priuare: quia ipsi hæresi vel schismate polluti siue sententia notati penitus carere probantur. Vnde cum omnibus discipulis parum ligandi atque soluendi potestatem dominus daret, Petro pro omnibus & præ omnibus claues regni cælorum se daturum promisit dicens: Tibi dabo claues regni cælorum. Quicunque ergo ab vnitate ecclesię (quæ per Petrum intelligitur) fuerit alienus: execrare potest, consecrare non valet: excommunicationis vel reconciliationis potestatem non habet. *[Matth. 16.e.]* Vnde Apostolus cum fornicatorē Corinthium excōmunicandum scriberet, ait: Ego quidē absens corpore, præsens autē spiritu, iam iudicaui vt pręsens eum qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi. congregatis vobis & meo spiritu cum virtute domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis. *[1. Corint. 5.a.]* in quo formam excommunicationis ostendens docuit, non nisi fidelem & à fideli notandum. In nomine nanque domini atque eius virtute cooperante non nisi fidelis aliquid operari valet: cum nemo possit dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Item cum dominus prohibeat agnum comedi extra catholicā ecclesiā: qui professione fidei ab ea sunt alieni, ab eius participatione quam suo arbitrio reliquerunt, nō repelluntur, sed abire permittuntur: sicut illi qui audiētes: nisi mādūcaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinē, &c. dixerūt. *[Ioan. 6.f.]* Durus est hic sermo, & quis potest eum audire: atq; ita abierunt retrorsum, non repulsi, sed abire permissi. Hinc etiam Apostolus cùm de excommunicandis ageret, præmisit: Si quis frater &c. *[1. Corinth. 5.d.]* de infidelibus autem ita supponit dicēs. *[Ibidem.]* Eos qui foris sunt, dominus iudicabit. De his autē qui intus sunt, nobis iudicium cōmisit. Sicut autem ex eo quòd Apostolus ait, Si quis frater: & ex his quæ de infidelibus & fidelibus supposuit, apparet nō nisi fidelem excōmunicandum: ita ex eo quòd fidelibus tantum hoc scribitur: vel potius quia sicut ille qui benedicit, maior est eo qui benedicitur: ita qui ex officio maledicit, maior est eo qui maledicitur: liquidò constat eum qui ab integritate catholicæ fidei recedit, maledicendi vel benedicēdi potestatem minimè habere. catholicum nanque, vtpote se superiorem, maledicere non valet: in alienum à fide tanquam in sibi æqualem sententiam dare non potest. Hęc autem quæ de hæreticis atq; schis-

maticis vel excommunicatis dicta sunt, videlicet quòd ligandi vel soluendi potestatem non habeant, multorum auctoritatibus probantur. AIT enim Leo papa.

Non soluitur vel ligatur nisi quod auctoritas beati Petri soluerit vel ligauerit. 5

MAnet ergo Petri priuilegium vbicunque ex ipsius æquitate fertur iudicium. nec nimia seueritas vel remissio est vbi nihil erit ligatum vel solutum, nisi quod beatus Petrus aut

Tract. 50. ad cap. 12. Ioãnis. ligauerit aut soluerit. ITEM August. super Ioannem.

In persona Petri ligandi & soluendi ecclesia potestatem accepit. 6

QVodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis,

Matth. 16. c. si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit ecclesia. si autem & in ecclesia fit: vtique quæ in terra ligantur, & in cælo: & quæ soluũtur in terra, soluta sunt & in cælo: quia cùm excommunicat ecclesia in terra, in cælo ligatur excommunicatus. cùm reconciliat ecclesia, & in cælo soluitur reconciliatus. si ergo hoc in ecclesia fit: Petrus quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. Si ergo in persona Petri significati sunt in ecclesia boni: & in Iudæ persona significati sunt

Ambr. ad ca. 5. Luc. in cõmen. mali in ecclesia. ITEM Ambrosius super Marcum.

Suis meritis firmus, nonnunquam turbatur alienis. 7

NOn turbatur nauis quę Petrũ habet: turbatur illa quę Iudã habet. etsi multa illic discipulorũ merita nauigabãt, tamẽ adhuc eã proditoris perfidia agitabat. In vtraq; Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum: caueamus proditorẽ: ne per vnũ fluctuemus plurimi. Ergo nõ turbatur hæc nauis in qua prouidentia nauigat: abest perfidia: fides superat. Quemadmodum enim turbari poterat cui præerat is in quo firmamentũ ecclesię est? Illic ergo turbatio, vbi modica fides. ibi securitas, vbi perfecta dilectio. Deni-

Luc. 5. que etsi aliis imperatur vt laxẽt retia sua, soli tamẽ Petro dicitur: Duc in altũ, hoc est in profundũ disputationũ. quid enim tam altum quàm altitudinẽ diuitiarum videre, id est, scire dei filium, & professionẽ diuinæ generationis assumere? quam licet mens nequeat humana plenæ rationis inuestigatione com-

Ambros. ibidem. prehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. IDEM.

Solus Petrus accepit mandatum vt hamo piscem caperet. 8

ESt aliud apostolicum piscandi genus, quo genere solum

Matth. 17. d. Petrum piscari dominus iubet dicens, mitte hamum: & eũ

Episcopis Galliæ & Hispaniæ. piscem qui primus ascenderit, tolle. ITEM Lucius papa omnibus episcopis.

Nulla perturbatio à tramite apostolicæ sedis retrahat, quæ omnes hæreses semper destruxit. 9

A Recta ergo fide & apostolico tramite propter vllam perturbationem nolite recedere, scientes quoniam iuxta Saluatoris

uatoris

uatoris sententiam, Beati sunt qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hæc est apostolorum viua traditio: hæc vera charitas, quæ prædicanda est, & præcipuè diligenda ac fouēda, atq; fiducialiter ab omnibus tenenda. hęc sancta & apostolica mater omnium ecclesiarum Christi ecclesia: quæ per dei omnipotentis gratiā à tramite apostolicæ traditionis nunquā errasse probatur: nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normā fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus: illibata fide tenus manet. ITEM Sixtus papa.

Matth. 5.a.

Epist. 1. ad Gratum episcopum.

Fides Romana ecclesia omnem haresim destruit, nullam fouet. 10

MEmor sum me sub illius nomine ecclesiæ pręsidere, cuius confessio à domino Iesu Christo glorificata est: cuius & fides nullam hæresim fouet vnquam: sed omnes quidē hęreses destruit. intelligo autē mihi aliter non licere quàm vt omnes conatus meos ei causæ in qua vniuersalis ecclesiæ salus infestatur, impendam. ITEM Eusebius papa.

Epist. 3. episcopis Tuscia.

Nullis heresibus Romana succubuit ecclesia. 11

IN sede apostolica extra maculam semper est catholica seruata religio. ITEM Innocentius papa.

Innocēt. 1. epist. 26. episcopis concil. Mileuit.

Ad Romanam referatur ecclesiam quotiens ratio fidei ventilatur.

QVotiens ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctoritatem referre debere: veluti nunc retulit vestra dilectio quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus prodesse. ITEM Iulius papa.

Iulius. 1. epist. 1. ad episcopos Orientales.

Christiana religionis zelum Romana ecclesia pra cateris habuit. 12

OFfitij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. ITEM Hieron. ad Damasum.

Hieron. in expositione symboli.

Aliorum ora non timet fides, quam Romana commendat ecclesia. 13

HAec est fides, papa beatissime, quam in catholica didicimus ecclesia: quamq; semper tenuimus: in qua si minus peritè aut parum cautè fortè aliquid positum est, emēdari cupimus à te, qui Petri sedem & fidem tenes. si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum vel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit.

GRATIAN.

Item sancta Romana ecclesia quę semper immaculata permansit, domino prouidente, & beato apostolo Petro opem ›› ferente, in futuro manebit sine vlla hæreticorum insultatio- ›› ne, atque firma & immobilis omni tempore persistet.

›› ITEM Marcellus papa vniuersis episcopis per Antiochiam ›› constitutis.

Epist. 1.

Aliud quam Romana ecclesia, neque sentire, neque velle permittitur. 14

ROgamus vos fratres dilectissimi, vt nõ aliud doceatis neque sentiatis, quàm quod à beato Petro & reliquis apostolis & patribus accepistis. ipse enim est caput totius ecclesiæ, *Matth.16.c.* cui ait dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. eius enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente domino Romã translata est: cui (adminiculante gratia diuina) hodierna præsidemus die. si verò vestra Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi: nulla est quæ eius non sit subiecta ditioni: nec ab eius dispositione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora ecclesiastica negocia (diuina disponente gratia) iussa sunt referri: vt ab ea regulariter disponãtur, à qua sumpsere principia. *Leo.I.epi.79.* ITEM Leo papa Dioscoro episcopo Alexandrino.

Alexandrina ecclesia à Romana dissentire non licet. 5

CVm beatissimus Petrus apostolus à domino acceperit principatum, & Romana ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere quòd sanctus episcopus discipulus illius Marcus qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernauit, aliis regulis & traditionibus sua decreta firmauerit: cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus & discipuli fuerit & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuit, quàm quod ab ordinatore suscepit. ITEM Gregorius papa.

Professione suæ fidei aurem erroris Romana abscidit ecclesia 16

Luce.22.e. SI Petrus volens percussit aurem, docuit quòd aurem in specie habere non deberent, quam in ministerio non habebãt. sed bonus dominus & ipsi refudit auditum, secundum prophetica dicta demonstrans & ipsos (si conuertantur) posse sanari, qui in passione Christi vulnerati sunt: eo quòd omne peccatum in ministerio fidei abluatur. Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? quia ipse est qui accepit claues regni cælorum. Ille enim condemnat, qui & absoluit: quoniam ligandi atque soluendi idem adeptus est potestatem. Tollit autem aurem malè audientis: tollit gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentis. Caueamus ne cui tollatur auricula dum legitur passio domini. Si autem ad diuinitatẽ eius referimus infirmitatem corporeæ passionis, exciditur auricula, & exciditur à Petro qui nõ passus est Christũ prophetã æstimari, sed dei filium docuit fideli confessione signari. ITEM Cyprianus papa.

Cyprianus episcopus tract. 3. de simplicitate prælatorum.

Extra vnitatem sanctæ ecclesiæ spiritus sanctus non accipitur. 17

LOquitur dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. super vnum ædificat ecclesiam: & quãuis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut *Matth.16.e.*

cut misit me pater, & ego mitto vos: accipite spiritum sanctū: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdē originem ab vno incipientem auctoritate sua disposuit. hoc vtique erant cæteri apostoli quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur: vt ecclesia Christi vna monstretur: quam vnā ecclesiam in cantico quoq; canticorum spiritus sanctus ex persona Christi domini designat dicens: Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genetricis suæ. Hanc ecclesiæ vnitatē & beatus Paulus apostolus docet: & sacramentū vnitatis ostēdit dicens: Vnum corpus, & vnus spiritus, & vna spes vocationis nostræ: vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deus. Quam vnitatē tenere firmiter & vēdicare debemus, maximè nos episcopi qui in ecclesia dei præsidemus: vt episcopatum quoq; ipsum vnum atq; indiuisum probemus. Nemo fraternitatem fallat, nemo fidei veritatē perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius singularis insolidum pars tenetur, & ecclesia vna est, quæ in multitudinē latius incremēto fœcunditatis extēditur, quomodo multi radij sunt, sed vnū lumen: & rami arboris multi sunt, sed robur vnum radice tenaci fundatum: & quomodo de fonte vno riui plurimi defluunt, & numerositas licet diffusa videatur exundātis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur integra in origine. Auelle radiū solis à corpore, diuisionē vnitas nō capit. Ab arbore frange ramū, fructus germinare non poterit. A frōte præscinde riuum, præscissus arescit. sic & ecclesia domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit: vnum tamen est quod vbiq; diffunditur, nec vnitas corporis separatur. ramos suos per vniuersum orbem copia vbertatis extendit: profluentes largitur riuos, ramos latius expandit: vnum tamen caput est, & vna origo, & vna mater copiosæ fœcunditatis. Adulterari nō potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica. Vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem in casto pudore custodit. IDEM.

Ioan. 20. c.
Canti. 6. c.
Ephe. 4. a.
Cypria. ibidem paulo inferius.

Non habet deum patrē, vniuersalis ecclesiæ relinquens vnitatem. 18

ALienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest deū patrem, qui vniuersalis ecclesiæ non tenet vnitatem. Item dominus cum discipulis suis ait vt vnanimitatem suaderet & pacem. Dico, inquit, vobis quia si duo ex vobis cōuenerint in terra de omni re, quæcunq; petieritis in nomine meo, cōtinget vobis à patre meo, qui in cælis est. Vbicunq; enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum his sum. Ostēdit nō multitudini, sed vnanimitati deprecātium plurimum tribui. si duo, inquit, ex vobis conuenerint in terra. &c. vnanimitatem prius posuit: concordiā pacis ante præmisit. vt cōueniat nobis, & fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ipse

Matth. 18. c.

cum aliquo conuenire, qui cum corpore ipsius ecclesię & cum vniuersa fraternitate non cõuenit? Quomodo autem possunt duo vel tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo *August. cap. 51. lib. 7. de baptismo.* & eius euangelio separari? ITEM Hieronymus.

Ligandi & soluendi non habet potestatem, qui vnitatem ecclesiæ catholicæ non tenet. 19

OMnibus consideratis puto me non temerè dicere alios ita esse in domo dei, vt etiam ipsi sint domus eadem dei, quæ dicitur ædificari supra firmam petram, quę vnica columba ap- *Cantic. 4. d.* pellatur: quæ sponsa pulchra sine ruga & macula, & hortus cõclusus, fons signatus, & puteus aquæ viuæ, & paradisus cum fructu pomorum: quę domus etiam claues accepit, ac potesta- *Matth. 16.* tem soluendi & ligandi. Hanc domum si quis corrigentẽ cor- *Psal. 25.* ripientemq́; contempserit: sit tibi, inquit, sicut ethnicus & pu- *Psal. 67.* blicanus. De hac domo dicitur: Domine dilexi decorem do- *Psal. 121.* mus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, &, Qui habitare facit vnanimes in domo. Et, Lætatus sum in his quę dicta sunt *Psal. 83.* mihi, &c. Et, Beati qui habitant in domo tua domine, in secu- *Aug. ca. 6. li. 2. de baptismo.* la seculorum laudabunt te. ITEM Hieronymus.

Varia crimina, variis sunt pœnis afficienda. 20

NOn afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes: hoc graue est, hoc leue est: sed afferamus diuinam staterã de scripturis sacris tanquã de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appẽdamus. Tempore quo dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda mõstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ira regis contẽptoris incensus, & schisma tentatum: idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde, & peregrina captiuitate: schisma hiatu terræ, sepultis auctoribus viuis, & cæteris cœlesti igne consumptis. quis iã dubitauerit hoc esse sceleratius cõmissum, quod *Cap. 35. lib. 6. in Iob.* est grauius vindicatum? ITEM Gregor. in Moralibus.

Ex sola ecclesia, sacrificium dominus accipit. 21

QVia ex sola ecclesia catholica veritas conspicitur, apud se *Exod. 33. d.* esse locum dominus perhibet de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt dei faciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non agnoscit: *Matth. 16. c.* de qua soliditate dominus dicit: Super hanc petram ædificabo, &c. Sola quippe est per quam sacrificium dominus accipiat libenter, sola quæ pro errantibus intercedat fiducialiter. Vnde *Exod. 12. g.* etiam de agni hostia dominus pręcepit dicẽs: In vna domo comedetis, neq; effereris de carnibus eius extra fores. In vna nãque domo comeditur, quia in vna catholica ecclesia vera ho- *Matth. 7. a.* stia redẽptoris immolatur. De cuius carnibus lex foras efferri *Gene. 7. b.* diuina prohibet: quia sanctum dari canibus vetat. Sola est quæ

intra

intra se positos valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem quos extra arcam inuenit, extinxit. Item Ambrosius.

Ambr. in oratione funebri de obitu fratris.

Non exhibet fidem Christo, qui corpus eius discerpit. 22

ADuocauit ad se Cyprianus episcopum Satyrum: nec vllam putauit veram nisi veræ fidei gratiam: percunctatusque ex eodem est vtrumnā de catholicis episcopis esset: hoc est si cum Romana ecclesia conueniret: & fortè ad id locorū in schismate regionis illius ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra cōmunione diuiserat: & quanquā pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei ecclesiā non tenebant: cuius patiebantur velut quosdā artus diuidi, & membra lacerari. etenim cùm propter ecclesiā Christus passus sit: & corpus Christi sit ecclesia, non videtur ab his exhiberi fides Christo à quibus euacuatur passio eius atque distrahitur. itaq; quamuis gratiæ fœdus teneret, & metueret tāti nominis debitor nauigare: tamen eo transire maluit, vbi tutè posset exsoluere: iudicabat enim diuinæ solutionis gratiam in affectu ac fide esse, quam quia statim vt primum copia ecclesiæ liberior fuit, implere nō distulit: Dei gratiam, & accepit desideratam, & seruauit acceptam. Item Beda super epist. Ioannis.

Etiam corpore ab eo recedendum est, qui fidem Christi non habet. 23

OMnis qui recedit & nō permanet in doctrina Christi, hic Deum non habet. qui permanet in doctrina Christi, hic & filium & patrem habet. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim illi dicit Aue, cōmunicat illius operibus malis. hæc Ioannes de schismaticis siue hæreticis vitandis: quæ verbis docuit, & factis exhibuit. Narrat enim de illo auditor eius sanctissimus vir & martyr fortissimus Polycarpus Smyrneorū antistes, quia tempore quodā cùm apud Ephesum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cherinthū exire, continuo discessit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneę ipsæ nos corrumpant in quibus Cherinthus lauatur inimicus veritatis. Idem etiam Polycarpus Marcioni cùm aliquando occurrisset dicenti sibi, Agnoscis nos? respondit, Agnosco primogenitum Satanæ. Item Hieronymus.

2. Ioan. 1. c.

Beda ad cap. 1. epist. 2. Ioannis.

Ad Damasum scribens.

Prophanus est extra ecclesiam beati Petri, agnum comedere tentans. 24

QVoniam vetus oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam domini tunicā & desuper contextam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam vulpes exterminant inter lacus contritos qui non habent aquam, & difficilè vbi fons signatus, & hortus conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi

Ioan. 19. d.

mihi cathedram Petri & fidem apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam: inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. neque verò vaſtitas tanti elementi liquentis, & interiacens latitudo terrarum me à precioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunque

Matth.24.c. fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum omnino ſeruatur auctoritas. ibi ceſpite terra fœcūdo dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert. hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſque degenerant. Nunc in occidēte ſol iuſtitiæ oritur: in oriente autem Lucifer ille qui ceciderat, ſupra ſydera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi,

Ibidem.5. vos eſtis ſal terræ, vos vaſa aurea & argentea. Hic teſtea vaſa, virga ferrea & æterno operiuntur incendio. Quanquā igitur tui me terreat magnitudo, tamen inuitat humilitas: à ſacerdote victima ſalutem, à paſtore præſidium ouis flagito. Fatiſcat inuidia, Romani culminis recedat ambitio. Cū ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo Chriſti loquor. Ego nullum præmium niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ ſancti Petri communionem conſortior. Super illam petram fundatam eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domū agnū

Gen 7.b. comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro facinoribus meis ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam coniuncto Barbariæ fine determinat, non poſſum ſanctum domini tot interiacentibus ſpatijs à ſanctimonia tua ſemper expetere. Ideoque collegas tuos Aegyptios martyres & confeſſores ſequor: & ſub onerariis parua nauicula delitèſco. Non noui Vitalem, Miletum reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque non tecum colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.

In comment. ad ca.9. Lucæ.

ITEM Ambroſius.

Hæreticorum conſortia à catholicis ſunt fugienda. 25

QVæ dignior domus apoſtolicæ prædicationis ingreſſu, quàm ſancta Romana eccleſia? aut quis præferendus ma-

Ioan.13.a. gis omnibus videtur, quàm Chriſtus? qui pedes ſuis conſueuit lauare hoſpitibus: & quoſcunque ſua receperit domo, pollutis non patitur habitare veſtigiis: ſed maculoſos licet in ea acceperit vitæ prioris: in reliquum tamen mundare dignatur proceſſus. Hic eſt igitur ſolus quem nemo debet deſerere, ne-

Ioan.5.f. mo mutare: cui bene dicitur: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Vidimus executorem cœleſtium pręceptorum: qui quoniam non mutauit hoſpitiū, cæleſtium conſortium habitationis * emeruit. Fides ergo in

* habitationis cæleſtis. primis eccleſiæ quærenda mandatur: in qua ſi Chriſtus habi-

* legenda. tator ſit, haud dubiè ſit legendum. * ſi verò perfidus populus

aut

aut præceptor hæreticus deformet habitaculum ecclesiæ, vitanda est hæreticorum communio, fugienda synagoga censetur, excutiendus pedum puluis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus tanquam humi aridæ arenosæque mentis tuæ vestigium polluatur. nam sicut corporeas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet euangelij prædicator, iuxta quod scriptum est: Quis infirmatur, & ego non infirmor? ita si qua 2.Cor.11.g. est ecclesia quæ fidem respuat, nec apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est. quod Apostolus quoque euidenter asseruit, dicens: Hæreticum hominem post primam, scilicet correctionem deuita. ad Tit.3.a. ITEM Beda super Matthæum.

Nec peccatis solui, nec cæleste regnum ingredi potest, qui ab vnitate ecclesiæ est diuisus. 26

QVicunque ab vnitate fidei, vel societatis Petri apostoli quolibet modo semetipsos segregauerint, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi. ITEM Hieronymus in Amos prophetam. Hier. ad cap. 5.

Non suscipiuntur eorum sacrificia, quorum fides reprobatur & vita. 27 Amos in cõment.

ODi & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum: quod si obtuleritis mihi holocausto mata & munera vestra, non accipiã: & vota pinguium vestrorum respuam. Odit autem deus, & non solum odit, sed & proiicit festiuitates eorum qui non celebrant festiuitates dei, sed suas. Et post pauca. Odisse autem & proiicere, & nõ odorari, humana loquitur similitudine: vt nos affectũ dei nostris sermonibus agnoscamus. Et si holocausta obtulerint vt videantur ieiunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri: quæ holocausta sunt vera, non ea suscipit dominus. Nam non sacrificiorum magnitudine, sed offerentium merita causasque diiudicat. Vnde & vidua quæ in corbonam duo minuta miserat, omnibus à saluatore præfertur: quia dominus non ea quę offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium. Amos.5.f.

ITEM Augustinus.

Vbi charitas non est, ibi fides vel iustitia locum non habet. 28

VBi sana fides non est, non potest esse iustitia: quia iustus ex fide viuit: neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittãt, quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur: quam si hæretici haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est ecclesia. Heb.10 g. ITEM Innocentius papa. Inno.1 epist 18

A fide recedens spiritus perfectionem amittit. 29 ad Alexandrum.

HAeretici cùm à fide catholica destiterint, perfectionem spiritus quam acceperant amiserunt.

ITEM

Cyp. epist. 6. lib. 1.

ITEM Cyprianus Magno filio salutem.

Sacrificij potestate penitus carent hæretici. 30

DIdicim⁹ omnes omnino hæreticos & schismaticos nil habere potestatis & iuris: propter quod Nouatianus nec debet, nec potest excipi quo minus ipse quoque extra ecclesiam consistens, & cõtra pacem ac dilectionem Christi faciẽs inter aduersarios & antichristos computetur. Et paulò post. Ecclesia vna est quæ vna & intus esse, & foris esse nõ potest. si enim apud Nouatianũ est, apud Cornelium non fuit. si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, & quem post sacerdotij honorem martyrio quoque dominus glorificauit: Nouatianus in ecclesia nõ est, nec episcopus cõputari potest: vt qui euangelica & apostolica traditione contempta nemini succedẽs, à seipso ortus est. Habere nanque aut tenere ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in ecclesia non est. Et paulò post. Quod verò eundẽ quem & nos deum patrem, eundem filium Christum, eundẽ spiritũ sanctum nosse dicũtur: nec hoc adiuuare potest tales. & infrà. Inuenimus in tali facinore non solum duces & auctores, sed etiam participes pœnis destinari, nisi à communione malorũ se separauerint, præcipiente domino per Moysen & dicente:

Num. 16.

Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccatis eorũ. & quod cõminatus per Moysen dominus fuerat, impleuit: vt quisque quise à Chore, Dathan, & Abyrõ non separasset, pœnas statim pro impia cõmunione persolueret. quo exẽplo ostẽditur & probatur obnoxios omnes culpæ & pœnæ futuros, qui se schismaticis contra præpositos & sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint: sicut etiã per

Osee. 9. a.

Osee prophetã spiritus sanctus testatur & dicit: Sacrificia eorũ tanquã panis luct⁹, & omnes qui manducãt ea, cõtaminabuntur. docẽs & ostendens omnes omnino cum auctoribus suis supplicio cõiungi qui fuerint eorũ peccatis cõtaminati. quæ ergo apud eos merita esse circa deũ possunt, quibus supplicia diuinitus irrogãtur? & infrà. Si autẽ foris cũcti schismatici & hæretici nõ habẽt spiritũ sanctũ: & ideo apud nos eis manus imponitur, vt hic accipiatur, quod illic nõ est, nec dari potest: manifestum est nec remissionẽ peccatorum per eos dari posse quos constat spiritum sanctũ non habere. ITEM Li. papa.

Proprio spolientur honore qui contra pacem ecclesiæ nituntur. 31

QVi contra ecclesiæ pacem sunt, si dignitatem aut cingulũ militiæ habent, nudentur eis. Si autem priuati, si quidem nobiles sunt, suarum substantiarum proscriptionem patiãtur. si autem ignobiles, non solum in corpore verberẽtur, sed exilio perpetuo castigentur. ITEM Pelagius papa.

Nec

Nec consecrat, nec consecratur in schismate constitutus episcopus. 32

PVdenda (vt ita dicam) rapina in diuisione est non consecratus, sed execratus episcopus. si enim ipsum nomen consecrationis rationabili ac viuaci intellectu discutimus, is qui cum vniuersali detrectat consecrari ecclesia, consecratus dici vel esse nulla ratione poterit. Consecrare enim est simul sacrare. sed ab ecclesiæ visceribus diuisus, & ab apostolicis sedibus separatus, execrat ipse potius, & non consecrat. iure ergo execratus tantum, non consecratus poterit dici, quem simul sacrare in vnitate coniunctis mēbris non agnoscit ecclesia. videamus tamen vtrum vel ipsarum consuetudinem partium in sua ordinatione cōseruauerint. nempe is mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab apostolico onerosum illis fuerat ordinari: ipsi seinuicem Mediolanensis & Aquileiensis ordinare episcopi debuissent: ita tamen, vt in ea ciuitate in qua erat ordinandus episcopus, alterius ciuitatis pontifex occurrere debuisset: vt ordinandi electio à præsenti ordinatore ex consensu vniuersalis, cui præficiēdus erat ecclesiæ melius ac facilius potuisset agnosci, & in sua qui ad episcopatum prouehēdus erat, nec tamen ordinatori suo subdēdus fuerat, vt ordinaretur ecclesia. etenim cùm (sicut diximus) ecclesia vna sit, cui in Canticis canticorum dicitur: Vna est columba mea, nullam aliam esse constat, nisi quę in apostolica radice est fundata: à quibus ipsam fidem vniuerso orbi propagatam esse non potest dubitari: quod nobis licet notissimum omnino sit, beati tamen Augustini testimonio comprobemus. audite quid in quodam opere suo præclarissimus doctor dicat ecclesiæ. ait enim. Quod si nullo modo rectè dici potest ecclesia, in qua schisma est, restat vt quoniam ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in sedis apostolicæ per successiones episcoporum radice constitutam, hominum nullorum malorum malitia, etiam si nota excludi non possit, sed pro temporis ratione toleranda iudicetur, vllo modo valeat extinguere. IDEM. *Cant. 6. c.*

Vnitati non communicat schismaticis consentiens. 33

SChisma siquidem ipsum quod Græcum nomen est, scissurā sonat, sed in vnitate scissura esse nō potest: non ergo vnitati cōmunicat qui schismaticis cōmunicat. partes sibi ipsi fecerūt, & ab eo quod vnum est (vt apostoli Iudæ iam verbis loquar) semetipsos segregātes, spiritum non habēt: quibus omnibus illud efficitur, vt quia in vnitate vnum non sunt: vt quia in parte esse voluerunt, vt quia spiritum non habent, corporis Christi sacrificium habere non possint. Non autē nobis nunc illa quęstio est vtrum tolerare malos, sed vtrū debeamus schismaticis sociari. Si etiam illi, licet in sensu suo abundātes, intra mater- *Iudæ 1.*

materna tamen viscera positi, quærerent veritatem, à nobis repellendi non erant, donec apud eos ratione duce rei veritas claruisset. sed quia se ab vniuersali ecclesia diuiserunt, sicut beatus Augustinus ait: Omnis catholicus secutus eam partem detestatur, cui ecclesiam vniuersalem apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. Nec enim leuigat* crimen eorum, magis verò auget quòd eos diu restitisse dixistis ne apostolicis sedibus communicátes in sua communione reciperent. In hoc enim dum & illi culpandi sunt qui communicare talibus voluerunt, multo magis tamen illi execrandi sunt, qui non solum in sacerdotibus communionem apostolicarum sedium, verumetiam in ipsis laicis spreuerũt. Sed nec illud eis prodest quòd eos in eisdem literis, vel ignorantia rationis, vel simplicitate intellectus sui à nostra se communione suspendisse perhibetis. idipsum enim magis est propter quod schismatici sunt. quia non eos diuersa sentiendi iudiciu, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra apostolicam sedem temere credentes, pessima diuisit opinio: quod schisma specialiter esse beatus denunciat Augustinus dicens de talibus. Aduersus auctoritatem illarum ecclesiarum quæ ab apostolica sede epistolas accipere meruerunt, temere credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterunt. Ad summam, aut illos ecclesiam esse creditis, & cùm duæ ecclesiæ esse non possint: nos (quod absit) schismaticos iudicabitis: aut si veram in apostolicis sedibus esse cõstat ecclesiam, & illos ab vnitate diuisos cognoscite, & communionis quæstionem esse sublatam, quam verá nisi in vnitate constat esse non posse. Noli ergo quasi nulla schismaticorum atque ecclesiæ differentia sit, velle indifferẽter vtrorunque sacrificijs sociari. non est corpus Christi quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur, nec enim diuisum esse Christum poterit quisquam sine apostoli reprobatione confingere. vnam autem (vt sæpe dictum est) quæ Christi corpus est. cõstat esse ecclesiam, quæ in duo vel in plura diuidi non potest. simul enim cum ab ea quisque recesserit, ecclesia esse desistit.

* leuiat.

1. cor. 1.

Nico. 1.

ITEM Nicolaus papa scribit Michaeli Augusto.

Ex quo episcopus fidem ecclesiæ docet, alium excõmunicare potest. 34

AIt Cœlestinus papa oriẽtalibus episcopis scribẽs. si quis ab episcopo Nestorio vel ab alijs qui eũ sequũtur, ex quo talia prædicare cœperũt, vel excõmunicatus vel exutus est, seu antistitis, seu clerici dignitate: in nostra hũc cõmunione durasse & durare manifestũ est, nec iudicamus eũ esse remotũ: quia nõ poterat quenquá ei[9] remouere sentẽtia, qui iá se præbuerat ipse remouendũ. IDEM ad clerum Cõstantinopolitanum.

Iuo in fine lib. 5 id refert.

Nos

Non habentur excommunicati, qui ab hæreticis excõmunicantur. 35

APertè (inquit) sedis nostræ sanxit auctoritas nullum siue episcopum siue clericum, siue professione aliqua Christianum, qui à Nestorio vel eius similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel communione vel loco suo deiecti sunt, vel eiectum, vel excommunicatum videri: sed hi omnes in nostra communione hucusque perdurant: quia neminem deiicere vel remouere poterat, qui prædicans talia in fide titubabat. Intellexisti imperator ex suprà memoratis non potuisse, vt non dicamus prælatum suum saltem quemlibet remouere qui fuerant olim remoti, nec deiicere quenquam iam antè prostrati.

ITEM Nicolaus papa.

Nico. I. ad Michaelem imperat.

Ad iudicandum excommunicati non recipiantur. 36

MIramur quomodo excõmunicati ad iudicandum recepti sunt, cùm secundum apostolicos canones sine cõmendatitiis literis in cõmunione sola recipi prohibeâtur. absurdum enim est vt cui nõ licet etiã cum minimis iuxta sacras regulas communicare: licet etiam ei de suis penè maioribus iudicare.

GRATIA.

His auctoritatibus perspicuè mõstratur, quòd ex quo aliquis contra fidẽ cœperit aliquid docere, nec deiicere: quenquã valet nec dãnare. Obiicitur tamen illud Augustini, Recedentes à fide, nec baptisma nec baptizãdi potestatẽ amittunt. Cùm ergo sacerdotalem vnctionẽ vtraq; potestas (videlicet baptizãdi & excõmunicandi) sequatur: à fide recedentes, aut vtranq; retinebunt, aut vtraque carebunt. Sed aliud est potestas officij, aliud executio. Plerunq; officij potestas vel accipitur, veluti à monachis in sacerdotali vnctione, vel accepta sine sui executione retinetur, veluti à suspensis, quibus administratio interdicitur, potestas nõ aufertur. A fide itaq; Christi recedẽtibus potestas non adimitur: sicut redeuntibus non redditur, ne non homini, sed sacramento iniuria fieri videatur. Vnde ab hæreticis baptizati vel ordinati cùm ad vnitatem catholicæ fidei redierint, si fortè intuitu ecclesiasticæ pacis in suis recipiantur ordinibus, non iterabitur sacramentum quod in forma ecclesiæ probabitur ministratum: sed per impositionẽ manus præstabitur virtus sacramenti, quæ extra ecclesiam nulli docetur esse collata. Cùm ergo vtraq, potestas in hæreticis remaneat, si hæreticus catholicum vel alium hæreticum excõmunicauerit, vt in cõmunionẽ suæ hæresis illum deducat: quia iniqua est sentẽtia, pondere caret. Quòd si in catholicum prauè viuentem, vel in hæreticum flagitiis vel facinoribus deditum, vt alias ad rectè viuendi normam vterq; redeat, sententiam dederit, an vterq;, an hæreticus tantum eius detineatur sentẽtia, meritò quærendum videtur. Potest autem dici catholicum sententia hæretici minimè teneri. Non enim potest oris gladio ferire quem accusa-

accusare, vel in quem testificari non valet. Si enim quos diuina testimonia non consequuntur, quia extra ecclesiam sunt, pondus humani testimonij perdiderunt aduersus eos qui in ecclesia esse videntur, nec aduersus eosdem ecclesiasticæ auctoritatis pondus habere poterunt, qui ab eius fide discessisse probati sunt, atque ideo ab ecclesia sunt condemnati. In hæreticum autem potestatẽ habere videtur hæreticus, sicut & diabolus potestatem in malis tanquam in suo pecore.

Epist.48. VNDE scribit Augustinus Vincentio Donatistæ & Rogatistæ.

Pro aliquo facinore ab hæreticis excommunicatus, à catholicis non est recipiendus. 37

QVisquis pro aliquo flagitio vel facinore proiectum à nobis ita suscipit sicut suscipiuntur qui excepto errore quo à nobis separamini, sine crimine apud vos vixerint, displicet nobis, sed nec facilè ista monstratis: & si monstretis, nonnullos toleramus quos corrigère vel punire non possumus: neque propter paleam relinquimus aream domini, nec propter pisces malos rumpimus retia domini, neque propter hœdos in fine separandos deserimus gregem domini, neque propter vasa facta in contumeliam migramus de domo domini.

Augu. epistola 269. IDEM ad Eusebium.

Quisquis propter disciplinam ab hæreticis excommunicatur, non est à catholicis recipiendus. 38

SVbdiaconus quidam Hispaniensis ecclesiæ nomine Primus cùm ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atq; ordinata & sana pręcepta contẽneret, à clericatu remotus est. ego, si placet domino, istum modũ seruo: vt si quis apud eos propter disciplinam degradatus est, & ad ecclesiá catholicá trãsire voluerit: in humiliatione pœnitẽtiæ recipiatur, quo & ipsi eum forsitan cogerẽt, si apud eos manere voluisset.

GRATIAN. Sed illud Augustini intelligitur dictum non propter sententiam, cuius potestas nulla est extra ecclesiam: sed in detestationem criminum, quæ in hæreticis sicut in catholicis æquè sunt punienda Potest tamen illud Augustini de potestate baptizandi intelligi, non ligandi aut soluendi, vel cætera sacramenta ministrandi. baptisma nanque siue ab hæretico siue à laico ministratum fuerit, dummodo in vnitate catholicæ fidei accipiatur, non carebit effectu. Alia verò sacramenta, vt sacri corporis & sanguinis domini, excommunicationis vel reconciliationis, si ab hæretico vel catholico non sacerdote ministrentur, vel nullum vel lethalem habebunt effectum: vnde & ab omnibus fidelibus nullatenus sunt recipienda. Hinc Augustinus scribit in primo libro de vnico baptismo.

Ca.2.li.1.de baptis.

In ex-

In extremo positus etiam ab hæretico pœnitentiam accipere valet. 39

SI quę fortè coegerit extrema necessitas, & vbi catholicum per quem accipiat non inuenerit,& in animo pacem catholicam custodiens,per aliquem extra vnitatem catholicā positum acceperit quod in ipsa erat catholica vnitate percepturus, si statim etiā de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum deputamus. si autē fuerit à corporali morte liberatus, cùm se catholicæ congregationi etiā corporali præsentia reddiderit: vnde nunquam corde discesserat,non solum nō improbamus quod fecit,sed etiam securissimè verissiméq; laudamus:quoniam præsentem deum credidit cordi suo, vbi vnitatē seruabat, & sine sancti baptismatis sacramento quod vbicunq; inuenit,non hominum,sed dei esse cognouit,noluit ex hac vita migrare. Si quis autē cùm possit in ipsa accipere,aliqua mētis peruersitate elegerit in schismate baptizari,etiam si postea venerit ad catholicam ecclesiam, certum est illi prodesse sacramentum quod alibi accipi potest,prodesse non potest. peruersus & iniquus est,& tanto perniciosius,quanto scientius.

ITEM Iulius papa.

Per annum pœniteat qui de manu hæretici nesciens prohibitam communionem accepit. 40

SI quis dederit aut acceperit communionem de manu hæretici,& nescit quòd catholica ecclesia contradicit,postea intelligens vnum annum integrum pœniteat. si autē scit, & neglexerit,& postea pœnitentiā egerit: decē annos pœniteat.alij iudicant septem,& quidam humanius,vt quinq; annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum missam suam celebrare in ecclesia catholica,& nescit,xl.dies pœniteat.si pro reuerentia eius:annum vnum pœniteat. si pro dānatione ecclesiæ catholicæ,& consuetudinis Romanorum,proiiciatur ab ecclesia sicut hæreticus: nisi habeat pœnitētiam.si habuerit,decē annos pœniteat. Si recesserit ab ecclesia catholica in congregationem hæreticorum,& aliis persuaserit, & postea pœnitentiam egerit:duodecim annos pœniteat, tres extra ecclesiam,septem inter audientes, & duos adhuc extra communionem. De his ita in canone dicitur:vt.xij. annis communionem sine oblatione percipiant. ITEM Gregorius papa. Ca.31.li.3.dialogorum.

Potius est mortem arripere,quàm de manu hæretici communionem accipere. 41

COepit Ermigildus rex iuuenis terrenum regnum despiciens,sed forti desiderio cœleste quærens, in ciliciis iacere vinculatus:& ideo omnipotēti deo ad se cōfirmādum preces effundere,tantoq; sublimius gloriā transeuntis mundi despicere,quanto & religatus agnouerat nil fuisse quod poterat auferri. Superuenienti autē festiuitatis Paschalis die,intempe-

ſtæ noctis ſilẽtio ad eum perfidus pater Arrianum epiſcopum miſit, vt de eius manu ſacrilegæ conſecrationes communionem perciperet, atque per hoc ad gratiam patris redire mereretur. ſed vir deo deditus, Arriano epiſcopo veniẽti exprobrauit vt debuit: eiuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etſi exterius iacebat ligatus, apud ſe tamen in magno mentis culmine ſtabat ſecurus. Ad ſe itaque reuerſo epiſcopo Arriano pater infremuit, ſtatimque ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem dei illic vbi iacebat, occiderunt.

QVAESTIO II.

AN POST MORTEM ALIQVIS POSSIT EXCOMMVNICARI.

GRATIA. Matth. 16. c.

QVòd autem poſt mortem nullus excommunicari valeat vel abſolui, ex verbis euangelij monſtratur: quibus dicitur: Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Super terram inquit, non ſub terra: oſtendens quòd viuentes pro varietate ſuorum meritorum ſoluere poſſumus & ligare: de mortuis autem ſententiam ferre non poſſumus.

Leo. pri. epiſt. 90.

VNDE Leo papa ſcribens Ruſtico Narbonenſi epiſcopo. I

Non poſſunt ab eccleſia abſolui poſt mortem qui in hac vita ab ea noluerunt abſolui. 2

DE communione priuatis & ita defunctis, horum cauſa iudicio dei reſeruanda eſt: in cuius manibus fuit vt talium obitus nõ vſque ad communionis remedium differretur. nos autem quibus viuentibus nõ communicamus, mortuis communicare non poſſumus.

GRATIAN. Gela pri.

ITEM Gelaſius papa Fauſto magiſtro fungenti legationis officio apud Conſtantinopolim.

Eccleſia viuentes poteſt ligare vel ſoluere, non mortuos. 3

LEgatur ex quo eſt religio Chriſtiana, vel certe detur exemplum in eccleſia dei, à quibuſlibet pontificibus, aut ab ipſis apoſtolis, aut ab ipſo denique ſaluatore veniam niſi ſe corrigentibus fuiſſe conceſſam, auditum enim ſub iſto cœlo non legitur omnino nec dicitur quod ex eorum voce depromitur: Date veniã nobis, dum tamen nos in errore duremus. Id quoque pariter etiam oſtendãt qui nobis canones nituntur opponere: quibus hoc canonibus, quib⁹ regulis, qua electione, quóve documẽto ſiue à maioribus noſtris, ſiue ab apoſtolis ipſis (quos potiores merito fuiſſe nõ dubium eſt) ſeu ab ipſo ſaluatore domino, qui iudicaturus creditur viuos & mortuos: ſiue factum eſt vnquam, vel faciendum eſſe mãdatur. Mortuos ſuſcitaſſe Chriſtum legimus: in errore mortuos abſoluiſſe non legimus: & qui hoc tantum faciendi ſolus habuit poteſtatem,

beato

beato Petro apostolo principaliter mandauit: Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis: & quodcunque ligaueris super terram, &c. Super terrã inquit: nam in ligatione defunctum nunquam dixit esse absoluendum. *Mat. 16.c.*

ITEM Vrbanus Guilimundo episcopo. *Iuo. refert lib. 5. de hereticis post.*

Non oportet ab eorum eleemosynis post mortem abstinere, quibus in vita communicare non destitimus. 4

SAne quod super Richardo filio Borelli vestra fraternitas se egisse innotuit pro zelo dei, & animarum salute, & charitate, laudamus: sed non est adeo timendum: non adeo est vobis ab eius eleemosynis abstinẽdu. Inter cæteros quippe nostræ fidei patres beatus Leo papa doctor egregius, quibus viuis, inquit, non cõmunicamus, nec mortuis cõmunicare debemus. Constat ergo, quibus viuis (vt ex opposito loquamur) cõmunicamus, mortuis quoq; cõmunicare possumus. Nos plane inter duo oppugnãtia positi, inter impios videlicet & schismaticos: schismaticis vllo modo cõmunicare nõ possumus, aut licet: peccatoribus vero & prædonibus dispensatiue propterea cõmunicamus, quia & ecclesiã hactenus sustentauerunt, & fideles se in posterum pollicentur: alioquin oportet nos de huius mundi partibus exire. sub qua etiam sponsione nos eis nuper in beati Petri natalitiis absolutionem indulsimus. quia ergo prædictus vir neque excommunicatus nominatiue, neque communicans cum excommunicatis ex nomine exiit, sed in domini sui fide atque seruitio permansit: licet nobis dispensatiue, id est, quandiu eos patimur, eorum eleemosynis communicare, & defuncti animam Christianæ religioni omnibus modis adunare.

ITEM Gelasius papa vniuersis episcopis per Dardaniam siue per Illyricum constitutis.

De eodem. 5

NEc quisquam vobis omnino persuadeat Acatio præuaricationis suæ crimen fuisse laxatum: quia qui postquam in collegium recidens prauitatis iure meruit ab apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est: absolutionem quam superstes non quęsiuit omnino, nec meruit, nec mortuus iam potest impetrare. siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaueritis super terrã, & reliqua. Cæterum de eo qui in diuino iudicio est constitutus: nobis fas nõ est aliud decernere præter id in quo eum dies supremus inuenit: atque ideo nisi eius nomine refutato, cæterisq; consortibus huius erroris: cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ dominicæ puritatem: quam maiores nostri semper ab hæretica magnopere seruauerunt pollutione discretam. ITEM Leo papa. *Mat. 16.c.*

Incorrigibilis damnationis ſententia relaxari non poteſt. 6

2. pars.

DAmnationis ſententiam quicunque meretur accipere: ſi in ſuo ſenſu voluerit permanere, nullus relaxare poterit. His auctoritatibus probatur, quòd viuentes non mortuos ſoluere poſſumus vel ligare. verum hoc non de omni crimine intelligendum eſt. ſunt enim quædam crimina de quibus etiã poſt mortem accuſari poteſt quilibet vel damnari: veluti hæreſis.

Iuo Carn. li. 5. de hereticis.

VNDE in prima actione quintæ ſynodi legitur.

Hæretici etiam poſt mortem ſunt excommunicandi. 7

SAne profertur à quibuſdam qui dicunt oportere poſt mortem hæreticos anathematizari, & ſequi in hoc doctrinã ſanctorum patrum, qui non ſolum viuentes hæreticos cõdemnauerunt, ſed etiã mortuos, ſicut eos qui iniuſte condẽnati ſunt, reuocauerunt poſt mortẽ: & in ſacris dicticis ſcripſerũt: quod factum eſt in Ioãne & in Flauiano religioſæ memoriæ epiſcopis Conſtãtinopolitanis. Itẽ in actione. v. Aug. ait. Et ſi forte iſti libri ita deſignant traditorẽ ſuum, ſicut dominus deſignauit Iudam: Legatur in eis nominatim expreſſeve Cecilianum vel eius ordinatores eorundem librorum fuiſſe traditores: & niſi eos anathematizauero, ipſe cum eis iudicer tradidiſſe. Quę modo recitata ſunt, Auguſtinus ſanctæ memoriæ cõſuluit & ſtatuit teneri ab initio in eccleſia. Impium enim dogma iã inculpatum eſt & cõdẽnatum: & eos qui tali dogmati obnoxij ſunt, anathematizari voluit eccleſiæ traditio, licet etiã mortui eſſent. ideo ſanctæ memorię Aug. dicit: ſi modo cõuinceretur Cecilianus de his quæ inferuntur ei, etiã poſt mortem eius illum anathematizo. Item multi epiſcopi congregati ſunt, & quædã de diuerſis cauſis ad eccleſiaſticum ſtatum pertinẽtibus diſponentes, de ipſis ſtatuerunt defunctis qui ſuas facultates hæreticis reliquerunt, vt etiam poſt mortem anathemati ſubiiciãtur. Sunt autẽ & Auguſt. ſanctæ memoriæ epiſtolę dicẽtes, quòd ſi qui in vita ſua non rectè ſapuerunt: licet nõ condẽnati fuiſſent adhuc viuentes, tamen demonſtrato peccato etiã iſti poſt mortẽ anathemati ſubiiciantur. Itẽ ſi vera ſunt quę Ceciliano obiecta ſunt, & nobis aliquãdo poſſunt mõſtrari: ipſum mortuum anathematizaremus. Item dicis mihi licere etiã de mortuis iudicare: quia iudicium non tãtum de viuis, ſed etiam de mortuis ſolet fieri. Item Rabanus ſanctæ memorię epiſcopus factus Ediſſenæ ciuitatis, qui in ſacerdotibus reſplẽduit, Theodorum Moſophenum poſt mortẽ in eccleſia anathematizauit. Item Romanorum etiam eccleſia ante annos paucos Dioſcorum qui fuit papa eiuſdẽ eccleſiæ, etiam poſt eius mortem anathematizauit: cum nec in fide peccaſſet: & hoc omnes homines ſciunt qui degunt hic Romæ: & maxime qui in dignitatibus exiſtunt, qui etiã eidem Dioſcoro cõmunicatores perman-

permanserunt vsque ad mortem eius. Itē si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ vel superius aliquis recurrerit, etiā Origenem inueniet post mortem anathematizatum: quod etiam in isto fecit & vestra sanctitas, & Vigilius religiosissimus papa antiquioris Romæ. Item sancta synodus, dixit: Sufficiunt quę dicta sunt & prolata ecclesiasticam traditionem demonstrare, quòd oportet hæreticos etiam post mortem anathematizari. Item in actione quarta sancta synodus dixit: August. sanctæ memoriæ qui inter episcopos Africanos splenduit, diuersæ epistolæ sunt recitatæ significātes quia oportet hæreticos etiā post mortem anathematizari: talem autem ecclesiasticam traditionem & alij Africani episcopi reuerendissimi seruauerunt: sed & Romana sancta ecclesia quosdam episcopos etiam post mortem anathematizauit, licet in vita sua pro fide non essent accusati: & vtrunque apud nos habita gesta significant.

QVAESTIO III.
AN PRO PECCATO ALICVIUS TOTA FAMILIA SIT EXCOMMVNICANDA.

QVòd autem pro peccato alicuius tota familia excommunicanda sit, multorum exemplis probatur. Pro peccato namque Sodomitarum, paruuli eorum qui beneficio ætatis paterna flagitia nesciebant, cœlesti igne sunt consumpti. Item pro peccato Amalechitarum nō solum paruuli eorum, sed etiam bruta animalia vsque ad mingentem ad parietem iussa sunt à domino deleri. Item Dathan & Abiron auctores schismatis fuerunt contra Moysen & Aaron: nec tantum ipsi soli, sed omnis substantia eorum cum ipsis descēdit ad inferos. In nouo testamento nonnunquā peccatis exigentibus grauis pestilentia desæuisse legitur: quæ etiā illos inuoluit, qui peccati conscientiā nō habebāt. Si ergo tam seuerissime pro peccatis parētum inueniuntur paruuli puniti: nulli dubium est quin pro peccatis eorundē sententia excōmunicationis pariter feriri valeant. His ita respondetur. pro peccatis parentum paruulos corporaliter flagellari, ex verbis euangelij apparet, vbi apostoli de cæco nato Christum interrogasse dicuntur: Rabbi quis peccauit: hic aut parētes eius, vt cæcus nasceretur? In quibus etiam illud completur quod dominus ait ad Moysen: Ego sum deus zelotes visitās peccata parētum in filios vsq; in tertiā & quartā progeniē. Spiritualiter autē peccatis parentum paruuli non tenentur, ex quo per sacramentum regenerationis ab originali peccato fuerunt emundati. Vnde per Ezechielem dominus ait: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. filius enim non portabit iniquitatem patris: neq; pater

GRATIAN. Genes. 19. c. 1. Reg. 15. a. Nume. 16. c. Ioan. 9. a. Exod. 20. a. Ezech. 18. a.

iniquitatem filij. iustitia iusti super eum erit: & impietas impij super eum &c. quæcunq; etiam peccata parentes cōmiserunt: filius ex quo personaliter ab eis separatus fuerit, ei non imputantur ad pœnam. Vnde peccato Adæ ideo omnes posteri teneri dicuntur, quia nondum aliquis ex illo materialiter fuerat proseminatus. quia vero apud deum nō sententia sacerdotum sed vita eorum quæritur: patet quòd non est notandus senten- 1. Corint. 5. d. tia quem peccati macula non inficit. Hinc Paulus Corinthiis scribens ait: Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiēs: cum his nec cibum sumere debetis. Ex quibus verbis datur intelligi quòd nisi primum aliquis nominatus fuerit de crimine, id est vel coram iudice accusatus vel cōuictus, vel in iure ipse de se confessus fuerit: quòd nec sententia est feriendus, nec ab eius communione abstinendum. Nō ergo pro alicuius peccato tota familia excommunicanda est.

Epist. 75. VNDE August. scribit ad Auxilium episcopum.

Pro peccato patris non est filius anathematizandus. I

SI habes de hac re sententiam certis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam: nos docere digneris quomodo rectè anathematizetur filius pro peccato patris: aut pro mariti peccato vxor: aut pro domino seruus: aut quisquam in domo etiam nondum natus si eorum tempore quo vniuersa domus est anathemate obligata, nascatur: nec ei possit per lauacrum regenerationis in mortis periculo subueniri. hæc enim fuit corporalis pœna qua legimus quosdam contemptores dei cum suis omnibus qui eiusdem impietatis participes fuerunt, pariter interfectos. tunc quippe ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque etiam moritura. spiritualis autem pœna qua fit quod scriptum est: Matth. 16. Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo; Ezech. 18. a. animas obligat: de quibus dictum est: Vt anima patris, ita & anima filij mea est. anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Audistis fortassis aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccātium: sed fortè si essent interrogati, reperirentur idonei inde reddere rationem. Ego autem si quis à me quæsierit vtrum id rectè fiat: quid ei respondeam, non inuenio. nunquam hoc ausus sum de quorundam facere facinoribus vnanimiter aduersus ecclesiam perpetratis: nisi grauissimè commouerer. Sed si tibi quòd iuste id fiat, dominus reuelauit: nequaquam iuuenilem ætatem tuam & honoris ecclesiastici rudimenta contēno. senex enim à iuuene, & episcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus sum doceri quomodo possim vel deo vel hominibus iustam reddere rationem si animas innocētes pro scelere alieno (quod non contrahunt ex Adam, in quo omnes peccauerunt)

runt) spirituali supplicio puniamus? Etenim Classiani filius etsi traxit ex parente noxam primi hominis sacro fonte baptismatis expiandam: tamen quicquid postquam eum genuit, peccati pater eius admisit, vbi particeps ipse non fuit, ad eum non pertinere quis ambigit? Quid dicam de coniuge? Quid de tot animabus vniuersæ familiæ? Vnde & si vna anima per istam seueritatem disciplinæ qua tota domus ista anathematizata est, sine baptismate de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum si de ecclesia homines innocentes violenter abstrahantur & interficiantur, huic damno non potest comparari. Si ergo de hac re potes reddere rationem: vtinam & nobis rescribendo præstes, vt possimus & nos. si autem non potes, quid tibi est inconsulta commotione animi facere: vnde si interrogatus fueris, responsionem rectam non vales inuenire? Hæc autem dixi etiam si filius noster Classianus aliquid admisit quod tibi anathemate plectendum iustissimè videretur.

Vt ergo ex hac auctoritate euidentissimè mõstratur, illicitè excommunicatur quis pro peccato alterius: neq; aliqua ratione nituntur, qui pro peccato vnius in totam familiam sententiam ferunt excommunicationis. Illicita autem excommunicatio notatum non lædit, sed excommunicantem cõdemnat. GRATIAN. 2. pars.

VNDE Gregorius scribit Magno Mediolanẽsi episcopo. *Epist. 26 li. 2.*

Illicitè si aliquis excommunicat: semetipsum non illum condemnat. 2

COmperimus quòd Laurentius quondam frater & coepiscopus noster nullis te culpis exigentibus communione priuauit. Ideoque huius præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage: & communionem sine aliqua sume formidine. ITEM Hierony. in Leuit. *Orig. hom. 14. ad cap. 24 Leuitici.*

Qui non corde sed ore maledicunt, labiorum immunditiam contrahunt. 3

QVi negligunt oris maledici cõsuetudinem resecare: etiam si non corde maledicant, tamen immunditiam labiorum (secundum Esaiæ verbum) & inquinamenta oris incurrunt. ITEM Hierony. vbi suprà. *Esai. 6 b Origen. vbi suprà.*

Vita non sententia quemlibet ligat vel soluit. 4

SI quis non recto iudicio eorum qui præsunt ecclesię, depellatur & foras mittatur: si ipse antea non exiit, hoc est si non ita egit vt mereretur exire: nihil læditur in eo quòd nõ recto iudicio ab hominibus videtur expulsus: & ita fit vt interdum ille qui foras mittit, intus sit: & ille foris, qui intus videtur retineri. ITEM Rabanus de ecclesiasticis pressuris lib. j. *Ivo lib. 5. de licit. & illicit.*

De eodem. 5

NOn in perpetuum damnamur cùm iniustè iudicamur, dicente Psalm. Nec damnabit illum, cùm iudicabitur illi. *Psal. 36.*

Multi sacerdotum culpam zelo dei se persequi profitentur: sed dum indiscretè hoc agitur, sacrilegij facinus incurrunt: & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multo magis in deterius cadunt. ITEM ex concilio Parisiensi tempore Lodouici.

Iuo vbi supà refert.

Qua pœna feriatur, qui illicitè aliquem excommunicat. 6

DE illicita excõmunicatione lex Iustiniani imperatoris catholici quã probat & seruat catholica ecclesia, cõstitutione.cxxviij.cap.ccc.lib.j.decreuit vt nemo presbyter excõmunicet aliquem, antequã causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus eam aliquem excommunicauerit: ille quidẽ qui excõmunicatus est, maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ cõmunionis redeat. Is autem qui legitimè non excõmunicauerit: in tãtum abstineat à sacra cõmunione tempus, quantũ maiori sacerdoti visum fuerit: vt quod iniustè fecerit, ipse iustè patiatur.

GRATIAN. Et hinc sanctus Gregorius ad Ioannem episcopum iniustè excommunicantem, inter cætera scribit dicens: Cassatis prius atque in nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri principis apostolorum auctoritate decernimus. xxx. dierum spatio te sacra communione priuatum ab omnipotenti deo tanti excessus veniam cum summa pœnitẽtia ac lachrymis exorare. quòd si hanc sentẽtiam nostram te cognouerimus implesse remissius: non iã tantum iniustitiã, sed cõtumaciam fraternitatis tuæ cognoscas iuuante deo seuerius puniendam: quia nemo præproperè vel præposterè, scilicet non commonitus neq; conuictus, est iudicandus. De conuentione autem huius imperatoris manifestorum criminum lex dicit: Quicunque tribus auctoritatibus iudicis conuentus est, vel tribus edictis fuerit ad iudicem prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit vocatus: & præsentiam suam apud eum iudicem à quo ei denunciatum est, exhibere noluerit: aduersus eum quasi cõtumacem iudicari potest. quinimò retractari nec per appellationem negocia possunt, quotiens in contumacem fuerit iudicatum. Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conuentis ex euangelica auctoritate Cœlestinus ad Nestorium dicens, & Ephesina synodus de eodẽ decernens, & beatus Gregorius ad Ioannem scribens comprobauit. De peremptorio scripto Africanũ concilium demonstrat de Cresconio: vt si cõuentus resipiscere detrectauerit, suo contemptu & sua contumacia faciente, auctoritate iudiciaria jam protinus excludatur. Item beatus Gregorius de sententia iudiciaria in contumacem scribens ad Maximum præsumptorem Salonitanum episcopum dixit: Hortamur vt ad nos venire omni postposita excusatione festines:

stines: quatenus seruata iustitia, hæc de quibus accusaris, & cognoscere & finire secundum canonica instituta Christo reuelante possimus. Ita autẽ fac, vt ad veniendum amplius iá moras non ingeras: ne magis ipsa te absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet: & nos in te hæc res non solùm propter prædicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam, durius scilicet vt in contumacẽ, cogat ex cõsilio ferre iudicium. ITEM Origenes super Leuiticum. Orig. hom. 14. ad cap. 24. Leuitici.

Vita non sententia ab ecclesia aliquẽ eiicit, vel ad eam reducit. 7

CVm aliquis exit à veritate, à timore dei, à fide, à charitate: exit de castris ecclesiæ, etiam si per episcopi vocem minimè abiiciatur: sicut econtrario aliquis dum non recto iudicio foras mittitur, scilicet si antè non exierit, id est, si non egerit vt mereretur exire: nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est & qui foris est, intus videtur retineri.

ITEM Augustinus.

Et qui aperto sacrilegio, & qui peruersa vita fidelibus non sociantur, ad ecclesiam non pertinere probantur. 8 Iudæ epistola vnica. f.

DE illis qui ab ecclesia sunt segregati, nõ dicit, ea quæ sunt spiritus non percipientes: ne ad scientiæ perceptionem referatur: sed dictum est, spiritum non habentes. Hoc vtique non diceretur, nisi de segregatis ab ecclesia, qui dicti sunt spiritum non habentes. Sed nec ille dicendus est esse in ecclesia, & ad istam societatem spiritus pertinere, qui ouibus Christi ficto corde miscetur. Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum. Neq; enim solùm ad ecclesiam non pertinẽt qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt: sed etiam illi qui in eius vnitate corporaliter mixti, per pessimam vitam separantur. ITEM ex quinta synodo. Sapien. 1. b. Iuo lib. 5. de sentent. excommu.

A deo separamus, quos impios demonstramus. 9

CErtum est quòd qui impius demonstratus est, omnino separatus est à deo: sicut etiam ille qui anathematizatus est, tanquam impius separatus est. Nihil enim aliud significat anathema, nisi à deo separationem.

Illicita ergo excommunicatio (vt ex præmissis apparat) nõ lædit eum qui notatur, sed illum à quo notatur: ac per hoc qui innocentes sunt, ex alterius crimine condemnari non possunt: sicut ab imprudentibus familiæ potentum pro peccatis dominorum consueuerunt notari. Sed adhuc obiicitur illud, quòd non solùm innocentes, sed nec etiam criminosi sententia maledictionis sint feriendi. Ait enim Christus in euangelio: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: benefacite his qui vos oderunt. Item Apostolus: Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Item, maledici regnum dei non possidebunt. GRATIA. 3. pars. Matth. 5. g. Roma. 12. c. Gala. 5. d.

ITEM.

in 1.ca.3. Iudæ epi. vnica.c.

ITEM Hieron. in epistola ad Titum. c. iij.

Ab omni maledicto fideles immunes esse oportet. 10

SI igitur Michael non fuit ausus diabolo, & certè maledictione dignissimo, iudicium inferre blasphemiæ, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur diabolus maledictum: sed per os archangeli blasphemia exire non debuit. Relege veteres libros, & vide quæ tribus in monte Garizin constitutæ sint, vt benedicerent populo, & quæ in monte altero vt maledicerent. Ruben qui maculauerat thorum parentis, & Zabulon nouissimus Lyę filius, & ancillarum liberi in monte Heliel* ponuntur, vt maledicant his qui maledictione sunt digni. ITEM in libro iudicum.*

Deut.27.b. — * Ebal. — * Iosue. — Orige. ho. 9. ad c.9. Iosue.

Quos significant illi qui ad benedictionem, quíue ad maledictionem de filijs Israel electi sunt. 11

CVm ergo in singulis quibusque fidelium talis sit propositi varietas: hoc mihi designari videtur in hoc loco, quòd dimidij illi qui iuxta montem Garizin incedunt, illum, scilicet qui ad benedictiones electus est: istos figulariter indicēt, qui non metu pœnæ, sed benedictionum & repromissionum desyderio veniunt ad salutem. illi verò dimidij qui iuxta montem Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatæ sunt: istos alios indicant qui malorum metu & suppliciorum timore cōplentes quæ in lege scripta sunt, perueniunt ad salutem.

GRATIA.

Sed qui pro persecutoribus iussit orare, primos parētes pro transgressione mādati mortis maledicto percussit. Cain quoque quia primæ præuaricationi fratricidium adiunxit, sententiam maledictionis à domino reportauit. Abrahæ quoque dominus dixit: Maledicam maledicentibus tibi: & benedicam benedicentibus tibi. In euangelio etiam cùm esuriens veniret ad ficum: non inueniens fructum in ea, sua maledictione perpetua sterilitate ipsam damnauit. Item Noe cùm verenda sua à Cham derisa cognosceret, filium eius Chanaan maledicens dixit: Maledictus Chanaam sit seruus fratrum suorum. Isaac cùm benediceret Iacob filio suo ait: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictione repleatur. Item sicut in libro Deuteronomij legitur: Moyses ex præcepto dei. xij. tribus filiorum Israël in duas partes diuisit, & sex tribus iussit vt iuxta montem Gebal incedentes maledictionem transgredientium legem vociferarent. Alijs præcepit vt iuxta alium montem incedentes benedictiones obseruantium exclamarent. In nouo etiam testamento Petrus apostolus legitur Simoni maledixisse, cùm ait: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Paulus quoque qui dixerat, Benedicite, & nolite maledicere, fornicatorem Corinthiu iussit excommunicari. Item in alia epistola ait: Si quis non fuerit secu-

Gene.4.b. — Gene.4. — Gen.12.a. — Matt.21.b. — Gene.9.d. — Gen.27.d. — Deut.27.b. — Acto.8.d. — Rom.12.d. — 1.Cor.5. — 1.Cor.16.d.

secutus doctrinam domini nostri Iesu Christi: sit anathema maranatha. Item Galathis. Si angelus de cœlo veniens aliud *Galat. 1. d.* vobis euangelizauerit, anathema sit. Distinguendum est ergo inter maledictum quod prohibetur, & maledictum quod à domino & sanctissimis viris rationabiliter profertur. Maledictum quod prohibetur, est illud quod procedit ex voto vltionis, & odio persequētis: non ex amore iustitiæ. Maledictū verò quo sancti maledicūt, est illud quod procedit ex amore iustitiæ: nō ex liuore vindictæ. VNDE Gre. ait in Mora. li. *Cap. 6. li. 4.*

Sancti viri non ex voto vltionis, sed amore iustitiæ aliquos maledicunt. 12

CVm sancti viri maledictionis sententiam proferunt: non in hanc ex voto vltionis, sed ex iustitiæ examine prorumpunt. Intus subtile iudicium respiciunt: & mala foris surgētia qua maledictione ferire debeant, cognoscunt, & eo maledicto non peccant, in quo ab æterno iudice non discordant. Item scriptura sacra duobus modis maledictum memorat: aliud videlicet quod approbat: aliud quod dānat. *Ca. 5. eiusdē lib.* Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, vt in ipso primo peccante prolatum est cùm audiuit: Maledicta terra in opere tuo &c. *Gen. 3. c.* & sicut Abrahæ dicitur: Maledicam maledicentibus tibi. *Gen. 12. a.* Aliter verò profertur maledictum quòd non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ punitur: à quo voce Pauli prædicantis cessare admonemur, qui ait: Benedicite, & nolite maledicere. *Ro. 12. d.*

ITEM Pelagius papa Anglio episcopo.

Errantes & in errorem mittentes excommunicentur. 13

APostolicæ auctoritatis exemplo didicimus errantium, & in errorem mittentium spiritus tradendos esse satanæ, vt blasphemare dediscant. ITEM Anacletus papa. *Epist. 3.*

Delinquentes corrigantur à sacerdotibus, incorrigibiles inuenti excommunicentur. 14

TAm sacerdotes quàm reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt: quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis: aut si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separentur. Item Grego. papa. *Epi. 37. li. 2. ad Natalem episco.*

Secunda vel tertia admonitione interposita, excommunicationis sententia procedat. 15

DE excommunicationis articulo, quæ tamen interposita conditione gradus iam (vt ita dicam) secundo vel tertio ex necessitate subiuncta est, beatitudo vestra immeritò queritur, cùm Paulus apostolus dicat: In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. *2. Cor. 10. b.* ITEM Hieronymus.

Mali ab ecclesia sunt eliminandi. 16

REsecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda: ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeāt, corrum-

corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexãdria vna scintilla fuit: sed quoniam non statim oppressus est, per totum orbem eius flamma populata est. ITEM Augustinus.

Pro diuersitate culparum subditi à præpositis corripiantur. 17

COrripiantur itaque à præpositis suis subditi correctionibus de charitate venientibus pro culparum diuersitate diuersis vel minoribus vel amplioribus: quia & ipsa quæ dãnatio nominatur quam facit episcopale iudicium: qua pœna in ecclesia nulla maior est: potest (si deus voluerit) in correctionẽ saluberrimam cedere, atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die: aut ante finem vitę huius de aliquo tali desperandum est: aut contradici deo potest ne respiciat, & det pœnitentiam: & accepto sacrificio spiritus contribulati, cordisque contriti, à reatu quamuis iustę damnationis absoluat damnatum quem ipse non damnat. Pastoris tamen necessitas habet ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam: ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nesciẽtes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat: sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. ITEM Prosper.

Prosper li. 2 ca. 7. de vita contempla.

Qui corrigi nolunt, excommunicationis ferro debent abscindi. 18

ECce autem crimina quorumlibet si ipsis criminosis confiteri nolentibus vndecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata: veluti igne quodam piæ increpationis vrenda sunt & curãda. Quòd si nec sic quidem æquanimiter sustinẽtis ac piè increpãtis medela processerit: in eis qui diu portati, & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putridæ corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ cõtagione corrumpit: ita isti qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis interficiant.

ITEM Nicolaus papa Lotario regi.

Excommunicandus est, qui duas simul vxores habere præsumit. 19

AN non districta vltione feriendus est, qui in duabus vxoribus adulteriũ Lamech & flagitium imitatus esse dinosceris: quod dominus non nisi post. lxxvij. generationes suo salutifero aduentu deleuit, cùm Cain fratricidium. vij. generatione aquis abolitum sit cataclysmi, id est diluuij?

cap 37.

ITEM ex concilio Agathensi.

Falsi testes & homicidæ communione priuentur. 20

ITaque censuimus homicidas & falsos testes à communione ecclesiastica esse submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione

ctione crimina admissa diluerint. ITEM ex conc. Tolet. j. Cap. 12.

Excommunicetur potens, qui clericum pauperem vel religiosum spoliare præsumit. 21

SI quis de potētibus clericum aut quemlibet pauperem aut religiosum expoliauerit, & mandauerit eum ad se venire episcopus vt audiatur, & cōtempserit: inuicē mox scripta percurrant per omnes episcopos prouinciæ, & quoscunque adire potuerint, vt excommunicatus habeatur ipse donec obediat, & reddat aliena. Ex dictis Grego. papæ.

De eodem. 22

QVisquis per dolum malum suam mittit in Christū, id est, episcopum vel presbyterum: quia sacrilegium graue cōmittit: & si quis ecclesiam dei vastat aut impugnat, aut incendit: quia & hoc grauissimum est sacrilegium, placuit sanctæ synodo, vt in primis omnia bona eius proscriptione publicętur: deinde in vno loco, id est, monasterio inclusus pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. ITEM Calixtus papa. canon 16

Communione priuetur, qui Romipetas, vel peregrinos, vel mercatores molestare præsumit. 23 conc. gen. Lateran. 1. Calixto 2 anno 1122

SI quis Romipetas & peregrinos, & apostolorum limina, & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus quas ferunt spoliare, & mercatores nouis teloniorum & pedagiorum exactionibus molestare tentauerit: donec satisfecerit, communione careat Christiana. ITEM Vrbanus papa.

Excommunicentur qui oratores, & ecclesias, bonáque earum, & personas ibi seruientes infestare præsumunt. 24

PAternarum traditionum exemplis commoniti, pastoralis officij debitum persoluentes, ecclesias cū bonis suis tā personis quā possessionib⁹, clericos videlicet ac monachos, eorūq; conuersos vel cōmissos, oratores quoq; cum suis nihilominus rebus quas ferūt, tutos & sine molestia esse statuimus. Si quis autē cōtra hoc facere præsumpserit: & postquam facinus suum recognouerit, intra dierū spatium. xxx. cōpetenter non emēdauerit, à liminibus ecclesię arceatur, & anathematis gladio feriatur. ITEM Nicolaus papa omnibus episcopis.

Qui oratoribus pauperibus non arma ferentibus in malum obuiauerint, excommunicentur. 25

ILli qui peregrinos vel oratores cuiuscunque sancti siue clericos siue monachos, vel fœminas, aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eię obuiauerint: anathematis vinculo feriantur, nisi dignè emendauerint. Pax verò illa quam treugam dicimus, fideliter obseruetur sicut ab archiepiscopis & episcopis vniuscuiusque prouinciæ constituta est. qui autem eam infregerit, excommunicationi subdatur.

Quia

GRATIAN. 4. pars.

Quia verò sermo de hæreticis habetur, videndum est quid intersit inter schisma & hæresim: & qui sint hæretici, & quot sint hæreticorum sectæ. Differentiam autem inter schisma & hæresim Hieronymus in epistola ad Titum cap. iij. assignat dicens.

Ad locum, Hareticum hominē.

Schismatici & haretici differre dicuntur. 26

INter hæresim & schisma hoc interesse arbitror, quod hæresis peruersum dogma habeat: schisma propter *episcopalem dissensionem ab ecclesia pariter separat: quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diuersum. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam hæresim confingit, vt rectè ab ecclesia recessisse videatur.

* *al. post episcopalē decessionem*

Ad locum, Hareses, inuidiæ.

VNDE autem hæresis dicatur, in epistola ad Galat. cap. 5. Hierony. diffinit ita dicens.

Vnde haresis dicatur. 27

HAeresis Græcè, ab electione dicitur: quod scilicet eam sibi vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunque igitur aliter scripturâ intelligit, quàm sensus spiritus sancti flagitat, quo scripta est: licet ab ecclesia nō recesserit, tamē hæreticus appellari potest: & de carnis operibus est, eligens quæ peiora sunt. Qui verò propriè dicantur hæretici, Aug. in lib. de vtilitate credendi ostendens ait.

5. pars.
Ad Honora. c. 1.

Qui propriè dicantur haretici. 28

HAereticus est qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ, principatusque sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur. Ille autem qui huiusmodi hominibus credit, imaginatione quadam veritatis illusus est.

IDEM.

Non sunt haretici qui non sua audacia sed aliena seducuntur in errorem. 29

Titum 3.

DIxit Apostolus: Hęreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita: quia subuersus est huiusmodi, & peccat in semetipso damnatus. Sed qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quęrunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquā sunt inter hæreticos deputandi. ITEM Leo papa.

Leo I. epi. 10. ad Flauianum episcopum.

Magistri erroris existunt, qui veritatis disciplinam cōtemnunt. 30

QVid autem iniquius est quàm impia sapere, & sapientioribus doctoribusque non credere? sed in hanc insipientiam cadunt quicunque ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro. nō ad propheticas voces, nō ad apostolicas literas, nō ad euāgelicas auctoritates, sed ad semetipsos recur-

recurrunt: & ideo magiſtri erroris exiſtunt: quia veritatis diſcipuli non fuerunt. ITEM Aug. contra Manichæos.

Hæretici ſunt qui quod prauè ſapiunt, contumaciter defendunt. 31

QVi in eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumq́; quid ſapiunt: ſi correcti vt ſanum rectumq́ue ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt.

ITEM Vrbanus papa.

Errante damnabilior eſt, qui eius defendit errorem. 32

QVi aliorum defendit errorem, multo amplius damnabilior eſt illis qui errant: quia non ſolum errat, ſed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat: vnde quia magiſter erroris eſt, non tantùm hæreticus, ſed etiam hæreſiarcha dicendus eſt. ITEM Hieronymus. Ad ca. 5. Oſee in commenta.

Qui mendacio veritatem immutant, patrum terminos transferre probantur. 33

TRansferunt principes inde terminos quos poſuerunt patres eorum, quando immutant mendacio veritatem, & aliud prædicant, quàm ab apoſtolis acceperunt. Idem de hæreticis manifeſtus eſt ſenſus: qui ſophiſmatibus ſuis & arte dialectica ſæpe opprimunt eccleſiaſticos. Idem. Veteres ſcrutãs hiſtorias inuenire non poſſum aliquos alios ſcidiſſe eccleſiam, & de domo domini populos ſeduxiſſe, præter eos qui ſacerdotes à deo poſiti fuerant & prophetæ, id eſt, ſpeculatores. Iſti ergo vertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum.

ITEM Leo papa. Leo. I. epi. 74. ad Anatolium.

Abiiciantur qui aduerſariorum conueniunt prauitati. 34

ILlud ſanè plurimum mihi diſplicere ſignifico, quòd iuriſdictionis tuæ clerici quidam eſſe dicuntur, qui aduerſariorum conueniant prauitati: & veſaniæ vaſis, miſericordiæ vaſa miſceantur: quibus inueſtigandis, & ſeueritate congrua coercendis, debet diligentia tua vigilanter inſiſtere: ita vt his quibus prodeſſe non poterit correctio, non parcat abſciſſio. Oportet enim vos euangelici meminiſſe mandati, quo ab ipſa veritate præcipitur, vt ſi nos oculus, aut pes, aut dextera ſcandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius ſit his in ſeculo carere mēbris, quàm cum ipſis in æterna ſupplicia ire. Mat. 5. g. Nam ſuperfluò extra eccleſiam poſitis reſiſtimus, ſi ab his qui intus ſunt, in eis quos decipiunt vulneramur. Abiiciēda prorſus peſtifera hæc à ſacerdotali vigore patientia eſt, quæ ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.

ITEM ex concilio Carthaginenſi. iiij. Cap. 70.

Et sodalitates & conuiuia hæreticorum clerici vitare debent. 35

CLericus hæreticorum aut schismaticorum tam conuiuia, quàm sodalitates euitet æqualiter. Eorum conuenticula, non ecclesia sed conciliabula appellanda sunt. cum eis neque orandum est, neque psallendum. ITEM Gelasius papa.

Cap. 71. eiusdẽ. Epistola ad episcopos Dardaniæ.

Canonum obseruatores cum hæreticis nullum debent inire certamen. 36

CVm quibus erat synodus ineunda, catholici pontifices fuerant vndique iam depulsi, soli remanserant socij perfidorum, cum quibus nec iam licebat habere conuentum, dicente Psal. Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Nec ecclesiastici moris est cum his qui pollutam habent communionem permixtamque cum perfidis, miscere concilium. Rectè igitur per Chalcedonensis synodi formam huiusmodi præuaricatio repulsa est potius quàm ad concilium vocata, quod nec opus erat post primam synodum, nec cum talibus habere licebat. Idem. Canonum magistris atque custodibus nobis nullum fas est inire certamẽ cum hominibus communionis alienæ.

Psal. 25.

ITEM ex epistola Vrbani papæ.

Non contradicit sed potius obedit euangelio, qui malos excommunicat. 37

Mat. 13. d.

NOtandum est quòd quidam dicunt contra euangelicam parabolam nos facere vbi de zizaniis non eradicandis dominus præcepit, cùm aliquos excommunicatione dignos excommunicationi subiicimus, & aiunt etiam sanctum Augu. hoc contradicere in illo loco vbi ait: Quia non est præscindenda vnitas: ferendi sunt mali, non abiiciendi. Quibus hoc primum respondendum est, Si hæretici & mali homines excõmunicandi non sunt, quare ipse Aug. cum sanctis legatis Romanæ ecclesiæ, & cũ sanctis episcopis suis Pelagium & Cœlestinum nouam hæresim in sanctam dei ecclesiam introducentes excommunicauit, & ab ecclesia dei separauit? Quare ipsos Donatistas cõtra quos ista & multa his similia loquitur, tam ipse quàm omnis ecclesia dei excommunicatos habuit: & nisi prius pœnituissent, & per manus impositionem reconciliati essent, eis nequaquã communicabat? Item ipse dominus qui hoc parabolicè hic enarrat, apertè alibi excommunicationem fieri iubet dicens: Frater qui corripitur ab ecclesia, & non obedit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Vnde apparet liquidò aliud esse excommunicationem, aliud eradicationem. Qui enim excõmunicatur (vt Apostolus ait) ad hoc excommunicatur, vt spiritus eius saluus fiat in die domini. Disciplina enim est excommunicatio, & non eradicatio: nisi fortè ex contemptu & superbia excommunicati proueniat.

Mat. 18. c.

1. Cor. 5. b.

VNDE Augustinus in libro Numerorum.

Dini-

Diuina maledictio meritum maledicti designat. 38

DEus quando maledicit, meritum eius designat cui maledicitur, & sententiam veram promit: vtpote quem non fallit, neque qualitas peccati, neque peccantis affectus. Homo quia hoc non potest scire (neque enim propositum mentemq; alterius alius videre potest aut cognoscere) idcirco etiam si iudicantis vel sententiam promentis intuitu proferat maledictum, non potest esse maledicẽdi causa, vbi ignoratur peccantis affectus: maxime cùm humanum iudicium tunc sciat maledicta proferre, cùm fortè conuitiis atque iniuriis prouocatur. Quod vitium volens resecare Apostolus, ne maledicta maledictis, & conuitia conuitiis prouocemus, mandatum necessarium ponit vt benedicamus, quo conuitiandi vitium resecetur: non quo iudicandi veritas quæ homines latet, & pronunciandi auctoritas perimatur.

1.Pet.3.b.

Sectæ verò hęreticorũ quot sint, & vnde nomina acceperint, Isidorus octauo libro Etymologiarũ cap.v. determinat, dicẽs. *De variis heresibus & heresiarchis vide Epiphanium Philastrium, Augustinum, Damascenum, &c. & nouissimè librum Parisiis excusum apud Io. Paruum anno 1524. qui inscribitur Catalogus hereticorum fratre Bernardo Lutzemburgo auctore. Item tot. titulum Cod. Iustinianei & Theodosiani de hereticis, & nouellam Iustiniani 42. & alias.*

GRATIAN. Isido.li.8. cap.5. per totũ.

Quot sint secta hereticorum. 39

QVidam autem hæretici qui de ecclesia recesserunt, ex nomine suorum auctorum nuncupantur, quidam verò ex causis quas eligentes instituerunt. * Simoniaci à Simone dicti, magicæ disciplinæ perito: cui Petrus in Actibus apostolorum maledixit, pro eo quòd ab apostolis spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hi dicũt creaturam nõ à deo, sed à virtute quadã superna creatam.[a] Menandriani à Menandro Mago discipulo Simonis nuncupati: qui mundũ nõ à deo creatum, sed ab angelis factum asserunt. Basilidiani à Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias passum Iesum abnegauit. Nicolaitæ dicti à Nicolao diacono ecclesiæ Hierosolymorum, qui cum Stephano & cæteris constitutus est à Petro, qui propter pulchritudinẽ relinquens vxorẽ, ˡdixitˡ vt qui vellet ea vteretur; ˡ&ˡ versa est in stuprum talis consuetudo, vt inuicẽ coniugia cõmutarentur. quos Ioannes in Apocalypsi ˡsuaˡ improbat dicens: Sed hoc habes, ꝙ odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Gnostici propter excellentiam sciẽtiæ se ita appellari voluerunt. Animam, naturã dei esse dicunt: bonũ & malum deum suis dogmatibus fingunt. ¶ Carpocratiani à Carpocrate quodã vocantur, qui dixit Christum hominem fuisse tantum, & de vtroq; sexu progenitum. ¶ Cherinthiani à Cherintho quodam nuncupati. hi inter cætera circuncisionem obseruant.

*al. Simoniani.
Simoniaci.
Actu.8.
a Nec credunt corporum resurrectionem futuram, hoc & Saturniani affirmant. additur apud Isidorum manuscriptum quem impressis habeo multo copiosiorem. nam in impressis hæc desunt. Contius.
Menandriani.
Basilidiani.
Nicolaita.
Actu.6.b.
Apoc.2.b.
Gnostici.
Carpocratiani.
Cherinthiani

obseruant: mille annos post resurrectionē in voluptate carnis futuros prædicant. Vnde & Græcè χιλιάσται, Latinè millenarij sunt appellati.

Nazaræi.

¶ Nazaræi dicti, quia dum Christum (qui a vico Nazarenus est appellatus) filium dei confiteantur, omnia tamen veteris legis custodiunt.

Ophitæ.

¶ Ophitæ à colubro nominati sunt. coluber enim Græcè ὄφις dicitur. Colunt enim serpentem, dicentes ipsum in paradiso induxisse virtutis cognitionem.

Valentiniani

**Platonis cōsectatore.*

Valentiniani à Valentino quodam Platonico* sectatore vocati. qui αἰῶνας, id est, secula quædam in origine dei creatoris induxit: Christum quoq; de virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit.

Apellitæ.

Apellitæ, quorum auctor Apelles fuit, qui creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris dei faciens, deum legis Israel illum igneum affirmans, dixit Christum non in veritate deum, sed hominem in phantasia apparuisse.

Archontiaci.

Archontiaci à principibus appellantur: quia vniuersitatem quam deus condidit, opera esse archangelorum defendunt.

Adamiani.

Adamiani vocantur, quia Adæ imitentur nuditatem: vnde & nudi orant, & nudi inter se mares & fœminæ conueniunt.

Cainani.

Cainani proinde sunt appellati, quoniam Cain adorant.

Sethiani.

Sethiani nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est Seth, dicentes eundem esse Christum.

Melchisedechiani.

Melchisedechiani vocati, pro eo quòd Melchisedech sacerdotem domini non hominem fuisse, sed virtutē dei esse arbitrantur.

Angelici.

¶ Angelici vocati, quia angelos colunt.

Apostolici.

Apostolici hoc sibi nomen ideo sumpserunt, quòd nihil possidentes proprium, nequaquam recipiant illos qui aliquo in hoc mundo vtuntur.

Cerdoniani.

Cerdoniani à Cerdone nuncupati, qui duo asseruit contraria principia.

Hi abnegant Christum natum, passúmque vel mortuum fuisse, sed simulasse passionem existimant. Iidem, duo principia contraria dicunt, asserentes deum legis non esse patrem Christi, nec bonum sed iustum, patrem verò Christi bonum. Additum in eodem Isidoro manuscripto, quod deest in cæteris manuscriptis & impressis.

Marcionistæ.

**al. Martiano.*

Marcionistæ à * Marcione Stoico philosopho appellati, qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum iustum deum asseruit: tanquam duo principia creationis & bonitatis.

Artotyritæ.

a fœtibus.

b Eorum meminit Cyprianus.

Artotyritæ, ab oblatione vocati: panem enim & caseum offerunt, dicentes à primis hominibus oblationem à fructibus terræ, & à [a] fructibus ouiū fuisse celebratam.

Aquarij.

[b] Aquarij appellati, eo quòd aquam solam offerunt in calice sacramenti.

Seueriani.

Seueriani à Seuero exorti, vinum non bibunt. vetus testamētum & resurrectionem non recipiunt.

Tatiani.

Tatiani à Tatiano vocati, qui Encratitæ dicti: quia carnes abominātur.

Alogij.

Alogij vocantur, tanquam sine verbo. λόγος enim Græcè, Latinè verbum dicitur. deum enim verbum non credunt, respuentes Ioannis euangelium,

geliū,& apocalypſim. Cataphrygis nomen prouincia Phrygia dedit: quia ibi extiterunt. Auctores eorum Montanus, Priſca,& Maximilla fuerunt.hi aduentum ſpiritus ſancti non in apoſtolos,ſed in ſe traditum aſſerunt. Cathari pro munditia ita ſe nominauerunt.gloriantes enim de ſuis meritis, negant pœnitentibus veniam peccatorum. Viduas ſi nupſerint, tanquam adulteras damnant. Mundiores ſe cæteris prædicāt. Qui nomen ſuum ſi cognoſcere vellent,mundanos ſe potius quam mundos vocarent.Pauliani à Paulo Samoſatheno exorti ſunt,qui dixit nō ſemper fuiſſe Chriſtum,ſed à Maria ſumpſiſſe initium. Hermogeniani ab Hermogene quodam vocati,qui materiam non naturam introducens, deo non[b] naturæ eam comparauit, matremque elementorum ideam aſſeruit, quos Apoſtolus improbat elementis ſeruientes. Manichæi à quodam Perſa extiterunt,qui vocatus eſt Manes.hic duas naturas & duas ſubſtantias introduxit, id eſt, bonam & malam: & animas ex deo,id eſt,quaſi ex aliquo fonte manare aſſeruit. Teſtamentum vetus reſpuunt,nouum ex parte recipiunt. Anthropomorphitæ dicti pro eo quòd ſimplicitate ruſtica deum habere humana membra,quæ in diuinis libris ſcripta ſunt arbitrantur. ἄνθρωπος enim Græcè,Latinè homo interpretatur. ignorantes vocem domini,qui ait: Spiritus eſt deus. incorporeus eſt enim. nec enim mēbris diſtinguitur,nec corporis mole cenſetur.Heraclitæ ab Heraclio auctore exorti, monachos tantum recipiunt,coniugia reſpuunt, regna cœlorum paruulos habere non credunt. Nouatiani à Nouato Romæ vrbis presbytero exorti,qui aduerſus Cornelium cathedrā ſacerdotalem conatus inuadere,hæreſim inſtituit, nolēs apoſtatas recipere,rebaptizans baptizatos. Montani hæretici dicti, quia tempore perſecutionis in montibus latuerunt, qua occaſione ſe à catholicæ eccleſiæ corpore diuiſerūt. Hebionitæ,ab Hebione dicti,ſiue à paupertate. Chriſtum enim per profectum ſolum virum iuſtum putant effectum. Vnde cōpetenter Hebionitæ pro paupertate intelligentiæ appellati ſunt. hi enim Iudæi ſunt,& ita tenent euangelium vt legem carnaliter ſeruent:aduerſus quos Apoſtolus ad Galatas ſcribens inuehitur. Fotiniani,à Fotino Gallogræciæ Smyrnæ epiſcopo nuncupati,qui Hebionitarum hæreſim ſuſcitans, aſſeruit Chriſtum ex Maria per Ioſeph nuptiali coitu fuiſſe conceptum. Aeriani,ab Aerio quodam nuncupati ſunt. hi offerre ſacrificium pro defunctis ſpernunt:*nihil quoq; poßidens proprium.* *Aetiani ab Aetio ſunt vocati. iidemq; Eunomiani ab Eunomio quodā dialectico Aetii diſcipulo:ex cuius nomine magis innotuerūt diſſimilē patri aſſerentes filium,& filio ſpiritum ſanctū.dicunt etiam nulli imputari peccatum in fide manētium. Origeniani,[ab]

Cataphrygæ. a. Cataphrygia. *Cathari.* *Pauliani.* *Hermogeniani.* b nato, in libro Iſidori. *Gala.* 4. *Manichæi.* *Anthropomorphitæ.* *Ioan.* 4. *Heraclitæ.* *Nouatiani.* *Montani.* *Hebionitæ.* *Fotiniani.* *Aeriani.* **al Atiani.* *Eunomiani.*

Origene auctore exorti sunt: dicentes quòd non possit videre filius patrem, nec spiritus sanctus filium. Animas quoque in mundi principio peccasse dicunt, & pro diuersitate peccatorum è cælis vsq; ad terram diuersa corpora quasi vincula meruisse, eaq; causa factum esse mundum.

Noetiani.

Noetiani, à quodam Noëto vocati, qui dicebãt Christum eundem esse, & patrem, & spiritum sanctum, ipsamq; trinitatem in officiorum nominibus non personis accipiunt.

Patripassiani.

vnde & Patripassiani vocãtur, quia patrem passum dicunt.

Sabelliani.

Sabelliani, ab eodem Noëto pullulasse dicuntur, cuius discipulum perhibent fuisse Sabellium, ex cuius nomine maximè innotuerũt: vnde Sabelliani vocati sunt. hi vnam personã patris, & filij & spiritus sancti astruũt.[a]

[a] *Dicentes ipsum esse patrem antequam nasceretur in carne, ipsum filium dei, dum procedit ex virgine, ipsum spiritum sanctum dum descendit super linguas apostolorum. hoc etiam additur in illo manuscripto, amplius quàm in cæteris manuscriptis aut impressis.* Corr.

Ariani.

Ariani, ab Ario Alexandrino presbytero exorti sunt, qui coæternum patri filium non agnoscens, diuersas in trinitate substantias asseruit, contra illud quod ait dominus: Ego & pater vnum sumus.

Ioan. 10. f.

Macedoniani.

Macedoniani, à Macedonio episcopo dicti sunt, negantes deum esse spiritum sanctum.

Apollinaristæ.

Apollinaristæ, ab Apollinare vocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodo sine anima assumpsisse.

Antidicomaritæ.

Antidicomaritæ appellati sunt, eo quòd Mariæ virginitati contradicunt, asserentes eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

** Metangismonitæ.*

Metangi * nominati, ideo tale nomen acceperunt, quia ἄγγος Græcè, vas dicitur. asserunt enim sic esse in patre filium, tanquam vas minus intra vas maius.

Patriciani.

Patriciani, à quodam Patricio nuncupati sunt, qui substantiam humanæ carnis à diabolo conditam dicunt.

Collitiani.

Collitiani à quodam Collitio nominati, qui dicunt deum non facere mala, contra illud quod scriptum est: Ego dominus creans mala.

Esai 45. a.

Floriani.

Floriani, à Florino *quodam nominati* qui econtrario dicunt deum creasse mala, contra hoc quod scriptum est: Fecit deus omnia bona.

Donatistæ.

Donatistæ à Donato quodã Aphro nuncupati [sunt]: qui de Numidia veniens, totam pene Africam sua persuasione decepit, asserens minorem patre filium, & minorem filio spiritum sanctum: & rebaptizans catholicos.

** Bonoso.*

In lib. vet. Isido ri. Bonosiaci.

Bonosiani à Bonosio* quodam episcopo exorti produntur: qui Christum dei filium adoptiuum non proprium asserunt.

Bonosianorum meminit Iustinianus in Nouella x I. de priuilegiis archiepiscopi Iustinianiæ primæ.

Circuncelliones.

** al. Cotopitas.*

Circuncelliones dicuntur eo quòd agrestes sint, quos Scotopicos vocant: supradictæ hæresis habentes doctrinam. hi *insano* amore martyrij semetipsos perimunt: vt violenter de hac

hac vita discedentes, martyres nominentur. Priscillianistæ, à Priscilliano vocati: qui in Hispania ex errore Gnosticorum & Manichæorum permixtum dogma composuit. *Priscillianistæ.*

Hi sicut & Sabelliani trinitatem confundunt, & membra humani corporis per duodecim stellarum signa distinguũt, animas dicunt eiusdem naturæ esse, cuius deus est, & sponte per septem cælos descendere & incidere, in quendam malignum principem à quo istum mundum factum describunt, & ab eo in corporibus intromitti. Additur in illo manuscripto amplius quàm cæteris manuscriptos aut impreßis.

Luciferiani, à Lucifero Smyrnæ episcopo orti, qui episcopos catholicos qui instanti* persecutione perfidiæ Arianorum consentiẽtes erãt, & postea correcti in cathedrã* redire elegerint, dãnantes siue quod prius crediderant, siue quod credidisse simulauerũt (quos ecclesia catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis) hanc illi matris charitatem superbè accipientes, eos *quæ* recipere nolentes, ab ecclesiæ communione recesserunt: & cum ipso Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt. *Luciferiani.* ** Constantij in Isidor.* ** Catholicã ecclesiam.*

Iouinianistæ, à Iouiniano quodam monacho dicti, nullas nuptarum & virginum esse distantias, nullumque asserentes inter abstinentes & simpliciter epulantes esse discrimen. *Iouinianistæ.*

Heluidiani, ab Heluidio nominati, qui dicunt post Christum natum alios Mariam filios de viro suo Ioseph peperisse. *Heluidiani.*

Paterniani, à Paterno quodam nuncupati: qui inferiores corporis partes à diabolo factas opinantur. *Paterniani.*

Arabici nuncupati, eo quod in Arabia exorti sunt: dicentes animam cum corpore mori, atque in nouissimo vtrunque resurgere. *Arabici.*

Tertullianistæ, dicti à Tertulliano presbytero Africæ prouinciæ ciuitatis Carthaginensis: animam immortalem esse, sed corpoream prædicantes, & animas peccatorum hominum post mortem in dæmones conuerti putantes. *Tertullianistæ.*

Tesserescedecatitæ dicti, quòd decimaquarta luna pascha cum Iudæis obseruare contendunt. Nam τέσσαρα quatuor, δέκα decem significat. *Tesserescedecatitæ.*

Nyctages à somno nuncupati, quòd vigilias noctis respuant, superstitionem esse dicentes iura temerari diuina, qui noctem ad requiem tribuerit. *Nyctages.*

Pelagiani à Pelagio monacho exorti. hi liberum arbitriũ diuinę gratię anteponunt: dicẽtes sufficere voluntatem ad implenda iussa diuina. *Pelagiani.*

Nestoriani, à Nestorio Constantinopolitano episcopo nuncupati: qui beatam Mariam virginem non dei, sed hominis tantummodo matrem asseruit, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum Christum in verbo dei & carne credidit: sed separatim atq; seiunctim alterum filium dei, alterum filium hominis prædicauit. *Nestoriani.*

Eutychiani, dicti ab Eutyche Constantinopolitano abbate: qui Christũ post humanam assumptionem negauit existere dę duabus natu- *Eutychiani.*

Acephalitæ. ris: sed solam in eo diuinam asseruit esse naturam. Acephalitæ dicti, id est, sine capite. nullus enim eorum reperitur auctor ex quo orti sunt. hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores, duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant. *Theodosiani. Gaianitæ.* Theodosiani & Gaianitæ appellati, à Theodosio & Gaiano, qui temporibus Iustiniani principis in Alexandria per populi peruersi electionem vna die ordinati sunt episcopi. hi errores Eutychij & Dioscori sequentes, Calcedonense concilium respuunt: ex duabus vnam in Christo naturam asserunt: quam Theodosiani corruptam Gaianitæ incorruptam contendunt. **Gnoitæ. *Agnoitæ.* Gnoitæ* & Tritoitæ à Theodosianis exorti sunt: ex quibus Gnoitæ ab ignorantia dicti: quia ad peruersitatẽ à qua exorti sunt, id adiiciunt, quòd Christi diuinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora nouissima: non recordantes Christi personam in Esaia loquentis: Dies iudicij in corde meo. *Esai. 30.d. Tritoitæ. Deute. 6.a.* Tritoitæ verò vocati, quòd sicut tres personas in trinitate, ita quoque tres asserunt deos esse: contra illud quod scriptum est: Audi Israel, dominus deus tuus, deus vnus est. Sunt autem & aliæ hæreses sine auctore & sine nominibus. Ex quibus aliæ putant triformem esse deum: aliæ etiam Christi diuinitatem passibilem esse dicunt. Aliæ Christi de patre natiuitati, initium temporis dant. Aliæ liberationem hominũ apud inferos factam Christi descensione nõ credunt. Aliæ animam imaginem dei negant. Aliæ animas conuerti in dæmones & in quæcunque animalia existimant. Aliæ de mundi statu dissentiunt. Aliæ innumerabiles mundos opinantur. Aliæ aquam deo coæternam faciunt. Aliæ nudis pedibus ambulant. Aliæ cum hominibus *non* manducant. Hæ sunt hæreses aduersus catholicam fidem exortæ, & ab apostolis & à sanctis patribus vel conciliis *prædamnatæ*: quæ dum in se multis erroribus diuisæ, inuicem sibi dissentiant, communi tamen nomine aduersus ecclesiam dei conspirant. Sed & quicunque aliter scripturam sacrosanctam intelligit, quàm sensus spiritus sancti flagitat à quo conscripta est: licet de ecclesia non recesserit, tamẽ hæreticus appellari potest. ITEM Augustinus.

Quare diuina prouidentia multos errare permittat.

IDeo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cum interrogant nos ea quæ nescimus: sic discutiamus pigritiam, & diuinas scripturas capiamus. *1. Corinth. 11.* propterea apostolus ait: Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant. Hi autem à deo probati sunt, qui bene possunt docere.

CAV-

CAVSA XXV.

GRATIAN.

SAncta Romana ecclesia quandam baptismalem ecclesiam suis muniuit priuilegiis, decimationes suæ diœcesis ex integro sibi attribuens. Item quodam monasterium similiter muniuit priuilegiis propriis, decernens vt ex propriis prædiis nulli decimas persolneret. Accidit itaque vt intra diœcesim præmunitæ baptismalis ecclesiæ præfatum monasterium alia emptione, alia donatione prædia sibi inueniret. Oritur itaque contentio inter monachos & clericos de decimis.

1 Hinc primum quæritur, an clerici baptismalis ecclesiæ auctoritate priuilegij decimas suæ diœcesis ex integro sibi valeant vendicare.

2 Secundò, an subsequenti priuilegio monachorum derogetur antiquioribus priuilegiis baptismalium ecclesiarum?

QVAESTIO PRIMA.

AN CLERICI BAPTISMALIS ECCLESIAE AVCTORITATE PRIVILEGII DECIMAS SVAE DIOECESIS EX INTEGRO SIBI VALEANT VENDICARE.

GRATIAN.

QVòd verò auctoritate illius priuilegij decimas sibi ex integro clerici vendicare non valeant: hinc probatur: quia decimæ iuxta decreta sanctorum patrum quadripertito diuiduntur: quarum vna pars episcopis: secunda clericis: tertia fabricis restaurandis: quarta vero pauperibus est assignata. Decreta vero sanctorum canonum neminem magis quàm apostolicum seruare oportet. VNDE Gelasius papa ait.

Gela. 1. ad episcopos Dardaniæ.

Constitutionem synodi quam vniuersalis ecclesiæ probauit assensus, Romanam sedem seruare oportet. 1

COnfidimus quod nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque synodi constitutum quod vniuersalis ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere quàm primam: quæ & vnamquanque synodum sua auctoritate firmauit, & continuata moderatione custodit. ITEM Leo papa.

Leo. 1. epist. 4. episcopis Siciliæ.

Qui negligenter pascit dominicum gregem sibi commendatum, conuincitur summum non amare pastorem. 2

DIuinis præceptis & apostolicis monitis incitamur, vt pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid vnquã reprehensioni inuenitur obnoxiũ: aut ab ignorantię imperitia, aut à pręsumptionis vsurpatione reuocemus.

Admonente enim diuinæ vocis imperio quo beatissimus apostolus Petrus trina admonitione mysticis sanctionib' imbuitur,
Ioan.21. vt Christi oues qui Christũ diligit pascat: & ipsius sedis cui per abundantiam gratiæ diuinæ præsumus, reuerentia coarctamur vt periculum desidię quantum possumus declinemus: ne professio summi apostoli qua se amatorẽ domini testatus est, non inueniatur in nobis: quia quotiens quis negligẽter pascit
Idem Leo epist. 51. dominicum gregem sibi commendatum, totiens conuincitur summum non amare pastorem. IDEM Anatolio episcopo.

Non debent vllo modo variari quæ ad perpetuam ordinantur quietem. 3

QVæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt vtilitatem, nulla commutatione varientur: nec ad priuatum trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa: sed manentibus terminis quos constituerunt patres, nemo iniustè vsurpet alienum: sed intra fines proprios atque legitimos prout quisq; valuerit in latitudine se exerceat charitatis.
In synodo dixit cap.1. ITEM Hilarius papa.

Nulli diuinas constitutiones & apostolicæ sedis decreta temerare licet. 4

NVlli fas sit sine status sui periculo vel diuinas constitutiones vel apostolicæ sedis decreta temerare: quia nos qui potentissimi sacerdotis administramus officia, talis transgressionum culpa respiciet, si in causis dei desides fuerimus inuenti: quia meminimus quòd timere debemus qualiter comminetur deus negligentiæ sacerdotum. Siquidem maiori reatu delinquit qui potiori honore fruitur: & grauiora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium. ITEM Damasus papa.

In spiritum sanctum blasphemant qui sacros canones violant. 5

VIolatores canonum voluntarie, grauiter à sanctis patribus iudicantur: & à sancto spiritu, instinctu cuius ac dono dicati sunt, damnãtur: quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongrue videntur qui contra eosdem sacros canones nõ necessitate compulsi, sed libenter (vt præmissum est) aliquid aut proterue agunt aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestę vnum genus est blasphemantium spiritum sanctum: quia (vt iam prælibatum est) contra eum agit, cuius nutu & gratia sancti canones ęditi sunt. ITEM Vrbanus papa.

In quibus Romano pontifici licet nouas condere leges. 6

SVnt quidam dicentes Romano põtifici semper licuisse nouas condere leges: quod & nos nõ solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendũ vero summopere est quia inde nouas leges cõdere potest, vnde euãgelistæ aliquid & prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè dominus vel eius apostoli

apoſtoli & eos ſequentes ſancti patres ſententialiter aliquid diffinierunt: ibi non nouam legem Romanus pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt apoſtoli & prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur: ſed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper domini eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt. ITEM Zoſimus papa.

Apoſtolicæ ſedis auctoritas contra ſanctorum ſtatuta aliquid condere non valet. 7

Contra ſtatuta patrum condere aliquid vel mutare nec huius quidem ſedis poteſt auctoritas. Apud nos enim incōuulſis radicibus viuat antiquitas, cui decreta patrum ſanxere reuerentiam. ITEM Marcellus papa.

Symmachus pa. in ſexta ſynodo Romana.

Stare non valet quod contra euangelicam vel propheticam doctrinam ſeu conſtitutionem factum fuerit. 8

Omne quod irreprehēſibile eſt, catholica defendit eccleſia & intrā. Iniuſtum iudicium & diffinitio iniuſta regio metu vel iuſſu à iudicibus ordinata non valeat. Nequaquam quod contra euangelicam vel propheticam vel apoſtolicam doctrinam conſtitutionémve eorum ſiue ſanctorum patrum actum fuerit, ſtabit: & quod ab infidelibus vel hæreticis factū fuerit, omnino caſſabitur. ITEM Hormiſda papa.

Epiſcopis Hiſpaniæ.

A ſtatutis patrum non deuiare, & fidei regulam cuſtodire, prima ſalus eſt. 9

Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire & à conſtitutis patrum nullatenus deuiare.

ITEM Pelagius papa Childeberto regi.

Profitetur Pelagius papa tomum ſui deceſſoris per omnia ſeruare. 10

Satagendum eſt vt pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ legibus religionis miniſtremus, quibus nos etiā ſubditos eſſe ſacræ ſcripturæ præcipiūt. Veniens etenim Rufinus vir magnificus excellentiæ veſtræ legatus confidenter à nobis (vt decuit) poſtulauit quatenus vobis aut beatæ recordationis Leonis papæ tomum à nobis per omnia conſeruari ſignificare debuiſſemus: aut propriis verbis noſtræ confeſſionem fidei deſtinare. Et primā quidem petitionis eius partē, quia facilior fuit, mox (vt dixit) impleuimus noſque in omnibus præſulis tomum pro catholicæ fidei aſſertione conſcriptum, deo propitio cuſtodire, manus noſtræ ad vos profeſſione ſignificamus. Vt autē nullius deinceps (quod abſit) ſuſpicionis reſideret occaſio: illam etiam aliam partem quam memoratus vir illuſtris admonuit, facere maturaui, ſcilicet propriis verbis confeſſionē fidei quam tenemus, expoſui.

ITEM Hadrianus papa.

Ana-

Anathema apud Deum fiat, qui censuram Romanorum pontificum violat. 11

GEnerali decreto censemus & constituimus vt execrandum anathema sit,& velut præuaricator fidei catholicę semper apud deum reus existat, quicunque regum seu episcoporum vel potentum,deinceps Romanorum pōtificum decretorum censuram in quoquam crediderit vel permiserit violandum.

Dama. epist. 4.

ITEM Damasus papa Stephano archiepiscopo.

Non licet alicui episcopo contra Romanorum pōtificum decreta aliquid agere. 12

OMnia decretalia cunctorum prædecessorum nostrorum constituta quæ de ecclesiasticis ordinibus & canonū sunt promulgata disciplinis,ita ab omnibus episcopis ac sacerdotibus generaliter custodiri debere mandamus,vt si quid in illa commiserint, veniam sibi honoris deinceps nouerint denegari. ITEM Gregorius.

Episto. 7. seu ca. 46. li. 2. ad Ioā. episcopum.

Non cōmunicet sacris altaribus, qui nescit sacris obedire canonibus. 13

HAc consona sanctis patribus diffinitione sancimus,vt qui sacris obedire canonibus nescit,nec sacris ministrare altaribus,nec communionem capere sit dignus.

Cap. 1.

ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Obseruanda sunt regulæ à sanctis patribus in synodo statuta. 14

A Sanctis patribus in vnaquaque synodo vsque nunc prolatas regulas tenere statuimus.

Epi. 112. lib. 5.

ITEM Gregorius ad Montanum & Thomam.

Voluntatem & statuta suorum decessorum custodiant, qui sua seruari volunt. 15

IVstitiæ ac rationis ordo suadet, vt qui à successoribus sua mandata seruari desiderant, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiant. ITEM Leo papa iiij.

Contra statuta sanctorum patrum agit, qui ea non seruat intacta. 16

IDeo permittente domino pastores hominum sumus effecti,vt quod patres nostri siue in sanctis canonibus, siue in mundanis affixere legibus,excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi diuino statuerunt consulto,intactum non conseruamus.

GRATIA. 2. pars.

Si ergo primam sedem statuta conciliorum præ omnibus obseruare oportet;& si pro statu omnium ecclesiarum necesse est illam impigro vigilare affectu:si ea quę à Romanis pontificibus decreta sunt, ab omnibus obseruari conuenit: si illi qui nesciunt sacris obedire canonibus,altaribus ministrare nō debent:patet quod contra statuta sanctorū canonum quibus status ecclesiarum vel confundantur vel perturbentur priuilegia ab apostolico concedi non debent. His ita respōdetur: sacrosancta Romana ecclesia ius & auctoritatem sacris canoni-

bus

bus impertitur: sed non eis alligatur. habet enim ius conden-
di canones: vtpote quæ caput est & cardo omnium ecclesia-
rum: à cuius regula nemini dissentire licet. Ita ergo canoni-
bus auctoritatem præstat, vt seipsam non subiiciat eis. Sed si-
cut Christus qui legem dedit, ipsam legem carnaliter imple-
uit, octaua die circuncisus xl. die in templo cum hostiis præ- *Luc.1.f*
sentatus: vt in seipso eam sanctificaret: postea vero vt se do-
minum legis ostenderet, contra legis literam leprosum tangē-
do mundauit: apostolos quoque contra literam sabbati per sa
ta prætergredientes, spicas vellentes & confricantes manibus *Matt.8.a.*
suis, probabili exemplo Dauid & circuncisionis & templi ex- *Matt.12.a.*
cusauit, dicens: Non legistis quid fecerit Abimelech quando *1 Reg.21.b.*
venit ad eum Dauid, & dedit ei panes propositionis, de qui-
bus non licebat edere nisi solis sacerdotibus: & comedit ipse,
& pueri eius? Item octaua die secundum legem puer circun- *Leui.12.a.*
ciditur: & vos in sabbato circunciditis hominem. Item cum *Leui.12.d.*
iuge holocaustum ex lege offeratur: cum masculus. xl. fœmi-
na vero. lxxx. die ab ortu suæ natiuitatis secundum legis im-
periū cum hostiis in templum præsentaretur: vnde sacerdotes *Mat.12.a.*
offerentes hostias in templo literam sabbati soluunt, & sine *Luc.6.a.*
crimine sunt. tunc filius hominis multo magis valet soluere
literam legis. qui est etiam dominus sabbati. Hinc etiam di-
citur de eo: Erat Iesus docens in templo tanquam potesta- *Matt.7.d.*
tem habens, id est, tanquam legis dominus addens moralibus
ea quæ deerant ad perfectionem: vmbram figuralium in lucē
spiritualis intelligentiæ commutans: non tanquam scribæ eo-
rum, qui litera legis astricti non audebant aliquid addere vel
commutare. Sic & summæ sedis pontifices canonibus siue à
se, siue ab alijs sua auctoritate conditis reuerentiá exhibent: &
eis se humiliando ipsos custodiunt, vt alijs obseruandos ex-
hibeant. Nonnunquam verò seu iubendo seu decernendo,
seu aliter agendo se decretorum dominos & conditores esse
ostendunt. In præmissis ergo capitulis, aliis imponitur ne-
cessitas obsequēdi: summis vero pontificibus ostenditur ines-
se auctoritas obseruandi: vt à se tradita obseruando, alijs non
contemnenda demonstrent, exemplo Christi, qui sacramenta
quæ ecclesiæ seruanda mandauit, primo in seipso suscepit, vt
ea in seipso sanctificaret. Oportet ergo primam sedem (vt di-
ximus) obseruare ea quę decernendo mandauit, non necessi-
tate obsequendi, sed auctoritate impertiendi. Licet itaque si-
bi contra generalia decreta specialia priuilegia indulgere, &
speciali beneficio concedere quod generali prohibetur de-
creto. Quanquam si decretorum intentionem diligenter ad-
uertamus: nequaquam contra sanctorum canonum auctorita-
tem aliquid concedere inueniatur. Sacri siquidem canones
ita

ita aliquid constituunt, vt interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ reseruent. Ipsi nanque soli canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent. Vnde in nonnullis capitulis conciliorum cum aliquid obseruandum decernitur, statim subinfertur: Nisi auctoritas Romanę ecclesię aliter fieri imperauerit: vel, saluo tamen in omnibus iure sanctæ Romanæ ecclesiæ: vel, salua tamen in omnibus apostolica auctoritate. Quęcunque ergo de decimis vel quibuslibet ecclesiasticis negocijs sacris canonibus diffiniuntur, intelligenda sunt necessaria seruari, nisi auctoritas Romanæ ecclesiæ aliter fieri mandauerit vel permiserit. Cùm ergo aliqua priuilegia ab apostolico aliquibus conceduntur, etsi contra generalem legem aliquid sonare videatur, non tamen contra ipsam aliquid concedere intelliguntur: cum ipsius legis auctoritate priuilegia singulorum penes matrem omnium ecclesiarum reseruentur. Neque enim priuilegia aliquibus concederentur, si præter generalem legem nulli aliquid speciale indulgeretur. Priuilegia nanque dicuntur quasi priuata legia, eo quod priuatam legem singulis generent. quam diffinitionem Gregorius innuens ait: Si hoc neque consuetudine generali, neque priuilegio vendicas: restat te vsurpare quod fecisti. Item Hieronymus in expositione Ionæ. Priuilegia singulorum non possunt legem facere communem. Valet ergo (vt ex præmissis colligitur) sancta Romana ecclesia suis priuilegiis quoslibet munire: & extra generalia decreta quædam speciali beneficio indulgere: considerata tamen rationis æquitate, vt quæ mater iustitiæ est, in nullo ab ea dissentire videatur: vt priuilegia videlicet quæ ob religionis vel necessitatis vel exhibiti obsequij gratiam conceduntur, neminem releuãdo ita diuitem faciant, vt multorum detrimenta non circunspiciendo, in paupertatis miseriam nonnullos deiiciant. Illud verò apostoli ad memoriam reuocantes, quod ad Corinthios scribens ait, Non enim volumus vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio: cui sacra lex principum concordans ait: Rescripta contra ius elicita, ab omnibus iudicibus præcipimus refutari: nisi fortè aliquid est quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicanti indulgeat. Item constitutio imperatoris ad populum. Nec damnosa fisco, nec iuri contraria postulari oportet. Clerici ergo huius baptismalis ecclesiæ priuilegij auctoritate muniti, suæ diœcesis decimas sibi ex integro vendicare valent: nisi forte summa necessitate episcopi cogantur ad quartam suam accipiendam, & illi supera abundare monstrentur.

Ad cap. 1. in cõmenta.

2. Cor. 8. c.

QVAE-

QVAESTIO II.
AN SVBSEQVENTI PRIVILEGIO MONACHORVM DEROGETVR ANTIQVIORIBVS PRIVILEGIIS BAPTISMALIVM ECCLESIARVM.

„ QVòd autem antiquioribus priuilegiis, subsequentibus derogari non possit auctoritate Anacleti probatur, qui scribens omnibus episcopis & reliquis Christi sacerdotibus ait. GRATIA. Anacle. epist. 1.

Ecclesiarum priuilegia cunctis temporibus intemerata seruentur. I

1 PRiuilegia ecclesiarum & sacerdotum intemerata & inuiolata cunctis decernimus manere tẽporibus: & leges ecclesiæ apostolica auctoritate firmamus: & peregrina submouemus iudicia. ITEM Leo papa Martino Augusto. Leo. 1. epi. 52. ad Martianum.

Nec nouitate mutari, nec improbitate conuelli ecclesiarum priuilegia debent. 2

2 PRiuilegia ecclesiarum & monasteriorum, sanctorum patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate cõuelli, nulla nouitate mutari: in quo opere (auxiliante Christo) fideliter exequendo necesse est huius sanctæ sedis pontifices perseuerantem exhibere famulatum. dispensatio enim nobis credita est: & ad nostrum reatum tendit, si paternarum regulę sanctionum nobis consentientibus vel negligentibus violentur. ITEM Gregor. Augustino Anglorum episcopo. cap 9. responsionũ ad interrogationes. Au.

Priuilegio suæ dignitatis aliquis ecclesiam exuere non debet. 3

IN Galliarum episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum nostrorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit: quem nos priuare auctoritate percepta minime debemus. Si ergo contingat vt fraternitas tua ad Galliarum prouincias transeat, & aliquid ex auctoritate agendum fuerit: cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua patrum institutio inuenerit. Britannorum vero omnes episcopos tuę fraternitati committimus: vt indocti doceantur, & infirmi persuasione roborentur.

IDEM Fœlici episcopo. Idem Greg. epist. 31. lib. 12.

Statuta apostolicorum prædecessorum apostolicus destruere non debet. 4

SI ea destruerem quę antecessores nostri statuerunt: non cõstructor, sed euersor esse iuste comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in seipso diuisum, non stabit: & omnis scientia & lex aduersum se diuisa, destruetur. Luc. 11.

ITEM Leo papa. Leo 1. epi 82. ad Anastasium

Metropolitanus dignitatis sibi tradita antiquitus, ius intemeratum obtineat. 5

IGitur secundum sanctorum patrum canones spiritu dei cōditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum episcopos quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura protenditur: ius traditum sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decreuimus: ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. ITEM Hormisda papa.

Ad Ioannē episcopum scribens.

Priuilegia metropolitanorum inconuulsa seruari oportet. 6

SEruatis priuilegiis metropolitanorum, vices vobis apostolicæ sedis delegamus: vt inspectis istis, siue ea quæ à nobis sunt nuper mandata, seruentur, siue ea quæ de ecclesiasticis causis tuæ reuelationi contigerit nunciari, sub tua nobis insinuatione pandantur: erit hoc studij ac solicitudinis tuæ, vt talem te in his quæ iniunguntur exhibeas, vt fidem integritatemque eius cuius curam suscipis imiteris.

Epist.17.lib.7. ITEM Grego. Bonifacio primo defensori,

Decreta apostolica nulla præsumptione violentur. 7

INstitutionis nostræ decreta quæ sunt priuilegiis & ordinatione disposita, perpetua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione seruari: siue quæ scripto decreuim⁹, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita: nec à quoquam pontificum in totum vel in partem ea qualibet occasione conuelli decernimus vel immutari. nam nimis est asperum, & pręcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, nisi quempiam quantacunque rationis excusatione quæ bene sunt ordinata rescindere: & exemplo docere cæteros sua quandoque posse constituta dissoluere.

Greg.epi. 39. lib.2. IDEM Dominico Carthaginensi episcopo.

Priuilegia ecclesiarum apostolicus debet seruare illæsa. 8

DE ecclesiasticis priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus: ita singulis quibusq; ecclesiis sua iura seruamus: nec cuilibet gratia fauente vltra quàm meretur impertior: nec vlli hoc quod sui iuris est ambitu stimulante derogabo: sed fratres meos per omnia honorare cupio: sicque honore singulos subuehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi. IDEM Vigilio Arelatensi episcopo.

Idem Greg. epistο.115. lib.7.

Quod rationabiliter diffinitum est, in nullo debet violari. 9

CVm piæ desiderium voluntatis, & laudandæ diffinitionis intentio sacerdotalibus sit semper studiis adiuuanda: cura est solicitudinis adhibenda, vt ea quæ pro quiete religiosæ cōuersationis sunt disposita vel ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædā valeat præsumptio perturbare: sed sicut hoc (quia

(quia ratio exigebat) vtiliter obtinuit distiniri: ita quod distinitum est (nisi fortè vbi maior est auctoritas) non debet violari.

IDEM. Greg. epi. 37. li. 2. ad Natalem episcopum.

Sibi iniuriam facit, qui fratrum suorum iura perturbat. 10

QVòd vero dicitis nostris temporibus debere seruari quæ à meis quoq; prædecessoribus tradita vel custodita sunt: absit hoc à me vt statuta maiorum cum sacerdotibus meis in qualibet ecclesia infringam, quia mihi iniuriã facio, si fratrum meorum iura perturbo. ITEM Iulius papa. Iulius pri. epist. 1. ad Orientales.

Nulla præsumptione violentur, quæ ab apostolicis & eorum successoribus sunt instituta. 11

AMputato totius vsurpationis excessu, nullus præsumat quæ sibi non videntur esse concessa. Ea quæ sunt ab apostolis eorumq; successoribus instituta, nulla desidia negligantur: nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbetur.

ITEM Gregorius papa.

Quæ rationabiliter ordinata sunt, nulla debent refragatione turbari. 12

ECclesiasticæ moderationi omnino est conueniens, vt quæ ordinata fuerint, vel rationabiliter decisa: nulla in posterum debeant refragatione turbari. IDEM in Regesto.

Quæ contra leges fiunt, pro infectis habentur. 13

IMperiali constitutum est sanctione apertè, vt ea quæ contra leges fiunt: non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. C. lib. j. tit. de precibus imperatori offerendis. Imperator Constantinus. 14 Titu. 19. Le. 3.

NEc damnosa fisco, nec iuri cõtraria postulari oportet. Imperatores Theodosius & Valerius. 15 Le. 7. eiusdem.

REscripta contra ius elicita, ab omnibus iudicibus præcipimus refutari: nisi fortè sit aliquid quod non lædat alium, & prosit petenti: vel crimen supplicantibus indulgeat.

ITEM Pelagius papa Ioanni comiti.

Rescriptum meretur effectum, quod cum iuris & legum ratione concordat. 16

DIcenti sacras iussiones se habere prę manibus, respõdemus scire illum oportere quod ipse clementissimus princeps generalibus legibus constituerit illa sacra vniuscuiusq; supplicantis desiderio concessa præualere, & effectui mancipari, quę cum iuris & legum ratione concordant: ea vero quæ surreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium.

GRATIA.

» » Rescripta siue sint annotationes, siue pragmaticæ sanctio-
» » nes, expressam debent in se habere conditionem, si preces ve-
» » ritate nitantur. mendax enim precator debet carere impetra-
» » tis: & quibus scripta diriguntur, sunt puniendi, si precum
» » mendacia vetuerint argui. Vnde Imperatores Diocletianus &

Maximianus & Constantinus lib.j.C.tit.Si contra ius vel vti-
Tit. 22. le. 2. litatem publicam. Præscriptione mendaciorum opposita, siue
in iuris narratione mendacium repetiatur: siue in facti, siue in
tacendi fraude: pro tenore veritatis, non deprecantis affirma-
tione, datum iudicem cognoscere debere, & secundum hoc
Le. 3. eiusdē lib. de causa conuenit ferre sentētiam. Item Imperator Constan-
tinus. Puniri iubemus decem librarum auri mulcta iudices
Le. 5. eius. qui vetuerint precum argui falsitatē. Item imperatores Theo-
dosius & Valen. Et si legibus cōsentaneum sacrum oraculum
mendax precator attulerit, careat penitus impetratis: & si ni-
mia mentientis inuenitur improbitas, etiam seueritati subia-
Le. 4. ceat iudicantis. Item imperator Constantinus. Et si non co-
gnitio, sed executio mandatur, de veritate precum inquiri o-
portet: vt si fraus interuenerit, de omni negocio cognoscatur.
Le. 6. Item Imperator Anastasius. Omnes cuiuscunque maioris vel
minoris administrationis vniuersæ reipublicæ iudices admo-
nemus, vt nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctio-
nem, nullam sacram annotationem, quæ generali iure vel vti-
litati publicæ aduersa esse videantur: in disceptatione cuiusli-
bet litigij patiantur proferri: sed generales sacras constitutio-
nes, modis omnibus non dubitent obseruandas. C. titu. de di-
Tit. 23. uer. rescrip. Imperatores Diocletianus & Maximianus. Sanci-
mus vt authētica ipsa atque originalia rescripta nostra, etiam
manu subscripta, non exempla eorum insinuentur. Imperator
Constantinus respondit: Si qua beneficia personalia sine die &
consule fuerint deprehensa, auctoritate careant. Imperator
Zeno. Vniuersa rescripta siue in personam precantium, siue
ad quemlibet iudicem manauerint, quæ vel annotatio, vel pra-
gmatica sanctio nominentur: sub ea conditione proferri præ
cipimus, si preces veritate nitantur. nec aliquem fructum pre-
cator mendax oraculi percipiat impetrati, licet in iudicio as-
seueret veritatem: nisi quæstio fidei precum imperiali benefi-
cio monstretur inserta. Nam & vir magnificus quæstor, & vi
ri spectabiles magistri scriniorum, qui sine præfata adiectione,
qualecunque diuinum responsum dictauerint, & iudices qui
susceperint, reprehensionem subibunt: & qui illicitè dictata
scribere ausi fuerint, cuiuscunque scrinij memoriales, seu pra-
gmaticarij vel adiutores primicerij, amissione cinguli ferien-
Leo. I. epistola. tur. ITEM Leo papa.
52. *Priuilegia ecclesiarum, nulla debent improbitate conuelli.* 17

PRiuilegia ecclesiarum sanctorum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, vel nouitate mutari.

ITEM Nicolaus papa vniuersali synodo præsidens dixit.

Anathe-

Anathema sit, qui mandata vel decreta Romanorum pontificum seruare contempserit. 18

SI quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, vel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum à sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contēpserit: anathema sit.

ITEM Gelasius Cresconio & Ioanni Mesaliæ episcopis inter cætera.

Statuta priorum successores seruare oportet. 19

DEcessorum statuta sicut legitima & iusta successorem custodire conuenit: ita debet etiam malefacta corrigere.

Hinc etiam Arcadius & Honorius. 20

QVæcunq;, inquiunt, à parentibus nostris diuersis sunt statuta temporibus, manere inuiolata atq; incorrupta circa sacrosanctas ecclesias pręcipimus. Nihil igitur à priuilegiis immutetur, & omnibus qui ecclesiis deseruiunt, tuitio deferatur: quia temporibus etiam nostris addi potius reuerētiam cupimus, quàm ex his quæ olim præstita sunt immutari. Iidem. Non tam nouum aliquid præsenti sanctione præcipimus, quàm illa quæ olim videntur indulta firmamus. Priuilegia igitur quæ olim reuerētia ordinis vel religionis obtinuit: mutilari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus: ita vt hi quoq; qui ecclesiæ obtemperant, ipsius beneficiis perfruantur. Iidem. Si ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiuscunque fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta: cōmissum xij. librarum auri (sicut etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur, ipsaq; priuilegia nihilominus plenissimum per omnia obtineant vigorem.

Cod. Theodosiano. lib. 16. tit. 2. lege 29.

Lib. 1. co. tit. 3. de episcopis & cler. le. 13.

ITEM Pelagius armentario magistro militum inter cętera.

Non licet pontifici ab ecclesiæ iure discedere; quod documentorum auctoritate firmatur. 21

POstea quàm ecclesiæ iura documentorum quoque intercedentiū fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberā pontifex, vel si vult permittatur habere licētiam.

GRATIA.

Si ergo monasteriorum priuilegia vel quarūlibet ecclesiarum auctoritate Leonis, Gregorij, Gelasij, & nōnullorū aliorum pontificum sanctæ Romanæ ecclesiæ inuiolata seruātur, si ea quæ cōtra leges fiunt, pro infectis habēda sunt, si pōtifex non habeat liberā licentiam discedendi à documentis, quibus iura ecclesiæ firmantur: patet quòd posteriora priuilegia antiquioribus derogare nō possunt, nec eorum auctoritate eis aliqua obiicietur exceptio: cùm etiā si contra illa specialiter fierent, pro infectis essent habenda. His ita respondetur: Sancta Romana ecclesia sua auctoritate congregata valet disiungere, & disiuncta congregare, rationis tamen æquitate considerata. *2. pars.*

vnde vel pietatis vel necessitatis intuitu semel à se concessa valet, vel in totum, vel in partem commutare. Pro necessitate namq; corrigendorum vitiorum priuilegia ecclesiarum multarum vel imminuuntur, vel penitus immutantur, siue personaliter siue generaliter. Personaliter, iuxta illud: Priuilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

Epi. 2 h.

ITEM Siluerius papa Virgilio episcopo.

Quod habet amittat, qui quod non accepit, vsurpat. 22

SIc decet fide sanctorum patrũ in ecclesia seruari catholica, vt quod habuit amittat: qui improbabili temeritate quod nõ accepit, assumpserit. Itẽ Supplicius Ioanni episcopo Rauẽnati post pauca quibus ab illicita eum ordinatione prohibuit.

Simplicius pa. epi. 2.

Priuilegium amittit, qui sua auctoritate non legitimè vtitur.

DEnunciamus autẽ quod si post hoc aliquid tale præsumpseris, & aliquẽ seu episcopum vel presbyterum seu diaconum inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauennatis vel Aemiliensis ecclesiæ noueris auferendas.

Leo epist. 85. ad episcopos Africanos.

ITEM Leo papa.

Ius ordinandi amittunt qui immeritum consecrant. 23

SI qui episcopi talem consecrauerint sacerdotẽ, qualem esse non licet, etiã si aliquo modo dãnum proprij honoris euaserint, ordinationis ius vlterius non habebunt, nec vnquã eidem sacramẽto intererunt, quod neglecto diuino iudicio immerito præstiterunt. Generaliter, veluti dum ciuitati episcopalis dignitas perpetuò subtrahitur, quę suos episcopos interimere consueuit. VNDE Gelasius papa scribit.

Episcopalis dignitas ciuitati subtrahitur, quæ suos præsules interemit. 24

ITa nos Syllanorum cædes geminata põtificum horrẽdi criminis atrocitate cõfudit, vt diu cõstitutio nostræ deliberationis hæsitaret: dũ & ingerere quẽpiã parricidialibus exemplis detestaremur antistitem, & ecclesiam vtcunq; destitutam nõ vsqueadeò iudicaremus relinquendã. quapropter iam velut vsum consuetudinemq; sacrilegã declinãtes, nos eatenus religioni duximus consulẽdum, vt parœciæ vestræ ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernẽtur, quæ ibidem cõmorantes ferro didicit necare pastores, inaudito facinore: quod etiã in illis prouinciis nusquã prorsus legitur accidisse, quæ bellorũ continuis diuersisq; incursionibus affliguntur, vt aliqua sit reperta ciuitas quæ præsules ministrãtes sibi fidei Christianæ sacramẽta sine persecutore prosterneret. Curãdum est igitur, vt funesta pernicies cessatione propriorum sanetur antistitũ: atq; ita saltẽ furoris tãti materia subtrahatur, si in qua hæc possit acerbitas perpetrari, consistens ibidẽ persona defuerit: eoq; modo vel illa ciuitas dũ in quos desæuiat nõ habebit, ab huiusmodi temeritate desistat, vel aliis imitandi contagia dira exemplum non præ-

nō præbeat. Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde pensandis, quæ sacram in suo gremio collocatam suso crudeliter maculat sanguine dignitatē, quæ in vtroq; hac est vltione plectenda, siue instinctu domestico, seu furiis incitata hoc committit *exterius. præbeat ergo dilectio vestra in hoc statu *externis. positæ ministerium visitationis ecclesiæ: & aut conueniendo pariter aut vicissim, prout qualitas rerum causaq; poposcerit, diuina ministeria repræsentet ingrauis, ne cùm deuitamus zizaniam, dominica videamur præterire frumenta.

Hostilitatis quoque vel paupertatis necessitate episcopales GRATIA. sedes permutantur, vel duæ in vnam rediguntur: sicut suprà in 3. pars. titu. de mutatio. episcoporum beatus Gregorius fecisse legitur. Non ergo priuilegia ecclesiarum sic inuiolata permanere censentur, vt quibusdam de causis interuenientibus apostolica auctoritate eis derogari non possit. alioquin multitudo ecclesiarum ad paucitatem redigeretur, cùm innumeræ ecclesiæ in diœcesibus aliarum frequenter conditæ inueniantur. Seruentur ergo priuilegia ecclesiarum cunctis inconcussa temporibus, ne videlicet præter eius auctoritatē, à quo data sunt, cōtra ea liceat ire alicui. Sed obiicitur illud Symmachi papæ: Possessiones quas vnusquisq; ecclesiæ suo relinquit arbitrio, &c. quæ suprà in titu. de alienatione rerum ecclesiastica. leguntur asscripta. Vnde datur intelligi, quòd ea quæ de iure vniuscuiusq, ecclesiæ, vel necessitatis, sicut peregrinis, vel pietatis intuitu, sicut religiosis domibus conferuntur: non perpetuò sed temporaliter ab eis quibus conferuntur, sunt possidēda: quanquam illud Symmachi ad necessitatis intuitum, nō ad pietatis prospectum possit referri: videlicet vt ea quæ peregrinis vel captiuis largiri necessitas suasit, nō ea quæ religiosis domibus ob quietem religiosæ conuersationis concessa sunt, prohibeantur perpetuò possideri. vel potius de vtrisq; intelligendum est: videlicet vt sicut necessitatē patientes cessante necessitate beneficiis renūciare coguntur, quæ eis miserationis indulsit intuitus, sic religiosè viuentes cùm à religione cessauerint, priuilegiis exuantur, quæ religiosa cōuersatio meruit. Priuilegia ergo quæ religiosis domibus conceduntur, vel in eo casu accipienda sunt, in quo ita eis consulitur, quod nulli aliquid derogatur: videlicet vt ex noualibus, quorum decemationes nulli assignatæ fuerāt, priuilegiorum auctoritate decimas aliquibus persoluere non cogantur: vel si propter instantem temporis necessitatem eis consuli non poterit, nisi aliis derogetur: ita priuilegiorum auctoritas videatur esse seruanda, vt eorum subueniatur inopiæ, non vt suarum diuitiarum augmento, & possessionum non modica extētione porrecta, baptismales seu parœciales ecclesiæ penitus destruantur.

CAVSA XXVI.

GRATIA.



Vidam sacerdos sortilegus esse & diuinus conuincitur apud episcopum, correctus ab episcopo noluit cessare. excommunicatur. tandem agens in extremis reconciliatur à quodam sacerdote, episcopo inconsulto. indicitur sibi pœnitentia sub quātitate tēporis canonibus præfixa.

1 Hic primùm quæritur, qui sint sortilegi.

2 Secundò, an sit peccatum esse sortilegum?

3 Tertiò, à quibus genus diuinationis sumpsit exordium?

4 Quartò, quot sint genera diuinationis?

5 Quintò, an sortilegi vel diuini sint excommunicandi si cessare noluerint?

6 Sextò, an excommunicatus ab episcopo, possit recōciliari à presbytero illo inconsulto?

7 Septimò, si morientibus est indicenda pœnitentia sub quantitate temporis?

QVAESTIO I.

QVI SINT SORTILEGI.

GRATIA. Cap. 9.

QVi sint sortilegi, Isidorus diffinit etymologiarum lib. viij. ita dicens.

Qui sint sortilegi. 1

SOrtilegi sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum seu apostolorum vocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum spectione futura promittunt.

QVAESTIO II.

AN SIT PECCATVM ESSE SORTILEGVM.

GRATIAN.

QVòd autē sortes exquirere peccatum non sit, & exemplis, & auctoritatibus probatur. Cùm enim Achor de anathemate furtim surripuisset, & ob eius peccatum populus cæsus apud Hay hostibus terga dedisset: præcepit dominus Iosue, vt sortibus exquireret quo peccante populus in manibus hostium cadere meruerat. Iosue præceptum accipiens misit sortes: primùm super tribus, deinde super familias, deinde super personas: & ita cecidit sors super Achor. Saul quoque cùm pugnasset contra Philistæos, & iurasset se interfecturum quemcunque qui ante Solis occasum comederet de populo, sorte deprehendit Ionatham filium suum mel comedisse, quod sceptro acceperat: quem cùm morti tradere vellet, populo supplicante, reuocauit sententiam. Ionas quoque cum à facie domini fugeret, à nautis sorte deprehensus, in mare deiectus, & à ceto est absorptus.. De Zacharia etiam legitur quòd sorte exiit, vt incensum poneret.

Iosue. 7. b. — *1. Reg. 14. d.* — *Ionæ 1. a.*

neret. Mathias verò à beato Petro sorte in apostolatum & Iudæ successorem eligitur. Quod ergo tantorum exemplis probatur, patet malum non esse. VNDE etiam Augustinus ait in libro psalmorum. 1

Luc. 1.a. *Acto. 1.d.* *Augustin ad Psal. 30.*

SOrs non est aliquid mali, sed res inhumana dubietate diuinam indicans voluntatem.

His ita respondetur. Antequam euangelium clarescceret, multa permittebantur quæ tempore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula nanque sacerdotalis vel consanguineorum, nec legali, nec euãgelica, vel apostolica auctoritate prohibetur: ecclesiastica tamẽ lege penitus interdicitur. sic & sortibus nihil mali inesse mõstratur: prohibetur tamẽ fidelibus, ne sub specie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus rediret. Vnde quibusdã constellationes & futurorũ signa custodiẽtibus Apostolis ait: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: vnde timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Sic & Astronomia, seu etiã Astrologia apud catholicos in desuetudinẽ abiit: quia dum propria curiositate his nimis erant intenti, minus vocabant his quæ saluti animarum erant accommodata. Quòd autem sortibus credi non oporteat, Hieronymus testatur scribens super Ioannem cap. j.

GRATIA. 2. pars. *Galat. 4.* *Hiero. ad cap. 1. Ionæ prophetæ.*

Exemplo Ionæ vel Mathiæ non est sortibus indifferenter credendũ. 2

NOn statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, vel illud de Actibus apostolorum huic testimonio copulare, vbi sorte Mathias in Apostolum eligitur. ITEM Augustinus ad inquisitiones Ianuarij.

Augu. epi. 119. ad Ianuarium.

Ad secularia negotia diuina oracula non sunt conuertenda. 3

HI qui de paginis euangelicis sortes legunt: etsi optandum est vt id potius faciant, quàm ad dæmonia consulenda cõcurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negocia secularia & ad vitæ huius vanitatem diuina oracula velle conuertere. ITEM Beda super Actis apostolorum.

Beda ad cap. 1. Actorum apostolo.

Exemplo Mathiæ vel Ionæ non est indifferenter sortibus credendũ. 4

NOn exemplo Mathiæ, vel quòd Ionas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum: cùm priuilegia singulorum (vt Hieron. ait) communem legẽ omnino facere non possint. si qui tamen necessitate aliqua compulsi deum putant sortibus exemplo apostolorum consulendum esse, videant hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad deum fusis egisse. DE diuinis verò scribit Augustinus ita dicens.

Non sunt obseruanda quæ à diuinis præcipiuntur, quamuis ea contingant quæ ab eis prænunciantur. 5

INtelligi voluit dominus etiã illa quæ à diuinantibus nõ secundum deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non sic

accipienda ſunt vt fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. IDEM in libr. ſecundo de doctrina Christiana. *Cap. 23. lib. 2.*

Inſtitutiones hominum quæ ſunt ſuperſtitioſæ, vel non. 6

ILlud quod eſt ſecundum inſtitutiones hominum, partim ſuperſtitioſum eſt, partim non ſuperſtitioſum. Superſtitioſum eſt quicquid inſtitutũ eſt ab hominibus ad facienda idola & colenda pertinens, vel ad colendam ſicut deum creaturã, partémve vllam creaturæ, vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atq; fœderata, qualia ſunt volumina* magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quàm docere aſſolent poetæ: ex quo genere ſunt, (ſed quaſi licentiori vanitate) haruſpicum & augurum libri. Ad hoc etiam genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia quæ medicorum quoq; diſciplina condemnat, ſiue in præcantationibus, ſiue in quibuſdam notis quas characteres vocant, ſiue in quibuſcunq; rebus ſuſpendendis atq; ligandis, vel etiam ſaltandis quodammodo non ad temperationẽ corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas aut etiam manifeſtas: quæ eminentiori nomine Phyſicam vocant: vt quaſi non ſuperſtitione implicare, ſed naturæ prodeſſe videantur: ſicut ſunt inaures in ſummo ſingularum aurium, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, aut cùm dicitur tibi ſingultienti in dextera manu [ſiniſtrum] pollicem teneas. His adiunguntur millia inaniſſimarũ obſeruationum. ſi mẽbrum aliquod ſalierit, ſi iunctim ambulantibus amicis canis, aut lapis, aut puer medius interuenerit. Hinc ſunt etiam illa: limen calcare, cùm ante domum ſuam tranſit: redire ad lectũ, ſi quis dum ſe calceat ſternutauerit, redire domum ſi procidẽs offenderit, vel ſi veſtis à ſoricibus roditur. Neq; illi ab hoc genere ſuperſtitionis pernicioſæ ſegregandi ſunt qui olim Genethliaci propter natalium conſiderationes dierum, nunc autem vulgo mathematici vocãtur. nam & ipſi quamuis veram ſtellarum poſitionem cùm quiſque naſcitur conſectentur, & aliquando etiam perueſtigent. tamen quòd inde conantur vel actiones noſtras, vel actionum euentus prædicere, nimis errant. Hoc autem genus fornicationis animæ ſalubriter diuina auctoritas non tacuit, neque ab ea ſic deterruit animam, vt propterea talia negaret eſſe ſectanda, quia falſa dicuntur & à profeſſoribus eorum: ſed etiam ſi dixerint vobis, inquit, & ita euenerit, ne credatis eis. Nõ enim quia imago Samuelis mortui Sauli vera pronunciauit, propterea talia ſacrilegia quibus illa imago præſentata eſt, minus execranda ſunt: aut quia in Actibus apoſtolorum fœmina ventriloqua verum teſtimoniũ perhibuit apoſtolis domini, ideo Paulus apoſtolus pepercit illi ſpiritui:

** molimina.* — *deest.* — *Act. 16. a.*

spiritui: ac non potius fœminam illius dæmonij correptione atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudiandæ & fugiẽdæ Christiano. IDEM in libro de ciuitate dei.

Non est vita, sed mors, inquisitio vel curatio quæ à diuinis vel magicis expetitur. 7

QVi sine saluatore salutem vult habere: & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse: nõ sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit: ac proinde omnis inquisitio & omnis curatio quæ à diuinis & magicis artibus vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quàm vita: & qui ea sectantur, si se nõ correxerint, ad æternam perditionem tendunt, Psalmista dicẽte: Psal. 95. Omnes dij gentium dæmonia sunt. qui per deceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, vt perditionis suæ alios faciant participes. Itaque hæc vanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto orbe terrarum plurimis seculis inualuit per quandam scientiam futurorum & infernorum: & per inuentiones eorum inuenta sunt haruspicia & augurationes, & ipsa quæ dicuntur oracula & necromantia.

IDEM confessionum libro quarto. Cap. 3.

Christiana & vera pietas planetarios expellit & damnat. 8

ILlos planetarios quos mathematicos vocant, planè consulere non desistebam: quòd quasi nullum ab eis sacrificium, & nullæ preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigẽtur: quod tamen Christiana & vera pietas consequenter expellit & damnat. ITEM Hieronymus.

Cultura est idololatriæ auguria seruare, & stellarum requirere cursus. 9

SEd & illud adde: quoniam qui fornicatur, in corpus suum peccat: 1. Corinth. 6. d. non istud corpus solum, quod templum dei effectũ est: Ephe. 1. d. sed illud quod dicitur, quia omnis ecclesia corpus Christi est. & in omnem ecclesiã videtur delinquere, qui corpus suum commaculauerit: quia per vnum membrum macula in omne corpus diffunditur. Est & illud opprobrium Aegypti, quod si neglexeris, & post Iordanis transitum, & post baptismi secundam circuncisionem, vetustæ consuetudinis multione suggeritur obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euẽtus ex his futurorum rimari, cæterisq; huiusmodi superstitionibus implicari. idololatriæ namque mater est Aegyptus: ex qua certum est opprobria huiusmodi pullulare, quæ si transito Iordane susceperis, & his te laqueis rursus illigaueris: tecum

sine dubio opprobria Aegypti trahis.

GRATIAN. 3.pa-

Hæc autem sortilegia non vsque adeò sunt detestanda, vt si aliquid de area vel torculari dęmonibus fuerit immolatum: quod reliquum est, ideo credatur esse immūdum: aut si ipsum quod oblatū fuerit, à nobis ignorantibus sumi cōtigerit: ideo credamus nos deliquisse. VNDE August. ad Publicolam.

Epist. 154.

Non ideo reliqua sunt immunda, quia ab area vel torculari aliquid ad dæmonum sacrificia tollitur. 10

SI de area vel torculari tollitur aliquid ad sacrificia dæmoniorum sciente Christiano: ideo peccat, quia permittit fieri, vbi prohibendi potestas est. quod si factum non comperit, aut prohibendi potestatem non habet, vtitur mundis reliquis fructibus, vnde illa sublata sunt. ITEM Ambrosius in prima epistola ad Corinthios.

Ad cap. 10. 1 ad Corinth. in comment.

Immunis est à reatu, qui emit quod nescit idolis immolatum. 11

LIcet aliquid pollutum sit per accidentia, id est, per oblationem idoli: cùm tamen nescit qui emit, nullum patitur scrupulum, & apud deum immunis est.

QVAESTIO III. ET IIII.

A QVIBVS GENVS DIVINATIONIS SVMPSIT EXORDIVM, ET QVOT GENERA DIVINATIONIS.

GRATIAN.

A Quibus autem genus diuinationis exordium sumpserit, vel quot sint genera eius: Augustinus exponit in libro de natura dæmonum, ita dicens.[a]

Isidor. cap. 9. li. 8. etym.
a qui sumpsit ex Augustino.

De multiplici genere diuinationis. I

IGitur genus diuinationis à Persis fertur esse allatum. Varro autem dixit diuinationum quatuor esse genera: terram, aquam, aerem, & ignem. hinc geomantiam, hydromantiam, pyromantiam, aeromantiam dicta autumāt. Diuini dicti sunt quasi deo pleni. diuinitate enim se esse plenos simulāt, & astutia quadam fraudulēta hominibus futura cōiectant. Duo autē genera diuinationis sunt, ars, & furor: incantatores autē dicti sunt qui artem verbis peragunt. Arioli vocati sunt propterea quòd circa aras idolorum nefarias preces emittunt: & funesta sacrificia offerunt: hisq; celebritatibus dæmonū accipiunt responsa. Haruspices nuncupātur quasi horarū inspectores. Dies enim & horas in agendis negociis operibusq; custodiunt: & quid per singula tēpora obseruare debeat homo, intēdunt. Hi etiam exta pecudum inspiciūt, & ex eis futura prædicūt. Augures sunt qui volatus auium & voces intendunt, aliaq; signa rerum vel obseruationes improuisas hominibus occurrentes ferunt. iidem sunt & auspices. nam & auspicia sunt quæ iter facientes obseruāt. Dicta aūt sunt auspicia quasi auium spicia, & augu-

& auguria quasi auium garria, id est, auium voces & linguæ. Item augurium quasi auigerium, quod aues gerunt. Duo sunt autem genera auspiciorum: vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos scilicet volatus: ad aures vox auiū. Pythonissæ à Pythonio* Apolline dictæ, quòd is auctor fuerit diuinandi. Astrologi dicti sunt, eo quòd in astris augurantur. Genethliaci appellati sunt propter natalitiorum considerationes dierum. geneses enim hominū per duodecim cæli signa describunt, syderumq; cursus, nascentium mores, actus & euētus prædicere conātur, id est, quis quali signo fuerit natus, aut quē effectum habeat vitæ qui nascitur, interpretantur. Hi sunt qui vulgo mathematici vocātur: cuius superstitionis genus cōstellationes Latini vocant, id est notationes syderū quomodo se habeant cùm quisq; nascitur. Primum autē genus, id est, stellarum interpretes, magi nuncupabantur: sicut de his legitur in euangelio qui natum Christum annunciauerūt. postea hoc nomine soli mathematici dicti sunt. cuius artis scientia vsque ad Christum fuit concessa: vt Christo ædito nemo exinde natiuitatem alicuius de cælo interpretetur. Horoscopi dicti q̄ horas natiuitatis hominū speculētur dissimili & diuerso facto. Sortilegi sunt qui sub nomine, &c. vt suprà. Salitores vocati sunt qui dum eis membrorū quæcunq; partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt.

*Pythius dictus est Apollo à pythone dracone quem iaculis suis confecit.

Matth. 2. a.

GRATIA. 2. pars.

» » Quæritur autem de natura dæmonum, cuius naturæ sint,
» » an futura præscire valeant, vel quot modis futura prænoscant.
» » De his ita scribit Augustinus in eodem libro.

Aug cap. 3. lib. de diuinatione dæmonum.

Quot modis dæmones futura prænoscant. 2

SCiendum hanc esse naturā dæmonum, vt aerij corporis sensu terrenorum corporum sensum facilè præcedāt, celeritate etiam propter aerij corporis superiorē mobilitatem nō solum cursus quarumlibet rerum, vt hominum vel ferarum, verumetiam volatus auium incōparabiliter vincant: quibus duabus rebus quantum ad aerium corpus attinet prædití, hoc est, acumine sensus, & celeritate motus, multo antê cognita† prænunciant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tēpus, quo eorum vita protenditur, rerum longe maior experientia, quàm potest hominibus propter breuitatem vitę prouenire. Per has efficacias quas aerij corporis natura sortita est, non solū multa futura prædicunt dæmones, verumetiā multa faciunt, quæ quoniā homines dicere nō possunt aut facere, eos dignos quidam quibus seruiāt, & quibus honores diuinos deferāt arbitrantur: instigante maxime vitio curiositatis propter amorē fœlicitatis falsæ atque terrenæ, & excellentiæ temporalis. Nunc igitur quoniā de diuinatione dæmonum quæstio est. Primùm sciendum

† cogitata sic manuscr. p.

Cap. 5. eiusdē.

dum est illos ea plærunq; prænũciare quæ ipsi facturi sunt. accipiunt enim sępe potestatem & morbos immittere, & ipsum aërem vitiando morbidum reddere: & peruersis atq; amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, de quorũ moribus certi sunt quòd sint eis talia suadentibus consensuri. suadẽt enim eis miris & inuisibilibus modis per illam subtilitatem corpora hominum non sentientium penetrando, & se cogitationibus eorum per quędã imaginaria visa miscẽdo siue vigilantium, siue dormientium. Aliquãdo autem non quę ipsi faciunt, sed quę naturalibus signis futura pręnoscũt (quę signa in hominũ sensus venire non possunt) antè prædicunt. neque enim quia præuidet medicus quæ præuidere nescit eius artis ignarus, ideo diuinus habendus est. Quid autẽ mirum si quẽadmodum ille corporis humani perturbata vel mortificata tẽperie seu bonas seu malas futuras præuidet valetudines: sic dæmones in aëris affectiõe sibi notas, nobis ignotas futuras pręuident tempestates? Aliquando etiam hominum dispositiones non solum voce prolatas, verumetiã cogitatione conceptas, cùm signa quædã ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atq; hinc etiam multa futura prænunciant: aliis videlicet mira, qui ista disposita nõ nouerunt. fallũt & studio fallẽdi, & inuida voluntate, qua hominum errore lætantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittãt: id agunt, vt interpretibus suis signorumq; suorum cõiectoribus culpa tribuatur, quando ipsi decepti fuerint vel mentiti. Nonnunquam verò ipsi maligni spiritus, & illusores hominũ, atque salutis eorum inuasores solent prædicere defectum culturæ suæ, & idolorum ruinã, quatenus præscij videantur quid in singulis regnis aut locis venturum, & quid aduersi suæ factioni contingere possit: quòd etiã illi qui gentilium historias legunt, non ignorant. Quid ergo mirum si iam imminẽtem templorum & simulachrorum euersionẽ, quam prophetæ dei summi tanto antè prædixerunt: Serapis dæmon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodidit, vt suam quasi diuinationem recedens vel fugiens commendaret?

GRAT. 3. pars.

Quod autem hominum dispositiones cogitatione conceptas, per exteriora signa diabolus deprehendat: non firma ratione videtur approbatum.

Cap. 30.

VNDE idẽ August. ait in lib. ij. Retractationum.

Quòd ex corporeis motibus internas animi cogitationes diabolus deprehendat, res occultissima est. 3

QVod in loco dixi dæmones aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas, verumetiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere, rem dixi occultissimam, auda-

audaciori assertione quàm debui. nā peruenire ista ad notitiā dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum est: sed vtrum quædam signa dentur ex corpore cogitantium illis sentibilia, nos autem latentia, an alia vi spirituali ista cognoscant: aut difficilimè potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.

QVAESTIO V.

AN SORTILEGI VEL DIVINI SINT EXCOMMVNICANDI, SI CESSARE NOLVERINT.

QVòd autem sortilegi & diuini si cessare noluerint, excommunicandi sunt, ratione & auctoritate probatur. GRATIA. Est enim quoddam genus culturæ idolorum ex dæmonum consultationibus futura prædicere. sicut enim auarus quia cultum deo debitum nummo impendit, idolorum cultor ab Apostolo nominatur: sic illi qui futura quæ ex dei Eph.5.b. oraculo nonnunquam reuelata inueniuntur, vel dæmonum consultatione vel quibuslibet præstigijs inuenire laborant, diuinitatis iura creaturis attribuunt. Futura enim præscire solius dei est, qui in sui contemplatione etiam angelos illa præscire facit. vnde Esaias ait: Priora & nouissima annūciate mihi, Esa.41 f. & dicam quòd dij estis. Cultores verò idolorum à fidelium communione separandi sunt. vnde in epistola ad Corinthios Apostolus ait: Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens: cum euiusmodi nec cibum sume. 1.Cor.5.a

Hinc etiam in decretis Gregorij iunioris legitur. Greg 3.ca 12. suorū decretorū.

Anathema sit qui ariolos vel incantatores obseruat. 1

SI quis ariolos, haruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylatterijs eorum vsus fuerit, anathema sit.

ITEM ex concilio Ancyrano, cap. xxiiij. Cap.23.

Quinquennio pœniteat qui diuinationes expetit. 2

QVi diuinationes expetunt, & morem gentiliū subsequuntur, vel in domos suas huiusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte magica, aut expiandi causa: sub regula quinquennij iaceant secundum gradus pœnitentiæ diffinitos. ITEM ex concilio Martini papæ. Cap.75. synodorum Grecarum.

Elementa colere, lunæ aut stellarum cursus in suis operibus Christianis seruare non licet. 3

NOn liceat Christianis tenere traditiones gētilium, & obseruare & colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciā pro domo facienda, vel propter segetes, vel arbores plātandas, vel coniugia socianda. Scriptum est enim: Omnia quę facitis aut in verbo, aut in opere: omnia Coloss.3.c. in nomine dñi nostri Iesu Christi facite, gratias agentes deo.

Nec in collectionibus herbarū quæ medicinales sunt, aliquas

quas incantationes liceat attendere: niſi tantum cum ſymbolo diuino, aut oratione dominica: vt tantum deus creator omnium & dominus honoretur. Si quis autem paganorum conſuetudinem ſequens, diuinos aut ſortilegos in domum ſuam introduxerit, quaſi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel luſtrationes paganorum faciant: quinque annis pœnitentiam agant. Mulieribus quoque Chriſtianis non liceat in ſuis lanificiis vanitatem obſeruare, ſed deum inuocent adiutorem, qui eis ſapientiam texendi donauerit.

Cap. 36. ITEM ex concilio Laodicenſi cap. xxx.

Sacris officijs dediti, magi vel incantatores non fiant. 4

NOn oportet ſacris officiis deditos vel clericos, magos aut incantatores exiſtere, aut facere phylatteria quæ animarũ ſuarum vincula probantur. eos autem qui talibus rebus vtuntur, proiici ab eccleſia iuſſimus.

Cap. 28. ITEM ex concilio Toletano quarto, cap. xxx.

Honore priuetur epiſcopus vel presbyter, qui magos vel haruſpices conſulunt. 5

SI quis epiſcopus aut presbyter vel diaconus vel quilibet de ordinibus clericorum haruſpices, aut incantatores, aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes conſuluiſſe fuerit deprehenſus: ab honore dignitatis ſuæ ſuſpenſus, monaſterij curam excipiat: ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegij ſoluat.

Cap. 42. ITEM ex concilio Agathenſi. cap. xxxviij.

De his qui augurijs & diuinationibus ſtudent. 6

ALiquanti clerici ſiue laici ſtudent auguriis, & ſub nomine fictæ religionis per eas quas ſanctorum patrum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur: aut quarumcunque ſcripturarũ inſpectione futura promittunt. Hæc quicunque clericus aut laicus detectus fuerit vel conſulere vel docere, ab eccleſia habeatur extraneus.

ITEM Leo quartus epiſcopis Britanniæ.

Sors nihil aliud eſt quàm diuinatio, & maleficium eſſe decernitur. 7

SOrtes quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis prouinciis, quas patres damnauerunt, nihil aliud quàm diuinationes & maleficia eſſe decernimus. quamobrem volumus illas omnino dãnari, & inter Chriſtianos vltra nolumus nominari: & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.

Epi. 47. lib. 9. ITEM Gregorius Hadriano notario.

Incantatores, ſortilegos, velut Chriſti inimicos inſequi oportet. 8

PEruenit ad nos quòd quoſdam incantatores atque ſortilegos fueris inſecutus: & omnino nobis ſolicitudinem zelumque tuum gratum fuiſſe cognoſcas. Studij enim tui ſit ſolici-

solicitè quærere,& quoscunque huiusmodi Christi inimicos inueneris,districta vltione corrigere.

ITEM ex concilio Aurelianensi. Cap.32.conci. I.Aurel.

Excommunicetur clericus, monachus, laicus diuinationes vel auguria vel sortes secutus. 9

SI quis clericus,monachus,vel secularis diuinationes vel auguria crediderit obseruanda,vel sortes quas mentiuntur esse sanctorum,quibuscunque putauerint imitandas:* cum his qui cum eis crediderint,ab ecclesiæ communione pellantur.

*intimandas.

ITEM Gregorius. Epi.66.li.7 ad Ianuariū episco.

Contra sortilegos, idolorum cultores, custodia pastoralis inuigilet. 10

COntra idolorum cultores,vel haruspices,atque sortilegos fraternitatem tuam vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia. quòd si emendare se à talibus nolle reperetis: si serui sunt,verberibus volumus castigari: si verò liberi, inclusione digni, districtamque sunt in pœnam dirigendi.

ITEM ex concilio Carthaginensi,cap. xxxix. Cap.89.

Ab ecclesia separetur auguriis & incantationibus deseruiens. 11

AVguriis & incantationibus seruientem, similiter Iudaicis superstitionibus vel ferijs inhærentem,à conuentu ecclesiæ separandum præcipimus.

ITEM ex conci. Anquirensi.cap. j.

Sortilegā & magicā artē episcopi omnibus modis eliminare studeāt. 12

EPiscopi eorumq; ministri omnibus modis elaborare studeant,vt perniciosam & à Zabulo inuentam sortilegam & magicam artem ex parœciis suis penitus eradicēt:& si aliquē virum aut mulierem huiuscemodi sceleris sectatorē inuenitur turpiter dehonestatū,de parœcijs suis deijciant. Ait enim Apostolus: Hæreticum hominem post primam & secūdam correctionē deuita:sciēs quia subuersus est qui huiusmodi est. Subuersi sunt,& à diabolo captiui tenētur qui relicto creatore suo diaboli suffragia quærūt: & ideo à tali peste debet mundari sancta ecclesia. Illud etiā non est omittendum,quòd quædam sceleratæ mulieres retro post satanam conuersæ, dæmonum illusionibus & phātasmatibus seductę credūt se & profitentur cū Diana nocturnis horis dea paganorū,vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierū equitare super quasdā bestias,& multarū terrarū spatia intempestæ noctis silētio pertransire,eiusq; iussionibus obedire velut dominæ,& certis noctibus ad eius seruitium euocari. Sed vtinam hæ solæ in perfidia sua perissent,& nō multos secū ad infidelitatis interitum pertraxissēt.nā & innumera multitudo hac falsa opinione decepta,hęc vera esse credunt,& credendo à recta fide deuiant,& errore paganorū inuoluūtur,cùm aliquid diuinitatis aut numinis extra vnū deum arbitrātur. Quapropter sacerdotes

ad Tit.3.c.

tes per ecclesias sibi commissas populo dei omni instantia prædicare debent, vt nouerint hæc omnino falsa esse, & non à diuino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari* arbitrentur. Siquidem ipse Satanas qui trāsfigurat se in angelum lucis: cùm mentem cuiuscunq; mulieris ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit: illico transformat se in diuersarum species personarū atq; similitudines, & mentem quam captiua tenet, in somnis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per quæq; deuia deducit: & cùm solus spiritus hoc patitur, infidelis hoc nō in animo, sed in corpore euenire opinatur. Quis enim in somnijs & nocturnis visionibus nō extra seipsum deducitur, & multa videt dormiēdo, quę nunquā vigilādo viderat? Quis verò tā stultus & hebes sit, qui hęc oīa quæ in solo spiritu fiūt, etiā in corpore accidere arbitretur? cùm Ezechiel propheta visiones domini in spiritu nō in corpore vidit & audiuit: sicut ipse statim inquit: Fui in spiritu. Et Paulus nō audet dicere se raptū in corpore. Omnibus itaq; publicè annunciādum est, quod qui talia credit, & his similia, fidem perdidit: & qui rectam fidem non habet, hic non est eius, sed illius in quem credit, id est, diaboli. nam de domino nostro scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt. &c. Quisquis ergo credit posse fieri aliquam creaturā, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem vel aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt: proculdubio infidelis est, & pagano deterior.

* arbitrentur.

2.Cor.11.c.

Ezec.3.c.

2.Cor.12.a.

Ioan.1.a.

GRATIAN. 2.pars.

Nonnulli inueniuntur qui interno liuore permoti, in perniciem suorum inimicorum altaria sacris vestibus exuunt, aut veste lugubri accingunt: vel consueta luminariorum obsequia ecclesijs dei subtrahunt, vel missam pro requie defunctorum promulgatam, pro viuis celebrant hominibus: quorum omnium maleficia nequissima Toletanum concilium condemnat, dicens:

Abiiciatur sacerdos qui huiuscemodi maleficijs operam dederit. 13

QVicunque sacerdotum vel aliorum ministrorum deinceps causa doloris cuiuslibet permotus aut altare vestibus sacris exuere præsumpserit, aut qualibet alia lugubri veste accinxerit, seu etiam consueta luminariorum obsequia de templo dei subtraxerit, & extingui præceperit: si eum antea veræ pœnitudinis coram Metropolitano satisfactio non purgauerit, loci sui dignitate se nouerit & honore priuari: illis proculdubio personis ab hac vltionū sententia separatis, quas aut contaminationem sanctorum ordinum, vel subuersionem sanctæ fidei metuētes, aut hostilitatem vel obsidionem perferentes, seu etiam diuinorum iudiciorum sententiam metuentes,

tes, hæc fecisse contigerit: in quorũ facto plus humilitas qua deus placatur, quàm interni liuoris dolositas declaratur. Plærique etiam sacerdotum sauciati inimicitiæ dolo, missam pro requie defunctorum promulgatam, fallaci voto pro viuis student celebrare hominibus, vt is pro quo ipsum offertur sacrificium, mortis incurrat periculum. Proinde nostræ elegit vnanimitatis conuentus, vt si quis deinceps talia perpetrasse fuerit detectus, à proprij deponatur ordinis gradu: & tam ipse sacerdos quàm etiam ille qui eum ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilij perpetui ergastulo relegentur.

GRATIAN. 3.pars.

Ex præmissis auctoritatibus colligitur, quod arioli, haruspices, incãtatores, & sortilegi, atque cæteri huiusmodi sectatores ab ecclesia sunt eliminandi, & nisi resipuerint, perpetuò excõmunicandi. Sed quòd in vltimo Anquirẽsi capitulo ea quæ fiunt per incantatores: non in corpore, sed in spiritu fieri dicuntur. August. in libro de[a] ciuitate dei, idẽ videtur asserere, ita dicens.

a Imò longe latius loquitur August. in illo libro 18. cap. 18 ergo hæc verba sunt Isidori non Augustini.

Quæ magorum præstigijs fiunt, non vera, sed phantastica esse probantur. 14

Isido. cap. 9. lib. 8. Ety.

NEc mirum de magorum præstigijs, quorum intantũ prodiere maleficiorum artes, vt etiam Moysi in illis signis resisterent vertẽtes virgas in dracones, & aquã in sanguinem. In gentilium etiam libris legitur quod quædam maga Circe socios Vlyssis mutauerit in bestias. Legitur etiam de sacrificio quod Arcades Deo suo Lycæo immolabant, ex quo quicunq; sumerẽt, in bestiarũ formas cõuertentur. Sed hæc omnia magicis præstigijs potius fingebantur, quàm rerum veritate complerentur. Vt ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorum proprietate atq; inuentoribus iuxta traditionem maiorum patrum dicere congruum arbitramur. Magi sunt qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupãtur, hi sunt qui permissu Dei elementa concutiũt, turbãt mentes hominum minus cõfidentium in Deo. ac sine vllo veneni haustu violentia tantum carminis interimunt. vnde Lucanus: Mens hausti nulla sanie polluta veneni, Incantata perit. Dæmonibus enim accitis audent ventilare vt quoscunq; suos perimãt malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine vtũtur, & victimis sæpe cõtingunt mortuorũ corpora. Necromãtici sunt quorum præcantationibus videntur resuscitari mortui. diuinare, & ad interrogata respõdere, νεκρὸς enim Græcè, Latinè mortuus: μαντεία diuinatio nũcupatur, ad quos suscitandos cadaueri sanguis adijcitur. nam amare sanguinem dæmones dicuntur: ideoq; quotienscunq; necromantia fit, cruor aquæ miscetur, vt colore sanguinis facilius prouocentur. Hydromantici ab aqua dicti. est enim hydromantia in aquarũ inspectione vmbras dæmonum euocare, & imagineas ludificationes eorum videre: ibiq;

Exod. 7. b.

ab eis aliqua audire, vbi adhibito ſanguine etiã inferos perhibẽtur ſuſcitare. & infrà. Ad hæc omnia ſupradicta pertinẽt ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars nõ cõmendat medicorum, ſeu in præcãtationibus, ſeu in characteribus ſuſpendendis atq; ligãdis: in quibus omnibus ars dæmonum eſt, ex quadã peſtifera ſocietate hominum & angelorum malorũ exorta. Vnde hæc cũcta vitãda ſunt Chriſtiano, & omni penitus execratione repudiãda atque damnanda. Auguria autem ſunt auium. hæc autẽ Phryges primi inuenerunt. Præſtigium vero Mercurius dicitur primus inueniſſe. dictum eſt autẽ pręſtigiũ quòd præſtringat aciem oculorum. Haruſpicinæ autẽ primus Ethruſcis tradidiſſe dicitur quidã Tages. hic ex horis haruſpicinam dictauit, & poſtea nõ apparuit. nã dicitur fabuloſè, arãte quodã ruſtico ſubito ex glebis exiluiſſe, & haruſpicinã dictaſſe, qua die mortuus eſt. quos libros Romani ex Ethruſca lingua in propriã mutauerunt. His ergo portentis per diabolorũ fallaciã illuditur curioſitas humana, quãdo id impudenter appetunt ſcire, quod nulla ratione competit eis inueſtigare. Hæc poteſtas immũdis ſpiritibus ideo datur, vt peruerſos ſibi aptẽt, hoc eſt prauos homines ſeducant: illos ſcilicet, qui ſpernũt veritatem, & credunt mendacio: iuxta Pauli ſententiã: Sanã doctrinam non ferent: ſed ad ſua deſideria coaceruabũt ſibi magiſtros pruriẽtes auribus: & à veritate quidem auditum auertent: ad fabulas autem conuertentur: onerati peccatis ducentur varijs deſiderijs: ſemper diſcentes, nunquam ad ſcientiæ veritatem peruenientes. Quemadmodũ autẽ Ioannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtũt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidẽ, ſed vltra non proficiẽt, inſipientia eorũ manifeſta erit omnibus, ſicut & illorũ fuit. Nec ideo quiſquam credere debet quoſlibet magicis artibus aliquid facere poſſe ſine permiſſu dei, (qui omnia quæ fiunt, aut iuſto iudicio facit, aut permiſſu ſuo ita fieri ſinit) quod prædicti magi leguntur ſimilia feciſſe Moyſi: qui virgã ſuam proiecit, & cõuerſa eſt in draconẽ, proieceruntque ſinguli virgas ſuas, & cõuerſæ ſunt in dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorũ. non enim fuerũt creatores draconũ, nec magi nec angeli quibus miniſtris illa operabãtur? Inſunt enim rebus corporeis per omnia elemẽta quædã occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas tẽporalis atq; caſualis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus: & ſic nõ dicũtur angeli qui iſta faciunt, animalium creatores, ſicut nec agricolę ſegetum vel quorumcunq; in terra gignentium creatores dicendi ſunt: quanuis nouerint præbere quaſdã viſibiles opportunitates & cauſas vt illa naſcãtur. Quod autẽ iſti faciunt viſibiliter, hoc illi inuiſibiliter: deus vero ſolus verus eſt creator,

qui

qui causas ipsas & seminarias rationes rebus inseruit. Præterea quidam quærendum putant, quomodo scriptura narrat Pythonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquiũ Saulis impijssimi regis, si Pythonica diuinatio errori magicæ artis deputanda sit. Quibus ita respõderi potest, indignũ omnino facinus esse si secundum verba historiæ commodetur assensus. Quomodo enim poterat fieri vt arte magica attraheretur vir à natiuitate sanctus, & operibus vitæ iustus, aut si nõ attractus est, cõsensit: quod vtrunq; de iusto credere aduersum est. nullum enim suffragium habet iustitia, si attractus aut voluntarius cõsensus amisit meritum spirituale quod positus in carne quæsierat, quod valde absurdũ est: quia qui hinc iustus recedit, permanet iustus. porro hoc est præstigiũ Satanæ, quo vt plurimos fallat, etiam bonos habere in potestate se confingit: quod apostolus inter cætera ostẽdit dicens: Ipse Satanas transfigurat se in angelũ lucis, vt enim errorẽ faceret in quo glorificaretur, habitu viri iusti & nomine se subornauit, vt nihil proficere spem quã prædicebãt dei cultores, mentiretur: quoniam hinc exeũtes iustos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saulis & filij eius non sit mẽtitus: quasi magnũ sit diabolo ante occasum mortẽ corporis præuidere: cũ signa quædã soleãt apparere morituris: quippe à quibus dei protectio amota videtur. quãto magis diabolo, quem angelica potestate sublimẽ prophetica oracula fuisse testãtur: de cuius magnitudine apostolus ait: An ignoratis altitudinem Satanæ? Quid mirũ ergo si imminẽtem prope mortẽ potuit præuidere, cũ hoc sit vnde fallit: & se in Dei potestate vult adorari? Nam tanta hebetudine demẽs effectus est Saul, vt ad Pythonissam cõfugeret. deprauatus enim causa peccati, ad hoc se cõtulit quod damnauerat. Sed si quis propter historiam, ea quæ verbis expressa sunt, putet non pretermittẽda, ne ratio historiæ inanis sit: rectè facit quidẽ: si tamẽ istud minime ad veri rationẽ rapiat, sed ad visum & intellectum Saulis. neq; enim reprobus factus bonum intellectum poterat habere. Historicus enim mentẽ Saulis, & Statum Samuelis describit: & ea quę dicta & visa sunt exprimẽs, pretermittẽs vera ne an falsa sint: qui (ait) audiẽs in quo habitu esset, excitatus intellexit, inquit, hunc Samuelem esse. Quid intellexerit retulit: & quia non bene intellexit, contra scripturã alium adorauit quàm deum: & putans Samuelem, adorauit diabolum: vt fructum fallaciæ suę haberet Satanas. Ad hoc enim nititur, vt adoretur quasi deus. Si enim Samuel ille vere apparuisset, non vtiq; vir iustus permisisset se adorari: qui prędicauerat deũ solũ esse adorãdum. & quomodo homo dei qui cum Abrahã in refrigerio erat, diceret ad virum pestilentẽ, & dignũ ardore gehennæ, Cras me-

cum eris? His duobus titulis subtilitatẽ fallaciæ suæ prodidit improuidus satanas: quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra legem: & virũ peccatis pressum, cũ magna distãtia peccatorũ & iustorũ sit, cum Samuele iustissimo futurum mentitus est. verum potest dici, verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur: quia Saul cum diabolo futurus erat: ad eum enim transmigrauit quem adorauit. Semper ergo diabolus sub velamine latens, prodit se dum ea confingit quæ hæreant personis per quas fallere nititur. Si autem quilibet opponit & dicit. Quomodo eueniunt illa quæ illi diuini prædicũt futura: aut quomodo possunt ęgris prebere medelã: aut sanis immittere ęgritudinẽ, si aliquid propriæ virtutis ac potestatis nõ habeãt? hoc à nobis recipiat responsum, ꝙ ideo quisquã non debet eis credere, quia aliquãdo eueniũt quę prædicũt: aut sanare videntur languidos aut lædere sanos: quia hoc permissu Dei fit, vt ipsi qui hæc audiunt vel vidẽt, probentur & appareant qua fide sint vel deuotione erga deum: sicut

Deut. 13. 4. in Deuteronomio legitur Moyses ex verbo dei populo dei pręcepisse, ita dicens. Si surrexerit in medio tui propheta aut qui somnium dicat se vidisse, & prædixerit signum atq; portentũ, & euenerit quod locutus est: & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoramus, & seruiamus eis: non audies verba prophetæ, aut somniatoris: quia tẽtat vos dominus deus vester, vt palam fiat vtrũ diligatis eum, an non? In toto corde vestro, & in tota anima vestra dominũ Deum vestrũ sequamini, ipsum timete, mãdata eius custodite: & audite vocẽ illius, ipsi seruietis: & ipsi adhærebitis &c. Vbi sane intelligi voluit, etiã illa quæ à diuinantibus nõ secundum deũ dicũtur, si acciderint quæ dicuntur: non sunt sic accipiẽda, vt fiant quæ præcipiuntur ab eis, nec colantur quæ colũtur ab eis. nec pręter suã potestatem, deus ostendit esse quod cótingunt ista: sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tẽtationis exposuit, ad cognoscendam vtique eorum dilectionem, vtrum eam habeant erga deum suum: cognoscendum vero ab ipsis potius quàm ab illo qui scit omnia antequam fiant.

QVAESTIO. VI.

AN EXCOMMVNICATVS AB EPISCOPO POSSIT RECONCILIARI A PRESBYTERO ILLO INCONSVLTO.

GRATIAN. QVòd autem ab episcopo excommunicatus eo inconsulto ab alio reconciliari non possit, nisi forte per eius Metropolitanum, vel per summum pontificem: ratione & auctoritate probatur. Presbyteri namque potestatem excommunicandi vel reconciliandi ab episcopis accipiunt, non episcopi à presbyteris: atque ideo excommunicatos à sacer-

à sacerdotibus reconciliare possunt, excõmunicatos vero ab episcopis sacerdotes reconciliare non possunt. Recõciliatio nanque pœnitentiũ episcopale officium est, non sacerdotale.

VNDE in concilio Carthaginen. secundo Fortunatus episcopus dixit. Cap. 3.

Pœnitentium reconciliatio, chrismatis & puellarum consecratio, à presbyteris non fiat. 1

SI iubet sanctitas vestra suggero: nã memini præterito concilio statutum, vt chrisma vel recõciliatio pœnitentiũ, necnon & puellarũ consecratio à presbyteris nõ fiat. Si quis autẽ emerserit hoc faciens: quid de eo statuendum sit? Aurelius episcopus dixit. Audiuit dignatio vestra suggestionẽ fratris & coepiscopi nostri Fortunati. quid ad hoc dicitis? Ab vniuersis episcopis dictum est: Chrismatis cõfectio, & puellarum consecratio, à presbyteris non fiat. Reconciliare quemquã in publica missa presbytero non liceat. hoc omnibus placet. Puellarum tamen consecratio episcopo consulto per presbyterum fieri valet. VNDE in Carthaginensi concilio. iij. Cap. 36.

Permißione episcopi virgines consecrare presbyter valet. 2

PResbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat.

ITEM ex concilio Agatensi. Cap. 43. & 44.

Nec diaconis ministrare, nec pœnitentem in ecclesia benedicere presbytero licet. 3

MInistrare diaconus, aut consecrare altare presbyter non præsumat. benedictionem quoque super plebem in ecclesia fundere, aut pœnitentem in ecclesia benedicere presbytero penitus non licebit.

GRATIAN. Ecce quòd ab episcopo excommunicatus, per sacerdotem reconciliari non potest. Sed notandum est quòd reconciliatio alia est publica, alia priuata. Publica reconciliatio est quando pœnitentes ante ecclesiæ ingressum publice repræsentantur, & per impositionem manus episcopalis ecclesiæ publicæ reconciliantur. hæc sacerdotibus videntur esse prohibita. Vnde circa finem illius capituli non simpliciter prohibentur pœnitentes reconciliare, sed in publica missa. Priuata vero reconciliatio est quando de occultis peccatis pœnitentes, vel in in extremis agentes, ad gratiam reconciliationis accedunt. hæc reconciliatio potest fieri per sacerdotem.

VNDE Euaristus papa ait.

Iußione episcopi de occultis peccatis presbyteri pœnitentes reconcilient. 4

PResbyteri de occultis peccatis iussione episcopi pœnitentes reconcilient, & (sicut supra præmisimus) infirmãtes absoluant & communicent. ITEM ex concil. Cathaginensi ij. Cap. 4.

Si episcopus absens est, per presbyterum reconcilietur in periculo constitutus. 5

AVrelius episcopus dixit: Si quisquã in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari diuinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet presbyter vtique consulere episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare. quã rem debemus salubri concilio roborare. Ab omnibus episcopis dictũ est: Placet quòd sanctitas vestra nos necessariò instruere dignata est. ITEM ex concilio Martini papæ.

Cap. 83. synodorum Graecarũ.

Qui metu mortis reconciliatur, conualescens sine communione pœnitentiæ impleat tempus. 6

SI quis de corpore exiens nouissimum & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. quòd si in desperatione positus post acceptam communionẽ iterum sanus fuerit factus, tantum in oratione particeps sit. Sacramentũ verò non accipiat donec institutum pœnitẽtiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderãt accipere sacramentum, cum consideratione & probatione episcopi accipere debent. ITEM ex concilio Arausico.

Cap. 3. conc. Arausicen.

Sine manus impositione pœnitentes recedentes de corpore reconcilientur. 7

QVi recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis cõmunicare, quod morientis sufficit reconciliationi secundum diffinitionem patrum, qui huiusmodi communionem viaticum congruè nominauerunt. quòd si superuixerint, stent in ordine pœnitentium, vt ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant. Clericis quoque desiderantibus pœnitentia non est neganda. similiter subitò obmutescens (prout statutũ est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. Amentibus etiam quæcunque pietatis sunt, conferenda sunt. ITEM ex concilio Carthaginensi iiij.

Cap. 76.

Aliorum testimonio moriturus fidelis reconcilietur si obmutuit, vel in phrenesim conuersus est. 8

IS qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum inuitatus sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel si in phrenesim conuersus fuerit, dent testimoniũ qui eum audierunt, & accipiat pœnitẽtiam: & si cõtinuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. si superuixerit, admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus quandiu sacerdos qui pœnitentiã dederit, probauerit. Item pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucha-

ristitiæ accipiunt, nō se credant absolutos sine manus impositione si superuixerint. ITEM ex Niceno concilio. Cap. 12.

Cura & probatione episcopi morientes reconcilientur. 9

DE his verò qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabitur nūc etiam: ita vt si fortè quis recedat ex corpore, necessariò vitæ suæ nō defraudetur viatico. Quòd si desperatus aliquis recepta cōmunione superuixerit, sit inter eos qui sola oratione communicant. de omnibus enim his qui à corpore recedunt, in tradendo eis communionē cura & probatio sit episcopi. ITEM Leo episcopus.

Leo papa. I. epist. 89. ad Theodorum Forouiliensem episcopum.

Non est neganda reconciliatio his qui tempore necessitatis eam implorant. 10

HIs qui tempore necessitatis & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & munus reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ dei nec mensuras possumus ponere, nec tēpora definire apud quem nullas patitur veniæ moras conuersio, dicente dei spiritu per Ezechielem prophetam: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Quòd si ita aliqua ægritudine aggrauati sunt, vt quod paulò ante poscebāt, sub præsenti significare non valeant testimonio, eis fideliū & circunstantium testimonium prodesse debebit. Simul tamen pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur, seruata tamen regula sanctorū canonū paternorum circa eorum personas qui à domini fide discendendo peccauerunt. Eze. 18.

ITEM ex concilio Epanensi.

Non respuatur eius oblatio, qui festinans ad pœnitentiam sacerdotem inuenire non potuit. 11

SI aliquis fuerit mortuus qui iā sit cōfessus, & testimoniū habet bonū, & nō poterat venire ad sacerdotē, si præoccupauit eum mors in domo aut in via, faciant pro eo oblationem ad altare parentes eius, & dent redemptionem pro captiuis.

GRATIAN. Ecce quòd episcopo præcipiēte pœnitentes de occultis peccatis, siue in periculo constituti, per presbyterum possunt reconciliari. Sed si necessitate mortis peccator vrgetur: & episcopus ita remotus est, quòd presbyter eum consulere nō possit, negabitur pœnitentia morienti? & beneficium reconciliationis non præstabitur pœnitenti, quem conuersum deus recipit ad veniā, iuxta illud: In quacunque hora peccator conuersus fuerit, &c. Et item. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ecclesia sibi reconciliare negliget, quem deus intus suscitauit? Ecclesia foris absoluere contemnet? Damnabit absentia episcopi, quem gratia diuinæ præsentiæ illustrat per lauacrum regenerationis? Morituris succurritur etiā à laicis, si presbyteri desunt. Cur ergo beneficio recōciliationis per presbyterum

Ibidem. Malac. 3.

byterum ei subueniri non poterit, si contigerit episcopū deesse? Si secundū August. qui agens in extremis, confitetur socio turpitudinem criminis, sit dignus venia ex desiderio sacerdotis, cur non similiter sit dignus reconciliatione ex desiderio episcopi, qui sacerdoti non negat maculam sui reatus? Item morientibus pœnitentiam negare presbyteri non debent.

VNDE Iulius papa ait.

Reus est animarum, presbyter qui pœnitentiam morientibus abnegat. 12

SI presbyter pœnitentiam morientibus abnegauerit, reus erit animarū: quia dominus dicit: Quacunque die cōuersus fuerit peccator ad pœnitentiam, vita viuet, & non morietur. Vera enim cōfessio in vltimo tempore esse potest: quia dominus non solùm temporis, sed etiā cordis inspector est: sicut latro vnius momenti pœnitētia meruit esse in paradiso in hora vltimę confessionis. ITEM Cœlestinus papa ait.

Ezе. 18.

Luc. 23.

Pœnitentia morientibus non est deneganda. 13

Vniuersis episcopis per Viennensem & Narbonensem Galliam cōstitutis.

AGnouimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiūt remedio subueniri. Horremus (fateor tantę impietatis aliquem inueniri, vt de dei bonitate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurre, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se ille expedire desiderat [&] liberari. quid hoc rogo aliud est quàm morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate ne absoluta possit esse occidere? cùm dominus ad subueniendum paratissimus inuitet ad pœnitentiam, sic promittēs peccatori: In quacunque hora &c. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Salutem ergo hominū adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiā sibi denegat, & desperat de misericordia dei qui eum ad subueniendum morienti sufficere, vel in momento non credit posse. perdidisset vtique latro in cruce præmium ad dexteram Christi pendens, si illum vnius horæ pœnitētia non iuuisset. cùm esset in pœna, pœnituit, & pro vnius confessione sermonis habitaculum paradisi eo promittente promeruit. Vera ergo ad deū conuersio in vltimis positorum mente potius æstimanda est quàm tēpore, propheta hoc taliter asserente. Cùm cōuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cùm ergo dñs sit cordis inspector quouis tēpore non est deneganda pœnitētia postulanti: cùm ille se obliget iudici cui occulta omnia nouerit reuelari. Cui autem pœnitentia non negatur, nec reconciliatio sibi denegāda est. Inconsulto ergo episcopo pœnitentem presbyter reconciliare non debet, nisi vltima necessitas cogat.

Eze. 33. c.

Cap. 32.

VNDE in Carthaginensi concilio tertio legitur.

Incon-

Inconsulto episcopo pœnitentem presbyter reconciliare, nisi vltima necessitas cogat, non debet. 14

PResbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentẽ, nisi absente episcopo vltima necessitas cogat. Cuiuscunq; pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersam commouerit vrbem, ante apsida, id est atrium ecclesię manus ei imponatur.

QVAESTIO VII.

SI MORIENTIBVS SIT INDICENDA POENITENTIA SVB QVANTITATE TEMPORIS.

„ DE tempore verò satisfactionis, an sit imponendũ mo- GRATIAN.
„ rituris. Theodorus Cantuariensis archiepiscopus in
„ pœnitentiali suo ita diffinit.

In periculo constitutis, pœnitentiæ quantitas non est imponenda, sed innotescenda. 1

AB infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda est quãtitas pœnitentiæ, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarũ studiis pondus pœnitentiæ subleuandum, si fortè migrauerint, ne obligati à communione & consortio veniæ fiant alieni: à quo periculo si diuinitus ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum à sacerdote sibi impositum diligenter obseruet: & ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis sacra vnctione olei inuncti secundũ statuta sanctorum patrum communione viatici reficiantur.

Aliis verò pro qualitate peccati, & præsidentium arbitrio, tempora pœnitentiæ decernenda sunt. 2.pars.

VNDE Leo papa. Leo.I epist.77 ad Nicetam episcopum.

Præsidentium arbitrio præfigantur tempora pœnitudinis. 2

TEmpora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habentes ętatis senilis intuitum, & periculorum quoq; quorumcunque aut ægritudinem respiciẽtes necessitates. In quibus si quis ita grauiter vrgeatur, vt dũ adhuc pœnitet, de salute eius desperetur, oportet ei per sacerdotalem solicitudinem communionis gratia subueniri.

ITEM Nicolaus papa.

Et qualitas criminum, & contritio pœnitentium in satisfactione imponenda à sacerdote consideretur. 3

DE his verò qui pro criminibus pœnitentiã egerunt, & ad cingulum militiæ conuertuntur, constat eos contra sacras regulas agere: verum quia crimina non ęqualia sunt, perhibes

quoque alios horum propter nimiam hebetudinē in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad paganos fugisse, tibi hoc cōmittimus decernendum, nimirum qui loca & tēpora religionis illius, & modum culpæ, necnon & pœnitentiam & gemitus hominum ad confessionem venientium præsens positus

Cap. 2. inspicere vales. ITEM ex concilio Laodicensi.

De eodem. 4

HIs qui diuersorum peccatorū lapsus incurrunt, & oratione & confessione & pœnitētia malorum suorum perfectā conuersationē demonstrant, pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus attribuendum est propter misericordiam & bonitatē dei. Qui ergo huiusmodi sunt, reuocandi, & ad communionē applicandi sunt.

Cap. 31. ITEM ex conc. Carthag. iij.

Episcopi arbitrio pro qualitate peccati pœnitentia tēpora distribuātur. 5

POenitentibus secundum differentiam peccatorum episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

Cap. 74. conci. Carthag. 4. ITEM ex concilio Laodicensi iiij.

Sine personarum acceptione imploranti pœnitentia detur. 6

SAcerdos pœnitentiam imploranti, absque personarum acceptione pœnitentiam secundum leges iniungat: negligentiores verò pœnitentes tardius reconcilientur. omni autē tempore ieiunij manus pœnitentibus à sacerdotibus imponātur.

Ca. 82. eiusdē. Diebus etiam remissionis pœnitentes genua flectant, & mortuos in ecclesiam afferant & sepeliant. die autem dominico non ieiunent. nam qui dominico die studiosè ieiunat, nō creditur esse catholicus. pœnitentes verò qui leges pœnitentiæ attentè exequuntur: si casu in itinere vel in mari fuerint mortui, vbi eis subueniri non potest: memoria eorum & oblationibus & orationibus commendetur.

VNDE in octaua synodo legitur.

Tempus pœnitentiæ pro qualitate peccati impendatur. 7

PRo qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur.

ITEM.

Tempus & modus pœnitendi delinquentibus præsidentium imponatur indicio. 8

HOc sit positum in iudicio eorum qui præsunt, quanto tēpore vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt: quia ætas ad eruditionē multā haberi facit differentiā pœnæ.

3. p.trs. Quo affectu pœnitentem suscipere, & impœnitentem abijcere debeamus, ex eadem synodo euidenter ostenditur, cùm dicitur.

Intimo charitatis affectu pœnitentem debemus suscipere. 9

POenitentem ex corde ita oportet suscipi, sicut Dominus ostendit, cùm dicit. Quia conuocaui amicos meos & vicinos,

nos, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quam perdideram. *Luca 15.b*

ITEM.

Pœnitentes legem dei diligant, iniquitatem odio habeant. 10

AFfectum illum in se recipiat pœnitens, quem gerebat ille qui dicebat, Iniquitatem odio habui & abominatus sum. *Psalm. 118.* secundum ea quę scripta sunt in vj. Psal. atq; in quàmplurimis aliis: vel secundũ ea quæ Apostolus dixit ad eos qui secundũ deũ contristati sunt: Quantã, inquit, operatum est hoc ipsum *2. Cor. 7. c* in vobis solicitudinẽ, sed *excusationẽ, sed indignationẽ, sed **defensionem* æmulationem, sed vindictã. in omnibus exhibuistis vos †cautos esse negocio. *†incõtaminatos* Sed & ipsis in quibus deliquit, agens multa contraria: sicut & Zacheus fecit.

ITEM.

Impœnitentes tanquam ethnici habeantur. 11

ERga eum qui peccata sua non punit: tales esse debemus sicut dominus præcepit dicens: Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. *Luc. 19. b* *Matth. 18 c* Et sicut Apostolus docuit dicens: Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & nõ secundum traditionem quam tradidimus vobis. *2. Thess. 3. b*

ITEM Ioannes Chrysostomus. *Hom. 43. ad ca. 23. Matth.*

Melius est errare in misericordia remittendi, quàm in seueritate vlciscendi. 12

ALligant autẽ onera grauia & importabilia, &c. *Matth. 23. a* Tales sunt sacerdotes etiam nunc qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicam seruant: videlicet non vt faciendo sint, sed vt dicendo appareant iusti. Tales sunt qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: quia dicunt, & non faciunt: & sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis quem non potest baiulare posueris, necesse habet vt aut fascem reijciat, aut sub pondere confringatur: sic & homo cui graue pondus pœnitẽtiæ imponis aut pœnitentiam reijciet, aut suscipiens dum sufferre nõ potest, scandalizatus amplius peccat. Deinde etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nónne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatẽ? Vbi enim pater familiâs largus est, dispensator non debet esse tenax: Si deus benignus: vt quid sacerdos eius austerus vult apparere.

ITEM Martinus papa. *Cap. 74. synodorum Grecarũ. 4. pars.*

Calendarum obseruationes agere non licet. 13

NOn licet iniquas obseruationes agere Calendarũ, & ociis vacare: neque lauro aut viriditate arborũ cingere domos. Omnis enim hæc obseruatio paganorum est.

VNDE Zacharias papa.

Anathema

Anathema sit qui ritum paganorum & Calendarum obseruat. 14

SI quis Calendas Ianuarij ritu paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut mensas cum lampadibus vel epulis in domibus præparare, & per vicos & plateas cantatores & choros ducere præsumpserit: anathema sit.

ITEM Augustinus.

Infirmitatibus hominum incantationes nihil remedij præstant. 15

ADmoneant fideles sacerdotes populos suos vt nouerint magicas artes incãtationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil remedij posse conferre: non animalibus languentibus claudicantibúsve vel etiam moribundis quicquam mederi: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis: quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Et si quis hoc exercuerit: clericus degradetur, laicus anathematizetur.

ITEM Augustinus.

Dies Aegyptiaci, & Ianuarij calendæ non sunt obseruandæ. 16

NOn obseruetis dies qui dicuntur Aegyptiaci, aut Calẽdas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædam & comessationes, & adinuicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio, aut aliquos menses, aut tempora, aut dies, & annos, aut lunæ solisq; cursum: quia qui has & quascũque diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat aut attendit, aut consentit obseruantibus: inutiliter & sine causa magis ad sui damnationem quàm ad salutem tendit: siue qui per quosdam numeros literarum & lunæ, & per Pythagoricam necromantiã ægrotãtium vitã vel mortẽ vel prospera vel aduersa futura inquirũt: siue qui attendunt somnialia scripta, & falsò Danielis nomine intitulata: & sortes quæ dicuntur sanctorum apostolorum, & auguria auiũ, aut aliqua pro domo facienda, aut propter coniugia copulanda: aut in collectionibus herbarum carmina dicunt: aut *pyctaciola pro quauis infirmitate †scripta super homines & animalia ponunt, præter symbolũ & orationẽ dominicam: aut magicis falsitatibus & grandinariis tempestatibus credunt. Qui autẽ talibus credunt, aut ad eorum domũ euntes, aut suis domibus introducunt & interrogant: sciant se fidẽ Christianam & baptismum præuaricasse: & vt ad paganum & apostatam, id est, retro abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurrisse, nisi ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur. Dicit enim Apostolus: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite: in quo viuimus, mouemur, & sumus.

*pyctaciolas
†scriptas.

1. Cor. 10. g
Act. 17. f.

GRATIA.
Ca. 79. Enchir.

De temporum quoque obseruationibus scribit Augustinus ‘‘ in Enchiridio, id est, manuali libro. ‘‘

Graue peccatum est dies obseruare, vel menses & annos. 17

QVis existimaret quàm magnum peccatum sit dies obseruare & menses & annos & tempora: sicut obseruant qui certis diebus siue mensibus siue annis volunt & nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tẽpora: nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: timeo ne fortè si ıe causa laborauerim in vobis. Idẽ super epistolam ad Galat. Intelligat lector ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum obseruationes, vt dicat Apostolus: Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis. ꝙ quanuis tanta celebritate atque auctoritate per orbẽ terrarũ in ecclesijs legatur, plena sunt tameñ conuenticula nostra hominibus, qui tẽpora rerum agendarum à mathematicis accipiunt. Iam verò ne aliquid inchoetur aut ædificiorum aut huiusmodi quorumlibet operum diebus quos Ægyptiacos vocãt, sępe etiam nos monere non dubitant. ITEM Hierony. *Galat. 4. b.*

Sine incantatione herbas vel petras licet habere. 18

DAemonium sustinentibus licet petras vel herbas habere sine incantatione.

CAVSA XXVII.

QVidam votum castitatis habens desponsauit sibi vxorem, illa priori conditioni renuncians, transtulit se ad alium & nupsit illi. ille cui prius desponsata fuerat, repetit eam. GRATIA.

1 Hic primùm quæritur, an coniugium possit esse inter vouentes?

2 Secundò, an liceat sponsæ à sponso recedere, & alij nubere?

QVAESTIO I.

AN CONIVGIVM POSSIT ESSE INTER VOVENTES.

QVòd vouentes matrimonia contrahere non possunt: multis auctoritatibus probatur. In concil. nanque Carthaginensi. iij. capitulo quarto statutum inuenitur de viduis, quæ post professam continentiam præuaricatæ sunt. GRATIAN. *Cap. 104. conc. Carthagi. 4.*

Excommunicentur viduæ quæ religioso habitu abiecto, nuptias elegerint. 1

SIcut bonum est castitatis præmium: ita maiori obseruãtia & præceptione obseruandũ est, vt si quæ viduæ quãuis adhuc in minoribus annis positæ, & immutura ætate à viro relictæ,

ctæ, se deuouerint deo, & veste laicali abiecta sub testimonio episcopi & ecclesię in religioso habitu apparuerint, postea verò ad seculares trãsierunt nuptias, secundum Apostolum damnationem habebunt: quia fidem castitatis quam deo vouerant, irritam facere visæ sunt. Tales ergo personæ à Christianorum communione sequestrentur, donec ad bonum quod cœperant reuertantur: neque in communione vel conuiuio cum Christianis cõmunicent. Nam si adulterij coniuges reæ sunt, si suis obnoxiæ viris nõ fuerint: quanto magis viduę quę dei religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem quam spontè non coactè deo obtulerunt, libidinosa voluntate corruperint, & ad secundas nuptias trãsitum fecerint? quę etsi violẽtia irruente ab aliquo oppressæ fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in cõiugio raptori vel violento viro consenserit, damnatione superius dicta teneantur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus: Cùm enim luxuriatæ fuerint, nubere in Christo volunt, habẽtes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt.

1.Timoth.5.b

ITEM ex epist. Greg. missa ad Bonifacium.

De viduis & virginibus quæ à religionis proposito discedunt. 2

VIduas à proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater charissime, credo te nosse à sancto Paulo & à multis sanctis patribus, nisi conuertantur, olim esse damnatas: quas nos apostolica auctoritate damnandas, & à communione fidelium atque à liminibus ecclesiæ esse arcendas censemus, vsquequo obediant episcopis suis, & ad bonum quod cœperant, inuitè aut voluntariè reuertantur. De virginibus autem non velatis si deuiauerint, à sanctæ memoriæ prædecessore nostro papa Innocentio, taliter decretũ habemus: Hæ verò qui necdum sacro velamine sunt tectæ, tamẽ in proposito virginali semper se simulauerint permanere: licèt velatæ non fuerint, tamen si nupserint, aliquãto tempore his agenda pœnitentia est: quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solent bonæ fidei cõtractus nulla ratione dissolui: quanto magis illa pollicitatio quam cum deo pepigit, solui sine vindicta non poterit, &c. Si virgines nondum velatę taliter pœnitentia publica puniuntur, & à cœtu fidelium vsque ad satisfactionem excluduntur: quanto magis viduæ, quæ perfectioris ætatis, & maturioris sapientiæ atque consilij existunt, virorumque consortio multotiens visæ sunt, & habitum religionis assumpserunt, & demum apostatauerunt, atque ad priorem vomitum sunt reuersæ: à nobis & ab omnibus fidelibus & à liminibus & à cœtu fidelium vsque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ: qualiter iuxta apostolum Paulum tradentem

huiusmodi

huiusmodi hominem satanæ, vt spiritus eius saluus sit in die domini. De talibus nãque dominus per Moysen loquitur dicens: Auferte malum de medio vestri. De quibus per prophetam ait: Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam impiorum: manus suas lauabit in sanguine peccatorũ. De talibus nanque & eorum similibus atque eisdẽ consentientibus dictũ est, quia non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, rei iudicandi sunt.

1. Cor. 5. b / Deut. 13. b / Psal. 57. / Rom. 1. d

ITEM ex decreto Gelas. pa. ad Sicilien. episc. misso, cap. ix.

Ad Cæsarium cap. 4.

Transire non possunt viduæ & virgines post religionis propositum ad nuptias. 3

NEque viduas ad nuptias transire patimur quæ in religioso proposito diuturna obseruatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse contigerit.

ITEM Cyprianus ad Pomponium *de virginitate.

*De virginibus Epist. 11. lib. 1.

Ex qualibet sensu corporis mulier corrumpi potest. 4

NEc aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quòd & inspici & probari possit an virgo sit: cùm & manus obstetricum & oculi sæpe fallantur. & si incorrupta inuenta fuerit virgo ex ea parte sui qua mulier potest esse: potuerit tamẽ ex alia corporis parte peccasse quę corrumpi potest, & tamen inspici non potest. Certè ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio & inosculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitentur? Si superueniens maritus sponsam suam iacentem cum altero videat: nónne indignatur & fremit, & per zeli dolorem fortassis & gladium in manum sumit? Et Christus Dominus & iudex noster cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quàm indignatur ei & irascitur? & quas pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur? cuius vt gladium spiritualem, & venturum iudicij diem vnusquisque fratrum possit euadere, omni consilio prouidere & elaborare debemus.

IDEM.

Cyprian. in eadẽ epistola.

De eodem. 5

QVòd si pœnitentiam huius illiciti cõcubitus sui egerint, & à seinuicem recesserint, inspiciantur *iterum virgines ab obstetricibus diligenter: & si virgines inuentę fuerint, accepta communione ad ecclesiam admittantur: hac tamen interminatione, vt si ad eosdem masculos postmodum reuersæ fuerint: aut si cum eisdem in vna domo & sub eodẽ tecto simul habitauerint, grauiore censura eijciantur, nec in ecclesiam postmodum facilè recipiantur. Si autem de eis aliquæ corruptæ fuerint & deprehensæ, agant pœnitentiã plenã: quia quæ

*interim

hoc

hoc crimen admisit, non mariti sed Christi adultera est: & ideo æstimato iusto tempore, postea exhomologesi facta ad ecclesiam redeat. Quòd si obstinatè perseuerant, nec se abinuicem separãt, sciant se cum hac sua impudica obstinatione nunquã nobiscum admitti in ecclesiam posse: ne exemplum cęteris ad ruinam delictis suis facere incipiant: nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, si episcopis & sacerdotibus obtemperare noluerint.

cap. 4. synodo. 6 in Trullo.

ITEM ex vj. synodo.

Clericus deponatur, laicus excommunicetur, qui cum sanctimonialibus mœchatus fuerit. 6

a notat Balsamon suo tempore psalmistas ex Eunuchis tantũ cõstitui, & ideo in his cessare hunc canonem. Lectores autem differebant ab his, quia in ambone tantum legebant sacra elo quia post finita matutina.

SI quis episcopus, presbyter, diaconus, aut subdiaconus, aut lector, aut [a]psalmista, aut ostiarius cum muliere sanctificata deo mœchatus fuerit, deponatur: quia sponsam Christi corrupit. si verò laicus, excommunicetur.

ITEM ex concil. Toletano iiij. cap. viij.

Viduæ & puellæ quæ post religionis habitum nubunt, à communione suspendantur. 7

DE viduis & puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam à parentibus, quàm per se mutauerunt: si postea contra instituta patrum vel præcepta canonum coniugia crediderint copulanda: tandiu vtręque habeantur à cõmunione suspẽsæ, quousque quod illicitè perpetrauerunt, emendẽt. Quod si emendare neglexerint, à communione omniũ Christianorum & conuiuio perpetuo sint sequestratæ.

Gela. 1. ca. 15. epist. ad episcopos per Lucan.

ITEM ex concilio Martini papæ.

De eodem. 8

VIduas autem velare pontificum nullus attentet, prout statutum est in decretis Gelasij papæ cap. xiij. quod nec auctoritas diuina, nec canonũ forma præstitit. Quòd si propria fuerit voluntate continentiam professa, in eiusdem Gelasij ca. xxj. legitur eius intentio. Pro se reddat rationẽ deo: quia sicut secundum Apostolum si se continere non poterat: nullatenus nubere vetabatur: sic secum habita deliberatione promissam fidem pudicitiæ deo debet custodire. Nos autem auctoritate patrum suffulti, in hoc sancto concilio sancimus, & libere iudicamus, si spontè velamen quanuis nõ consecratum sibi imposuerit, & in ecclesia inter velatas deo oblationem obtulerit: velit nolit, sanctimoniæ habitum vlterius habere debet, licet sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione sibi velamẽ imposuisse, vt iterum posset deponere.

1. Cor. 7.

Imò Gregorij. *Inn. 1. epi. 2. ad Victriciũ episc.*

ITEM ex decretis Innoc. papæ. cap. xx.

De his quæ votum virginitatis habentes nubunt, nec dum sacro velamine tectæ. 9

HAe verò quæ nondum sacro velamine sunt tectæ, tamẽ in proposito virginali semper se permanere simulauerunt, licet

licet velatæ non ſunt, ſi fortè nupſerint, his ad agendã aliquanto tempore pœnitentiam ſit liberum: quia ſponſio earum à deo tenebatur. Nam ſi inter homines ſolet bonę fidei contractus nulla ratione diſſolui: quanto magis iſta pollicitatio quã deo pepigit, ſolui ſine vindicta non debet? Nam ſi Apoſtolus illas quæ à propoſito viduitatis diſceſſerunt, dixit habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quanto magis virgines quæ pactionis ſuæ fidem minimè ſeruauerũt? 1.Tim.5.b.

ITEM ex decreto eiuſdem, cap.cix. Ca.15 eiuſdem epiſto.2 ad Victricium.

Non ſunt admittendæ ad pœnitentiam virgines ſacræ, ſi publicè poſtea nupſerint. 10

QVæ Chriſto ſpiritualiter nubunt, ſi poſtea publicè nupſerint, non eas admittendas eſſe ad pœnitentiam, niſi hi quibus ſe iunxerant, à mundo receſſerint. Si enim de hominibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcunque viuẽte viro alteri nupſerit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus de eis fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda eſt quæ antè ſe immortali ſponſo coniunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigrauit?

ITEM ex concilio Tribarienſi, cap. vj. Cap. 13.

Ab eccleſia eliminandæ, & ergaſtulis retrudendæ ſunt monachorum vel monacharum impudicæ perſonæ. 11

IMpudicas deteſtabileſque perſonas monachorum atq; monacharum, quæ abiecto propoſito ſanctitatis, illicita atque ſacrilega contagione ſe miſcuerunt, & in arbitrium cõſcientię propriæ deſperatione perductæ, de illicitis complexibus liberè filios procreauerint: à monaſteriorum cœtu, eccleſiarumque conuentibus eliminandas eſſe mandamus: quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis tantum facinus lamentatione cõtinua deflentes purificatorio poſſint igne pœnitudinis decoqui, vt eis vel ad mortem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiã poſſit ſubueniri. ITEM ex eodem.

Monachus & virgo domino cõſecrata, ſi nupſerint, excõmunicẽtur. 12

VIrginẽ quæ ſe deo cõſecrauerit, ſimiliter & monachũ decernimus nõ licere nuptialia iura cõtrahere. q; ſi hæc inuẽti fuerint perpetrãtes, excommunicẽtur. Cõfitentibus autem decernimus vt habeat auctoritatẽ eiuſdẽ loci epiſcopus miſericordiam humanitatemq; largiri. ITEM ex eodem. Cap.23. concil. Triburien.

Dum viuunt, lamentis pœnitentiæ ſe afficiant, qui ſanctimonialibus ſcientes copulantur. 13

HI ergo qui ſanctimonialibus ſcientes matrimonio ad iniuriã Chriſti copulati ſunt, iuxta cenſuram zeli Chriſtiani ſeparentur, & nunquam eis concedatur coniugali vinculo religari: ſed in pœnitentiæ lamentis ſe vehementer dum viuunt afficiant. ITEM ex eodem. Cap.23.

A sacra communione priuentur, qui sacris virginibus se sociant. 14

VIrginibus sacris se quosdam temerè sociare cognouimus: post dicatum deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere: quos protinus æquū est à sacra cōmunione detrudi: & nisi per publicam probatamq; pœnitentiam omnino non recipi: sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si dignè pœnituerint, non negetur. ITEM Gregorius.

Epist.9. lib. 8. ad Marianum episcopum.

In monasterio reuocetur, ac recludatur, quæ à fornicatione recedere noluerit. 15

PEruenit ad nos quòd quidam vir nequissimus diabolico instinctu de monasterio suaserit exire quandam Deo sacratā, atque à quodam bono viro vnde exierat sit reuocata: rursusq; eam mulierē vir ille nequissimus iniqua suasione de monasterio eiiciēs, apud se retineat impudicè. Volumus autem vt episcopatus tui auctoritate in monasterio reuocetur atque recludatur. ITEM ex conc. Aurelianeñ. cap. iij.

Nō est viduis fas post susceptū velamen à sacro proposito discedere. 16

VIduas quæ spontanea voluntate ab altari conuersionis sacræ velamē suscipiunt: decreuit sancta synodus in eodem proposito permanere. Non enim fas esse decernimus postquā se domino semel sub velo consecrauerint, iterum eis concedi spiritui sancto mentiri. ITEM ex eodem.

Cap. 23. concil. Triburiensi.

Qui sacro velamine tectum in coniugium ducit, anathema sit. 17

SI quis sacro velamine consecratā in coniugium duxerit: & post dicatum deo propositum, incesta fœdera sacrilegaque miscuerit vt in cōstitutione Gela. papę ca. xx. legitur: protinus est æquum eos à sacra communione detrudi: & nisi per publicam probatamq; pœnitentiā omnino non recipi. Si pœnituerint, trāseuntibus de seculo viaticū non negetur in Chalcedonensi conc. ca. xvij. hoc perpetrātes excōmunicantur, cōfitentibus autem auctoritate episcopi misericordia largiatur. Item in epist. Siricij papæ, ca. vij. Velatæ & deo consecratæ, si abiecto proposito sanctitatis clanculo sacrilega cōtagione se miscuerint, & illicitis cōplexibus publicè & liberè filios procreauerint: has nuptias detestabilesq; personas à monasteriorum cœtu, ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse iudicatū est, quatenus detrusæ ergastulis tantum facinus cōtinua lamentatione defleant. vnde & verbo domini, & canonica auctoritate in hac sacra synodo præcipimus, vt omnino separentur, & iuramento colligentur, vt vlterius non sub vno cohabitent tecto. ITEM Greg. Vitaliano Syporino episcopo.

Epist.9. lib. 7.

Ad habitum redire cogatur, & recludatur in monasterio, quæ religiosam vestem abiecit. 18

SI custos religiosi habitus esses, aut esse nosses episcopus: filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ te illic posito

posito proiectis religiosis vestibus, nec ad secularẽ reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare: sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impune cõmissa est. Nam sicut præfati sumus, si solicitus extitisses: prius ad nos vltio mulieris prauissimę quàm culpa debuit peruenire. Quia ergo tantũ habes, tantumque es negligẽs, vt nisi canonicã in te fueris coercitionẽ expertus, in aliis districtionẽ & disciplinam nescias custodire: qualiter debeas esse solicitus, congruo tibi (si deo placuerit) tẽpore demonstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens euigila, & excitatus saltẽ exequere quod pressus vsq; nũc ignauia distulisti. Instantię ergo tuæ sit prædictã mulierẽ vnà cum Sergio defensore nostro cõprehendere, & statim non solũ ad male contemptum habitum sine excusatione aliqua reuocare, sed etiã in monasterio vbi omnino districtè valeat custodiri, eam detrudere: & ita omnem circa illam solicitudinem exhibere, vt quàm sit nefarium quod commisit ex tua possit districtione cognoscere. Qua in re si quis (quod nõ credimus) clericorum vel laicorum aliquo tibi ingenio tentauerit obsistendum: à sanctissimæ cõmunionis participatione eum suspẽdere, nobisque renunciare festina: vt quantũ sit execrabile quod præsumpserit, postquã consideratione propria non aduertit, emendationis qualitate cognoscat. In his autem omnibus ita cautum stude te vigilantemque ostendere, vt culpam tuã non geminare neglectu, sed aliquantisper valeas solicitudine minuere. IDEM Sergio defensori. Epist. 10. li. 7.

Districta custodia tradatur, qui à religionis proposito ad secularem habitum redijt. 19

SI homo esses, aut aliquam discretionem habuisses, ita regularis debuisti disciplinæ custos existere, vt ea quæ illicitè committuntur, antè vindicta corrigeres, quàm ad nos eorum nuncius perueniret: sed dum te facit nimia stultitia negligentem, nõ solum de illis offendimur, sed etiã ad vlciscendã desidiam tuã nihilominus prouocamur. omni ergo dilatione, omníque excusatione postposita filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militię, quæ proiectis (quas spõtè assumpserat) religiosis vestibus, indumentis se laicis deturpauit: vnà cũ fratre & coepiscopo nostro Vitaliano festina comprehẽdere: atq; ad religiosum rursum habitum reuocare, ac in monasterium mittere, vbi districtè omnino valeat custodiri: nec eius custodiã aliquatenus releuari permittas, quousq; denuo nostra scripta susceperis. Nã si quolibet modo in hac re negligẽs vel lẽtus extiteris, ita in te districtissimè noueris vindicãdũ, vt quod ex te nescis, pœna possis referãte cognoscere: quia (sicut diximus) si intellectũ hominis habuisses, quæ modo facere præciperis,

peris, antè debueras etiam cum vltione à te facta cognoscere.

Cap. 122. ITEM August. de conflictu vitiorum & virtutum.

Non tribuitur eis licentia nubendi, qui continentiam seruare decreuerunt. 20

NVbendi licentia quibusdã tribuitur, illis videlicet qui virginitatem vel castitatem vidualem nequaquam professi sunt. Quibusdam autem non tribuitur, illis videlicet qui virgines vel continẽtes esse decreuerunt. Fornicatio autem nulli impune conceditur. ITEM in libro de bono coniugij.

Cap. 11. libro de bono viduitatis.

Peiores sunt adulteris quæ continentiæ propositum violant. 21

MEliore proposito lapsas si nupserint fœminas à castitate sanctiori quæ vouetur deo, adulteris esse peiores manifestum est. ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Cap. 16.

Monachus & virgo qui se deo dedicant, nuptiis iungi nõ possunt. 22

SI qua virgo se dedicauerit deo, similiter monachus: non licet eis nuptiis iungi. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneãt excommunicati. Statuimus verò eis posse fieri humanitatem, si ita probauerit episcopus loci. ITEM ex eodem.

Cap. 15.

Diaconissa quæ post ordinationem nubit, anathema sit. 23

DIaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari statuimus, & hoc cum diligẽti probatione. Si verò ordinationem susceperit, & quantocunque tẽpore obseruauerit ministerium, & postea se nuptiis tradiderit, iniuriã faciẽs gratiæ dei: hæc anathema sit cum eo qui in nuptiis illius conuenerit.

Cap. 18. ITEM ex synodo Ancyritana.

Inter digamos reputãtur, qui virginitatẽ pollicitã præuaricantur. 24

QVotquot virginitatem pollicitam præuaricatæ sunt, professione contempta inter digamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt.

Cap. 13. ITEM ex concilio Elibertano.

Virginibus deo dedicatis, nec in fine danda est communio, si libidini seruierint. 25

VIrgines quæ se deo dedicauerunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini seruierint, non intelligentes quid amiserint: placuit nec in fine eis dandã esse cõmunionem. Quòd si sibimet persuaserint quòd infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tẽpore vitæ suæ pœnitentiam egerint, & à coitu se abstinuerint: placuit eas in fine communionẽ accipere debere. ITEM ex conc. Martini papæ.

Cap. 30. ex synodis Græcorum

Cogatur ad pœnitentiam filia clerici, si deuota maritum duxerit. 26

DE filia episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, si deuota fuerit & maritum duxerit: si eam pater vel mater in affectũ receperit, à communione habeantur alieni. Pater verò in concilio causas se nouerit præstaturum. Mulier verò non antè admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam.

nitentiam. Si autem viuente eo decesserit, & pœnituerit, vel petierit communionem in vltimo fine vitæ suę deficiēs, eam accipiat. ITEM ex concilio Toletano quarto. Cap. 16. concil. Toletan. 1.

Deuota nisi desierit peccare, non est in ecclesia recipienda. 27

DEuotam peccantem non recipiēdam esse in ecclesia censemus, nisi peccare desierit: & si desinens pœnitentiā egerit aptam, id est, annos decem pœniteat: recipiat communionem. prius autem quàm in ecclesia recipiatur ad orationē, ad nullius conuiuiū Christianæ mulieris accedat. quòd si admissa fuerit: & hæc quæ eam receperit, habeatur in absentia: corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi aut viuente marito caste viuere cœperit, aut postquàm ipse decesserit.

ITEM Greg. Ioanni episcopo Carolitano. Episto. 9. lib. 3.

De monacha quæ ad lapsum adulterij deducitur. 28

SI qua monacharum vel per antiquiorem licentiam vel per impunitatis prauam cōsuetudinem ad lapsum adulterij deducta fuerit, aut in stupri fuerit deducta voraginem: hanc post competentis seueritatem vindictæ in aliud districtius monasterium virginū in pœnitētia volumus redigi: vt illic orationibus atq; ieiuniis vacet: & sic pœnitendo proficiat: & metuendum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplū. Is autē qui cum huiusmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, omni cōmunione priuetur si laicus est: si vero clericus, à suo quoq; remotus officio pro suis continuo lugendis excessibus in monasterium detrudatur. IDEM Ianuario episcopo. Epist. 24. lib. 3

Post dignam pœnitentiam communionem recipiant qui in religiosas mulieres excedunt. 29

EOs autē qui in mulieres quæ egressæ sunt de monasteriis, excesserunt, & nunc dicuntur à communione suspendi: si fraternitas tua de tali facinore digne pœnitentes præuiderit, ad sacram communionem volumus te reuocare.

ITEM ex nouellis Iustiniani imperatoris.

De legibus imperatorum. 30

SI quis rapuerit, vel solicitauerit, vel corruperit ascetriā vel diaconissam, vel monacham, vel aliam mulierē religiosam vitam, vel habitum habentē: bona ipsius, & eorum qui huiusmodi sceleris communione cōtaminati sunt, à religioso loco vendicentur in quo talis mulier habitabat: per religiosos episcopos & œconomos, & præsides prouinciarum, & officiales eorum: ipsi autem capitali periculo subiiciantur. Mulier autē vbique inuestigetur: & cum suis rebus monasterio cautiori tradatur. si autem diaconissa fuerit legitimos habens filios, pars legitima liberis eius præstetur.

ITEM ex decreto Eugenij papæ.

Mulieres castæ obseruent religiosum habitum, quæ religionis obtentu velantur. 31

Cap. 22. MVlieres obtentu religionis velatæ, aut in monasterio regulariter viuant: aut in domibus suis etiã susceptũ habitum castè obseruent. ITEM ex concilio Aurelieneñ.

Monachus vxorẽ ducẽs, nunquã sacri gradus mereatur cõsortium. 32

MOnacho orarium in monasterio vel zonas habere nõ liceat: & si postea vxori fuerit sociatus, tantę præuaricationis reus nunquam ecclesiastici gradus sortiatur officium.

Ca. 8. lib. de bono viduitatis. ITEM Augustinus de bono viduitatis.

Ante professam continentiam, nubant viduæ quibus volunt. 33

VIduæ quæ se non continent, nubant antequam professæ continentiam deo vouerint: quod nisi reddant, iure damnantur. ITEM Nicolaus Carolo archiepiscopo, & eius suffraganeis.

Non permittitur viduæ post professionẽ continẽtiæ votũ deserere. 34

VIdua quidem quæ capiti sacrum velamen imposuit: si inter cæteras velatas fœminas in ecclesia orauerit, & oblationes cum illis obtulerit: si professa est se in eodẽ habitu permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere: à religionis obseruantia discedere non præsumat.

Cap. 27. ITEM ex concilio Arausico.

Professionem viduitatis coram episcopo factam, post habitum susceptum nulli violare permittitur. 35

VIduitatis seruandæ professionem corã episcopo in secretario habitam, imposita coram episcopo veste viduali: dicimus non esse violandam. Ipsam talis professionis desertricem merito damnandam esse decernimus.

Cap. 5. concilio Toletano 10. ITEM ex concilio Toletano.

Modus, & solennitas faciendæ professionis hoc ordine seruetur. 36

OMnes fœminæ venientes ad sacram religionem pallio capita sua contegant, conscriptam roboratamque professionem faciant: post quam scripturam nõ sinantur relabi ad præuaricationis audaciam. Quæ verò ex his omnibus fuerint repertæ animum aut vestem in transgressionem dedisse, excommunicationis sententiã ferãt, & rursus mutato habitu, in monasteriis donec diẽ vltimum claudãt, sub ærumnis arduæ pœnitentiæ permaneant religatæ. ITEM ex conc. Arelateñ.

Filij perditionis sunt, qui violant corpora fœminarum cõsecratarum. 37

SCiendum est omnibus quòd deo cõsecretarum fœminarũ corpora per votum propriæ spõsionis, & verba sacerdotis, deo consecrata tẽpla esse, scripturarum testimoniis comprobantur: & ideo violatores earum sacrilegi, & iuxta apostolũ filij perditionis esse noscuntur.

ITEM.

De

De eodem. *Palea.* Omnino deest in vet. manuscr.

VIduæ si priusquam cõtinentiam profitentur, nubere elegerint: illis nubãt, quos propria voluntate velint habere maritos. Similiter hæc conditio & de virginibus habetur: nec extra voluntatẽ parentum vel suá cogantur accipere maritum.

ITEM Greg. Anthemio subdiacono in epist. xlij. *Epist.40.lib.1.*

In monasterio recludantur monachi vxoribus sociati. 38

ET quia aliquos monachorum vsque ad tantum nefas prosiluisse cognouimus, vt vxores publicè sortiantur: præcipimus vt sub omni vigilantia requiras, & inuentos habita coercitione in monasteriis quibus monachi fuerãt, remitti facias.

ITEM Innocentius papa ij.

Post professam continentiã quisquis vxorẽ duxerit, ab ea separetur. 39

VT lex continentiæ, & deo placens munditia in ecclesiasticis personis & sacris ordinibus dilatetur, præcipimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici, monachi atq; conuersi professi, qui sacrum transgredientes propositum, vxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Huiusmodi nanque copulationem quam contra ecclesiasticam regulã constat esse contractã, matrimonũ nõ esse censemus: quia etiã ab inuicẽ separati, pro tantis excessibus cõdignam pœnitentiã agant. Idipsum quoq; de sanctimonialibus fœminis si (quod absit) nubere attentauerint, obseruari decernimus. His omnibus auctoritatibus vouentes prohibentur contrahere matrimonia, & quidam eorum si cõtraxerint, separari iubentur. Augustinus contra talium separationes peccatum esse asserit, ita dicens.

GRATIAN. 2. *pars.*
Aug. ca. 8. li. de bono viduitatis.

Coniugia vouentium non sunt dissoluenda. 40

NVptiarum bonum semper quidem bonum est, quod bonũ semper in populo dei fuit, sed aliquando fuit legis obsequium: nunc est infirmitatis remedium, in quibusdã verò humanitatis solatium. Filiorũ quippe procreationi operã dare, non canino more per vsum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine coniugali, nunc est in homine probãdus affectus: & ipsum tamẽ laudabilius trãscẽdit & vincit cęlestia cogitãs animo Christianus. Sed quoniã (sicut ait dominus) non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat. quæ se nõ cõtinet, nubat, quę nõ cœpit, deliberet. quę egressa est, perseueret. nulla aduersario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In coniugali quippe vinculo si pudicitia non seruatur, dãnatio nõ timetur: sed in virginali, & in viduali cõtinentia, excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa & voto debito oblato: iam non solum capescere nuptias, sed etiam si non nubant, nubere velle damnabile est. Nam vt hoc demonstraret apostolus, ait: Non cùm in deliciis degerint, nubunt

Matth.19.b

1.Timoth.5.b. nubunt in Christo, sed nubere volunt, habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt etsi non nubendo, tamen volendo: non quia ipsæ nuptiæ vel etiam talium damnandę iudicentur, sed damnatur propositi fraus, dānatur voti fracti fides, damnatur non solum susceptio à bono inferiori, sed ruina ex bono superiori. postremo damnantur tales non quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ fidem primam irritam fecerunt. quod vt breuiter insinuaret apostolus, noluit dicere eas habere damnationem, quæ post amplioris propositum sanctitatis nubunt: non quia non damnantur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur. Sed cùm dixisset, nubere volunt: continuo addidit, dānationem habentes: & dixit quare, quoniā priorem fidē irritam fecerūt: vt volūtas quæ à proposito cecidit, appareat esse dam-
Ca.10. eiusdē. nanda, siue subsequātur nuptiæ; siue desint. Proinde qui dicūt talium nuptias nō esse nuptias, sed potius adulteria: nō mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicāt. fallit quippe eos similitudo veritatis. quia enim Christi coniugium dicuntur eligere, quæ Christiana sanctitate nubunt, hinc argumentantur quidam dicētes: Si viro suo viuo quæ alteri nubit,
Matt.10.b. adultera est, sicut dn̄s ipse in euangelio diffiniuit, viuit autem
Rom.6.b. Christus, cui mors vltra nō dominabitur: quæ ergo coniugiū eius elegit, si homini nubat, adultera est. Qui hoc dicunt, acute mouentur quidē, sed parum attendunt hanc argumentationem quāta rerum sequatur absurditas. cùm enim laudabiliter etiam viuente viro, ex eius cōsensu continentiā fœmina Christo voueat, iam secundū istorum rationē nulla hoc facere debebat, ne ipse Christus (quod sentire nefas est) adulterium faciat, cui viuēte viro nubit. Deinde cū primæ nuptiæ melioris sint meriti quàm secundæ, absit vt sanctarum viduarū sit iste sensus, vt Christus eis videatur quasi secundus maritus. ipsum enim habebant etiam antea quādo viris suis fideliter subditæ seruiebant, non carnaliter, sed spiritualiter virum: cui ecclesia ipsa cuius mēbra sunt, coniunx est: quæ fidei, spei & charitatis integritate non solum in virginibus sacris, sed etiā in cōiugatis fidelibus & viduis tota virgo est. vniuersę quippe ecclesiæ,
2.Cor.11.a. cuius oīa mēbra illa sunt, apostolus dicit: Optaui vos vni viro virginē castam exhibere Christo: nouit autē ille virginem cōiugem sine corruptione fœtare, quē in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putāt lapsarum à sancto proposito fœminarum si nupserint nō esse cōiugia, nō paruum malum, vt à maritis separētur vxores quasi adulteræ sint, nō vxores: & cū volunt illas separatas reddere cōtinentiæ, faciunt maritos earū adulteros veros, cùm suis vxoribus viuis alteras ducunt:

cunt: quapropter non possum quidem dicere à proposito meliori lapsas si nupserint fœminas adulteria esse, non coniugia: sed plane non dubitauerim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore quæ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. si enim (quod nullo modo dubitandũ est) ad offensionẽ Christi pertinet cũ mẽbrum eius fidem nõ seruat marito, quãto grauius offenditur ipse deus cũ illi ipsi nõ seruatur fides in eo quod exigit oblatum, quod nõ exegerat offerẽdum. cum enim quisque non reddit quod nõ imperio cõpulsus, sed consilio commonitus vouit: tanto magis fraudati voti auget iniquitatẽ quanto minus habuit vouendi necessitatem. ITEM *Gelasius. Gelas. papa 1. cap. 23. epist. ad episcopos Lucaniæ. & Brut.

De viduis quæ primam fidem irritam fecerunt. 41

DE viduis sub nulla benedictione velãdis superius late sufficienterq; prædiximus. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum intererit quali deum debeãt satisfactione placare: quia iuxta apostolum primã fidem irritam fecerunt. sicut enim si se forsitan continere non poterãt, secundu apostolum nubere nullatenus vetabantur, sic habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiæ fidem debent custodire, nos autem nullum talibus laqueum debemus inijcere, sed solũ adhortiones præmij sempiterni, pœnasque proponere diuini iudicij: vt & nostra sit absoluta cõscientia, & illarum pro se rationẽ deo reddat intentio. Cauendum est quippe quod de earum moribus actibusq; beatus Paulus testatur dicẽs: Quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis nõ tam deterreri quàm admoneri videatur. ITEM Theodorus.

*al. Pelagius. — 1. ad Tim. 5. b. — 1. Cor. 7. b.

De eodem. 42

SI quis votum virginitatis habens. &c. Quod autem vouentes præmissis auctoritatibus iubentur abinuicẽ discedere, quorum vero cõiugia auctoritatibus Augustini & Theodori soluenda non sunt, in capitulo de oratione clericorum euidenter ostenditur. Illud autem Innocentij, quo virgines sacræ publicè nubentes illo viuente cui se coniunxerant, prohibentur admitti ad pœnitentiam: non ita intelligendum est, vt aliquo tempore excludantur à pœnitẽtia, quæ digne pœnitentiã agere voluerint, sed prohibẽtur admitti ad pœnitentiã, quæ ab incesti copula discedere noluerint. post propositum nanq; sacræ religionis non potest deo per pœnitentiam, recõciliari, quę ad habitum suæ professionis redire neglexerit. tunc enim ille cui se iunxerat: ei defunctus erit, cum ab illius illicitis amplexibus hæc penitus recesserit, vt iste sit sensus capituli: Quę Christo spiritualiter nubũt, si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad pœnitentiam censemus, nisi hi quibus se iunxerant, de mundo recesserint, eis subaudiendum est nubentibus. GRATIAN.

tunc enim viri de mundo recedunt, tunc defunguntur, cum ab earum concupiscētia ipsi penitus se alienauerint, sicut mundus ei dicitur mortuus quem suis illecebris non adstringit, & ille perhibetur mortuus esse mundo qui nihil in mūdo concupiscit. hoc autem sic intelligendū esse, ex subsequenti exēplo, idem Innocentius ostendit, dicens: Quæcunque viro viuente alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ locus concedatur, nisi vnus ex his fuerit defunctus. hoc de derelicta intelligendum est, quæ si viuente viro suo alteri nubit, adultera est: nec ad pœnitentiā admittitur, nisi vel primus reuertatur in puluerē, de quo sumptus est: vel secundus ab eius copula cessando ei moriatur, vt dictum est supra. Quia ergo Christus cui spiritualiter nubūt iam nō moritur, mors illi vltra non dominabitur: restat vt ille cui secundo nubunt, eis moriatur. in vtroque autem nisi sic intelligeretur, esse contrarius domino dicenti per prophetam: In quacunq; hora peccator conuersus fuerit &c. & cunctis interpretibus diuinæ legis inueniretur esse aduersus. Probatur illud idem auctoritate illius capituli, quo deuota quæ maritum acceperit, prohibetur ad pœnitentiam admitti, nisi vel vterque continentiam professus fuerit, vel ille cui se iunxerat de hoc mundo decesserit.

Gene. 4. d. *Rom. 6. b.* *Ezec. 33. c.*

QVAESTIO II.

AN LICEAT SPONSAE A SPONSO RECEDERE ET ALTERI NVBERE.

GRATIAN. SEquitur secunda quæstio, qua quæritur, an puellæ alteri desponsatæ possint renunciare priori conditioni & transferre sua vota ad alium?

1 Hic primum videndum est, an coniugium sit inter eos?

2 Secundò, an possint abinuicem discedere?

Eos autem coniuges esse, & ex diffinitione coniugij, & auctoritate multorū facile probatur. Sunt enim nuptiæ siue matrimonium, viri mulieris que cōiunctio indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Inter hos autem fuit coniunctio quæ indiuiduam vitæ consuetudinē exigebat. fuit enim inter eos cōsensus, qui est efficiens causa matrimonij: iuxta illud Isidori: Consensus facit matrimonium. Item Ioannes Chrysostomus super Matthæum. 2

Hom. 26. in Matth.

MAtrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas: & ideo non soluit illud separatio corporis, sed voluntatis: ideo qui dimittit coniugem suam, & aliam nō accepit, adhuc est maritus. nam etsi corpore separatus est, tamē adhuc voluntate coniunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc eam plene dimittit. non ergo qui dimittit, mœchatur, sed qui alteram ducit. ITEM Nicolaus papa.[a]

a Temaro episcopo apud Iuoné. Contius. Ex mag. Iuo. p. 8

Suf-

SVfficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorũ [a quarumq; cõsensu &] cõiunctionibus agitur, qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.

a Inclusa desunt

GRATIAN.

Cùm ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus matrimonium facit, patet hos coniuges fuisse. Sed quæritur, quis consensus facit matrimoniũ, an consensus cohabitationis, an carnalis copulæ, an vterq;? Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore matrimoniũ potest contrahere. Si carnalis copulæ, inter Mariam & Ioseph non fuit coniugium. vouerat enim Maria se virginẽ perseueraturã: vnde ait angelo: Quomodo fiet istud, quoniam virum nõ cognosco, id est, me non cognituram proposui? Neq; enim quia tunc virum non cognoscebat: necesse erat inquiri quomodo posset filium habere: sed quia nunquam se cognituram proposuerat. Si ergo cõtra suum propositum postea consensit in carnalem copulã, rea facta est voti virginalis mente etsi nõ corpore violati, quod de ea sentire nefas est: sed sicut Augustinus ait: 4

Luc. 1. d.

BEata Maria proposuit se seruaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum virginitatis non expressit ore. subiecit se diuinæ dispositioni dum proposuit se perseueraturam virginem, nisi deus aliter ei reuelaret, committens ergo virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo. postea vero cum filiũ genuit, quod corde conceperat, simul cum viro labijs expressit & vterq; in virginitate permansit.

GRATIA.

Consensus ergo cohabitandi, & indiuiduam vitæ consuetudinem retinendi interueniens, eos coniuges fecit. Indiuidua verò vitæ consuetudo est talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est: & ecõuerso. Ad indiuiduam vitæ itaq; consuetudinem pertinet absq; legitimi consensu viri, & orationi etiam aliquando non posse vacare, nec continentiã profiteri. Quia ergo iste consensus fuit inter eos, patet eos coniuges fuisse. Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Hom. 16. in Matth.

Palea. 5

hæc palea non extat in meo manuscript. Gratiano.

OMnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Matrimoniũ enim nõ facit coitus, sed voluntas: & ideo non soluit illud separatio corporis, sed voluntatis: ideo qui dimittit coniugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est. nam etsi corpore iam separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est.

GRATIAN.

Cum ergo qui vnam dimittit, & aliam accipit, tunc plene eam dimittit: non ergo qui dimittit, mœchatur: sed qui alteram ducit. ITEM auctoritate probantur esse coniuges. Ait enim Ambrosius in libro de virginibus.

Lib. de institutione virginis. cap. 5. & sexto.

Con-

Coniugalis pactio, non virginitatis defloratio coniugium facit. 6

CVm initiatur coniugium, coniugij nomen nanciscitur. nam defloratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniugalis, deniq; cum mulier coniungitur viro, coniugium est, non cum viri admixtione cognoscitur.

In fine lib. 9.

ITEM Isidorus etymologiarum lib. ix. cap. vij.

A prima fide desponsationis coniuges verius appellantur. 7

COniuges verius appellantur à prima desponsationis fide: quamuis adhuc ignoretur inter eos cōiugalis concubitus.

ITEM ex concilio Africano.

a Hæ paleæ non extabant in textu mei Gratiani sed à librarijs ad marginē addita est hæc palea. Quicunque. in vno manuscr. in alio verò minime est addita.

[a *Palea.*

QVòd conditio interposita non valeat, ex concilio Africano probatur. ITEM.

De eodem. *Palea.*] 8

QVicunque sub conditionis nomine aliquam desponsauerit, & eam postea relinquere voluerit, dicimus quòd conditio frangatur, & desponsatio irrefragabiliter teneatur.

August. cap. 11. lib. 1. de nuptijs & cōcupiscētia.

ITEM Augustinus de bono coniugali.

De eodem. 9

COniunx vocatur à prima despōsationis fide, quam concubitu nō agnouerat Ioseph, nec fuerat cogniturus: nec peierarat, nec mēdax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat carnalis vlla commixtio. propter quod fidele coniugium ambo parentes Christi vocari meruerūt, non solum illa mater, verumetiam ille pater eius, sicut & coniunx matris eius fuit: vtrunque mente, non carne.

Idem Augu. in eodē lib. & cap.

b Vide August. lib. 9. in Genes. *4. Sent. dist. 31.*

ITEM in eodem.

Triplex bonum coniugij fuit in parentibus Christi. 10

OMne[b] itaque nuptiarum bonum impletum est in ipsis parentibus Christi, proles, fides, sacramētū. prolē cognoscimus ipsum dominum. fidem, quia nullum adulterium. sacramentum, quia nullum diuortium. solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non potest sine pudenda concupiscētia carnis, quæ accidit ex peccato, sine quo vere concipi voluit qui futurus erat sine peccato. Itē[c] in Deutero. præcipit dominus Moysi dicens: Si quis sponsam alterius in agro oppresserit, morte moriatur, quia vxorē alterius violauit. Item in legibus principum sponsa iubetur lugere mortem sponsi tanquam viri sui. ITEM in canonibus[d] inuenitur.

c al. Leuitico *Deut. 22. d.*

d contra l. 9. ff. de his qui not. infa. itaque videat Gratianus quomodo id probet.

Frater sponsam fratris post eius mortem ducere non potest. 11

1 SI quis desponsauerit sibi aliquam: & præueniēte mortis articulo eam cognoscere non potuerit. frater eius non potest eam ducere in vxorem.

GRATIA.

ITEM Gregorius Mauricio imperatori ob quendam comitem, qui nepotis sui mortui desponsatam duxit vxorē. 12.

Qui

QVi desponsatam puellam proximi sui acceperit in coniugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei: quia secundum legem dei mori decernitur. Nam diuinæ legis est mos sponsas appellare coniuges, vnde in euangelio dicitur: Leui. 20. b. Accipe Mariam coniugem tuam. & illud in Deuteronomio: Matth. 2. d. Si quis cuilibet hominis desponsatam puellam in agro vel in Deut. 22. d. quolibet loco oppresserit, vel abduxerit in domũ suam, moriatur: quia vxorem proximi sui violauit: non quæ iam vxor erat, sed quæ à parentibus vxor fieri debebat. Et infra. Sicut nulli Christiano licet de sua cõsanguinitate vel quã cognatus suus habuit, in matrimonium assumere: ita & de consanguinitate vxoris suæ. ITEM Hieronymus.

Vxore mortua licet viro aliam ducere: sed non repudiatam vel desponsatam. 13

2 ADditur aliud quartum coniugium legitimum: dum mortua fuerit vxor cuiuslibet, licet illi accipere aliam: sed non repudiatam nec desponsatam viro, sed liberam. Similiter debet & mulier. Vnde & Paulus ait. Mulier quæ sub viro est: ligata est sub lege viri quandiu viuit vir eius. Viro igitur viuẽte Rom. 7. a. vocatur adultera, si iuncta fuerit alij viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: ita vt non sit adultera si coniuncta fuerit cum altero viro. ITEM Gregorius.

Post mortem alicuius nullus de eius consanguinitate sponsam accipiat. 14

SI quis vxorem desponsauerit, vel eam subarrauerit: quanquam postmodum præueniente die mortis eius nequiuerit eam ducere in vxorem: tamen nulli de cõsanguinitate eius licet accipere eam in coniugio. quod si inuentũ fuerit factum, separetur omnino. ITEM Iulianus papa.

De eodem. 15

3 SI quis desponsauerit vxorem vel subarrauerit, & siue præueniẽte die mortis, siue irruẽtibus alijs causis minime eã cognouerit: neq; eius superstes frater, neq; vllus de consanguinitate eius eandẽ sibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore.

„ His omnibus auctoritatibus probantur isti esse coniuges. GRATIAN.
„ Sed August. testatur contra dicens. 2. pars.

Non est inter eos matrimonium, quos non copulat commixtio sexus. 16 Leo papa. 1.

NOn est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse. epist 90. ad Rusticum cap. 4. id habet.

ITEM Leo papa.

Illa mulier non pertinet ad matrimonium, cum qua non celebratur nuptiale ministerium. 17 Idem Leo in eadem epist.

CVm societas nuptiarum ita à principio sit instituta, vt præter commixtionem sexuum [non] habeãt[a] in se nuptiæ cõiunctionis Christi & ecclesiæ sacramẽtum: non dubium est illam

a haberẽt etiam. Ex mag. suo p. S negatio hic perperã adiecta est.

lam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium.

Benedictus seruus seruorum dei. N. salutem. &c.

Palea. 18

LEx diuinæ constitutionis apostolicã cathedram totius posuit orbis terrarum magistram: vt quicquid vbique locorũ dubitatur, ab ea ratio eiusdem requiratur. affatus est autẽ nos suis literis eiusdem cathedræ possessorem, ac percunctatus est quidam vestras nomine Ioannes pro cõnubio filiæ suæ superstitis cuius soror defuncta cuidã iuueni Stephano nomine simplicibus verbi fuerat desponsata: & antequam ad nuptias peruenitet, morte præuenta: vtrũ scilicet cum eodẽ iuuene possit matrimonium celebrari superstitis filiæ, nec ne. nanq; testatus est huius rei rationem apud vos haberi ambiguam. quam deo docente reddimus his verbis certissimã: protoplastus ille radix & origo nostra detractã sibi costã in mulierẽ videns formatã, prophetico spiritu inter alia protulit: Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. quibus verbis innotuit nõ aliter virũ & mulierẽ posse fieri vnã carnẽ, nisi carnali copula sibi cohęreant. qui ergo nequaquã mixtus est extraneæ mulieri fœdere nuptiali: quo pacto per nuda sponsionis verba possunt vna caro fieri, nullaten⁹ valemus intueri. Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, nõ verbis efficitur. sed neq; osculũ parit propinquitatẽ quod nullã facit sanguinis commixtionẽ. quoniã vero ita prorsus sese habet res Ioãnis istius, vt velit secundã filiã nuptijs copulare cui primã iam decreuerat desponsare: censura apostolici magistratus mandamus hoc absq; vllius criminis vitio posse fieri, si vtriusq; partis sederit volũtati. nã cur prohibeatur quod prohibendũ nunquã sancta scriptura declarat. Sed neq; mundanæ leges connumeratis personis quę inter se nuptias nõ con trahunt, de huiusmodi aliquid dicunt. ne ergo abnegetis quod negandũ nulla ratione decreuimus. Item apostolus præcepit, vt vxor reddat debitũ viro, & vir vxori: nisi forte ex consensu ad tempus, vt expeditius vacent orationi. vnde datur intelligi ꝙ sine cõsensu alterius nõ licet alteri vacare orationi. Itẽ propositũ melioris vitæ vir sumere nõ potest sine consensu vxoris, & econuerso. VNDE Greg. scribit Tentitiæ patriciæ.

Gene. 2. · *1. Cor. 7. a* · *Epist. 39. lib. 9. ad Theotistam.* · Ex mag. Iuo. p. 8

Causa religionis coniugia solui non debent. 19

SVnt qui dicunt religionis gratia coniugia debere dissolui: verum sciẽdum est. si hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit per se enim veritas dicit: Quos deus coniunxit, homo non separet; qui etiam ait: Non licet dimittere vxorem excepta causa fornicationis. quis ergo huius latori legis cõtradicat? scimus quia scriptũ est: Erunt duo in carne vna. Si ergo

Matth. 19. a. · *Gene. 2. d.*

ergo vir & vxor vna caro sunt: & religionis causa dimittit vir vxorem, vel mulier virũ in hoc mundo remanentẽ, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantẽ: quæ est ista conuersio, in qua vna & eadem caro ex parte transit ad continentiã, & ex parte manet in pollutione? Si vero vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare: cum certum est quòd omnipotens deus qui minora cõcessit, maiora nõ prohibuit? duobus enim modis sancti viri etiam à licitis abstinere solent: aliquando vt merita apud deum omnipotentem sibi augeant, aliquando vt anteactæ vitę culpas detegãt. proinde cum boni coniuges aut meritum augere desiderãt, aut anteactæ vitæ culpas delere: vt adstringant se, & meliorẽ vitã appetant, licet. sic enim multos sanctorũ nouimus cum suis coniugibus & prius cõtinentem vitam duxisse, & postmodum ad sanctæ ecclesiæ
2 regimina migrasse: si vero continentiã quam vir appetit, mulier non sequitur: aut quam mulier appetit, vir recusat: diuidi cõiugium nõ potest: quia scriptũ est: Mulier potestatẽ sui corporis non habet, sed vir: similiter & vir potestatẽ sui corporis non habet, sed mulier. IDEM Leoni episcopo Cathanensi. 1. Cor. 7. 4. Grego. epist. 34. lib. 3.

Absque viri consensu monasterio mulier deputata, ad eius consortium non prohibetur redire. 20

MVltorum relatione comperimus hanc apud vos olim cõsuetudinem fuisse, vt subdiaconi suis licitè miscerentur cõiugibus. quod ne denuo quisquã pręsumeret, à seruo dei sedis nostræ diacono ex auctoritate nostri decessoris isto modo est prohibitum, vt eodem tempore hi qui iam vxoribus fuerãt copulati vnum ex duobus eligerent, id est, aut certè ministrare nulla ratione pręsumerẽt aut à suis vxoribus abstinerẽt: & quãtum dicitur, speciosus tũc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio: & vsq; in obitus sui tẽpus notarij quidẽ gessit officiũ: & à ministerio quod subdiaconũ oportuerat exhibere, cessauit. post cuius obitũ quia relicta eius Honorata est marito sociata. à tua fraternitate in monasterio cognouimus esse destinatã. Ideoq; si (vt fertur) eius se maritus ab administratione suspẽdit, ante dictę mulieri nõ debet officere, ꝙ ad secũda cõiugij vota migrauit: præsertim si nõ tali mẽte subdiacono iũcta est, vt à carnalibus voluptatibus abstineret.

Si ergo ita se veritatem quemadmodũ edocti sumus, habere cognoscis: prædictã te mulierem de monasterio per omnia conuenit relaxare, vt ad suum maritum sine aliqua possit formidine remeare. ITEM Hadriano Panormitano notario. Greg epist. 44. lib. 6.

Ad vxorem redire cogatur, qui sine eius consensu religiosam vestem suscepit. 21 Ex mag. Iuo p. 8

AGathosa latrix præsentium questa est virum suum contra voluntatem suã in monasterio Vrbici Abbatis esse conuersum,

uersum, quapropter experientiæ tuæ præcipimus vt diligenti inquisitione discutiat, ne fortè eius voluntate cōuersus sit, vel ipsa se mutare promiserit: & si hoc repererit: & illum in monasterio permanere prouideat, & hanc (sicut promisit) mutare compellat. Si verò nihil horum est: nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet dimittere vxorem) prædictam mulierem commisisse cognoueris: ne illius conuersio vxori relictę in seculo fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritum suum illi etiam si iam tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante: quia etsi mundana lex præcipit cōuersionis gratia vtrolibet inuito posse solui coniugium: diuina tamen lex fieri non permittit. Nam nisi fornicationis causa vir vxorem dimittere nulla ratione conceditur: quia postquam copulatione coniugij viri atq; mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte manere in seculo. ITEM ex viij. synodo.

Sine consensu vxoris religionis propositum vir sumere non potest. 22

SI quis coniugatus vult conuerti ad monasterium, nō est recipiendus nisi prius à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. nam si illo viuente illa per incontinentiam alteri nupserit, proculdubio adultera erit: nec recipietur apud deum eius viri conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio. tales igitur coniuges tunc sine culpa sequuntur Christum derelicto seculo, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum. ITEM ex synodo Eugenij papæ.[a]

a addit Iuo tempore Ludouici & Lotharij Augustorum.

Ex mag. Iuo. par. 8.

Iuo lib. 6. de cōiugio illorum.

Sine conscientia episcopi viro & vxori causa religionis diuertere non licet. 23

SI vir & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine episcopi conscientia fiat: vt ab eo singulariter prouiso constituantur loco. nam vxore nolente aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium nō soluitur.

Iuo ibidē refert.

ITEM Aug. de adulterinis coniugiis.

Sine vxoris voluntate viro continere non licet. 24

SI tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Greg epist. 49. seu. cap. 154. lib. 5.

ITEM Grego. Vrbico abbati.

Vir non est suscipiendus in monasterium, nisi vxor conuertatur. 25

QVia Agatho lator præsentium in monasterium dilectionis tuæ cōuerti desiderat: hortamur vt cum omni eum dulcedine dilectioneque suscipias: quem tamen ita suscipiendum esse cognosce, si vxor illius similiter conuerti voluerit. Nam dum vnum vtrorumque corpus coniugij sit factum copulatione: incongruum est partem conuerti, & partem in seculo remanere. ITEM Nicolaus papa.[b]

b Karolo regi. sic in mag. Iuo. de.

Continen-

Continentiæ vota non licet vxori suscipere, nisi eandem vitam vir eius elegerit. 26

SCripsit nobis Theberga regina se regia dignitate vel maritali copula velle exui, & [a]sola vita priuata esse contentã desiderare: cui nos scripsimus non aliter hoc fieri posse, nisi eandem vitam coniunx eius Lotharius elegerit. nam licet sit scriptum: Quos deus coniunxit, homo non separet: deus tamen & non homo separat, quando diuini amoris intuitu ex consensu vtriusque coniugis matrimonia dissoluuntur. aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus. *Ivo lib. 6. ex eodem refert.* *a al. solam.* *Genes. 2. d* *Matth. 19. a*

GRATIA. Ecce quòd coniugati sine licentia alterutrius continentiam profiteri non possunt. sponsi verò etiam inconsultis quas sibi desponsauerunt, exemplis & auctoritatibus probantur continentiam posse seruare. Vt enim refert beatus Hieron. Macarius præcipuus inter Christi eremitas celebrato nuptiarum cõuiuio cùm vespere thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens transmarina petijt, & eremi solitudinem sibi elegit. Itẽ beatus Alexius Epiphanij clarissimi filius similiter ex nuptijs diuina gratia vocatus sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. Horum exemplo patet quòd sponsi sponsarum non exquisito suarum consensu continentiam valent profiteri. Probatur idem auctoritate Eusebij papæ dicentis.

Desponsata puella non prohibetur monasterium eligere. 27

DEsponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere: licet tamen illi monasterium sibi eligere.

ITEM Gregorius in regesto. *Epist. 20. lib. 6. ad Fortunatum episcopum.*

Desponsata impunè monasterium potest eligere. 28

DEcreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo modo censuerunt damno mulctari. *1. Corint. 7. a*

GRATIAN. Cùm ergo coniugatorum continentia nisi ex amborum cõsensu deo offerri non valeat, cùm vir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier: sponsæ autem monasterium possunt eligere, & sponsi non exquisito consensu sponsarum propositum melioris vitæ assumere valeant: patet quòd inter spõsum & sponsam coniugium non est. Item cùm secundum Augustinum, illa mulier non pertineat ad matrimonium cum qua docetur nõ fuisse commixtio sexus. Item cùm secũdum Leonem illa non pertineat ad matrimonium, cum qua non docetur fuisse nuptiale ministerium: apparet quòd inter sponsum & sponsam coniugium non est. Item Nicolaus papa præcepit de his qui ab aduersarijs excæcantur, & membris detruncantur: vt ob hanc infirmitatem coniugia talium non soluantur. De his autem qui causa frigiditatis vxoribus debitum reddere non possunt, statuit Gregorius papa, vt vterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquijs iureiu-

iurando dicat, quòd nunquam per commixtionem carnis con iuncti vna caro effecti fuissent, tunc mulier secundas nuptias poterit contrahere: vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine spe coniugij.

Iuo refert lib. 6. de impotentia.

VNDE idem scribit Venerio Carolitano episc. ita dicens.

Si mulier probauerit quòd à viro suo nunquam cognita fuerit, separetur. 29

QVòd autem interrogasti me de his qui matrimonio coniuncti sunt, & nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium possit accipere: de his ita scriptum est. Vir & mulier si se coniunxerint, & postea dixerit mulier de viro quòd non possit coire cum ea: si potest per verum indicium probare quòd verum sit, accipiat alium.

GRATIAN. Ecce impossibilitas coeundi si post carnalem copulã inuenta fuerit in aliquo, non soluit coniugium. si verò ante carnalẽ copulam deprehẽsa fuerit, liberum facit mulieri alium virum accipere. vnde apparet illos non fuisse coniuges: alioquin non liceret eis abinuicem discedere excepta causa fornicationis: & sic discedentes oportet manere innuptos: aut sibiinuicem reconciliari. Item si sponsa cõiunx esset, mortuo sponso remaneret vidua. si autem vidua esset, vir eius ad sacros ordines conscendere non posset. maritus enim viduæ æquè sicut & digamus sacerdos fieri prohibetur. Ex huius autem copula nullus prohibetur à sacris ordinibus. vt enim ait Gelasius papa, nihil est (quantum ad hunc articulum attinet) quod ei obuiet de canonicis institutis. Apparet ergo hos non fuisse coniuges. Itẽ si coniuges essent, discessio ab inuicem esset diuortium. sed horum separationem negat Ambrosius esse diuortium: dicẽs de beata Maria, quam sibi Ioseph despõsauerat, & in suam duxerat: Ioseph nunquam cognouit eam. nam si vir iustus eam cognouisset, nunquam à se discedere passus esset: nec dominus qui vxorem præceperat à viro non recedere nisi causa fornicationis: commendans eam discipulo auctor diuortij fuisset, ecce commendatio Mariæ Ioanni, & detractio Ioseph negatur fuisse diuortium: quia Ioseph non cognouerat eam. vnde apparet eos non fuisse coniuges. Si autem beata Maria quã sibi Ioseph desponsauit, & in suam duxerat, coniunx negatur fuisse: multo minus ista quæ simpliciter sponsa erat, coniunx est appellanda. ITEM ex concilio Aurelianensi.

Ambr. ad cap. 23. Luca.

Sororem vxoris polluens, neutram valet habere. 30

QVi dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis antea vxor fuerat: neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adultero vnquam in coniugio copuletur, id est, nec propriæ vxori sibi licet reddere debitum: quam sibi reddidit illicitam sororem eius cognoscendo: nec etiam post mortem vxoris licet ei adul

teræ vel alicui copulati in coniugium.

De sponsa verò econtra legitur in concilio Triburiensi. Cap.41.

De eo qui dormiuit cum sponsa fratris sui. 31

QVidam desponsauit vxorem, & dotauit eam, & cum ea coire non potuit: quam clanculo frater eius corrupit, & grauidam eam reddidit. decretum est, vt quanuis nupta esse non potuit legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit: sed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam sustineant: licita verò coniugia eis non negentur.

ITEM ex eodem.

Si quis sponsam filij sui oppresserit, simul cum ea sine spe coniugij maneat. 32

SI quis sponsam filij sui oppresserit, & postea filius eius eam duxerit: pater postmodum non habeat vxorem, nec mulier virum. filius qui patris facinus ignorauit, aliam accipiat. Si illa quam vir sororis suæ cognouerit, perpetuo copulari prohibetur: hic verò qui sponsam fratris sui corruperat, peracta pœnitẽtia, matrimonium contrahere permittitur: apparet hanc non fuisse coniugem fratris eius. Item mulier causa fornicationis à viro suo dimissa, aut ei reconciliabitur, aut eo viuente innupta manebit. De spōsa verò econtra inuenitur in primo libro Capituiarij[a], in quo sic legitur. a Capitulariū.

Si sponsus raptam recipere noluerit, liceat sibi alij nubere. 33

RAptor pœnitentia publica mulctetur. raptam verò si sponsus accipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit: licentia nubendi alij non negetur.

ITEM ex concilio Toletano.

De eodem. 34

STatutum est à sacro conuentu vt si quis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & sine spe cōiugij maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit: licentia nubendi alij non negetur. Quòd si post hæc coniungere se præsumpserint, vterque vsque ad satisfactionem anathematizetur.

Apparet ergo hanc non fuisse coniugem, cui viuente sponso alteri nubendi licentia non negatur. Quomodo ergo secundum Ambrosium & reliquos patres sponsi coniuges appellantur, & his omnibus argumẽtis coniuges non esse probantur? Sed sciendum est, quòd coniugium desponsatione initiatur, commixtione perficitur. vnde inter sponsum & sponsam coniugium est, sed initiatum: inter copulatos est coniugium ratum. VNDE Ambrosius. GRATIA. 3 pars. Cap.6.lib.de institut. virgin.

In desponsatione coniugium initiatur. 35

CVm initiatur coniugium, coniugij nomen asciscitur: non cùm puella viri admixtione cognoscitur.

GRATIAN. Ecce quòd in desponsatione coniugium initiatur, non perficitur.

ITEM Ambrosius in libro primo de patriarchis.

Coniunctorum commixtio, matrimonium perficit. 36

IN omni matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat & perficit coniunctorum commixtio corporalis. ITEM Hieron. super Abdiam prophetam.

Ad cap. 4. Oseæ.

Matrimoniũ sponsali coniunctione initiatur, commixtione perficitur. 37

QVapropter in filiabus vestris fornicabuntur, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Notandum est quòd in filiabus dicit fornicationem futuram, & in coniugibus adulteria: quæ sponsali coniunctione initiantur, & commixtione corporum perficiuntur. ITEM Ambrosius ad Paternum.

Epist. 66.

Cùm desponsata fuerit tradita, & in vsum deducta, rite coniunx appellatur. 38

Ex mag. Iuone p. 8.

SI quis desponsata sibi & tradita vtatur, rite coniugium vocatur. Quare autem post nuptialia pacta non statim tradantur sponsæ, Augustinus in libro [a] quarto confessionum ostendit, dicens.

a Immò lib. 8. confess. cap. 3.

Quare sponsæ post pactum non statim tradantur. 39

Iuo refert lib. 6. de nuptijs & matr.

INstitutum est vt sponsæ iam pactæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam *suspirauerit sponsus dilatam.

Ex mag. Iuon.

non suspirauit.

GRATIAN. Iuxta hanc distinctionem intelligenda est illa auctoritas Augustini: Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium cum qua docetur non fuisse commixtio sexus. Ad matrimonium perfectum subintelligendum est, tale videlicet quod habeat in se Christi & ecclesiæ sacramentum, ita & illud Leonis papæ intelligendum est. Sed obiicitur illud Augustini inter Mariam & Ioseph fuit perfectum coniugium. Sed perfectum intelligitur non ex officio, sed ex his quæ comitantur officium coniugij: ex fide videlicet, prole, & sacramento: quæ omnia inter Christi parentes fuisse, auctoritate Augustini probantur. Cuncta ergo quæ de non separando cõiugio inducta sunt, de perfecto intelligantur, quod sponsali cõiunctione est initiatum, & officio corporalis cõmixtionis est consummatum. Illa verò in quibus separabile coniugiũ ostenditur, similiter de initiato intelliguntur, quod nondum officio sui perfectum est. Potest & aliter distingui. Sponsæ appellantur coniuges consuetudine scripturæ spe futurorum, non effectu præsentium. Vnde Ambrosius cùm dixisset: Cùm initiatur coniugium: non addidit, tunc res vel effectus, sed tunc nomen coniugij adsciscitur: ostendens tales coniugij nomen habere, non rem vel effectum. Item Augustinus cùm de parentibus domini loqueretur, ait: Coniuges fuerunt mente, & non carne,

carne, sicut & parentes. Ex quo datur intelligi quòd sicut Ioseph pater domini dictus est non effectu genituræ, sed officio & cura prouidendi: sic & cõiunx mater eius appellatur non cõiugij effectu, sed subministratione necessariorum, & indiuiduę mentis affectu. Hinc Augustinus ait: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniugem nominauit, quia futura erat vxor. Hinc & Beda super Leuiticum: Si quis sponsam alterius violauerit, &c. Sponsam vxorem dixit, non quæ tunc erat, sed quæ futura erat vxor. Hinc etiam Hieronymus super Matthæum in euangelio, Cùm esset desponsata.

Matth. 1. e

Ad locum, Virũ Mariæ. cap. 1. Matthæi.

Consuetudine scripturæ sponsæ coniuges, & sponsi viri appellantur. 40

GEnuit Ioseph virum Mariæ. Cùm virum audieris, tibi non subeat suspicio nuptiarum: sed recordare consuetudinis scripturarum, quòd spõsi viri, & sponsæ vocentur vxores. & infrà: Non ab alio inuenta est nisi à Ioseph: qui penè licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat. & infrà: Ioseph fili Dauid, & cætera.

GRATIA.

,, Iam (vt suprà diximus) sponsas vxores appellari constat, ,, quod plenius liber aduersus Heluidium docet.

ITEM super Genesim libro quarto.

Hiero. in quæst. super Genesim tom. 3.

De eodem. 41

EGressus itaque Loth, locutus ad generos suos, & qui accepturi erant filias suas. In sequentibus filiæ Loth virgines fuisse dicũtur. Et ipse ad Sodomitas dixit. Ecce duæ filiæ meæ, quæ non cognouerũt virum, &c. Nunc autem dicitur habuisse generos. sed quidam arbitrantur eas quæ viros habuerunt, in Sodomis periјsse: & quæ virgines erant, cum patre exijsse. sed Hebraica veritas habet: Egressus Loth, locutus est ad sponsos suos. quod quidem magis verum esse videtur ex hoc quod sequitur: Qui accepturi erant filias suas. vnde datur intelligi quòd scriptura sponsos generos vocat.

Genes. 19. e

ITEM Ioannes os aureum in eodem euangelio.

Chrys homil. 4. ad cap. 1. Matt.

Maria coniunx dicitur more scripturæ, cùm simpliciter sponsa esset. 42

PRiusquam conuenirent. Non dixit, priusquam in spõsi adduceretur domum. Hunc enim morem seruabat antiquitas, vt sponsæ in sponsorum domibus haberẽtur. Vt autem generi Loth apud socerum leguntur habitare cum sponsis nondum sibi copulatis lege coniugij: sic & Maria habitabat cum sponso. & infrà: Neque enim eam voluit de domo expellere, sed dimittere. & infrà: Noli timere accipere Mariam coniugẽ tuam. Quo sermone sponsam similiter indicauit: sicut etiam eos qui adhuc sponsi sunt, generos appellare scriptura consueuit. Quid enim est accipere, nisi domi profectò retinere? Iam enim illam mente dimiserat. & infrà. Sicut enim postea illam commendauit Christus ipsi discipulo, sic & nunc angelus copulat

Genes. 19.

Matth. 1. a

pulat ſponſo, non in fœdus ſolenne coniugij, ſed in conſortiũ

Chryſ. homil. 5. ad cap. 1. Matt. communis habitaculi. IDEM in eodem, homil. ij.

Dominus non cõmendaſſet matrẽ diſcipulo, ſi eam Ioſeph cognouiſſet. 43

SI enim cognouiſſet eam, & loco habuiſſet vxoris: quomodo illam dominus quaſi abſque ſolatio, & nihil penitus habentem diſcipulo commendaſſet, iubens illi vt eam reciperet in ſuam? ITEM Origenes in eodem.

Homil. 1. euang.

Maria vxor Ioſeph appellatur, quia ſic ab eo putabatur futura. 44

INuenta eſt habens in vtero. A beato Ioſeph, qui licet eã nõ contingeret, futuræ tamen (vt putabatur) vxoris omnia nouerat. & infrà. Si tibi vxor nominatur, etſi in deſponſatione vxor tibi eſſe dicitur: non tamen tibi vxor eſt, ſed dei vnigeniti mater eſt æterna. & infrà. Dico coniugem propterea, vt diabolo virginitatem eius occultem, vt legis inſtituta non deſtruam. In ſequentibus demonſtrabo quòd nec iſta tua coniunx ſecundum conſuetudinem coniugij habeatur: nec iſte qui etiam generatur, tuus filius eſſe credatur.

Homil. 26. euangeliorum. ITEM Gregorius in expoſitione euangelij.

Ad nuptias Mariæ Ioſeph non peruenit. 45

Ioan. 20. f SIc quippe diſcipulum poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit, tamen nec in dubitatione deſeruit: ſicut ante natiuitatem ſuam habere Mariam ſponſam voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus eſt diſcipulus dubitans & palpans, teſtis veræ reſurrectionis, ſicut ſponſus fuerat & matris cuſtos integerrimæ virginitatis.

GRATIA. Ex his omnibus auctoritatibus apparet ſponſas coniuges appellari ſpe futurorum, non re præſentium. Quomodo ergo coniuges à prima fide deſponſationis appellantur, ſi iſta quæ aſſeritur ſponſa, coniunx eſſe negatur? Sed à prima fide deſponſationis coniunx dicitur appellari: non quòd in ipſa deſponſatione fiat coniunx: ſed quia ex fide quam ex deſponſatione ſibi inuicem debent, poſtea efficiuntur coniuges: ſicut per fidem dicuntur remitti peccata, non quòd ante baptiſma per fidem remittantur, ſed quia fides eſt cauſa quare in baptiſmate à peccatis emundamur. Illud autem Ioannis Chryſoſtomi: Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas. Item illud Ambroſij: Non defloratio virginitatis, ſed pactio coniugalis matrimonium facit, ita intelligendum eſt: coitus ſine voluntate contrahendi matrimonium, & defloratio virginitatis ſine pactione coniugali matrimonium non facit: ſed præcedens voluntas contrahendi matrimonium & coniugalis pactio facit vt mulier in defloratione ſuæ virginitatis vel in coitu dicatur nubere viro, vel nuptias celebrare. Item Syricius papa diſceſſionem ſponſæ à ſponſo vocat coniugalem ſeparationem: Sed talis diſceſſio dicitur violatio coniugij non iam exiſtentis, ſed futuri

tuti, vt ex ipsa desponsatione sperabatur. sic & diabolus dicitur cecidisse à beatitudine non solum quam tunc habebat: sed ettiam ad quam habendam creatus erat. Sic qui merito suæ vitæ vel scientiæ in sacerdotem vel episcopum eligitur: si interim electionem suam cassari meruerit, dicitur amittere sacerdotalem vel episcopalem vnctionem, non quam iam acceperat, sed ad quam accipiendam electus erat. Non ergo illa auctoritate sponsa coniunx potest probari. Sed concedatur quòd sponsa non sit coniunx, tamen quæritur vtrum liceat ei renunciare priori conditioni? Hoc autem prohibetur auctoritate Ancyritani concilij, in quo statutum sic legitur. Cap. II.

Puellæ desponsatæ prioribus reddendæ sunt, si eis raptæ fuerint. 46

DEsponsatas puellas, & pòst ab alijs raptas, placuit erui, & reddi eis quibus antè fuerant desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illata constiterit.

ITEM Ioannes Chrysostomus Rostanno archiepiscopo.

Communione priuetur sponsa nisi raptorem deserere, & ad sponsum suum redire voluerit. 47

ATho præsentium lator dum in nostro seruitio fideliter excubaret, quendam virum fœminam sibi desponsatam conqueritur rapuisse: & ideo fraternitas tua nostra auctoritate suffulta, suffraganeos suos episcopos præsentialiter conuocet: & sic vnanimi sententia si sponsam huic raptor non reddiderit, tam idem, quàm rapta si ad pristinum suum sponsum remeare noluerit, omni communione priuentur.

Sed aliud est priori conditioni renunciare, & de nuptijs cum alio agere: aliud est rapi, hoc est, illicitè constuprari. GRATIAN. 4. pars.

VNDE Isidorus Etymologiarum libro quinto, cap. xxiij. ait. Cap. 26.

Quid sit raptus. 48

RAptus est illicitus coitus, à corrumpendo dictus. Vnde qui raptu potitur, stupro fruitur. Hæc autem non ab alio rapta, sed alij desponsata monstratur.

RAPTAM verò talem dici prohibet Gelasius papa dicens.

Ibi raptus admittitur, vbi puella abducitur, de cuius antè nuptiis nihil actum probatur. 49

LEx illa præteritorum principum ibi raptum dicit esse cōmissum, vbi puella de cuius antè nuptijs nihil actum fuerat, videbatur abducta.

Quòd autem in fine capituli subiungitur: Etiam si eis à raptoribus vis illata constiterit: ideo additum est, quia raptarum aliæ se rapiendas exponunt, aliæ violenter abducuntur. Quolibet ergo modo rapiantur, priori reddendæ sunt. Hæc autem GRATIAN. 5. pars.

autem (vt suprà dictum est) non inter raptas, sed inter alias desponsatas connumeratur: & ideo non est huic auferenda, & priori reddenda.

GRATIAN. Sequuntur aliæ auctoritates, quibus ista prohibetur nubere secundò, & iubetur redire ad priora vota. Ait enim Syricius papa Hymerio episcopo Terraconensi.

Epist. 1. cap. 4.

Puellam alij desponsatam alter accipere non valet. 50

DE coniugali violatione[a] requisisti, si puellam alteri desponsatam alter in matrimonium posset accipere. Tale ergo connubium anathematizamus, & modis omnibus ne fiat prohibemus: quia illa benedictio quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est si vlla transgressione violetur.

a In conciliis manusc. scriptū reperi, De coniugali velatione.

GRATIAN. Sed auctoritate hac Syricij illa prohibetur ad secunda vota transire, quæ in propria domo est ducta, & cum sponso suo est velata & benedicta. Talium discessione violatur benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit. verùm hanc necdum sponsus in suam duxerat, nec cum ea benedictionem acceperat. Non ergo hac auctoritate huiusmodi copula prohibetur. Itē illud Eusebij papæ: Desponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere: similiter & de huiusmodi desponsata intelligitur, quæ videlicet cum sponso est velata & benedicta. Itē obiicitur illud Gregorij. Quæ propter frigiditatem à viro suo separata est, & alij nupta fuerit: si vir eius aliam cognouerit, illa est detrahenda secundo, & reddenda primo. Sed eodem modo soluitur: quia ista videlicet cum illo benedictionem acceperat. Augustinus de fide pactionis & consensus.

Si quis alicui mulieri consensus fidem fecerit: non licet illi aliam ducere. *Palea. 51*

Hæc palea in quibusdam extat, in quibusdā ad marginem scripta est.

DVobus modis dicitur fides: pactionis, & consensus. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliā ducere: si aliam duxerit, pœnitentiam agat de fide mentita: maneat tamen cum illa quam duxit. non enim rescindi debet tantum sacramentum. Si autem fecerit fidem consensus, non licet aliam ducere: si autem duxerit, dimittet eam, & adhærebit primæ vxori. Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit fidem alicui quòd eam ducet, si permiserit ei rem secum habere vel etiam pro consensu. Fides autem consensus est, quando etsi non constringat manum, corde tamen & ore consentit ducere, & mutuò se cōcedunt vnus alij, & mutuò se suscipiūt.

CAVSA

CAVSA XXVIII.

GRATIAN.

QVIDAM vir infidelis in coniugio positus ad fidem cõuersus est. vxor verò eius fidei odio Christianę ab eo discessit. Ille quandã fidelem in vxorem accepit, qua mortua clericus efficitur. tandem vitæ & scientiæ merito in episcopum eligitur.

1 Hic primum quæritur, an coniugium sit inter infideles?

2 Secũdò, an liceat huic aliam ducere priore viũente?

3 Tertiò, an sit reputandus digamus qui ante baptismum habuit vnam, & post baptismum alteram.

QVAESTIO I.

AN CONIVGIVM SIT INTER INFIDELES.

GRATIAN.

QVod autem inter infideles coniugium non sit, multis auctoritatib⁹ probatur. Ait enim Paulus: Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Roman. 14. d* Coniunctio autem infidelium non est ex fide, & ideo peccatum est. Non est ergo coniugium, quia nullum coniugium peccatum est. Item Augustinus. Non est vera pudicitia hominis infidelis cum coniuge sua. *Cap. 18. li. 1. de adulterinis coniugijs.* Vbi autem vera pudicitia esse non potest, ibi nec verum coniugium est. Item Ambrosius. Iussit Hesdras dimitti vxores alienigenas, per quas ibant ad deos alienos. *Amb. ad cap. 7. epist. 1. ad Cor.* Non est enim putandum matrimonium quod extra dei decretum est factum: sed cùm cognoscitur, est emendandum. Item Augustinus. Non est ratum coniugiũ quod sine deo est. Ex his omnibus auctoritatibus probatur coniugium non esse inter infideles. Sed econtrà aliæ inueniuntur auctoritates quibus probatur coniugium esse inter infideles: quarum prima est illud euangelij quod Christus ait: Erunt quinque in vna domo: duo in tres, & tres diuidentur in duos. *Luc. 12. g* deinde cùm personas illas enumeraret, vxorem in virum esse diuidendam dixit, & econuerso. Item qui non odit patrem, aut matrem, aut sororem, aut vxorem propter me, non est me dignus. *Ibid. 14. f* vxorem infidelẽ, non fidelem dixit odio habendam. Item, Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut sororem, vel vxorem propter me, centuplum accipiet, &c. *Matth. 19. d* Vxorem in hoc loco infidelem significat, quæ propter Christum dimittitur, dum potius ipsa quàm Christi fides deseritur. Item Apostolus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consenserit habitare cum illo, non dimittat illam. *1. Corinth. 7. e* & si qua mulier habet maritum infidelem, & hic consenserit habitare cum illa, non dimittat virum suum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.

Ad Tit.2. fidelem. Item ad Titum. Hortare adolescentulas, vt diligant viros suos. Hoc tam de fidelibus quàm de infidelibus intelligendum est. infidelibus nanque viris fideles mulieres propensius propter deum debent obsequi, vt sic viros suos Christo lucrari valeant. Sic in passione beati Clemẽtis de Theodora & Sisinnio legitur mirabiliter contigisse.

Epist.22. ITEM Innocentius papa Ruffo, & Eusebio episcopis Macedonibus.

Digami reputantur qui ante baptismum habuerunt vnam, & post baptismum alteram. 1

NVnquid non erunt admittendi in hæreditatis consortium, qui ex ea suscepti sunt quæ ante baptismum fuit vxor? eruntque appellandi naturales: quia non est matrimoniũ legitimum (vt nobis videtur) nisi illud quod post per baptismũ assumitur. Ipse dominus cùm interrogaretur à Iudæis si liceret dimittere vxorẽ suam, atque exponeret fieri nõ debere, addidit: Quos deus coniunxit, homo nõ separet: ac ne de his putetur esse locutus qui post baptismum vxores sortiũtur, hoc & à Iudęis interrogatũ esse, & Iudęis esse respõsum meminerint.

Matth.19.a Gen.2.

Quæro, & solicitus quæro, si vna & eadem sit vxor eius qui antea catechumenus, & postea fidelis sit, filiosque ex ea cùm esset catechumenus susceperit, & postea alios filios cùm fidelis esset: vtrum sint fratres appellandi, an nõ habeãt postea defuncto patre cùm cæteris hæreditatis erciscundę consortium, quibus filiorũ nomen regeneratio spiritualis dicitur abstulisse. quod cùm ita iudicare atq; cõsentire absurdũ est: quæ ratio est hoc malum defendi, & vacua magis opinione iactari, quàm aliqua auctoritate roborari: cùm nõ possit inter peccata deputari quod lex præcepit, & Deus coniunxit?

Ivo lib.6 refert. ITEM ex decreto Euticiani papæ.

Infidelis potestate sit post baptismum vxorem recipere, quam antè dimiserat. 2

3. pars. SI quis gẽtilis gentilem vxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate eius erit eam habere vel non habere. ITEM.

Fidelis infidelem discedentem sequi non cogitur. 3

1.Cor.7.c. SImili modo si vnus ex cõiugatis baptizatus est, & alter gentilis est, & qui sequi non vult: sicut dicit Apostolus, infidelis si discedit, discedat. ITEM Augustinus de fide & operibus.

Cap.16.

Sine culpa relinquitur vxor, quæ cum fideli habitare noluerit. 4

VXor legitima societate coniuncta, sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Nõ attenditur eo modo eã rectissimè dimitti, si viro suo dicat: Non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias cõgreges, aut nisi solita lenocinia quibus nostrã domũ transigebas, etiã Christianus

nus

nus exerceas. aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro nouerat, quo delectata vel libidinē explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam ornatior incedebat. Tūc enim ille cui vxor hæc dixit, si veraciter egerit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando ad baptismum accessit, habetq́ue in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur: proculdubio plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quàm carnis luxuria: & membrum quod eum scandalizabat, fortiter amputabit.

ITEM in sermone domini in monte, libro primo. *Tomo 4.*

Licitè dimittitur vxor quæ virum suum cogere quærit ad malum. 5

IDololatria quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis vxorem dimitti. sed quia permisit, & non iussit, dedit Apostolo locum monendi, vt qui voluerit, non dimittat vxorem infidelem: cum quo sic fortassis possit fidelis fieri. Item si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & auaritia idololatria est: non est dubitandum & auaritiam fornicationē esse. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur quòd propter illicitas concupiscentias non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omnino propter quaslibet quæ animam corpore malè vtentem à lege dei aberrare faciunt, & perniciosè turpiterq́ue corrumpi, possit sine crimine & vir vxorem suā dimittere, & vxor virum, quia exceptam dominus facit causam fornicationis, quam fornicationem (sicut suprà consideratum est) generalem & vniuersalem intelligere cogimur. Cùm autem ait, Excepta causa fornicationis, non ait cuius ipsorū, viri, aut fœminæ. non enim fornicantem tantum vxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque vxorem dimittit à qua ipse cogitur fornicari, causa vtique fornicationis dimittit: velut si aliquem cogat vxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causa fornicationis eam dimittit: non tantum illius, sed etiam suæ. illius, quia fornicatur: suæ, ne fornicetur.

Deut. 24.a
Mat 11.19.b

IDEM de adulterinis coniugijs lib. ij.

Quæ simulacrum facit, nec resipiscit: dimittatur à viro suo. 6

NOn solum mœchatio est illius quæ carnem suam coinquinat, sed etiā quę simulachrum facit, mœchatur. Quòd si in his factis perseuerat, & pœnitentiam non agit: recede ab illa, & noli viuere cum illa. sinautē, & tu particeps peccati illius eris. ITEM Ambrosius ad Hilarium.

Amore cuiuslibet non est à fide recedendum. 7

SI infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, id est, si infidelis noluerit esse cū cōiuge sua fideli. Hic cognoscat fidelis suā liberta- *1.Cor.7.c*

libertatem, nec ita se subiectũ putet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelẽ. Hoc & de infidelibus filiis & filiabus & parentibus, hoc & de fratribus & sororibus intelligitur propter Christum esse dimittendos, cùm ponitur conditio ista, vt propter Christum dimittat, si eum secum habere desiderat. Hoc ergo & de domo & agris, & de cęteris rebus quæ iure pecunario possidentur, intelligendum est.

Ca.13. li.1. de adulterinis coniu.

ITEM Augustinus ad Pollentium.

Quòd etiam infideles sunt coniuges, & quòd fideli licet dimittere infidelem.

3.p.rs. 1.Cor.7.b

IAm nunc illud videamus, quod ait Apostolus: Cæteris autẽ ego dico, non dominus. Ad imparia, scilicet vbi non ambo Christiani fuerant, cõiugia locuturus, quod mihi visum est eũ monendo dixisse. Quia enim coniunx fidelis relinquere coniugem licitè potest infidelẽ: ideo hoc fieri non dominus, sed apostolus prohibet. Quod enim dominus prohibet, fieri omnino nõ licet. Monet ergò apostolus quo possit esse multorũ occasio lucrandorum, vt fideles cõiuges in relinquendis infidelibus permissa licẽtia non vtantur. Tibi autẽ videtur infideles quoq; dimitti à fidelibus non licere: quia hoc vetat apostolus, cùm ego dicam licere, quia hoc non vetat dominus: non tamen dico expedire: quia hoc ne fiat monet Apostolus, qui reddit etiã rationẽ cur fieri nõ expediat, quanuis liceat. Quomodo enim scis (inquit) mulier, si virum saluũ facies? aut vnde scis vir, si saluã facies mulierem? cùm & superius dixisset: Sanctificatus est vir infidelis in muliere fideli, & mulier infidelis sanctificata est in fratre, hoc est in Christiano. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autẽ sancti sunt. & sic ad lucrãdos coniuges & filios Christo, exemplis etiã quæ prouenerant videtur hortatus. Cur ergo non expediat etiã infideles coniuges dimitti à fidelibus, causa euidenter expressa est. Nõ enim propter vinculum cum talibus pactum cõiugale est seruandum: sed vt quærantur in Christo, recedi ab infidelibus coniugibus Apostolus vetat. multa enim sunt faciẽda nõ iubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in nostris officiis gratiora, quę cùm liceret nobis etiã non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Vnde ipse dominus prior cum se tributum nõ debere soluere demonstrasset, soluit tamen: vt non scandalizaret eos, quibus ad æternã salutem gerens morem cõsulebat. Iam verò apostolus queadmodum ista commendat, eius verba testantur vbi dicit: Cùm sim liber ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. cùm paulò superius dixisset? Nunquid non habuimus licentiam manducandi & bibendi: Nunquid nõ habuimus licentiã sororẽ mulierẽ circunducendi, sicut & cæteri apostoli, & frater domini, & Cephas? An ego solus

Ibidem.

Matth. 17.b

1.Cor.9.c

Ibidem.

ſolus & Barnabas nō habuimus poteſtatē hoc operandi? Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam: An quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non comedit? & paulò poſt. Si alij inquā poteſtatis veſtræ iura participant, nónne magis & nos? Sed nō vſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia toleramus, ne quòd impedimentum demus euangelio Chriſti.

I T E M. — *Idē Aug ca. 18. eiuſdem libri.*

Ab infidelibus coniugibus licet recedere, ſed non expedit. 9

SIc enim neque recedere ab vxoribus infidelibus, vel à maritis fideles viri vel fœminæ non prohibentur à domino, vt neque iubentur. nam ſi dimittere tales coniuges iuberentur, nullus locus eſſet cōſilio monentis apoſtoli ne hoc fieret. Nullo enim modo quod dominus iubet, ſeruus bonus prohibet. *Matth. 19* Itē: Cùm ergo cœpiſſet Gentilibus euangelium prædicare, & *1. Cor. 7. b* iunctos Gentiles Gētilibus cōperiſſet cōiugibus: ex quibus ſi nō ambo crederēt, ſed vnus aut vna, & infidelis cum fideli cōſentiret cohabitare: nō prohiberi à domino debuit fidelis infidelē dimittere, nec iuberi: ideo ſcilicet nō prohiberi: quia iuſtitia permittit à fornicante diſcedere, & infidelis hominis fornicatio eſt maior in corde: nec vera eius pudicitia cū coniuge quidem dici poteſt: quia omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, quanuis veram habeat fidelis pudicitiam, etiā cum infideli coniuge, quæ non habet veram. *Rom. 14. d* Ideo autē nec iuberi debuerunt fideles ab infidelibus ſeparari: quia nō contra iuſſionem domini Gentiles fuerunt ambo coniuncti. Quoniam ergo ab infideli fidelem diſcedere non prohibet, nec iubet dominus: ideo vt nō diſcedat Apoſtolus dicit, Nō dominus: habēs vtique ſpiritum ſanctum in quo dare poſſet vtile & fidele conſilium. Vnde cùm dixiſſet de muliere, cuius vir mortuus fuerat: Beatior autē erit ſi ſic permāſerit, ſecundū conſilium meū: ne *1. Cor. 7. g* quis hoc conſilium tanquam humanum non diuinum cōtemnendum putaret, adiecit: Puto autem quòd & ego ſpiritū habeam dei. Proinde intelligendum eſt etiā ipſa quæ à domino non iubētur, ſed à ſancto eius famulo vtiliter ſuadentur, eodē domino inſpirante ſuaderi. Abſit enim vt quiſquā catholicus dixerit quod ſuadet ſpiritus ſanctus, nō dominū ſuadere, cùm & ipſe dominus ſit, & inſeparabilia ſint opera trinitatis. Dicit *1. Cor. 7. e* enim Apoſtolus: De virginibus autē præceptum domini non habeo, cōſilium autem do. Nō vt cōſilium hoc alienum exiſtimemus à domino, cùm continuò ſequatur & dicat: Tanquā miſericordiā conſecutus à domino, vt fidelis eſſem. Secundū ergo deum dat conſilium fidele in eo ſpiritu, de quo ait: Puto autē quòd & ego ſpiritū dei habeam. Veruntamē aliud eſt do- *Ibidem g.* mini iubentis imperium, aliud verò ſerui ſecundū miſericordiam charitatis, quæ illi à domino eſt inſpirata atque donata,

fidele

fidele consiliũ. Aliud enim ibi facere nõ licet. hic autem licet: ita sanè, vt ipsum licitum partim quidem expediat, partim verò non expediat. Expedit tunc quando non solum per iustitiã quæ coram deo est, permittitur, sed etiã hominibus nullũ ex hoc impedimentum salutis infertur: velut cùm dat consilium non nubendi apostolus virginibus (vnde præceptum domini se nõ habere testatur) licet aliud facere, id est nubere, & minus continentiæ bonum tenere in nuptiis, ipsum quoque licitum etiam expedit, quoniã in vetita & illicita ruiturã carnis infirmitatem sic excipit honestas nubendi, vt neminem impediat à salute: quanuis magis expediret, magisque honestum esset si virgo consilium quo præceptum eam nõ compellit, arriperet. Tunc autẽ nõ expedit id quod licitum est, quãdo permittitur quidẽ, sed vsus ipsius potestatis aliis affert impedimentũ salutis, sicut est vnde iam diu loquimur: discessio coniugis fidelis ab infideli, quã non prohibet dominus præcepto legis: quia coram illo iniusta nõ est, sed prohibet apostolus cõsilio charitatis: quia infidelibus affert impedimentum salutis, non solum quia perniciosissimè scãdalizantur offensi, verumetiã quia cũ in alia cõiugia ceciderint viuẽtibus eis à quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficilè resoluũtur. Ideo hic vbi quod licet non expedit, non potest dici, Si dimiserit infidelẽ, bene facit: si nõ dimiserit, melius facit: sicut dictũ est. Qui dat nuptui, bene facit: & qui nõ dat nuptui, melius facit: quia non illud solum, sed vtrunq; pariter licet: vnde ad nihil horũ præcepto domini quisquã compellitur, sed vtrunq; expedit, aliud minus, aliud amplius. Vnde ad id quod amplius expedit: consilio Apostoli, quicunq; potest capere, prouocatur. Hic autem vbi de dimittẽdo vel nõ dimittẽdo infidelis cum fideli cõiugio quæritur: vtrunque quidẽ pariter licitum est per iustitiam quæ corã dño est: & ideo nihil horum prohibet dominus: sed nõ vtrunque expedit: propter infirmitatẽ hominum, & ideo id quod nõ expedit, apostolus prohibet, dante sibi domino locũ liberũ prohibendi: quia neq; id quod monet apostolus, prohibet Dñs: neque id quod prohibet apostolus, iubet Dominus. Quod nisi ita esset: neque contra prohibitionem domini apostolus aliquid moneret, neq; contra iussionẽ eius aliquid prohiberet. Proinde in his duabus causis, vna de nubendo vel de nõ nubendo, altera de infideli cõiuge dimittẽda vel nõ dimittẽda: aliquid simile inuenitur in verbis apostoli, & aliquid dissimile. Simile quidẽ est illud quod ibi dicit: Præceptũ domini non habeo, consilium autẽ do. & hic dicit: Ego dico, non dominus. Quale est enim, Præceptũ domini non habeo: tale est, Nõ dicit dñs. & quale est, Consilium autẽ do: tale est, & ego dico. Illud autẽ dissimile est, quia de nubendo & non nubendo dici

1.Cor.7.b

do dici poteſt. Hoc bene fieri poteſt, illud autē melius: quoniã vtrūque expedit, vnum minus aliud magis. at vero de coniuge infideli dimittenda vel non dimittenda, quoniã vnum horum non expedit, aliud expedit: dici nō oportet, Qui dimittit, bene facit, & qui nō dimittit, melius facit: ſed dici oportet. Non dimittat: quia etſi licet, non expedit. Sic ergo poſſumus dicere melius eſſe infidelem coniugē non dimittere, quãuis liceat & dimittere: quēadmodum recte dicimus melius eſſe quod & licet & expedit, quàm id quod licet & nō expedit. His de cauſis factū eſt vt ego exponēs dñi ſermonē, quem in monte prolixū habuit, vbi ventū eſt ad quæſtionē de coniugibus dimittēdis vel non dimittendis, adhibuerim conſiliū ab Apoſtolo dictū, nō præceptum domini, vbi ait: Cæteris autē ego dico, nō Dominus: *1.Cor.7.b* monēs eos qui haberent cōiuges infideles, vt conſentientes habitare ſecum non dimitterent. quod vtiq; ideo monendum, non iubendū fuit, quia nō tanto pondere prohibēdi homines facere licita, quanuis non expediant: quanto pondere prohibenda ſunt illicita. Si autem alicubi apoſtolus etiam illa quæ iubenda ſunt, monere dignatur: hoc fecit parcēdo infirmitati, non præiudicãdo iuſſioni, vnde ſic dicit: Nō vt confundam vos, hæc ſcribo, ſed vt chariſſimos filios moneo. quid habet quæſtionis vbi ait, Ego dico, non dominus: itē vbi ait, *1.Cor.4.c* Ecce ego Paulus dico vobis, quia ſi circuncidimini, Chriſtus *Gal.5.a* vobis nihil proderit? Nunquid etiam hic dixit, Ecce ego dico, nō dñs? Non ſunt itaque ſimilia iſta: quia etiam illa quæ iubet dominus, non eſt indignum vel contrariū ſi eadē monet apoſtolus. Monemus enim eos quos charos habemus, vt faciant domini præcepta vel iuſſa. Cum vero dicit, Ego dico, nō dñs: ſatis oſtendit dominū non prohibere quod ipſe prohibebat. Prohibuiſſet autem dominus ſi eſſet illicitum. Ergo ſecundū ea quæ ſupra diximus multumq́, verſauimus, licitum erat per iuſtitiã, ſed etiam licitum non erat faciendum propter liberam beneuolentiã. Tu verò cui placet ita non licere quod non vetat dominus ſed apoſtolus, quēadmodum nō licet quod vetat dominus: cū exponere voluiſſes quid ſibi vellet quod ait. Ego dico, non dominus, cū alloqueretur fideles quibus eſſent coniuges *1.Cor.7.b* infideles dixiſti: quia dominus iuſſit ne cōiugia ſibimet diuerſę religionis copularētur. & ipſum adhibuiſti teſtimoniū dñi dicentis: Non accipies vxorem filio tuo de filiabus alienigenarū: *Deute.7.a.* ne traducat eū poſt deos ſuos, vt pereat anima eius. *1.Cor.7.c* Addidiſti etiam verba apoſtoli vbi ait: Mulier alligata eſt viro quandiu vir eius viuit. quod ſi mortuus fuerit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantū in domino. quod ita expoſuiſti, vt adiungeres, id eſt, Chriſtiano. deinde ſecutus es & addidiſti, Hoc eſt ergo domini præceptū, tam in veteri teſtamento quàm in nouo,

nouo, vt nõ nisi eiusdẽ religionis & fidei cõiugia maneãt copulata. Si ergo hoc est domini præceptum tam in vet. testam. quàm in nouo, & hoc iubet dominus, hoc docet apostolus, vt nõ nisi vnius religionis & fidei maneant copulata coniugia: [* al. suam.] quare cõtra hoc domini iussum, contra doctrinã sanctã: *contra præceptum noui & vete. testam. [1.Cor.7.c] iubet apostolus iã in coniugio positos, nõ solum monet, sed etiã iubet vt si alter ex coniugibus credidisset, alterum non credẽtem, secũ tamẽ habitare consentientẽ non dimitteret? His verbis tuis aliud esse hoc, aliud illud, satis euidenter ostendis. illud enim de his cõiugiis agitur, quæ sibi primitus copulãtur, ne nubat fœmina nisi tuæ religionis viro, vel ne vir talẽ accipiat vxorem. id ei (vt dicis) iubet dominus: docet apostolus: vtrumq; præcipit testamentum. hoc autẽ diuersum esse quis abnuat, vbi agitur nõ de coniungendis, sed de cõiunctis? Ambo quippe vnius eiusdẽq; infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt: sed euangeliũ cum venisset: alter sine altera, vel altera sine altero credidit. Si ergo aliud hoc est (quod sine scrupulo vllius dubitationis apparet) cur virum fidelẽ cum infideli cõiuge permanere nõ licet? nõ ne etiam & dominus sicut apostolus iubet? nisi forte loco illo [2.Cor.13.a.] vacat quod tam fideliter ipse apostolus ait: An vultis experimentũ accipere eius, qui in me loquitur Christus? & dominus vtiq; est Christus. Intelligis ne quid dicã? An in hoc explanãdo aliquãto diligetius immorabor? Attẽde, vt rẽ ipsam explanandam tanquã in conspectu considerandam planiore sermone ponam. Ecce cõiuges duo: vnius infidelitatis fuerũt quãdo coniuncti sunt. nulla de eis quæstio est que pertineat ad illam domini iussionem, doctrinamq; apostolicã, & præceptum veteris & noui testamẽti, quo prohibetur fidelis cũ infideli coniugium copulare. iam sunt coniuges: & ambo adhuc sunt infideles. adhuc tales sunt quales fuerunt antequã coniũgerentur, qualesque coniuncti sunt: venit euãgelij prædicator: credit eorum aut vnus, aut vna: sed ita, vt infidelis cum fideli habitare cõsentiat. Iubet fideli dominus ne infidelem dimittat: an non iubet? si dixeris, Iubet: reclamat apostolus, Ego dico, nõ dominus. Si dixeris, Non iubet: causam requiro, neq; illam mihi responsurus es quam tuis literis indidisti: quia dominus videlicet prohibet fideles infidelibus iungi. hic enim nullo modo est ista causa: quia de iã iunctis loquimur, non de coniungendis. [4.pars.] Si ergo tu causam nõ inuenisti cur nõ vetet dominus quod prohibet apostolus, cernis iã (vt existimo) non esse ipsam causam quã putaueras esse. Contra inuenitur in cõcilio Tolet. iiij.

[Cap.62.] *Nisi ad fidem Iudæus accesserit, separetur ab vxore fideli.* 10

IVdæi qui Christianas mulieres in cõiugio habẽt, admoneantur ab episcopo ciuitatis illius, vt si cum eis permanere cupiunt,

piunt, Christiani efficiātur. quòd si admoniti fuerint, & noluerint, separentur: quia nō potest infidelis in eius permanere coniunctione quæ iam in Christianam trāslata est fidē: filij autem qui ex talibus nati sunt, fidem atque conditionem matri sequantur. similiter illi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris: Christianam sequantur religionem, non Iudaicam superstitionem.

GRATIAN.

Verum hoc ideo statutum est, ne dum fidelis salutem quærit infidelis: potius ipse cum ea infidelitatis perditionem inueniat. Vnde in eodem concilio tam de filijs Iudęorum quàm de cæteris ad fidem venientibus statutum est vt infidelium consortia euitentur.

Cap. 59. einsdē.

A parentum infidelium separentur consortio fideles filij ne eorum inuoluantur erroribus. 11

IVdæorum filios vel filias, ne parentum vltro inuoluantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputandos aut monasterijs, aut Christianis mulieribus aut viris deū timentibus, vt sub eorum conuersatione cultum fidei discant: atque in melius instituti, tam in moribus quàm in fide proficiant. IDEM.

Cap. 61. einsdē. Tolet conc. 4.

Iudæis ad fidem venientibus cum infideli nulla sit communio. 12

SAepe malorum consortia etiam bonos corrūpunt: quanto magis eos qui ad vitia proni sunt. Nulla igitur vltra cōmunio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis cum his qui adhuc in veteri ritu cōsistunt. ne forte eorū participatione subuertantur. Quicunque ergo ex his qui baptizati sunt, amodo infidelium cōsortia non vitauerint: & hi Christianis donētur: & illi publicis cædibus deputentur. ITEM [a] ex. vj. synodo.

a legendum vj. extat enim Græce in sexta Synodo in Trulio cap. xx.

Cum Iudæis nec manducandum, nec bibendum: nec ab eis medicamentum accipiendum est. 13

NVllus eorū qui in sacro sunt ordine, aut laicus azyma Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquē eorum in infirmitatibus suis vocet: aut medicinam ab eis percipiat: aut cum eis in balneo lauet: si vero quisquam hoc fecerit: si clericus est, deponatur: si laicus, excommunicetur.

ITEM ex concilio Agatensi.

Cap. 40.

Clerici siue laici vitent Iudæorum conuiuia: nec eos ad sua consortia recipiant. 14

OMnes deinceps clerici siue laici Iudęorū conuiuia vitent: nec eos ad conuiuium quisquam accipiat: quia cum apud Christianos communibus cibis non vtantur, indignum atque sacrilegum est eorum cibos à Christianis sumi: cū ea quæ apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicētur immūda: ac si inferiores incipiant esse Christiani quàm Iudæi, si nos quæ ab illis apponūtur, vtamur: illi vero à nobis oblata contēnant.

1 ad Tim. 4. b.

GRATIAN. Rom. 14. d

Ex his itaque euidẽter colligitur coniugium esse inter infideles. illud vero apostoli. Omne quod non est ex fide, peccatum est: non ita intelligendum est vt quicquid fit ab infidelibus, credatur esse peccatum: sed omne quod cõtra conscientiam fit, ædificat ad gehennam. vnde Ambr. Peccatũ est quod aliter fit quàm probatum est. Item Augusti. super eundem locum: Omne quod aliter fit quàm probatu est, peccatum est: non tamen omne quod fit cum fide, bonum est. ignorãtia enim quæ est ex culpa, nocet. Hinc etiam apostolus ait: Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat, id est, qui non facit damnabilem semetipsum aliter faciendo quàm probet esse faciendum. Vel omne quod nõ est ex fide, dicitur esse peccatum: quia quicquid ea fide non fit, vt ad æternam valeat salutem: inutile reputatur apud dominum. Vnde Aug. ait: Omnis vita infidelium peccatum est: nec valet esse bonu quod fit absque deo Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus. Itẽ cũ dicitur, non est vera pudicitia hominis infidelis cum cõiuge sua: negatur pudicitia esse vera quantũ ad effectum & ad præmiũ videlicet æternæ salutis. Sicut enim apud hæreticos sacramẽta negantur esse vera nõ quantũ ad formã, sed quantũ ad virtutẽ: sic & virtutes negãtur esse veræ apud infideles: non quin veræ in eis sint iuxta illud Hiero. Virtutibus Romani promeruerũt imperiũ: sed quia effectu carẽt æternæ salutis. Item illud Amb. Nõ est putandũ matrimoniũ quod extra dei decretũ factũ est: sed cũ cognoscitur, est emendandũ. nõ ostẽdit cõiugiũ nõ esse inter infideles, nullo enim domini præcepto gẽtiles prohibẽtur coniugi gẽtilibus. nec ergo eorũ coniugium extra dei decretũ fit, illa itaque auctoritate iubẽtur separari ab inuicẽ qui cõtra dei vel ecclesiæ decretũ copulati sunt: vtpote infideles cũ fidelibus, vel cõsanguinei cũ cõsanguineis, vel affines cum affinibus. hi oẽs si sibi inuicem copulati fuerint, separãdi sunt. Hinc etiam idem Ambro. in lib. de patriarchis.

Ibidem.

Ambro lib. 1. de Abraham ca. 9.

Fideles infidelibus non sunt coniugio copulandi. 15

CAue Christiane gentili aut Iudæo filiã tuam tradere. caue inquit gentilem vel Iudæam atque alienigenam, hoc est, omnem hæreticam & alienã à fide tua accipere tibi vxorem. prima coniugij fides castitatis gratia est. si Christana sit, non est satis nisi ambo initiati sitis sacramento baptismi, simul ad orationem nocte vobis surgendũ est, & coniunctis precibus obsecrandus deus. ITEM ex concilio Agathensi.

Cap. 67.

Cum hæreticis catholici non misceant coniugia. 16

NOn oportet cũ hominibus hæreticis miscere cõnubia & vel filios vel filias eis dare, sed potius accipere, si tamẽ se profiteantur Christianos esse futuros & catholicos. ITEM ex concilio Vrbanensi.°

°Vrbiensi.

Chri-

Christiana communione careat, qui Iudaica prauitati coniugali se vinculo sociat. 17

SI quis Iudaicæ prauitati coniugali societate iungitur, siue Christiana Iudęo, siue Iudæa Christiano mulier carnali cõsortio misceatur, quicunque eorum tantum nefas admisisse cognoscitur, à Christiano cœtu atque conuiuio, & à communione ecclesiæ protinus segregetur.

Item illud Aug. Non est ratum coniugium quod sine deo est, non negat coniugium esse inter infideles. Coniugiũ enim aliud est legitimum & non ratum, aliud ratum & non legitimum, aliud legitimum & ratum. Legitimum coniugium est quod legali institutione vel prouinciæ moribus contrahitur. hoc inter infideles ratũ non est, quia non est firmum, & ideo * violabile coniugium eorum: dato enim libello repudij licet eis recedere abinuicem, & aliis copulari lege fori, & non lege poli, quã nõ sequũtur. Inter fideles vero ratum coniugiũ est, quia cõiugia semel initiata * & cõpleta inter eos vlterius solui non possunt. horum quædam sunt legitima: veluti cùm vxor à parẽtibus traditur, & à spõso dotatur, & à sacerdote benedicitur. hæc talia cõiugia legitima & rata appellantur. Illorũ verò coniugia qui contẽptis omnibus illis solẽnitatibus solo affectu aliquã sibi in coniugem copulant: huiuscemodi coniugium non legitimum, sed ratum tantummodo esse creditur. GRATIAN.

*al. & inuiolabile.

*inita.

QVAESTIO II.

AN LICEAT HVIC ALIAM DVCERE PRIORE VIVENTE.

QVòd verò vxore viuente alterã ducere non possit qui infidelẽ dimisit, testatur scriptura dicens: Alioquin si discediti ab inuicẽ, & volẽtes cohabitare dimittitis, & aliis vos copulaueritis: adulteri eritis: & filij vestri qui postea nascentur, erunt immundi, id est, spurij. ITEM ex concil. Melden. cap. j. GRATIA.

Iuo refert li. 6.

Non potest quis post baptismum alteram ducere viuente ea, quæ ante baptismum sibi fuerit virgo copulata. 1

SI quis habuerit vxorẽ virginẽ ante baptismum: viuente illa post baptismũ alterã habere nõ potest. crimina enim in baptismo soluũtur, nõ cõiugia. Greg. aũt testatur ecõtra dicẽs.

Amb. ad cap. 7. epistolæ 1. ad Corinth. id habet.

Licet fideli aliam ducere vxorem, quam Christianæ fidei odio infidelis dimittit. 2

SI infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat. nõ enim est frater aut soror subiectus seruituti in huiusmodi. nõ est enim dimissio peccatũ propter deũ si alij se copulauerit. cõtumelia quippe creatoris soluit ius matrimonij circa eũ q̃ relinquitur: infidelis aũt discedens & in deũ peccat, & in matrimoniũ: nec est ei fides seruanda cõiugij: quia propterea discedit, ne

ne audiret Christum deum esse Christianorum coniugiorum.

GRATIAN. Hic distinguendum est aliud esse dimittere volentem cohabitare: atque aliud discedentem non sequi. volentem enim cohabitare licet quidem dimittere, sed non ea viuente aliam superinducere: discedentem verò sequi non oportet: & ea viuente aliam ducere licet. verum hoc non nisi de his intelligendum est qui in infidelitate copulati sunt. Cæterum si ad fidem vterque conuersus est: vel si vterque fidelis matrimonio iunctus est, & procedente tempore alter eorum à fide discesserit, & odio fidei Christianæ coniugē dereliquerit: derelictus discedentem non comitabitur: non tamen illa viuente alteram ducere poterit: quia ratum coniugium fuerat inter eos: quod nullo modo solui potest.

QVAESTIO III.

AN SIT REPVTANDVS DIGAMVS, QVI ANTE BAPTISMVM HABVIT VNAM, ET POST BAPTISMVM ALTERAM.

GRATIAN. Vtrum verò digamus sit reputandus, qui ante baptismum habuerit vnam, & post baptismum alteram: auctoritate Hieronymi patet.

Ait enim super epistolam Pauli ad Timotheum.

Non est digamus, qui ante baptismum habuerit vnam, & post baptismum alteram. 1

Oportet episcopum vnius vxoris esse virum. verum hoc post baptismum. cæterum si ante baptismum habuit vnā, & post baptismum habuerit alteram: non est reputandus digamus, cui prorsus innouato per baptismum omnia vetera sunt dimissa. Augustinus verò contra testatur & Innocent. Ait enim Augusti. super epistolam Pauli ad Titum.

Aug. lib. de bono coniugali. Cap. 18.

Non debet fieri episcopus, qui ante baptismum habuerit vnam, & post baptismum alteram. 2

Acutius verò intelligunt, qui nec eum ordinandum censuerunt qui ante baptismum habuerit vnam, & post baptismum alteram. In baptismate enim crimina abolētur, non fœderatio cōiugij dissoluitur. Sicut illa quæ cathecumena vitiata est, inter dei virgines consecrari non potest: sic qui ante baptismum habuit vnam, & post baptismum alteram: nō nisi digamus est reputandus. amisit enim quiddam non ad vitæ meritum, sed ad signaculi sacramentum.

GRATIAN. ITEM Innocentius Ruffo & Eusebio episcopis Macedoniæ multis argumentis probat talem digamum reputari. Quia ergo iste cuius causa in pręsenti agitur, ante baptismum habuit vnam, & post baptismum alteram, digamus iudicatur: & licet vitæ merito, & industrię scientia polleat, tamen in episcopum ordinari non potest.

Sed veriorem & iustiorem fuisse sentētiam Hieronymi quidam notant.

CAV-

CAVSA XXIX.

QVIDAM mulieri nobili nunciatum est quòd à filio cuiusdam nobilis petebatur in coniugẽ, præbuit illa assensum. Alius verò quidã ignobilis atque seruilis cõditionis nomine illius seipsum obtulit atque eam in coniugem accepit. Ille qui prius sibi placuerat, tandem venit, eamq; sibi in coniugem petit. illa se delusam conqueritur: & ad prioris copulam aspirat. GRATIAN.

1 Hic primum quæritur, an sit coniugium inter eos?

5 Secundò si prius putabat hunc esse liberum, & postea deprehendit illum esse seruum: an liceat ei statim ab illo discedere?

QVAESTIO I.

AN SIT CONIVGIVM VBI ERROR INTERVENIT PERSONAE.

QVòD autem coniugium sit inter eos, probatur hoc modo. Coniugium siue matrimonium est viri & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Item consensus vtriusque matrimonium facit. quia ergo isti coniuncti sunt vt indiuiduam vitæ consuetudinem conseruarent: quia vterque consensit in alterum: cõiuges sunt appellandi. His ita respondetur: Consensus est duorum vel plurium sensus in idem. qui autem errat, non sentit. non ergo cõsentit, id est, simul cum aliis sentit. hæc autem errauit: non ergo consensit. non itaque coniunx est appellanda: quia non fuit ibi consensus vtriusque, sine quo nullum patrimonium esse potest. Sicut enim ille qui ordinatur ab eo quem putat episcopum esse, & adhuc est laicus, errat, nec vocatur ordinatus, immò ab episcopo adhuc est ordinãdus: sic ista errans nulli est copulata coniugio: immò adhuc est copulanda. Ad hæc, Non omnis error consensum euacuat. qui enim accipit in vxorem corruptam, quam putat virginem: vel qui accipit meretricem, quam putat esse castam, vterq; errat: quia ille corruptam existimat virginem, & iste meretricem reputat castam. Nunquid ergo dicendi sunt non consensisse in eas? aut dabitur vtrique facultas dimittendi vtranque, & ducendi aliã? Verum est quòd non omnis error cõsensum excludit. Sed error alius est personæ, alius fortunæ, alius cõditionis, alius qualitatis. Error personæ est quãdo hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ quãdo hic putatur esse diues, qui pauper est, vel ecõuerso. Error cõditionis, quãdo putatur esse liber qui seruus est. Error qualitatis est, quando putatur esse GRATIAN.

 bonus,

bonus, qui malus est. Error fortunę & qualitatis, cõiugij cõsensum nõ excludit. Error verò personæ & conditionis, cõiugij cõsensum nõ admittit. Si quis enim pacisceretur se venditurũ agrum Marcello: & postea veniret Paulus dicens se esse Marcellum, & emeret agrũ ab illo, nunquid cũ Paulo cõuenit iste de precio, aut dicendus est agrum sibi vendidisse? Item si quis promitteret se venditurũ mihi aurũ, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet: nunquid diceret consensisse in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum: nec ergo aliquando in illud consensi, quia cõsensus non est nisi voluntatis. Sicut ergo hic error materiæ excludit consensum, sic & in coniugio error personæ. Nõ enim cõsensit in hunc, sed in eum quẽ putabat esse. Sed obiicitur. Iacob non consenserat in Liam, sed in Rachel: septẽ siquidem annis pro Rachel seruierat. Cùm ergo eo ignorãte Lia esset sibi supposita, nõ fuit cõiugium inter eos, si error personæ cõsensum excludit: quia (vt dictum est) nõ in eam consenserat, sed in Rachel. His ita respõdetur: Consensus alius est præcedẽs: alius subsequẽs. præcedit cõsensus, quando ante carnalem copulam in indiuiduam vitæ consuetudinẽ vterque cõsentit. subsequitur quãdo post concubinalem siue fornicarium coitum cõsentiunt in idem. Iacob ergo & Liam nõ fecit coniuges præcedens consensus, sed subsequens: nec tamẽ ex primo concubitu fornicarij iudicantur: cùm ille maritali affectu eã cognouerit: & illa vxorio affectu sibi debitũ persoluerit, putãs lege primogenitarum & paternis imperiis se sibi iure copulatã. Quod autẽ error personæ nonnullos excuset, auctoritate illa probatur qua soror vxoris vtroq; inscio (sorore videlicet & marito) in lectũ eius iuisse, & à viro suæ sororis cognita perhibetur: quæ sine spe cõiugij perpetuò manere cẽsetur: ille tamen qui cognouit eã per ignorantiã, excusatur. Aliter etiam hoc probatur. Diabolus nonnunquã se in angelum lucis transformat: nec est periculosus error, si tunc creditur esse bonus cũ se bonũ simulat. si ergo tunc ab aliquo simplici quæreret, an suę beatitudinis vellet esse particeps: & ille respõderet se in eius cõsortium velle transire: nunquid dicẽdus est consensisse in cõsortium diabolicæ damnationis, an non potius in participationẽ æternæ claritatis? Item si quis hæreticorum nomine Augustini vel Ambrosij vel Hieronymi alicui catholicorum seipsum offerret, atque ad suæ fidei eum imitationem prouocaret: si ille prębe-ret assensum, in cuius fidei senteutiam diceretur consensisse? Non in hæreticorum sectam, sed in integritatem catholicæ fidei, quã ille hæreticus se mentiebatur habere. Quia ergo hæc persona decepta errore non in hunc, sed in eum quem iste se mentiebatur esse consensit: patet quod eius coniunx non fuerit.

rit. Error fortunæ & qualitatis non excludit consensum: veluti si quis consentiret in prælaturam alicuius ecclesiæ quam putaret esse diuitem, & illa esset minus copiosa: quanuis hic deciperetur errore fortunæ, non tamen posset renunciare prælaturæ acceptæ. similiter quæ nubit pauperi, putans illum esse diuitem: non potest renunciare priori conditioni, quanuis errauerit. Error qualitatis non excludit similiter consensum: vtpote si quis emerit agrum vel vineam quam putabat esse vbertimam: quanuis iste erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo: non potest tamen venditionem rescindere. Similiter qui duxit in vxorem meretricem vel corruptam quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere.

QVAESTIO II.

AN SI PRIVS MVLIER PVTABAT HVNC ESSE LIBERVM, ET POSTEA DEPREHENDERIT ILLVM ESSE SERVVM, AN LICEAT EI STATIM AB ILLO DISCEDERE.

GRATIAN.

SEcunda quæstio est proposita de conditione: an liceat mulieri dimittere eum quem putabat liberum, si postea illum inuenerit seruum. Quòd verò mulieri non liceat à seruo discedere, multis rationibus videtur posse probari. In Christo enim Iesu, nec Iudæus, nec Græcus, nec seruus, neque liber distinguitur: ergo nec in coniugio Christianorum. eadem enim lege in fide Christi vterque regitur. indifferenter enim ab Apostolo dicitur omnibus: Qui vult nubere, nubat in domino. & iterum: Mulier nubat cui vult, in domino tantum, non præcipitur vt ingenua nubat ingenuo: ancilla seruo: sed quælibet earum cui vult nubat in domino.

Galat. 3. d

1. Corinth. 7. g

ITEM Iulius papa. c. iiij.

Iuo refert lib. 6.

Licet seruo matrimonia contrahere. 1

Inter quas perso.

OMnibus nobis vnus est pater in cœlis, & vnusquisque diues & pauper, seruus & liber æqualiter pro se & pro animabus eorum rationem reddituri sunt. quapropter omnes cuiuscunque conditionis sint, vnam legem (quâtum pertinet ad deum) habere non dubitamus. si autem omnes vnam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec seruus semel coniugio copulatus vlterius dimitti poterit.

Matth. 6. d

ITEM Zacharias papa.

Ancillam in matrimonio susceptam viro dimittere non licet. 2

SI quis liber ancillam in matrimonium acceperit: non habet licentiam dimittere eam si consensu amborum coniuncti sunt. excepta causa fornicationis: sed vna lex deinceps erit per omnia & viro & fœminæ. ITEM Iulius papa.

Iuo vbi suprà.

Inter patronum & libertam constat esse matrimonium legitimum. 3

SI quis ancillam suam libertate donauerit, & in matrimoniũ sociauerit: dubitatur apud quosdam, vtrum huiusmodi nuptiæ legitimæ esse videãtur, an non? Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia cõnubia legitima esse censemus. si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium & legibus contrarium in tali copulatione fieri potest: quare prædictas nuptias inhibendas existimemus?

GRATIA. 2. pars. His ita respondetur: non negatur ingenuam posse nuberè seruo, sed dicitur quòd si nescitur esse seruilis conditionis, liberè potest dimitti, cùm seruitus eius fuerit deprehensa. Illud autem apostoli & Iulij papæ intelligendum est de his quorũ cõditio vtrique nota est. huius autem conditio mulieri incognita erat. non ergo præmissis auctoritatibus cogitur manere cum illo: sed liberum illi esse ostenditur vel manere vel discedere. *Iuo ibid. refert.* Vnde in concilio apud Vermeriam cui interfuit rex Pipinus, statutum est. c. vj.

De eo qui ancillam duxit in vxorem, quam putabat esse liberam. 4

SI quis ingenuus homo vxorem ancillam alterius acceperit, & existimat quòd ingenua sit: si ipsa fœmina fuerit, postea in seruitute detecta: si eam à seruitute redimere potest, faciat. si non potest, si voluerit aliam accipiat. si autem ancillam eam scierat, & collaudauerat: [a] prout legitimã eam habeat. similiter & mulier ingenua de seruo alterius facere debet.

a apud Iuonem, post vt.

Iuo ibidem. ITEM ex eodem. c. viiij.

Non licet mulieri dimittere, quem sciens seruum accepit in virum. 5

SI fœmina ingenua acceperit seruum, sciens quòd seruus esset, habeat eum: quia omnes vnum patrem habemus in cœlis. Vna lex erit viro & fœminæ. ITEM Gregorius.

Greg. epi. 165. lib. 6. ad Fortunatum episcopũ.

Seruitutis occasione dimitti non valet, quæ post controuersiam statum se in libertatem asseuerauerit. 6

CVius rei causa cum matre sua huc compulsa anno præterito præsentium venerit latrix, fraternitas tua cautius nouit: quia scilicet maritus suus vester clericus ob hoc quòd de seruili fuerat conditione pulsata, à suo noscitur eam remouisse consortio, vosque hic positos asserunt promisisse, vt si probare se liberam adiuuante domino valuisset, suo eam vos coniugio reformaretis. Fraternitas igitur vestra cognoscat quòd reuelante deo libertatis auctore approbata sit libera: nullaque in ea macula seruilis inuenta est. his ergo cognitis sine mora aliqua suo eam volumus marito restitui: nec vlterius idẽ vir eius argumenta sibi occasionis exquirat quibus eam possit abiicere. nam si à vobis (quod non credimus) minimè fuerit adimpletum, eamque recipere fortè distulerit: nos illud cognoscatis cum districta vindicta corrigere.

Cùm

Cùm dicitur, sciens illum seruum: datur intelligi, quòd si nesciret illum seruum esse, non cogitur manere cum eo. Quia ergo hæc & personæ, & conditionis dolum passa est: non cogitur adhærere ei cuius fraude decepta est. Si verò liberum acceperit, & ille vt causam præstet dissidij, se alicuius seruum fecerit: nec vxorem dimittere, nec illa ob vinculum coniugij in seruitutem redigi poterit. Vnde in Triburiensi concilio. GRATIA. 3. pars.

Occasione conditionis dolose mutatæ vir non discedat ab ea quam libertatis tempore acceperit. 7

PErlatum est ad sanctam synodum, quòd quidam ingenuus ingenuam accepit vxorem: & post filiorum procreationem occasione diuortij cuiusdam seruum se fecit. vtrum necessariò mulierem tenere debeat: & si tenuerit, vtrum illa quoq; secundum secularem legem seruituti subiici debeat, quæsitum est. Iudicatum est vxorem minimè debere dimitti: non tamen ob Christi legem mulierem in seruitutem redigi: dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit quem liberum ipsa maritum acceperat. Iuo lib. 6. refert.

Quæritur etiam si seruus vnius, alterius ancillam acceperit, an sit coniugium inter eos? De his ita statutum est in concilio Gabilonensi. GRATIAN. 4. pars.

Legitima seruorum coniugia sua auctoritate domini non dirimant. 8 Iuo lib. 6. Inter quas.

DIctum est nobis quòd quidam legitima seruorum coniugia potestatiua quadã præsumptione dirimant, non attendentes illud euangelij: Quos deus coniunxit, homo non separet. Vnde nobis visum est vt coniugia seruorum non dirimantur, etiam si diuersos dominos habeant, sed in vno coniugio permanentes dominis seruiant suis: & hoc in illis obseruandũ est vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorũ. Matth. 19. a

CAVSA XXX.

QVIDAM populorum frequentia impeditus filium suum de baptismate suscepit, dum crederet se alienum suscipere: vxor autem eius dum callidè vellet suscipere proprium, suscepit alienum: quem vir adoptauit sibi in filium, & ex vxore sibi filia nascitur: quam filio suo adoptiuo spirituali vxoris, dũ vterque esset in cunabulis tradidit. post triennium vxor moritur: & comparet eius relictam compatris vxoris suæ vir clam sibi desponsauit. aliquantulum temporis effluxit, & alius eam publicè duxit in vxorem. GRATIAN.

1 Quæritur primùm, an vxori suę debitum reddere valeat, qui proprium filium de sacro baptismate suscepit?

2 Secundò, an sponsalia contrahantur inter infantes?

3 Tertiò, an ſpirituales vel adoptiui filij naturalibus copulari valeant?

4 Quartò, an vxorē cōpatris vxoris ſuę alicui ducere liceat?

5 Quintò, an clādeſtina deſpōſatio manifeſtè præiudicet?

QVAESTIO I.

AN VXORI SVAE DEBITVM REDDERE VALEAT, QVI PROPRIVM FILIVM DE SACRO BAPTISMATE SVSCEPIT.

GRATIAN.

QVòd autem proprium filium in ſpiritualem ſibi transferens, vxori ſuæ debitum reddere non valeat, ratione & auctoritate probatur. Nulla enim auctoritate permittitur, vt quis commatri ſuæ carnaliter copuletur. hic autem vxorem ſuam ſibi cōmatrem effecit. nō ergo illi vlterius carnaliter copulari poterit. Hinc Deuſdedit ſanctæ Romanæ eccleſiæ epiſcopus ſcribit Gordiano Hiſpalenſis eccleſiæ coepiſcopo, & fratri chariſſimo.

Gordiano episc. & Iuo lib. 6. refert.
Ex mag. Iuone lib. 1.

Separentur viri ab vxoribus, qui aliquo caſu natos proprios coram epiſcopo tenent. I

PEruenit ad nos diaconus ſanctitatis veſtræ epiſtolam deferens, quòd quidam viri & mulieres præterito ſabbato, paſchali die, pro magno populorum incurſu neſcientes proprios filios ſuſcepiſſent ex lauacro ſancto. Cupis ſcire ergo pro tali ratione accidenti, vtrum debeāt viri ac mulieres ad proprium vſum redire an non? Nos verò mœſti in hac re inquiſiuimus priorum dicta. Inuenimus in archiuis huius apoſtolicæ ſedis iam talia contigiſſe in eccleſijs Iſauriæ, Epheſiorum, ſimulq; Hieroſolymorum, aliarumque eccleſiarum: epiſcopis etiam earum ciuitatum ab hac apoſtolica ſede volentibus ſcire vtrū viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ ſancti patres Iulius, Innocentius & Cœleſtinus cum epiſcoporum plurimorum & ſacerdotum conſenſu in apoſtolorū principis eccleſia prohibentes talia perſcripſerūt & confirmauerunt, vt nullo modo ſe in coniugia reciperent mulieres ac viri quicunque aliqua ratione ſuſceperint natos proprios, ſed ſeparent ſe: ne ſuadente diabolo tale vitium inoleſcat[a]. Scitis quia quomodo ſunt ſeptem dona ſpiritus ſancti: ita ſunt ſeptē dona baptiſmi. A primo ergo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſu eccleſiæ vſque ad confirmationem per chriſma, hoc eſt, à primo vſque ad ſeptimum nullus Chriſtianus ſuam commatrem in coniugium ſuſcipere debet. Et qui prǽſumpſerit, tandiu vinculo anathematis religetur, donec pœnitentiam dignè egerit.

a add. per mundum.

b al. in magn. Iuone inſcibitur lib. 5. capitula. cap. vij. ſed hoc nihil habet diſcriminis: multa enim ex concilijs traduxit Carolus in ſua capitularia.

ITEM ex [b] concilio apud Vermeriam. c. iij.

Ab

Ab vxore ſeparetur qui filiaſtrum ſuum coram epiſcopo tenuit. 2

SI quis filiaſtrum ſuum vel filiaſtram ſuam ante epiſcopum tenuerit ad confirmationem, ſeparetur ab vxore ſua, & nunquam aliam accipiat, ſimiliter & mulier.

E CONTRA verò ſcribit Nicolaus Salonitano epiſcopo dicens. *2. pars.* *Iuo lib. 6. de ſeparatione.*

Non ſeparetur à viro quæ filiaſtrum ſuum de ſacro fonte leuauit. 3

NOſſe deſideras virum mulier quæ viri filiũ ex alia fœmina genitum de ſacro fonte leuauerit, poſtmodum poſſit cum eodem viro copulari. quos ideo coniungi poſſe decernimus: quia ſecundum canones ſacros niſi amborum conſenſu nullius religionis obtentu debet coniunx dimittere coniugẽ. Pertinet autem ad ingens vxoris exitium quę habens odio virum, vel infirmitatẽ eius nõ conſiderãs, quaſi cauſa pietatis operatur impietatem: maximè cùm Apoſtolus pręcipiat: Nolite (inquiens) fraudare inuicem, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi. & iterum: Reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incõtinentiam veſtrã. Ergo ſi non ex conſenſu vtriuſque coniugis factum eſſe probatur, non fraudentur inuicem, ſed reuertantur in idipſum, pręſertim cùm dicat Apoſtolus: Vxor ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier. *1. Cor. 7. a* *Ibidem.* *Ibidem.*

ITEM ex concilio Gabilonen̄. c. iiij.

Non ſeparetur à viro, ſed pœnitentiã agat quæ filium ſuum coram epiſcopo fraudulenter tenuit. 4 *Iuo lib. 7. Qui inter.*

DIctum eſt nobis quaſdam fœminas deſidioſè, quaſdã verò fraudulẽter (vt à viris ſuis ſeparẽtur) proprios filios corã epiſcopis ad confirmandum tenuiſſe. vnde nos dignum duximus, vt ſi qua mulier filium ſuum deſidia, aut fraude aliqua coram epiſcopo tenuerit ad confirmãdum propter fallaciam ſuã, aut propter fraudem: quandiu viuet, pœnitentiam agat, à viro tamen ſuo non ſeparetur.

ITEM ex concilio Magocienſi. cap. x. in clauſtro ſancti Albini habito. *Ad finem conci. Maguntinen.*

Separentur, & graui pœnitentia plectantur, qui filiolam ſuam vel ſpiritualem matrem ducunt in vxorem. 5

DE eo quod interrogaſtis, ſi aliquis filiolam ſuam in vxorẽ duxit, & de eo qui cum commatre ſpirituali concubuit, & de eo qui filium ſuum baptizauit, & vxor eius eũ de fonte ſuſcepit, hac cauſa vt diſſidium coniugij fieret: ſi poſtea in tali copulatione poſſint permanere. De talibus ſic reſpondendũ eſt: Si filiolam aut commatrem ſuam aliquis in coniugiũ duxerit, ſeparandos eſſe iudicamus, & graui pœnitẽtia plectẽdos. Si autẽ coniuges legitimi vnus aut ambo ex induſtria fecerint, vt filium ſuũ de fonte ſuſciperent: ſi innupti permanere voluerint, bonum

bonum est. si autem, grauis pœnitentia insidiatori iniũgatur, & simul maneant: & si præuaricator cõiugij superuixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, & sine spe coniugij maneat.

Iuo lib. 6. de separat.

ITEM Nicolaus papa Rodulpho Bituricensi episcopo.

Non separentur ab vxoribus, qui filiastros suos coram episcopo tenent. 6

DE his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est, qui filios vxoris suæ de viro priori dum crismantur ab episcopis, super se sustinent, si inscientia (sicut asseris) fiat, licet sit peccatum, non tamen vsque ad separationem coniugij puniendum est: lugeant tamen, & digna pœnitentia hoc diluentes domino dicant. Delicta ignorantiæ nostræ ne memineris.

Psalm. 24.

ITEM Ioannes papa Anselmo Lemosinæ ecclesiæ episcopo.

Non separetur ab vxore, qui necessitatis causa filium suũ baptizauit. 7

AD limina beati Petri apostolorum principis hic præsens homo nomine Stephanus orationis causa veniens, nostro præsulatui suggerendo innotuit, quòd filium suum in extremo vitæ suæ positum, necdum baptismatis vnda lotum, absentia scilicet sacerdotum, nimia necessitate cogente baptizauit: cumque ipse proprijs manibus retinendo suscepit, atque pro huius rei negocio notitiæ tuæ patefacto, reuerentia tua quasi rectitudinis zelo flagrans, præfatum hominem à sua cõiuge iudicauit esse separandum: quod fieri nullatenus debet, dicente scriptura à domino iunctam esse viro vxorem: & quos deus coniunxit, homo non separet. vnde & dominus in euangelio non dimittere posse vxorem suam nisi causa fornicationis apertissimè iubet: & nos tantæ auctoritatis præcipua freti iussione dicimus dimittendam non esse. & inculpabile iudicandum quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus iuxta canonicam auctoritatem si necesse fuerit facere liberè conceditur. Vnde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereũtem dimitteret, sacri vnda baptismatis lauit, vt eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi iam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur: & idcirco suæ vxori sibi iam legitimè sociatæ impunè quandiu vixerit iudicamus manere coniunctum: nec ob hoc contra præfatas auctoritates diuinas aliquatenus separari debere. Filia dicitur spiritualis, non solum eius qui accipit, sed etiam eius qui trinæ mersionis vocabulo eam sacro baptismate tingit. Dicitur etiam spiritualis filia sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur. harum omnium flagitiosa coniunctio est, & eadem pœna plectenda.

Genes. 2. d
Matth. 19. a

3. pars.

VNDE Symmachus papa ait.

Par pœnitentia ei indicitur, qui spiritualem filiam & pœnitentialem suam violare monstratur. 8

OMnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, vt & ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo in ergētibus vnda sacri baptismatis regenerauit. Siluester quoque docens admonet vnumquemq; sacerdotem, vt nullus causa fornicationis ad suam pœnitētialem accedat: quia scriptum est: Omnes quos in pœnitētia accipimus, ita filij nostri sunt, vt in baptismate suscepti. quapropter hoc scelus si quis perpetrauerit: non solum dignitatis honorem amittat, verumetiam vsque ad exitum vitæ suæ iugi pœnitentiæ se subdat. ITEM Cœlestinus.

De eodem. 9

SI quis sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se graue adulterium commisisse. Idcirco fœmina si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conuersa in monasterio deo vsque ad mortem seruiat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinādo duodecim annis pœniteat. postea verò ad monasterium vadat: ibique cunctis diebus vitæ suæ deo seruiat. ITEM.

De eodem. 10

NOn debet episcopus aut presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessæ peccata si fortè (quod absit) hoc contigerit: sic pœniteat, quomodo de filia spirituali, episcopus quindecim annos, presbyter duodecim, & deponatur, tamen si in conscientiam populi deuenerit.

His itaque auctoritatibus apparet, quòd siue proprium suū siue tantummodo viri filium mulier de sacro fonte susceperit: non ideo à viro suo est separanda. quod de viro suo similiter oportet intelligi. GRATIAN.

QVAESTIO II.

AN SPONSALIA CONTRAHANTVR INTER INFANTES.

SPonsalia ante septennium contrahi non possunt. solo enim consensu contrahuntur, qui interuenire non potest nisi ab alterutra parte id intelligatur quod inter eos agitur. Probatur ergo sponsalia non posse contrahi inter pueros: quorum ætatis infirmitas consensum non admittit. Testatur hoc idem Nicolaus papa dicens. GRATIAN. *Iuo lib. 6. de separatione.*

Ante tempus consentiendi coniugium contrahi non potest. 1

VBi non est consensus vtriusque, ibi non est coniugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & econuerso: nihil faciunt, nisi vterque puerorum postquam venerit ad annos discre-

discretionis,consentiat: nec est coniugium, nisi sit consensus vtriusque, etiam si pater & mater hoc voluerint & fecerint.

QVAESTIO III.

AN SPIRITVALES VEL ADOPTIVI FILII NATVRALIBVS COPVLARI VALEANT.

GRATIAN. *Iuo vbi suprà.* Ex mag. Iuone p.1. de baptism.

QVòd autem spirituales vel adoptiui filij naturalibus copulari non possint: Nicolaus papa respondens ad consulta Bulgarorum testatur, ita dicens.

Qui de sacro fonte suscipitur, filius est eius à quo suscipitur. 1

ITa diligere debet homo eũ qui se suscepit [ipsum] de sacro fonte,sicut patrem. Item,est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio,quæ dicenda non est consanguinitas,sed potius habẽda spiritualis proximitas. vnde inter eos arbitror non posse fieri quodlibet legale [a] coniugium, quãdoquidẽ nec inter eos qui natura,& eos qui adoptione filij sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. Itẽ,si inter eos non cõtrahitur matrimoniũ quos adoptio iungit,quanto potius à carnali oportet inter se contubernio cessare illos quos per cœleste sacramentũ regeneratio sancti spiritus [b] iungit? Longè(inquit) ergo congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is quem diuina gratia potius quàm humana voluntas,vt filius patris mei,vel frater meus esset, elegit: prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur.

a al. coniugale connubium.

b al. vincit.

Ex mag. Iuone p.1. *Iuo lib.6. de separatione coniug.*

ITEM Zacharias episcopus seruus seruorũ dei reuerendissimo & sanctissimo Theodoro episcopo ecclesiæ Ticiensis.

Filia spiritualis carnali filio nullo modo nubere potest. 2

PYctacium quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, suscepimus: per quod sciscitari voluisti si liceat filio,cuius pater alterius filiã ex sacro baptismate susceperit,susceptã,id est spiritualẽ eius patris filiam(quod dici crudele est)in matrimonio suscipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet quod dominus præcepit Moysi dicens: Turpitudinem patris tui vel matris,vel sororis non reuelabis: turpitudo enim tua est: Cùm ergo à propria consanguinitate iubemur abstinere,multo magis à spirituali nostri patris filia (omni excusatione aut argumento seposito)sub nimia districtione nos cauere conuenit: ne in iram diuinæ examinationis incidat, si quis tali facinore mixtus,minimè restrinxerit frena luxuriæ. vnde etiam omnes cauendi sunt à tali sceleris commixtione, ne in perpetuum pereant: sed hunc qui auctor huius perniciosę temeritatis,animę suæ salutem despiciens,impio se miscuit matrimonio: per omnia tua fraternitas studeat separare, & pœnitentiæ dignè submittere.

Leuit. 18.a

mittere: quatenus ab æterna erutam damnatione animam eius lucreris. ITEM Zacharias & Deusdedit.

Filio suo filiam quã de sacro fonte suscepit, nullus tradere audeat. 3

NOn oportet filiam suam quam de sacro fonte susceperit, aliquando filio suo in matrimonium tradere: quia in diuina sententia germani esse inueniuntur. Si quis tali facinore commixtus minimè restrinxerit frena luxuriæ, ab ecclesia catholica abominabitur. sed si conuersus fuerit, post separationem septem annis pœnitentiam gerat. coniectis simul cum auctore sit ista conditio, id est simul cũ cooperatoribus & consentientibus pœniteat.

Filij verò siue filiæ quæ ante compaternitatem, siue post nati fuerint, licitè coniungi possunt. VNDE Vrbanus scribit Vitali presbytero Brixiensi dicens.

GRATIA. 2. pars.

Filij vel filiæ ante vel post compaternitatem genitæ, legitimè coniungi possunt. 4

SVper quibus consulit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, vt & baptismus sit si instante necessitate fœmina puerum in nomine trinitatis baptizauerit: & quod spiritualium parentum filij vel filiæ ante vel post compaternitatem genitæ possunt legitimè coniungi præter illam personam per quam compatres sunt effecti. Paschalis verò secundus post compaternitatem genitos copulari prohibens scribit Rhegino episcopo.

Glos. in c. 1. ex. de spirituali cognat. ait legend. hic esse paschalis primus.

Qui ex compatre vel commatre post susceptos filios de fonte nati fuerint: coniungi non possunt. 5

POst susceptum verò de fonte filium vel filiam spiritualem, qui ex compatre vel commatre nati fuerint, matrimonio coniungi non possunt: quia leges seculi nõ emancipatos adoptiuis prohibent copulari. IDEM ex libro digestorum, tit. de ritu nuptiarum perpenditur, in quo ita legitur.

Lib. 23. ff tit. 2 lib. 17.

Palea. 6

Non est palea. in li. manuscri.

PEr adoptionem quæsita fraternitas, eousque impedit nuptias, donec manet adoptio. ideóque eam quam pater meus adoptauit & emancipauit, potero vxorem ducere. Aequè etsi me emancipato illam in potestate retinuerit, poterimus iungi matrimonio. Itaque volenti generum adoptare, suadetur vt filiam emancipet. similiter suadetur ei qui velit nurum adoptare, vt emancipet filium.

Si quis verò aliquo fortuito casu filiam suæ commatris vxorem acceperit, non cogitur eam dimittere. VNDE in Triburiensi concilio legitur.

Cap. 48.

Nunc

Non cogitur quis dimittere filiam suæ commatris, quam duxit in coniugium. 7

ILlud etiam nec canonica institutione definimus, nec interdictione aliqua refut mus: sed propter eos qui diuersè de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito & ita contingente rerum casu in coniugium duxerit, consilio maturiori seruato habeat, atque honestè legitimo coniugio operam det.

QVAESTIO IIII.

AN VXOREM COMPATRIS VXORIS SVAE ALICVI DVCERE LICEAT.

GRATIAN. *Iuo lib. 7. Quod inter.* Ex mag. Iuone: p. 1. de baptism.

RElictam verò compatris vxoris suæ nullus in coniugium ducere potest. Vnde Nicolaus papa scribit Constantiensi episcopo Salomoni.

Duas commatres alicui habere non licet. 1

SCiscitatur à nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas cōmatres habere valeat vnam post alteram. in quo meminisse debet scriptum esse: Erunt duo in carne vna. Itaque cùm constet, quia vir & mulier vna caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri, cuius matrimonio assumpta vxor commater esse videbatur. & ideirco liquet virum illi fœminæ non posse coniungi in copulam, quę commater eius erat, cum qua idē fuerat vna caro effectus.

Genes. 2. d

ITEM ex concilio Chalcedonensi.

Falsa inscriptio, quamuis extet in Gratiano manuscr.

Octo annis pœniteat qui duabus commiscetur commatribus. 2

SI pater & filius, aut duo fratres cum vna muliere, aut si cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus cōmatribus aliquis concubuerit: secundum antiquam & humaniorem diffinitionem octo annis pœniteat.

ITEM Innocentius Exuperio Toletano episcopo.

Nullus duabus commatribus commisceatur. 3

**Si quis vnus ex coniugio. *mysterium.*

SI quis ex *vno coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit, vel Christianitatis ministerium* dederit: ambo & vir & vxor compatres existunt parentibus infantis: quia vir & mulier caro vna effecti sunt.

Cap. 47. Econtrario inuenitur in concil. Triburiensi, cap. xlviij.

Vxorem compatris ducere potest cuius ipsa commater non fuerat. 4

QVi spiritualem habet compatrem cuius filium de lauacro sacri fontis accepit, & eius vxor commater non est: liceat ei defuncto compatre suo eius viduam ducere in vxorem, si nullam habet consanguinitatis propinquitatem. quid enim? nunquid non possunt coniungi, quos nulla propinquitas carnalis, vel nulla generatio secernit spiritualis.

ITEM in epistola Paschalis papæ ij. ad Reginum episcopum.

De eodem. 5

POst vxoris obitum cum commatre vxoris viri superstitis coniugio copulari nulla videtur auctoritas vel ratio prohibere. neque enim cognationi carnis cognatio spiritus comparatur: neque per vnionem carnis ad vnionē spiritus pertransitur. Notandum verò est quòd aliud est commatrem alicuius cognoscere: atque aliud derelictam ab aliquo commatrem alicuius fieri. Auctoritas illa Nicolai papæ & Chalcedonensis synodi illum prohibet commatris suę vxoris matrimonio copulari, qui vxori suæ debitum reddidit postquam illius commater extitit. Illa verò auctoritas Triburiensis concilij illos permittit matrimonio copulari, cuius vxori postquam à viro suo derelinquitur, illius commater efficitur: nec post compaternitatem à viro suo cognoscitur. Quæritur autem an vxor cum marito in baptismate simul debeat suscipere puerum. De his ita scribit Vrbanus secundus Vitali episcopo Brixiæ. 3.pars.

Vxor simul cum viro filium alicuius in baptismate non sit suscipiens. 6

QVòd autem vxor cum marito in baptismate simul nō debeat suscipere puerum, nulla auctoritate reperitur prohibitum: sed vt puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conseruetur immunis, dignum esse decernimus vt vtrique insimul ad hoc aspirare minimè præsumant: quia verò piaculare flagitium commisit, qui duabus cōmatribus velut duabus sororibus nupsit: magna iuxta modum culpæ pœnitentia sibi debet iniungi. Illud verò Triburiensis cōcilij qui spiritualem habet compatrem, &c. ante hanc prohibitionem dictum intelligitur: vel vxor commater accipiatur non ex eodem filio cum viro, sed ex alio.

QVAESTIO. V.

AN CLANDESTINA DESPONSATIO MANIFESTE PRAEIVDICET.

QVòd autem clandestina coniugia fieri non debeant: Euaristus papa testatur scribens episcopis Africæ. GRATIA. Epist.1.ex mag. luo.

Clandestina coniugia fieri non debent. 1

ALiter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationē habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter (vt mos est) cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur: & à paranymphis (vt consuetudo docet) custodita, & consociata à proximis, congruo tempore perita à legibus dotetur ac solenniter accipiatur. & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant. Item ita peracta legitima scitote esse connubia: aliter verò præsumpta, non coniugia,

gia, sed adulteria vel contubernia, vel stupra aut fornicationes potius quàm legitima coniugia esse non dubitatur, [a] nisi voluntas propria suffragauerit, & vota succurrerint legitima.

a Habeo quendam librũ manuscriptum cóciliorum in quo pro, nisi, legitur et à si. quod diuersum prorsus intellectum habet. tametsi omnia istius Euaristi decreta videri possunt supposititia. vt dixi in præfatione.

ITEM ex decretis Hormisdæ papæ, cap. vj.

Nuptias occultas celebrare non licet. 2

NVllus fidelis, cuiuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à sacerdote publicè nubat in domino. ITEM Nicolaus ad consulta Bulgarorum.

Iuo lib. 6. de nuptiis.

Nuptiæ publicè celebrari debent. 3

NOstrates tam mares quàm fœminæ nõ ligaturam auream vel argẽteam, aut ex quolibet metallo compositam quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt: sed post* sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissio, fœdera quoque consensu eorum qui hæc contrahunt, & horum in quorum potestate sunt, celebrãtur: & postquam arris sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitam desponderit: dotemq́ue vtrique placitam sponsus eius scripto pactum hoc continente coram inuitatis ab vtraque parte tradiderit aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid facere præsumant: ambo ad nuptialia fœdera perducuntur: & primum in ecclesiam domini cum oblationibus quas offerre debent deo per sacerdotis manum, statuuntur: sicq́ue demum benedictionem & velamen cœleste suscipiunt. Item sunt præter hæc alia, quæ ad memoriam non occurrunt, pacta coniugiorum solennia. Peccatum autem esse si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interueniant, nõ dicimus.

Iuo ibidẽ refert.
**al. sponsalia fœdera.*

ITEM Leo papa.

Iuo lib. 6.
Inter quas.

In contrahendo coniugio ista sunt obseruanda. 4

QValis debeat vxor esse quæ habenda est secundum legem, virgo casta, & desponsata in virginitate, & dotata legitime, & à parẽtibus tradita sponso, & à paranymphis accipienda, & ita secundum legem & euangelium publicis nuptiis in coniugium liquide sumenda, & omnibus diebus vitæ suæ (nisi ex consensu, & causa vacandi deo) nunquam propter hominem est separanda: & si fornicata fuerit, dimittenda: sed illa viuente, altera non ducenda: quia adulteri regnum dei nõ possidebunt: & pœnitentia illius per scripturam recipienda.

ITEM ex concilio Carthaginensi. iiij.

cap. 13.

Quomodo sponsus & sponsa ad benedictionem accedant. 5

SPonsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus vel paranymphis offerantur in ecclesia sacerdoti: qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reuerentia benedictionis in virginitate permaneant.

ITEM ex concilio Arelatensi. cap. vj.

Sine

Sine publicis nuptiis nullus ducat vxorem. 6

NVllum sine dote fiat coniugium: iuxta possibilitatem fiat dos: nec sine publicis nuptiis quisquã nubere vel vxorem ducere pręsumat. His omnibus auctoritatibus occultę nuptię prohibentur. atq; ideo cum contra auctoritatem fiunt nuptię, pro infectis habere debent. Sed quæritur quid sibi velint illæ solennitates velaminis & annuli quæ in coniugiis obseruãtur. *2. pars.*

De his ita scribit Isidorus in ij. lib. de officiis. cap. xv. *Isido. cap. 19. li. 2. de ecclesiasticis officiis.*

Quare fœminæ velantur dum maritantur. 7

FOeminæ dum maritantur, ideo velãtur, vt se nouerint semper maritis suis subditas esse & humiles. Item quòd nubentes post benedictionem vitta inuicem quasi vno vinculo copulantur: videlicet ideo fit, ne compagem coniugalis vnitatis dirumpãt. At vero quòd eadem vitta candido purpureoq; colore permiscetur: candor quippe est ad munditiam vitæ: purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur: vt hoc signo & continentia & lex continendi ab vtrisque ad tempus admoneantur: & post hoc reddendum debitum non negetur. Item quòd in primis nuptiis annulus à sponso sponsæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum: vel propter id magis vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto annulus digito inseritur, ideo quia in eo vena quædam (vt fertur) sanguinis ad cor vsque perueniat.

ITEM Ambro. in libro de patriarchis. *Ca. 9. li. 1. de Abraham.*

Nuptiæ dicuntur ab obnubendo: eo quod caput suum obnubere soleant. 8

NEc illud ociosum, quòd cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantẽ: & cum interrogasset quis esset: cognito ꝙ ipse esset cui duceretur vxor, descendit, & caput obnubere suum cœpit: docẽs verecundiam in nuptiis præire debere. inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberẽt. Sed obiicitur præmissis, multa sunt quæ prohibẽtur, quæ si fiant, ex postfacto conualescunt: prohibentur vouentes matrimonia contrahere, quæ tamen si contraxerint, inuiolata permanere oportet. sic & clãdestina coniugia cõtra leges quidem fiunt: tamen contracta dissolui non possunt: quia ex legitimo voto subsequẽte corroborantur. vnde Euaristus cum dixisset: Aliter præsumpta non sunt coniugia, sed adulteria addidit, nisi voluntas propria suffragauerit: & vota succurrerint legitima. Hinc etiam in Nouellis. *3. pars.* *Gen. 24. g.* *4. pars.* *Iuo lib. 6. de nuptiis & mat.*

SI quis diuinis tactis scripturis iurauit mulieri legitimam se eam vxorem habiturum: vel si in oratorio tale sacramẽtum dederit: sit illa legitima vxor: quãuis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit. His ita respõdetur, cõiugia quæ clam contrahuntur, non negãtur esse coniugia: nec iubentur dissolui si

vtriusque confessione probari poterunt, veruntamen prohibentur, quia mutata voluntate alterius eorum, alterius confessione fides iudici fieri non potest. Vnde publice cum alterius vota in alteram partē se transtulerint pro priori coniugio quod iudici incertum est, sententia ferri non poterit. Incerta enim (vt Sixtus papa scribit episcopis per Hispaniā constitutis) nemo pontificum iudicare præsumat: & quamuis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ certis indicijs cōprobantur: nisi quæ manifesto iudicio conuincūtur: nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Hinc etiā Victor papa scribit Theophilo episcopo.

Episto. 2.

Incerta charissime nullatenus iudicemus quousq; veniat dominus qui latentia producet in lucem: & illuminabit absconditā tenebrarum: & manifestabit concilia cordiu. quāuis enim vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indicijs comprobantur: nisi quæ manifesto iudicio conuincūtur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur.

Per Aegyptum conglutinatis sic in manusc. & recte.

Ro. 14. 4.

Epist. ad Gallia prouincias.

ITEM Euaristus papa omnibus episcopis.

Ante iustam probationem nullus est iudicandus aut damnandus. 10

NVllum ante veram iustamque probationem iudicare aut damnare debemus: teste Apostolo qui ait, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. mala vtiq; audita nullum moueant, aut passim dicta absque certa probatione quisquam vnquam credat: sed ante audita, diligenter inquirat, ne præcipitando quicquam aliquis agat.

Adulterinam esse hanc Eleutherij epistolam quæ tamen extat in primo volumine concil. vel ex hoc fragmento liquet. hæc enim sunt verba Constatini Imperatoris in l. 1. C. Theodosiano. de iudiciis, quæ plus quàm centum post Eleutheriū annis, sunt à Cōstantino rescripta, quæ illius epistolæ fabricator suppresso nomine compilauit, putans furtum semper celari posse, sed & tam infœliciter compilauit vt verba textus cum verbis subiectæ illi præposteræ interpretationis in Alarico breuiario temere miscuerit. Ant. Cont.

ITEM Eleutherius papa.

Non sunt aliqua iudicanda priusquam certis demonstrentur indicijs. 11

IVdicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere: interrogandi, respondendi, obijciendique præbita patientia ab eo, vt vbi actio ambarum partium limitata sit pleniter, nec litigantibus iudex prius velit sua sententia obuiare, nisi quādo iam peractis omnibus nihil habeāt in quæstione quod proponant. & tandiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perueniatur. frequenter interrogari oportet, ne aliquid prętermissum forte remaneat, quod annecti conueniat.

GRATIAN.

Ex præmissis manifeste colligitur quòd pro incertis à certis recedendum non est: nec in re dubia certa danda est sententia. Cum autem fides dubiæ rei nisi testium approbatione vel legitima confessione iudici fieri non valeat: testes autem auctoritate Calixti papæ de alijs causis vel negocijs testimoniū dicere non valeant, nisi de his quæ sub eorum præsentia facta noscuntur: apparet clandestina coniugia ideo esse prohibita, quia cū alter eorum cōiugalem affectum se ad alterū habuisse negare voluerit, legitimis probationibus conuinci non poterit,

terit, quibus deficientibus, iudicis sentẽtia rite absolutus, reatum adulterij vterque incurrit: dum vtroque eorum viuente aliis se copulauerint.

CAVSA XXXI.

VXorem cuiusdam alius constuprauit: eo mortuo adulter adulteram sibi in vxorem accepit: filiam ex ea susceptam cuidam in coniugem se daturum iurauit: illa assensum non præbuit: deinde pater alij eam tradidit: à primo reposcitur. GRATIA.

1 Quæritur, an possit duci in coniugium, quæ prius est polluta per adulterium?

2 Secundò, an filia inuita sit tradenda alicui?

3 Tertiò, an post patris sponsionem illa possit nubere alij.

QVAESTIO I.

AN POSSIT DVCI IN CONIVGIVM, QVAE PRIVS EST POLLVTA PER ADVLTERIVM.

ADulterium polluta prohibetur duci in coniugium auctoritate Leonis papæ, qua dicitur.

Adulterio polluta non ducatur ab eodem in matrimonium. I

NVllus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio, Sed August. econtra testatur scribens ad Valerium de nuptiis & concupiscentia. *Cap. 10. lib. 1.*

Licet alicui ducere in matrimonium, quam prius polluit adulterio. 2

DEnique mortuo eo cum quo fuit verum connubium, fieri potest coniugium cum qua præcessit adulterium. Item in lib. de bono coniugali. Posse sane fieri licitas nuptias ex personis illicitè coniunctis (honesto placito subsequente) manifestum est. *In meo manuscripto notatur in quibusdam codicibus legi non potest. Cap. 14.*

Hæc vltima auctoritas Aug. de concubinis loquitur perhibens concubinas posse trãsire ad honestum placitum nuptiarum. Prima auctoritas Augu. loquitur de repudiata: quã dum viuente viro suo quicunq; ducit in coniugium, cõmittit adulterium: cuius adulterium aliquã habet veniam dum eius copula creditur esse licita. Illud vero Leonis papæ de ea intelligendum est quæ à viro suo nõ erat repudiata: cuius viuebat vir reddens ei coniugale debitum. GRATIAN.

VNDE in cõcilio apud Alphesum habito præsente Conrardo rege statutum est. cap. vj. *Alphesium Iuo lib. 7. de separatione.*

Nullus ducat in coniugium quam polluit per adulterium. 3

ILlud vero cõmuni decreto secundum canonum statuta definimus & præiudicamus, vt si quis cum vxore alterius eo viuente fornicatus fuerit: moriente marito, synodali iudicio aditus ei claudatur illicitus: nec vlterius coniungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec

Christianæ religioni conuenit, vt vllus ducat in coniugium quam prius polluit [a]adulterio.

a Per adulteriū

GRATIA. Hic subaudiendū est, nisi prius peracta pœnitētia, & si nihil in mortem viri machinatus fuerit: vel si viuente viro fidem adulteræ non dedit se sumpturum eam sibi in coniugem si viro eius superuiueret. VNDE in conci. Triburiensi legitur.

Cap. 40.

Post mortem viri non potest adulteram in coniugium ducere, qui viro viuente iuramentum sibi futurarum nuptiarum præbuit. 4

RElatum est auribus sanctorum sacerdotum quendam alterius vxorem stupro violasse, & insuper mœchæ viuente viro suo iuramentum dedisse, vt post legitimi mariti mortem si superuixisset, duceret eam in vxorem, quod & factum est. Tale ergo connubium prohibemus & anathematizamus.

Cap. 51. ITEM in eodem.

Post peractam pœnitentiam poterit viduam in coniugem ducere, quam viro viuente per adulterium polluit. 5

SI quis viuente marito coniugē illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eandem sumpsisse dinoscitur: omnibus modis publicæ pœnitētiæ subiiciatur: de quo etiam post pœnitentiam præfatam (si expedierit) seruabitur regula. nisi fortè vir aut mulier virum qui mortuus fuerat, occidisse notetur: aut propinquitas vel alia quælibet actio * criminalis impediat. quod si probatum fuerit, sine vlla spe coniugij maneant perpetuo cum pœnitentia.

* occasio.

ITEM ex concilio Elibertano apud Vermerias.

Palea. 6

Deest in vet. manuscripto.

[SI qua mulier in mortem mariti sui cum aliis cōsiliata sit: & ipse vir aliquē illorū se defendendo occidit: si probare potest ille vir eam ream esse consilij, potest (vt nobis videtur) ipsam vxorē dimittere: & si voluerit aliam ducere, ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subiecta, absque spe coniugij maneat.]

Cap. 72. ITEM ex concilio Elibertano.

Post pœnitentiam reconcilietur ad communionem vidua, quæ mœchum suum in virum accepit. 7

SI qua fuerit vidua mœchata, & postea eundē habuerit maritum, post quinquennij tempus peracta legitima pœnitentia placuit eam ad communionem reconciliari.

GRATIAN. 2. pars. Sed obiicitur, Dauid cum Bethsabee adulterium commisit, & mortem Vriæ machinatus est, & tamen eandem Bethsabee postea duxit in vxorem. Sed in veteri testamento multa permittebantur propter infirmitatem, quæ in euangelij perfectione eliminata sunt: sicut permittebatur quibuslibet dare libellum repudij, ne per odium funderetur sanguis innoxius. quod postea in euangelio dominus prohibuit, dicens vxorem à viro non esse dimittēdam nisi causa fornicationis, quædam permit-

2.Re 11.4.

Deu. 24.4.

permittebantur causa infirmitatis & sacramenti futurorum: sicut dominus permisit filiis Israel offerre animalia sibi in sacrificiũ, quæ in Aegypto consueuerant immolare dæmonibus, malens ea sibi offerri quàm idolis: & vt essent illis sacramenta futurorum. sic & Bethsabee permissa est duci in vxorem non magis causa suæ infirmitatis, quàm significatione futurorum. Sed est alia ratio quare vxor defuncti huic nubere non possit. Generaliter enim prohibentur viri & mulieres frequenter matrimonia contrahere. vnde in connubio secundarum nuptiarum presbyteri interesse non debent: sicut in Neocæsarien. concil. legitur.

Matth. 19. b. Leui. 9. a. 2. Reg. 11. d. Cap. 3.

Fides & conuersatio pœnitentiam breuiat eorum, qui frequenter ducunt vxores. 8

DE his qui frequenter vxores ducunt, & de his qui sæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ his manifestum cõstitutum est: sed cõuersatio & fides eorum tempus abbreuiat, presbyterum vero connubio secundarum nuptiarum interesse non debere, maxime cum præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere: quis erit presbyter qui propter cõuiuium illis consentiat nuptiis? ITEM Ioannes Chrysostomus.

Cap. 7. eiusdẽ. Ho. 33. ad cap. 19. Matthei.

Secundum veritatis rationem fornicari conuincitur, qui secundam ducit vxorem. 9

HAc ratione & apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinẽtiam hominum. nam secundam quidẽ accipere, secundum præceptum apostoli licitum est: secundum autem veritatis rationem, verè fornicatio est: sed cum permittente deo publicè & licenter committitur: fit honesta fornicatio. propterea bene dixit Christus in euangelio, quia Moyses hoc permisit, & non præcepit. Aliud est enim præcipere, aliud permittere. quod enim permittimus, nolentes præcipimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. ITEM Hiero. contra Iouinianum. lib. j.

1. Cor. 7. b. Deute. 24. c. Matth. 19. a. Hier. lib. 1. tom. 2.

Vt vitetur periculum fornicationis, secunda matrimonia conceduntur. 10

QVomodo virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias, & excusabile facit quod per se non appetitur, ita ob eandem fornicationem vitandam concedit viduis secunda matrimonia. Melius enim licet alterum & tertium, vnum virum nosse, quàm plurimos, id est, tolerabilius est vni homini prostitutam esse, quàm multis. Siquidẽ & illa in euangelio, Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur à domino ꝙ non sit vir eius. Vbi enim numerus maritorũ est: ibi vir qui proprie vnus est, esse desiit. Vna costa à principio in vnã vxorem versa est. Et erunt (inquit) duo in carne vna. non tres, neque quatuor. alioquin non duo, sed plures. Primus Lamech sangui-

Ioan. 4. c. Genes 2. c. Gene 4. c. Gene. 19. d.

sanguinarius atque homicida vnam carnem in duas diuisit vxores. fratricidium & digamiam eadem cataclysmi pœna deleuit: de altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est. quantum distat in numero, tantum & in crimine, quàm sancta sit digamia, hinc ostenditur, quod digamus in clerum eligi non potest. & ideo apostolus ad Timoth. (1.Tim.5.b.) Vidua, inquit eligatur non minor.lx. annorum, quæ fuerit vnius viri vxor. hoc omne præceptum de his viduis quæ ecclesiæ pascuntur eleemosynis. & idcirco ætas præscribitur, vt illæ tantum accipiant pauperum cibos, quæ iam laborare non possunt. Simulq; considera quod quæ duos habuit viros, etiam si anus est & decrepita & egens, ecclesiæ stipes non meretur accipere. si autem panis illi tollitur eleemosynæ, quanto magis (1.Corint.11.f.) ille panis qui de cælo descendit: quem qui indignè comederit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi. quanquã hæc testimonia quæ supra posui, in quibus viduis conceditur vt si velint denuo nubant: quidam interpretantur super his viduis quas amissis maritis sic inuenerit fides Christi.

GRATIA. 3. pars. Verum hoc eum in exhortationem vidualis continentiæ, non in condemnationem secundarum, & deinceps nuptiarum putamus dixisse, quas multorum auctoritatibus constat licitas esse: vt ex verbis eiusdem datur intelligi. AIT enim ad (Tom.2. in apologia.) Pammachium in Apologetico contra Iouinianum.

Nec duæ nec tres, nec deinceps nuptiæ sunt condemnandæ. 11

APeriant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secundas nuptias & tertias in domino cõcessisse. Qui secundas & tertias nuptias non damnaui, primum potui damnare matrimonium? Idem. Non damno digamos, imo nec trigamos, & si dici potest, octogamos. Idem. Ego nunc voce proclamo libera, non damnari in ecclesia digamiam, imo nec trigamiam: & ita licere quinto & sexto & vltra quomodo & secundo marito recte nubere. (Cap.11.) ITEM August. lib. ij. contra aduersarium legum & prophetarum.

Secunda coniugia sicut & prima, licita esse probantur. 12

DEus masculum & fœminam propagandi generis causa nuptiali castitate coniunxit, & secundas nuptias quæ in vtroque testamento permittuntur, licitas esse monstrauit.

(August. ca.12. lib. de bono viduitatis.) IDEM super primam epistolam ad Corinthios.

De eodem. 13

(1.Corinth 7.g.) QVod si dormierit vir eius: non dicit primus vel secundus vel quartus. nec nobis definiendum est quod non definit apostolus. vnde nec vllas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam inferre numerositatis. Dominus autem (Matth.22.c.) septemuiram non damnauit: nec dicit in resurrectione non posse esse, sed tantum, neque nubent, neque nubentur. vnde nec contra hu-

stra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere vt quotiens voluerint nubant: nec ex corde meo quotaslibet nuptias condemnare. Quod dicitur vniuiræ, hoc & omni viduæ: Beatior autem erit si sic permanserit.

QVAESTIO II.

AN FILIA INVITA SIT TRADENDA ALICVI.

Qvod autem aliqua non sit cogenda nubere alicui, Ambro. testatur super epistolam primam ad Corinthios. Nubat vidua cui vult, tantum in domino, id est, quem sibi aptum putauerit, illi nubat: quia inuitæ nuptiæ solent malos prouentus habere. GRATIAN. 1. Cor. 7. g. Ad cap. 7. in comment. 2.

Tantum autem in domino, id est, sine suspicione turpitudinis nubat: & viro suæ religionis nubat. ITEM iudicium[a] Vrbani papæ. a sententia. Ex mag. Iuo. Iuo li. 6. Quare non debet.

Iuramento patris non cogitur puella nubere, cui nunquam assensum adhibuit. 2

SI verum esse constiterit quod nobis legati Iordanis* principis retulerunt, scilicet quòd ipse coactus & dolens filiam suam infantulam nolentem & flentem & pro viribus renitentem, non assentientibus sed valde dolentibus matre & parentela, Rainaldo Rodeli* filio desponsauerit: quoniam canonum & legum auctoritas talia sponsalia (vt infra ostendetur) non approbat: ne ignorantibus leges & canones, nimis durum quod dicimus videatur, ita sententiam temperamus, vt si princeps cum filiæ, matris, & parentelæ assensu id quod cœptum est, perficere voluerit: concedamus. sin autem, legatus noster vtrasque partes audiat: & si nihil fuerit ex parte supradicti Rainaldi amplius quod impediat, ab ipso Iordane sacramentum quod ita constent hæc vt dicta sunt, accipiat: & nos canonum ac legum scita sequentes, deinceps non prohibemus quin alij viro (si voluerit) prædicta filia eius nubat, tantum in domino. ECONTRA Hormisda papa scribit Eusebio episcopo.

*al. Iordani

*al. Ridelli.

Palea. 4

TVa sanctitas requisiuit à nobis frater venerande de filio adulto, quem mater matrimonium contrahere vult, si sine voluntate filij adulti facere potest. Ad quod dicimus, si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse. Potest autem de filio nondum adulto voluntas cuius nōdum discerni potest, pater eum cui vult in matrimonium tradere: & postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem, omnino obseruare & adimplere debet. Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus, sancitum à nobis, tenendum mandamus. ITEM Sacragio[b] regi Aragonum.

b Vrbanus Sancio regi in Arrago. in mag. Iuo. p. 8. Iuo lib. 6. refert.

Quorum vnum futurum est corpus vnus debet esse animus, atque ideo nulla est inuita copulanda alicui. 5

DE neptis tuæ coniugio, quam te cuidã militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione firmasti: hoc æquitate dictante decernimus, vt si illa virum illum omnino (vt dicitur) renuit: & in eadẽ voluntatis auctoritate persistit, vt viro illi prorsus se deneget nuptarum: nequaquam eam inuitam & renitentem eiusdem viri cogas cõiugio sociari. quorum enim vnum corpus est, vnus debet esse & animus: ne forte virgo cum fuerit alicui inuita copulata contra domini apostoliq; præceptum: aut reatum dissidij, aut crimen fornicationis incurrat: cuius videlicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam coniunxit inuitam. quod pari tenore de viro etiam est sentiendum. ITEM Nico. Radualdo[a] Portuensi & Ioan. Sicoliensi episcopis.

Nico. pa. I.
a Ex mag. Iuo. part. 8.

Non licet deserere viro quam præmissis dotibus & publica attestatione duxit vxorem. 6

LOtharius rex in commonitorio profitetur Gualdradam se à patre præmissis dotibus accepisse: & sororẽ postmodum admisisse Huberti. vbi primum diligenti inuestigatione inquirite: & si eundem gloriosum regem prædictam Gualdradam præmissis dotibus coram testibus secundum legem & ritum quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inueneritis accepisse: & publica manifestatione eadem Gualdrada in matrimonium ipsius admissa est: restat vt perscrutemini cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa est. Sed quia idem gloriosus rex metu Tebergam admisisse se dicit: metu vnius hominis tantus rex non debuit contra diuinum præceptum in immane præcipitium mergi. in hoc certè se magis reprehensibilem ostendit, in quo amorem dei amori mundi postposuit: cum nec etiam occisores corporis sint timendi contra iustitiam hominem impellentes. Nihil itaque vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege cõuicto, nisi vt secundum canonicam auctoritatem nostra vice freti causam illius definiatis. Si vero minime probatum fuerit Gualdradam fuisse vxorem legitimam, neque nuptiis more celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario extitisse coniunctam, suggerite illi vt non moleste ferat legitimam sibi (si ipsa innocens apparuerit) reconciliari vxorem. Præterea vos scire volo quia præfata Teberga apostolicam sedẽ bis & ter appellauit: & se à præfato glorioso rege questa est iniustè fuisse deiectam: & vi coactam falsum contra se composuisse piaculum. nam eo tempore ad apostolicam sedem libellum appellationis suæ misit: in quo quidem non adhuc cõfessam, sed vt contra se falsum diceret crimen, cogi sese innotuit: insuper

insuper subiungens, quòd si amplius compulsa fuero, scitote non veritate sed timore mortis, & euadēdi studio (quia aliter non possum) quod voluerit dicam. Vnde vobis præcipimus vt cum eadem Teberga ad condictam synodum sicut statuimus aduenerit, causam eius diligenti examinatione tractetis: & si ei obiicitur quòd illa se crimen aliquod admisisse confessa fuisset, & econtra illa violentiam se pertulisse proclamauerit: vel si inimicos iudices illos sibi fuisse testata fuerit: tunc illud renouetis iudicium secundum æquitatis normam, vt iniustitiæ mole non opprimatur.

His auctoritatibus euidenter ostenditur, quòd nisi libera voluntate nulla est copulanda alicui. GRAT.

QVAESTIO III.

AN POST PATRIS SPONSIONEM ILLA POSSIT NVBERE ALTERI.

Quòd autem post parentum sponsionem alijs nubere non valeant, auctoritate Elibertani concilij monstratur qua dicitur. GRATIAN. Cap. 54.

De parentibus qui fidem frangunt sponsaliorum. I

SI qui parentes fidem fregerint sponsaliorum: triennij tempore à communione abstineant. si vero idem sponsus vel sponsa in illo graui crimine non fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. si verò in eodem fuerint vitio, & polluerint se consentiendo: superior sententia seruetur. Ecce quòd non licet parentibus sponsalia filiorum suorum frangere. Verum hoc de illis intelligendū est quę illorū cōsensu cōtrahuntur.

CAVSA XXXII.

Qvidam vir cum non haberet vxorem, quandam meretricem sibi in coniugio copulauit: quæ erat sterilis, neptis ingenui, filia originarij: quam cum pater alij vellet tradere, huic auus eam copulauit causa solius incontinentiæ. deinde hic pœnitentia ductus, ex ancilla propria filios sibi quærere cœpit. postea de adulterio conuictus & punitus, quendam rogauit vt vi vxorem opprimeret suam, vt sic eam dimittere posset: quo facto quandam infidelem sibi copulauit, ea tamen conditione, vt ad christianam religionem transiret. GRATIA.

1 Hic primū quæritur, an meretrix licitè ducatur in vxorē?

2 Secundò, an ea quæ causa incontinentiæ ducitur, sit coniunx appellanda?

3 Tertiò, cuius arbitrium aliqua sequatur, an liberi aui, an originarij patris?

4 Quartò, si viuente vxore liceat alicui filios ex ancilla quęrere.

5 Quin-

mine suo non est purgata, aut abstineat se à matrimonio eius donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ: ideo, quia post satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera. Similiter si virum suum vxor inuenerit adulterum, non ad imparia iudicabitur. * Subauditur, nisi ab adulterio mulier recedere voluerit, quo casu vxorem suá vir recipere potest, nullum periculum ei illaturus.

2. pars.

* al. iudicantur.

V N D E Pelagius papa Melleo subdiacono.

Post pœnitentiam adulterij vxorem vir potest recipere. 4

DE Benedicto quoque quem vxorem alienam indicasti facinoroso sustulisse spiritu, & in suum hactenus præsumere detinere consortium: si hoc rerum veritas habet, iubemus experientiæ tuæ, vt eum cum ipsa quoque adultera districtè non differas mactare, & caluatos ab inuicem separare, & illũ quidem ad Lucium defensorem in Apuliæ prouinciæ patrimonium sine dilatione migrare. Illam verò, siquidem maritus suus sine dolo aliquo fortè accipere voluerit, tua ordinatione sub cautela recipiat, nullum ei duntaxat de cætero simile committenti periculum illaturus. si verò omnino eam recipere noluerit, in alium quẽdam locum in quo ei non liceat malè viuere, prouida eam dispensatione constitue.

I T E M ex pœnitentiali Theodo.

Qui adulteræ debitum reddit, tribus annis pœniteat. 5

SI quis vxorem suam scit adulteram, & non vult dimittere eam, sed in matrimonio habere, tribus annis pœniteat, & quandiu pœnitet, abstineat se ab illa.

I T E M Augustinus ad Pollentium libro. iij.

Cap. 6. lib. 2. de adulterinis coniugiis.

Adulterio purgato per pœnitentiam potest fieri reconciliatio coniugij. 6

QVòd autem tibi durum videtur, vt post adulteriũ reconcilietur coniunx: si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc reputamus adulteros quos credimus, vel baptismate ablutos, vel pœnitentia esse sanatos? Hæc crimina in veteri lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ in lege noui testamenti sine mundatione legali mundantur: & ideo tunc omnino prohibitum est ab aliquo contaminatam accipere vxorem: quamuis Dauid Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri tanquam noui testamenti præfigurator sine cunctatione receperit. Nunc autem postea quàm Christus ait adulteræ, Nec ego te condemnabo, vade deinceps noli peccare: quis non intelligat maritum debere ignoscere quod videt ignouisse deum amborum? nec iam se debere adulteram dicere: cuius pœnitentis crimen deletum est à deo. I D E M de adulterinis coniugiis.

1. Reg. 18. c.

Ioann. 8. b.

Aug. c. 9. eius. li.

De eodem. 7

NOn erit turpis neque difficilis etiam post patrata atq; purgata

gata adulteria reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non vt post viri diuortium adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium adultera non vocetur. ITEM Ambrosius.

Ca.4.li.1. de cain & Abel.

Cum fornicationis vitium excluditur, castitatis virtus adsciscitur. 8

CVm renunciatur improbitati, statim adsciscitur virtus. Egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingressum: eodẽque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.

ITEM Gregorius.

Hom.29.euangeliorum.

Non habetur fallax apud deum, qui ad veritatem pœnitendo reuertitur. 9

APud misericordem nanque iudicem, nec ille fallax habebitur qui ad veritatem reuertitur, etiam postquam mentitur: quia omnipotens deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod errauimus abscondit.

Quòd si in adulterio perseuerare elegerit, patronus turpitudinis, & lenocinij reus maritus habebitur, nisi eam adulterij ream facere voluerit. Vnde in ix. lib. C. de adulte. & stupro. Imperatores Seuerus & Anton. Crimen lenocinij contrahũt, qui deprehẽsam in adulterio vxorem in matrimonio detinuerunt, non qui suspectam habuerunt adulteram. Hoc in mulieribus non obtinet. non enim eis permittitur maritos suos adulterij reos facere. Vnde in libro eod. & titu. cod. Idem Imperator. Publico iudicio non habere mulieres adulterij accusationem, quanuis de matrimonio violato quæri velint, lex Iulia declarat, quæ cum masculis iure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem fœminis priuilegium detulit.

Tit.9. ad leg. Iul. de adult. & stupr. l.2.

Ibidem le.1.

GRATIAN.

Si ergo (vt ex his colligitur auctoritatibus) adulteram retinere nulli permittitur, multo minus in coniugium duci licebit, cuius pudicitiæ nulla spes habetur. debet enim inter coniuges seruari fides & sacramentum: quæ cùm defuerint, non coniuges sed adulteri appellantur.

Iuo. lib.6. refert ex eodem.

VNDE August. scribit contra Iulianum libro primo.

Veritas nuptiarum non consistit in cõmixtione maris & fœminæ. 10

NOn enim in sola (vt deliras) cõmixtione maris & fœminæ nuptiarum veritas est, quanuis sine illa commixtione nuptiæ filios procreare non possint: sed alia sunt ad nuptias propriè pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ discernũtur, scilicet sicuti est thori coniugalis fides, & cura ordinatè filios procreandi, & (quæ maxima est differentia) bonus vsus mali, hoc est bonus vsus concupiscentiæ carnis: quo bono adulteri malè vtuntur. Hæc sunt bona quibus cõmendantur nuptiæ, & ab illicito vsu discernuntur. Econtra verò Ambrosius improbare nuptias videtur dicens.

3. pars. Hier. li.1. contra Iouinianum.

Pri-

Prima vel secundæ nuptiæ hac auctoritate improbari videntur. 11

NVptiæ terram implent, virginitas paradisum. Sed hoc intuendum est duntaxat iuxta Hebraicam veritatem, quòd scriptura in primo & tertio & quarto & quinto die & sexto expletis operibus singulorum dierũ dixit: Et vidit deus quòd bonum esset. in secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam tribuens non esse bonum duplicem numerum, qui àb vnione diuidat, & pręfiguret fœdera nuptiarum. Vnde & in arca Noe omnia animalia quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt, impar numerus est mundus: quanquam in duplici numero intelligatur & aliud sacramentum, quòd nec in bestiis quidem & immundis auibus digamia comprobata sit. bina enim & binà ingrediuntur immunda, & septena quæ mundà sunt: vt haberet Noe post diluuium, quod impari numero statim deo posset offerre. *Gene.1.b.* *Eccl.39.c.* *Gen.7.*

Verùm hoc ad exhortationem non ad necessitatem obseruandæ virginitatis refertur. GRATIAN.

VNDE Ambrosius ait. *Amb.lib.exhortationis ad virgines.*

Virginitas consilio suadetur, non ex imperio præcipitur. 12

INtegritas corporis expetẽda à nobis est: quam ego pro cõsilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest. Res magis voti, quàm præcepti est.

Cùm ergo in meretrice (vt dixim⁹) nulla spes fidei, nulla sit certitudo pudicitiæ, patet quòd non est in coniugium ducenda. Sed obiicitur Rhaab Hiericõtina quamuis esset meretrix, tamen principi de tribu Iuda est copulata coniugio, de qua Christus postea nasci dignatus est. Osee quoque duodecim prophetarum primus, ex præcepto domini coro ordei meretricem emit, quam sibi in coniugio sociauit. Sed aliud est meretricem ducere, vel adulteram retinere, quam tua consuetudine castitate & pudicitia exornes: atque aliud aliquam earum habere quam nullo pacto à luxu carnis suæ reuocare valeas. hoc enim penitus prohibetur, illud laudabiliter factũ legitur. GRATIA. 4. pars. *Iof.2. & 6.* *Osee.1.a et 3.a*

VNDE Hieronymus super Osee. lib. j. *Ad cap.1.*

Non est peccatum meretricem ducere vxorem. 13

NOn est culpandus Osee propheta si meretricem quam duxit, ad pudicitiam conuertit, sed potius laudandus, quòd ex mala bonam fecit. Non enim qui bonus permanet, polluitur si societur malo: sed qui malus est, in bonum conuertitur si boni exempla sectetur.

Ex quo intelligimus non prophetã perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum: sed fornicariam sumpsisse pudicitiam quam antea non habebat. GRATIA.

QVAESTIO. II.
AN EA QVAE CAVSA INCONTINENTIAE DVCITVR SIT CONIVNX APPELLANDA.

GRATIA. QVòd autem non sit vxor quæ sola causa incontinentiæ ducitur, hinc videtur probari posse: quia coniugiũ propagationis, non explendæ libidinis causa à deo institutum est. Hæc nanque fuit benedictio in coniugiis. Crescite & multiplicamini.

Gene.1.c. VNDE Ambrosius super Lucam.

Ad ca.1.Luc.in comment. *Partus fœminarum est eis sola causa nubendi.* 1

PVdor est fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola causa est nubendi. Idem: Dum coniugij præmiũ, & gratia nuptiarum partus sit fœminarum, non mediocris causa est vt virginitas Mariæ falleret principem mundi. Qui ergo non causa procreandæ sobolis, sed explēdæ libidinis sibi inuicem copulantur, non tam coniuges quàm fornicarij videntur. Hinc etiam Hieronymus.

Hiero.ad ca. 5. epist. ad Ephes. *Non coniuges sed adulteri vocantur, qui non secundum præcepta Christi coniunguntur.* 2

SIcut non omnis congregatio hæreticorum, Christi ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est: sic non omne matrimonium quo non viro suo secundum præcepta Christi vxor iungitur, ritè coniugium appellari potest, sed magis adulterium.

GRATIA. 2.pars. His ita respondetur. Prima institutio coniugij in paradiso facta est, vt esset immaculatus thorus, & honorabiles nuptiæ: ex quibus sine ardore concupiscentiæ conciperent, sine dolore parerent. Secunda, propter illicitum motum eliminandũ extra paradisum facta est, vt infirmitas prona in ruinam turpitudinis, honestate exciperetur coniugij. Vnde Apostolus scribens ad Corinthios ait: Propter fornicationem vnusquisque habeat suam vxorem, & vnaquæque habeat virum suum. Ex hac itaque causa fit, vt coniugati se sibi inuicem debeant: nec se sibi negare possint vnde Apostolus: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu, & ad tempus, vt expeditius vacetis orationi. & iterum: Reuertimini in idipsum: ne fortè tentet vos satanas. hoc autem dico propter incontinētiam vestram. Qui ergo propter incontinentiam in naturalem redire vsum monentur, patet quòd non propter filiorum procreationē tãtum misceri iubentur. Non tamen ideo nuptiæ malæ iudicantur. Quod enim præter intentionem generandi fit, non est nuptiarum malum, sed est veniale propter nuptiarum bonum, quod est tripertitum, fides videlicet, proles, & sacramētum. VNDE August. de bono coniugali.

(Gen.2.d. — 1.Cor.7.a. — Ibidem. — Cap 6. lib. de bono coniug.)

Immo-

Immoderatus vsus coniugatorum non est nuptiarum malum, sed est veniale propter nuptiarum bonum. 3

QVicquid inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidúmve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum. Iam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcepit, sed secundum veniam concedit Apostolus, vt etiam præter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos praui mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. neque illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi coniugati, non solum ipsius sexus sui commiscēdi fidē liberorum procreandorum causa (quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas) verumetiam infirmitatis inuicem excipiēdæ ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodo seruitutem, vt etiam si alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu fieri non possit.

Non autem datur præsentia sancti spiritus tempore quo coniugales actus geruntur. GRATIA. 3.pars.

VNDE Hieronymus super Matthæum.

Non datur præsentia sancti spiritus tempore quo coniugales actus geruntur. 4

COnnubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo quo cōiugales actus geruntur, præsentia sancti spiritus dabitur, etiam si propheta videatur esse qui officio generationis obsequitur: sed & plura alia sunt in quibus sufficit sibi sola vis humana, & neq; res indiget, neq; decet adesse præsentiam sancti spiritus.

Sicut ergo talis concubitus non est fornicarius, sed propter bonum coniugij licitus, sic etiam coniunctio illa de qua quæritur, nō est fornicaria: sed propter bonum coniugij licita. GRATIAN.

ITEM sicut Augustinus ait in libro de bono coniugali. 5 Cap. 14.

COncubinæ ad tempus adhibitæ, nec etiā si causa filiorum concumbāt, iustum faciunt concubinatum suum. Sic econtrario datur intelligi de iis qui coniugali affectu sibi copulantur, quòd etiam si non causa procreandorum filiorum, sed explendæ libidinis conueniunt: non ideo fornicarij, sed cōiuges appellantur. Probatur hoc idem auctoritate Augustini in libro de bono coniugali. 4.pars. Cap. 5.

Coniuges sunt qui causa solius incontinentiæ sibimet inuicem copulantur. 6

SOlet quæri cùm masculus & fœmina nec ille maritus, nec illa vxor alterius sibimet nō filiorum procreādorum causa, sed pro incontinentia solius cōcubitus causa copulantur, ea fide media, vt nec ille cum altera id faciat, nec illa cum altero:

vtrum nuptiæ ſint vocandæ? Et poteſt quidem fortaſſe nõ abſurdè hoc appellari connubium, ſi vſq; ad mortẽ alicuius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationẽ, quanuis non ea cauſa coniuncti ſunt, nõ tamen vitauerint, vt vel nolint ſibi naſci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne naſcantur. cæterùm ſi vel vtrunq; vel vnum horũ deſit, nõ inuenio quemadmodum has nuptias appellare poſſimus. etenim ſi aliquam ſibi ad tempus adhibuerit, donec aliam dignã honoribus ſuis vel facultatibus inueniat, quam in coniugium ducat, animo ipſo adulter eſt, nec eum illa quam cupit inuenire, ſed cũ iſta cum qua ſic cubat, vt cum ea non habeat maritale cõſortium.

Cap.15. lib.1. IDEM de nuptiis & concupiſcentiis.

Fornicarij ſunt non coniuges qui ſterilitatis venena procurant. 7

ALiquando euſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret: & ſi nihil valuerit, conceptos fœtus intra viſcera aliquo modo extinguat aut fundat, volendo ſuam prolem prius interire quàm viuere: aut ſi in vtero viuebat, occidi antequam naſci prorſus. Si ambo tales ſint, coniuges non ſunt. & ſi ab initio tales fuerunt, nõ ſibi per cõnubium, ſed per ſtuprũ potius cõuenerunt. Si autem ambo non ſint tales, audeo dicere, aut illa quodámodo eſt mariti meretrix, aut ille adulter vxoris. De his qui abortum procurant, quæritur an iudicentur homicidæ, vel non.

Quaeſt.80. Auguſtinus in libro quæſtionum Exodi ait.

Non eſt homicida qui abortum procurat antequam anima corpori ſit infuſa. 8

QVòd verò nõ formatum puerperium Moyſes vel lex noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputauit: quod tale in vtero geritur. Hic de anima ſolet quęſtio agitari, vtrum quicquid formatum non eſt, nec animatum quidem poſſit intelligi: & ideo homicidium non ſit, quia nec exanimatum dici poteſt, ſi adhuc animam non habebat. Item ſi illud informe puerperium iam quidẽ fuerat, ſed adhuc quodammodo infórmiter animatum: quoniã magna quæſtio de anima eſt, non eſt præcipitanda indiſcuſſa temeritate ſentẽtia. Ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici poteſt anima viua in eo corpore quod ſenſu caret.

ITEM in libro quæſtionum veteris & noui teſtamenti.

De eodem. 9

MOyſes tradidit: Si quis percuſſerit mulierem in vtero habentem, & abortiuum fecerit: ſi formatum fuerit, det animã pro anima: ſi autem informatum fuerit, multetur pecunia, vt probaret animam non eſſe ante formam. Itaq; ſi iã formato corpori datur, non in conceptu corporis naſcitur cũ ſemine anima deriuata. Nam ſi cum ſemine, & anima exiſtit ex anima,

anima,& multæ animæ quotidie pereunt, cùm semē ex fluxu quodā non proficit natiuitati. Sed si propius inspiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturā Adæ. In Adā enim exemplum est datum, vt ex eo intelligamus quia iam formatum corpus accepit animam. Nam poterat deus animam limo terræ admiscere & sic formare corpus. Sed ratione infirmabatur, quia primùm oportebat domum cōpaginari,& sic habitatorē induci. Anima certè quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur habitare. Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint: vbi erit anima? ITEM Hieronymus ad Algasiam. Quest.4.

De eodem. 10

SIcut semina paulatim formantur in vtero,& tādiu nō reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membraq; suscipiant: ita sensus ratione conceptus nisi in opera proruperit, adhuc in ventre retinetur, & citò perit ab hoste.

Cùm ergo qui aliquā sibi ad tempus adhibet cum ea adulter esse dicitur: nec ab ea discedens, nec filiam suam illi tradens peccat. VNDE Leo papa. GRATIA. 6.pars. Leo.1.epistola.9.ad Rusticum episcopum.

Profectus est honestatis fornicariam abiicere, & vxorem legitimam accipere. 11

ANcillam abiicere à thoro,& vxorē certæ ingenuitatis accipere: non duplicatio coniugij, sed profectus est honestatis. Culpanda sit sanè talium negligentia, sed non penitus desperanda, vt crebris cohortationibus incitati quòd necessariè petiuerunt, fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, concilio maturiore perficitur.

ITEM epistola ad Rusticum episcopum Narbonensem. Idem Leo ibidē.

Legitimo matrimonio copulatur, quæ concubinam habenti traditur. 12

NOn omnis mulier viro coniuncta, vxor est viri: quia nec omnis filius est hæres patris. Nuptiarum autē fœdera inter ingenuos legitima sunt,& inter coæquales: & multo prius hoc ipsum domino cōstituente, quàm initium Romani iuris extiterit. Itaq; aliud est vxor, & aliud concubina: sicut aliud est ancilla,& aliud libera. Propter quod etiā Apostolus ad manifestandum harum personarum discretionē testimoniū posuit ex Genesi vbi dicitur Abrahæ: Eiice ancillā & filium eius. non enim erit hæres filius ancillæ cū Isaac filio meo. Igitur cuiuslibet loci clericus si filiā suā viro habenti cōcubinā in matrimonium dederit, nō ita accipiēdū est quasi eā coniugato dederit, nisi forte & illa mulier & ingenua facta,& dotata legitimè, publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio fœminę viris iunctæ carent culpa, si mulieres quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerint: quia aliud est vxor, aliud concubina. Gala.4.d. Gen.21.

GRATIA. 7. pars.

Cùm ergo dicitur: Paterno arbitrio fœminæ iunctæ viris: datur intelligi quòd paternus cõsensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur, iuxta illud Euaristi papæ: Aliter non sit legitimum coniugium, nisi à parentibus tradatur. ITEM Ambrosius in libro de patriarchis. 13

Cap. vlt. lib 1. de Abraham. Gen. 24. b.

HOnorantur parẽtes Rebeccæ muneribus, consulitur puella, non de spõsalibus. illa enim iudicium expectat parentum. nõ est enim virginalis pudoris eligere maritum, sed iam desponsata viro de profectionis die consulitur: nec immeritò dilationẽ non attulit. Iure etenim properare debuit ad maritũ. vnde illud Euripidæon quod mirãtur pleriq;, vnde translatum sit manifestũ est. ait enim in persona mulieris, quæ tamẽ volebat maritum relinquere, & ad alias petebatur nuptias. *Sponsaliorum meorum pater meus curã subibit. Hoc enim nõ est meum. Ergo quod & ipsi philosophi mirati sunt, seruate virgines: & nõ solum virgines, sed etiã si qua mulier amisso citò marito adulescẽtula in laqueũ infirmitatis suæ timet incidere, si vult nubat, tantum in domino: ita vt electionẽ mariti parentibus deferat: ne appetentiæ procacioris existimetur auctor si ipsa de nuptiis suis electionẽ sibi vindicet. expetita enim magis debet videri à viro, quàm virum ipsa expetisse. Verecũdiam præmittat antequam nubat, quo ipsum coniugium plus commendet verecundia. ITEM in libro Numerorum. 14

*Hermione in Andromacha Euripidis sic loquitur. Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

MVlier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognouerit pater votũ quod pollicita est, & iuramentum quo obligauit animam suam, & tacuerit: non rea erit, sed quicquid pollicita est, & iurauit, opere complebit. si autem statim vt audierit contradixerit pater: & vota & iuramenta eius irrita erũt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater eius. ITEM Augustinus. 15

Quæst. 57. li. 4. quæst. super Numeros.

MEritò hic quæritur etiam de voto virginitatis. mulieres enim etiam virgines in scriptura solent appellari: & videtur etiã Apostolus de patre loqui cùm dixit: Seruet virginem suam, & det nuptui virginem suam. Econtra in concilio Toletano quarto.

Ca. 10. con. Toleta. 3.

Viduæ & virgines propria voluntate sibi maritos eligant. 16

HOc sanctum confirmat concilium vt viduæ quibus placuerit teneant castitatẽ. quòd si priusquã profiteãtur continentiã, nubere elegerint: illis nubant quos propria voluntãte voluerint habere maritos. Similis cõditio & de virginibus habeatur: nec extra voluntatẽ parentum vel suã cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis viduę vel virginis impedierit: à sancta cõmunione & à liminibus ecclesiæ habeatur extraneus. His auctoritatibus præmissis euidẽter asseritur

scritur quòd quanuis aliqui non filiorum procreandorum, sed continentiæ causa conueniant, tamen coniuges appellantur.

QVAESTIO III.

CVIUS ARBITRIVM ALIQVA SEQVATVR AN LIBERI AVI, AN ORIGINARII PATRIS.

DE tertia verò quæstione Pelagius definit scribens defensori Potentio. GRATIAN.

Arbitrio liberi aui, non originarij patris, puellam nuptias sequi oportet.

PAtrem puellę ecclesię nostrę famulũ, auum verò eius liberis ortum constat esse natalibus: & ideo aui magis electionẽ de coniunctione neptis, quàm patris eius cuius nullo modo liberum poteſt esse arbitrium, decernimus attendi.

Quia ergo electione aui huic iſta nupsisse probatur: hanc constat legitimè sibi copulatam. GRATIAN.

QVAESTIO. IIII.

SI VIVENTE VXORE LICEAT ALICVI FILIOS EX ANCILLA QVAERERE.

QVòd autem ex ancilla propter vxoris suæ sterilitatem filios quærere alicui liceat, exemplo probatur Abrahæ: qui propter sterilitatem vxoris suæ Saræ ingressus eſt ad Agar Aegyptiacam, vt ex ea filios acciperet. Item Iacob cùm ex Rachele filios habere non posset, ex ancilla sua filios sibi suscitauit, nec solum propter sterilitatem, verumetiam propter fœcunditatem cessantem legitur intrasse ad ancillam Lyæ, & ex ea genuisse filios. Ex quibus omnibus colligitur propter sterilitatem vxoris suæ ex ancilla siue ex qualibet alia licitè filios quæri: alioquin adulterij macula Abraham & Iacob notabuntur. Sed sicut poſt mortem Saræ Abraham Ceturam duxit vxorem, ne secundum Auguſtinum Chriſtiani putarent esse peccatum poſt mortem vxoris aliam ducere: sic videtur viuente vxore sua filios ex ancilla sua suscepisse, ne ab aliquibus hoc reputaretur in crimen. ILLVD autem Auguſtini dicitur contra aduersarium legum & prophetarum libro secundo.

GRATIAN. Gene. 16. Gene. 30 d. Gene. 25. a. Lib. 2. cap. 9.

Quomodo Abraham excuſetur à crimine fornicationis. I

ISte Abrahæ etiam vſq; ad decrepitá ætatem senectutis fornicationis obiecit crimen: profectò quia & poſt mortẽ Saræ alteram duxit: vbi etsi nullum intelligeretur rei abditæ sacramentum, vel propter hoc solum id facere debuit Abraham: ne putarent hæretici aduersus populum dei (quibus etiá Tertullianus aſtipulator assiſtit) poſt vxoris mortẽ crimen esse ducere vxorem. Sacramẽtum huius rei eſt, quòd sicut per bonos

 mali &

mali & boni erant in fide generandi, sic & per malos boni & mali erant ad fidē accessuri. VNDE Aug. super Ioannem.

Tracta. 11. ad cap. 3. Ioannis.

Sicut bonorum ministerio boni & mali, ita ministerio malorum boni & mali in fide generantur. 2

RECurrat nunc animus noster ad Abrabam, Isaac, & Iacob, in istis tribus inuenimus parere liberas, parere ancillas. Inuenimus ibi partus librarum, inuenimus etiam ibi partus ancillarum. Ancilla nihil boni significat. Eiice ancillā, inquit, & filium eius. Inuenimus rem miram in istis generationibus ancillarum & liberarum: quatuor scilicet genera hominum in quibus completur figura totius populi Christiani, vt non sit mirum quod in tribus illis dictum est: Ego sum Deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob. In omnibus enim Christianis fratres attendite: aut per malos nascuntur boni, aut per bonos nascuntur mali, aut per bonos boni, aut per malos mali. Amplius istis quatuor generibus non potest inueniri. Inuenis ibi bonos filios Iacob natos ex ancillis, & bonos natos de liberis. nihil obfuit natiuitas de vteris ancillarum, quādo in patre cognouerunt semē suum: & consequenter regnum cū fratribus tenuerūt. quomodo ergo in filiis Iacob nō obfuit illis qui nati sunt de ancillis, quo minus tenerēt regnū & terrā promissionis quā cū fratribus acceperunt, & non illis obfuerunt natales ancillarum, sed præualuit semē parentum: sic quicunq; per malos baptizātur, tanquā de ancillis videntur nati: sed quia ex semine verbi dei nati sunt (quod figuratur in Iacob) simul hæreditatē cum fratribus possidebunt. Securus ergo sit qui de semine bono nascitur, tamē ne imitetur ancillā. Si de ancilla nasceris, ancillam malā superbientem ne imiteris. Vnde enim filij Iacob de ancillis nati posséderunt terrā promissionis cum fratribus: Ismahel autem de Agar ancilla natus, expulsus est ab hæreditate? Vnde, nisi quia ille superbus erat, illi humiles? Erexit ille ceruicem, & voluit seducere fratrem suum ludens cum illo. Magnum ibi sacramentum. Ludebant simul Ismahel & Isaac, vidit illos Sara ludentes. quæ autem peperit Abel, & Enoch, & Noe, & Abrahā, ipsa peperit & Moysen & prophetas tempore posteriores ante domini aduentum. & quæ istos, ipsa & apostolos & martyres nostros & omnes bonos Christianos. Omnes enim peperit, qui diuersis temporibus nati apparuerunt. sed societate vnius populi continentur: & eiusdē ciuitatis ciues, labores hui⁹ peregrinationis experti sunt, & quidam eorum nunc experiuntur & vsq; in finem cæteri experiētur. Item quæ peperit Cain, & Cham, & Ismahel, & Esau, eadem & ipsa peperit & Dathan & alios in eodem populo similes: & quæ istos: eadem ipsa & Iudam pseudoapostolum & Simonem magum, & cæteros vsque ad hæc tempora pseudochristia-

Gen. 21. b.
Exod. 3. c.
Osee. 2. d. secundum aliam literam
Act. 13. g.

christianos in affectione animali pertinaciter obduratos: siue sint permixti in vnitate, siue aperta præcisione dissentiant. Sed cùm tales à spiritualibus euangelizantur, & sacramentis imbuuntur, tanquam per seipsam Rebecca eos parit sicut Esau. Cùm autem per illos qui non castè annunciant euangelium, tales in eodem populo generantur: non Sara quidem per seipsam parit, sed per Agar. Itē boni spirituales quādo euangelizantur, & sacramentis vel baptismatibus carnalibus generantur: Lya quidem vel Rachel iure coniugali eos, scilicet per ancillarum vterum parit. Cùm verò per spirituales in euangelio generantur boni fideles, qui vel vadunt in spiritualem affectum pietatis, vel eò tendere non desistunt: vel ideo non faciunt, quia non possunt: sicut ex vtero Saræ Isaac, vel Rebeccæ Iacob in nouam vitam & nouum testamentum nascuntur. Itaque siue intus versari videantur, siue apertè foris sint: quod caro est, caro est: siue in area in sua sterilitate perseuerent, siue in occasione tentationis tanquam vento extra tollantur: quod palea est, palea est: & semper ab illius ecclesiæ quæ est sine macula & ruga, vnitate diuisus est, etiam qui congregationi sanctorum in carnali obduratione miscetur. De nullo tamen desperandum est, siue qui intus est, talis appareat, siue qui foris est, manifestius aduersetur.

His ita respondetur: pro varietate temporum varia inuenitur dispensatio conditoris. Promissum erat Abrahæ quòd in semine eius benedicerentur omnes gentes: promiserat se quoque daturam semini eius terram peregrinationis suæ. Cùm ergo cæteris in idololatria relictis, Abraham & filios eius in peculiarem populum sibi dominus elegisset, ritè multarum fœcunditate mulierum populi dei multiplicatio quærebatur: quia in successione sanguinis erat successio fidei. Vnde in lege dicebatur: Maledicta sterilis quæ non reliquerit semen super terram. Hinc etiam sacerdotibus coniugia decreta sunt: quia in successione familiæ successio constabat officij. quia verò per incarnationem Christi gratia fidei vbique dilatata est, nec iam dicitur: Dic domui Iudæ, dic domui Israel. Sed, Euntes docete omnes gentes. & : In omni gente quicunque timet deum, & operatur iustitiam, hic acceptus est illi. Nec electio muneris quæritur in successione generis, sed in perfectione vitæ & synceritate scientiæ, & virginitas fœcunditati præfertur, & sacerdotibus continentiæ castitas imperatur. Non ergo Abraham aut Iacob deliquit, quia præter vxorem filios ex ancilla quæsiuit: nec illorum exemplo præter coniugale debitum fœcunditatem in aliqua licet alicui quærere: cùm illorum coniugia nostrorum æquētur vel præferātur virginitati: & immoderatus vsus coniugij nostri temporis, turpitudinem ferè

GRATIA. 2. pars.
Gene. 12.
Gene. 14. d.
Deute. 7. c.
Matth. 28. a.

Cap.4.lib.1.de Abraham.

ferè imitetur fornicationis illius temporis. VNDE Ambr. scribit in libro de patriarchis.

Abraham non est reus adulterij, qui vxore viuente filios ex ancilla suscepit. 3

Genes. 16.a.

DIxit Sara ad Abraham. Ecce conclusit me dominus, vt non pariam. intra ergo ad ancillam meam vt filium facias ex ea. & ita factum est. Sed considera primùm quòd Abraham ante legem Moysi & ante euangelium fuit. Nōdum ergo interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit. Nec ante legem vlla est rei dānatio, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem præuenit. Deus autem in paradiso coniugium laudauerat, non adulterium damnauerat. Habes primam Abrahæ defensionem. Secunda illa est, quòd non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio coniugalem posthabuit thorum: sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluuium raritas erat humani generis: erat etiam religionis ne quis non reddidisse videretur debitum naturę. Deniq; & Loth sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerant, ne genus deficeret humanum: & ideo publici muneris gratia priuatam culpam prætexuit. IDEM in eodem.

Genes.19 g.

Ambros.cap.4. lib 1.de Abraham.

Quod præter legitimam vxorem committitur, adulterij crimine damnatur. 4

NEmo sibi blandiatur de legibus hominū. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia. Quicquid in ea quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit: adulterij crimine damnatur. In eodem. Nulli licet scire mulierem præter vxorem: ideoq́ue coniugij datum est tibi ius, ne in laqueum diaboli incidas, & cum muliere aliena delinquas. Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpæ vsurpetur auctoritas. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij. tamen locus iste docet grauius esse crimen vbi celebrati coniugij iura temerantur, & vxoris pudor soluitur. Ideoq́ue cùm prætenderet Abimelech, quòd vxorem alienam esse ignorauerit, quam sororem suam esse vir ipse dixit, respondit ei dominus. Et ego cognoui quia puro corde fecisti hoc: & peperci tibi, vt non peccares in me: propter hoc nō sum passus te tangere eam. Cognoscimus velut præsulem custodemq; esse deum coniugij, qui non patitur alienum thorum pollui. & si quis fecit eum peccare in deum, cuius violet legem, & gratiam soluat. & qui in deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium. ITEM Hieronymus contra Iouinianum libro primo.

Tomo.2.

Nihil

Nihil est fœdius quàm vxorem amare, quasi adulteram. 5

ORigo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo defor-mis. Nihil autem interest ex quàm honesta causa quis insaniat. Vnde & Xystus Pythagoricus in sentētiis: Adulter est, inquit, in suam vxorē amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens, iudicio debet amare coniugem nō affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil enim est fœdius quàm vxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicūt se causa reipublicæ & generis humani vxoribus coniungi, & filios procreare, imitentur saltem pecudes: & postquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios: nec amatores se vxoribus præbeant, sed maritos. IDEM libro secundo. *Hier lib. 2. aduersus Iouinianum.*

Virginalis castitas, non præfertur coniugio Abrahæ. 6

QVis ignoret sub altera dispensatione dei omnes retro sanctos fuisse eiusdem meriti cuius nunc sunt Christiani? Quomodo autem Abraham placuit in coniugio, sicut nunc virgines placent in castitate? Seruiuit ille legi, & tempori suo, seruiamus & nos legi, & tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt. ITEM Ambrosius. *1. Corint. 10. c.*

Patriarchæ non concupiscentia explendæ libidinis, sed causa numerosæ prolis plures habebant vxores. 7 *Aug. cap. 47 li. 22. contra Faustum.*

OBiiciuntur Iacob quatuor vxores: quod quando mos erat, crimen non erat: sicut patriarchæ coniugibus excipientibus, semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed prouidentia propagandæ successionis. Sic apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur non auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. ITEM Augustinus de bono coniugali. *Cap. 16.*

Sanctius est absque liberis defungi, quam ex illicito concubitu stirpem quærere. 8

SIcut satius est fame mori, quàm idolothytis vesci: ita sanctius est defungi sine liberis, quàm ex illicito cōcubitu stirpem quærere. Vndecunq; autem nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, & deum rectè colant, honesti & salui erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine sit, dei creatura est, & eo malè vtentibus malè erit: non ipsum aliquādo malum erit. ITEM sermo. Ambrosii de sancto Ioanne qui sic incipit, Diximus in superiori dominica. *2. pars.* *Serm. 65.*

Ex ancilla filij non sunt quærendi. 9

DIcat aliquis: Vxorem nō habeo, & ideo ancillam mihi associaui. Audi quid dicat scriptura ad Abraham: Eiice ancillam & filium eius. Nō enim erit hæres filius ancillæ cū filio liberæ. Si igitur ancillæ filius hæres nō est: ergo neq; filius est. Cur ergo quæritur tale cōiugium, de quo susceptus filius nec *Genes. 21. c.* *Galat. 4. d.*

ſucceſſionis poſſit eſſe hæres, nec ſanguinis? Nec habere poteſt hæreditatis cõſortium, qui nõ habet originis priuilegium. Cur inquam quæritur tale contubernium, de quo nati filij nõ ſunt teſtes matrimonij, ſed adulterij? Cur autẽ huiuſcemodi ſuſcipiuntur adulterini, qui patri ſunt pudori, nõ honori? Dicit ſcriptura: Adulterorum filij, abominatio ſunt deo, &c. Mulier igitur tua ſi talibus moribus prædita eſt, vt mereatur cõſortium, mereatur & nomen vxoris. Præſta concubinæ tuæ libertatem & nomen vxoris, ne adulter ſis potius verus quàm maritus.

Sapien. 3. d.

Cap. 8.

ITEM Auguſt. ad Claudium contra Iulianum lib. v.

Adulteria non ſunt facienda, etiam voluntate generandi filios. 10

SIc non ſunt facienda adulteria, etiam voluntate filios generandi, quemadmodum nec furta facienda etiã voluntate paſcendi pauperes ſanctos: quod tamen faciendum eſt nõ perpetrando furta, ſed bene vtendo mammona iniquitatis. Ecce quòd nullo modo licet alicui viuente vxore ſua, vel ex ancilla, vel ex alia qualibet filios quærere, qui etiam ſuſcepti filiorum nomine iudicantur indigni. Simplex etiam fornicatio in ſacra ſcriptura prohibetur. VNDE Auguſtinus in quæſtionibus Deuteronomij.

5. pars. Quæſt. 37. ad cap. 23. Deut. li. 5. quæſtionum.

Illicitus concubitus & omnis non legitimus vſus illorum membrorum nomine mœchiæ intelligitur. 11

MEretrices eſſe, & ad meretrices accedere prohibet dominus: quarum publicè venalis turpitudo eſt. In decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuiſſe: quoniam mœchia non niſi adulterium intelligi ſolet. Idem ſuper Exodum: Omnis mœchia etiã fornicatio dicitur in ſcripturis. Sed vtrũ omnis fornicatio mœchia dici poſſit in eiſdem ſcripturis, nõ mihi interim occurrit locutionis exemplum: ſed ſi omnis fornicatio etiã mœchia dici non poteſt, vbi ſit in decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt qui vxores non habent cum fœminis quæ viros nõ habent, an inueniri poſſit ignoro. ſed ſi furti nomine bene intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ (nõ enim rapinã permiſit qui furtum prohibuit, ſed vtiq; à parte totum intelligere voluit quicquid illicitè rerum proximi aufertur) profecto nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus atq; illorum membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi. ITEM Hieronymus.

Auguſt. quæſt. 7. lib. 2. quæſt. ſuper Exodum ad cap. 19.

Extraordinaria voluptas, & inuerecunda opera nuptiarum, luxuria & immunditia appellantur. 12

IN eo fornicator maioris criminis eſt, quia tollit mẽbra Chriſti, & facit ea membra meretricis. Erunt quippe duo in carne vna. Qui non eſt fidelis nec credit in Chriſto, membra ſua facit membra meretricis. Qui credit & fornicatur, Chriſti mẽbra facit membra meretricis. E contrario infidelis in fornicatione

1. Corinth. 6.

tione sua vtrum violet an ædificet templum idolo, nescio. Per vitia quippe luxuriæ maximè dæmones coluntur. Hoc vnum scio, quòd qui post fidem Christi fornicatur, violat templum dei. Secundum opus carnis, immunditia nuncupatur: & eam comes luxuria sequitur. Quomodo enim in veteri lege de nefandis criminibus quæ in occulto fiunt, & ea quæ nominare etiam turpissimum est, ne & dicentis os, & aures audientium pollueréntur, generaliter scriptura complexa est dicens. Verecundos vel reuerentes facite filios Israel ab omni immunditia: sic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipsarum quoq; opera nuptiarum si non verecundè & honestè quasi sub oculis dei fiant, & vt tantum liberis seruiatur, immunditiam & luxuriam nominauit. ITEM Gregorius.

Leuit. 15. c.

Cap. 12. li. 12. ad cap 14. Iob.

Immoderatus vsus mulierum, Salomonem ad idololatriam traxit. 13

SAlomon quippe immoderato vsu atque assiduitate mulierum ad hoc vsque perductus est, vt templum idolis fabricaret. & qui prius templum construxerat deo, assiduitate libidinis & perfidiæ subtractus idolis templa construere non timuit. ITEM Hieronymus.

3. Reg. 11. a.
Eccles. 47. a.
2. Para. 2. a.

Liberorum procreatio in matrimonio laudatur, meretricia voluptas etiã in vxore damnatur. 14

LIberorum ergo (vt diximus) in matrimonio concessa sunt opera. voluptates autem quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in vxore sunt damnatæ.

Quare autem tales non dicantur filij, vel quem suorum parentum sequantur qui ex libero & ancilla nascuntur. Isidorus Etymologiarum libro primo determinat.

GRATIA. 6. pars.
Cap. 5. lib. 9.

Qui sint liberi, & quam conditionem sequantur parentum. 15

LIberi dicti sunt qui ex libero matrimonio orti sunt. nam filij ex libero & ex ancilla, seruilis sunt cõditionis. semper enim qui nascitur[a] deteriorem partem sumit. Naturales autẽ filij dicuntur ingenuarum cõcubinarum filij, quos sola natura genuit, non honestas coniugij. Hi vero qui non sunt de legitimo coniugio, matrem potius quàm patrem sequuntur.

a Non est bona ratio. nã si nascatur quis ex libera, patre vero seruo, fiet liber, & ingenuus Instit. de ingenuis.

QVAESTIO V.

SI EA QVAE VIM PATITVR, PVDICITIAM AMITTERE COMPROBATVR.

QVod autem pudicitia violenter eripi non possit, multorum auctoritatibus probatur. est enim virtus animi, quę violentiam non sentit. Corpori nanq; vis infertur, non animo. Vnde quamuis corpus violenter corrumpatur: si pudicitia mentis seruetur illæsa, tamẽ castitas duplicatur, sicut beata Lucia fertur dixisse Paschasio: Si inuitã me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Non enim inquinatur

GRATIAN.

natur corpus nisi de cōsensu mentis. nam si in manu mea thura ponas, & per manum meam sacrificium facias: deus non attendit, qui & deridet. De consensibus enim & voluntatibus iudicat deus. Hinc Ambro. scribit in lib. v. de virginibus.

Li.2.de virgin.

Melior est virginitas mentis, quàm carnis. 1

TOlerabilius est mentem virginem quàm carnem habere, vtrumque bonū, si liceat: si non liceat, saltem non homini casti, sed deo simus. Virgo enim prostitui potest, adulterari non potest. Vbicunque virgo dei est, templum dei est. nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. ITEM.

Amb.ca.4. lib. ad virginē lapsā

Mente incorrupta, caro non corrumpitur. 2

REuera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit antè corrupta. ITEM August de ciuit. dei lib. ij.

Au c.18.lib.1. de ciuitate.

Aliena libido neminem polluit. 3

ITa ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Nō polluet, si aliena erit. Si autem polluet, non erit aliena. Sed cum pudicitia sit virtus animi, comitemq́ue habeat fortitudinem, potius quælibet mala tolerare decernat quam malo consentire. Nullus autem magnanimus & pudicus in potestate habet quid de sua carne fiat, sed tantum quid annuat mente vel renuat. Quis tandem sana scilicet mente putauerit se perdere pudicitiam, si forte vi apprehensa vel oppressa sua carne exerceatur & expleatur libido non sua? IDEM.

Au.c.18.eiusd. lib.1.

De eodem. 4

PRoposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem violētia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia suę continentiæ. An verò si aliqua fœmina mente corrupta, violatoq; proposito quod deo vouerat, pergat vitianda ad suum deceptorem: adhuc eam pergentem sanctam vel corpore dicimus, ea sanctitate animi per quam corpus sanctificatur, amissa atque destructa? Absit hic error: & hinc potius admoneamur ita amitti corporis sanctitatem etiam intacto corpore. Idem.

Au.c.19.eiusd. li.1.de ciuitate.

Lucretiam matronam nobilem veteremq́ue Romanam pudicitiæ magnis efferunt laudibus: cuius corpore cum violentus Tarquinij regis filius libidinose potitus esset, illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino & propinquo Bruto viris clarissimis & fortissimis indicauit: eosq́ue ad vindictam constrinxit. Deinde fœdi in se commissi sceleris ægra atque impatiens, se peremit. Qui dicimus? adultera hæc, an casta dicenda est? Quis in hac cōtrouersia iudex laborabit? Egregie quidem ex hoc & veraciter declamās ait: Mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium vnus commisit. splendidissime atque verissime. intuens enim in duorum corporum commixtione

vnius

vnius inquinatissimam cupiditatem, vnius castissimam voluntatem: & non quod coniunctione corporum, sed quod animorum diuersitate ageretur attendens: duo, inquit, fuerũt, & vnus adulterium commisit. IDEM. 5

NOn fidelibus Christi tædio sit vestra vita: sed ludibrio sit hostibus castitas vestra, habens veram magnamq́ue consolationem si continentiam retinetis, non consensisse peccatis eorum.

,, Idem in lib. de duabus animabus. Non nisi voluntate peccatur. IDEM in lib. j. de libero arbitrio. GRATIAN. Cap. 5.

De eodem. 6

DE pudicitia quis dubitauit quin ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est? vnde à violento stupratore nec ipsa eripi potest.

,, ITEM Hiero. super epistolam ad Roma. lib. prim. Non ,, potest fieri vt nisi quis mœchetur prius in corde, mœchari possit in corpore. Idem super Luc. in lib. ij. Finge si quis in aliqua persecutione aliquam virginem prostitutam cognouerit, apud euangelium, quia voluntate non peccauit, virgo suscipitur: in lege quasi corrupta repudiatur. Idem in libro Hebraicarum quæstionum. Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas. Item Augustinus in libro de sancta virginitate. Sicut nemo impudice vtitur corpore nisi spiritu prius concepta nequitia: ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritui prius insita castitate. ITEM Victoriano. GRATIA. Aug. epi. 122.

In corpore pudicitia violari non potest, si mens inuiolata seruetur. 7

AD deum ingemiscẽtibus omnino suis aderit, qui suis adesse cõsueuit: & aut nihil in earũ castissimis mẽbris libidine hostili perpetrare permittit: aut si permittit, cũ earũ anim' nulla consensionis turpitudine cõmaculatur, etiam carnem suam defendit à crimine: & quicquid in ea nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis: omnisq́ue illa violentia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur. tantum enim valet in mente integritas castitatis, vt illa inuiolata, nec in corpore possit pudicitia violari, cuius membra potuerunt separari.

ITEM Isido. in synodo. lib. ij. *Isidorus in dialogo rationis & hominis siue synonimis.*

Caro non peccat, si à contagione fuerit anima munda. 8

NOn potest corpus corrumpi, nisi prius corruptus fuerit animus. munda nanque à contagione anima, caro non peccat. ITEM August. Honorato episcopo.

Non corrumpitur pudicitia carnis, si mente seruatur. 9

MAgis timeamus ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quàm ne fœminæ constuprentur violenter in carne: quia violentia non violatur pudicitia, si mente seruatur: quo-

quoniam nec quis in carne violatur, quando voluntas patientis turpiter carne non vtitur, sed sine consensione toleratur, quod alius operatur.

Io.33.ad ca.19 Matthæi. ITEM Ioan. Chrysost. super Matthæum.

Nec peccatum, nec iustitia ex opere sine voluntate perficitur. 10

SIcut enim peccatum opus sine voluntate non facit, ita & iustitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas affuerit. multi enim corpore quidem castitati student, adulterium tamen voluntate committunt, cum dominus dicat: Qui viderit mulierem ad concupiscēdum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. ergo voluntas sine opere peccat frequenter. Illa ergo est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitati corporis: sed quam complectitur voluntas sancti propositi.

Matt.5.d.

De custodia virginitatis. ITEM Hieron. in epistola ad Eustochium.

Virginitas carnis, non seruatur mente corrupta. 11

Act.9.c. SI Paulus apostolus vas electionis, & præparatus in euangeliū Christi, ob carnis aculeos & incentiua vitiorū reprimit corpus suum, & seruituti subiicit: ne alijs prædicās, ipse reprobus inueniatur: & tamen vidit aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in legē peccati: si post nuditatem, ieiunia, famem, carceres, flagella, supplicia, in semet reuersus exclamat: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? tu te putas securam esse debere? Caue quæso nequando dicat & de te deus: Virgo Israël cecidit: & non est qui suscitet eam. Audenter dicam, cum omnia possit deus: suscitare virginem non potest post ruinā. Valet quidē liberare de pœna: sed non valet coronare corruptam. Timeamus illam propheciā, ne in nobis etiā compleatur: Et virgines bonæ deficiēt. Obserua quid dicat, & virgines bonæ: quia sunt & virgines malę. Qui viderit (inquit) mulierē ad concupiscendū eā, iam mœchatus est eā in corde suo. Perit ergo etiam mente virginitas. Istæ sunt virgines malæ, virgines carne non spiritu. Virgines stultæ quæ oleū non habentes excluduntur à spōso. Si autem & illæ quę virgines sunt, ob alias tamen culpas virginitate corporū non saluātur: quid fiet illis quę prostituerūt mēbra Christi, & mutauerūt tēplum sancti spiritus in lupanar? Illico audiēt prophetā dicentē: Descende, sede in terra virgo Babilonis filia, sede in terra. non est filiæ Chaldæorum thronus. non vocaberis vltrà mollis & delicata. accipe molam, & mole farinam, discooperi velamen tuum, denuda crura tua, transi flumina, reuelabitur ignominia tua, apparebunt opprobria tua, & hoc post thalamū filij dei, post oscula fratruelis & sponsi. illa de qua quondā sermo propheticus cōcinebat, Astitit regina à dextris tuis in ve-

Rom.7.d. Amos.5.a. Ibidem.8.d. Matth.5.d. Matt.25.a. Esa.47.a.

in vestitu deaurato circundata varietate: nudabitur, & posteriora dorsi eius ponentur in facie eius. sedebit ad aquas solitudinis, & posito vase diuaricabit pedes suos omni transeunti, & vsque ad verticem polluetur, rectius enim fuerat hominum subisse coniugium, & ambulasse per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere. Non fiat obsecro ciuitas meretrix filia Sion, ne post trinitatis hospitium ibi dæmones saltent, & sirenes nidificent & hericij.

ITEM Augustinus de Christiana fide. Aug. epi. 109. ad monachas.

Corpore intacto castitas nonnunquam amittitur. 12

NEc solo affectu & tactu, sed aspectu quoq; appetitur & appetit concupiscentia fœminarum, nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius: & cum se sibi inuicem etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. 3. pars. ITEM Gregor. Cap. 9 li. 21. super Iob.

Adulterium perpetratur cum innupta turpiter concupiscitur 13

QVi viderit mulierem ad concupiscendũ eã, iam mœchatus est eã in corde suo. Deut 5. b. Matt. 5. d. Quia enim græco vocabulo adulter mœchus dicitur, cùm non aliena coniunx, sed mulier videri prohibetur, aperte veritas ostẽdit: quia etiã solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulteriũ perpetratur. Quod tamẽ plerunq; ex loco vel ex ordine concupiscentiũ discernitur: quia sicut hunc in sacro ordine studiosa concupiscẽtia, sic illũ adulterij inquinat culpa: in personis tamẽ non dissimilibus idẽ luxuriæ distinguitur reatus. Quamuis autẽ violenter 4. pars. oppressæ pudicitiam non amiserint, incontaminatis tamen se non audeant exæquare virginibus. VNDE Leo papa.

Quæ opprimuntur, incontaminatis virginibus se comparare non audeant. 14

ILlę autem famulæ dei quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, si se incontaminatis non audeant cõparare virginibus. Quamuis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mẽs inuita non pollui, minus tamen hoc illis oberit, si quod potuerũt animo non amittere, se doleant vel corpore perdidisse.

Cùm ergo hęc quæ violentiã passa est, pudicitiam amisisse GRATIA.
» probari nõ potest: nullo modo cõuincitur fornicationis vel a-
» dulterij crimẽ incurrisse. Vt enim ait August. in lib. de bono
» cõiugali: Adulterium committitur cùm vel propriæ libidi-
» nis instinctu vel alienæ consensu cum altero vel altera contra
» pactum coniugale concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ

quæ in rebus corporeis & abiectis magnum animi bonum est:& ideo ei salutem quoque corporalem,qua etiam vita ista continetur,certum est debere postponi.

ITEM Isidorus super Exodum.

Mœchatur qui alicui præter matrimonij fœdus miscetur. 15

Deut.5.b. NOn mœchaberis,id est,ne quisquam præter matrimonij fœdera alijs fœminis admisceatur ad explendam libidinem. nam adulterium facit qui præter suam ad alteram accedit. ITEM Augustinus de adulterinis coniugiis.

Matt.5.d.

Cap.13.lib.2.

Qui viuente vxore sua alteram cognoscit,adulterium committit. 16

PVto Christianum neminem reluctari illum adulterũ esse, qui vel diu languente, vel diu absente,vel continenter viuere cupiente vxore sua , alteri commixtus est fœminæ.

GRATIA. Cùm ergo nihil horum in ista deprehendatur fuisse: quia nec propriæ libidinis instinctu,nec alienæ consensu,nec viro suo languente, vel absente, vel continenter viuere cupiente adhæsit alij,sed violenter aliena libidine oppressa vim pertulit,apparet quòd nec adultera nec fornicaria dici potest. vnde nec aliqua occasione valet dimitti. Cùm enim Iudæi quærerent à Christo vtrum liceret homini vxorem suam dimittere quacunque ex causa,respondit eis: Nunquid legistis quia qui fecit eos,ab initio masculum & fœminam creauit eos? quos ergo deus coniunxit,homo non separet. Deinde sermonem suum ita conclusit,vt diceret neminem posse dimittere vxorem suam,excepta causa fornicationis. Hinc Apostolus ait in epistola ad Corinth. His qui matrimonio cõiuncti sunt,præcipio non ego,sed dominus vxorem à viro non discere. Vnde datur intelligi quod qualescunque fuerint vir & vxor , ex quo coniugali affectu sibi adhęserint,vlterius ab inuicem discedere non valent.

Mat.19.a.

Gene.2.d.

1.Cor.7.b.

Cap.7.li.5. VNDE Ambros. in exhæmeron.titu. diei. iiij. scribit.

Qualiscunque sit vir,ex quo semel placuit,non est dimittendus. 17

al. horridus. HOrrendus & incultus est vir qui semel placuit. nunquid vir alius eligendus est? comparem suum equus diligit: & si mutetur alius,trahere iugum nescit compar alterius,& se non totum putat. tu coniugalem tuum repudias, & sæpe putas mutãdum?muta,& si vno defecerit die, superduc riualem, & statim incognita causa quasi cognitam pudoris exequaris iniuriam. ITEM Augustinus.

Lib.1. de ser. domini in mõte.

Similiter de vxore intelligatur. 18

SI vxorem quis habeat sterilem,siue corpore deformem, siue debilem membris,vel cæcam,vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud siue morbis siue laboribus doloribusq; cõfectam.& quicquid(excepta fornicationis causa)cogitari potest vehementer horribile,pro societate fideque sustineat.

ITE

ITEM Hjeronymus ad Oceanum de morte Fabiolæ. *Epitaphiũ Fabiolæ.*

Non licet viro uxorem dimittere, nisi causa fornicationis. 19

PRæcepit dominus vxorem nõ debere dimitti, excepta causa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptá. Quicquid viris præcipitur, hoc consequẽter redundat ad fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus est. *Matth.5.c.* ITEM. *Hier. ibidem ad Oceanum.*

De eodem. 20

APud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris: & eadem seruitus pari conditione censetur.

ITEM ex concilio Toletano.xij.

Communione priuetur, qui extra causam fornicationis uxorem suam dimittit. 21

PRæceptum domini est vt excepta causa fornicationis vxor à viro dimitti non debeat: & ideo quicunque extra culpam criminis supradicti vxorem suam quacunque occasione reliquerit: quia quos deus coniunxit, ille separare disposuit, tandiu ab ecclesiastica communione priuatus, & à cœtu omnium Christianorum maneat alienus, quandiu societatẽ relictę coniugis amplectatur synceriter & foueat. Itaq; qui iam admoniti à sacerdote semel & bis & ter vt corrigantur, ad suæ coniugis noluerint redire consortium, ipsi se suis meritis & à palatinæ dignitatis officio separabunt: & insuper generosæ dignitatis testimonium quandiu in culpa fuerint amissuri sunt: quia carnem suam dissidij iugulo tradiderunt. *6.pars.* Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum.

De eodem. 22

QVicquid mulier contra te cogitauerit, vel si te accusauerit, non est (excepta causa fornicationis) reiicenda, vel odio prorsus habenda.

» Sed quæritur cùm sit par vtriusque conditio, cur com- *GRATIA.*
» municantes viri cum adulteris vxoribus non cõueniant, cùm *7.pars.*
» econtra vxores in consortio adulterorum virorum manere vi-
» deantur? De his ita scribit Innocentius papa. *Inno.1.epist.3. ad Exuperium episcopum.*

In vtroque sexu adulterium pari ratione punitur. 23

CHristiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat: sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latẽtia peccata vindictam. viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt: & ideo mulieribus prodito crimine earum communio denegatur, virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinet, qui vtiq; submouebitur si eius flagitium detegatur. cùm enim par causa sit: interdum probatione cessante vindictæ ratio conquiescit.

QVAESTIO. VI.

SI ADVLTER ADVLTERAM POSSIT DIMITTERE.

GRATIA. Ecce quòd ista dimitti non valet, cùm à fornicatione innocens inueniatur. Sed ponatur quòd ipsa sit adultera, quæritur si adulter possit dimittere eam causa fornicationis? non enim videtur quòd pari crimine infectus alium de Ioan. 8. a. eodem punire possit. Vnde cùm Iudæi adulteram accusarent, æquitatis sententiam à domino acceperunt. Quicunque ve- Luc. 6. f. strum sine peccato est, primus lapidem in illam mittat. Hinc etiam in euangelio præcipitur: Hypocrita, primũ eiice trabem de oculo tuo, & postea educes festucam de oculo fratris tui. Lib. 1. Hinc etiam Augustinus scribit in libro de sermone domini in monte.

Qui fornicatur, fornicationis causa vxorem suam dimittere non potest. 1

NIhil iniquius est quam causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. occurrit enim illud: Rom. 2. a. In quo alterum iudicas, teipsum condemnas. eadẽ enim agis quæ tu iudicas. quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorem suam, prior debet esse à fornicatione purgatus & immunis: quod similiter etiam de fœmina dixerim.

Serm. 46. IDEM de verbis domini tracta. xlviij.

Qualem quisque vult inuenire vxorem, talem se seruet eidem. 2

SI ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Quis viuens est qui non castam velit ducere vxorẽ? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactã quæris? intactus esto. Puram quæris? purus esto. non enim illa potest, & tu non Epi. 147. potes. IDEM in epistola ad Paxentium comitem Arianum.

Iudicium de alio expetere non debet, qui de se iudicari contemnit. 3

INiquum est vt quis de alio iudicare velit, & iudicari de se Ca. 8. lib. 2. nolit. IDEM de adulterinis coniugiis.

Viri grauius sunt puniendi de adulterio, quàm mulieres. 4

INdignantur mariti si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas: cùm tanto grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & Ca. 3. lib. de decem. exemplo regere fœminas. IDEM de decem chordis.

Sicut vir caput est mulieris, sic adulterando grauius delinquit quàm mulier. 5

Exo. 20. c. Deut. 5. c. NOn mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam præter vxorem tuam. tu autẽ exigis hoc ab vxore, & non vis hoc reddere vxori? & cùm debeas in virtute præcedere vxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorẽ tuam victricem esse, & tu victus iaces? & cùm

& cùm tu caput vxoris sis, præcedit te ad deũ, cuius caput es. vis domum tuam capite deorsum pendere? caput enim mulieris vir est. vbi autẽ melius viuit mulier quàm vir, capite deorsum pendet domus. si caput est vir, melius debet viuere quàm mulier, & præcedere in omnibus bonis factis vxorem suam.

His auctoritatibus monstratur, quòd adulter adulteram dimittere non valet. GRATIAN.

QVAESTIO VII.

SI VIVENTE DIMISSA ALIAM POSSIT ACCIPERE.

NVnc autem quæritur, si ille qui dimiserit vxorem suam causa fornicationis, illa viuente aliam ducere possit. Quòd autem hoc fieri non possit, testatur Augustinus in libro de bono coniugali dicens. GRATIA. Cap. 7.

Vinculum coniugij fornicatione non potest dissolui. 1

INteruenientte diuortio non aboletur cõfœderatio nuptialis: ita vt sibi coniuges sint etiam separati, cum illis etiam committitur adulterium, quibus[b] etiam fuerint[a] post suũ repudium copulati. IDEM de adulterinis coniugiis lib. 2.

Ex mag Iuo. p. 8. Verba sunt transponenda. Cap. 4.

Nulla ratione dissoluitur coniugium, quod semel initum probatur. 2

LIcitè dimittitur vxor ob causam fornicationis: sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterij quicunq; duxerit dimissam ob causam fornicationis. Sicut autem manente in se sacramẽto regenerationis excõmunicatur quisquis reus est criminis: ita quæ separatur à viro, nunquã carebit sacramẽto coniugij, etiam si non reconcilietur viro. carebit autẽ si mortuus fuerit vir eius. reus verò excommunicationis ideo nunquam carebit regenerationis sacramento, etiã si nõ reconciliatus fuerit: quia nunquam moritur deus cui est copulatus in baptismo. IDEM super epistolam Pauli ad Corinth.

Ca. 5. *eiusdem.*

Aug. li. 1. de ser. do. in monte.

Siue vir ab vxore, siue vxor à viro causa fornicationis discesserit, alterum habere prohibetur. 3

APostolus dicit: His qui sunt in coniugio, præcipio, nõ ego, sed dominus, vxorem à viro suo non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro suo. Potest enim fieri vt discedat ea causa qua dominus permisit. At si fœminæ licet virum suum dimittere propter fornicationis causam, quid respondebimus de hoc quod dicit posterius. Et vir vxorem suam non dimittat? quare non addit, excepta causa fornicationis, quod dominus permittit, nisi quòd similem formam vult intelligi: vt si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori? & post pauca. Dominus autem permisit causa fornicationis vxorem dimittere: sed quia permisit, non iussit.

IDEM de sermone domini in monte. 4 Lib. 1.

Fieri potest, vt vir dimittat vxorem causa fornicationis, quam exceptā dominus esse voluit. Iam verò si nec illi nubere conceditur viuo viro suo à quo recessit, nec huic alteram ducere viua vxore sua quam dimisit, multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.

Cap. 17. ITEM ex concilio Mileuitano.

Ab vxore dimissus, vel dimissa à viro ad pœnitentiam redigantur, nisi aut continenter viuere, aut se reconciliare voluerint. 5

Placuit vt secundum euangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconciliētur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

Lib. 1. ITEM Augu. de sermone domini in monte habito.

Mœchatur, qui à viro dimissam ducere præsumit. 6

Dominus ad illud confirmandum, vt nō facilè dimittatur, vxor, solam fornicationis causam excepit: cæteras verò vniuersas & innumerabiles molestias si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortiter sustineri: & mœchum dixit etiam virum qui eā duxerit quæ soluta est à viro.

Hiero. ad Amādum. ITEM Hiero. ad Damasum presbyterum.

Adultera probatur quæ viuente viro, alteri nubit. 7

Omnes causationes Apostolus amputans, apertissimè definiuit viuente viro esse adulteram mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris præstationem, patris auctoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias & parentum, damna rei familiaris. Quandiu viuit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnib' coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus: maritus tamen est reputandus, eius scilicet, cui alterum virum accipere non licet. Non hæc apostolus propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente Christi verba secutus est, qui ait in euangelio: Qui dimittit vxorem suam (excepta causa fornicationis) facit eam mœchari, & qui dimissam acceperit, adulter est. Vnde & Apostolus grauem coniugij sarcinam intelligens, si ita est (inquit) non expedit homini vxorem accipere: ad quod dominus: Qui potest hoc capere, capiat. statimque sub exemplo trium eunuchorum virginitatis infert beatitudinem, quæ nulla lege carnis retinetur.

Mat. 19 b.

1. Cor. 7.

Cap. 9. ITEM ex concilio Elibertano.

Mulieri fideli quæ virum adulterum dimittit, alij nubere non licet. 8

Fidelis fœmina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum maritum duxit, prohibeatur ne ducat. si autē duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is quem reliquerit, de seculo exierit: nisi fortè necessitas infirmitatis dare compulerit. ITEM ex concilio Martini papæ.

Ad pœ-

Ad pœnitentiam est cogendus, qui multis nuptiis copulatur. 9

SI quis fuerit multis nuptiis copulatus, pœnitentiam agat. conuersatio autem & fides pœnitētis tempus comprehendat. ITEM Aug. de adulterinis coniugiis lib.j. *Ibidem.*

Qui ob fornicationem vxorem dimittit, & aliam ducit, mœchari probatur. 10

QVemadmodum non rectè dici potest, si nescit homo non peccat (sunt enim peccata ignorantium, quāuis minora quàm scientium) ita etiam non rectè dici potest, si causa fornicationis dimiserit vxorem vir, & aliam duxerit, nō mœchatur. Est enim mœchatio & eorum qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed vtique minor quàm eorum qui non propter fornicationem dimittunt.

Sunt enim in fornicatione gradus: vt sicut grauius peccat adulter quàm fornicator, sic grauius delinquit qui nec sua dimissa aliam ducit, eo quòd suam dimittens, aliam cognoscit. grauius quoque qui vxorem suam habens, ad coniugem proximi sui accedit, quàm qui non habens vxorem thorum alterius violat, vel vxoratus ad solutam accedens. sed hos omnes incestuosi transcendunt: quos vincunt contra naturam delinquentes. VNDE Aug de adulterinis coniugiis. 11 *GRATIAN. 2. pars.*

ADulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu. peius est enim cum matre quàm cum aliena vxore concumbere. sed omnium horum est pessimum quod contra naturam fit: vt si vir membro mulieris non ad hoc cōcesso voluerit vti. vsus enim naturalis si vltra modum probabitur, in vxore quidem veniale peccatum est, in meretrice damnabile. sed istud quod contra naturam est, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. tantum enim valet ordinatio creatoris & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum concessis cùm modus exceditur, longè tolerabilius fit quàm in eis quæ concessa non sunt, vel vnus vel rarus excessus.

ITEM Amb. in lib. de patriarchis. *Ca.6.li.1.de Abraham.*

Minus est secundum naturā coire, quā contra naturam delinquere. 12

OFferebat sanctus Loth filiarum pudorē. nam etsi illa quoq; flagitiosa impuritas erat, tamē minus erat secūdum naturam coire, quàm aduersus naturā delinquere. præferebat domus suæ verecundiæ hospitalem gratiam etiā apud barbaras gentes inuiolabilem. ITEM Aug. confessionum lib.iij. *Gene.19.* *Cap.8.*

Grauiora sunt flagitia quæ contra naturam probantur, qualibet incesta macula. 13

FLagitia quæ sunt contra naturā, vbiq; & semper repudianda atque punienda sunt: qualia Sodomitarum fuerunt: quæ si omnes gentes facerēt, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur: quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo.

Violatur quippe ipsa societas, quæ cum deo nobis esse debet, cum eadem natura cuius ipse auctor est, libidinis peruersitate polluitur. ITEM contra Ioui. lib. j.

Turpior & flagitiosior est vsus contra naturam quàm fornicationis vel adulterij. 14

VSus naturalis & licitus est, sicut in coniugio: & illicitus, sicut in adulterio: contra naturam verò semper illicitus, & proculdubio flagitiosior atque turpior. Quē sanctus Apostolus & in masculis & in fœminis arguebat. damnabiliores volens intelligi, quàm si in vsu naturali vel adulterando vel fornicando peccarent.

ITEM Isidorus.

Omnis immunda pollutio fornicatio est, licet varia sint peccata fornicationis. 15

3. pars. NOn solùm de commissa fornicatione peccatum regnat in homine, sed si adhuc delectetur, atq; animum teneat, proculdubio regnat. fornicatio carnis, adulterium est: fornicatio animi, idolorum est seruitus. Est autem spiritualis fornicatio: de qua dominus ait: (Mat. 5. c.) Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Omnis immūda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersa turpitudinis voluntate prostituatur. ex delectatione enim fornicandi varia gignūtur flagitia, quibus regnum dei clauditur, vt homo à deo separetur. Inter cætera septem vitia vitium fornicationis maximum scelus est: quia per carnis immunditiam templum dei violatur. Sunt autem quædam quæ sicut animalia absque vlla discretione indesinenter libidini seruiunt: quas ego nec mutis pecudibus comparauerim. pecora enim cùm conceperint, vltra non indulgent maribus copiam sui.

Epi. 1. ad Iacobum. ITEM ex epistola Clementis.

Adulterium secundum in pœnis obtinet locum. 16

QVid in omnibus peccatis adulterio est grauius? Secundum nanque in pœnis obtinet locum: quem quidem primum habent illi, qui aberrant à Deo, etiam si sobriè vixerint.

GRATIA. His auctoritatibus euidentissimè mōstratur, quòd quicunq; causa fornicationis vxorem suam dimiserit, aliam illa viuente ducere non poterit: & si duxerit, reus adulterij erit. His ita respondetur: hæ auctoritates de iis loquuntur, quorum continentiam carnalis infirmitas non impedit, vel de his qui præstantes causam dissidij, aliorum coniunctione se reddiderint indignos. ITEM Ambrosius super epistolam Pauli ad Corinthios. 17

Ad ca. 7. epist. 1. ad Corint. in commenta. VXor à viro non discedat nisi causa fornicationis. quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro suo. & vir similiter non dimittat vxorem. Ideo non subdit de viro quod

quod de vxore præmisit: quia viro licet ducere aliam.

ITEM Gregor. iunior Bonifacio episcopo. Greg pa. 3.

Licet ducere aliam viro, cui sua ob infirmitatem corporis debitum reddere non valet. 18

QVòd proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat coniugalis? bonum esset si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui non poterit se continere, nubat magis: non tamen ei subsidij opem subtrahat quam infirmitas præpedit, non tamen detestabilis culpa excludit.

Sed illud Ambrosij à falsatoribus dicitur esse insertum. Illud Gregorij sacris canonibus imò euangelicæ & apostolicæ doctrinæ penitus inuenitur aduersum. Quidam verò sententiam Ambrosij seruare cupientes, non de qualibet fornicatione illud arbitrantur intelligi, vt ob quālibet fornicationē vir licitè dimittat vxorem, & viuente dimissa aliam ducat. de incestuosa tantum fornicatione intelligitur, cùm vxor videlicet alicuius patri & filio, fratri & auunculo viri sui vel alicui similium se ad constuprandum publicè tradiderit. Hæc autem quia viro suo se illicitam reddidit in perpetuum, dum per copulam consanguinitatis in primum vel secundum vel tertium gradū transiuit affinitas: licitè dimittitur, & ea viuente superducitur alia. Hic si quis contendat non magis viro quàm mulieri licitum esse, si vir alicuius eodem modo fornicetur: sciat virum ab Ambrosio appellatum non sexu, sed animi virtute. mulierem quoque nominatam sentiat non sexu corporis, sed mollitie mentis. Sed quia nulla auctoritate permittitur vt vxore viuente alia superducatur: intelligitur illud Ambrosij in supradicto genere fornicationis: non tamen quòd viuente dimissa aliam ducere possit: sed post mortem fornicarij vel fornicariæ, quorum vterque (vt suprà dictum est) à corruptione luxuriæ mulier appellatur: ille qui à fornicatione mundus est vir vel mulier aliis copulari possunt: adulteri autem si superuixerint, nullo modo aliis copulari poterunt. SIC & illud intelligitur quod in capitulo cuiusdam concilij legitur. GRATIA. 5. pars.

Licitum coniugium non negetur illi, cuius vxor cum suo fratre dormiuit. 19

QVædam cum fratre viri sui dormiuit, decretum est vt adulteri nunquam coniugio copulentur. illi verò cuius vxor stuprata est licita coniugia non negentur. SIC & illud Maguntiensis concilij intelligitur. Cap. 56.

Disiungantur, & nunquam coniugio copulentur, qui quodlibet infra subiectorum admiserint. 20

SI quis viduam vxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum

duobus fratribus, seu cum patre & filio, si quis relictam fratris, si quis neptem, aut nouercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam auunculi, aut eius relictam, aut priuignam polluerit: eos disiungi, & vlterius nunquam in coniugio copulari præcipimus. ITEM.

In cõ. Vormatiensi.

Sororem vxoris polluens, neutrum habere valet. 21

QVi dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis antea vxor fuerit, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri vnquam in coniugio copulentur. ITEM illud Greg.

Causa adulterij vxorem relinquens, continentiam seruet. 22

HI verò qui vxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum nec eam aliam vxorem accipere vel alium virum quandiu ambo viuunt. si autem adultera mortua fuerit, vir eius si vult nubat tantum in domino: adultera verò nunquam, etiam si mortuus fuerit vir eius: omnibus tamen diebus vitæ suæ acerrimæ pœnitentiæ lamenta persoluat.

ITEM ex decreto Zachariæ papæ.

Neutram habeat, qui sororem vxoris polluit. 23

COncubuisti cum sorore vxoris tuæ? si fecisti: neutram habeas. & si illa quæ vxor tua fuerit conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in domino cui velit. tu autem & adultera sine spe coniugij permaneatis & quãdiu vixeritis, iuxta præceptum sacerdotis pœnitentiam agite.

ITEM ex concilio Triburiensi.

Cum nouerca vel filiastra vel sorore sua vxoris dormiens, ad coniugium peruenire non poterit: viris tamen earum legitima non negantur coniugia. 24

SI quis cum nouerca sua dormierit, neuter ad coniugiũ potest peruenire: sed vir eius potest si vult aliam accipere, si se continere non potest. similiter si quis cum filiastra sua, vel cum sorore vxoris suæ dormierit, obseruandum est.

GRATIAN. Quamuis illud quod in fine Maguntiensis concilij ponitur, à nonnullis non de legitimè coniunctis, sed de fornicariis dictum intelligatur, videlicet vt fornicarij discedant abinuicẽ, & sine spe coniugij permaneant. Illud verò Gregor. ad Bonifacium Anglicis pro tempore permissum est, quibus beatus Gregor. in quarta & quinta generatione coniugia contrahi permisit: aliàs autem inane esset: cùm August. dicat in sermone domini de monte. Si vxorem quis habeat sterilem &c.

ITEM Nicol. ad Carolum Maguntieñ. episcopum.

Iuo lib. 6. de mulieribus quæ. 6. pars.

Ob infirmitatem, vel damna corporis, coniugia solui non licet. 25

HI* qui matrimonium sani contraxerunt, & vni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solui non possunt. Similiter sciendum est de his qui ab aduersariis excæcantur, aut membris

** malim legere, Si qui.*

membris truncantur, aut à Barbaris exsecti fuerint. ITEM Fabianus papa. *Iuo vbi supra refert.*

Furiosus & furiosa matrimonium contrahere non possunt. 26

NEque furiosus neq; furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.

Vt ergo ex præmissis colligitur, non licet huic dimissa vxore sua aliam ducere. manet enim inter eos quoddam vinculum coniugale, quod nec ipsa separatione dissoluitur. GRATIAN. *7. pars.*

VNDE Augustinus ait in libro de bono coniugali: Cap.7.

Sterilem vxorem dimittere, & causa fœcunditatis aliam ducere alicui non licet. 27

TAntum valet vinculum sociale, vt cum causa procreandi colligitur, nec ipsa causa procreandi dissoluatur. posset enim homo sterilē dimittere vxorem, & aliam ducere de qua filios haberet: & tamen non licet. Item. Manet vinculum nuptiale, etiam si proles cuius causa initum est, manifesta sterilitate nō subsequatur, ita vt iā scientibus coniugibus non se filios habituros: separare tamen se vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint: cum eis quibus se copulauerint, adulterium committunt, ipso autē manente cōiugio, planè vxoris voluntate adhibere aliam vnde communes filij nascantur vnius commixtione, ac semine alterius, aut iure aut potestate apud antiquos patres fas erat: vtrum etiam nunc fas sit, temere non dixerim. IDEM in eodem.[a] *Cap.15. eiusdem.*

De eodem. 28

Augu. cap. 20. lib. 1. de nuptiis & conc.

VSqueadeò inter viuentes manent semel inita fœdera nuptiarum, vt potius inter se sint coniuges etiam separati, quàm cum his quibus adhæserunt. & pauló post. Manet inter viuentes quoddam vinculum coniugale: quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod in lauacro regenerationis accepit. redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recessit; ad cumulum supplicij; non ad meritum præmij.

a Ex mag. Iuo. part. 8.

QVAESTIO. VIII.

SI INFIDELEM SVB PRAEMISSA CONDITIONE LICEAT ALICVI FIDELIVM IN CONIVGEM DVCERE.

CVm itaque probatum sit quòd hic vxorem suam dimittere & aliam ducere non potest: Quæritur si liceat ei hac conditione peccare vt infidelem ad fidem adducat. quod non posse fieri August. affirmat in lib. de adulterinis coniugiis ita dicens. GRATIAN. *Cap. 24. lib. 1.*

Non debet aliquis à continentiæ voto recedere, etiam si infidelis Christianam se fieri polliceatur. 1

NOn solum mœchandum non est, quod facit nõ quidam, sed omnis qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram, etsi propterea eam duxerit vt Christianam faciat: sed etiam quisquis non alligatus vxori continentiam deo vouit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideo credat vxorem sibi esse ducendam quia promisit quæ nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam, quod enim cuiquam antequã vouisset licebat: cùm se id nunquam facturum vouerit, non licebit, si tamen id vouerit quod vouendum sit, sicuti est perpetua virginitas, vel post experta cõnubia solutis à vinculo coniugali vidualis castitas, seu ex consensu vouentibus & carnalia debita sibi inuicem relaxantibus fidelibus castisq; coniugibus quòd alterum sine altera, vel alteram sine altero vouere fas non est iugis continentia. hæc ergo & si qua alia sunt quæ rectissimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine vlla conditione vouerunt.

CAVSA XXXIII.

GRATIA.



QVidam vir maleficiis impeditus, vxori suæ debitum reddere non poterat. alius interim clanculo eam corrupit. à viro suo separata, corruptori suo publicè nubit. crimen quod admiserat, corde tantum deo confitetur. redditur huic facultas cognoscendi eam. repetit vxorem suam: qua recepta, vt expeditius orationi vacaret, & ad carnes agni purius accederet, continentiam se seruaturum promisit, vxor verò consensum non adhibuit.

1 Hic primùm quæritur, an propter impossibilitatẽ coeundi, à viro suo aliqua sit separanda?

2 Secundò, an post separationem ei nubere valeat cum quo prius fornicata est?

3 Tertiò, si sola confessione cordis crimen possit deleri?

4 Quartò, si tempore orationis quis valeat reddere coniugij debitum?

5 Quintò, an vir sine consensu vxoris continentiam vouere possit, vel si minis vel terroribus licentiam vouendi ab ea extorquere valeat?

QVAESTIO PRIMA.

AN PROPTER IMPOSSIBILITATEM COEVNDI A VIRO SVO ALIQVA SIT SEPARANDA.

GRATIAN.

Matth. 19. b.

QVòd autem propter impossibilitatẽ reddendi debitum mulier à viro suo separari non possit, auctoritate euangelica & apostolica probatur. Sic enim Christus ait in euange-

euangelio: Nulli licet dimittere vxorem suam, nisi causa fornicationis: vel qua alter eorum (sicut Augustinus exponit) fornicatus fuerit, vel ad quam alter alterum pertrahere voluerit. Item Apostolus. Mulier quanto tempore viuit vir eius, *1. Corinth. 7. g.* alligata est legi ipsius. non legi sibi reddendi debitum, sed non transferẽdi se ad alium. Item his qui matrimonio iuncti *Ibidem. b.* sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro suo non discedere, nisi causa fornicationis. Euangelica itaque & *Matth. 19. b.* apostolica auctoritate prohibetur mulier à viro suo discedere, nisi ob causam illam cunctis notissimam: qua interueniente si discesserit, oportet eam manere innuptam, aut reconciliari viro suo. Vnde datur intelligi quòd impossibilitas reddendi debitum non facit coniugij dissidium. His ita respondetur. Coniugium confirmatur carnali officio, vt suprà probatum est. postquam verò officio confirmatum fuerit, nisi causa fornicationis non licet viro vxorem dimittere, vel vxori à viro discedere. verùm antequam confirmetur, impossibilitas officij soluit vinculum coniugij. VNDE scribit Gregorius Ioanni Rauennati archiepiscopo. *Iuo. lib. 6. de impotentia.*

Licet mulieri alteri nubere, quam ob frigiditatem vir cognoscere non poterit. 1

QVòd autem interrogasti de his qui matrimonio iuncti sunt, & nubere non possunt: si ille aliam, vel illa alium ducere possit? de quibus scriptum est: Vir & mulier si se coniunxerint, & dixerit postea mulier de viro quòd coire non possit cum ea: si potest probare quòd verum sit, per iustum iudicium accipiat alium. si autem ille aliam acceperit, separentur.

ITEM ex epistola eiusdem. 2 *Iuo vbi suprà refert.*

REquisisti de his qui ob causam frigidæ naturę dicunt se nõ posse inuicem operam carni dantes commisceri. Iste verò si non potest ea vti pro vxore, habeat eam quasi sororẽ. quòd si retinaculum coniugale voluerint rescindere, maneant vtriq; innupti. Nam si huic non poterit cõcordare naturaliter, quomodo alteri cõueniet? Si igitur vir aliam vult vxorem accipere, manifesta patet ratio quia suggerẽte diabolo odij fomitem exosam eam habuit, & idcirco eam dimittere mẽdacij falsitate molitur. Quòd si mulier causatur & dicit, Volo esse mater & filios procreare: vterq; eorum septima manu propinquorũ tactis sacrosanctis reliquiis iureiurando dicat, vt nunquã per cõmixtionem carnis coniuncti vna caro effecti fuissent. tunc videtur mulierem secundas nuptias cõtrahere posse. Humanum *Roma. 6. b.* dico propter infirmitatẽ carnis eorum. vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine coniuge. quòd si & ille aliam copulam acceperit, tunc hi qui iurauerint, periurij crimine rei teneãtur, & pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia.

Hoc

GRATIAN. 2. pars. Hoc autem seruari præcipitur, cùm vterque idem fatetur. cæterùm si vir asseruerit se reddidisse debitum vxori, & illa diffitetur: cui potius fides adhibenda sit, meritò quæritur. De his in concilio apud Compendium habito ita statutum est. *Iuo vbi suprà.*

In veritate viri consistat, si mulier negat se cognitam ab eo. 3

SI quis acceperit vxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit quòd nunquam coisset cum ea: & ille vir dicit quòd sic fecit: in veritate viri constat, quia vir caput est mulieris.

GRATIAN. 3. pars. Ecce quod impossibilitas reddendi debitum, vinculum soluit cõiugale. sed hoc de naturali impossibilitate statutum est. hæc autem maleficij impedimento, non frigiditate naturali debitum coniugale prohibente, à viro suo separata est. vnde quæritur si liceat ei etiam in hoc casu à viro suo discedere, & alij se copulare? De his ita scribit Igmarus Remẽsis archiepis. *Iuo. ibidẽ refert.*

Quid de his qui maleficijs impediti coire non possunt. 4

SI per sortiarias atque maleficas artes, occulto, sed nunquam iniusto dei iudicio permittente, & diabolo pręparante, cõcubitus nõ sequitur, hortãdi sunt quibus ista eueniũt, vt corde cõtrito & spiritu humiliato deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionẽ faciant, & pro fusis lachrymis, & largioribus eleemosynis & orationibus atque ieiunijs domimino satisfaciant: & per exorcismos ac cętera ecclesiastica medicinæ munia ministri ecclesiæ tales quantum dominus annuerit, qui Abimelech ac domũ eius, Abrahæ orationibus sanauit, sanare procurent. *Gen. 20. d.* Quòd si fortè sanare non potuerint, separari valebunt: sed postquam alias nuptias expetierint illis in carne viuentibus quibus iuncti fuerant: prioribus quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbẽdi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Sed in hoc videtur cõtrarius præmisso capitulo Gregorius papa. ibi enim post possibilitatem redditam iubetur separari ab eo cui secundo nupserat, & redire ad primum. hic autem viuente eo cui secundò copulata fuerat, primo reconciliari non poterit.

QVAESTIO. II.

AN POST SEPARATIONEM EI NVBERÆ VALEAT, CVM QVO PRIVS FORNICATA EST.

GRATIA. QVod autẽ ei cum quo prius fornicata fuerat, post separationem nubere possit, superius probatũ est. mortuus est enim sibi vir eius: ex quo iudicio ecclesiæ ab eo separata, ab eius lege soluta est. vnde iuxta Apostolum: Nubat cui vult tantum in domino. *1. Cor. 7. g.* Sed quæritur si sine ecclesiastico iudicio nulla causa dissidij rationabiliter probata, ab ea discesserit, an esset cogendus redire ad eã?

De

De hoc ita statutum est in concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustinus, cap. xxx. Ca. 25. cō. Agathens.

Non licet alicui vxorem dimittere, nisi causa dissidij primùm ecclesia comprobetur. 1

SEculares qui coniugale consortium nulla grauiori culpa dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidij probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, vt aut illicita aut aliena præsumant, si antequam apud episcopos comprouinciales dissidij causas dixerint, & priusquam in iudicio damnentur, vxores suas abiecerint: à cōmunione sanctæ ecclesiæ, & populi cœtu (pro eo quòd fidem & coniugia maculant) excludantur.

ITEM Ambrosius super Lucam. Ad ca. 17. Luc. in coment.

Lex diuina prohibet virum vxorem dimittere, nisi certa causa fornicationis. 2

AN quod in subditos nefas est, in comparem fas est? dimittis ergo vxorem quasi iure, sine crimine: & putas hoc tibi licere, quia lex humana non prohibet? sed prohibet lex diuina. qui hominibus obsequeris, deum verere. audi legē domini, cui obsequuntur & qui leges fecerunt. Quos deus coniunxit, homo non separet. Mat. 19. a.

ITEM Nicolaus papa Carolo imperatori.

Absque causæ cognitione à viro suo dimissa, ad omnia restituatur. 3

HIstoria ecclesiastica ab Eusebio Cęsariensi episcopo cōfecta, de muliere quadam quæ de castitate à marito accusabatur, ait: Præceptū est ab imperatore lege lata, vt primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordināre: tūc demum responderet obiectis. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quàm vulgares publicæque pręcipiunt. Si autem de mulieribus & secularibus viris hæc constituta sunt, multo magis ecclesiasticis hominibus & sacerdotibus sunt concessa.

ITEM Nicolaus papa.

Nisi post restitutionem, neque de coniugij fœdere, neque de adulterij crimine inter virum & vxorem iudicium est agitandum. 4

SIue de coniugij fœdere, siue de adulterij crimine iudicium agitandum sit: nulla ratio patitur Thebergam cum Lothario posse inire certamen, nisi prius ad tēpus fuerit reddita suæ potestati, & consanguineis proprijs liberè sociata. itaque etiā locus prouidendus est in quo nulla vis multitudinis formidetur, nec sit difficile testes producere, vel cæteras personas quæ tam à sanctis canonibus, quàm a venerandis Romanis legibus in huiusmodi controuersiis requiruntur. 2. pars.

» In hoc cap. quāuis videatur causa exposita, quare sua aucto- GRATIA. 3. pars.
» ritate nō licet alicui vxorē dimittere: qua cessante ipsa quoq;
» prohibitio cessare videtur, tamen quia ipsa separatio pœna
est, &

est,& pœna nulli est inferenda nisi per iudicem: generaliter hoc intelligendum est,vt siue ob causam præmissam, siue nulla causa existente,non liceat alicui sua auctoritate vxorem dimittere:quod etiam de pœna homicidij, vel qualibet alia intelligendum est. VNDE Nicolaus papa scribit Radulpho Bituricensi archiepiscopo.

Coniugia penitus interdicantur his qui suas coniuges occidunt. 5

INterfectores suarum coniugum sine iudicio, cùm non addis adulterarum,vel aliquid huiusmodi: quid aliud habendi sunt quàm homicidę,ac per hoc ad pœnitentiam redigẽdi? quibus penitus coniugiũ denegatur,exceptis adolescentibus: de quibus est beati Leonis papæ.xxv.regula decretalium(imò indulgentia obseruanda.

GRATIA. In hoc cap.videtur Nicolaus permittere maritis causa adulterij vel alterius huiusmodi criminis vxores suas interficere: sed ecclesiastica disciplina spirituali gladio non materiali criminosos feriri iubet,illo videlicet gladio quo Petrus iubetur mactare,& manducare.De quo etiam Christus ait in euangelio:Non veni pacem mittere in terram,sed gladium. Hinc idem Nicolaus scribit Aluino archiepiscopo.

Act.10.b.
Matt.10.d.

Non licet alicui vxorem suam adulteram occidere. 6

INter hæc sanctitas vestra addere studuit, vt si cuius vxor adulterium perpetrauerit:vtrum marito illius liceat secundũ mundanam legem eam interficere. Sed sancta dei ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus,gladium non habet nisi spiritualem quo non occidit,sed viuificat.

ITEM Pius papa.

Pœnitentia eius qui propriam absque causa peremit vxorem. 7

QVicunque propriam vxorem absque lege & sine causa,& certa probatione interfecerit,aliamque duxerit vxorem: armis depositis publicam agat pœnitentiam: & si contumax fuerit,& episcopo suo inobediens extiterit, anathematizetur quousque consentiat. Eadem lex erit illi qui seniorem suum interfecerit. ITEM Stephanus papa quintus Astulpho.

Pœnitentia Astulphi,qui vxorem suam interfecit. 8

ADmonere te cum lachrymis & multo gemitu cordis curamus filij Astulphe.sed non filius debes dici, qui tam crudeliter homicidium perpetrasti:nam occidisti vxorem tuam, partem corporis tui,legitimo matrimonio tibi sociatam,sine causa mortis,non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitę tuæ,non inuenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem,sed concitatus à diabolo, & impio furore inflammatus,latronum more atrocius eam gladio tuo crudelior omni bestia interemisti:& nũc post mortem eius addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo, qui

quã matri nõ pepercisti: filios tuos orphanos fecisti: inducere super eã vis mortus causam post mortẽ: per vnum hominẽ homicidam & reprobum testem accusare vis mortuam. quoniã nec euangelium, nec vlla diuina humanaq́; lex vnius testimonio etiam idoneo quempiam condẽnat, vel iustificat: quanto magis per istum flagitiosissimum & scelestum nec illa viua debuit condẽnari, nec à te post eius mortem accusari. prius enim causa criminis subtiliter erat inuestiganda: & tunc si ita fuisset inuenta, secundum legis tramitem debuit accipere vltionis vindictam. nam si verum (quod absit) fuisset sicut ille adulter mentitus est: post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras si voluisses: occidere tamen eam nullatenus debuisti. non enim vult deus mortem peccatoris, sed vt conuertatur ad pœnitentiam, & viuat. *Ezech. 33.c.* Idcirco placeat tibi consiliũ nostrũ, & hoc fac quod melius tibi leuiusq́ue videri poterit. miserere animæ tuæ, vt non sis tibimet ipsi homicida. Relinque quapropter te rogamus hoc malũ seculũ, quod te traxit ad tam immanissimũ peccati facinus: ingredere monasteriũ, humiliare sub manu abbatis, & multorum fratrum precibus adiutus, obserua cuncta simplici animo quæ tibi fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita dei misericordia peccatis tuis, & refrigeret animam tuam priusquã crucieris perpetuis flãmis. hoc leuius & melius tibi esse certissimè scias. sin autem publicam pœnitentiã permanẽs in domo tua vel in hoc mundo vis agere, quod peius tibi & durius & grauius esse non dubites: ita vt agere debeas exhortamur, vt omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum & siceram non bibas, carnem nunquã vllo tẽpore comedas, pręterquã in Pascha, & in die Natalis domini: in pane, & aqua, & sale pœnitentiã age: in ieiuniis, & vigiliis, & orationibus, & eleemosynis omni tẽpore perseuera: armis nunquã cingere: nec in quolibet loco litigare præsumas: vxorẽ nunquã ducere: concubinam non habere, nec adulterium cõmittere audeas: in balneo nũquam laueris: in conuiuiis lætantiũ nunquã te misceas: in ecclesia segregatus ab aliis christianis post ostiũ & postes humiliter te repone: ingredientium & egrediẽtium suppliciter orationibus commẽda te: & cõmunione corporis & sanguinis domini cũctis diebus vitæ tuę indignũ te existimes, in vltimo tamen exitus vitæ tuæ die si metueris pro viatico (si sit qui tribuat tibi) tantummodo venialiter vt accipias tibi cõcedimus. Sũt & alia multa quæ tibi nimis durius & satis acrius erãt iuxta magnũ pondus peccati infœlix adiicienda: sed si hæc omnia quæ tibi misericorditer dicta sunt, perfecto corde domino auxiliãte feceris & custodieris: confidimus de immẽsa dei clemẽtia remissionem habiturum te tuorum pec-

catorum, & secundum dictum iusti boniq́ue pastoris resoluet te sancta ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris: vt per ipsius gratiã qui eã suo sanguine acquisiuit, solutus sis in cælis. sin autẽ aliter feceris, & sanctæ matris ecclesiæ tam salubrem admonitionẽ despexeris: ipse tibi sis iudex, & in laqueo diaboli quo irretitus teneris permanebis, & sanguis tuus super caput tuum: nos alieni à consortio tuo, pro aliorũ fideliũ salute deo opitulante omni solicitudine nitimur desudare, & domini misericordiam attentius quotidie implorare.

Osee 4. Matth 19. Cap. 15.

ITEM August. de adulterinis coniugiis lib. ij.

Potius vxore viuente aliam ducat quis: quàm humanum sanguinem fundat. 9

SI (quod verius dicitur) nõ licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantum dimittere: quis est tam demens qui dicat ei, fac quod nõ licet, vt liceat tibi quod non licet? cum enim vtrumque secundum legẽ Christi illicitũ sit, siue adulteram occidere, siue alterã ducere ea viuẽte: ab vtroque est abstinendũ: non illicitum pro illicito faciendũ. si enim facturus est quod nõ licet, iam faciat adulterium, & nõ faciat homicidiũ: vt viuente vxore sua, alteram ducat: & non humanum sanguinẽ fundat. quòd si est vtrunque nefarium, non debet alterum per alterum perpetrare: sed vtrumque vitare.

GRATIAN. 4 pars.

In præmissis auctoritatibus quique prohibentur adulteras coniuges suas occidere: sed permittitur post septẽ annorum pœnitentiã eis illas dimittere. Si autẽ illas interfecerint: iubẽtur sine spe coniugij perpetuo manere: nisi fortè propter lapsum iuuenilis incontinentiæ ad matrimonia contrahẽda eis misericordia impendatur. clericis autẽ conceditur, si vxores eorum peccauerint, sine mortis acerbitate habere eas in custodia: & ad ieiunia eas cogere: non tamen vsq; ad necem affligere. VNDE in Toletano conc. j. legitur.

Cap. 7.

Clerici si vxores eorum peccauerint, præter necem eas domi custodiant: & ad salutaria cogant ieiunia. 10

PLacuit, vt si quorumcunq; clericorum vxores peccauerint, ne fortè licentiam peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc potestatem præter necem custodiendi & ligandi in domo sua, ad ieiunia salutaria, non mortifera eas cogentes: ita vt inuicem sibi clerici pauperes auxilium ferant, si seruitia non habeant. Cùm vxoribus autem ipsis quæ peccauerint, cibos non sumant: nisi forte ad timorem domini acta pœnitentia reuertantur.

GRATIAN. 5. pars.

Nunc autem quæritur quare sacris canonibus sit institutũ, vt post septem annos pœnitentes in pristinum statum reuocentur? DE HIS ita scribit Isidorus ad Masonem episcopum.

Quare

Quare sit institutum post septem annos in pristinum statum pœnitentes redire. 11

HOc ipsum quòd canonum censura post septem annos pœnitentem remeare in pristinum statum præcepit &c. vt in tractatu ordinādorum de lapsis: non electione proprij arbitrij sancti patres, sed potius ex sententia diuini iudicij sanxerunt. Nam legitur quòd Maria soror Aaron prophetissa cum detractionis aduersus Moysen incurrisset delictū: illico stigmate lepræ percussa est. cumq; peteret Moyses vt emundaretur, præcepit eam dominus extra castra septem diebus egredi, & post emundationem rursus eam in castra admitti. Maria ergo soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita, sordidissimis cogitationū maculatur contagijs, extra castra septem diebus, hoc est extra collegium sanctæ ecclesiæ. vij. annis proijciatur: vt post emundationem vitiorum, loci vel pristinæ dignitatis recipiat meritum. & post pauca. In fine autem epistolæ hoc adijciendū putaui, vt quotiescunq; in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius sententia magis teneatur, cuius antiquior & potior extat auctoritas. Num. 12. c.

Hoc autem quanquam de sacerdotibus videatur specialiter dictum, generaliter tamen de omnibus pœnitentibus oportet intelligi. ad imitationem nanque illius dominicæ sententiæ Dauid de adulterio & homicidio reprehensus, vnius hebdomadæ ieiunium in satisfactionem admissi sceleris Deo legitur obtulisse. hinc etiam ecclesiastica consuetudine est vsurpatum, vt maiorum criminum pœnitentia. vij. annorum spatio concludatur, nisi vel officij excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens (veluti dum contra naturam humanæ societatis parentibus vel liberis, vel alijs eiusmodi personis impudice adhæremus, vel dum relicto naturali vsu contra naturam more Sodomitico fornicamur, vel vsque ad coitum brutorum animalium prolabimur) præmissum spatium transcendere cogat. De pœnitentibus quoq; quæritur, an eis generaliter post pœnitentiam peractam coniugia concedantur. generaliter enim canonica auctoritate prohibentur pœnitentes ad sæcularem militiam redire vel matrimonia contrahere. VNDE Siritius papa.

GRATIA. 2. Reg. 12. 6. pars.

Pœnitentes matrimonia contrahere prohibentur. 12

Epist. 1. ad Himeriū episcopū Tarraconēsem.

DE his vero non incongrue dilectio tua sedē apostolicam credidit consulendam, qui acta pœnitentia tanquam canes & sues ad vomitus pristinos & volutabra redeūtes, & militiæ cingulum, & lubricas voluptates, & noua cōiugia, & inhibitos denuo appetiuēre cōcubitus: quorū improfessam cōtinentiam generati post absolutionem filij prodiderūt: de quibus quia iam suffugium non habēt pœnitēdi, id duximus de-

cernendum, vt sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacris mysteriorum celebritatibus (quamuis non mereantur) intersint: à dominicæ autem mensæ conuiuio segregētur, vt hac saltem districtione correcti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur: quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere cùm ad dominum cœperint proficisci, per cōmunionis gratiam volumus subueniri, quam formam & circa mulieres quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, esse seruandam censemus.

GRATIAN. Sed quia timore soluendi coniugij nonnulli ad pœnitentiam accedere differunt, vel propter lapsum adolescētiæ quem formidant, pœnitentiæ remedium suscipere negligunt: ideo auctoritate canonica permittitur eis, vel contracta matrimonia retinere, vel alia contrahere.

VNDE Leo papa Galerio episcopo Tripolitano scribit.

Ex indulgentia coniugia post pœnitentiam legitimam non negentur. 13

AVdiuimus à quibusdam, quod in vestris diœcesibus ac finibus Christianorum cœtus leui occasione se subtrahunt pœnitentię iugo, dicentes quod si pœnitentiā agimus, coniugij debemus relinquere copulam. in quo errant, & de veritatis calle discedunt: quia pro omnibus illicitis pœnitētiam vnusquisq; Christi nominis cultor sustinere ac peragere summopere debet, dicēte domino: Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnū cœlorum: coniugiū verò legitimum nulli orthodoxorum pœnitentiam sustinenti soluere licet, & infra. Sacris eos vos expedit eloquiis edocere, vt ab erroris eripiantur caligine: & licitis copulationibus iuncti, de omnibus illicitis pœnitentiam agere procurent. ITEM Leo papa. iiij.

Matth. 3. a.

Imò prim. Leo. 1. epi. 90. ad Rusticum.

Propter lapsum iuuenilis incontinentiæ non negentur pœnitentibus licita coniugia. 14

IN adolescentia constitutus, si vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam gesserit, & postea timēs lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegerit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullā omnino cognouerit, in quo tamen regulā non cōstituimus: sed quid sit tolerabilius æstimamus.

ITEM Nicolaus papa Rhatoldo episcopo sanctæ ecclesiæ Argentoratensis.

Hac pœnitentia est imponenda ei qui matrem occiderit. 15

LAtorem præsentium matricidā esse cognouimus, cui præcipimus, vt sub pœnitentiæ iugo permaneat: ita vt per annum integrum ecclesiam non ingrediatur: sed ante fores basilicæ stans, orans, & deprecans deum perseueret: qualiter tanto eripia-

expiatur piaculo. cōpleto vero anni circulo, introeundi in ecclesiam licentiam habeat: tantum inter audiētes stet, sed nondum communicet. completis autem trium annorum curriculis, sacræ communionis ei gratia concedatur, oblationes verò non offerat nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festiuis diebus atq; dominicis, & à Pascha vsq; ad Pentecosten. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur: arma non sumat, nisi contra paganos. Ieiunet autem tribus diebus per hebdomadam vsque ad vesperam: à propria ac legitima coniuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. si autem ante annorum trium cursum finis vitæ illius appropinquauerit, corporis & sanguinis domini nostri particeps fiat. sin autē, vt suprà statuimus efficiatur. tamen si illius conuersionem, & lachrymarum fontē in omnibus videritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare: humanius circa eum solicitudo peruigil appareat, mitisque in omnibus demonstretur.

IDEM.

Post dignam pœnitentiam adolescētibus permittuntur licita cōiugia. 16

SI quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sancta scriptura prohibet: si dignā egerit pœnitentiam, & castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in coniugio vxorem accipere: similiter & mulieri quæ tali fuerit scelere lapsa: vt fornicationis non perducatur ad chaos. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus. *8. pars.*

ITEM.

Puniatur qui hæc crimina committit, non tamen legitimam dimittat vxorem. 17

SI quis cū matre fornicatus fuerit spirituali, anathematis (vt scitis) percutitur ictibus, similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum ea quā de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit cum sacro chrismate fuerit vncta, fornicationis perpetrauerit scelus: legitimam tamen si habuit non dimittat vxorem.

,, Quos enim deus coniunxit, iudex sua authoritate separare ,, non debet, quanquam Isidorus hoc aliter intelligat dicens. GRATIA.

Non homo separat, quos pœna condemnat. 18

QVos deus coniunxit, homo non separet. quæris quomodo? subaudi, violenter, sine lege, absque ratione, quos deus coniunxit, homo non separet. non enim homo separat quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat. *Mat. 19.*

,, Verum hoc pro his dictum intelligitur, quos iudices sæculi GRATIAN.

pro suis sceleribus legum seueritate percellunt, quos vel morte puniunt, vel deportari iubent.

Ca.8.conc. Toleta.6. 10.pars.

ITEM ex concilio Toletano. viij.

De eodem. 19

ANtiqui & sanctissimi Leonis papæ hæc est sententia, vt is qui in ætatis adolescentia positus dum mortis formidat occasum: si peruenerit ad pœnitētiæ remedium, si coniugatus forte fuerit incontinens, ne postea adulterij lapsum incurrat, redeat ad coniugium pristinum, quousq; poscit adipisci tēporis maturitate continentiæ statum: quod nos vt de viris, ita & de fœminis æquo modo censemus. non quidem hoc generaliter & canonicæ est præceptum, sed cōstat vobis pro humana fragilitate indultum, ea duntaxat ratione, vt si is qui pœnitentiæ non est legibus deditus, antea ab hac vita decesserit, quàm ex communi consensu ad continentiam vnus eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuo transire ad vxoris amplexus. si autē illius vita superstes extiterit, qui non acceperit absolutionem pœnitentis, nubat si se continere nō potest, & alterius consortio fruatur vxoris. quod in vtroq; sexu pari modo à nobis manifestum est esse decretum: ita videlicet vt in omnibus sacerdotis expectetur ordinatio: vt iuxta quod ætatem aptam perspexerit pœnitentiæ absolutionis tribuat legem.

In quibusdam manuscriptis totus hic tractatus de pœnitentia legitur vno continenteque contextu, non distinctis capitibus vt in superioribus distinctionibus & caussis, atque sequentibus.

GRATIA.

TRACTATVS DE POENITENTIA.

QVAESTIO III.

SI SOLA CONFESSIONE CORDIS CRIMEN POSSIT DELERI.



HIs breuiter decursis, in quibus extra negocij finem aliquantulum euagati sumus, ad propositę causæ tertiam quæstionem pertractandam (qua quæritur,

DISTINCTIO I.

VTrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione absque oris confessione quis possit deo satisfacere) redeamus. Sunt enim qui dicunt quemlibet criminis veniā sine confessione facta ecclesiæ, & sacerdotali iudicio, posse promereri: Iuxta illud Ambrosij super Lucam. 1

Ad c.22. Luc. in cōmentariis. Luc.22. Amb. ibi continuo.

PEtrus doluit & fleuit: quia errauit, vt homo. non inuenio quid dixerit: scio quòd fleuit. lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. ITEM Ioannes Chrysostomus. 2

LAchrymæ lauant delictum, quod pudor est confiteri.

ITEM propheta. 3

Psal.50.

SAcrificium deo spiritus contribulatus. cor cōtritum & humiliatum deus non despicies. ITEM Dauid. 4

Psal.31.

DIxi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Quod August. exponens ait:

GRATIA.

Magna

MAgna pietas dei, vt ad solam promissionem peccata dimiserit nondum pronunciat ore, & tamen deus iam audit in corde: quia ipsum dicere quasi quoddam pronunciare est. votum enim pro opere reputatur. 5.

GRATIA.

IN C. lib. j. de episc. & cle. imperator Iustinianus. 6 Tit. 3. le. 5. 2. pars.

1.

SI quis non dicam rapere, sed attentare tantum, matrimonij iungendi causa sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali feriatur pœna. ITEM lib. eod. tit. de postulando. imperatores Leo & Ant. Nicostrato præfecto prætorio. 7 Lib. 2. Cod. tit. 6. le. 8.

NEmo vel in foro magnitudinis tuæ, vel in prouinciali iudicio, vel apud quenquam iudicem accedat ad togatorum consortium, nisi sacrosanctis catholicæ religionis fuerit imbutus mysteriis. Si autem talium aliquid quoquo modo vel quadam machinatione factum, vel attentatum fuerit, officium quidem sublimitatis tuæ. c. librarum auri iacturam pro condemnatione sustineat. IIDEM August. 8 Ibidem continuo.

QVicunque ausus fuerit contra prouidum nostræ serenitatis decretum officium aduocationis per subreptionem arripere, & prohibitum patrocinium præstiterit, ab aduocationis officio remotus, stylum proscriptionis, atque perpetui exilij specialiter pœnam sustinebit, sciturus etiam prouinciarum rectoribus, quòd is sub cuius administratione aliquid huiusmodi fuerit attentatum, partis bonorum dimidiæ proscriptionem, & pœnam exilij per quinquennium sustinebit.

ITEM lib. ix. C. tit. ad legem Iuliam maiestatis. 9 Ti. 8. le. 5.

QVisquis cum militibus cogitauerit &c. eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt. Item ad legem Corneliam de sica. Si quis cum telo ambulauerit hominis necandi causa: sicut is qui hominem occiderit, vel cuius dolo malo factum fuerit commissum, legis Corneliæ de sicariis pœna coerceatur. Imperatores Valerius & Gratianus. 10 Ibi. conti.

SI quis necandi infantis piaculum aggressus fuerit, sciat se capitali supplicio esse puniendum. Imperatores Gratianus & Valerianus. 11 Ibidem.

SI forte mulier marito mortis parasse insidias, vel quolibet alio genere voluntatem occidendi habuisse inueniatur, vel forte maritus eo modo insectetur vxorem: in eadem quæstione ab omni familia non solum mariti, sed etiam vxoris: quæ tamen tunc temporis domi fuerit, quærendum est sine cuiusquam defensione. ITEM ff. titul. de iniuriis. l. sed est quæstionis. 12 Lib. 47. digest. tit. 10. le. 9.

SI quis tam masculum quàm fœminam, siue ingenuos, siue libertinos impudicos facere attentauerit, iniuriarũ tenebitur. Sed et si serui pudicitia attentata sit, iniuria locum habet.

Attentari pudicitia dicitur, cum id agitur, vt ex pudico impudicus fiat. Non solum is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, hoc est qui percussit, verum ille quoque tenetur qui dolo fecit vel procurauit, vt cui mala pugno perceteretur.

Le. 15. eiusdẽ.

ITEM lib. eodem apud Labeonem. 13

Lib. 48. digest. tit. 19. leg. 18.

SI quis pulsatus quidem non est, verum manus aduersus eum leuatæ sunt, & sæpe territus quasi vapulaturus, non tamen percussus, iniuriarum actione tenetur. CONTRA libro eodem titu. de pœnis. 14

Lib. 47. tit. 11. le. 1.

COgitationis pœnam nemo patiatur. ITEM titu. de extraordinariis criminibus. 15

SOlicitatores alienarum nuptiarum, itemq; matrimoniorũ interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinẽ puniuntur.

GRATIAN.

Qui puero stuprum (abducto vel corrupto comite) persuaserit, aut mulierem, aut puellam interpellauerit, quídve impudicitiæ gratia fecerit, domũ præbuerit, preciúmve quo is persuadeat, dederit, perfecto flagitio punitur capite: imperfecto, in insulam deportatur. Corrupti comites summo supplicio afficiuntur. ITEM titu. de furtis. 16

Lib. 47. digest. tit. 1. leg. 21.

VVlgaris est quæstio, an is qui ex aceruo frumenti modium sustulerit, totius rei furtum faciat, an vero tantum eius quod abstulit. Ofilius totius aceruі furem esse putat. Nam & qui aurem alicuius tetigit: (vt inquit Trebatius) totum eũ tetigisse videtur. Proinde & qui dolium apperuit, & exinde parũ vini abstulit, totius furtum videtur fecisse: sed verum est eum in tantum actione furti teneri quãtum abstulerit. Nã & si quis armarium quod tollere non poterat, aperuit, & omnes res quæ in eo erant contrectauerit, atq; ita discesserit, deinde reuersus vnam ex his abstulerit, & antequam se receperit quo destinauerit, deprehensus fuerit, eiusdem rei & manifestus & non manifestus fur erit. Sed & si quis segetem ante lucem secat, & contrectat, eius quá secat manifestus est fur, & nec manifestus.

Lib. 2. digest. tit. 2.

ITEM libr. ij. titu. quod quisque iuris. l. j. 17

HAec autem verba, quod statuerit qui iurisdictioni præest, cum effectu accipimus, nõ verbotenus: & ideo si cum vellet statuere, prohibitus sit, nec effectum decretum habuerit, cessat edictum. nam statuit verbum, rem perfectam significat, & consummatam iniuriam, non cœptam. 18

Lib. 48. tit. 19. leg. 42.

POenæ (sicut in. ff. titul. de pœnis legitur) legum interpretatione molliendæ sunt potius quàm nimis exasperandæ: atque ideo proprium casum* non excedunt. Sed quæ de raptu virginum, vel aduocatis, seu de crimine maiestatis, vel de sicariis dicta sunt: fauore religionis & fidei, atque principali odio sicariorum introducta sunt. Iniuriarũ vero pro earũdem

** i. modum.*

varie-

varietate multipliciter quis reus fieri poteſt, varietas itaque criminum, varietatem inducit pœnarum. VNDE in.ff. titu. de pœnis. 19 Leg. 16. eiuſdē.

AVt facta puniuntur, vt furta, cædeſque: aut dicta, vt conuitia,& inſidæ aduocationes: aut ſcripta, vt falſa charta,& famoſi libelli: aut concilia, vt coniurationes, & conſcientia latronum: quoſq; alios ſuadendo iuuiſſe: ſceleris eſt inſtar. Sed hæc quatuor genera conſiderāda ſunt ſeptē modis: cauſa, perſona, loco, tēpore, qualitate, quantitate, euētu. Cauſa vt in verberibus quæ impunita ſunt à magiſtro illata vel à parēte: quoniam emendationis animo, nō iniuriæ gratia videntur adhiberi. puniuntur cum quis per irā ab extraneo pulſatur. Perſona dupliciter ſpectatur eius, qui fecerit,& eius qui paſſus eſt. aliter enim puniuntur ex eiſdē facinoribus ſerui quàm liberi, & aliter qui in dominū parentémve aliquid auſus eſt, quàm qui in extraneum, & in magiſtratū quàm qui in priuatum. In huiuſmodi conſideratione ætatis quoq; ratio habetur. Locus facit vt idem vel furtum vel ſacrilegium ſit capite luendum, vel minore ſupplicio. Tempus diſcernit emanſorē à furtiuo,& effractorem vel furē diurnū à nocturno. Qualitate factū vel atrocius vel leuius eſt: vt furta manifeſta à non manifeſtis diſcerni ſolent, rixæ à graſſaturis, expilationes à furtis, petulātia à violentia: qua de re maximus apud Græcos orator Demoſthenes ſic ait: ὠ γὰρ ἡ πληγὴ παρέστησε τὴν ὀργὴν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία: οὐδὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐσὶ δεινὸν (καί περ ὂν δεινὸν) ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει. πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὧν ἔνια ὁ παθὼν οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιθ' ἑτέρῳ, τῷ χήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους ἀηθεῖς ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι. Id eſt, Non enim iram plaga concitauit, ſed ipſa facti indignitas: neque tam ingenuis graue eſt cædi (quanquam graue ſit) quàm per cōtumeliam cædi. ſiquidem multa is, qui alium cædit, admittere poteſt, quorum magnam partem is, qui verberibus adfectus eſt, habitu corporis, vultu, vociferatione, nunc vt contumeliam inferens, nunc vt inimicum ſe gerens, nunc pugnum ducens, nunc in malā cædens, alteri renunciare ac repræſentare nequit. hæc ipſa mouent. hæc de ſtatu mentis deturbant homines propudij ac ſuggillationis non aſſuetos. Quantitas diſcernit furē ab abigeo. Nam qui ſuem vnum ſurripuerit, vt fur coercebitur: qui gregem, vt abigeus. Euentus ſpectatur: vt à dementiſſimo quoq; facta: quanquam lex non minus eum qui occidendi hominis cauſa cum telo fuerit inuentus, quàm eum qui occiderit, puniat: & ideo apud Grecos

4. pars. 1

Græca deerant in manuſcr.

exilio voluntario fortuiti casus luebantur: vt apud præcipuum poetarum scriptum est.

decerant quoque hæc Græca in manuscript.

Εὔτ' ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
ἤγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς.
ἤματι τῷ, ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος,
Νήπιος οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Id est,

Quo puerum me tempore vestras duxit ad ædes
Ex Opoente pater, dira pro cæde patrata:
Ob talos nempe ira percitus, Amphidamantis
Cum gnatum imprudens simul inuitusq; peremi. 20

5. pars. prima.

COgitatio non meretur pœnam lege ciuili, cum suis terminis contenta est: discernuntur tamen à maleficiis ea quæ de iure effectum desiderant in his enim non nisi animi iudicium consideratur. VNDE in ff. tit. de repudiis. 21

Lib dig. 24. titu 2. De diuortiis & repudiis le. 3.

DIuortium non est verum nisi quod animo perpetuã constituendi discessionem fit, itaque quicquid calore iracundiæ fit, vel dicitur: non aliter ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse. Ideoq; per eum calorẽ misso repudio, si in breui reuersa est vxor: non diuertisse videtur.

HINC etiam in canonibus. 22

Fabi. epist. ad Hilarium.

6. pars. I.

SI quis iratus crimen alicui obiecerit &c. Ex cõcilio autẽ velut ex facto aliquem teneri Augustinus probat ita dicens.

Non solum qui manibus occidunt, sed etiam quorum consilio & fraude alij occiduntur, homicidæ probantur. 23

*Periculosè.

PErnitiosè* decipiuntur qui existimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & nõ potius eos per quorum consilium & fraudem & exhortationem homines extinguuntur. nam Iudæi nequaquam propriis manibus Christum occiderunt, sicut scriptum est: Nobis non licet interficere quenquam. sed tamen illis mors domini imputatur: quia ipsi lingua eum interfecerunt dicentes: Crucifige crucifige eum. vnde vnus euangelista dixit dominum esse crucifixum hora tertia, alius hora sexta: quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora sexta manibus. Qui ergo hominem tradit, ille interficit eũ, domino dicente: Maius peccatum habet qui me tradidit tibi. vnde Psal. Filij hominũ dentes eorum arma & sagit. & ling. e. gla. acu. Subiiciant ergo se pœnitentiæ quorum consilio sanguis funditur, si veniam promereri volunt.

Ioan. 18. f. Matth. 15. Marc. 15. Ioan. 19. f. Ioan. 19. b. Psal. 56.

ITEM ex epistola Clementis.

Epist. 1. ad Iacobum.

Interfectores fratrum, detractores eorum, eósque odientes homicidæ habentur. 24

1. Petr. 4. b.

HOmicidiorum vero tria genera dicebat esse beatus Petrus, & pœnam eorum parilem fore dicebat. sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores quoq; eorũ, eósq; odientes,

odientes, homicidas esse manifestabat, quia & qui occidit fratrem suum, & qui odit, & qui detrahit ei, pariter homicida esse demonstratur. ITEM Hieron. in Esaia.

In maleficiis voluntas pro opere reputatur. 25

OMnis iniquitas & oppressio & iniustitia iudicium sanguinis est: & licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis. ITEM Cyprianus.

Ser. 4. de mortalitate.

De eodem. 26

Genes. 4.b.

NVnquid Cain cum domino munus offerret, peremerat fratrem, & tamen fratricidium mente conceptum deus prouidus antè dãnauit? Vt illic cogitatio mala, & perniciosa conceptio deo prouidente prospecta est: ita & in dei seruis apud quos cogitatur, & martyriũ mente concipitur, animus ad bonum deditus deo iudice coronatur. Aliud est martyrio animũ deesse: aliud animo defuisse martyrium. Qualẽ te inuenit dominus cum vocat, talem pariter & iudicat: quoniam ipse testatur & dicit: Et scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutator renum & cordis. ITEM August.

Psal. 7. Hiere. 17. Apoca. 2. f.

Homicida est qui fratri suo mala persuadet. 27

Aug. tract. 42. ad cap. 8. Ioan. Psal. 56.

NOli putare te non esse homicidam quãdo fratri tuo mala persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis. Et vt scias quia occidis, audi Psalmistam: Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. IDEM.

Aug. cap. 23. li. 19. contra Faustum.

Occidit qui ad nocendum mouetur. 28

HOmicidium lege vetitum putabatur non aliud esse, nisi corporis peremptio. Aperuit ergo dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari. ITEM August.

Deute. 5.b. Matth. 5.

Furti tenentur qui solo timore non furantur. 29

SI propterea non facis furtum, quia times ne iudiceris, intus in corde fecisti: reus furti teneris, & nil tulisti. IDEM de libero arbitrio.

Lib. 1. circa princip.

Non ideo minus delinquit, cui sola deest facultas. 30

SI cui etiam non contingat facultas concumbendi cum cõiuge aliena, tamen planum sit eum aliquo modo cupere, & si potestas detur esse facturum: non minus reus est quàm si in ipso facto deprehenderetur. Item. Sicut auctoritas testatur, voluntas remuneratur, non opus. voluntas autem in cordis contritione est, opus vero in oris confessione. luce clarius cõstat cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti. ITEM Prosper. 31

Cap. 7. lib. 2. de contemplatiua vita.

POrrò illi quorum peccata humanam notitiã latent non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea cõfiteri vel emendare noluerint, deum quem habent testẽ, ipsum habituri sunt & vltorem. Et quid eis prodest vitare humanũ iudicium, cum

si in malo suo permanserint, sunt ituri in æternum deo retribuente supplicium? qui si sui iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimę animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis contritione fluentibus extinguent æterni ignis incendia, & infra. 32

Ibidem paulò inferius.

FAcilius deum sibi placabunt qui non humano conuicti iudicio, sed vltro crimen agnoscunt: qui aut propriis illud cōfessionibus produnt, aut nescientibus aliis (quales occulti sunt) ipsi in se voluntariæ excommunicationis sentētiam ferunt, & ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quòd recōciliati sibi efficacis pœnitentiæ fructibus, à deo non solùm amissa recipiant, sed etiā ciues supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniant.

GRATIA. 7. pars. Ezech. 33. c.

Hoc idem probatur auctoritate illa prophetica. In quacunque hora peccator fuerit conuersus & ingemuerit &c. non enim dicitur ore confessus fuerit, sed tantum conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. HINC etiā idem propheta ait. 33

Ioel. 2. c.

SCindite corda vestra, & non vestimenta. ostendens in contritione cordis quæ in eiusdē scissione intelligitur, nō in cōfessione oris, quæ pars est exterioris satisfactionis, quā scissuram vestium nominauit, à parte totum intelligens, peccata dimitti. HINC etiā per eundem prophetā ait dicens. 34

Ibidem. Zacha. 1. a.

COnuertimini ad me in toto corde vestro, & ego conuertar ad vos. Conuersio autem dicitur quasi cordis vndique versio. Si autē cor nostrū vndiq; à malo ad deū vertitur, mox suæ cōuersionis fructū meretur, vt deus ab ira sua ad misericordiam cōuersus, peccati præstet indulgentiā, cuius primo præparabat vindictā. vnde datur intelligi, ꝙ etiam ore tacēte, veniā cōsequi possumus. Hinc etiā leprosi illi quibus dominus præcepit vt ostenderent se sacerdotibus in itinere antequam ad sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo facto nimirū datur intelligi ꝙ antequam sacerdotibus ora nostra ostēdamus, id est peccata nostra confiteamur, à lepra peccati mundamur. Hinc etiam Lazarus qui viuus de monumento prodiit, non prius de monumēto est eductus, & postea à domino suscitatus: sed lapide remoto quo monumentū claudebatur, in sepulchro reuixit & foras viuus prodiit. Hinc etiam vt dominus ostēderet quòd non sacerdotali iudicio, sed largitate diuinæ gratiæ peccator emundatur, leprosum tāgendo mūdauit, & postea sacerdoti sacrificium ex lege offerre præcepit. Leprosus enim tangitur cū respectu diuinæ pietatis mens peccatoris illustrata compūgitur. Vnde post trinam negationē Petrus domino eum respiciente

Luc. 17. d. Ioan. 11. f. Matth 8. a. Luc. 22. g.

ciente profudit amaras lachrymas, quibus culpam negationis suæ diluit. Leprosus semetipsum sacerdoti repręsentat, dum peccatum suum sacerdoti pœnitens cōfitetur. Sacrificium ex lege offert, dum satisfactionem ex ecclesię iudicio sibi impositā factis exequitur. Sed antequam ad sacerdotem perueniat emundatur, dum per contritionem cordis ante confessionem oris peccati venia indulgetur. Hinc etiam medici negantur suscitare aliquem vt resuscitatus confiteatur, dum per prophetam dicitur: Nunquid medici resuscitabunt, & confitebūtur Psal. 87.
tibi? Item A mortuo (vt auctoritas dicit) perit confessio, velut Eccl. 17. d.
ab eo qui non est. Vnde pœnitēs ille qui timore octauæ resur Psal. 6.
rectionis territus exclamauerat, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: postea supplicans aiebat: Saluum me fac propter misericordiam tuam: quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem nullus tibi confitebitur. Si ergo nullus confitebitur tibi nisi resuscitatus, nemo autem viuit æternæ gehennæ filius, & perpetua dānatione dignus: patet quòd antequam quisque confiteatur peccatum, à reatu suæ præuaricationis quo æterna sibi debebantur supplicia, per gratiam internæ compūctionis absoluitur. Item. Si antequam quisque confiteatur, à deo resuscitatur: vel resuscitatus viuit dum cōfitetur, vel post resurrectionem iterum mortuus est, & confitetur. sed sicut antequam resuscitaretur mortuus, confiteri non poterat: sic post resurrectionem mortuus cùm fuerit, confiteri non valet. restat ergo vt resuscitatus viuat dum peccatum confitetur. ergo sola contritio in qua fit resuscitatio, tollit peccatum. habet itaque resuscitatorem suum sibi præsentem, sequè inhabitantem.

VNDE Augustinus ait in psalmo sexagesimo secūdo. 35

RESuscitatus corpore, viuit absente resuscitatore. Nō autē sic resuscitatus in anima. cùm enim deus sit vita animę, anima verò vita corporis: sicut corpus viuere nō potest absente anima, ita non nisi deo pręsente anima viuere valet. habet itaque anima sibi deū præsentem per gratiā, quæ viuens peccatū suum confitetur, eāq; vitam quæ deus est inhabitat, quam inhabitando viuere facit. si autem illam inhabitat, ergo templū spiritus sancti facta est, ergo illuminata est, ergo à tenebris peccatorum expiata est, ergo templū diaboli esse desiit: quæ ad lucē venit cuius respectus tenebras fugat. Nulla enim (vt 2. Cor. 6. c.
ait Apostolus) cōuentio Christi ad Belial. nulla participatio lucis ad tenebras, nulla cōmunicatio iustitiæ & iniquitatis, nullus cōsensus tēplo dei cū idolis. Itē vt Christus ait: Oīs q odit Ioan. 3. c.
malū, in luce agit. qui aūt in luce agit (sicut Aug. ait) in Christo operatur. qui aūt in Christo operatur, eius filius probatur. Cui' enim opera quisq; facit, eius filius esse perhibetur. vnde quibus-

quibusdam dominus ait: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Item. *Ioan.8.e.* Vos ex patre diabolo estis, quia opera patris vestri facere vultis. Nemo autem filius dei & diaboli simul esse potest. *Matt. 6.* nemo enim (vt ipse ait) duobus dominis simul seruire potest. ITEM vt Ioannes ait in epistola sua. 36

1.Ioan.3.b. QVi natus est ex deo, non peccat. ergo non est filius diaboli. solo enim peccato diaboli filij sumus. ergo de eius regno translati sumus in regnum claritatis filij dei, & sumus erepti de potestate tenebrarum, & facti sumus filij lucis. Cùm ergo ante confessionē (vt probatum est) sumus resuscitati per gratiam, & filij lucis facti, euidentissimè apparet quòd sola cordis contritione sine confessione oris peccatum remittitur.

ITEM Ioannes. 37

1.Ioan. 3. OMnis qui non diligit deum, in morte manet. si ergo viuit, & diligit. si diligit, dilectio est in corde. dilectio autē in malo non est. est enim proprius fons bonorū, in quo non communicat alienus. ergo bonus est iste factus per gratiā ante confessionem peccati. non itaque malus est. bonus enim & malus aliquis simul esse non potest. quòd si malus non est, mēbrum diaboli non esse probatur. nec ergo dignus est gehennna, quæ diabolo & membris eius solummodo debetur, sicut ęterna beatitudo solummodo membris Christi paratur. Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod iam remissum esse probatur. Fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ: & sicut circuncisio *Gen. 17.* data est Abrahæ in signum iustitiæ, non in causam iustificationis: sic confessio sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.

GRAT. 2. pars. Alij econtrario testantur dicentes sine confessione oris, & satisfactione operis neminē à peccato posse mūdari, si tēpus satisfaciēdi habuerit. vnde domin⁹ per prophetā ait: *Esa.43.d.* Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris.

ITEM Ambr in li. de Paradiso. 38

Cap.14. NOn potest quisquam à peccato iustificari, nisi peccatum antè fuerit confessus.

IDEM in sermone quadragesimæ. 39

ECce nunc tempus acceptabile adest, in quo confessio animam à morte liberat. confessio aperit paradisum. confessio spem saluandi tribuit. vnde scriptura dicit: *Ibidem.* Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris His verbis ostēditur quia non meretur iustificari, qui in vita sua peccata noluit cōfiteri. Illa ergo cōfessio nos liberat à morte, quæ fit cū pœnitētia. Pœnitētia vera est dolor cordis & amaritudo animę pro malis quęquisq; cōmisit vel cōsensit. Pœnitētia est præterita mala plāgere; & plāgenda, iterū non cōmitterę. ITEM Ioānes os aureū. 40

Per-

PErfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre, in corde enim contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, hæc est fructifera pœnitentia. ITEM. 41

NOn potest quis gratiã dei cœlestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ cõfessionem, per donum baptismi salutaris. ITEM Aug. 42

NVllus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualẽcunq; etsi lõgè minorẽ quàm debeat pœnam soluerit. ita enim impertitur à deo largitas misericordiæ, vt non relinquatur iustitia disciplinæ. IDEM Vincentio. 43

Aug. epist. 48.

NEminem putes ab errore ad veritatẽ, & à quocunque seu magno seu paruo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire. IDEM de pœnitentia. 44

Aug. homil. 49.

AGite pœnitẽtiam qualis agitur in ecclesia, vt oret pro vobis ecclesia. nemo dicat sibi occultè ago, apud deum ago, nouit deus qui mihi agnoscat quę in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueris in terra, soluta erunt & in cælo. Ergo sine causa claues datæ sunt ecclesiæ dei, frustramus euangelium dei, frustramus verbum Christi? si promittimus verbis quod ille negat, nónne vos decipimus? Iob dicit: Si erubui in conspectu populi peccata mea confiteri. Atque ideo si non potuistis vel noluistis habere pudicitiam coniugalem seu continentiam, & deuiastis à proposito vel vinculo coniugali, vel deuotione continẽtiæ, sit in vobis dolor & humilitas pœnitentiæ. Apertius dico: nemo dicat, non intellexi: quia post vxores vestras illicito concubitu vos maculastis, si præter vxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam &c. Item Hieronymus super Exodum. 45

Matth. 16. c.

Iob 19. c.

Origenes homil. 11. ad cap. 18. Exod. 2. pars.

ET venit, inquit, Aaron & omnes presbyteri de Israel manducare panem cum socero Moysi in cõspectu dei. Omnia ergo quæ faciunt sancti, in conspectu Dei faciunt, peccatores autem à conspectu dei fugiunt. denique scriptum est quòd Adam postquã peccauit fugit à conspectu dei, & interrogatus respondit. Audiui (inquit) vocem tuam, & abscondi me, quia nudus eram. Sed & Cain de fratricidio condemnatus à deo, exiit (inquit) à facie dei, & habitauit in terra Naim. Exit ergo à facie dei qui indignus est cõspectu eius. sancti autẽ manducant & bibunt in conspectu dei: & omnia quæ agunt, in conspectu dei agunt. Ego amplius adhuc locum præsentẽ discutiens video quòd qui pleniorẽ dei scientiam accipiunt, & plenius diuinis imbuti sunt disciplinis, isti etiam si malũ faciũt, coram deo faciunt, & in conspectu eius faciunt, sicut ille qui dixit. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci &c. quid ergo plus habet qui malum coram deo facit? Illud profectò quòd continuò pœnitet, & dicit peccaui. qui autem discedit à conspectu

Genes. 3. b.

Genes. 4.

Psalm. 50.

ctionem darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad cõmunionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. & poſt pauca: Si autem aliquis eorum pro quibus domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo, à munere indulgentiæ præſentis exceſſerit, & priuſquam ad conſtituta remedia perueniat, tẽporalem vitam humana conditione finierit: quod manẽs in corpore nõ receperit, cõſequi carne exutus non poterit. & poſt pauca. His autẽ qui tẽpore neceſſitatis, & periculi vrgẽtis inſtãtia, pœnitentiæ pręſidium & mox reconciliationis implorant: nec ſatisfactio interdicẽda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ dei nec menſuram poſſumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur moras veniæ conuerſio. Et item. Ita ergo neceſſitati auxiliandum eſt, vt nec actio illis pœnitẽtiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus quærere comprobentur. quòd ſi ita aliqua ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulo antè poſcebant, ſub præſenti ſignificare non valeãt, teſtimonia eis fideliũ circũſtantiũ prodeſſe debebũt: ſimul tamẽ & pœnitẽtiæ & recõciliationis beneficiũ cõſequantur: ſeruata tamẽ regula canonũ paternorũ circa eorũ perſonas qui in dominica fide diſcedẽdo peccauerint. ITEM Ambroſius. 50 *Ca.1.li.1.de pœnit.*

NEmo poteſt bene agere pœnitentiã, niſi qui ſperauerit indulgentiam: ſed negãt his oportere cõmunionem reddi, qui præuaricatione lapſi ſunt. Deus autem nullũ crimẽ excepit, qui peccata omnia donauit. *3.pars ſecũda.* ITEM Ambroſius. 51 *Amb.ca.4.li.2 de Cain et Abel.*

VErbum dei dimittit peccata, ſacerdos eſt iudex. Sacerdos quidem ſuum officium exhibet, & nullius poteſtatis iura exercet. & paulò poſt. Dominus par ius & ſoluẽdi eſſe voluit & ligãdi, qui vtrũque pari conditione permiſit. ergo qui ſoluẽdi ius non habet, nec ligandi habet & infrà. Certũ eſt quòd eccleſiæ vtrunque licet: hæreſis vtrunque nõ habet: ius enim hoc ſolis permiſſum eſt ſacerdotib⁹. rectè igitur eccleſia hoc vẽdicat, quę veros habet ſacerdotes: hæreſis vẽdicare non poteſt, quæ ſacerdotes dei non habet. *Idẽ.ca.2.lib.1. de pœnitentia.* ITEM in eodem. 52 *Amb.ca.3.li.1. de pœnitent.*

POteſt fieri vt aliquis victus ſuppliciis, ſermone neget deũ, & corde adoret: nunquid eadem eſt cauſa eius qui ſponte negat, & eius quem tormenta inclinauerunt ad ſacrilegium? Non quoniam indignum eſt, cùm apud homines valeat certaminis gratia, vt apud deum non valere aſſeratur. nam ſæpe in hoc athletarum ſæculari certamine etiam victos quorum fuerunt certamina probata, hominũ vulg⁹ cum victoribus coronare conſueuit, maximè quos fortè viderit, aut dolo, aut fraude excuſſos victoria: & Chriſtus ipſe athletas ſuos quos viderit grauibus pauliſper ceſſiſſe ſupplicijs, ſine venia patietur perma- *4.pars ſecunda.*

permanere? Nunquid non habebit remunerationem laboris qui etiam aliquos proiecit? & infrà Dicis Petro excusanti, ne
Ioan. 13. a. eius pedes lauares: Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo illi cõsortium tecum possunt habere qui claues regni cœlorum non suscipiunt, negantes quòd peccata dimittere debeant? quod rectè quidem fatentur de se. nõ enim habent Petri hæreditatem qui Petri sedem non habent, quam impia diuisione discerpunt. & paulò post. Aegritudo carnis peccatum repellit: luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, vt seipsum morsu suo vulneret, & contra se armet quem debilitandum esse putauit, & infrà. Quod nocet corpori suo, iuuat spiritum. & paulò post. Sicut semel pro omnibus immolatus est Christus, ita quotienscunq; peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus: vt per sanguinẽ eius remissio peccatorum detur. Ergo euidentissimè domini prædicatione mãdatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiã agant, sacramenti cœlestis gratiam profundendam. IDEM. 53

Amb. cap. 7. Lib. 2. De pœnit. 5 pars secunda.

QVantumlibet ergo mortui fœtor sit, aboletur omnis vbi sacrum redoluerit vnguentum: & surgit defunctus, & solui iubentur eius vincula qui adhuc in peccato est: tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ quam acceperat, obumbrabat. sed quia veniæ donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. non enim habet quod erubescat, cui peccatum dimissum est. in tãta enim gratia domini, tantoq; diuini muneris miraculo cùm oporteret vniuersos lætari, commouebantur impij, & aduersus Christum concilium cõgregabant,
Ioan. 12. b. Lazarum quoque interficere volebant. Nónne meritò eorum successores vos esse cognoscitis, quorũ duritiæ hæredes estis? Nam & vos indignamini, & contra ecclesiam cõgregatis concilium, quia videtis in ecclesia mortuos reuiuiscere, & peccatorum indulgentiæ resuscitari. Itaque (quod in vobis est) per inuidiam rursus vultis interficere resuscitatos: sed Iesus non reuocat beneficia: imò liberalitatis cumulos amplificat, reuiuiscit solicitè suscitatus, & celebrata resurrectionis gratia lætus ad cœnam venit. ITEM. 54

Ambros. cap. 4. eiusdem lib. 2. de pœniten.

IVs potestatis suæ gratiã negat (quæ in remissione peccatorum est) qui cœlestem eius potestatẽ diabolico spiritu separant ab ecclesia dei: vt omniũ temporum hęreticos & schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiã negat: quia omne peccatum circa singulos est ac vniuersos. & infrà. Quid mirum si salutem negatis aliis, qui vestram recusatis? licet & illi nihil à vobis differant qui à vobis pœnitentiã petũt. Arbitror enim quòd & Iudas potuisset tanta miseratione domini nõ excludi à venia, si pœnitentiã non solum apud Iudæos, sed apud Christum

ſtum geſſiſſet, & paulò poſt. Qui agit pœnitentiã, non ſolum diluere peccatum lachrymis debet, ſed etiam emendationibus operire & tegere delicta ſuperiora, vt non imputetur ei peccatum. Idem in eodem. 55

Amb. cap. 9. eiuſdem. 6. pars. 2.

NOnnulli enim ideo poſcũt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi cõmunionẽ reddi velint. Hi non tam ſoluere ſe cupiũt, quàm ſacerdotẽ ligate. ſua enim conſcientia non tã ſe exuunt, quàm ſacerdotem induere cupiunt, cui præceptum eſt: Nolite dare ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas ante porcos. hoc eſt, immundis ſpiritibus ſacræ communionis non ſunt facilè tribuenda conſortia. IDEM in eodem. 56

Matth. 7. a

Amb. in eodẽ ca.

SVnt qui arbitrantur hanc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant à ſacramentis cœleſtibus. hi ſeueriores in ſe iudices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſi remedium declinant: quos ob pœnam conueniebat dolere, quia cæleſti fraudarentur gratia. & paulò poſt. Facilius autẽ inuenitur qui innocentiã ſeruauerit, quàm qui congruè egerit pœnitentiã peccati; vbi acquirẽdæ ambitio dignitatis, vbi vini effuſio, vbi ipſius copulę cõiugalis vſus, renunciandum ſeculo eſt, & ipſi ſomno minus indulgendũ eſt quàm natura poſtulet. interpellandũ eſt gemitibus, irrumpendum eſt ſuſpirijs, ſequeſtrãdum eſt orationibus, viuẽdum eſt ita, vt in tali vita huic moriatur vſui: ſemetipſum homo abneget, & totus immutetur. & infrà. Nemo in peccatis poſitus arrogare ſibi debet auctoritatẽ, aut vſurpationẽ ſacramentorũ: quia ſcriptum eſt: Peccaſti? quieſce & paulò poſt. Dicimus ergo agendam pœnitentiam & eo tẽpore quo culpa deferueſcat luxuriæ, & in peccati captiuitate poſitos reuerẽtiores nõ vſurpatores eſſe debere. & infrà. Nam ſi Moyſi accedere propius geſtienti, vt cognitionẽ cæleſtis myſterij audiret, dicitur. Solue calciamẽtum pedum tuorum, quãto magis animæ noſtræ pedes exuere vinculis corporalib' & nexu mũdi iſtius greſſus eius debemus abſoluere. & infrà. Nihil eſt quod tã ſummi doloris ſit, quàm ſi vnuſquiſq; poſitus ſub captiuitate peccati recordetur vnde lapſus ſit, atq; vnde ceciderit, & quòd ad corpora atque terrena ab illa ſpecioſã & pulchra diuinæ conditionis intentione defluxerit. ITEM Cyprianus epiſcopus. 57

Eccleſ. 21. a.

Exod. 3. b.

Acto. 12. d.

Epiſt. 2 lib. 4. ad Antonianum.

MIror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, vt dandã non putent lapſis pœnitentiam aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandã, cùm ſcriptum ſit: Vnde cecideris memento, & age pœnitentiam, & priora opera fac. quòd vtique ei dicitur quem conſtat cecidiſſe, & quem dominus hortatur per opera rurſus exurgere, quia ſcriptũ eſt: Eleemoſyna à morte liberat: non vtiq; ab illa morte liberat, quã ſemel Chriſti ſanguis extinxit, & à qua nos ſalutaris baptiſmi & redẽptoris noſtri gratia liberauit: ſed ab ea quæ per delicta poſtmodum ſerpit.

Apoc. 2. b.

Tob. 4. b.

Ad Damasum. tom. 2. Matth. 20. b. Luc. 11. a. *superatur. Luc. 18. b. Ione. 3. Luc. 23 f. Ibid. 15 g. Matth. 18. b. 3. pars.

ITEM Hieronymus. 58

IMportuna in euangelio mulier tandẽ meruit audiri: & clauso cũ sens ostio media licet nocte ab amico amicus panes tres accepit. Deus ipse qui nullius in se superari viribus potest, publicani precibus vincitur. *Niniue ciuitas quæ peccato perijt, fletibus stetit. Quorsum ista tam lõgo repetita principio? videlicet vt paruum magnus aspicias: vt diues pastor morbidam ouem non contẽnas. Christus in paradisum de cruce etiã latronem tulit: & ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidij pœnam martyrium. Christus inquã prodigum filium reuertentẽ lætus amplectitur, & nonaginta nouem pecudibus derelictis, vna ouicula quæ remansit, humeris boni pastoris aduehitur. vbi verò peccator intelligens vulnus suum tradit medico se curandum: ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis. Quòd autem omni peccanti auctoritate Ambrosij venia promittitur, falsum videtur, quibusdam enim venia denegatur aut ex magnitudine peccati, aut ex gradu officij. Vnde Ioannes in epistola sua: Est peccatum ad mortẽ: quis orabit pro eo? Alibi quoq; legitur: Quis medebitur incantatori vulnerato à serpente?

1. Ioan 5. d. Eccles. 12. c

IDEM. 59

1. Reg. 2. e Matth. 24. k. Psalm. 82. 1. Reg. 2 e. 1. Ioan. 5. d. Amb. cap. 8. lib. 1. de pœnit.

SI sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? Sed huiuscemodi interrogationes, non semper negationẽ inferunt, sed potius difficultatem vel raritatem notant, vt est illud euangelij: Quis putas est fidelis seruus & prudens, &c. Hinc etiam Ambrosius Deus quis similis erit tibi? non vtique nullus quia imago Dei patris filius est.

GRATIA.

Exod. 32. g. 2. Mach. vlt. 1. Ioan. 5. Marc. 3. d.

Similiter accipiendum est, quis orabit pro eo? hoc est, singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccauit in domino. Nam quomodo Ioãnes diceret non orandum pro delicto grauiori, qui tamen legisset Moysen rogasse & impetrasse vbi erat præuaricatio voluntaria: qui sciret etiam Hieremiam rogasse? potest etiam secundum Augustinum aliter intelligi illud Ioannis: Est peccatũ ad mortem, &c. vt nulla sit eius & superiorum contrarietas. Ait enim, est peccatum ad mortẽ, &c. non pro illo dico vt roget quis. De quo peccato, quoniã expressum non est, possunt multa & diuersa sentiri. Ego autem dico hoc peccatum esse, fidem quæ per dilectionẽ operatur, deserere vsque ad mortem, hoc est etiam blasphemia in spiritum sanctum, quã neq; in hoc seculo neque in futuro dimittendam dominus in euangelio asseruit. siue autem delectatione peccati, siue desperatione veniæ vsque ad mortem, quis in peccato perseueret: iustum est vt sine fine puniatur, qui sine fine peccauerit.

Cap. 43 lib. 4. dialog.

VNDE Gregorius papa. 60

VOluissent iniqui, si potuissent, sine fine viuere vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt, quia in peccato sem-

per

per viuere cupiunt, qui nunquã desinunt peccare dum viuũt. Ad magnã ergo iustitiã iudicãtis pertinet, vt nunquã careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

Ex his itaque apparet, quòd sine confessione oris, & satisfa- GRATIAN. 4. pars.
ctione operis peccatum non remittitur. nam si necesse est vt iniquitates nostras dicamus, vt postea iustificemur: si nemo potest iustificari à peccato, nisi antea confessus fuerit peccatũ: si confessio paradisum aperit, veniam acquirit: si illa solum confessio vtilis est, quæ fit cum pœnitentia: (in quo notatur aliud esse confessio, aliud pœnitentia: siue interior siue exterior accipiatur) si ille qui promittit veniam occultè apud deum, non apud ecclesiã pœnitentiã agenti, frustratur euangeliũ. & claues datas ecclesiæ, promittit etiã quod Deus negat delinquẽti: si nemo potest consequi veniã, nisi quãtulamcunq; & si minorem quam debeat, peccati soluerit pœnã: si solis sacerdotibus ligandi soluendiq; potestas à Deo tradita est: si nullus veniam accipit, nisi ecclesiæ supplicationibus ipsam impetrare Matth. 16. c.
cõtendat: concluditur ergo quòd nullus ante cõfessionẽ oris, & satisfactionem operis peccati, abolet culpã. Deniq; vt perspicuè appareat neminem sine cõfessione à peccato mundari: ab ipsius humani generis principio sumamus exordium. Peccato transgressionis primi parẽtes corrupti, à domino sunt requisiti de culpa, vt peccatum quod trãsgrediendo cõmiserant, confitendo delerent. Serpens autẽ de culpa requisitus non est: quia per confessionẽ non reuocabatur ad vitam. Cain quoque Gene. 3. b.
cùm primæ præuaricationi fratricidiũ addidisset, similiter à Gene. 4. b.
domino de culpa requisitus est dũ ei dicitur: Vbi est Abel frater tuus? Sed quia superbus peccatũ suum confiteri noluit, potius mendaciter negando deum fallere conatus est, dicens: Nũquid custos fratris mei sum ego? indignus venia iudicatus est: vnde in desperationis profundũ mersus est, dum ait: maior est iniquitas mea, quàm vt veniã merear. Vagus & profugus exijt à facie domini, significãs eos qui peccata sua cõfiteri dissimulant, respectu diuinæ miserationis indignos haberi. Re- Gene. 12. b.
ges quoq; qui ignorantia ducti in Abrahã deliquerãt, nõ nisi Ibidem. 26.
eodẽ orante sanari meruerunt. In quo figuratur ꝙ passiones morum non sanãtur nisi orationibus ecclesiæ. Moysi quoque Leuit. 13. b.
præcepit dominus, vt lepra siue in cute, siue in domo, siue in veste, siue in crine appareret, sacerdoti ostẽderetur: & iuxta eius arbitrium separata, eius iudicio cõtaminaretur vel mundaretur. Saul quoq; cùm à spiritu maligno vexaretur, non poterat 1. Reg. 16. c.
ad sanæ mẽtis officiũ redire nisi prius Dauid psalterium arriperet, & corã eo psalleret, & ita ab eius vexatione cessaret diabolus. in quo mysticè ostenditur quòd quicunq; diabolo propter peccata mãcipatur, ab eius dominio eripi non valet, nisi

Dauid, id est ecclesia, psalterium accipiat: & coram eo psallat,
id est spiritualis gratiæ eum participē faciat: & salubriter ad-
monendo, & piè pro eo orādo, & exēpla boni operis sibi præ-
bendo, diabolum ab inuisibili eius vexatione cōpescat. Dauid
quoq; cum adulterium cōmisisset & homicidiū, non antè au-
2. Reg. 12. d. diuit à propheta, Transtulit à te peccatū tuum dominus, quàm
ipsum peccatum confiteretur. prius enim prophetæ peccatum
redarguenti confessus est, & postea audiuit: Trāstulit dominus
3. Reg. 20. g peccatum tuum à te. Achab quoque cùm de innocentis san-
guinis effusione sententiam comminantis dei audiret, induit
seipsum cilicio, satisfaciēs deo per pœnitētiā. Vnde dominus
ad Heliam ait: Quoniam Achab reueritus est faciem meam,
non inducā malum in diebus eius. Niniuitę cùm audirēt. Ad-
Iona. 3. b. huc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: ex edicto regis &
principum pœnitentiam egerunt, dicentes: Quis scit si con-
uertatur & viuat & ignoscat deus, & relinquat post se benedi-
ctionē? Hac humiliate & satisfactione imminentem subuer-
sionē euadere meruerunt: quorum exemplis euidenter ostēdi-
tur, quòd nullus à Deo consequatur veniam, nisi primū satisfe-
Dan. 4. f. cerit sibi per pœnitentiā. Nabuchodonosor quoq; propter su-
perbiam suam à rationabili mente in bestialē animum com-
mutatus est, atque à regno suo profugus recedēs, non antè re-
Ibidem. 9. gnum recepit, quàm conuersus deum prædicauit. Denique
plebs Israëlitica ob culpam suæ transgressionis captiuitati tra-
dita, non ante liberari meruit, quàm sua peccata confitēs, Da-
Matth. 3. a. nielis & aliorum sanctorum precibus veniā accepit. In euan-
gelio quoque venientes ad Ioānem vt baptizarentur ab eo, ba-
ptismo pœnitentiæ, primum confitebantur peccata sua, osten
dentes quòd quisque debet peccata sua damnando confiteri,
& innouationē melioris vitæ promittere, si generationis desi-
derat gratiam accipere. Christus quoque alios legitur susci-
tasse à mortuis, alios à lepra mūdasse, alios illuminasse, aliorū
membra paralysi dissoluta consolidasse. omnium tamen sani-
Ioan. 11. e. tem petitio propriæ vocis vel amicorum legitur præcessisse.
Luc. 17. c. Luca enim referēte didicimus, quòd pro socru Petri prius
Matth. 9. c. rogatus est. quàm eam sanitati redderet. Leprosus verò ille
Marc. 2. a. quem dominus descendens de monte mundauit, prius cla-
Luc 4. f. mauit ad eum: Domine, si vis, potes me mundare, quem
Matth. 8. a. postea tangendo mundauit. Cæcus quoque dum clamaret ad
Marc. 1. d. eum, Miserere mei fili Dauid, interrogauit eū Iesus: Quid, vis
Luc. 5. c. vt faciam tibi? ait: Raboni, vt videam lumen. Tres quoq; mor
Marc. 10. g. tuos audiuit, quos aliorum orationibus reddidit vitæ. Quar-
Luc. 18. f. tum quoq; discipulo nunciāte audiuit: sed quia defuerūt viui
Matth. 9. c. qui pro eo precarētur, resuscitari non meruit. Quibus nimirū
Luc. 7. b. exemplis euidentissimè datur intelligi, quòd ille quem grauioris
culpæ

culpæ macula inficit, nisi confessione proprij oris, vel ecclesiæ intercessione suffragante sanari non poterit. Hinc pœnitēs ille qui prius tacendo peccare flagellari meruerat, postea correptus dicebat: Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Hinc Christus ex persona mēbrorum ait: Non absorbeat me profundum, neq; vrgeat super me puteus os suum. quod Augustinus exponit dicēs: Puteus est humanę iniquitatis profunditas, in quē si cecideris, nō claudet super te os suū, si tu non clauseris os tuum. Confitere ergo & dic: De profundis clamaui ad te domine, & euades. Claudet super illum dominus qui in profundo cōtemnit: à quo mortuo velut ab eo qui nō est, perit cōfessio. Hinc idē propheta ait: Introite portas eius in confessione. ostendens ad portas misericordiæ non nisi per confessionē peccati aliquē posse attingere. Hinc etiam beatus Ioānes Baptista & saluator noster exordiū prædicationis suæ à pœnitentia sumpserunt, dicentes: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnū cælorum. Ostendentes ad regna cælorum neminem posse attingere, nisi primùm per pœnitentiā Deo curauerit satisfacere. Hinc etiam in actibus apostolorum legitur, quòd credentes veniebant ad apostolos, annunciantes actus suos. Ex his omnibus facilè monstratur sine confessione nullum veniam posse promereri. Hinc etiam Leo papa ait. 61

Ioan.11.e. Psalm. 31. Psalm.78. Psalm.129. Eccles.17. Psalm.99. Matth.3.4. Actu.19. Leo 1.epist.78. ad episcopos Campaniæ.

SVfficit pœnitenti confessio quæ primùm domino offertur: deinde sacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit. ITEM 62

Idē Leo epi.90.

Pœnitentia quæ dilata est, cùm studiosius petita fuerit, non negetur, vt eo modo ad indulgentiæ medicinā anima vulnerata perueniat. ITEM Aug. in sermone de pœnitent. 63

Aug.lib. de pœnitentia medicina.

NOn sufficit mores in melius conmutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de his quę facta sunt, satisfiat domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis & ieiunijs. ITEM Ambrosius.

Amb.ad cap.1. Lucæ in com.

NOuit dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. ITEM Leo papa. 64

Leo 1. epist.90. ad Rusticum Narbonensem episcopum.

ALiud quidem est debita iustitiæ reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Illicitorū veniam postulantem oportet etiam à multis licitis abstinere, dicente Apostolo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Vnde si pœnitens habeat causam quā negligere fortè non debeat, melius exspectet ecclesiasticùm quàm forense iudicium.

1.Cor.6.c.

ITEM Hieronymus in Malachiam. 65

Hiero.ad cap.1. Ioel.in cōment. Malac.3.

QVi sanctus sacerdos est, & comedit in pascha domini, accingatur baltheo castitatis, & audiat cum apostolis, Sint lumbi

Luc.12.d. lumbi vestri præcincti,& lucernæ ardētes in manibus vestris: qui autem peccator est & quem remordet propria consciētia, cilicio pœnitentiæ accingatur,& plangat vel propria delicta, vel populi,& ingrediatur ecclesiam,de qua propter peccatum fuerat egressus,& cubet vel dormiat in sacco: vt præteritas delicias per quas deum offenderat, vitæ austeritate compenset.

Hier in cōment. ad cap.9. Amos. ITEM in Amos propheta. 66

SI agamus pœnitentiam,ipsum quoq; suæ pœnitebit sententiæ. Rursus iuxta eundem Hieronymum promitti prospera si pœnitentiam egerimus,quòd si negligentia dissoluamur, & illum pœnitebit sponsionis,promissaq; mutabit. cuius rei exemplum Samariam,& Hierusalem habere possumus,quorū alij de imminentibus supplicijs liberati sunt,alij quæ patribus promissa fuerant perdiderunt. ITEM super Danielem. 67

Hiero. ad cap.4. Daniel. Dan.4.f.

QVamobrem consilium meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis redime,& iniquitates tuas misericordijs pauperum, si fortè ignoscat deus delictis tuis. Si prædixit sententiam quæ mutari non potest: quomodo hortatur ad eleemosynas pauperum,& misericordiam, vt Dei sententia permutetur? Quod facilè soluitur exemplo regis Ezechiæ, quem *(4.Reg.10.)* Esaias dixit esse moriturū,& Niniuitarū *(Esa.38.)*, quibus dictum fuerat: Adhuc quadraginta dies sunt,& Niniue subuertetur *(Iona.3.b.)*,& tamen ad preces Ezechiæ & Niniues, dei sententia mutata est. Rursus bona agēti, se asserit polliceri indulgentiam, alioquin & in reuerentiā loquitur deus *(Hie.17.d.)* se mala minari super gentē: & si bona fecerit,minas in clementiā commutare rursum asserit polliceri.& si malè fecerit,dicit suam mutare sententiā non in homines,sed in opera quæ mutata sunt. Neque enim deus hominibus irascitur,sed vitijs. quæ cùm in homine nō fuerint, nequaquā punit quod mutatum est. Dicamus quidē & aliter. Fecit itaq; Nabuchodonosor rex iuxta Danielis consiliū *(Dan.4.e.)* misericordias in pauperes,& iccirco vsq; ad mensem duodecimū in eo dilata est sententia. sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur & dicit: Nónne hęc est Babylon magna quā ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ,& in gloria nominis mei? bonū misericordiæ perdidit malo superbiæ. Forsitan ignoscet deus delictis tuis. Cùm beatus Daniel pręscius futurorū de sententia dei dubitet, rem temerariam faciunt,qui audacter peccantibus veniam pollicentur. & tamen sciendum est quòd Nabuchodonosor regi bona opera faciēti venia repromittitur.

Origenes homi. 3 ad cap. 3. Iudicum. IDEM. 68

VIde benignum dominum misericordiam cum seueritate miscentem,& ipsius pœnæ modum iusta & clementi deliberatione pensantem: & ideo non in perpetuum tradidit pœnæ delinquētes,sed quanto(inquit) tempore seruierunt Cusarsaton,

ſaton, hoc eſt, octo annis. Diſce & hoc ô tu auditor quiſquis ille es, qui tibi conſcius es alicuius erroris, & quanto tempore errasse te noſti, & quanto tempore deliquiſti: tanto nihilominus tẽpore humilia teipſum deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ: non exſpectes vt humiliet te cuſarſaton, & inuito neceſſitas extorqueat pœnitentiam, ſed ipſe præueni ipſius tortoris duritiam: quia ſi teipſum emendaueris, ſi teipſum correxeris, pius eſt dominus & miſericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo præuenit. Sed illud conſideremus: quia donec ſeruierunt curſarſaton hi qui traditi pro delictis ſuis fuerant, & non clamauerũt ad dominum, nemo ſuſcitatus eſt qui ſaluare eos poſſet, cùm verò clamauerunt, ad dominum, tunc ſuſcitauit dominus ſaluatorem Iſraël, & ſaluauit eos. IDEM. 69

ECcleſia Chriſti eſt non habens maculam neque rugam, aut aliquid iſtiuſmodi. qui ergo peccator eſt aliqua ſorde maculatus, de eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubiectus dici. Poſſibile autẽ eſt vt quomodo eccleſia Chriſti quæ prius rugam habuit & maculam, & immunditiam, & poſtea reſtituta eſt, ita & peccator currat ad medicum: quia non habent opus ſani medico, ſed malè habentes, vt curentur vulnera ipſorum, & fiant de eccleſia quæ eſt corpus Chriſti.

IDEM. 70 *Hier. ad cap. I. Amos in cõmẽt.*

SVper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum. Iuxta tropologiam hoc poſſumus dicere. Primum peccatum eſt cogitaſſe quæ mala ſunt. Secũdum, cogitationibus acquieuiſſe peruerſis. Tertium, quod mente decreueris opere compleuiſſe. Quartum, poſt peccatum non agere pœnitentiam, & ſuo ſibi complacere delicto. IDEM. 71

SEcunda poſt naufragium tabula eſt culpam ſimpliciter confiteri. Imitati eſtis errantem, imitamini & correctum. Errauimus iuuenes, emendemus ſenes, iungamus lachrymas, & gemitus copulemus. IDEM. 72 *Hier. ad cap. 3. lamẽt. Hieremiæ*

QVia diuinitatis natura eſt clemens & pia, magisq́; ad indulgentiam quàm ad vindictam prona: quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: ſi quis poſt lapſum peccatorum ad veram pœnitentiam ſe conuerterit, citò à miſericorde iudice veniam impetrabit.

IDEM in Malachia. 73 *Hier. ad cap. 12 Oſea.*

NE forſitan peccati immemores tardius reuertantur, adhuc inquit: Sedere vos faciam in tabernaculis ſicut in diebus feſtiuitatis, vt quod facit baptiſma, hoc faciat pœnitentia: & habitent in tabernaculis ſaluatoris, hoc eſt in eccleſia ſaluatoris. *Exo. 18. f. & 33. e.*

IDEM. 74 *Oſee. 12. c.*

Hier. ad ca. Dan. PRædixerat Hieremias ſeptuaginta annos deſolationis templi poſt quos rurſum veniret populus in Iudæam,& reædificaret ibidem templum in Hieruſalem. quæ res non facit Danielem negligentem,ſed magis prouocat ad rogandũ, vt quod deus promiſit per ſuam clementiã, impleat per eorum preces, Gene. 6. a. ne negligentia & ſuperbia pariat offenſam. Denique etiam in Geneſi legimus centum & viginti annos pœnitentiæ conſtitutos ante diluuiũ. quia tanto tempore,hoc eſt,centum annis noluerunt agere pœnitentiã,nequaquã exſpectat, vt & viginti alij anni cõpleantur, ſed infert ante quod poſtea fuerat cõminatus. Hier. 7. d. Vnde & Hieremiæ dicitur ob duriciã cordis populi Iudæorum: 1. Reg. 16. a. Ne ores pro populo hoc,quia non exaudiam te. Et ad Samuelem: Vſquequo luges ſuper Saul?quia ego abieci eũ. Dan 9. a. In cinere ergo & ſacco poſtulat Daniel adimpleri quod promiſerat deus,non quòd eſſet incredulus futurorum, ſed ne ſecuritas negligentiam, & negligentia pariat offenſam.

Amb. cap. 20. lib. de Helia & ieiunio. ITEM Ambroſius in ſermone in dominica de Abrahã.

Operibus miſericordiæ deum non emimus, ſed noſmetipſos redimimus. 75

MEdicina miſericordię tollit peccata magna. habemus plura ſubſidia quibus peccata noſtra redimimus. pecuniam habes, redime peccatum tuum. non venalis eſt dominus, ſed tu ipſe venalis es: peccatis tuis venũdatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. vilis eſt pecunia, ſed precioſa eſt miſericordia. Eleemoſyna, inquit, à peccato liberat, crimina ergo eleemoſynis redimũtur. ITEM Ioannes os aureũ. 76

MEdicamentum fortius quod maximè operatur in pœnitentia,hoc eſt ſicut in præceptis medicinæ medicamentum quidem herbas multas accipit, vnam autem dominatiſſimã: ſic & in pœnitẽtia dominantior iſta herba & potentior eſt,& vniuerſum ipſa efficit. Luc. 11. f. audi enim quid dicit ſcriptura diuina: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Cap. 2. lib. 1. de pœnitent. ITEM Ambroſius in libro de pœnitentia. 77

DEus definitionem non facit, qui miſericordiã ſuam omnibus promiſit,& relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine vlla exceptione cõceſſit. ſed qui culpam exaggerauerit, exaggeret pœnitentiam. Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus. Amb. cap. 10. li. 2. de pœnitẽt. IDEM. 78

FLeat pro te mater eccleſia, & culpã tuam lacrhrymis lauet. Matth. 5. a. videat te Chriſtus mœrentẽ,& dicat tibi: Beati triſtes, quia Luc. 7. b. gaudebitis. Amat vt pro vno multi rogent. Deniq; in euãgelio motus viduæ lachrymis: quia plurimi pro ea flebant, filium eius reſuſcitauit. Amb. cap. 11. eiuſdem lib. IDEM. 79

ADam poſt culpam Deus ſtatim de paradiſo eiecit. nõ diſtulit,ſed ſtatim ſeparauit à delicijs, vt ageret pœnitentiam.

ſtatim

ſtatim tunica veſtiuit eum pellicea, non ſerica. *Geneſis 3 d.*

ITEM Auguſtinus ad Fœlicanum. 80 *Au.ca. 2.lib. de pœnitēt. medic. 5.pars.*

TRes ſunt autem actiones pœnitentiæ, quas mecum veſtra eruditio recognoſcit. Vna eſt quæ nouum hominem parturit, donec per baptiſma ſalutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorū. omnis enim qui iam ſuæ volūtatis arbiter cōſtitutus eſt, cùm accedit ad ſacramēta fideliū, niſi eum veteris vitæ pœniteat, nouam inchoare nō poteſt. Ab hac pœnitētia cùm baptizantur ſoli paruuli immunes ſunt. nondū enim poſſunt vti libero arbitrio. quibus tamē ad conſecrationem, remiſſionemq́ue originalis peccati prodeſt eorum fides à quibus offeruntur. Altera verò pœnitentia eſt, cuius actio per totam vitam iſtam qua in carne degimus mortali perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt, quia primò nemo vitam æternam incorruptibilē immortalemq́ue deſiderat, niſi eum vitæ huius tēporalis, corruptibilis, mortalis pœniteat, nō enim ſic quiſque in nouā vitā per ſanctificationē baptiſmi naſcitur: vt quemadmodum ibi deponit omnia peccata præterita, ita etiā ſtatim mortalitatem ipſam carnis corruptionemq́ue vitæ deponat. Tertia eſt actio pœnitentię quę pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus cōtinet, & de quibus apoſtolus ait: Si enim noſmetipſos iudicaremus, à domino non vtique iudicaremur. & infra. Et enim pœnitentia humiliū & bonorum fidelium pœna quotidiana, in qua pectora contundimus dicētes: Dimitte nobis peccata noſtra, &c. Neque ea dimitti nobis volumus quę dimiſſa in baptiſmo nō dubitam⁹: ſed illa vtiq; quæ humana fragilitate quāuis parua, tamē crebra ſubrepunt: quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimēt, ſicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragiū, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinā, & per negligentium culpā derelicta atq; contēpta impleat nauem, atq; ſubmergatur? Propter hęc ieiunia, eleemoſynę, & orationes inuigilant: in quibus cùm dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, &c. manifeſtamus nos habere quod nobis dimittatur: atq; in his verbis humiliātes animas noſtras, quotidianā quodāmodo agere pœnitentiā nō ceſſamus.

1.Cor.11.g. *Luce 11.a* *Matth. 6.*

ITEM Greg. 81 *6 pars.*

SI peccatum Dauid dominus trāſtulit tam deteſtabile, quid eſt quod poſt omnia quæ de eodē peccata per prophetam à domino ei dicta ſunt, poſtmodū tanta tolerauit? Sed & proculdubio dominus delictū ſine vltione non deſerit. Aut enim ipſe hoc in ſe penitus punit, aut hoc deus cū homine vindicās percutit. nequaquam igitur peccato parcitur: quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sicut enim Dauid audire poſt cōfeſſionem meruit: dominus tranſtulit peccatum tuum: & tamen *2.Regum 12.*

pòſt multis cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpæ quã perpetrauerat, exoluit: ſic nos ſalutis vnda à culpa primi hominis abſoluimur, ſed tamen reatum huius eiuſdem culpæ diluentes, abſoluti quoq; adhuc carnaliter obimus: quia delicta noſtra ſiue per nos ſiue per ſemetipſum reſecat etiam cum laxat. ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere quas in perpetuũ nõ vult in eis videre.

Ca. 34. li. 2. de peccatorum meritis.

ITEM Auguſtinus. 82

SIcut primi homines poſtea iuſtè viuendo merito creduntur per domini ſanguinem ab extremo iudicio liberati, tamen nõ in illa vita meruerunt ad paradiſum reuocari: ſic & caro peccati. etiam ſi remiſſis peccatis homo in ea iuſte vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam contraxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis inſinuatum eſt de patriarcha Dauid in lib. Reg. ad quem propheta cùm miſſus eſſet, eique ob peccatum quod admiſerat, euentura mala cõminaretur: confeſſione peccati veniam meruit, reſpondente propheta q̃ illud ei flagitium facinusque dimiſſum ſit: & tamen conſecuta ſunt quę dominus cõminatus fuerat: vt ſic humiliaretur à filio. quare & nunc dicitur, ſi deus propter peccatum illud fuerat comminatus, vt ſic humiliaretur à filio: cur dimiſſo peccato, quod erat ei cõminatus impleuit, niſi quia rectiſſime, ſi dictum fuerit, reſpondetur remiſſionẽ illã peccati factã ne homo ad percipiendam vitã impediretur æternam: ſubſecutum verò illud cõminationis exemplum, vt pietas hominis etiã in illa humilitate exerceretur atq; probaretur. ſic & mortẽ corporis propter peccatum deus homini inflixit: & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendã iuſtitiam non ademit.

Aug. cap. 65. in Enchiridio.

IDEM in homilia de pœnitentia.

Doloris menſura potius quàm temporis in actione pœnitentiæ conſideranda eſt. 83

IN actione pœnitentiæ vbi tale commiſſum eſt vt is qui cõmiſit, etiã à Chriſti corpore ſeparetur: non tam conſiderãda eſt menſura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum deus non deſpiciet. Verum quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, nec in aliorum notitiam niſi per verba vel quęcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo cui dicitur: Gemitus meus à te nõ eſt abſcõditus: recte conſtituuntur ab his qui eccleſię præſunt, tempora pœnitentiæ: vt ſatisfiat etiam eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata. extra eam quippe non remittuntur. erga cùm tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta corporis & ſanguinis domini differenda ſint, auctoritate antiſtitis debet ſe quiſque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.

7. pars.

Pſalm. 50.

Pſalm. 37.

Auguſt. ſer. 50.

IDEM in eadem homil. 84

Iudicet

IVdicet seipsum homo voluntate dum potest, & mores conuertat in melius: ne cum iam non poterit præter voluntatẽ à domino iudicetur: & cũ in se protulerit seuerissimæ sententiam medicinæ, sed tamen vtilissimæ, veniat ad antistites per quos illi claues in ecclesia ministrãtur, tãquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum mẽbrorum ordine custodito: à præpositis sacramẽtorum accipiat satisfactionis suæ modũ, in offerendo sacrificio contribulati cordis deuotus & supplex: id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendã sanitatem, sed cæteris etiam ad exẽplum: vt si peccatum eius non solum in graui eius malo, sed etiam in tanto scãdalo aliorum est, atque hoc expedire vtilitati ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum vel corã totius plebis multitudine agere pœnitentiam nõ recuset nec resistat, nec lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat timorẽ. multi enim corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas. ITEM Hieron.

Mortificatio vitiorum magis quàm abstinentia ciborum pœnitenti necessaria est. 85

MEnsuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant qualiter vnum quodque emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt: quia apud deum non tam valet mensura temporis quàm doloris, nec abstinentia tantum ciborum quã mortificatio vitiorum. propter quod ipsa tempora pœnitentiæ pro fide & cõuersatione pœnitentium abbreuianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda existimant: tamen pro quibusdam culpis pœnitentiæ modi sunt impositi.

ITEM Ioannes Chrysostomus. 86

QVis aliquãdo videt clericum citò pœnitentiam agentem, & si deprehensus humiliauerit se, non ideo dolet quia peccauit, sed ideo confunditur, quia perdidit gloriam suam.

His auctoritatibus asseritur neminẽ sine pœnitentia & confessione propriæ vocis à peccatis posse mundari. Vnde præmissæ auctoritates quibus videbatur probari sola cõtritione cordis veniam præstari, aliter interpretandæ sunt quàm ab eis exponantur. Negationem nanque Petri secuta est satisfactio lachrymarum, & trina confessio dominicæ dilectionis: qua pœnitus deleuit peccatum trinæ negationis. Non ergo necessaria sibi erat certa satisfactio peccati, cuius totum vitæ tempus obedientiæ impendebatur sui conditoris. Imitabatur enim illud propheticum: Declina à malo, & fac bonũ. Et illud Esaiç: Derelinquat impius viã suã: & vir iniquus cogitationes suas. &c. Amplius horum nihil à peccatore exigitur. Non ergo illa auctoritate Leonis papæ satisfactio pœnitentiæ negatur esse

GRATIAN. 8. pars.

Luca 22. *f*

Psalm. 36.

Esaia 55. *b.*

esse necessaria cuilibet delinquenti, sed ei tantum qui beatum Petrum imitatus, huic sæculo penitus abrenunciat: & cunctorum vitiorum fomitem in se funditus mortificat.

Item illud Ioannis Chrysostomi, Lauãt lachrymæ delictum quod pudor est cõfiteri. Et illud aliud quod scribitur in epist. ad Hebr. Non tibi dico vt te prodas in publicum: neq; apud alios te excuses: sed obedire te volo prophetæ dicenti: Reuela ante deum viam tuam. ergo tua cõfitere peccata, apud deum verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed cõscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata in mente tua continue, malum nunquam aduersus proximum tuum in corde tenebis: non ita intelligendum est, vt sine confessione oris peccata dicantur dimitti, & sine publica satisfactione. Secreta nanque peccata secreta confessione, & occulta satisfactione purgantur, nec est necesse vt quæ semel sacerdoti cõfessi fuerimus, denuo confiteamur: sed lingua cordis non carnis apud iudicem verum ea iugiter confiteri debemus.

Psalm. 36.

Hinc etiam idem Ioan. Chrysost. ait: Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, & frequẽter in conspectu dei pronuncies, & pro eis clementiã eius depreceris: citius illa delebis. Si autem nunc obliuiscaris peccatorum tuorum, tunc eorum recordaberis nolens, cùm in toto mundo publicabuntur, & in conspectu proferentur omnium tam amicorum tuorum quàm inimicorum, & sanctorum angelorum, cælestiumque virtutum. non enim ad Dauid solum dicebat: Tu in secreto fecisti, ego cunctis manifestabo: sed etiam ad omnes nos hoc dicitur: Similiter & illud Prosperi intelligitur: Qui crimẽ suum vltro cognoscunt, & aut illud propriis confessionibus prodũt, aut nescientibus aliis quales occulti sunt, &c. aliis nesciẽtibus, id est, occulta confessione istis peccatum suum confitẽtibus, non publice illud manifestantibus.

Chrysost. ho. 31 ad ca. 12. epist. ad Hebræos.

1. Regum. 12.

Item illud prophetæ: Dixi confitebor, & tu remisisti, id est, remissibilem indicasti impietatem peccati mei.

Psalm. 31.

Ita illud Aug. intelligitur: Magna pietas dei: vt ad solã promissionem peccata dimiserit: id est remissibilia indicauerit.

Item. Votum pro opere reputatur cùm deest facultas. vnde votum cõfessionis reputatur pro opere vocis, cùm deest facultas confessionis.

Itẽ voluntas remuneratur, non opus, ita intelligitur: voluntas facit opus remunerabile, non opus voluntatem.

Item illud. In quacunque hora peccator conuersus fuerit, &c. Conuerti dicitur qui omnino vertitur, cuius opus vox & cogitatio ita mortificationi desudat peccati, sicut prius seruierat iniquitati.

Ezech. 33.

Ita

Ita & illud intelligitur, Conuertimini ad me, &c. Itē, Scindite corda vestra, & non vestimenta: (Esa. 45. l. Ioel. 2. c.) eis dicitur qui nulla interiori satisfactione præcedente, sed sola exteriori se deū posse placare confidunt.

Itē, cuncta quæ de leprosis mundatis vel de Lazaro resuscitato inducuntur, ad contritionem cordis, nō ad veniam remissionis referenda sunt. Obstinatio enim animi, & confessionis contēptus, quædā mors est impietatis, & lepra superbiæ: à qua quis reuiuiscit, dum sibi per gratiā dolor delicti & votum cōfessionis inspiratur. Ad hunc etiam articulum pertinēt ea quæ de viuentibus, vel in luce ambulantibus, vel dilectionem Dei habentibus, vel de habitaculis spiritus sancti factis dicta sunt: vt hæc omnia quisque dicatur assecutus ex cordis contritione quam habet: non ex plenaria peccati remissione quam nondū inuenit. Sicut enim in baptismo remittitur peccatum, & tamē eius pœna reseruatur, sic per contritionē cordis quisque à deo resuscitari dicitur, licet adhuc reatu peccati teneatur. Non ergo præmissis auctoritatibus vel argumentis sine confessione oris, & satisfactione operis aliquis probatur à peccato mundari. Econtra auctoritas illa Ioan. Chrysost. & Prosperi cōtra mentem auctoris extorta videtur. (2. pars. octaue.) non enim dicitur: non dico tibi vt te publice accuses, sed non dico tibi vt apud alios te excuses. sic & Prosper non ait omnibus, sed simpliciter alijs nescientibus. Vnde euidentissime datur intelligi q̄ sine confessione oris peccata possunt deleri. Ea verò quæ ad exhortationem pœnitentiæ & confessionis dicta sunt, non huic sententiæ contraire videntur, vel enim sunt verba exhortationis, vel iussionis: sicut illud: Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. (Iaco 5. e.) vel si qua iubendo sunt dicta, non ad oris confessionem, sed cordis: non ad exteriorem satisfactionē, sed interiorem referenda sunt. Est enim pœnitentia alia interior, alia exterior. Interior pœnitentia est illa de qua Aug. ait: Omnis qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, non potest inchoare nouam vitam nisi pœniteat eum veteris vitæ. Item de eadē Petrus in actibus apostolorum legitur dixisse: Pœnitentiā agite: (Actu. 2. f.) & baptizetur vnusquisque vestrum. quod de interiori pœnitentia, nō exteriori dictum accipitur. De exteriori verò pœnitentia Ambr. ait super epist. ad Rom. Gratia dei in baptismate non requirit gemitum vel planctum, non opus aliquod, sed solum contritionē cordis: & omnia gratis cōdonat. Quęcunque ergo de pœnitētia iubendo dicta sunt, non ad exteriorem sed interiorem referenda sunt, sine qua nullus vnquam deo reconciliari poterit. Illud autem Aug. quo quisque negatur veniam posse cōsequi, nisi prius quantulamcunque peccati soluerit pœnam, non huic sententiæ inuenitur aduersum.

Nullus

Nullus enim asseritur à peccato mundari, nisi peccati passus fuerit pœnã. sed aliud est peccatum sacerdoti confiteri, & eius arbitrio de peccato satisfacere: atque aliud deo corde confiteri, & secreta satisfactione peccatum in seipso punire. Est enim pœnitentia (vt ait Aug.) dolor cordis quo quisque in se punit quod deliquit. De hac itaque satisfactione idem ait in psalmo 50. exponens: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: tu ne punias: quia ego punio. Ignosce, quia ego cognosco, non dissimulo. & infra. Sic deus misericordiam dat, vt seruet veritatem, vt nõ peccata eius sint impunita cui ignoscit. ignoscit enim seipsum punięti. misericordia est quòd homo liberatur, veritas quòd peccatum punitur. Idem in Psalm. lxxxiiij. Veritas de terra orta est, id est, confessio de homine vt se accuset: *Lucæ 18.c.* & sic iustitia de cælo prospexit, vt publicanus confitens rediit iustificatus. Iustitia prospexit, quasi deus dicat: parcamus huic, quia non parcit sibi. Ignoscamus, quia agnoscit. De cælo ergo iustitia prospexit, id est, à deo data est iustificatio pœnitenti. Hæc ergo secreta satisfactio leuium siue occultorum criminum deo offerenda est: nec sine pœna relaxari probantur, quę sic expiari creduntur. Ea verò quæ de publica satisfactione, vel oris confessione dicuntur, in publicis & manifestis criminibus intelligenda sunt. *Dan 4.f* Peccata nanque Nabuchodonosor *Ionæ. 3.b.* quæ propheta misericordiis & eleemosynis redimi suasit, pec- *Matth.21.d* cata quoque Niniuitarum quæ publica satisfactione expiata sunt, cunctis nota erant. & publica noxa (vt Augustinus testatur) publico eget remedio. Præmissis itaque auctoritatibus pro manifestis criminibus manifesta probatur offerenda satisfactio, & oris confessio. Latentia verò peccata non probantur *3. part. octauæ partis.* sacerdoti necessariò confitenda, & eius arbitrio expianda. E contra ea quæ in assertione huius sententiæ dicta sunt, partim veritate nituntur, partim pondere carẽt. Sine contritione etenim cordis nullum peccatum posse dimitti, occulta verò peccata secreta satisfactione, publica quoque manifesta pœnitentia expiari debere, firmissima quoque constat ratione obnixũ. porrò sine confessione oris, si facultas confitendi nõ defuerit, aliquod graue delictum expiari, auctoritate penitus probatur aduersum. Quomodo enim secundum auctoritatem Leonis papæ, sine supplicationibus sacerdotũ indulgentia nequit obtineri, si sine oris confessione à peccato possumus emundari? Quis enim supplicabit pro peccato quod nescit?

Item. Quomodo secundum August. frustrat claues ecclesiæ qui sine arbitrio sacerdotis pœnitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentiam impetrat. Item. Quomodo secundum Ambr. ius ligandi & soluendi solis sacerdotibus à domino creditur esse permissum, si quisque suo arbitrio seipsum

ipsum peccando ligat, vel secreta pœnitentia secundum Prosperum in seipsum sententiam profert excõmunicationis, atq; post satisfactionem absq; sacerdotali iudicio seipsum deo vel altari eius reconciliat? Non sunt hæc præmissis auctoritatibus consentanea: sed multorum exemplis probantur aduersa. Filiam nanque archisynagogi turbis eiectis dominus suscitauit, *Matth. 9. c* non tamen nisi præsentibus patre & matre puellæ, Petro quoque Iacobo & Ioanne, vitæ reddita est. In quo moraliter instruimur vt secreta peccata, quæ per mortem puellæ intelliguntur, non nisi supplicationibus ecclesiæ, quæ per patrem & matrem puellæ designãtur, & sacerdotum ministerio, qui per Petrum & Ioannem & cæteros intelliguntur, à domino existimentur dimitti. Item in Leuitic. *Leuit. 27. b.* Qui domum suam vel agrum domino vouerit vel consecrauerit, non potest eam redimere nisi siclo sanctuarij, sacerdote quoque (non ipso) supputante annorum numerum vsque ad iubilæum. In quo similiter docemur, quòd quicunque domum conscientiæ, vel agrũ conuersationis per pœnitentiam domino offerre, atque precio bonorum operum de vana vitæ suæ conuersatione seipsum redimere voluerit, non potest hoc facere nisi siclo sanctuarij, id est, operibus pœnitentiæ sacra scriptura præfixis. vnde venientibus ad se turbis, B. Ioannes non ait simpliciter, facite pœnitentiam, vel fructus pœnitentiæ, sed addidit dignos: vt pro qualitate vulneris peccatorum, qualitas offeratur bonorũ operum. non enim par debet esse fructus boni operis eius, qui nihil vel parum deliquit, atque eius qui grandia commisit. ille tanquam nullius criminis sibi conscius vsum sibi in rebus licitis præbet, hunc tanquã multis aggrauatum etiã à licitis temperare oportet. In iubilæo, plena rei missio præstabatur. *Leuit. 25. b.* Vnde per eum perfecta peccati remissio figuratur. Sacerdos ergo numerum annorum vsque ad iubilæum supputat, cùm eius arbitrio pœnitentiæ tempora definiuntur, quibus quisque plenam peccati remissionem inueniat. non enim (sicut Isychius ait super eundem locum) statim post definitam pœnitentiam quisque peccato plenè mundatur.

Cùm ergo ex præmissis auctoritatibus colligitur quòd tẽpora pœnitentiæ arbitrio sacerdotis definiãtur, euidentissimè apparet sine confessione propriæ vocis peccata non dimitti. quis enim tẽpora pœnitentiæ alicui præfiget, nisi primũ peccata sua sibi manifestare curauerit? Item. Taciturnitas peccati ex superbia nascitur cordis. ideo enim peccatum suũ quisque celare desiderat, ne iniquitas sua aliis manifesta fiat, ne talis reputetur apud homines foris, qualem se iamdudum exhibuit diuino cõspectui. quod ex fonte superbiæ nasci nulli dubium est. species etenim superbiæ est se velle videri iustũ, qui

peccator

peccator est: atque hypocrita cõuincitur qui ad imitationem primorum parẽtum tergiuersatione verborum peccata sua leuigare cõtendit, vel sicut Cain peccatum suum reticendo penitus supprimere quærit. Vbi autẽ superbia regnat vel hypocrisis, humilitas locum habere non potest. Sine humilitate verò alicui veniam sperare non licet. nec ergo vbi est taciturnitas confessionis, venia est speranda criminis.

Genes. 4.

PROBATVR hoc idem auctoritate Augustini, qui in libro de pœnitentia ait: 87

Cap. 10. libr. de vera & falsa pœnitentia.

QVem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat, repræsentet vitam suam Deo per sacerdotes, præueniat iudicium dei per confessionem. Præcepit enim dominus mundandis vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda esse peccata, nõ per nuncium, non per scriptum manifestandá. dixit enim, ora monstrate: & omnes, non vnus pro omnibus, non alium statuatis nunciũ qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum: sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. ex misericordia enim hoc præcepit dominus, vt neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quòd per seipsum dicit sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, venia fit criminis. fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat operatione: & si non statim purgatur, fit tamen vitale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit qui erubescentiæ dominans nihil eorum quę commiserit nuncio dei denegauit. Deus enim qui misericors & iustus est: sicut conseruat misericordiam in iustitia, ita & iustitiam in misericordia. Opus enim est misericordiæ peccanti peccata dimittere, sed oportet vt iustus misereatur iustè. Oportet enim vt non solum quid, sed in quo doleat consideret, si dignus est non dico iustitia, sed misericordia. Iustitia enĩ sola damnat, sed dignus est misericordia qui spirituali labore petit gratiam. laborat enim mens patiendo erubescentiam. & quoniam verecũdia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. vnde apparet quia quanto pluribus confitetur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius cõsequitur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere. Quibus enim remittunt, remittit dominus. Lazarum enim de monumento iam suscitatum, obtulit dominus discipulis soluendũ, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus. Dixit enim: Quodcunque solueritis super terrá, soluetur & in cælis, hoc est, ego Deus & omnes cælestis militiæ ordines & omnes sancti in gloria mea laudant vobiscum, & confirmant quos ligatis & soluitis. non dixit quos putatis ligare aut soluere,

Lucæ 17. d.

Leuit. 9.

Joann. 11.

aut soluere, sed in quos exercueritis opus iustitiæ aut misericordiæ. alia autem opera vestra in peccatores non cognosco. Quare qui confiteri vult peccata vt inueniat gratiã, quærat sacerdotem scientem ligare & soluere: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo qui eũ misericorditer monet & petit, ne ambo in foueã cadãt, quã stultus euitare noluit. Tanta itaq; vis cõfessionis est, vt si deest sacerdos, cõfiteatur proximo. sæpe enim contingit quòd pœnitẽs nõ potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. & si ille cui confitebitur, potestatẽ soluẽdi nõ habeat, fit tamẽ dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. mundati enim sunt leprosi dũ ibant ostendere ora sacerdotibus, antequã ad eos peruenirent. (Luce 17.e.) Vnde patet deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes peruenire. sæpe quidẽ eos quærunt, sed sani & læti dum quærunt, antequã ad eos perueniant, moriuntur: sed misericordia dei est vbique, qui & iustis nouit parcere: etsi non tam citò sicut si soluerentur à sacerdote. Qui ergo omnino confitetur, & sacerdoti, meliori q̃ potest confiteatur. Si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiã sacerdotis: vt grata sit oblatio muneris. nam in resurrectione filiæ principis pauci interfuerunt qui viderẽt. (Luce. 8 g.) nondum enim sepulta erat: nondum extra portam ciuitatis delata, nondum extra domum in notitiã portata. intus resuscitauit, quam intus inuenit: relictis solis Petro & Ioanne & Iacobo, patre & matre puellæ: in quibus figuraliter continentur sacerdotes ecclesiæ. quos autem extra inuenit, animaduertendum est quomodo suscitauit. (Luce 7. b.) Flebat enim turba post filium viduæ. Fleuit Martha & Maria, pro fratre supplicantes. (Ioan. 11. d) Flebat & turba quæ Mariam fuerat secuta, lachrymis Mariæ admonita. In quo docemur publicè peccantibus non proprium, sed ecclesiæ sufficere meritum. ITEM Leo papa. (Leo 1. epist. 78. epist. 80. 9. pars.)

Sufficit illa confessio, quæ primum deo, deinde sacerdoti offertur. 88

QVanuis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud omnes homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare: remoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis suis sua facta reserare, pro quibus possunt legum percelli constitutione. Sufficit enim illa confessio quæ primùm deo offertur, tunc etiam sacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit. tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

GRATIA. Quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis vtraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris iudicio reseruatur. vtraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.

VNDE Theodorus Cantuariensis archiepiscopus ait in pœnitentiali suo. 89

QVidam deo solummodo confiteri debere peccata dicunt: vt Græci. quidam verò sacerdotibus cõfitenda esse percensent: vt tota ferè sancta ecclesia. quod vtrunque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam, ita duntaxat, vt deo qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, & Psalm.31. hoc perfectorum est, vt cum Dauid dicamus: Delictum meũ cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi Iaco.5.d confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. sed tamen apostoli institutio nobis sequenda est, vt confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem vt saluemur. Confessio itaque quę soli deo fit, quod est iustorum, purgat peccata. Ea verò quę sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus nanque salutis & sanctitatis auctor & largitor plerunque præbet hanc suæ pœnitentiæ medicinam inuisibili administratione, plerũque medicorum operatione.

DISTINCTIO II.

AN CHARITAS HABITA AMITTATVR.

GRATIAN. QVIA verò de pœnitentia semel cœpit haberi sermo, aliquantulum altius repetendum videtur, diuersorum sententias certis auctoritatibus munitas in medium proponentes. Alij dicunt pœnitentiam semel tantum esse vtilem. vnica est enim, nec iterari potest. si verò reiteratur, præcedens pœnitentia non fuit. etsi de sententia iudicis eius meritò peccata videntur esse remissa, apud tamen eius præsentiã cui omnia futura præsentia sunt, nunquam habentur remissa: Ioan.8.b quia non est seruata illa sententia veri sacerdotis: Vade, & am- Ioan.5.c plius noli peccare. Itẽ. Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare: ne deterius aliquid tibi contingat.

ITEM ex octaua synodo.

Primam vitij causam non penitus extinguit, qui in illam postea recidit. 1

SI quis semel notatus fuerit inuidiæ vel cõtentionis vitio, & rursus in hoc ipsum inciderit, sciat se primam causam ex qua inuidia vel cõtentio nascitur, in interioribus medullis habere

bere reconditam. Oportet ergo eũ per contraria atq; diuersa curari, id est, per humilitatis exercitiũ. Exercitia verò humilitatis sunt, si se vilioribus officiis subdat, & ministeriis indignioribus tradat. ita namq; arrogãtiæ & humanę gloriæ vitium euitari vel curari poterit: vt in consuetudinẽ humilitatis affectus vltra iam non incidat in arrogantiæ & vanæ gloriæ delictum, sed in singulis huiusmodi vitiis cura similis adhibeatur.

Item. Sine charitate nullo adulto peccatum remittitur. nõ autem habet charitatem, qui aliquando peccaturus est criminaliter. VNDE August. ad Iulianum comitem. GRATIAN.

Aug. tract. 8. in epist. 1. Ioan. 4. c. Cant. 8. b.

CHaritas quæ deseri potest, nunquam vera fuit.

IDEM super epist. Ioannis. 2

RAdicata est charitas? securus esto, nihil mali procedere potest. ITEM Greg. in moralibus. 3

Gre ca. 22 lib. 10. ad cap. 11. Iob.

VAlida est vt mors dilectio. virtuti etenim mortis, dilectio comparatur: quia nimirum mentem quam semel ceperit, à delectatione mundi funditus occidit.

ITEM Prosper in libro de contemplatiuâ vita. 4

Prosper cap. 13. lib. 3. de vita contemp.

CHaritas est (vt mihi videtur) recta voluntas, & ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta verò deo inseparabiliter, & ignita igne quodam spiritus sancti à quo est, & ad quẽ refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omniũ potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionũ bonarũ, salus morũ, finis cælestiũ prçceptorum: mors criminum, vita virtutum, virtus pugnãtium, palma victorum, anima sanctarum mentium, causa meritorũ bonorum, præmium perfectorum, sine qua nullus deo placuit, cum qua aliquis peccare non potuit, nec poterit: fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quicquid est boni operis viuet. Item. Hæc est charitas vera, germana, perfecta quam excellentiorẽ viam nominat Apostolus sanctus. sicut enim sine via nullus peruenit quo tendit, ita sine charitate quæ dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare. Item. Ergo si charitatem deo exhibeamus & proximo de corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta, facilè peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, seculi blãdimenta contemnimus, & omnia quæ difficilia sunt humanæ fragilitati vel aspera, etiam cũ dilectione perficimus, si tamen deum charitate perfecta, quæ nobis ab illo est, ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus diligamus. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit

1. Cor. 13. e

Prosper cap. 15. eiusdem.

deum: quoniam si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis vnde peccati desideriis seruiamus. Et quid est deum diligere, nisi illi copulari animo, concipere fruendæ visionis eius affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum, quem in se censuit diligendum: in ipso amore reseruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinē constitutum? Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt, aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos non sicut seipsos, aut deum plusquam seipsos fortè non diligunt. Item. Corpus nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis diligendū est, vt saluti eius ac fragilitati naturaliter cōsulamus, & agamus quatenus spiritui ordinatè subiectū, ad æternam salutē accepta immortalitate & incorruptione perueniat. Item. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas vtilitates nostras, non propter speranda beneficia vel accepta, non propter affinitates vel consanguinitates, sed propter hoc tantum quòd naturæ nostræ sunt participes, diligamus. Item. Non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis iungit: sed proximi nostri credēdi sunt omnes homines naturæ nostræ (sicut dixi) participes. Item. Proinde sicut nos proximos nostros diligimus, quando ad mores bonos & æternam vitam consequendam. sicut nobis eorum saluti consulimus, quādo nos in eorū peccatis ac periculis cogitamus. & sicut nobis subueniri optaremus ita ei subuenimus: aut si facultas defuerit, voluntatem subueniendi tenemus. Quapropter charissime tota dilectione satage, vt bonum quod tibi fieri vis, velis & proximo. Illi verò plus quàm se diligunt deum, qui pro eius amore suæ ad tēpus saluti nō parcunt, seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus propriis, patriæ suę extorres fieri, parentibus & vxoribus, ac filiis renunciare parati sunt, & (vt totum dicam) ipsam mortem corporis non solū non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis sui vita magis quàm à deo vita vitæ suæ discedere.

Beda ad ca. pri. 1. Ioan. *Ioan. 1. c.*

ITEM Beda super Ioannem.

QVærendum est interea quomodo speciale filij dei agnoscendi signum fuerit quòd super eū descenderit & manserit spiritus sanctus. quid magni est filio dei, quòd in ipso manere spiritus sanctus asseruatur? Notandum itaque est quòd semper in domino manserit spiritus sanctus: in sanctis autem hominibus quādiu mortale corpus gestauerunt, partim manet in ęternum, partim redditurus secedit. Manet quippe apud eos vt bonis insistāt actibus, voluntariā paupertatē diligāt, māsuetudinem consequantur, pro æterno desiderio lugeant, esuriant

&

& sitiunt iustitiam: misericordiamq́; mundiciá cordis, & tranquillitatem pacis amplectantur: sed & pro obseruatione iustitiæ persecutionem pati non vereantur: eleemosynis, orationibus, ieiunijs, cæterisque fructibus spiritus insistere desiderent. Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos resuscitandi, dæmones eiiciendi, vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper, vt possint habere virtutes, & vt mirabiliter ipsi viuãt. Venit ad tempus, vt etiam aliis per miraculorum signa, quales sint intus effulgeant.

ITEM Apostolus. 6 1.Cor.12.c.

CHaritas nunquam excidit.

ITEM August. super epist. Ioannis. 7

VNctio inuisibilis spiritus sanctus est: vnctio inuisibilis charitas est: quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit. Quæ quamuis ardente sole arescere non potest, nutritur calore solis: non arescit.

ITEM Greg. super Ezechielem. 8 Homil. 3. Ezech. 1. b

PEnnata animalia minimè reuertuntur cùm incedunt: quia prædicatores sancti sic à terrenis actibus ad spiritualia transeunt, vt ad ea quæ reliquerant, vlterius nullatenus reflectantur. Et paulò post. Nemo mittens manum suã in aratrum, &c. Luca 9. g Manum quippe in aratrum mittere, est quasi per quendã compunctionis vomerẽ ad proferendos fructus terram sui corporis aperire. sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur quæ dereliquit: quod quia electis dei minimè contingit, rectè nunc per prophetam dicitur: Nõ Ezech. 1. d. reuertebantur, cùm incederent. & paulò post. Vnde Paulus. Philip. 3. c Vnum verò quæ retro sunt obliuiscens, in ea quæ sunt anteriora me extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis. In anteriora etenim extentus, eorum quæ retro sunt oblitus fuerat: quia temporalia despiciens, quæ sola sunt æterna requirebat. ITEM in eodem, homil. v. 9 Greg. hom. 5. super Ezechielem.

NOn reuertebantur cùm incederent: quia electi quique sic ad bona tendunt, vt ad mala perpetranda nõ redeant. Qui Ezech. 1. c enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. & sicut per Matth. 10. c. Salomonẽ dicitur: Iustorũ semita quasi lux splendẽs procedit Prouerb. 4. c & crescit vsq; ad perfectum diẽ. In eorum nanque animo bonum desiderium atq; intellectus lucis intimæ iã pars diei est: sed quia vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectũ diem tunc veniunt; quando ad cælestia regna perducti, in ea luce quam desiderant iam minus aliquid non habebunt.

IDEM in eodem, homil. v. 10 Greg. ibidem.

POtest discursus atq; mobilitas spiritus sic intelligi. in sanctorum quippe cordibus iuxta quasdã virtutes semper manet, iuxta quasdam verò recessurus venit, & venturus recedit.

In fide enim, spe atque charitate & aliis bonis sine quibus ad cælestē patriā non potest perueniri, sicuti est humilitas, castitas, iustitia, atq; misericordia: perfectorum corda non deserit. In prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundia, miraculorū exhibitione electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. Et paulò post. In his itaque virtutibus sine quibus ad vitam minimè peruenitur: spiritus sanctus in electorum suorū cordibus permanet: vnde rectè stabilis dicitur.

GRATIAN. In his verò per quas sanctitatis virtus ostenditur, aliquādo misericorditer præstò est, aliquando misericorditer recedit.

Ad cap. 6. 2. ad Corinth. in commentar.

VNDE Ambr. super epist. ij. ad Corinthios. 11

Electa charitas est quæ deserit in aduersitate. Ex præmissis itaque apparet quòd charitas semel habita vlterius non amittitur.

2. pars.

Qui enim charitatem semel habuerit: criminaliter vlterius peccare non poterit: vt ad gratiam non ad naturam impossibilitas referatur. Quòd autem charitatem habens criminaliter peccare non possit, testatur Augustinus in homilia octaua dicens: 12

Tract. 8. 1. Ioā.

1. Tim. 6. b.

Quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas: & simul ambæ esse nō possunt: nisi vna penitus euulsa fuerit, alia plātari nō potest: sine causa conatur aliquis incidere ramos, si radicem non contendit euellere.

GRATIAN. Cùm ergo qui criminaliter peccat, charitatem nunquam habuisse probatur, euidenter colligitur pœnitentiā non agere, qui quandoque criminaliter peccauit.

VNDE Augustinus. 13

Ioan. 4. b.

Charitas est aqua, de qua dominus ait in euāgelio: Qui biberit aquam quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

GRATIAN. Reprobus autem cum æternis sit mancipatus incendiis, in æternum sitiet. quomodo bibet aquam viuam, aut quomodo potabit aquā salientē in vitam æternam, qui quasi plumbeus demersus in ima pœnas luit damnationis æternæ? Item: Sine charitate quomodo quis veram cordis cōtritionem habere poterit? quomodo ergo delictorū remissionem? quæ si non sunt dimissa, quomodo non omnia prorsus ad pœnā exigenda sunt? Item dominus. Amē amen dico vobis, qui credit in me, habet vitā æternam. qui ergo non habet vitam æternam, in Christum non credit. In Christum verò credit qui charitatem habet. In Christū quippe credere, est amando in ipsum tendere. Hæc est fides (vt definit Apost.) quæ per dilectionem operatur. huic duntaxat remissio delictorū promittitur. quòd si charitas à fide Christianorū seiungi nequit, cui scilicet soli venia promittitur, quomodo qui charitatem nō habuerit, fidē Christianorum habuit, id est, in Christum credidit? quomodo ergo

Ioan. 6. e. *Gal. 5. b*

ergo veniā delictorum accepit? quā si nō accepit, quomodo
non omnia prorsus opera æternis sunt ferienda suppliciis? Itē
dominus. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis Ioan. 6. d.
māducauerit ex hoc pane, viuet in æternū. Qui ergo nō viuit
in æternū, non manducauit panē viuum. sed qui nō manduca-
uerit, in eum non credidit. Hoc est enim manducare panē vi-
uum, quod credere in Christum. i. amando tendere in ipsum.
Cùm ergo reprobus in eum non credit quē non manducauit,
& ita fidem Christianorū (qua sola peccata relaxantur) nō ha-
buit: quomodo si viuit domin⁹, cui omne iudiciū dedit pater,
iudicium perpetuæ dānationis effugiet omnium non solum
actualium, sed etiā originalium? Hæc quæ de charitate dicun- 3. pars.
tur, de perfecta intelligi possunt, quæ semel habita nunquam
amittitur. Exordia verò charitatis enutriuntur vt crescant, &
cōculcantur vt deficiant. Nemo enim repente fit summus, sed
in bona conuersatione quæ sine charitate nulla est, à minimis
quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Sunt itaq; gradus, nō
solum inter virtutem & virtutem, sed & in eadem virtute.

VNDE Greg. super Ezech. scribit dicens. 14 Homil. 15.

CVm sanctam ecclesiam dominus suscipit, in gradibus eius
dinoscitur: quia eius gloria per illius incrementa declara-
tur. quantum enim sancta ecclesia ascendēdo proficit, tantum
deus hominibus ex eius virtute innotescit. De his quoq; gra-
dibus B. Iob loquitur dicens: Per singulos gradus meos pro- Iob 31. d
nunciabo illum omnipotentem, quippe dominum. Per singu Psal. 47.
los gradus suos pronunciat, qui per incrementa virtutum quæ Psal. 83.
accipit, ei semper laudē suæ pietatis reddit. Si quidem gradus
in cordis ascensione non essent, Psalmista nō diceret: Ambu-
labunt de virtute in virtutem. Nec mirum si de virtute in vir-
tutem gradus sunt, quando ipsa vnaquæque virtus quasi qui-
busdam gradibus augetur, & sic per incremēta meritorum ad
summa perducitur. Alia nāque sunt exordia virtutis, aliud vir-
tutis profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfe- Luc. 17. b
ctionē suam non quibusdā gradibus duceretur, sancti apostoli Mat. 9. a
minimè dixissent: Auge nobis fidē. & quidam venit ad domi-
num qui curari filiū suū voluit: sed requisitus an crederet, res-
pondit: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Pensate
rogo quod dicitur. si credebat, cur incredulitatē dicebat? si ve-
rò incredulitatem se habere nouerat: quomodo credebat? Sed
quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum
gradibus fides crescit, vno eodemq; tempore is qui nondum
perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat. Hos
nimirū gradus dominus sub messis nomine describit dicens: Mat. 4. a
Sic est regnū dei quēadmodū si iactet homo semē in terrā, &
dormiat, & exurgat nocte ac die, & semē germinet, & crescat

dum neſcit ille. Vltro enim terra fructificat primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica: & cùm ex ſe produxerit fructum, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt tempus meſſis. Semen homo iactat in terram, cum cordi ſuo bonam intentionem inſerit, & poſtquam ſemen iactatum eſt, dormit: quia iam in ſpe boni operis quieſcit. nocte verò ſurgit ac die: quia inter aduerſa & proſpera proficit: & ſemen germinat & creſcit, dum neſcit ille: quia cum adhuc metiri incrementa ſua non valet, ſemel concepta virtus ad profectum ducitur, & vltro terra fructificat: quia præueniente ſe gratia mẽs hominis ſpontanea ad fructum boni operis ſurgit. ſed hęc eadem terra primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum producit in ſpica. Herbam quippe producere, eſt inchoationis bonę adhuc teneritudinem habere: ad ſpicá verò herba venit, cùm ſe virtus animo concepta ad profectum boni operis protrahit. Plenum verò frumentum in ſpica fructificat: quãdo iam tantum virtus proficit, vt eſſe robuſti & perfecti operis poſſit. ſed cùm ex ſe produxerit fructus: ſtatim mittit falcem: quoniam adeſt tempus meſſis. Omnipotens enim deus producto fructu falcem mittit, & meſſem ſuam deſecat: quia cùm vnumquemque ad perfecta opera produxerit, eius temporalem vitam per emiſſam ſententiam incidit, vt granũ ſuum ad cæleſtia horrea perducat. Cùm igitur deſideria bona concipimus, ſemen in terram mittimus. Cùm verò operari recta incipimus, herba ſumus. Cùm autem ad profectũ boni operis creſcimus, ad ſpicam peruenimus. Cumq́ue in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iam plenũ fructum in ſpica proferimus. Herba etenim Petrus fuerat, qui paſſionis tempore per amorẽ dominum ſequens, hunc deum confiteri ante ancillæ vocem timebat. erat enim iam viriditas in mente: quia credebat dominum omnium redemptorem: ſed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Iam in ſpica ſurrexerat, quando eum quem moriturum confiteri timuerat, nunciante angelo in Galilea viuentem videbat. Sed ad plenum granum in ſpica peruenerat, quando de ſuperueniente ſpiritu, & ſuam mentem illius amore roborante ita ſolidatus eſt, vt vires perſequentium cęſus deſpiceret, & redemptorem ſuum liberè in-
Act. 5. g. ter flagella prædicaret. Nullus itaq; qui per propoſitum bonũ adhuc in mentis teneritate eſſe conſpicitur, deſpiciatur: quia frumentum dei ab herba incipit, vt granũ fiat. Vir ergo venit ad portam: quia dominus ac redẽptor noſter membris ſuis intrantibus perducit ad ſe, & aſcendit per gradus eius: quia nobis proficiẽtibus eo amplius nobis exaltatur, quo altius & incomprehẽſibilius eſſe cognoſcitur. In virtutũ quippe noſtrarum gradibus ipſe aſcendere dicitur, quia eo tanto ipſe nobis ſublimior

Sublimior ostēditur, quanto noster animus à rebus infimis separatur. Hinc Aug. ait in libro de gratia & libero arbitrio. 15 *Cap. 17.*

QVi vult facere dei mandata, & non potest, iam quidem habet bonam voluntatem, sed adhuc paruam & inualidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. quando enim martyres illa magna fecerunt mandata, magna vtique voluntate, id est magna charitate fecerunt: de qua ait dominus: Maiorem charitatē nemo &c. & paulò post: Ipsam charitatem apostolus Petrus nondū habebat quando timore ter dominū negauit, & tamen quamuis parua & imperfecta, non deerat ei charitas quando dicebat: Domine animam meam ponam pro te. Idem super epistolam Ioannis Si quis tantam habuerit charitatem, vt paratus sit etiam pro fratribus mori, perfecta est illa charitas. sed nunquid mox vt nascitur, iā prorsus perfecta est? vt perficiatur, nascitur: cùm fuerit nata, nutritur. cùm fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur: cùm ad perfectū venerit, quid dicis. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. In eadem. 16

Ioan. 15. b. *Math. 26. g.* *Ioan. 13. d.* *Tract. 5. in 1. Ioannis.* *1. Ioan. 4. b.* *Philip. 1. c.* *Tract. 9. in eandem.*

SIcut seta introducit filum, ita timor introducit charitatem. crescit charitas, minuitur timor, & econuerso. In eadē. 17

Tract. 5. in eandem.

FOrtè nata est in te charitas, sed nondū perfecta, noli desperare, nutri eam, ne fortè suffocetur. Idem ad Hieronymū.

CHaritas in quibusdam est perfecta, in quibusdam est imperfecta: perfectissima autem in hac vita haberi non potest. IDEM Gregorius. 18

SI sermo meus inuenerit aliquam in cordibus vestris scintillam gratuiti amoris dei, ipsam nutrite, & ad hanc augēdā vos auocare studete. Et paulò post: Flete, nutrite in vobis, vt cū creuerit, & flammam dignissimā fecerit omnium cupiditatum ligna consumat. Econtrario etiam gradus in virtute esse probantur: quia & ipsius peccati gradus euidēter apparent. sicut enim nemo repēte fit summus, ita nemo repentè fit turpis.

Hinc etiam August. ait in sermone habito in monte. 19 *Lib. 1. de sermo. dom. in monte.*

SIcut tribus gradibus ad peccatum peruenitur, suggestione, delectatione, consensione: ita ipsius peccati tres sunt differētiæ, & in corde, & in facto, & in cōsuetudine: tanquā tres mortes, vna quasi in domo id est, cùm in corde cōsentitur libidini. altera verò quasi iam prolata extra portā, cùm in factum procedit assensio. tertia cùm vi consuetudinis malæ tanquā mole terrena premitur animus quasi in sepulchro iam putrens: quæ tria genera mortuorum dominum resuscitasse quisquis legit euangelium agnoscit. ITEM Gregorius. 20

Math. 9. c. *Luc. 7. b.* *Ioan. 11. f.* *Cap. 16. lib. 25 expositionis in Iob.*

SCiendum quippe est quòd tribus modis admittitur peccatum. nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, & grauius quidem infirmitate quàm ignorātia, sed mul

Greg. cap. 3. lib. 21. in Iob.

to grauius studio quàm infirmitate peccatur. IDEM. 21

INter hæc sciendum est aliud esse quod animus de tẽtationibus carnis patitur, aliud verò cùm per cõsensum delectationis obligatur, plerũq; cogitatione praua pulsatur, sed remittitur. plerunq; autẽ peruersum quod concipitur, intra semetipsum etiam iam per desiderium voluit. & nimirum mentem nequaquã cogitatio immunda inquinat cùm pulsat, sed cùm hanc sibi per delectationẽ subiugat. Hinc etenim prædicator egregius: Tẽtatio vos nos apprehẽdat, nisi humana. Humana quippe tẽtatio est, qua plerũq; in turpi cogitatione tangimur etiam nolentes: quia vt nonnunquã illicita ad animũ veniãt, hoc vtiq; in nosmetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus, iam verò dæmoniaca est & nõ humana tentatio, cùm ad hoc quod corruptibilitas carnis suggerit per consensum se animus adstringit. ITEM Hieronymus. 22

1. Cor 10. c.

Ad cap. 1. Amos in comm.

SVper tribus sceleribus Damasci &c. vt suprà. Non est mirum si in virtute gradus esse dicuntur: quandoquidẽ & peccati gradus ita euidenter mõstrantur. Hæc itaque charitas quę in Petro ante negationem herba fuit, & in singulis nascitur antequam roboretur, ante sui perfectionem amittitur & reparatur. Vnde Augustinus in libro de correctione & gratia.

Aug. cap. 7.

Quicunq; ab illa originali damnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubiũ quin procuretur eis euangelium cùm audiunt & credunt, & in fide quę per dilectionẽ operatur vsq; in finem vitæ perseuerant, & si quando exorbitent, correcti emendantur: & quidam eorũ etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt.

Aug in eodem lib. & cap. 7.

ITEM in eodem. 23

FIrmum dei fundamentũ stat immobile, habẽs signaculum hoc, Scit dominus qui sunt eius. Horũ fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum vita deficit, reparantur antequã vita finiatur ista: & deleta iniquitate quæ intercurrerat, vsq; ad finem perseuerantiæ deputantur. In eodem. 24

Cap. 9. eiusdẽ.

NVllus eorum ex bono in malum commutatus finit hanc vitam. In eodem. 25

In eodẽ. cap. p. 9

TAlibus deum diligentibus, omnia cooperãtur in bonum. vsque adeo prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum faciet eis proficere in bonum.

Galat. 5. b.

ITEM Apostolus ad Galatas. 26

CIrcuncisio non est aliquid neque præputiũ, sed fides quæ operãtur per dilectionẽ. & hoc olim in vobis: quia currebatis bene, per opera fidei ex dilectione. Item ad Hebręos. 27

Hebr 6.

NOn est tam iniustus deus, vt obliuiscatur operis vestri &c. operis quo omnia sua fecerant communia: & hoc ex dilectione,

ctione, & hoc ad gloriam Dei. GRATIAN.

Ecce triplex bonum, quasi diceret olim multa operati estis pro quibus, si pœniteatis de malis, benefaciet vobis Deus. Romanos quoq; & Galatas dū Apostolus redargueret, merito fidei probat assecutos remissionē peccatorū, & satisfactionē in spiritu sancto, & iustitiā bonæ operationis: quæ omnia aut sine charitate nunquā verè fuerunt in eis, aut verā charitatem habuerunt, à qua postea lapsi sunt qui de operibus legis gloriabantur. ITEM de quolibet adulto Augustinus ait. 28

TOlle charitatem, odium tenet. Item. Omnis qui non diligit, odit. Item in euangelio. Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, alterumq; contemnet.

1. Ioan. 3. b.
Luc. 16. c.
Matth. 6. c
Gene. 2. b.

GRATIAN.

ADAM verò cùm in virili ætate à Domino creatus sit, antequam à diabolo tentaretur, & cùm de latere eius vxor formaretur, dum in extasi raptus angelicæ curiæ intererat, dum euigilans futura Christi & ecclesiæ sacramenta vaticinabatur, aut charitatem, aut odium habebat. Si autem odium habebat, non fuit diabolus auctor nostri peccati. Item. Si sine charitate à deo creatus est, eius similitudinem in creatione sui nequaquā accepit. Item. Si sine charitate creatus est, iustus & innocens à Deo factus non est. Creatura nanque rationis capax & liberi arbitrij, iustitiæ & innocentię sine charitate particeps esse non potest. Colligitur ergo quòd Adā antequam peccaret charitatem habuit, sine qua iustus & innocens esse non potuit. VNDE August. in Genesi ad literam. 29

QVomodo renouari dicimur, si non recipimus quod perdidit primus homo? Hoc planè recipimus: quia iustitiam, ex qua in peccatum lapsus est. Et paulò post: Expoliantes veterem hominem, induite nouum: qui renouatur in cognitione fidei secundum imaginem eius qui creauit eum. hāc enim imaginē in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum: Et post pauca. Stola prima illa ipsa iustitia est, vnde lapsus est Adam. ITEM in homilia vndecima. 30

Coloss. 3.
Luc. 15. c.

PRinceps vitiorum omnium dum vidit Adam ex limo terrę ad imaginem dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate splendidum: primos parentes illis donis, ac tantis bonis expoliauit pariter ac peremit. Nanq; cùm homini abstulisset pudicitiam & continentiam, dominio suo eum subiugauit. Et paulò post: Adā amissa temperātia factus est intemperans, perdita charitate malus inuentus est.

August. in concione ad catechumenos.

ITEM Ambrosius ad Sabinum. 31

Epist. 41. lib. 6.

QVando Adam solus erat, non est præuaricatus: quia mens eius adhærebat deo.

ITEM ad eundem. 32

Epist. 42. Amb.

Pri-

PRimus homo recēs dei opus erat cōfabulator aſsiduus, qui ſanctorum angelorum complantatus erat virtutibus.

Amb. c. 7. lib. 6 Hexa. IDEM in Hexaemeron. 33

ILla anima à Deo compingitur, quæ habet in ſe virtutū gratiam renitentē, ſplendoremq́; pietatis. Illa anima bene picta eſt, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta eſt, in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternę imago ſubſtantiæ. ſecundum hāc imaginē quæ refulget pictura precioſa eſt. ſecundum hanc imaginē ante peccatum depictus fuit Adam: ſed vbi lapſus eſt, depoſuit.

Amb. cap. 4. IDEM de fuga ſeculi. 34

SImilem Deo eſſe, eſt habere iuſtitiam, ſapientiam, & in virtute dei eſſe perfectum.

Amb. cap. 5. lib. 2. de Iacob & vita beata. IDEM de vita beata. 35

SApiens nunquam inanis eſt, ſed ſemper habens in ſe amictum prudentiæ, qui poteſt dicere: Iuſtitiam induebam, veſtiebam iudicium. Mentis namque hęc ſunt interna velamina, quæ nemo alius poteſt auferre, niſi cùm aliquem culpa ſua deſpoliat. Denique ſic ſpoliatus Adam nudus inuentus eſt.

Amb. cap. 5. IDEM in libro de Iſaac & anima. 36

SEd nec Adam primus homo nudus erat, quem innocentia veſtiebat.

Amb cap. 13. Gene. 3. b. IDEM in libro de paradiſo. 37

VT cognouerunt quia nudi eſſent. Et antè quidem nudi erant, ſed non ſine virtutum tegumento.

GRATIA. Opponitur etiam illud quod omnis clamat auctoritas: Si ſic permanſiſſet vt erat ante peccatum, eſſet tranſlatus in gloriam quam habituri ſunt ſancti. Sed nemo adultus ſine charitate intrat: charitatem ergo habebat. Item opponitur de Moyſe, cuius fidem apoſtolus in epiſtola ſua ad Hebræos commendans, dignis præconijs eius merita prædicauit, dum ſe negauit eſſe filium filiæ Pharaonis, mallens affligi cum fratribus, quàm perfrui iucunditate temporalis palatij, dum fratri compatiens, Aegyptium ſabulo obruit: dum veritus animoſitatem regis, Aegyptum reliquit: dum diuino vallatus auxilio, regis furorem contempſit, atque in virtute ſignorum populum de Aegypto eduxit. quæ omnia quibus laudibus ſunt efferenda, ſi tunc charitas in eo non erat, cùm non habeat aliquid viriditatis in ſe ramus boni operis, niſi procedat ex radice charitatis? Quomodo autē charitatem non habebat, cui dominus facie ad faciē loquebatur ſicut homo ſolet loqui cū amico ſuo? Quomodo charitatem non habebat qui pro populo ſupplicans dicebat: Aut dimitte eis noxam hanc, aut me dele de libro tuo? An non proximum diligebat qui pro populo ſe obijciens, illum ab interitu liberauit? An non diligebat deum qui pro eo in vituli cultores deſæuiens, ipſius vituli caput in puluerem comminuit: atque vt in ſeceſſum proijceretur, aqua mixtum Iſraëlitis bibendum dedit: nōnullos ex eius culto-

Hebr. 11. e. Exod 2. b. Exod 33. b. Exod. 32. g. Num. 16 g. Exod. 33. c.

culroribus gladio feriri præcipiens, vt populus cuius erat interitus maior futurus, recōciliaretur Deo? An non charitatem habebat, de cuius spiritu dominus accepit: & super septuaginta seniores Israël præposuit? (Num. 11. d.) qui tamen ad aquas cōtradictionis de dei potentia siue de eius benignitate dubitans, cùm cætera certa fide promisisset, producturus aquam de petra, diffidenter excrepuit dicens: Nunquid de petra hac potero vobis educere aquam? (Num. 20. b.) quod nulli leue videatur: cùm in pœnam delicti eius sibi & Aaron à domino dictum sit: Quia non exaudistis vocem meam vt glorificaretis me coram filijs Israël: non introducetis populum hunc in terram quā dedi eis. An charitatem non habebat Aaron quando fratri coadiutor datus est: vt esset os eius ad populum, vt per eum signa fierent in Aegypto? (Exo. 4. d.) qui tamē in cultura vituli postea consensum populo adhibuit. An charitatem non habebat quando ex omni multitudine filiorum Israël solus à domino electus est, vt pontificatu ante eum fungeretur? (Num. 25.) Si charitatē non habebat, bonus non erat. si autem bonus non erat, cur præ cæteris à domino in pontificē electus est? (Num. 16. c.) An charitatē nō habebat, quando pro populo cum thuribulo incēdio se opposuit, & iram dei placuit, & tamē (vt præmissum est) ad aquas contradictionis iram domini aduersum se postea prouocauit. Nunquid etiā Dauid charitatē non habuit, super quem spiritus domini à die vnctionis directus est? (1. Reg. 16. c.) An forte diceretur directus esse super eum, vt extunc gratiam prophetandi haberet, nō vt ex eo gratiā diuinæ dilectionis acciperet? quod absurdū planè videtur de eo sentire, de quo dominus ait: Inueni hominē secundū cor meum. (Actu. 13. d.) Quomodo etiam charitatē non habebat, qui quærenti animam suā pepercit: qui oram chlamydis suæ præcidit postea cor suū grauiter percussit clamans. Quem persequeris rex Israël? canem mortuum, & culicē vnū? (1. Reg. 24. c.) Quomodo charitatē nō habebat, cui mortem inimici sui tam grauissimè tulit? (2. Reg. 1. c.) Quomodo charitatem non habebat qui aquam de cisterna Bethleem suorum periculo sibi oblatā non bibit, sed corā domino libauit. (2. Reg. 1. c.) (2. Reg. 23. c.) Quomodo charitatē non habebat qui irrisus à Michol filia Saul eo quòd ante arcam domini citharā & psalterium percutiens saltasset, ait: Ludam, & vilior fiā in oculis meis. (2. Reg. 6. d.) Si charitatem nō habebat: qua cōscientia secutus imprecabatur sibiipsi dicēs: Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidā merito ab inimicis meis inanis? (Psalm. 7.) Si charitatem non habebat, qua temeritate iudicari rogabat dicens: Iudica me deus secundum iustitiam meam, & secundum innocētiam meam super me. Idem. Iudica me domine: quoniā ego in innocētia mea ingressus sum, & tamen post tot innumerabilia diuinæ & supernæ dilectionis iudicia (Psalm. 35.) q̄ grauiter deliquerit, nullus ignorat: qui Bethsabeæ adulteriū, (2. Reg. 11.)

&

& Vriæ homicidium admisit: cuius pœnitentiã si sine charitate domino obtulit: veram cordis contritionẽ non habebat. Quomodo ergo sacrificiũ cordis contriti & spiritus domino promittere audebat dicens: Si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis nõ delectaberis. Sacrificium Deo spiritus

Psalm. 50. cõtribula. &c. Deniq; cum falsæ pœnitentiæ nulla à deo pro-

2. Reg. 12. mittatur remissio: quomodo à propheta audire meruit: Dimissum est tibi peccatum tuũ: si veram cordis contritionem non habuit? Euidenter itaque apparet eum tunc charitatẽ habuisse, & ex charitate sacrificium cordis cõtriti & spiritus contribu-

Psalm. 50. lati domino obtulisse. alioquin temerariè postulasset: Auerte faciẽ tuam à peccatis meis, & c. quę in eodem psalmo continẽtur: nisi odium mali, & dilectio boni, ad humilitatẽ pœnitẽtiæ

Amb. cap. 3. lib. de Isaac & anima. illum prouocasset: de quo etiã sanctus Ambrosius in libro de Abraham & Isaac scribit dicens.

Fugerat sanctus Dauid odia Saul regis, non relinquẽs terras, sed declinãs contagia regis immitis & superbi: quia mens eius adhærebat deo: cui sine charitate nullus adultus adhærere

2. Reg. 34. 4. 1. Par. 12. 4 potest: & tamen quàm grauiter in populi dinumeratione postea deliquerit, ipsius delicti pœna indicauit.

Item secundum hanc sententiã qui criminaliter deliquerit: veram peccatorum remissionem in baptismo consecutus non est siue in annis infantię, siue adultus ad baptismũ accessit: quia dei amorem non habuit, sine quo nemo vnquã inuenit gratiam: atque ita secundum hæresim Iouiniani si verè ex aqua & spiritu sancto quis renatus fuerit, vlterius criminaliter peccare non potest: vel si criminaliter peccat, aqua tantum non spiritu probatur esse renatus. cuius sententiæ illud epistolæ Ioannis

1. Ioan. 3. b. consentire videtur: Omnis qui natus est ex deo, peccatũ non facit: quoniã semen ipsius manet in eo: & non potest peccare, quia ex deo nat⁹ est. in hoc enim manifesti sunt filij dei, & filij

Ibidem. diaboli. Et in fine epistolæ: Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio dei conseruat eum: & malignus non tanget eum. Verum hæc auctoritas apostoli quantum illi sententiæ faueat, atquæ illa secta erroris quãtum veritati sit aduersa,

Hier. lib. 2. in principio. Hiero. ostendit scribens contra Iouinianum. 38

SI enim (inquit) omnis qui natus est ex deo, non peccat, & à diabolo tentari non potest: quomodo præcepit vt caueant

1. Ioan. 5. d. ne tententur, dicens: Filioli mei custodite vos à simulacris: &

1. Ioan. 1. d. in eadem rursus epistola: Si diximus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est deus & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. si autem dixerimus quia non peccauimus: mendacẽ facimus eum, & verbum eius in nobis nõ est. Existimo quòd beatus Ioãnes bapti-

baptizatus ad baptizatos ſcripſerit: & quòd omne peccatū ex
diabolo ſit. Ille peccatorem ſe confitetur, & ſperat remiſſionē
poſt baptiſma peccatorum. Et Iouinianus meus dicit: Ne tan-
gas me, quoniā mundus ſum. Quid igitur? contraria ſibi apo-
ſtolus loquitur? minimè, in eodē quippe loco cur hoc dixerit,
ſtatim ediſſerit: Filioli mei, hæc ſcribo vobis vt non peccetis. 1. Ioan. 2. a.
ſed ſi quis peccauerit aduocatum habemus apud patrē Ieſum
Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt pro peccatis noſtris propitiatio:
nō pro noſtris autē tantùm, ſed etiā pro totius mūdi. Et in hoc
ſcimus quia cognouimus eū, ſi mādata eius obſeruauerimus.
Qui dicit ſe deum noſſe, & mandata eius non cuſtodit: men-
dax eſt: & in eo veritas non eſt. qui autem ſeruat verbum eius:
vere in hoc perfecta dei charitas eſt. In hoc ſcimus: quoniam
in ipſo ſumus, qui dicit in ipſo ſe manere, debet ſicut ipſe am-
bulauit, & ipſe ambulare. propterea inquit: Scribo vobis filioli
mei: omnis qui natus eſt ex deo, non peccat. ideo dico vobis
vt non peccetis: & tamdiu ſciatis vos in generatione domini
permanere, quandiu nō peccaueritis: imo qui in generatione
domini perſeuerant, peccare non poſſunt. quæ enim cōmuni-
catio eſt lucis ad tenebras? Chriſti ad Belial? quoniā ſicut dies
& nox miſceri nequeunt, ſic iuſtitia & iniquitas, peccatū & bo
na opera, Chriſtus & Antichriſtus. Si ſuſceperimus Chriſtum
in hoſpitio pectoris noſtri, illico fugamus diabolū. ſi peccaue-
rimus, & per peccati ianuā ingreſſus fuerit diabolus, protinus
Chriſtus recedit. Vnde Dauid poſt peccatū: Redde mihi (ait)
lætitiam ſalutaris tui. ſcilicet quam peccādo amiſerat. Qui di-
cit ſe deum noſſe, & mandata eius non cuſtodit: mēdax eſt, &
in eo veritas non eſt. Chriſtus veritas appellatur, imo eſt. Ego 1. Ioan. 2. a.
ſum (inquit) via veritas & vita. Fruſtra in eo nobis applaudi-
mus, cuius mandata nō facimus. Scienti bonum & nō faciēti
illud, peccatū eſt illi. Quomodo enim corpus ſine ſpiritu mor Ioan. 14. a.
tuum eſt, ſic & fides ſine operibus mortua eſt. Nec grande pu- Iaco. 4. d.
temus vnū deum noſſe, cū & dæmones credant, & contremiſ- Iaco. 2. d.
cant. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut & ipſe ambula-
uit, & ipſe ambulare. Eligat aduerſarius è duobus quod vult, 1. Ioan 2. a.
optionē damus: manet in Chriſto, an non manet? ſi manet, ita 4 pars.
ergo ambulet vt Chriſtus. ſin autem, temerariū eſt ſimilitudi-
nem virtutū domini polliceri. Nō manet in Chriſto: quia non
ingreditur vt Chriſtus. ille peccatū non fecit, nec inuentus eſt 1. Pet. 2. d.
dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledixit: & tan-
quā agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuū: ad quem
venit princeps mundi huius & inuenit nihil in eo. qui cùm pec
catum non feciſſet, pro nobis ipſum peccatum ſe fecit deus, id
pœnam peccati pertulit. nos autē iuxta epiſtolam Iacobi, mul- 2. Cor. 5.
ta peccamus omnes: & nemo mundus à peccatis nec infans ſi Iaco. 5. a.
vnius

Iaco.3.a. Pro 20.b. Psalm.50. Iob.9.

vnius quidem diei fuerit vita eius. Quis enim gloriabitur castum se habere cor. aut quis cõfidet se mundũ esse à peccatis? tenemurq́; rei in similitudiné prævaricationis Adæ. Vnde & Dauid: Ecce enim (ait) in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Et beatus Iob: Si fuero iustus, os meũ impia loquetur: & si sine crimine, prauus inueniar: & si purificatus in niue, & lotus mundis manibus, satis me sorde tinxisti, & execratum est vestimentum meum. Veruntamẽ ne penitus desperemus arbitrantes nos post peccata baptismi nõ posse saluari, statim hoc ipsum temperat: Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustũ, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autẽ pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. hoc ad credẽtes post baptisma loquitur, & aduocatum pro delictis eorum dominum pollicetur: nec dicit, si peccaueritis, aduocatum habetis apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis vestris: ne eos diceres nõ plena fide baptisma consecutos: sed aduocatum, inquit habemus apud patrẽ dominũ nostrũ Iesum Christũ, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ solũ pro nostris, aliorumq́; peccatis, sed etiam pro totius mundi. In toto autẽ mundo & apostoli sunt omnesq́; credentes. ex quibus liquido cõprobatur post baptisma posse peccari. Frustra enim aduocatum habemus apud patrẽ Iesum Christũ, si peccari nõ potest. Petrus apostolus ad quẽ dictum fuerat: Qui lotus est, non est nece^sse vt iterum lauet: & tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meam: ab ancilla perterritus negat. Et ipse dominus: Simõ, ecce (inquit) Satanas postulauit vos vt cribraret quasi triticũ, ego autẽ rogaui pro te, ne deficeret fides tua. & infra. Si non peccamus post baptisma, cur nobis poscimus vt peccata dimittat, quæ in baptismate iam sunt dimissa? Aliud est autẽ: si ad catechumenos hæc oratio pertinet: Dimitte nobis debita nostra. &c. non conuenit fidelibus & Christianis: Paulus vas electionis castigat corpus suũ, & in seruitutem redigit: ne aliis prędicãs ipse reprobus inueniatur. Ad Hebręos quoq; scribẽs ait: Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, & gustauerũt donũ cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerũt nihilominus verbum dei bonũ, virtutesq́; seculi futuri, & prolapsi sunt: renouari iterũ ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimet ipsis filiũ dei, & ostẽtui habentes. Certe eos qui illuminati sunt, & gustauerunt donũ cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, & gustauerũt bonum verbũ dei: negare nõ possumus baptizatos. Si autẽ baptizati peccare nõ possunt: quo modo nũc dicit apostol⁹, & prolapsi sunt? Verùm ne Mõtanus & Nouatianus, hinc rideãt, qui contendunt non posse renouari per pœnitentiam eos qui crucifixe-

1.Ioan.2.a. Ibidem. Ioan 13. Matth.16.c. Luc.22.a. Matth.6.b. 1.Cor 9.d. ad Heb.6 a.

cifixerunt sibimetipsis filium Dei, & ostentui habuerunt, con- *Ibidem.*
sequenter hunc errorē soluit, & ait: Confidimus aūt de vobis
dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur
non enim iniustus est dominus, vt obliuiscatur operis vestri &
dilectionis quam ostēdistis in nomine ipsius, qui ministrastis
sanctis suis, & nunc ministratis. Et reuera grādis iniustitia dei
esset, si tantum peccata puniret, & bona opera non susciperet.
Locutus sum (inquit apostolus) ita, vt vos à peccatis retrahe-
rem, & desperationis metu facerem cautiores. Cæterùm con-
fido de vobis charissimi meliora, & viciniora saluti. neq; enim
iustitiæ dei est, vt obliuiscatur bonorum operum, & ministe-
rij quod propter nomen eius exhibuistis & exhibetis in san-
ctos, & tantum meminerit peccatorum. Et paulopost. Liberi
arbitrij nos condidit deus: nec ad virtutes nec ad vitia neces-
sitate trahimur: alioquin vbi necessitas est, nec damnatio nec
corona est. Sicut in bonis operibus perfectior est deus (non
est enim volentis neque currentis, sed dei miserentis & adiu-
uantis, vt peruenire valeamus ad calcem) sic in malis atq; pec- *Rom. 9. c*
catis semina nostra sunt incentiua & perfectio diaboli. Cum
viderit nos super fundamentum Christi ædificasse fœnum,
ligna, stipulam, tunc supponit incendium. Aedificemus ergo *1. cor. 3. c*
aurum & argentum, lapides preciosos, & tētare non audebit *Psalm. 9.*
quenquam, sed in hoc non sit secura & certa possessio. Sedet *Eccle. 28. a.*
quippe leo in insidiis in occultis, vt interficiat innocentem: &
vasa figuli probat fornax: homines autem iustos tentatio tri-
bulationis. & in alio loco scribitur: Fili accedēs ad seruitutem *Iaco. 1. d*
dei, præpara te ad tentationem. Rursus idem Iacobus ait:
Estote factores verbi, & non auditores tantum. Si quis est au-
ditor verbi, & non factor, iste similis est viro qui considerat
vultum natiuitatis suæ in speculo. cSsiderauit illum, & rece-
dens statim oblitus est qualis fuit. Frustra monuit vt iūgeren-
tur opera fidei, si post baptisma peccare non poterant. Qui *Iac. 2. b*
totam (inquit) legem seruauerit, & peccauerit in vno: factus *Ioan. 8. a*
est reus omnium. Quis vestrum sine peccato est? Conclusit *2. Pet. 2. b*
deus omnia sub delicto: vt omnibus misereatur. Petrus quo- *Ibidem.*
que inquit, Nouit Deus pios de tentatione eripere. & de falsis
doctoribus. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus
exagitatæ, quibus caligo tenebrarū reseruatur. Superbia enim
vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos
qui paululum effugerant, & ad errores reuersi sunt. Nónne *2. Pet. 2. b*
tibi videtur pinxisse sermo apostolicus nouam imperitiæ fa-
ctionem? Aperiūt enim quasi fontes scientiæ, quia cū aquam
non habeant doctrinarum, promittunt imbrem velut nubes
propheticæ, ad quas perueniat veritas dei, & turbinibus exagi-
tantur dæmonum atque vitiorum. loquuntur grandia, & to-

[*Esa.22.d* *1.Cor.15.d*] tus sermo eorum superbia est (immũdus est autem apud dominum omnis qui exaltat cor suum) vt qui paululum refugerant a peccatis, ad suum reuertantur errorem, & suadent in luxuria ciborum, carnisq; deliciis. Quis enim non libenter audiat. Manducemus & bibamus, & in æternum regnabimus? Et sapientes & prudentes prauos vocant, eos vero qui dulces [*Apoc.2.a*] sunt in sermonibus, plus audiunt. Ioannes apostolus, imo in Ioanne saluator scribens angelo ecclesiæ Ephesi. Scio, inquit, opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quæ sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti: sed habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primã reliquisti. memor esto vnde cecideris, & age pœnitẽtiam, & prima opera tua fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo cãdelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris similiter cæteras ecclesias, Smyrnam Pergamum, Thyatirã, Sardos, Philadelphiã, Laodiciam ad pœ[*Apoc.3.a*]nitentiam prouocat, & nisi reuertantur ad opera pristina, cõminatur, & in Sardis paucos habere se dicit qui non coinquinauerunt vestimenta sua, & ambulaturi sunt cum eo in albis, [*Apoc.2.a*] quia digni sunt. Cui autem scribit, Memento vnde cecideris, & ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem vt tentemini: & scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & in mente habe qualiter acceperis & audieris, & serua, & pœnitentiam age, & reliqua? Vtique ei dicit qui credidit, & baptizatus fuit & stans quondam, corruit per delictum. Paulisper de veteri testamento exempla distuleram, quia solent vbicunque contra eos fa[*Matth.11.b*]ciunt, dicere: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt. Cæterum quis ignorat sub alia dispensatione dei omnes [*Genes 15.b.* *Roman. 4.* *1.Cor.10.c*] retro sanctos eiusdẽ fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt? Quomodo ante Abraham placuit in coniugio, sic nunc virgines placẽt in perpetua castitate. Seruiuit ille legi & tempori suo: seruiamus & nos euangelio & tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt. Dauid electus secũdum cor domini, qui omnes eius fecerat voluntates, & qui in quodã psalmo dixerat: Iudica me domine, quoniam ego in innocentia [*Psalm.25.*] mea ingressus sum, & in deo sperans non infirmabor. Proba me domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum. Postea tentatus à diabolo & post peccata pœnitens loquitur dicens: [*Psalm.50.*] Miserere mei deus, secundũ magnam misericordiam tuam. Magnũ peccatum magna vult deleri misericordia. Salomon amabilis domino, & cui deus bis fuerat reuelatus: quia amator [*2.Re.12.f*] mulierũ fuerat, à dei amore discessit. Manassen impiissimum regem post captiuitatem Babylonicam in pristinam dignitatẽ [*2.Par.33.*] liber dierum restitutũ refert: & Iosias vir sanctus in campo Mageddo ab Aegyptio rege confoditur. Iesus quoque filius Iosedech sacerdos magnus quanquam in typo præcesserit saluatoris,

toris, qui nostra peccata portauit, & alienigenã sibi ex gentibus copulauit ecclesiam: tamen secundum literam post sacerdotium sordidatus inducitur, & stat diabolus à dextris eius, & candida illi deinceps vestimenta reddũtur. [Zacha. 3.] [Nu. 20.] Superfluum est de Moyse & Aaron scribere, qui ad aquã contradictionis offenderunt deũ, & terram repromissionis non intrauerũt: cùm beatus Iob angelos quoq; & omnem creaturam peccare posse commemorat dicẽs: [Iob. 15.] [Iob. 4. d] Quid enim? nunquid homo mundus est coram deo, aut in operibus suis sine macula vir? Si contra seruos suos non credit, & aduersus angelos suos prauum quid reperit: quanto magis habitãtes in domibus luteis: de quibus enim & nos ex eodem luto sumus. [Ibidem] Tentatio * est vita hominis super terram. [* Alter tex. habet militia.] De cœlo etiam cecidit Lucifer, qui mittebat ad vniuersas nationes: & ille qui in paradiso deliciarum inter duodecim nutritus est lapides, vulneratus à monte domini, ad inferna descendit. [Luc. 10. c] [Esa. 14.] [Ezech. 28.] Vnde & saluator in euangelio: Videbam, inquit, Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit? si in cœlo ruina, quãto magis in terra est? Et tamẽ cùm ceciderit Lucifer, imò post casum coluber antiquus, virtus eius in lumbis eius est, & potestas eius super vmbilicum ventris eius. [Iob. 40. b] obumbrantur in eo arbores magnæ, & dormit iuxta iuncum, & calamum, & caricem. Ipse est rex omnium quæ in aquis sunt, vbi scilicet voluptas & luxuria, & propago, & irritatio nuptiarum. & infra. Transiuimus ad secundam partitionem in qua negat eos qui tota fide baptismum consecuti sunt, deinde posse peccare, & docuimus quod excepto deo omnis creatura sub vitio sit, non quòd vniuersi peccauerint, sed quòd peccare possint: & similium ruina, stantium metus sit.

[GRATIA.] Euidenter itaq; ex præmissis apparet nonnullos charitatẽ habere, quam postea criminaliter delinquẽdo amittũt. Quod si quis contendat non de virtute, sed de virtutis opere debere intelligi: deliberet quid respondeat de innocentia Adæ, de iustitia Moysi, Dauid, & cæterorum, qui plena fide ad baptisma accedentes, licet postea prolapsi sunt, tamẽ cœlestia dona degustant, & spiritus sancti fiunt participes: vt non solùm ante humanos, verumetiam ante dei oculos ex aqua & spiritu sancto inueniantur renati, qui si charitatẽ dei non haberent, ante dei oculos aqua tantum regenerarentur, non spiritu sancto. Opera enim seu sacramentorũ participatio, nisi ex charitate procedant, apud deũ, nec iustitiam, nec innocentiam prẽstant. Si enim (inquit Apostolus) habuero omnem fidem, ita vt mõtes transferam, & si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meũ ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. [1. Cor. 13.]

Sed quia de prædestinatis ad vitam à nonnullis conceditur quòd charitatem amittant,& amissam recuperent: de reprobis etiam dicendum est,an ipsi charitatem habeant,qua amissa postea damnentur.

Cap. 9. Roman. 8. c

De his ita scribit Aug. in libro de correctione & gratia. 39

APostolus sciens nonnullos diligere deum, & in eo modo vsque in finem non perseuerare, mox addidit, his qui secundum propositum vocati sunt sancti &c.

cap. 6. eiusdem lib.

Idem in eodem. An adhuc iste nolens corrigi poterit dicere: Quid ego feci?quod non accepi quē non cōstat accepisse, & sua culpa quod acceperat amisisse. Possum, inquit, possum omnino quando me arguis, dicere quod ex bona vita in malam mea volūtate relapsus sum, adhuc quid ego feci quod nō accepi? accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur, sed in illa vsque in finem perseuerantiam non accepi.

Cap. 13. eiusdē.

In eodem. In bono illos volebam proculdubio manere: erant vtique in bono, sed in eo non permanserunt.

In eodem. Propter huius vtilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseuerandi vsque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & postea cadere &c. Multa similia de reprobis in

GRATIAN. Matth. 10. c

euangelio etiam. Qui perseuerauerit vsque in finem &c. In eodem. Iterum homo iste incipit &c. Idem in eodem. 40

An. ca. 8. eiusdē libr.

MIrandum est quare deus quibusdam filiis perditionis det fidem operantem per dilectionem, nec det in ea perseuerantiam.

GRATIAN. Matth. 10. c

Item illud euangelij: Non qui incipit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Cap. 35. lib. 8. super Iob.

Item Gregorius. 41

MVlti bene incipiunt, qui in malo vitam finiunt. Non autem bene incipit qui nunquam ex charitate aliquid operatur. quod si ex charitate aliquando aliquid agit, & charitatem aliquando in ipso necesse est esse.

GRATIAN. 5. pars.

Illud autem Gregorij. Qui seduci quandoque non reuersuri possunt &c. non de omnibus generaliter reprobi sed de hypocritis specialiter intelligendum est: quod ex verbis eiusdem euidenter datur intelligi. Cùm enim quæstionem proponeret cur misericors deus ista fieri permittat, vt Leuiathan seu nunc per suggestiones callidas, siue tunc per dānatum illum quem replet hominem: vel solis sibi radios, id est, doctos

Iob. 41. d

quosque sapientésque subiiciat: vel aurum, hoc est, viros sanctitatis claritate fulgentes, quasi lutum sibi vitiis coinquinando substernat: mox in eiusdem quæstionis solutione supponit dicens: 42

Gre. c. 8. li. 43. ad cap. 41. Iob.

CItius ad hoc respondemus: quia aurum quod prauis eius suasionibus quasi lutum sterni potuit, aurum ante dei oculos

culos nunquam fuit, qui enim ſeduci quandoque non reuerſuri poſſunt, quaſi habitam ſanctitatẽ ante oculos hominum videntur amittere, ſed eam ante oculos dei nunquam habuerunt. Sæpe nanque homo multis occultè peccatis inuoluitur, & in vna aliqua virtute magnus videtur: quæ ipſa quoq; virtus inaneſcens deficit: quia dum innoteſcit hominibus, procul dubio laudatur, eiuſque fauor inhianter appetitur: vnde fit vt ipſa virtus ante dei oculos virtus non ſit, dum abſcondit quod diſplicet deo, & prodit quod placet. quæ itaque merita apud deum eſſe poſſunt: quando & mala occulta ſunt, & bona publica? Plerunque enim (ſicut diximus) latet ſuperbia, & caſtitas innoteſcit. Atque ideo diu oſtenſa charitas circa finem vitæ perditur: quia cooperta ſuperbia vſque in finem incorrecta retinetur. Alius eleemoſynis vacat, propria diſtribuit, ſed tamen multis iniuſtitiis deſeruit, vel fortè linguam in detractionibus exercet: & fit plerunque vt is qui miſericors fuerat, iuxta vitæ ſuæ terminum rapacitatis & crudelitatis ſtimulis inardeſcat: quod valde iuſto dei iudicio agitur: vt perdat etiam ante homines vnde hominibus placuit, quia hoc vnde deo diſplicuit, corrigere nunquam curauit. Alius patientiæ ſtudet ſed inuidere aliis, & ſeruare malitiam in corde non cauet. fit quandoque impatiens: quia diu latuit dolens. Hi itaque & per aliquid aurum ſunt, & per aliquid lutum ſunt. atque hoc aurum quaſi lutum ſternitur, quãdo occultis peccatis exigentibus etiam virtus quæ publicè claruerat, diſſipatur. Sed operæprecium credimus, ſi in his virtutem ſuperni ordinis ſubtilius perpendamus. Sæpe enim omnipotẽs deus occulta quorundam mala diu tolerat, vt aperta eorum bona electorum ſuorum vſibus profutura diſpenſet. *Cap. 9. eiuſdem* Nam nonnulli mundum nequaquam funditus deſerentes, non perſeueraturi anguſtum iter arripiunt, ſed ad quærẽdam anguſtam viam exemplo ſuo eos qui perſeueraturi ſunt accendunt. vnde plerunque cõtingit vt ipſum hoc quod bene videntur viuere, non ſibi, ſed potius ſolis electis viuant, dum exemplis ſuis ad bene viuendi ſtudia perſeueraturos alios non perſeueraturi prouocant. ſæpe enim quoſdam videmus viam ingredi, ad locum propoſitum feſtinare: quos alij quia euntes conſpiciunt ſequuntur, eundẽque pariter locum petunt: ſed fit plerunque vt irruente aliquo implicationis articulo poſt ſe redeant qui præibant & hi ad locum perueniant qui ſequebantur. ita nimirum ſunt illi qui non perſeuerant, & viam ſanctitatis arripiunt. Idcirco enim virtutis iter non perſeueraturi inchoãt: vt eis qui peruenturi ſunt, viam qua gradiantur oſtendant: quorum etiam caſus vtilitate non modica electorum prouectibus ſeruit: quia ipſorum lapſum dum conſpiciunt, de ſuo ſtatu cõtremiſcunt: & ruina

& ruina quæ illos damnat, iſtos humiliat. addiſcunt enim in ſuperni adiutorij protectione confidere, dum pleroſque conſpiciunt de ſuis virtutibus præſumentes cecidiſſe: quando ergo videntur bene agere reprobi, quaſi planum iter electis ſequentibus demonſtrant. quãdo verò in lapſum nequitiæ corruunt, electis poſt ſe pergentibus quaſi cauendam ſuperbiæ foueam oſtendunt.

GRATIAN. Quod verò reprobi negantur comedere panem qui de cœlo deſcendit, vel bibere aquam viuam: non ſic accipiendũ eſt vt à charitate penitus credantur alieni, ſed vt in charitate radicem figere non intelligantur. Aliud eſt enim bibere vel manducare: atque aliud deguſtare. Vnde in euangelio de Chriſto legitur: Et cùm guſtaſſet, noluit bibere. Bibit ergo aquam viuam, & manducat panem qui de cœlo deſcendit, qui in charitate radicem figit. deguſtat qui ea aliquatenus communicat, à qua poſtea delinquendo recedit. de quibus Apoſtolus dicit, Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, & guſtauerunt donum cœleſte, & poſt hæc omnia prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam. Hinc etiam diabolus in veritate ſteriſſe, non in ea creatus eſſe negatur. fuit enim in veritate conditus: ſed dum de ſe ſuperbiendo præſumpſerat, alienus ab ea factus eſt. In veritate autem quomodo eſſe creatus perhibetur, ſi ſine dilectiõe ſui cõditoris creatꝰ eſſe probatur? Aut quomodo bonꝰ à deo cõditus aſſeritur, ſi nihil diuinæ dilectionis in ſui creatione acceperit? Quomodo autem ſuperbiæ motus ſine vitio extitit, ſi cõditorem ſuum nullatenus dilexit? Aut quomodo par ſiue excellentior cæteris creatus dicitur, ſi nonnullis eorum in amore dei cõditis, hic ab eius dilectione vacuus factus eſt? Vnde autem hæc differentia inter bonos & malos angelos proceſſit? Si ex creante, iniuſtus videtur deus: qui ante peccatum infert pœnam, vel qui hoc punit quod creando infudit? Si autem non ex creante, cùm non ex traduce, reſtat vt ex propriæ libertatis arbitrio vitiũ ſuperbiæ in angelicam naturam proceſſerit. bona ergo cõdita eſt, quæ ſuo vitio à bono in malum commutata eſt. Sed quomodo bona eſſe potuit ſi dilectione penitus caruit? neque enim angelus nobis ſimilis factus eſt, quos vſque ad certum tempus ætatis infirmitas grauat, vt neque virtus, neque vitium vllum locum in nobis obtineat. Accepit ergo dilectionem in ſui creatione ſicut & cæteri. de quibus dicitur: Angelicæ virtutes quæ in dei amore perſtiterunt. non ait, quæ diligere deum cœperunt, ſed quæ in eius amore perſtiterunt, quæ ex creatione diligere cœperant: vt principium diuinæ dilectionis omnibus credatur eſſe commune: perſeuerantia verò eorum tantummodo intelligatur, qui in retributione hoc accipere meruerunt, vt confirmati vlterius

Math. 27. d

Hebr. 6. d

» terius cadere nō possent, & hoc de se certissimè scirent. Vnde [*Gene. 1. c*] bene apud Moysen prius cœlū, deinde firmamētū factū esse dicitur: quia nimirum angelica natura prius æqualiter subtilis in superioribus est condita, postea in persistētibus in amore sui conditoris mirabiliter est confirmata. Hinc etiam Gregorius [*Greg. ca. 24. li. 32. ad cap. 39. Iob.*] in moralib. multa de perfectione angelicæ creationis replicans, charitate negat repletum, non ea penitus vacuum asserit: quasi penitus caruisset: nunquam ea quæ de eius excellentia dicuntur, conuenienter de eo intelligi possent. 43

PRincipium enim (inquit beatus Gre.) viarū dei Beemoth [*Iob. 40. c*] dicitur: quia nimirum cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit, huius primatus eminentiam conspicit propheta cùm dicit: Cedri [*Esa. 2. d & 14. c*] non fuerunt altiores illo in paradiso dei: abietes non adæquauerunt summitatē eius. Platani non fuerunt æquales frondibus [*Ezech. 31. a*] eius. omne lignum preciosum paradisi dei, non est assimilatum ei & pulchritudini eius, quoniam speciosum fecit eum in multis condensis frondibus. Quid nanque accipi in cedris & abietibus & platanis, potest nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina in æternæ lætitiæ viriditate plantata? quæ quamuis excelsa condita sunt, huic tamen nec prælata sunt nec æquata, qui speciosus factus in multis condensisque frondibus dicitur, quia prælatum cæteris legionibus tanta illum specie pulchriorem reddidit, quanta ei supposita angelorum multitudo decorauit. Ista arbor in paradiso dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. qui & idcirco peccans sine venia damnatus est: quia magnus sine comparatione fuerat creatus. Hinc ei rursum per eundem prophetam dicitur: Tu signaculum similitudinis, plenus sa- [*Ezech. 28.*] pientia, & perfectus decore in deliciis paradisi dei fuisti. multa enim de eius magnitudine locuturus primo verbo cuncta complexus est. Quid nanque boni non habuit qui signaculum dei similitudinis fuit? de sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. & licet homo ad similitudinem dei creatus sit, angelo tamen quasi aliquid maius tribuens, non eum ad similitudinem dei conditum, sed ipsum signaculum similitudinis dei dicit: vt quo subtilior est natura, eo in illum plenius similitudo dei credatur expressa. Hinc est quòd primatus eius potentiā adhuc insinuans idem propheta subiūgit. Om- [*Ibidem*] nis lapis preciosus operimētū tuū, sardi⁹, topasius. iaspis, chry- [*Cap. 25. eiusdē.*] solitus, onyx, berillus, carbunculus, smaragdus, & saphyrus. Nouem dixit genera lapidū: quia nimirū ordines angelorum sunt nouē. nam cū per sacra eloquia angeli, archāgeli, throni,

dominationes, virtutes, principatus, & potestates, cherubin & seraphin aperta narratione memorantur, supernorum ciuium quantæ sint distinctiones ostenditur, quibus tamen Beemoth iste opertus fuisse describitur: quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. de cuius descriptione adhuc subiungit: Ezech. 28. d Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua cõditus es, præparata sunt. Aurum opus extitit decoris eius: quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit. foramina verò iccirco in lapidibus fiunt, vt vinculati auro in ornamenti compositione iungãtur, & nequaquã à se dissideant quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. huiusmodi ergo lapides in die conditionis suæ foramina præparata sunt: quia videlicet capax charitatis est cõditus: qua si repleri voluisset, angelis stantibus tanquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhærere. si enim charitas auro sese penetrabilẽ prębuisset. sanctis angelis sociatus in ornamẽto (vt diximus) regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed superbiæ vitio charitatis auro nõ sunt repleta. Nanq; iccirco ligantur auro ne cadant. iccirco iste cecidit: quia etiã perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contẽpsit. nũc autem cæteri lapides qui hic similiter fuerant perforati, penetrãtes se inuicem charitate ligati sunt, atq; hoc in munere isto cadente metuerunt, vt nequaquam iam de ornamento regio cadendo soluantur. Huius principatus celsitudinem adhuc idem propheta intuẽs adiungit. Ezech. 28. Tu Cherub extẽsus & protegens in monte sancto dei, & in medio lapidum ignitorũ perfectus ambulasti. Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur: & iccirco iste Cherub dicitur: quia transcẽdisse cunctos scientia non dubitatur. qui in medio ignitorũ lapidum perfectus ambulauit: quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis extitit, quẽ bene extentũ ac protegentem dicit. omne enim quod extentè protegimus, obũbramus: quia cõparatione claritatis suæ obumbrasse cæterorũ claritatẽ creditur, ipse fuisse extẽtus & protegẽs reperitur. reliquos enim quasi obũbrãdo operuit, qui eorũ magnitudinẽ excellentia maiore transcẽdit. Quòd ergo illic speciosus in multis frondibus, quòd illic signaculũ similitudinis, Ezech. 31. a quòd illic Cherub, illic protegẽs dicit, hoc hic voce dominica Beemoth iste viarũ dei principiũ vocatur. de quo iccirco tã mira in quibus fuit, & quæ amisit insinuat, Iob. 40. b vt homini ostẽdat quid ipse si superbiat, de elationis suæ culpa passurus sit, si feriẽdo illi parcere noluit quẽ creãdo in gloria tãtæ claritatis eleuauit. cõsideret ergo homo elatꝰ quid in terra mereatur si angelis prælatus in cœlo, de cœlo in terrã prosternitur

Chari-

GRATIA. 6.pars.

Charitas autem quæ in aduersitate deseritur, ficta, id est, fictilis & fragilis esse perhibetur, sicut fides ex qua charitas procedit, ficta, id est fragilis apud Apostolum esse negatur. similiter charitas quæ in aduersitate deseri potest, dicitur vera nunquam fuisse. Sicut enim Hieronymus contra Iouinianũ scribit: Omnis creatura sub vitio est, non quòd omnis peccauerit: sed quia nulla est quæ peccare non possit. posse autem peccare (vt Augustinus ait) non est aliquid posse, immo aliquid non posse. Vnde ille solus vocatur omnipotens qui hoc non potest: quia omnia potest quæ posse est aliquid posse. Sicut ergo eius comparatione qui mutabilitatem nescit, omnis creatura vitiosa dicitur, quia mutabilitatis est capax, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: & astra nõ sunt munda in conspectu eius: sic comparatione eius creaturæ quæ mutationem non recepit, omnis creatura quæ permutatur, non vera sed vana esse probatur. Vnde omnis homo mendax esse dicitur, & vanitati similis factus. Hinc etiam ecclesiastes: Cuncta quæ sub sole sunt, id est quæ temporum vicissitudinem recipiunt, non tantummodo vanitas quæ omni creaturæ ratione mutabilitatis inest, sed etiam vanitas vanitatum varietate permutationis quam recipiunt, esse dicuntur. Sic ergo comparatione diuinæ charitatis nulla virtus esse vera probatur, aut comparatione eius quæ non deseritur, illa quæ amittitur vera esse negatur. sicut autem omnis creatura suo modo bona & vera esse dicitur, sic & charitas quæ deseritur, suo modo bona & vera esse monstratur: alioquin à nullo desereretur, si nullo modo in eo esset. quod enim nullo modo verè est, nullo modo deseri potest. quod si aliquo modo verè deseritur, & aliquo modo id verè esse oportet.

Psalm.142. Iob.15.c Psalm.115. Psalm.143. Eccles.1.

DISTINCTIO III.

AN POENITENTIA SIT REITERANDA.

GRATIAN.

HAec de charitate breuiter scripsimus propter eos qui pœnitentiam negant reiterari posse, asserentes quòd sicut charitas semel habita nunquam amittitur, ita pœnitentia semel verè celebrata, nulla sequenti culpa maculatur. Si verò criminalis culpa illam aliquando sequitur, vera pœnitentia non fuit, nec veniam vnquam à domino impetrauit. Quod ex definitione ipsius pœnitentiæ & multorum auctoritatibus probare contendunt. vt enim Ambrosius ait in quodam sermone quadragesimæ. 1

Gregor. homil. 34. euangel.

POenitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterũ non committere.

IDEM in libro de vnica pœnitentia. 2

Ambros.ca.10. lib.2.

REperiuntur qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto. nam ſi verè in Chriſto pœnitētiam agerent, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut vnum baptiſma, ita & vnica pœnitentia. verùm præteriti ſemper nos debet pœnitere peccati, ſed hoc delictorum leuiorum. At ego facilius inueni qui rectè ſeruauerit innocentiam, quàm qui cōgruè egerit pœnitentiam. ITEM Auguſt. 3

Cap. 54. lib. de dogmatibus eccleſiaſt.

SAtisfactio pœnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere.

IDEM in libro de pœnitentia. 4

Cap. 8 lib. de vera & falſa pœniten.

POenitentia eſt quædā dolentis vindicta puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. & infrà. Continuè eſt dolendum de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere: vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo quod commiſit peccando. pœna enim propriè dicitur læſio quæ punit, vindicans quod quiſque commiſit. Ille pœnam tenet qui ſemper vindicát, quod commiſiſſe dolet. Pœnitētia itaque eſt vindicta ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.

IN eodem. 5

Auguſt. in eodē lib. cap. 13. Romanor. 6. a

SI Apoſtolus etiam peccata per baptiſmum dimiſſa continuè plorat, nobis etiam ſuper fundamentum Apoſtolorum poſitis quid præter plorare reſtat? quid niſi ſemper dolere in vita? vbi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. ſi autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? tādiu enim gaudeat & ſperet de gratia, quandiu ſuſtentatur à pœnitētia. dicit enim dominus: Vade, & amplius noli peccare. non dixit, ne pecces, ſed nec voluntas peccandi in te oriatur. quod quomodo ſeruabitur, niſi dolor in pœnitentia continuè cuſtodiatur? Hinc ſemper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia, ſi contigerit, ſemper doleat: & non ſit ſatis quod doleat, ſed ex fide doleat, & non ſemper doluiſſe doleat.

Ioan. 8. b

ITEM Gregorius in æſtiuum tempus. 6

Hom. 34. lib. euangeliorum.

POenitentiam quippe agere dignè non poſſumus, niſi modū quoque eiuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe agere eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. nam qui ſic alia deplorat, vt iterum alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat. quid enim prodeſt ſi peccata luxuriæ quis defleat, & tamē adhuc auaritiæ æſtibus anhelat? Idem. Sunt qui dicunt pauci tēporis pœnitentiam contra peccatum debere ſufficere, vt iterum liceat ad peccatum redire. rectè hos paſtoris primi ſententia percutit, qui ait: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. magna eſt enim contra peccatum virtus pœnitentiæ: ſed & ſi quis in eadem pœnitentia perſeueret.

Greg. epiſt. 39. lib. 9. ad Theoctiſtam patriciā. 2. Petr. 2 d

Pœni-

Pœnitentiam verò agere est cõmissa plangere, & iterum plangenda declinare. IDEM. 7

PRoductior est enim pœna quàm culpa: ne parua putaretur culpa si cum illa finiretur & pœna. ac per hoc vel ad demõstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentię temporaliter detinet hominem pœna, quem iam ad damnationem æternam reum non retinet culpa. Ira dei non est vt hominis, id est, perturbatio concitati animi, sed tranquilla iusti supplicij constitutio. ITEM Ioannes os aureum. 8

PErfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. & infrà. In corde eius contritio, in ore eius confessio, in opere tota humilitas. hæc est fructifera pœnitentia.

ITEM Smaragdus. 9

ILle pœnitentiam dignè agit, qui sic pręterita mala deplorat, vt futura iterum non committat. nam qui plangit peccatũ, & iterum admittit peccatum, quasi quis lauet laterem crudũ: quem quanto magis abluit, tanto magis lutum facit.

ITEM August. 10 *Aug. hom. 41.*

POenitentes (si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes) mutate vitam, reconciliamini deo, & vos cum catena pascetis. Qua, inquis, catena? Quæ ligaueris in terra, erunt ligata in cœlo. Audis ligaturam, & deo putas facere imposturã. pœnitentiam agis, genua figis, & rides, & subsannas patientiã dei. si pœnitentiam agis, pœnites. si non pœnites, pœnitens non es. si ergo pœnites, cur facis quod malè fecisti? si fecisse pœniteat, noli peccare. si adhuc facis, certè non es pœnitens. *Matth. 16.*

ITEM Isidorus de summo bono. 11 *Cap. 16. lib. 2. de summo bono.*

IRrisor est non pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet. nec videtur deum poscere subditus, sed subsannare superbus. canis reuersus ad suum vomitum est pœnitens ad peccatũ. Multi enim lachrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiam cerno, & effectum pœnitentię non habere: quia inconstantia mentis nõ recordatione peccati lachrymas fundunt: nunc verò reuiuiscẽte vsu ea quæ fleuerunt iterando committunt. Esaias de peccatoribus dicit: Lauamini, mundi estote. Lauatur & mundus est & qui præterita plangit, & flenda iterum non admittit. lauatur & non est mundus qui plangit quæ gessit nec deserit, & post lachrymas ea quæ fleuerat, repetit. *Esa. 1. d*

ITEM August. in lib. Soliloquiorum. 12 *Isid. in dialog. siue synonymis.*

INanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat. vulnus iteratum sanatur tardius. frequenter peccans & lugens vix veniam meretur. nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. nihil valet veniam à malis poscere, & mala denuo iterare.

re. Persiste ergo in confessione, esto in pœnitentia fortiter confirmatus. vitam bonam quam accepisti, tenere non desinas: propositum bonæ vitæ conserua iugiter.

Admonitione 31. partis 3. ITEM Gregorius in Pastorali. 13

QVi admissa plangunt, nec tamen deserunt, considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui viuendo se nequiter inquinant: cùm iccirco se lachrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant.

Greg. ibidem. ITEM. 14

QVi admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ grauiori se subiicit: quia ipsam quam flendo impetrare potuit veniam, contemnit.

Gregor. ibidem. ITEM. 15

Esa. 1. d LAuamini, mundi estote. post lauacrum enim mundus esse negligit quisquis post lachrymas vitæ innocentiam non custodit. lauantur ergo nec mundi sunt, qui commissa flere non desinunt., sed rursus flendo committunt.

Gregor. vbi sup. ITEM. 16

BAptizantur quippe à mortuo qui mundant se fletibus à peccato, sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lachrymas repetit.

Eccles. 33. d IDEM in moralibus. 17

Cap. 40. lib. 2. ad cap. 1. Iob. IN cassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia & frustra velociter currit qui prius quàm ad metas venerit, deficit.

GRATIAN. 2. pars. Sed verba definitionis non ad diuersa tempora, sed ad idem tempus referuntur: videlicet vt tempore quo deflet mala quæ commisit, non committat quod adhuc eum flere oporteat. quod ex sequentibus verbis eiusdem auctoritatis datur intelligi, dum dicitur: Nam qui sic alia deplorat vt iterum alia cõmittat: adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat.

Cap. 70. HINC Augustinus in Enchiridio. 18

SAnè cauendum est ne quisquam existimet nefanda illa crimina qualia qui agunt regnum dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. in melius est quippe vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus deus, non ad hoc emendus quodammodo vt ea semper liceat impunè committere. nemini enim dedit laxamentum peccandi, quanuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Augu. in eodem lib. cap. 76. IDEM. 19

Eccles. 30. QVi vult ordinatè dare eleemosynam, à seipso debet incipere, & eam sibi primo dare. est enim eleemosyna opus misericordiæ verissimæ, de qua dictum est: Miserere animæ tuæ placens deo. Propter hoc renascimur, vt deo placeamus.

August. ca. 71. eiusdem Enchir. ITEM Ioannes Chrysostomus. 20

Matth. 6. DE quotidianis breuibus leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfaciat. Eorum est enim dicere: Pater noster qui es in cœlis, qui

iam

Iam taliter patri regenerati sunt ex aqua & spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima quotidi na peccata, delet & illa à quibus vita fidelium etiam sceleratè gesta, sed pœnitendo in melius commutata discedit. Sic quemadmodum dicitur veraciter: Dimitte nobis debita nostra: quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est veniam petentibus omnino ignoscere.

ITEM Pius papa. 21 *Epist. I.*

NIhil prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis opera facere, nisi mens ab iniquitate reuocētur.

GRATIAN. 3. pars.

Ex persona huiuscemodi pœnitentis etiam illud Smaragdi intelligitur. Ille pœnitentiam dignè agit, &c. Et illud Augu. Pœnitentes, &c. Illud Isidori: Irrisor est & non pe. & illud Esaiæ: Lauamini, & mundi estote. Item & illud Soliloqu. Inanis est pœnitentia, &c. Similiter & illud Greg. Qui admissa plangūt, & baptizātur à mortuo. Illud autē Amb. Reperiūtur, &c. non secundum generalem, sed secundum specialem consuetudinem ecclesiæ de solenni pœnitētia dictum intelligitur, quæ apud quosdam semel celebrata non iteratur. *Esa. 1. d*

VNDE Augustinus scribit ad Macedonianum. 22 *Epist. 54.*

QVamuis cautè & salubriter prouisum sit, vt locus illius humilimæ pœnitentię semel in ecclesia cōcedatur, ne medicina vilis vel minus vtilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est quanto minus contēptibilis fuerit, quis tamē audeat dicere deo: Quare huic homini qui post primam pœnitētiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?

GRATIAN. 4. pars.

Hac auctoritate & illud Ambrosij determinatur, & iterum peccatori per primam pœnitentiā venia dari monstratur, alioquin nequaquam iterum parceret deus qui necdū pepercisset. Satisfactio quoque pœnitentiæ est. Vade, & amplius noli peccare: eundem cum diffinitione intellectum habet: Illud autem quod in libro de pœnitentia dicitur, de perfecta est intelligendum: sicut enim charitas alia est incipiens, alia est proficiēs, alia est perfecta: sic & pœnitentia alia est incipientiū, alia proficientium, alia perfectorū. Sicut autem charitati licet nondum perfectæ in baptismo datur venia peccatorum, vt quāuis postea grauiter aliquis sit peccaturus: tunc tamen intelligatur esse renatus, non aqua tantum (sicut Iouinianus tradidit, sed aqua & spiritu (sicut Hieronymus contra eū scribit) sic & incipientium pœnitentiæ venia non negatur: quæ quadā ratione perfecta potest dici, quia toto corde gemit & dolet: licet & alia ratione potest dici imperfecta: quia nō vsque in finem duratura. Secundū primum modū perfectionis intelligitur illud Ioānis Osaurei, Perfecta pœnitentia, &c. Iuxta secundum modū perfectionis *Ioan. 8. b*

fectionis illud Augustini intelligitur, Pœnitentia est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. Illud autē, Si pœnitentia finitur, nihil de venia relinquitur: dupliciter intelligi potest. Si enim iuxta quorundam sententiam peccata dimissa redeunt, facilè est intelligere nihil de venia relinqui. quoniam peccata quæ prius erant dimissa, iterū replicantur. Sicut enim ille qui ex iusta seruitute in libertatem manumittitur, interim verè liber est, quamuis ob ingratitudinem in seruitutem postea reuocetur: sic & pœnitenti peccata verè remittuntur, quamuis ob ingratitudinem veniæ eisdem postea sic implicandus. Si autem peccata dimissa non redeunt, dicitur nihil relinqui de venia: quia nihil relinquitur sibi de vitæ mundicia, & spe æternæ beatitudinis, quam cum venia assecutus est. Sicut enim argento perfectè purgato, nihil sui decoris relinquitur si sequenti ærugine fœdatur, non tamen prima sed sequenti ærugine sordidatur: sic expiato per pœnitentiam nihil de venia dicitur relinqui: cùm tamen iam non deletis, sed adhuc expiandis, coinquinetur. Quod autem per pœnitentiam non semel tantum, sed sæpissimè peccata remittantur, auctoritate multorum probatur. Ait enim Hieronymus ad Rusticum de pœnitent. 23

5. pars.

In epist. ad Rusticum th. 1. *Prouerb. 14. b*

SEpties in die cadit iustus, & resurgit. si cadit, quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Et non solum septies, sed etiam septuagiessepties delinquenti, si cōuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Cui plus donatur, plus diligit. David quoque per pœnitentiam adulterij simul & homicidij veniam impetrauit. De cuius pœnitentia in eodem libro Hieronymus ait. 24

Matth. 18. c *2. Reg. 12. c* *Hier. in epist. eadem.* *2. Reg. 12. d*

TOtam pœnitentiam peccatoris ostendit psalmus quinquagesimus, quando ingressus est David ad vxorem Vriç, & à Nathan propheta correctus, respondit dicens: Peccaui. statimque meruit audire: Et dominus abstulit peccatum tuum à te. Adulterio enim iunxerat homicidium. & tamen conuersus ad lachrymas ait: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. Magnum enim peccatum magna indiget misericordia. Vnde subiungit & dicit: Multum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: quoniā iniquitatē meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper tibi soli peccaui. Rex enim erat, alium non timebat, alium non habebat super se. Et corā te male feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Conclusit enim deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur. Tantumque profecit, vt dudum peccator & pœnitens transierit in magistrum. Ait enim: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Confessio & pulchritudo corā eo, vt qui fuerit peccata sua confessus,

Psalm. 50. *Ibidem.* *Rom. 11. d* *Psalm. 50.*

confessus,& dixerit: Corruptæ sunt & computruerunt cicatrices meæ: fœditatem vulnerum in sanitatis decorem commutet. ITEM Ambrosius in apologia Dauid. 25 *Psalm.37.* *Cap.2.*

ILle rex tantus ac potens nec exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiã, sed præmatura cõfessione, atque immenso dolore reddidit per cõfessionem peccatum suum domino. & infrà. Denique dominũ dolor interni affectus mouit, vt Nathan diceret: quoniã pœnituit te, & dominus transtulit peccatum tuum. *2.Reg.12.d* Maturitas itaq; veniæ profundam regis fuisse declarauit pœnitentiã: quæ tanti erroris offensam transduxerit. & infrà. Sancti qui consummare certamen pium gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè vt homines corruunt naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine: fortiores & acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina: vt non solum nullũ attulisse existimetur lapsus impedimentum, sed etiã velocitatis incentiua cumulasse. ergo si currentiũ non soluitur cursus, cùm aliqui fortè ceciderunt, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina, quando & plerique post vnum vel alterũ lapsum gratia maiore vicerũt, quanto magis agonem pietatis ingressi non debent vnius prolapsionis offensa censeri: cũ beatus sit qui se potest post lapsum reparare. & infrà. Quòd peccauit, conditionis est: quòd supplicauit, correctionis. lapsus cõmunis, sed specialis cõfessio. Culpam itaq; incidisse, naturæ est: diluisse, virtutis. & infrà. Peccatũ aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per crucis sanguinẽ, tegitur per charitatem. Similiter & iniquitas æstimatur habitudo mẽtis iniustæ: licet Ioannes in epistola eum qui fecerit peccatum, iniquitatẽ fecisse dixerit. *1.Ioann.5.* Peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso est iniquitas. Tamen (vt nobis videtur) peccatũ est opus iniquitatis, & iniquitas operatrix culpæ atque delicti. Prius est ergo vt ipsa iniquitas deleatur, & excidatur radix & seminarium peccatorum. Itaque quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina imprudentiam tollit, & scientia ignorãtiam: sic perfecta virtus iniquitatem. & remissio peccatorum delet omne peccatum. IDEM in eodem. 26 *Ambr.cap.7. eiusdem lib. Apolog Dauid.*

ILlud verò quàm admirabile est, quòd angelo ferienti plebẽ se obtulit Dauid dicẽs: Grex iste quid fecit? fiat manus tua in me, & in domũ patris mei. *1.Par.21.c* quo facto statim sacrificio dignus iudicatus est, qui absolutione existimabatur indignus. nec mirũ si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam: cùm Moyses offerẽdo se domino pro plebis errore, peccata deleuerit. *Exod.32.* Texit igitur peccata sua an nõ? sed quis hoc neget? cùm ipse docuerit Propheta quo remittantur iniquitates, tegãtur peccata, & non imputentur à domino. *Psalm.31.* Delictum meũ

cognosco

Ibidem. cognoſco,& iniuſtitiam meam non operui. dixi pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Si dixit pronúciabo, & veniam meruit antequam pronunciaret: *Pſalm. 50.* quanto magis vbi de ſe pronũciauit: Iniquitatem meam ego cognoſco,& peccatum meum cõtra me eſt ſemper: remiſſum eſt ei omne peccatum: licet ſpecialiter de hoc *2. Reg. 12. d* Nathan propheta reſpondit: Et dominus tranſtulit peccatum tuum. ergo & remiſſionem meruit iniquitatis,& texit charitate atque operuit peccata,& texit operibus bonis: nec imputandum eſt ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ,ſed lapſus erroris: denique non fuit improbitatis æſtus,ſed vmbra myſterij:& tamen confeſſus eſt delictũ ſuum, agnouit iniquitatem, vidit lauacrum, vidit & credidit: dilexit multum, vt nimia charitate tegere errorem quemuis poſſet.

GRATIAN. 6. pars. Ecce, cuius pœnitentia hic commendatur, cui etiam venia per prophetam data monſtratur, quàm grauiter poſtea deliquerit, populi multitudo proſtrata oſtendit. Achab quoq; (vt *3 Reg. 21.* Hieronymus contra Iouinianum ſcribit) *Hier. lib. 2.* rex impiiſſimus, vt ſententiam dei ſubterfugeret, & euerſio domus eius differetur in poſteros, ieiunio impetrauit & ſacco. De quo ad eundẽ Ruſticum ſcribit idem Hierony. dicens. *Epiſt. ad Ruſticum.* 27

3. Reg. 21. a ACHAB rex impiiſſimus vineam Nabuthæ cruore poſſedit: & cùm Iezabel non tam coniugio ſibi quàm crudelitate coniuncta. Heliæ increpatione corripitur, ad eundem hæc dicit dominus: Occidiſti,& poſſediſti. & iterum. In loco quo linxerunt canes ſanguinem Nabuthæ, ibi lingent ſanguinem tuum. Et Iezabel canes comedẽt ante muros Iezrahel. *Ibidem. g.* Quod cum audiſſet Achab, ſcidit veſtimenta ſua, & poſuit ſaccum ſuper carnem ſuam,& ieiunauit,& dormiuit in cilicio. Factuſque eſt ſermo domini ad Heliam dicens: Quia reueritus eſt Achab faciem meam, non inducam malum in diebus eius. Vnum ſcelus & Achab & Iezabel commiſerunt: ſed tamen conuerſo Achab ad pœnitẽtiam, pœna differtur in poſteros: & Iezabel in ſcelere perſeuerans, præſenti condemnatur iudicio. ITEM Ioannes Chryſoſtomus de reparatione lapſi. *Libro ad Theodorum lapſum.* 28

TALIS(mihi crede) tales eſt erga homines pietas dei, nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſyncerè & ſimpliciter offeratur. Etiam ſi ad ſummum quis perueniat malorum,& inde tamen velit reuerti ad virtutis viam: ſuſcipit, & libenter amplectitur: facit omnia quatenus ad priorẽ reuocet ſtatum: & quod eſt adhuc præſtantius & eminentius, etiam ſi non potuerit quis explere in præſenti ſatisfaciendi ordinem: quantulamcunque tamen & quamlibet breui tempore geſtam non reſpuit pœnitentiam. Suſcipit etiam ipſam: nec patitur quamuis

uis exiguæ conuersionis perdere mercedem. Hoc enim mihi indicat Esaias, vbi de populo Iudæorum talia quædam dicit: *Esa. 54.* Propter peccatum modicè conturbaui eum, & percussi eum, & auerti faciem meam ab eo. contristatus est, & ambulauit tristis, & sanaui eum, & consolatus sum eum. Euidentius autẽ nobis testimonium dabit etiam rex ille impius qui cupiditatis suæ quidem prædam vxoris nequitia quæsiuit, sed perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, & cilicio circũdatus facinus suum fleuit: atque ita erga se domini misericordiã prouocauit, vt à cũctis eum absolueret peccatis. Sic enim ait deus ad Heliam: Vidisti quomodo compunctus est Achab à facie *3.Reg.21.g* mea? quia fleuit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius.

ITEM Gregor. in homil. decima super Ezechielem. 19 *In fine hom.10.*

SIcut Achab rex iniquus à propheta reprehensus, dum cõtra se diuinam sentẽtiam audisset, pertimuit, & in magno mœrore deprehẽsus est, ita vt prophetæ suo dominus diceret: nonne vidisti Achab humiliatũ coram me? quia ergo mei causa humiliatus est, non inducã mala in diebus eius. In quibus domini verbis pẽsandũ est quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent deum: si sic ei pœnitẽtia & in reprobo placuit, qui timebat perdere præsens seculũ: aut quomodo grata sit ei spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hoc ad tempus placuit & in illo qui displicebat.

GRATIAN. Niniuitæ quoque quos dominus in euangelio commẽdat, *Ionæ 3.b* pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ex misericordia domini indulgentiam cõsecuti, subuersionis interitu subterfugere meruerunt. Sed qualiter post acceptam veniã Achab vixerit, textus libri Regum declarat: de quo etiam scribit Ambrosius quòd Iezabel vxor eius cuius inflammabatur arbitrio, cor eius conuertit, & nimis sacrilegijs execrabilẽ fecit, & hũc pœnitentiæ eius effectum reuocauit. De Niniuitis autem in *In proœm. in Ionã.* principio Ionæ scribit Hieron. 30

SIcut ait Herodotus, Niniue à rege Medorum subuersa est regnante apud Hebræos Iosia. Vnde patet illam prædicante Iona ex pœnitentia meruisse veniam: sed quia postea ad vomitum redijt, ex ira dei subuersam fuisse.

ITEM in principio Naum. 31

NAum prophetam ante aduẽtum regis Assyriorum qui populum Israel captiuum in suas regiones transtulerat, fuisse Hebræorum traditio confirmat. Si quidẽ in fine huius lectionis prædicti regis aduentum idem propheta annunciare monstratur. Sed cùm habitatores Niniue Iona interitum ciuitatis prædicante, ne diuina ira denunciatum interitum sustinerent, peccatorum & impietatis pœnitẽtiam egissent: accepta pœnitentia

tentia dei misericordia, grauioribus se criminibus implicuerunt. qua de causa memoratus propheta spiritu sancto plenus judicium dei annuncians, ita est elocutus: Deus zelans, & vlciscens dominus.

Naum 1.a

GRATIAN. *7. pars.*

Item quòd frequenter venia pœnitenti præstetur, testatur Augustinus in libro de pœnitentia scribens cōtra quosdam hæreticos, qui peccantibus post baptismum semel tantum dicebant vtilem esse pœnitentiam, contra quos Augustinus scribens dicit: 32

Augu. in lib. de vera & falsa pœnit. ca. 5.

ADhuc instāt perfidi, quoniam sapiunt plus quàm oporteat: non sobrij, sed excedentes mensuram. dicunt enim, etsi semel peccantibus post baptismum valeat pœnitentia: non tamen sæpe peccātibus proderit iterata: alioquin remissio ad peccatum esset incitatio. Dicunt enim, quis non semper peccaret, si redire semper posset? dicunt enim deum incitatorem mali, si semper pœnitentibus subueniret: & etiam ei placere peccata, quibus præstò est gratia semper. Errant autem, imò constat ei multum peccata displicere, qui semper præstò est ea destruere, si enim ea amaret, non ita semper destrueret: sed conseruaret, atque vt sua munera foueret. semper destruit peccata quæ inuenit, ne soluatur quod creauit, ne corrūpatur quod amauit. Sumunt occasionē hypocritæ isti ex factis domini. quē enim cæcum bis illuminauit: quē leprosum bis mundauit? quē mortuum bis suscitauit? non Lazarum quem dilexit: non filiū viduæ, quem misertus matri suæ reddidit: non filiū dissipatorem legitur bis suscepisse: non filiā Abrahæ bis à dæmonio liberasse. in nulla persona iterauit factum: docens (vt aiunt) à domino sæpe non fieri remedium. Dixit mulieri: Vade, & amplius noli peccare: ne quid tibi deterius contingat. promittens pœnam, non amplius veniam. Quòd autem multos cæcos & in diuerso tempore illuminauerit, & multos debiles confortauerit, ostendit in diuersis illis eadem sæpe peccata dimitti: vt quem prius sanauit leprosum, alio tempore illuminet cæcum. ideo enim tot sanauit febricitātes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos: ne desperet de se peccator. ideo non scribitur aliquem nisi semel sanatum, vt quisque timeat mergi peccato. Videmus adhuc quotidie in ecclesia sæpe febricitātes, sæpe languidos, sæpe passionibus captos, sæpius liberari: vt appareat totiens opus miserentis, quotiens confessio fit pœnitentis. Quomodo enim corpus quod vilius est, & ab ipso dissimilius sæpe sanaret: & animam digniorem & redemptā non totiēs liberaret? Medicum se vocat, & non sanis, sed malè habentibus opportunū. Sed qualis hic esset medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est infirmum centies curare. qui cæteris minor esset, si alijs possibilia ignoraret, memor est sui qui promisit:

Ioan. 11.e
Luc. 7.b
Luc. 15.c
Matth. 15.e
Ioan. 8.b
Matt. 2.e

promisit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. *Ezech. 33. e* Quem enim peccatorem exclusit, qui omnibus promisit indulgentiam? Alijs quoque promissionibus declarat: Qui me *Matth. 10. d* confessus fuerit corã hominibus, id est, omnis quantuscunque & quotiescunque peccator, cuiuscunq; ordinis, etsi fuerit sacerdos, confitebor & ego eũ coram patre meo. Nam quicun- *Iohel 2. g* que inuocauerit nomẽ domini, id est, secundũ quòd nominatur dominus: id est, qui inuocauerit eũ ad se, seruiẽdo, & nõ cõtradicendo, vt forsitan sæpe fecit: omnis, id est, quicunq; sit ille peccator, saluus erit. omnẽ enim animam iste promissor saturauit bonis, etiam sedentẽ in tenebris & vmbra mortis: nullã excipiens animã. Hunc magistrũ intellexit discipulus ille qui Corinthios per epistolas suas voluit corrigere: & (vt ipse testa- *1. Cor. 13 a* tur) ter in literis eos correxit. Oportebat enim vt quotiẽs videbat eos cadere: totiẽs iuuaret eos resurgere. Memor enim erat illius qui dixerat: Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis. *Ioan. 20. f* Scimus autem & primos patres, & in omni tẽpore ecclesiam dei semper, id est, vsque septuagesies septies (quod est semper) peccata dimittere. quam potestatẽ isti ab ecclesia auferre conantur. oportet enim ecclesiã dei sic credere, quæ confitetur se sæpe peccare. Negãt enim veritatẽ seducti, qui se absque pec- *Iacob 3. a* cato audẽt iactare. In multis enim offendimus omnes: & nec *Iob 15. b. secundum aliam literam.* infans vnius diei absque peccato super terrã esse potest. Quapropter eliminandus est ab ecclesia, qui vnquã pœnitentibus negat indulgentiã. Non enim inquirit quid Apostolus sensit, qui dixit: Nihil mihi cõscius sum, sed non in hoc iustifica- *1. Corinth. 4. a* tus sum. sciens etiã iustis peccata solere contingere, non se cõfirmabat absq; peccato, qui se cognouit indissolubili vinculo charitatis iunctũ Christo. nisi enim sciret iustos sæpe venire ad veniã: quomodo dubitaret se peccare, qui sciebat se spiritũ dei habere, & intentione mundissima ei seruire? Cur enim domi- *Ioann. 13. a* nus Petri pedes lauisset, & ecclesiã hoc idẽ docuisset: nisi quia quoniam quotidiana est offensio, oportet vt quotidiana sit remissio? Cur docuisset orãtes dicere: Dimitte nobis debita no- *Matt. 6. b* stra, nisi ipse misericors perseueret, qui nos ab hac petitione non vult deficere? ITEM Augu. ad Macedonian. 33 *Epist. 54. ad Macedon.*

IN tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, vt etiam post actam pœnitentiã, post altaris reconciliationẽ vel similia vel grauiora committãt, & tamen deus facit etiã super tales oriri solem suũ, nec minus tribuit quàm antea tribuerat largissima munera vitę & salutis, & quãuis eis in ecclesia locus humilimæ pœnitẽtię non cõcedatur, deus tamen super eos patientiæ suę non obliuiscitur. Ex quorũ numero si quis nobis dicat: Dicite vtrũ mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blãdimenta contẽpsero, si me

pœnitendo vehemẽtius quàm prius excruciauero, ſi miſerabilius ingemuero, ſi fleuero vberius, ſi vixero melius, ſi pauperes 1.Pet.4.b ſuſtentauero largius, ſi charitate quæ operit multitudinem peccatorum, flagrauero ardentius, quis noſtrum ita deſipit vt huic homini dicat: Nihil tibi iſta in poſterum proderunt: vade ſaltē huius vitæ ſuauitate fruere! auertat deus tam immanem ſacri- 8.pars. legamque dementiam. Siue autem quis dicat primam tantum pœnitentiam poſt baptiſmum vtilem eſſe, non ſequentem: ſiue contendat quis vltimæ tantum veniam dari, non præcedenti: ſemper tamen auctoritati aduerſatur quæ ſæpiſſimè veniam pœnitenti repromittit. Quæ autem ſit vera pœnitentia cui venia nunquam negatur, & quæ ſit falſa cui nunquam indulgen- Leuit.10.d tia promittitur: Adamantius & Iſychius ſuper Leuiticum teſtantur. Adamantius. 34

INter hæc, hircum qui oblatus fuerat exuſtum, &c. Non peccare, ſolius dei eſt: emendare, ſapientis. Sed raro inuenias qui ſe corrigat. Rara confeſſio peccati, rara pœnitentia. Repugnat natura & verecundia, quia obnoxia eſt culpæ omnis caro, & quiſq; erubeſcit peccatū ſuum confiteri, dum magis præſentia cogitat quàm futura. Vult enim Moyſes peccati vacuā reperire animam, & vt exuuias erroris deponat, & culpæ nuda ſine pudore ſui erroris diſcedat. Sed vbi irrationabilis impetus pręuenit, & flāma celerrimi motus exurit animā, depaſcitur eius innocentiā. Prępōderant enim futuris pręſentia & ſerijs iucunda, & læta triſtibus, & properata tardioribus. Velox enim iniquitas, quæ ad nocendū occaſionem ſuggerit. Lenta virtus & cunctatrix antè iudicat quàm incipiat, quid decorum, quid honeſtum: iniquitas omnia præcipitat. Pigra ergo & verecunda pœnitentia, quæ præſentium pudore premitur. Solis enim intendit futuris, quorū ſpes ſera, tardior fructus. interim præcurrit impudentia, & ſpe præſentiū pœnitentia excluditur, & affectus eius exuritur & aboletur. quærit eam lex, & non inuenit: cōbuſta eſt enim in feruore & fumo iniquitatis. Inde enim iraſcitur, & dicit deuorandā fuiſſe pœnitentiā in ſancta ſanctorū. Leuit.10.a Sacerdotes quaſi ſegnes increpat. Reſpōdit Aaron prouidum debere eſſe ſacerdotale iudiciū: nec malæ ſanè conſcientiæ facilè eſſe credendū id muneris, ne fiat error deterior priore. Vaſe enim fœtido vel oleū vel vinum facilè corrūpitur. Quomodo autē poterat, vbi ignis alienus erat, peccatū exuri, & in conſpectu domini, cui omnia aperta ſunt? quaſi dicat, non cōplacet deo, qui iniuſtitiā corde incluſam tenet, & ſe pœnitentiam agere perhibet. Ignis alienus, libido, auaritia, omnis praua cupiditas. Hic ignis exurit, non mūdat. In quibus enim eſt, ſi offerant in conſpectu domini, ignis eos cœleſtis abſumit, ſicut Ibidem. Nadab & Abiud, cū his qui pro peccato fuerant oblata. Qui

ergo

ergo vult mundari, ignē alienum remoueat: & illi igni se offerat, qui culpā exurit, non hominē. Hic ignis siccauit hæmorrhoissæ [Marc. 5.e] profluētē sanguinem, hic siccauit culpā latronis. [Luc. 23. f] Ignis qui consumens est, sanat simpliciter & purè cōfitentes. [Deut. 4.d] Iudas inquit: Peccaui tradens sanguinē iustum: sed in pectore habuit [Matt. 27.a] ignem alienū: quo inflāmante cucurrit ad laqueū. Indignus autem remedio fuit, quia non pura mente pœnituit. Culpam ergo eius non auferunt sacerdotes, qui dolosè se offert: nec in eo possunt epulari, quorum cibus est peccatorum remissio. Vnde verus sacerdos ait: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris [Ioan. 4.e] mei qui in cœlis est: id est, vt peccatores conuersi & pœnitentes soluantur. Non est acceptum deo sacrificium nisi verum & syncerum.

ITEM Isychius. 35 [Lib. 2. ad cap. 10. Leuit. 2]

INter hæc hircum qui oblatus fuerat, &c. Quia omne peccatum per pœnitentiam deletur: & qui prędictum peccatum alterius doctrinæ & blasphemiæ commiserunt, saluati non sunt, [Leuit. 10.d] causam mortis eorum Legislator exponit. Inter hæc hircū qui oblatus fuerat, &c. Quia scilicet non comederunt filij Aaron quod pro peccato erat in loco sancto, id est, pro eo quod pœnitentiam in ecclesiam commissi peccati peragi vt sacerdotes non fecerunt, quibus hoc præceptū est, quos Christus in ecclesia sua vicarios constituit: ipse autē oblationis suę sanguinem, quæ pro nostro sanguine oblata est in sanctum, id est, cœlum: in cōspectu patris sui obtulit. Debet autem comedi hoc sacrificiū in loco sancto, scilicet in ecclesia, in propiciationē peccatorum. Vnde addit: Quemadmodū præceptum est mihi, id est, quemadmodū præcepi & mandaui. Moyses ergo gerit personam Christi: Exustū reperit. Nam quia in spiritū sanctum peccauerant, ab intelligibili igne videlicet spiritus pro pœnitentia oblatio oblata est. voluntariè enim peccantibus non relinquitur hostia pro peccato. Nam sicut vera pœnitentia veniā promeretur, ita simulata deum irritat: quia spiritus sanctus disciplinæ [Sapient. 1.b] effugiet fictum. Hoc autem sancti patres irremissibile peccatum & blasphemiam in spiritum sanctum dixerunt, & sceleribus vsq; ad finem vitæ perseuerare, de potētia & misericordia dei redemptoris diffidere, & de salute sui desperare.

ITEM Ioannes Os aureum in epist. ad Hebr. 36 [Chrys. hom. 31. ad cap. 12. epi. ad Hebr.]

IVdas pœnituit, sed malè: laqueo nanq; se suspēdit. pœnituit etiam Esau. magis iste, neque pœnituit. lachrymę quippe nō erant pœnitentiæ, [Matth. 27.b] sed animi violēti, & indignationis internæ: quod eius operibus aperitur. [Genes. 4.b] Non igitur negemus peccata nostra, neque nos impudentia duros efficiat. sponte nostra puniamus peccata, ne pendamus non spōte supplicia. [Genes. 4.b] Audiuit Cain à deo: Vbi est Abel frater tuus? & dixit, nescio, nunquid custos fratris mei sum ego? vides quomodo ex hoc peccato amplius

operatus est. nónne & pater eius similiter? Audiẽs enim & ipse *Genes. 3. b* Adam. vbi es? dixit: Audiui domine vocẽ tuam, & timui, quoniam nudus sum, & abscondi me. Magnum est vt quis peccata sua agnoscat, & memoriam eorum perseueranter retineat. Nullum inuenitur delictorum tale remedium, sicut eorũ continuata memoria.

Cap. 11. ITEM Ambr. in lib. ij. de pœnit. 37

Psalm. 136. IN salicibus, inquit, in medio eius suspendimus organa nostra. quomodo cantabimus cãticum domini in terra aliena? Si enim caro mẽti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo, & mentis imperio: aliena est terra, quę non domatur exercitio cultoris: & ideo non potest fructus charitatis pœnitẽtiam pacis afferre. Melius est ergo tunc quiescere, cùm exercere nõ queas opera pœnitẽtiæ, ne in ipsa pœnitẽtia fiat ꝙ postea indigeat pœnitẽtia: quę si semel fuerit vsurpata, nec iure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert vsum posterioris. sanè & cùm caro repugnet, mens ad deũ debet esse intẽta: & si opera non sequũtur, *fides non deseratur: & si carnis illecebræ impugnẽt, vel potestates aduersariæ, maneat mẽs deo dedita. tũc enim maximè vrgemur, cùm caro cedit: & sunt qui vehementer incubant miseræ animæ quærentes omne auferre pręsidiũ. Vnde illud est: Exinanite, exinanite vsq; ad fundamentũ in ea. *Psalm. 136.* quã miseratus Dauid ait: Filia Babylonis misera, misera vtiq;: quia Babylonis filia est, quæ dei filia desijt esse. cui tamẽ medi- *Ibidem.* cũ inuitat dicens: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram: hoc est, qui infirmas & lubricas cogitationes elidat ad Christũ, qui omnes irrationabiles motus sui reuerẽtia & disceptatione cõminuat.

**fides desideret.*

Ad cap. 27. Matth. in comment. ITEM Hier. super Matth. 38

NIhil Iudæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando frater sic in fratrem peccat, vt emendare valeat quod peccauit, potest ei diuinitus dimitti: sin autem permaneant opera, frustra voce assumitur pœ- *Psalm. 108.* nitentia. hoc est quod de eo dicitur: Et oratio eius fiat in peccatum. vt non solum emendare nequiuerit proditionis nefas, sed proprij homicidij scelus addidit.

Glos. ordinar. ad cap. 27. Matth. ITEM Leo papa in serm. qui incipit, Inter omnia. 39

SCeleratior omnibus ô Iuda, & infœlicior omnibus extitisti: quem non pœnitentia reuocauit ad deum, sed desperatio traxit ad laqueum. expectasses consummationem criminis tui, donec sanguis Christi pro peccatoribus funderetur, informis lethi suspendium distulisses.

GRATIA. 9. pars. His auctoritatibus quæ sit vera, quæ sit falsa ostenditur pœnitentia, & falsæ nulla indulgentia dari probatur: in quo illorum sententia destruitur, qua eum qui pluribus irretitus fuerit peccatis, asseritur vnius delicti pœnitentia eiusdem veniam consequi à domino sine alterius criminis pœnitentia: quod

etiam

etiam multis auctoritatibus probare conantur: quarum prima eſt illa Naum prophetæ: Non iudicabit deus bis in idipſum. Sed quem ſacerdos iudicat, deus iudicat, cuius perſonam in ecclefia gerit. qui ergo à ſacerdote ſemel pro peccato punitur, non iterum pro eodem peccato à domino iudicabitur. *Nam 1. ſecundũ aliam tranſlat.*

ITEM Gregorius ſuper Ezechielem. 40 *Homil. 1.*

PLuit dominus ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram non pluit: & eandem ciuitatem ex parte compluit, & ex parte aridam relinquit. Cùm ille qui proximum odit, ab alijs vitijs ſe corrigit, vna eademq́ue ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet: quia ſunt qui cùm quædam vitia reſecant, in alijs grauiter perdurant. *Amos 4.c*

ITEM Ambr. in xviij. Octonario. 41 *Serm. 18.*

PRima conſolatio eſt, quia non obliuiſcitur miſereri deus. Secunda per compunctionem: vbi & ſi fides deſit, *pœna ſatisfacit & releuat. *Pſalm. 118.* **pœnitentia.*

GRATIA. Item opponitur de Hieronymo qui ſuper Naũ ſentire videtur, quòd ſi infidelis adulterando interficeretur, de adulterio non amplius à deo puniretur. Item ſi illa ſatisfactio non fuit quam in adulterio viuens pro homicidio obtulit, cùm adulterij eum pœnituerit, vtriuſque ei pœnitentia imponenda erit: quod à ratione alienum eccleſiaſtica probatur conſuetudine, quæ pro eodem peccato (niſi reiteratum fuerit) nulli bis pœnitentiam imponit. Sed quòd ei qui crimen ſibi reſeruat de alio venia non præſtetur, non ſolum pręmiſſis probatur auctoritatibus Iſychij, Adamantij, Gregorij, Auguſtini, Smaragdi, Iſidori: verùm etiam alia auctoritate eiuſdem Auguſtini in libro de pœnit. Ait enim. 42 *Capit. 9.*

SVnt plures quos peccaſſe pœnitet, ſed nõ omnino, reſeruantes ſibi quædam de quibus delectentur: non animaduertentes deum ſimul mutum & ſurdum à dæmonio liberaſſe. Per hoc docet nos nunquam niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet peccata ex parte reſeruari, habenti ſeptem dæmonia potuit proficere ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, vt omnia crimina ſimul eijcienda doceret. Legionem autem ab alio eijciens, neminem reliquit de omnibus qui liberatum poſſideret: oſtendens quòd etiam ſi peccata ſint mille, oportere de omnibus pœnitere. Laudatus eſt enim dominus quòd eiecto dæmonio, locutus eſt mutus. Nunquam aliquem ſanauit, quem omnino non liberauit. totum enim hominem ſanauit in ſabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit, indicans pœnitentes oportere ſimul dolere de omni crimine orto in anima & in corpore. ſcio enim deum inimicum omni criminoſo. Quomodo *Matth. 12.b* *Matth. 16.b* *Marc. 5.b* *Matth. 9.d*

do ergo qui crimen reseruat, de alio reciperet veniã? sine amore dei cõsequeretur veniã, sine quo nemo vnquam inuenit gratiã. hostis enim dei est dũ offendit perseuerãter. Quædã enim enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiã sperare veniã. nam quomodo sine vera pœnitẽtia inueniret gratiã? pœnitentia enim vera ad baptismi puritatẽ confitentẽ conatur adducere. Rectè enim pœnitẽs quicquid sordis post purificationem contraxit, oportet vt abluat saltem lachrymis mentis. sed satis durus est, cuius mentis dolorẽ oculi carnis nequeunt declarare. sed sciat culpabiliter se durum qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non ostendit in lachrymis. non est itaque vt quis excusẽt se nõ habere fontem lachrymarum, qui nonnunquam ostendit lachrymis dolorem amore temporalium. Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, &c.

GRATIAN. 10. pars. Naum 1. c. secundum aliam literam.

Auctoritas illa Naũ prophetæ: Non iudicabit deus bis, &c. non indistinctè ostendit omnia quæ temporaliter puniuntur, non vlterius à deo puniẽda. quanuis enim Sodomitas, Aegyptios, Israelitas in eremo super eundẽ locum dicat Hieron. tẽporaliter à deo punitos, ne in æternum punirẽtur: non tamen de omnibus generaliter hoc intelligendum est: alioquin cuiq; scelerosо optandum esset, vt cælesti fulmine percussus, aut aquis submersus, aut à serpentibus vulneratus pro peccatis suis diuinitus interiret, vt æternos cruciatus breuis & momẽtanea pœna terminaret. Illud etiam Apostoli falsum esset quod de prostratis in deserto in epist. ad Hebræos scribens ait: Propter incredulitatem suam non intrauerunt terram promissionis. vbi probatur quòd sicut merito suæ infidelitatis requiem illam amiserunt, ita propter eandem infidelitatem veram requiem æternæ beatitudinis nullo modo intrauerunt. Intelligitur ergo illud Hieronymi de his tantum qui inter ipsa flagella pœnitentiam egerunt: quam etsi breuem & momentaneam, tamẽ non respuit deus. sicut & illud prophetæ: Non iudicabit deus bis in idipsum: de his tantum intelligi oportet, quos præsentia supplicia commutant, super quos non consurget duplex tribulatio. qui autem inter flagella duriores & deteriores fiunt: sicut Pharao qui flagellatus à domino durior factus est, præsentibus æterna connectunt: vt temporale supplicium sit eis æternæ damnationis initium.

Hebr. 3. d — *Naum 1.*

Deuter. 32. c

V N D E August. in cantico Deuteron. 43

IGnis succensus est, &c. Hoc est, vindicta hic incipiet, & ardebit vsque ad extremam damnationem.

GRATIAN.

Hoc contra illos notandum est qui dicunt, non iudicabit deus bis in idipsum, ad omnia pertinere flagella: quia quidam hic flagellis iudicantur vel emendantur, alij & hic & in

æternum

æternum puniuntur, sicut Antiochus & Herodes. Quod autem super eundem locum de adultero infideli Hierony. sentire videtur, ex eiusdem verbis falsum esse probatur: exemplo enim illius qui Israelitas maledixerat, & qui ligna in sabbato collegerat: ostendit parua peccata breuibus temporalibus suppliciis purgari, magna verò diuturnis & æternis suppliciis reseruari. Ait enim. 44

Hier. ad 1. cap. Naū in comment.

QVærat hic aliquis, si infidelis deprehẽsus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat. aut enim punietur: & falsum est hoc quod dicitur: Non iudicabit deus bis in idipsum in tribulatione. aut non punietur, & optandum est adulteris, vt impræsentiarum breui pœna puniantur, vt frustrẽtur cruciatus æternos.

Naum. 1.

GRATIAN.

Ad quod respondemus deum, vt omnium rerum ita & suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententia iudicis, nec illi in peccatorum exercendæ de hinc pœnæ auferri potestatem, & magnum peccatum magnis diuturnisq; lui cruciatibus. si quis autem punitus sit, vt ille in lege qui maledixerat Israelitæ, & qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri: quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit. Illud autem Gregorij. Pluit dominus super vnam ciuitatem &c. non ad criminis veniá, sed ad eius referendum est detestationem: vt ideo pars ciuitatis dicatur esse compluta, quia crimen quod dilexerat, detestari incepit: non quod eius veniam consequatur. Criminis autem detestatio pluuia vocatur: quia ex fonte diuinæ gratiæ cordi nostro instillatur: vt vel sic quisque ad veram pœnitentiam perueniat, aut eo minus à deo puniatur, quo diuturniori delectatione peccati maius sibi supplicium accumulasset. Si verò ad indulgentiam criminis pluuia referatur, euangelicæ sententiæ contraire videtur, si enim propter fraternum odiū, etiam quæ dimissa sunt replicantur ad pœnam, multo magis quæ non sunt dimissa, ad vindictam reseruari probantur. Item si secundum Augustinum arbiter suæ voluntatis non potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ: quomodo ad nouitatis indulgentiam perueniet, qui odij vetustatem non deposuit? Ad detestationem ergo criminis (vt dictum est) non ad eius indulgentiam pluuia illa pertinere probatur. Item illud Ambros. Et si fides desit, pœna satisfacit: non de ea fide intelligitur, de qua dicitur. Fides sine operibus mortua est: sed de ea intelligitur: de qua Apostolus ait: Omne quod non est ex fide, peccatū est id est, omne quod fit contra conscientiam, peccatum est. deest ergo fides cùm non subest conscientia peccati. Sed quia delicta omnia nullus intelligit, est aliquãdo peccatum in homine, cuius non habet conscientiam. vnde Apostolu

Amos. 4.

Iacob. 2. d

Rom. 14.

1.Cor.4. stolus ait: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Cuius ergo peccati deest conscientia, illius pœna si patienter feratur, satisfacit & releuat grauatum.

Quod autē in fine obiicitur, si satisfactio illa fuit, veniam impetrauit, si autem veniam non impetrauit, satisfactio non fuit: si autem satisfactio non fuit, adhuc sibi pœna imponenda est: non procedit argumentatio. Satisfactio nanq; est dum ipsius causa peccati exciditur, & eius suggestionibus aditus non indulgetur: sed eius fructus non percipitur, impeditus peccato quod nō deseritur: percipietur autem cùm eius pœnitentia fuerit subsecuta, sicut ad lauacrum fictè accedens regenerationis sacramentum accipit, non tamen in Christo renascitur. renascetur autem virtute sacramenti quod perceperat, cùm fictio illa de corde eius recesserit veraci pœnitētia. Sicut etiam Augustinus scribit in libro de pœnitentia. 45

cap.14.

PIum est credere, & nostra fides hoc expostulat, vt cum gratia Christi destruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona. Et cùm destruxerit quod suum non inuenit, amat & diligit bonum quod in peccante plantauit. Ex hoc sensu illud etiam Hieronymi dictum videtur. 46

Hier. ad ca.1. in Aggeum.

SI quādo videris inter multa mala opera facere peccatorem quenquam aliqua quæ iusta sunt, non est tam iniustus deus, vt propter mala multa obliuiscatur paucorum bonorum.

II. pars.

Quanquam memoria bonorum ad præsentem remunerationem possit referri: sicut Gregorius in homilia de diuite & Lazaro scribit. 17

Ho 40. euangeliorum.

CAuēdum nobis est, vt si fortè aliquid boni agimus, in præsenti seculo remunerationem accipiamus, ne fortè dicatur nobis: Receperunt mercedem suam. nisi enim diues iste aliquod bonum egisset: vnde in præsenti seculo remunerationem accepisset, nequaquam Abrahā ei diceret: Recepisti bona in vita tua. ITEM Ioannes Chrysostomus. 48

Matth 6. d
Luc. 16. f
Ho. 67. ad populum Antioch.

QVid ergo turbamur? nemo videns malignos prosperitatem habere turbetur, non est hic retributio malignitatis neque virtutis, ac si aliquando contingat vt aliqua sit retributio vel malitiæ vel virtutis: non tamen secundum quod dignum est, sed simpliciter veluti quidam gustus iudicij, aut iustitiæ: vt qui resurrectionem non credunt, talibus doceantur. Quando itaque videmus malignum ditescere, non subruamur, & quando videmus bonos mala pati, non turbemur. Illic corona, illic supplicia.

GRATIAN. Est & alia ratio: quia non potest vel malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona, neque bonus in omnibus esse bonus, sed habet aliqua peccata. Cùm ergo prosperitatē malus habet, malo capitis sui est. cùm enim pro illis paucis bonis

nis retributionem hic accipit, illic iam plenius punietur. Potest etiam referri memoria bonorum ad mitiorem pœnā habendam, vt bona quæ inter multa mala fiunt, non proficiant ad præsentis vitæ vel futuræ præmium obtinendum: sed ad tolerabilius extremi iudicij supplicium subeundum, sicut de fide & cæteris quæ sine charitate habentur.

Augustinus scribit in libro de pœnitentia dicens. 49

SI quis autem non habens charitatem, quæ pertinet ad vnitatem spiritus, & vinculum pacis, quo catholica ecclesia cōgregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, sitim, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, & flammas, bestias, vel ipsam crucem timore gehēnæ & ignis æterni, nullo modo ista culpāda sunt, immo verò & hæc laudanda est patientia. non enim dicere poterimus melius ei fuisse, vt Christum negando nihil eorum pateretur quæ passus est confitendo, sed existimandum est fortasse tolerabilius, ei futurum iudicium, quàm si Christum negando nihil eorum pateretur. Vnde illud quod ait Apostolus: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: nihil prodesse intelligitur ad regnū cœlorum obtinendum, nō ad extremi iudicij tolerabilius supplicium subeundum. & infra. Hæc propter charitatem dicta sunt, sine qua in nobis esse non potest vera pœnitentia: quoniam est in bonis charitas dei, quæ tolerat omnia.

Ephes. 5. a

1. Cor. 13.

GRATIAN. 12. pars.

Pœnitentia ergo (vt ex præmissis apparet) nulli in peccato perseueranti vtilis est, non tamen alicui deneganda est: quia sentiet fructum eius cùm alterius criminis pœnitentiam egerit. Sic itaque pœnitentiæ definitio, & cæteræ auctoritates sibi consonantes negant eum agere pœnitentiam, qui perseuerat in crimine, vtilem videlicet sibi & fructuosam.

Ca. 11. li. 2. de pœnitentia.

Illud autem Ambrosij. Pœnitētia semel vsurpata, nec verè celebrata, & fructum prioris aufert, & vsum sequentis amittit, de solenni pœnitentia intelligitur, quæ cùm non verè celebrata fuerit, & fructum prioris, id est suiipsius secuturam præcedentis amittit: quia veniam quam impetrare potuit contempsit, & vsum sequentis aufert secundū consuetudinē quarundam ecclesiarū, apud quas pœnitentiæ solennitas nō iteratur.

De hac eadem pœnitentia illud etiam intelligitur: Non est secundus locus pœnitentiæ.

DISTINCTIO IIII.

AN PECCATA DIMISSA REDEANT.

GRATIAN.

QVia verò multorū auctoritatibus supra monstratū est, pœnitentiam verè celebrari, & peccata verè dimitti ei qui aliquādo in crimē recasurꝰ est, quęritur an peccata dimissa?

dimissa? Huius quæstionis diuersorum varia est sentẽtia, aliis asserentibus, aliis contra negantibus peccata semel dimissa vlterius replicari ad pœnam. Quod autem peccata semel dimissa redeant, multorum auctoritatibus probatur: quarũ prima est illa prophetę: *Psalm. 108.* In memoriam redeat iniquitas patrum eius. Secunda illud euangelij: *Matth 18.d* Serue nequam, omne debitum dimisi tibi. Deinde in libro psalmorum Augustinus ait: *Ad Psal. 108.* 1

SI Iudas tenuisset illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas perueniret: *Psalm. 108.* quia ergo non tenuit adoptionem in familia dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, rediit iniquitas patrũ eius in conspectu domini, vt in eo etiam ipsa puniretur. Item Rabanus. Tradidit eum tortoribus &c. Considerãdum est quod dicit vniuersum debitum: quia nõ solùm peccata quæ post baptismũ homo egerit, reputabũtur ei ad pœnam, verumetiam peccata originalia quæ in baptismo ei dimissa sunt.

cap 60. lib. 4. dialogorum. ITEM Gregorius, Ex dictis euangelij. 2

COnstat quia si quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

ITEM Augustinus in homilia .j. 3

Luca. 6.f. DIxit dominus: dimitte, & dimittetur tibi. si ego prius dimisi, dimitte vel postea. nam & si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid dimiseram, replicabo tibi. ITEM 4

QVi diuini beneficij oblitus suas vult vindicare iniurias, non solùm de futuris peccatis veniam nõ merebitur: sed etiam præterita quæ iam sibi dimissa credebat, ad vindictã ei replicabuntur. *Lib. 4 cap. 47. comment.* ITEM Beda super Lucam. 5

Luc. 11.c. REuertar in domum meam vnde exiui. timendus est iste versiculus, non exponendus: ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.

Idem Beda ibidem. ITEM. 6

QVæcunque enim post baptisma siue prauitas hæretica, siue mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. ITEM Augustinus in libro quæstionum Deuteronomij. *Quæ. 42. lib. 5. quæst. ad c. 24. Deuter.* 7

PEccatum quod ex Adam contrahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem inæternum eis qui fuerunt per gratiam regenerati, si in ea vsque in finem permanserint.

GRATIAN. 2. pars. Eorum verò qui hanc sententiam sequuntur, alij dicunt quòd peccata reditura dimittuntur secundum iustitiam, sed non secundum præscientiam, sicut nomina discipulorum qui retro abierunt, erant scripta in libro vitæ propter iustitiam cui *Ioan. 6. g* deseruiebant, non secundum præscientiam quæ in numero saluan-

saluandorum eos non habebat. sic à latere dei nostri dicuntur *Psal. 90.* mille casuri, & decem milia à dextris eius, quos tamen diuina præscientia nunquam suis annumerauerat. Hinc etiam dominus ait Moysi: Si quis peccauerit ante me, delebo eum de *Exod. 32 g* libro vitæ. vt secundum iustitiam iudicis ille peccando dicatur deleri, qui secundum præscientiam nunquam fuerat adscriptus. Hinc August. in epistola ad Corinth. Sed non in plu *1.Cor.10.a* ribus eorum beneplacitum est domino, etsi in aliquibus. communia omnibus sunt omnia sacramenta, sed non communis gratia. ita & nunc baptismus est communis: sed nõ virtus baptismi. Verùm hoc de fictè accedentibus, vel de his qui ex- *3.pars.* tra ecclesiam baptizantur, intelligitur: qui sacramẽti quidem *Cap. 8.* integritatem accipiunt, virtutem verò eius minimè assequuntur. Paruulis verò vel adultis plena fide accedentibus omnia peccata remittuntur, & si aliquando recessuri à bono in malum vitam sint finituri. VNDE Augustinus in libro de correptione & gratia. 8

SI ex bono in malum deficiente bona voluntate moriũtur, *Sapien.4.c* respondeant si possunt cur illos deus cùm fideliter & piè viuerent, nõ tunc de vitæ huius rapuit periculis, ne malitia mutaret intellectum eorũ, & ne fictio deciperet animas eorum. Vtrum hoc in potestate nõ habuit, an eorum mala futura nesciuit? Nempe nihil horum nisi peruersissimè ac insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit respondeant, qui nos irridẽt quando in talibus rebus exclamamus, Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. *Roman.11.d* Neque enim hoc nõ donat deus quibus voluerit: aut verò scriptura illa mentitur, quę de morte velut immatura hominis iusti ait: Raptus est ne ma *Sapien.4 c* litia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animum eius. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat deus, aliis non dat, apud quẽ non est iniquitas, neque acceptio personarum, & in cuius potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terrã. Sicut ergo cogun- *Iob. 7.a* tur fateri donum dei esse vt finiat homo vitam istam antequam ex bono mutetur in malum, cur autem id aliis donetur aliis non donetur, ignorant: ita donũ dei esse in bono perseuerantiam secundũ scripturas, de quibus testimonia multa iam posui, fateantur nobiscum, & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure aduersus deum dignentur ignorare nobiscum. Nec nos moueat quòd filiis suis quibusdã non dat deus istam perseuerantiam. Absit enim vt ita sit si de illis prędestinatis essent, & secundum propositum vocatis sanctis, qui verè sunt filij promissionis. Nam cùm isti piè viuunt, dicuntur filij dei: sed quia victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios dei, præscientia enim dei sunt filij dei, qui

nondum

nondum ſunt nobis, & ſunt iam Deo, de quibus Ioannes *Ioan.11.g* euangeliſta ait: Quia Ieſus erat moriturus pro gente, & non tantum pro gente, ſed etiam vt filios dei diſperſos congregaret in vnum: quod vtique credendo futuri erant per euangelij prædicationem, & tamen antequam eſſet factum, iam filij dei erant in memoriali patris ſui inconcuſſa ſtabilitate cõſcripti. Et ſunt rurſus quidam qui filij dei propter ſuſceptam, vel temporaliter gratiã dicuntur à nobis, nec ſunt tamen filij dei: *1.Ioan.2.c* de quibus ait idem Ioannes: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. nõ ait ex nobis exierũt, ſed quia nõ manſerunt nobiſcum, iam non ſunt ex nobis: verùm ait, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: hoc eſt, & quãdo videbantur ex nobis, nõ erant ex nobis, Et tanquã ei diceretur, vnde id oſtendis? quòd ſi fuiſſent ex nobis (inquit) permãſiſſent vtique nobiſcum. filiorum dei vox eſt. Ioãnes loquitur, in filiis dei loco præcipuo conſtitutus. Cùm ergo filij dei dicuntur de his qui perſeuerantiam non habuerũt, ex nobis exierunt, ſed nõ erant ex nobis: & addunt: quoniam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, quid aliud dicunt niſi non erant filij etiam quãdo erant in profeſſione, & in nomine filiorum dei? nõ quia iuſtitiam ſimulauerunt: ſed quia in ea non permanſerunt. neq; enim ait: nam ſi fuiſſent ex nobis, veram & non fictã iuſtitiam tenuiſſent vtique nobiſcũ, ſed ſi fuiſſent (inquit) ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, in bono illos volebat proculdubio permanere. erant itaq; in bono, ſed quia in eo nõ permanſerunt, id eſt non vſque in finẽ perſeuerauerunt: non erãt (inquit) ex nobis: & quando erant nobiſcum, hoc eſt non erãt in numero filiorum, etiã quando erant in fide filiorũ, quoniam qui verè ſunt filij dei, præſciti & prædeſtinati ſunt conformes *Roman. 8.f* imaginis filij dei, & ſecundum propoſitũ vocati ſunt ſancti, vt electi eſſent. non enim perit filius promiſſionis: ſed filius perditionis. fuerunt ergo iſti ex multitudine vocatorũ, ex electorum autẽ paucitate non fuerunt: non ergo filiis ſuis prædeſtinatis deus perſeuerantiam non dedit. haberent enim eã ſi in eorum filiorum numero eſſent. & quid haberẽt quod nõ accepiſſent ſecundum apoſtolicam verãque ſententiam? ac per hoc tales filij filio Chriſto dati eſſent, quẽadmodũ ad patrem *Ioan.6.d* ipſe dicit: Vt omne quod dediſti mihi, non pereat, ſed habeat vitã æternam, hi ergo Chriſto intelliguntur dati qui ordinati ſunt ad vitam ęternam. Ipſi autem illi ſunt prædeſtinati, & ſecundum propoſitum vocati ſancti, quorũ nullus perit, ac per hoc nullus eorum ex bono in malũ mutatus finit hãc vitam, quoniam ſic eſt ordinatus: & ideo Chriſto datus, vt nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. & rurſus quos dicimus inimicos eius vel paruulos filios inimicorum eius quoſcunque eorum

ſic regeneratus eſt, vt in ea fide quæ per dilectionem operatur, hanc vitam finiant, iam & antequam hoc fiat, in illa prædeſtinatione filij eius ſunt, & dati ſunt Chriſto filio eius vt nõ pereant, ſed habeãt vitam æternam. denique ipſe ſaluator ait: Si manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis. nunquid *Ioan. 8. d* in his computandi ſunt illi, de quibus euangelium ſic loquitur, vbi dominus cùm commendaſſet manducãtem carnem ſuam, & bibentem ſanguinem ſuum: ait euangeliſta. Hoc di- *Ioan. 6. f* xit in ſynagoga docens in Capharnaum. multi ergo ex diſcipulis eius audientes dixerũt: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia murmurabant de hoc diſcipuli eius, dixit eis. Hoc vos ſcãdalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi prius erat. Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpirit⁹ & vita ſunt. ſed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. ſciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent credentes, & quis eſſet eum traditurus, & dicebat: Propterea dixi vobis: quia nemo venit ad me, niſi fuerit *Ibidem.* ei datum à patre meo. Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant. Nunquid non & iſti diſcipuli appellati ſunt loquente euangelio? & tamen non erant veri diſcipuli: quia non remanſerunt in verbo eius, ſecundum id quod ait: Si manſeritis in verbo meo, verè mei diſci- *Ioan. 8. d* puli eritis: quia ergo non habuerunt perſeuerãtiam, ſicut non verè diſcipuli Chriſti: ita nec verè filij dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo nos & electos Chriſti diſcipulos, & dei filios: quia ſic appellandi ſunt quos regeneratos piè viuere cernimus. ſed tũc verè ſunt quod appellantur, ſi manſerint in eo propter quod ſic appellantur. ſi autem perſeuerantiam non habẽt, id eſt in eo quod cœperunt eſſe, non manent, non verè appellantur quod appellantur & non ſunt. Apud deum enim hoc non ſunt, cui notũ eſt quòd futuri ſunt, id eſt ex bonis mali.

» Finis ergo huius auctoritatis eorum ſententiæ concordat, *GRATIA. 4 pars.* qui peccata dicũt remitti ſecundũ iuſtitiam, & non ſecundum præſcientiam. Alij verò quamuis fateantur peccata redire, tamen ſeu per baptiſma, ſeu per pœnitentiam aſſerunt omnino peccata remitti, & plena fide accedentes ad lauacrum renaſci non aqua tantùm, ſed etiam ſpiritu ſancto, & ſi poſtea peccaturus ſit: demum pœnitentem, & ſi aliquando recaſurus ſit: tamen tempore ſuæ pœnitentiæ ita perfectè expiatum affirmant, vt ſi tunc moreretur, ſalutem inueniret æternam. quorum ſententiæ eiuſdem auctoritatis principium conſentit. Cùm enim quæſtionẽ eis proponat quare præſcitos ad mortẽ cùm fideliter ac piè viuerent, nõ tunc de vitæ huius periculis

deus

De⁹ rapuit, ne malitia mutaret intellectũ eorũ, & ne fictio deciperet animas eorum: cum de immatura morte prædestinati scriptura dicat: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam eius: euidenter ostendit illos tales fuisse, qui si fatali necessitate huius vitæ subducti essent periculis, profectò vitam consecuti essent æternam. Vt ergo finis principio conueniat, & ne sibiipsi contraire videantur: definiendum est quid sit scribi in libro vitæ, & de eo deleri secundum iustitiam, quid secundum præscientiam. Secundum præscientiam scribi est ad vitam præordinari: quod ab æterno factum est. VNDE Apostolus in epistola ad Ephesios. 9

Sap. 4.c

Ephes. 1.a

BEnedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Iesu: sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.

GRATIAN. Similiter secundum præscientiam deleri est ad mortẽ non ad vitam præsciri. quod & ipsum ab æterno factum est. vnde dominus in euangelio: Qui credit in me, habet vitam æternam. qui autem non credit, iam iudicatus est. Hinc etiam Augustinus ait. 10

Ioan. 3.b

2 Tim. 2.c

NOuit Deus qui sunt eius. ex his nemo subducitur, nondũ apparuit iudicium, sed iam factum est.

GRATIAN. Portò secũdum iustitiam scribi est Deo auctore ea operari quorum meritò sit dignus æterna salute. Hunc duplicẽ modum scribendi in euangelio Deus assignauit, dicens discipulis suis: In domo patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum, & si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis. Dicens, In domo patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum: ostendit eos quibus loquebatur, scriptos in libro vitæ prædestinatione subiiciẽs, si abiero & præparauero vobis locum, &c. ostendit eos adhuc etiam esse scribendos operatione. Hinc etiam Augustin. in eiusdem loci explanatione ait. 11

Ioan. 14.a

Au tract. 68. ad ca. 14. Ioan.

IN domo patris mei mansiones multæ sunt. domus Dei, templum Dei: regnum cœlorum sunt homines iusti, in quibus sunt multæ differentiæ: & hæ sunt mansiones ipsius domus. hæ autem iam paratæ sunt in prædestinatione: sicut apostolus ait: Qui elegit vos ante mundi constitutionẽ prædestinando: parando autem in operatione. vnde quos prædestinauit, hos & vocauit: secundum hoc quod dicitur-

Ephes. 1.a

Fecit

Fecit deus quæ futura sunt, id est, quæ facturus erat. & infra, Si quo minus, esse confirmat: quia si non esset, dixisset ibo & parabo, id est, prædestinabo. sed quia ibi sunt, non est opus aliqua parare. quia verò nondum sunt in operatione, addit: Et si abiero & præparauero. Abiens sed non relinquens parat: quia subtrahit se & latet, vt sit fides, quæ est non de visa re: & inde est meritum fidei. Ex hac viuit iustus, & mundatur ei cor dum *Rom.2.c.* peregrinatur, & in ea desideratur quod nondum habetur. Hæc est præparatio mansionis eius: quia sic parat nos sibi, & se nobis, vt maneat in nobis & nos in eo. Quantum quisque erit particeps eius plus vel minus pro diuersitate meritorum: hæc est multitudo mansionum. Item secundum iustitiam deletur: quia gratia subtracta ea operari permittitur, quibus æternam damnationem meretur. Hinc propheta loquens ex persona Christi ait: Deleantur de libro viuentium: hoc est subtrahatur *Psal.68.* eis gratia: qua subtracta, hic in profundum vitiorum, deinde in æternam damnationem præcipitantur. & cum iustis non scribantur, id est, non apponatur eis gratia qua fiant digni æterna salute.

GRATIA. Sic itaque peccata secundum præscientiã remittuntur cùm ab æterno gratia præparatur qua vocatus iustificetur, iustificatus tandem æternaliter glorificetur. Secundum iustitiam verò peccata remittuntur, vel cum baptisma plena fide accipitur, vel pœnitentia toto corde contrito celebratur: quæ remissio & ipsa secundum præscientiam non inconuenienter fieri dicitur. Vt enim ex præmissa auctoritate Apostoli datur intelli- *Ephe.1.b.* gi, duæ sunt præordinationes. Vna qua quisque præordinatur hic ad iustitiam & remissionem peccatorum percipiẽdam: altera qua aliquis prædestinatur ad vitam æternã in futuro obtinendam. Harum effectus sunt præsens iustificatio, & futura glorificatio: quæ omnia in præmissa auctoritate conuenienter distinguuntur. Prima enim prædestinatio quá præordinatur ad præsentem iustitiam designatur cum dicitur: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, &c. cuius effectus infra supponitur: In qua gratificauit nos in dilecto filio suo, &c. Secunda præordinatio ibi ostenditur, Qui prædestinauit *Ephe.1.c.* nos in adoptionem filiorum, &c. Eius effectus præmittitur dum dicitur: Qui benedixit nos in omni benedictione, &c. Hæ duæ præordinationes & earũ effectus ita se habẽt, vt pri- *Ibidem.* ma & eius effectus natura præcedant: & lege consequendi inferantur. Si enim aliquis præordinatus est ad vitã, consequenter infertur: ergo prædestinatus est ad iustitiam: & si consequitur vitam æternam, ergo consecutus est iustitiam. sed nõ conuertitur. Vnde multi participes sunt primę prçordinationis per eius effectus: ad quos secũda vel eius effect⁹ minime pertinere

 proban-

probantur. Iuxta hãc distinctionem intelligenda est auctoritas illa Ioannis. Exierunt ex nobis, sed non erãt ex nobis. nã si fuissent ex nobis: mansissent vtiq; nobiscum. Ex nobis, inquit, exierunt, id est, à nostra societate recesserunt: qua primæ præordinationis & eius effectus nobiscũ participes erãt. sed non erãt ex nobis, id est, secundæ præordinationis & eius effectus societatem nobiscum non inierunt: quod ex eo videri potest, quia si fuissent ex nobis, id est, si illius præordinationis nobiscum participes essent, mansissent vtiq; nobiscum, id est à societate effectus eius præordinationis quã nobiscum cõtraxerant, nõ recessissent. si enim ad secundã præordinationẽ vtruq; referretur: non conuenienter illud infertetur, mansissent: imò cœpissent vtique nobiscum esse. si verò ad primam, falsa esset propositio, si fuissent ex nobis, &c. Multi enim præ entis iustitiæ & sanctitatis participes fiunt, qui tamen in ea non perseuerant. vnde dominus ait in euangelio: Non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. 12

1. Ioan. 2. c.

Matth. 10. c.

Alias nõ distinguitur hic nouum caput

HAnc societatem si quis solo nomine & professione, non autem rei veritate à damnandis dicat contrahi: eiusdem auctoritatis testimonio conuincitur. De his enim qui primæ non secundæ præordinationis sunt participes, August. ait.

Aug. ca. 9. lib. de correptione. & gratia.

Nec nos moueat quòd quibusdã filiis suis deus nõ dat istã perseuerantiã. Absit enim vt ita sit si de prædestinatis essent, & cætera quæ in eadem auctoritate supra continentur. Oues nanq; de quibus in euãgelio dominus ait: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & filij de quibus Ioan. ait: Vt filios dei qui erant dispersi, congregaret in vnum: ita præscientia erant oues & filij, vt qualitate præsentium non spe tantum, sed etiã ante dei oculos essent filij iræ & perditionis æternæ vnde Apostolus non ait videbamur esse, sed eramus, inquit, & nos natura filij iræ. nec ait: Reputabamini ab hominibus, sed fuistis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. de se quoque scribẽs ad Timot. nõ ait videbar, sed fui persecutor & blasphemus & cõtumeliosus: nunc autẽ sum misericordiã cõsecutus. omnes quicunq; in Christo renascuntur, & qui eius sanguine à diabolo redimuntur: prius ex Adam peccatores nascuntur, & diabolicæ seruitutis obnoxij. Sicut ergo isti quanuis sint futuri filij dei, tamen prius sunt filij diaboli: sic hi de quibus sermo habetur, quanuis recedendo à iustitia futuri filij sunt perditionis æternæ: cum tamen piè & fideliter viuunt, verè sunt filij dei, & iusti, & æterna beatitudine digni.

Ioan. 10. c.

Ioan. 11 g.

Ephe. 2. a.

Ephe. 5. b.

1. Tim. 1. e.

GRATIAN. Vnde auctoritas non ait: cùm viderentur piè & fideliter viuere: sed cum piè & fideliter viuerent, nec veraciter à bono in malum commutarentur, qui nunquam veraciter boni fuerũt. dominus quoq; non ait per Ezechielem, Si auerterit se iustus à iusti-

Eze. 18.

à iustitia sua quam videbatur habere: sed sua, scilicet quam veraciter habet: Quod autem in eadem auctoritate sequitur: Non erant in numero filiorum quando erant in professione filiorum: ita intelligendum est. Filij dei duobus modis appellantur: vno modo appellantur in futuro: altero in præsenti: qui triplex est. Dicuntur filij dei participatione hæreditatis æternæ: sicut Ioannes ait in euangelio: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. & Apostolus ait in epistola ad Romanos: Expectatio creaturæ reuelationem filiorum dei expectat. & infra. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei. & infra. Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei expectãtes. Hinc etiam August. eadem verba Apostoli exponens ait: Modo tantum creatura est, nõdum filiorum forma perfecta. Hoc ergo modo non sunt filij dei nisi participes æternæ beatitudinis. In præsenti etiam dicuntur filij tribus modis: vel prædestinatione tantum: sicut hi de quibus Ioannes ait: Vt filios dei qui dispersi erant, &c. vel prædestinatione, & spe æternæ beatitudinis: sicut illi de quibus dominus ait: Filioli mei adhuc modicum vobiscum sum. Vel merito fidei, & præsentis iustitiæ: non autem prædestinatione claritatis æternæ: sicut hi de quibus dominus ait: Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudiciis meis non ambulauerint, &c. Hi ergo de quibus in præsenti agitur: filij sunt merito fidei, & præsentis iustitiæ: non sunt autem filij adoptionis æternæ. Qui ergo peccata dimissa fatentur redire: secundum iustitiam & non secundum præscientiam, ea dimitti necesse est vt confiteantur: sicut saluandis peccata secundum iustitiam ad æternam damnationem imputantur non secundum præscientiam: quia & illis à bono in malum deficientibus, singula replicabuntur ad supplicium: & his vsque in finem in bono perseuerantibus, nulla imputabuntur ad pœnam æternam. Qui autem dicunt quòd peccata dimissa non redeant, auctoritate Greg. & Prosperi sententiam suam confirmare conantur. Ait enim Greg. in moralibus. lib. xxxv. 13

Ioan. 1. a. — Rom. 8. d. — Ioan. 11. g. — Ioan. 13. f. — Psal. 88. — 5. pars.

QVid est quod dicitur: Qui reddis iniquitatem filijs ac nepotibus? Peccatum scilicet originale à patribus trahimus: & nisi per gratiam baptismi soluamur, etiam parentum culpam portamus: quia vnum cum illis sumus. Reddit iniquitatem patrum filiis, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursus: Non reddit iniquitatem patrum filiis: quia cum ab originali culpa per baptismum liberamur: non iam parentum culpas, sed quas nosipsi commisimus habemus.

Ca. 22. li. 15. ad ca. 21. Iob. — Exo. 20. a. — Ezech. 18. e. — Prosper in respõsione ad secundam obiectionem Gallorum.

ITEM in responsionibus Prosperi. 14

QVi recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem vadit? sed non in id quod remissum est, recidit: nec in originali peccato damnabitur: qui tamen ea morte afficitur, quæ ei propter dimissa peccata debebatur.

GRATIAN. Finis huius auctoritatis principio contraire videtur. neque enim aliud est dimissa peccata redire, vel in originali peccato damnari, quàm pœnam peccato debitam post eiusdem remissionem excipere. Auctoritates verò sibi contrarias assertores huius sentētiæ ita determinant: Peccata dimissa redire dicuntur, qua quisquis post acceptam remissionem peccatorum ad vomitum redierit, tanto grauius punietur, quanto magis benignitate dei abusus, singulorum remissionis acceptæ ingratus extitit. Verum illa sententia fauorabilior videtur: quia pluribus roboratur auctoritatibus, & euidentiori ratione firmatur. Vt enim dominus ait per Ezechielem:

1.Pet.4.b. *6.pars.* *Eze.33.d.*

SI auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius: nunquid viuet? Omnes iustitię quas fecerat, non recordabuntur: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius quas fecerit. ITEM Greg. in explanatione eiusdē loci. 16

Greg homil.11. ad ca.3.Eze. Idem Greg. homil.4.ad ca.1. Ezechiel.

HOc nobis maximè considerādum est: quia cùm mala cōmittimus, sine causa bona nostra transacta reuocamus: quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia præteritorum bonorum. IDEM. 17

DE pertuso quippe sacculo aliunde exit quod aliunde immittitur: quia indiscretæ mentes mercedem quæ ex bono opere acquiritur, non aspiciunt quomodo ex malo opere perdatur. ITEM Petrus in epistola secunda. 18

2.Pet.2.d.

SI refugiētes coinquinationes mundi in cognitione domini nostri saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superātur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Paulus quoque scribens ad Hebræos ait. 19

Heb.6.a.

INtermittentes sermonem inchoationis Christi, feramur ad eius perfectionem, non rursus iacientes fundamentū pœnitentiæ ab operibus mortuis.

GRATIA. Dicens opera mortua, priora bona signat Apostolus quæ persequens peccatum erant mortua: quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritum æternæ vitæ & beatitudinis singula prodesse incipiunt, etiā illa quæ peccatis inueniuntur admixta. vnde Aug. Pium est credere. &c. & Hierony. Non est iniustus deus, &c. Apostolus etiam scribens ad Hebr.

» Hebr. cum fidem & dilectionem & bona opera eorum breui-
» ter commemoraſſet: horum omnium mercedem quam ami-
» ſerant peccando, poſt pœnitentiam à domino eos recepturos
» oſtendit. Porrò qui per prophetam dixit, Si auerterit ſe iuſtus *Eze.33.d.*
» à iuſtitia ſua, &c. ipſe per eundem prophetam promiſit dicens:
» Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ
» operatus eſt, & cuſtodierit vniuerſa præcepta mea, & fecerit
» iudicium & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur: omniũ ini-
» quitatũ eius quas operatus eſt, non recordabor: in iuſtitia ſua
quam operatus eſt, viuet. Filiis quoq; Iſrael per Aſſyrios capti-
» uãdis veteris idololatriæ peccatum dominus per Oſee impro-
» perat: & peccatum quod Moyſe ſupplicante patribus fuerat
» dimiſſum, hoc in filiis reuixiſſe oſtendit dicens. 20

VAe eis qui receſſerunt à me, quoniam vaſtabuntur, quia *Exo.32.e.* præuaricati ſunt in me. Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt *Oſee.7.d.* contra me mendacia, & non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum rumi-nabant, & receſſerunt à me, & ego erudiui eos, & confortaui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt mali-tiam: reuerſi ſunt, vt eſſent abſque iugo: facti ſunt quaſi arcus doloſus. cadẽt à gladio principes eorum à furore linguæ ſuæ.

» Antiqua peccata parentum filiis improperat ſermo diuinus, GRATIA.
» & propterea principes eorum in gladio caſuros prædicit. ſed *7. pars.*
» per eundem prophetam contra ſe dominus facere oſtendit
dicens. 21

NE fortè dicant in cordibus ſuis omnẽ malitiam eorũ me *Oſee.7.a.* recordatum: nunc circundederunt eos adinuentiones ſuæ quæ coram facie mea factæ ſunt. ITEM Hieronymus. 22 *Hiero. ad. ca.7. Oſee.*

CVm ita puniantur, ne cogitent quòd pro veteribus peccatis patrum puniam eos: quia nunc id eſt in præſenti pro ma-litiis ſuis quas inuenerunt, circundati ſunt pœna: & mala eo-rum (ſicut putant) non me poſſunt latere, ſed potius ipſæ adin-uentiones apertæ ſunt coram mea facie, quæ omnia clarè vi-det. IDEM. 23 *Hiero. ad ca.7. Oſee.*

HAeretici non poſſunt propter vetera peccata cõtra deum cauſari: cum antiquis operibus addãt nouam impietatem, & ſuis ligentur peccatis: & cum deum celare ſe putent, oculos eius vitare non poſſunt, quia vultus domini ſuper facientes mala. ITEM Gelaſius papa. 24 *Pſal.33.*

DIuina clementia dimiſſa peccata in vltionem vlterius re-dire non patitur.

» Sed his auctoritatibus docentur filij ab originali peccato GRATIA.
» expiati non ideo puniendi, quia patres peccauerunt: ſed ideo
» peccata patrum in eos redire, quia eorum culpã ſequuntur. Sic
» & bona quæ peccato moriuntur, nõ proficiunt ad præmium,

quia facta sunt: sed quia per pœnitentiam reuiuiscunt. tale est & illud Augu. in lib. psalmorum. si Iudas teneret adoptionẽ, &c. sic etiam & illud Greg. in moralibus intelligitur: quid est quòd dicitur: Reddis iniquitatem patrum in filios, &c. Illis nanque parentum iniquitas redditur, qui propterea puniuntur quia in radice traxerunt amaritudinem peccati. Illis autem non reddi dicitur, in quibus merito suæ iniquitatis non reuiuiscunt peccata parentis. Sicut ergo bona quę peccato moriuntur, per pœnitentiam reuiuiscunt ad præmium: sic & mala quæ per pœnitentiam delentur, reuiuiscunt ad supplicium. vnde propheta ex persona pœnitentis deplorat dicens: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: id est, plagę per baptismum sanatæ. hinc etiam idem propheta quamuis fide & sacramento circuncisionis ab originali peccato se mundatum cognosceret: tamen adulterio & homicidio quod commiserat, illud reuixisse intelligẽs, non sine causa inter cætera ipsum confitetur & dicit: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.

Exo. 20. — *Psal. 37.* — *Psal. 50.*

DISTINCTIO V.

IN POENITENTIA QVAE PECCATOREM CONSIDERARE OPORTET.

GRATIA. *Ca. 14. li. de vera & falsa pœnit.*

IN pœnitentia autem quæ peccatorem considerare oportet, Augustinus in libro de pœnitentia docet dicens. I

COnsideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerãtia, in varietate personæ, & quali fecerit hoc tentatione: & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status aut officij, aut secundum modum meretricis: & in modo sui operis, & qualiter suam turpitudinẽ peregerit, si in loco sacrato, aut cui debuit excellentiã fidei, vt sunt domus dominorum, aut aliorum multorum: si in tempore orationi constituto, vt festiuitates sanctorum, & tempora ieiunij consideret quantum perseuerauerit, & defleat quod perseuerãter peccauit, & quanta*virtus fuerit in pugnatione. Sunt qui non solum non vincuntur, sed vltro se peccato offerunt, nec expectant tentationem, sed præueniunt*voluptatem, & pertranctant secũ quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccauerint. omnis ista varietas confitẽda est & deflenda, vt cum agnouerit ꝙ peccatum est multũ, citò inueniat deum propitiũ, id est, cognoscendo augmẽtũ peccati, inueniat se cuius ætatis fuerit, cui⁹ sapiẽtiæ & ordinis & statũ omnẽ alterius non peccãtis, immoretur in istis singulis, & sentiat modum criminis, purgãs lachrymis omnẽ qualitatem vitij. defleat virtutẽ qua interim caruit. Dolendum

val. virtutis in pugnatione.
val. voluntatem

lendum est enim, & dolore purgandum est non solum quia peccauit, sed quod se virtute priuauit. nam licet speret se consecuturum veniam: dolere tamen potest quia non promeruit vnde remunerari confidat. anxietur & doleat quòd modo effugiens de præteritis pœnam, miser tamen non inde expectet gloriam: cuius omne tempus (quoniam breuissimum est) debuit decertasse ad consequendum præmium. Defleat[a] etiam quoniam offendens in vno, factus est omnium reus. ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus deũ non omnino timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Etiam alio modo offendens in vno, reus est omnium; quia omnes virtutes patiuntur detrimentum ab vno vitio. nã si quis cadit in auaritiam: largitatem destruit, & etiam castitatem minorauit: amore enim pecuniæ vel violaret castitatem, vel saltem minus amaret. Si enim tanta propter deũ adhuc castitas inest, vt nolit eandem perdere: tamen saltẽ minori gaudio minori affectione tuetur eam vbi videt inde procedere damnum pecuniæ, sic quoq; & in aliis quæ etsi nõ expellãtur, tamen perceptione vnius vitij vel satis vel parum minuuntur, vel intentione deterioratur. vnde omnis virtus amissa cuicũque crimini est deflenda, & de omnibus indulgentia petenda est. Animaduertere etiam oportet, & animaduertendo deflere animam proximi quã deo fornicator eripuit, vel ereptã in malo confirmauit: etiam quòd exẽplum extitit mali in operatione sui criminis: cui magis profuisset, si aliis fuisset causa cõuersionis. gemat itaq; aliorum vitã in sua corruptã, vel incorruptam nõ conseruatã, & cõmodum proximi quod dedisset exẽplo boni. de tristitia doleat quã bonis peccãdo intulit: & de lætitia quam eis nõ adhibuit. & nõ solum cogitet quid & qualiter fecerit, sed quàm iniustè deũ (vt diximus) peccãdo offenderit. timeat illam veritatis sententiam: Non potestis duobus dominis seruire. Timeat ergo ne omnia bona quæ fecit, dum in vno peccato perseuerauerit, excõmunicatione mali perdiderit: vt qui seruiuit diabolo per crimen, deo quas obtulerit amiserit virtutes. Pium tamẽ est credere vt recepta dei gratia quæ in eo destruit omnia mala, etiam priora remuneret bona: vt cùm destruxerit quod suũ non inuenerit, amet & diligat bonum quod etiam in peccante plantauit. In his omnibus dolẽs aut relinquat seculum, aut saltẽ illa quæ sine admixtione mali non sunt administrata, vt mercatura & militia, & alia quæ vtẽtibus sunt nociua, vt administrationes secularium potestatum, nisi his vtatur ex obedientiæ licẽtia: ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui: vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ,

Iacob.2.b.

a hæc particula translata est in decretales. c. defleat. extr. de regulis iuris.

Matth.6.c.

quæcunque faceret pro euitanda corporis morte: & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam, vt deus. cum gaudio enim facere debet immortalis futurus quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur deum, certus de venia: qui omnibus modis & sine omni tædio dubius rogaret potestatem terrenam. abstineat à multis licitis, qui in libertate arbitrij commisit illicita. semper offerat deo mentem, & cordis contritionem: deinde & quod potest de possessione: tunc quod offerat deo, securus offerat. *Genes. 4. a.* Respexit enim dominus ad Abel, & ad munera eius: sed prius dicit ad Abel, quàm ad munera eius. Sumens enim mentem quam cognouit humilem & puram, remunerauit eius largitatis munera. Ad Cain verò non respexit, neq; ad eius munera. mentē enim eius quam viderat quoniam non cognouit, eius munera non recepit. In iudicio itaque cordis consideranda est eleemosyna tribuentis: nec iam considerandum est quantum, sed qua mēte, qua affectione dat quod potest. *Marc. 12. d.* Vidua enim duobus quæ habuerat minutis larga plus omnibus posuit. Qui ergo sua peccata redimere vult temporalium oblatione caueat prius offerat mentem. Cautus sit pœnitens ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit diuersis sacerdotibus manifestare. Quædam enim vni celat, quæ aliis manifestanda reseruat: quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta totam putat peruenire. Paueat præterea quem vera delectat pœnitentia, vt non prius ad domini corpus accedat, quàm confortet illum conscientia bona. sed in hac separatione tremēdum iudicium cogitet, vbi & maius & terribilius impœnitentes separabit in ignem. doleat quòd nondum audeat sumere quem multum desiderat cibum salutarem. isti sunt digni fructus pœnitentiæ, animam captiuam illaqueantes, & in libertate seruantes. Cohibeat se præterea à ludis, à spectaculis seculi, qui perfectam vult consequi gratiam remissionis. *Genes. 34.* Nam Dina Iacob filia si se cohibuisset, & inter suos remansisset, ab extraneo raptore corrupta non esset. Tanto itaque magis sibi caueat, & cohibeat se anima quæ sæpe vel semel rapta & corrupta est: timeat iam docta experimento quod ignorauit virgo. eligat quem imitetur, vt non sequatur quem animus suus damnat. se enim iudicat qui pœnitentiæ fructus non habentem à se non elongat. laudat enim & amat quos dignè fructificare nō ignorat. quærat fructus dignos etsi non dignos pœnitentiæ. sunt enim fructus digni, virtutum fructus: qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores expostulat, vt sic pacetur ecclesia: vt pacata dolore & gemitibus mortuis impetret vitam. ITEM Leo papa.

Leo. I. epi. 90. ad Rusticum episcopum Narbonensem.

Pœnitentes

Pœnitentes negociationis lucra abiiciant. 2

QValitas lucri negociantem* aut accusat[a], aut arguit: quia est & honestus quæstus, & turpis: veruntamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quàm periculis negociationis adstringi: quia difficile est inter ementis vendentisq; cōmercium non interuenire peccatum. IDEM.

*al. negociationem.
a excusat, rectè

Leo in eodē epistola continēter.

Post pœnitentiam ad militiam secularem redire non licet. 3

COntrarium verò omnino est ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularē, cùm Apostolus dicat: Nemo militās deo, implicat se secularibus negociis. Vnde non est liber à laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare. ITEM ex Niceno concilio.

2.Timo.2.a.

Cap.12.

Decennio pœniteant qui post pœnitentiam ad secularem militiam redeunt. 4

SI qui verò per gratiam dei vocati, primo quidē ostenderunt fidem suam deposito militię cingulo, post hæc autē ad proprium vomitū sunt reuersi, vt etiam pecunias darent, & ambirent rursus ad militiam: isti decem annis sint inter pœnitentes post primum triennium quo fuerint inter audiētes. Ab omnibus verò præcipuè illud obseruetur, vt animus eorū & fructus pœnitentiæ attendatur. quicunq; enim cum omni timore & lachrymis perseuerātibus, & operibus bonis conuersationem suam nō verbis solis, sed opere & virtute* demōstrant: cùm tēpus statutū ab his fuerit impletū, & orationibus [iam] cœperint communicare: licebit episcopo humanius etiam circa eos aliquid cogitare. qui verò indifferenter habuerint lapsum, & sufficere sibi ꝙ intra ecclesiam introierint arbitrātur, isti omni modo statuta tēpora cōplebunt. ITEM ex concil. Aurelian.

*al. veritate.

Cap.13.

A communione suspendantur, qui post pœnitentiam ad secularia redeunt. 5

DE his qui suscepta pœnitētia religionem suæ professionis obliti, ad secularia relabuntur: placuit eos & à cōmunione suspendi, & ab omnium catholicorum cōuiuiis separari. quòd si post interdictum cum eis quisquā præsumpserit manducare, & ipse communione priuetur. ITEM Gregorius.

Quæ sit falsa pœnitentia. 6

FAlsas pœnitentias dicimus quæ non secundum auctoritatē sanctorum patrū pro qualitate criminū imponūtur. ideoq; miles & negociator, vel alicui officio deditus quod sine peccato exerceri non possit: si culpa grauiori irretitus ad pœnitentiā venerit, vel qui bona alterius iniustè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se verā pœnitentiā non posse peragere, per quā ad æternā vitam peruenire valeat: nisi negociū relinquat, vel officium deserat, vel odiū ex corde dimittat, bona quidem quę iniustè abstulit, restituat: arma deponat, vlteriusq;

3.pars.

non ferat, nisi cõsilio religiosorum episcoporũ pro defendenda iustitia. nec tamen desperet: interim quicquid boni poterit facere, hortamur vt faciat: vt omnipotens deus cor illius illustret ad pœnitentiam. ITEM Gregor. in homil. xxiiij.

Homi. 24. euãgeliorum.

Post conuersionem ad negocium redire non licet, quod sine peccato egi non potest. 7

NEgocium quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionẽ repetere culpa non fuit. Sunt enim pleraque negocia quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hęc necesse est vt post conuersionem animus non recurrat.

ITEM Innocentius [papa] secundus.

De eodem. 8

FRatres nostros episcopos & presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autẽ pœnitentiã esse cõstat, cum spretis pluribus de vno solo pœnitentia agitur: aut cùm sic agitur de vno, vt nõ discedatur ab alio. vnde scriptũ est: Qui totã legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. scilicet quantum ad vitã æternam. sicut enim si peccatis omnibus esset inuolutus: ita si in vno tãtum maneat, vitæ æternæ ianuam nõ intrabit. Falsa enim est pœnitentia cùm pœnitens ab officio vel curiali ᶠnegocioᶠ nõ recedit, quod sine peccatis agi nullatenus pręualet: aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet non satisfecerit, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iustitiam ferat.

Iacob. 2.

ᶠ vel negociali, additur proto-cluso, rectè.

Aug. cap. 10. li. De vera & falsa pœnitentia.

DISTINCTIO. VI.

CVI DEBEAT FIERI CONFESSIO.

GRATIAN.

CVi autem debeat fieri confessio, vel qualem illum oporteat esse qui aliorum crimina iudicat: ex eodem lib. De pœnitentia docetur cùm dicitur. 1

QVi vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam: quærat sacerdotem scientem ligare & soluere: ne cum negligẽs circa se extiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet, & petit ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit, & infra. Tanta itaq; vis confessionis est, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo, & infra. Sæpe enim contingit quòd pœnitens nõ potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert: & si ille cui cõfitebitur, potestatem soluẽdi non habeat, fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio cõfitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi dum ibant ostẽdere se sacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes peruenire.

Luc. 17. c.

nire. Sæpe quidem eos quærunt, sed sani & læti dum quærunt, antequam perueniant, moriuntur: sed dei misericordia est vbique, qui iustis nouit parcere, etsi nõ tam cito sicut soluerentur à sacerdote. Qui ergo confitetur, omnino cõfiteatur: & sacerdoti quàm potest meliori cõfiteatur: et si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis: vt grata sit oblatio muneris, & infrà. Laboret itaq; pœnitens in ecclesia esse, & ad ecclesiæ vnitatem tẽdere. nisi enim vnitas ecclesiæ succurrat: nisi quod deest peccatori, sua operatione cõpleat: de manibus inimici nõ eripietur anima mortui. Credendũ est enim (& pietas fidei expostulat credere) ꝙ omnes eleemosynę totius ecclesiæ, & orationes, & opera iustitiæ, & misericordiæ succurrant: recognoscenti mortem suam ad cõuersationem. Ideoq; nemo dignè pœnitere potest, quẽ nõ sustineat vnitas ecclesiæ: ideoq; non petat sacerdotes per aliquam culpam ab vnitate ecclesiæ diuisos. Iudas enim qui pœnitens iuit ad pharisæos relinquens apostolos, nihil inuenit auxilij, nisi augmentum desperationis. dixerunt enim: Quid ad nos? tu videris. si peccasti, tibi sit, [*Matth. 27.a.*] non tibi succurrimus: non peccata tua charitatiuè suscipimus, non comportanda promittimus, nec qualiter deponas onus, [*Luc. 4.f.*] docemus. quid enim nobis & misericordiæ, qui nec opera sequimur iustitiæ? Isset ad fratres, isset ad illos qui orauerãt pro [*Matth. 15.c.*] socru Petri febricitante, qui Chananæã improbam misericor- [*Ioan. 11.d.*] diæ obtulerant. Interrogasset Petrũ pro se effundentẽ lachry- [*Luc. 7.b.*] mas. non fugisset Mariã & Martham, quæ vitã Lazaro impetrauerant: non turbam plorantẽ quæ vnicum filium acquisierat viduæ. Iuit ad diuisos, & diuisus periit, & infra. [*Ca. 20. eiusdẽ.*] Sacerdos itaq; cui omnis offertur peccator, ante quẽ statuitur omnis lãguor, in nullo eorũ sit iudicandus, quæ in alio iudicare est prõptus. Iudicans enim alium qui est iudicandus, condemnat seipsum. cognoscat igitur se, & purget in se quod alios videt sibi offerre, caueat vt à se proiiciat quicquid dãnosum in alio reperit, animaduertat quod dicitur: Qui sine peccato est vestrũ, pri- [*Ioan. 8.b.*] mus in illam lapidem mittat. ideo enim liberauit peccatricẽ, quia non erat qui iustè proiiceret lapidẽ. quomodo lapidaret qui se lapidandũ cognosceret? Nullus enim erat sine peccato: in quo intelligitur omnes crimine fuisse reos. nã venialia peccata semper remittebãtur per ceremonias. si quod ergo in eis peccatum erat criminale erat. Deteriores itaq; in hoc sacerdotes sunt se prius nõ ædificantes, illis qui dominum obseruabãt insidiis. In hoc itaq; patentissimum est crimen sacerdotum, & vltra modum detestabile, qui non prius se iudicãt, & alios alligant. deberent enim in se timere crimen, quod in aliis timuerunt, & detestabile esse consueuerunt. Illi quidem adeo erant cæci, quòd summam sapiẽtiam sperabãt capere suis insidiis: quod illis

illis patuit, quod tūc quisque vitauit, vitet sacerdos, qui in hoc errore illis Iudæis peior extiterit. Caueat spiritualis Iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet vt sciat cognoscere quicquid debet iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat. Diligens igitur inquisitor, & subtilis inuestigator sapienter & quasi astutè interroget à peccatore, quòd forsitan ignorat, vel verecūdia velit occultare. Cognito itaq; crimine, varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, & cætera quæ suprà diximus in exponenda eorū qualitate: quibus cognitis, adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare. habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate. adiuuet confitentem orando, eleemosynas & cætera bona pro eo faciendo, semper eum iuuet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum fuerit opus etiam increpando. Doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudij. doceat perseuerātiam, caueat ne corruat, ne iustè perdat potestatem iudiciariam. Licet enim pœnitentia possit ei acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Et si enim Petrus post lapsum restitutus fuerit, & sæpe lapsis sacerdotibus reddita dignitatis sit potestas: non tamen necesse est vt hoc omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Inuenitur enim auctoritas quæ concedit, & quasi imperat. inuenitur alia quæ minimè concedit, sed vetat: quæ scripturæ non repugnant, sed cōcordant. si locus, & tempus, & modus pœnitentiæ pacem adhibeant. cùm enim tot sunt qui labuntur, vt pristinam dignitatē ex auctoritate defendant, & quasi vsum peccādi sibi faciant, rescindēda est spes ista. si verò locus est vbi ista non concurrant, restitui possunt qui peccant. itaq; pontifex iustus & perfectus atque discretus non cogitur suos sacerdotes semper abiicere, nec mox restituere: nisi statutum
2. pars. fuerit à Romano pontifice. Caueat sacerdos ne peccata pœnitentium alijs manifestet: quod si fecerit, deponatur.

VNDE Gregorius.

Deponatur sacerdos, qui peccata pœnitentis publicare præsumit. 2

SAcerdos ante omnia caueat ne de his qui ei confitētur peccata sua, alicui recitet quòd ea confessus est, nō propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitę suæ ignominiosus peregrinando pergat.

GRATIAN. 3. pars. Quod autem dicitur, vt pœnitens eligat sacerdotē scientē ligare & soluere, videtur esse contrarium ei quod in canonibus inuenitur, vt nemo videlicet parœcianum alterius iudicare præsumat. Sed aliud est fauore vel odio proprium sacerdotem

›› tem contemnere, quod sacris canonibus prohibetur, aliud cæ-
›› cum vitare, quod hac auctoritate quisque facere monetur: ne
›› si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant. *Luce 6.*
›› VNDE Vrbanus papa. ij.

Cuilibet sacerdoti commissum, nisi pro eius ignorantia, alter sacerdos ad pœnitentiam non suscipiat. 3

PLacuit vt deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere sine eius consensu cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius cui pœnitens prius confessus est. Qui verò contra hæc statuta facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit.

DISTINCTIO. VII.

TEMPVS POENITENTIAE EST VSQVE AD VLTIMVM ARTICVLVM VITAE.

›› TEmpus verò pœnitentiæ est vsque ad vltimum articulum vitæ. VNDE Leo papa. *GRAT.* *Leo.1.epi.90.*

De eodem. 1 *ad Rusticũ epis.*

NEmo desperandus est dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Quanquam de differentibus pœnitentiam Augustinus scribat. 2 *2. pars.*

SI quis positus in vltima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quod bene hinc exit. si securus hinc exierit, ego nescio, pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus, nunquid dico damnabitur? sed non dico liberabitur. vis ergo à dubio liberari? vis quod est incertũ euadere? age pœnitẽtiam dum sanus es. si sic agis: dico tibi quod securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserũt, non tu illa. IDEM. 3 *Aug.hom.41.* *Aug.in eadẽ ho.*

QVi egerit pœnitentiam veraciter, & solutus fuerit à ligamẽto quo erat adstrictus, & à Christi corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam viuere debuit, post reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad deum vadit, ad requiem vadit, regno dei non priuabitur, à populo diaboli separabitur. IDEM. 4 *Idem Aug.*

SI quis autem &c. & infra. baptizatus ad horã securus hinc exit. fidelis bene viuens securus hinc exit. agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm sanus est, & postea bene viuens securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. vnde securus sum dico, & securitatem do. vnde securus non sum, pœnitẽtiam *Ibidem.*

tiam

tiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. & poſt pauca. Sed vnde ſcis (inquit) ne fortè deus dimittat mihi? verum dicis: illud ſcio, hoc neſcio. nam ideo do tibi pœnitentiam: quia neſcio. nam ſi ſcirem nihil tibi prodeſſe, non tibi darem. Item. Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt. aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur. quod horum futurum tibi ſit, neſcio, ergo tene certum, & dimitte incertum. Hoc autem quare Auguſtinus dixerit, Cyprianus oſtendit dicens. 5

Cyp. epi. 2. li. 4. ad Antonianum.

ICcirco fratres chariſſimi pœnitentiam non agentes, nec in dolore delictorum ſuorum toto corde manifeſtam lamentationis ſuæ profeſſionē teſtantes. prohibendos omnino cēſuimus à ſpe cōmunionis & pacis, ſi infirmitate atque periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitētia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit moriturum.

Ca. 17. de vera et falſa pœnitēt.

ITEM Auguſtinus in libro de pœnitentia. 6

NVllus expectet quando iam peccare non poſſit, arbitrij enim quærat libertatem vt delere poſſit commiſſa, non neceſſitatem. qui prius itaque à peccatis relinquitur quàm ipſe relinquat, ea non liberè ſed quaſi neceſſitate condēnat. licet enim latro veniam meruiſſet in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perſeuerandi auctoritatem, tunc enim baptizatus eſt, qui tunc primum in cruce Chriſtū confeſſus eſt. pœnitentia enim ſi in extremo vitæ hiatu aduenerit, ſanat & liberat in ablutione baptiſmi: ita quòd nec purgatorium ſentiunt qui in fine baptizantur: ſed ipſi ditati bonis ſanctę matris eccleſiæ recepturi ſunt multiplex bonum in vera beatitudine. Illi autem qui cùm potuerunt, nunquam conuerti voluerunt, confitentes cùm iam peccare nequeunt, non ſic facilè acquirunt quod volunt. oportet enim vt pœnitentia fructificet in bonis operibus, vt vitam mortuo impetret. ſcriptum eſt enim ſine charitate neminem ſaluum eſſe. non itaque in ſolo timore viuit homo. quem ergo ſero pœnitet: oportet non ſolum timere deum iudicem, ſed & iuſtum diligere. non tantum * pœnam timeat, ſed anxietur pro gloria. debet enim dolere de crimine, & de omni prædicta varietate eius. Quòd quāuis licet de eius ſalute Auguſti. potuit dubitare, credo quidem illi qui dixit: Quacunque hora ingemuerit peccator, & conuerſus fuit, vita viuet & non morietur. dixit conuerſum, non tantum verſum, vita viuere. Verſum quidem viuere puto, qui dolet de crimine, conuerſum qui dolet de omni eius quam expoſuimus varietate. Vertitur à peccato qui iam vult dimittere peccatum. conuertitur qui iam totus & omnino vertitur: qui iam non tantùm pœnas non timet, ſed

Luc. 23. f.

1. Cor. 13. d.

** al. non timeatur pro pœna, ſed ametur pro gloria.*

Ezech. 33. c.

sed ad bonum domini festinat tendere. quæ conuersio si contigerit alicui etiam in fine, desperãdum nõ est de eius remissione. sed quoniam vix vel raro est tam iusta conuersio, timendum est de pœnitente sero. quem enim morbus vrget, & pœna terret, ad verã vix venit satisfactionem, maximè cùm filij quos illicitè dilexit, sint pręsentes, vxor & mũdus ad se vocẽt. Multos enim solet serotina pœnitentia decipere: sed quoniã deus semper potẽs est, semper etiã in morte iuuare valet quibus placet. cùm itaq; opus sit non hominis, sed dei fructifera pœnitẽtia, inspirare eam potest, quãdocunque vult sua misericordia: & remunerare ex misericordia quos potest dãnare ex iustitia. sed quoniã multa sunt quę impediunt, & languentem retrahunt, periculosissimũ est & interitui vicinum ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium, sed magnum est cui deus tũc inspirat. si quis enim est qui per verã pœnitẽtiam expectat dei clementiã, maiore sentiet dei bonitatẽ sua nequitia. sed si etiam sic cõuersus fuerit, vita viuet, & non morietur: nõ promittimus tamen quòd euadet omnẽ pœnam. nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructũ conuersionis. Hic autẽ ignis etsi æternus non sit, miro tamẽ modo grauis est. excellit enim omnem pœnam quam vnquã aliquis passus est in hac vita. nunquã in carne tanta inuẽta est pœna, licet mirabilia martyres passi sint tormẽta, & multi nequiter quanta sæpe sustinuerũt supplicia. Studeat ergo quisq; sic delicta corrigere, vt post mortẽ nõ oporteat talẽ pœnã tolerare. quædã enim peccata sunt mortalia, quæ in pœnitẽtia fiũt venialia, non tamen statim sanãtur. sępe enim est qui moreretur nisi medicaretur, non tamen statim sanatur. lãguet victurus qui prius erat moriturus. qui autem impœnitẽs moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur. qui autem impœnitens finitur, si semper viueret, semper peccaret. at dei est miserẽtis quòd operatur finẽ peccandi. ob hoc etiam sine fine torquebitur: quia nunquam virtute ditabitur semper plenus iniquitate. semper sine charitate torquebitur sine fine.

Ezech. 33. c.

QVAESTIO IIII.

SI TEMPORE ORATIONIS QVIS VALEAT REDDERE CONIVGII DEBITVM.

GRATIA.

„ QVòd autem orationis tempore coniugali operi alicui non licet vacare beatus Hieronymus in quodam sermone scribit, ita dicens: „

Tempore quo vxori debitum redditur, à carnibus agni abstinere oportet. I.

SCiatis fratres charissimi, quoniam quicunque vxori debitũ reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere

1.Reg.21. medere debet. Item si panes propositionis ab his qui vxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis qui de cælo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo ante hæsêre complexibus, violari atque contingi, non quòd nuptias condemnemus, sed quòd eo tẽpore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus.

ITEM Augustinus.

A coniugali concubitu in sanctorum solennitatibus est abstinendum. 2

QVotienscunque autem dies Natalis domini aut reliquæ festiuitates aduenerint, non solum ab infidelium concubinatum consortio, sed etiam à propriis vxoribus abstinere debemus. ITEM Ambr. in sermone de aduentu domini.

Diebus ieiuniorum à proprijs vxoribus abstinere oportet. 3

FRatres non solùm debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab vxoribus proprijs studiosissimè contineatis, nullus omnino vxori suæ ieiuniorum diebus coniungatur.

ITEM super epistolam primam ad Corinthios. 4

Ambr ad ca.7.1 ad Corinth.

SI causa procreandorum filiorum ducitur vxor, non multũ tempus concessum videtur ad ipsum vsum: quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus iuxta legem cessare vsum carnis his debere tẽporibus demonstrant.

ITEM Augustinus in libro quæstionum veteris & noui testamenti.

Vxoris vsus certis diebus cessare iubetur. 5

CHristiano cum vxore sua conuenire aliquando licet, aliquando non licet. propter processionis enim dies & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia à licitis etiã abstinendum est ad tẽpus, vt facilius impetrari possit quod postulatur. vnde Apostolus ex consensu ait abstinendum est ad tempus, vt [expeditius] vacetis orationi: nam etiam secũdum legem in ieiunio cædere & iurgari nõ licet, postea verò licet.

1.Co.7.4.

ITEM Ioannes Chrysost.

Non verè pœnitentiam agit, qui continentiam non seruat. 6

QVi in castigatione victus se dicit agere pœnitentiam, frustra hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubili suo, & ieiunio continentiam addat. ITEM [a] Gregorius.

Ab ingressu ecclesiæ temperare se debet vir cum propria vxore dormiens. 7

a al. August. In respõsione.10 ad interrogationes Augustini. 2.pars.

VIr cum propria vxore dormiens nisi lotus aqua ecclesiam intrare non debet. quamuis diuersæ hominum nationes de hac re diuersa sentiant, atque alia custodire videantur: Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit post admixtionem propriæ vxoris & lauacri purificationẽ quærere, & ab ingressu ecclesiæ paululum temperare. nec hoc dicentes culpandum putamus esse coniugium: sed quia ipsa licita admi-

admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest: ideo à sacri loci ingressu est abstinendum: quia voluptas ipsa sine culpa nullatenus esse potest. non enim de adulterio vel fornicatione, sed de legitimo matrimonio susceptus erat qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c. Oportet *Psal. 50.* itaque legitimam carnis esse copulam, vt causa prolis sit, non voluptatis, & carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis verò sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo creandorum liberorum gratia vtitur, ipse profectò siue de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo dominici corporis sanguinisq; mysterio suo est iudicio relinquendus: quia à nobis prohiberi no debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. cùm enim non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de commixtione sua quod defleant. tunc autem vir qui post admixtionem coniugis aqua lotus fuerit, etiam sacræ communionis valet mysterium accipere, cùm ei secundum præfinitam sententiam ecclesiam licuit intrare.

Hinc etiam in diebus abstinentiæ nuptiæ celebrari prohibentur. VNDE in Laodicensi concilio legitur. GRATIAN. 3. pars.

In diebus quadragesimæ nuptias celebrare non licet. 8 *Cap. 25.*

NOn oportet in quadragesima aut nuptias, vel quælibet natalitia celebrare. ITEM ex concilio Martini papæ. *Cap. 51. eiusdem conc. Laodicen.*

De eodem. 9

NOn licet in quadragesima natales martyrum celebrare, sed tantum in sabbato & dominica per commemorationem eorum oblationes offerre. sed nec natalitia, nec nuptias liceat in quadragesima celebrare. ITEM ex concilio Ilerdensi.

De eodem. 10

NOn oportet à septuagesima vsque in octauam Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festiuitatem sancti Ioánis Baptistæ, & ab aduentu domini vsque post Epiphaniam nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur. *Hoc rectè interpretatur Clemens papa in c. Capellanus, extra de feriis.*

ITEM Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum.

De eodem. 11

NEc vxorem ducere, nec conuiuia facere in quadragesimali tempore conuenire posse vllo modo arbitror.

Hæc autē seruāda sunt si vxor cōsensum adhibere voluerit. GRATIA. 4. pars. cæterū sine eius consensu, nec causa orationis cōtinētia seruari debet. VNDE August. in libro de adulterinis coniugiis. *Ca. 14. li. pri. de nuptiis & concupiscen.*

Nisi ex consensu communi, orationi coniuges vacare non possunt. 12

APostolus nec ad tempus vt vacent orationi, nisi ex cōsensu voluit coniuges, nec carnali inuicem fraudari debito.

Hinc etiam in secundo concilio Arelatensi legitur. 13 *Cap. 22.*

Nisi ex consensu communi, coniugatis pœnitentia non detur. 13

POenitentiam coniugatis non nisi ex consensu communi dandam esse præcipimus.

QVAESTIO. V.

AN VIR SINE CONSENSV VXORIS CONTINENTIAM VOVERE POSSIT.

GRATIA.

QVòd autem sine cõsensu vxoris vir continentiam vouere non possit, multis auctoritatibus probatur. Ait enim Augustinus super psal. cxlvj.

Ad psal. 149. in fine.

Non potest vir continentiam seruare nisi vxoris teneat consensum. 1

*Al. nolo iam vxorem, non potest.

SI dicat vir, continere iam volo: *nolo autem, vxor non potest. quod enim tu vis, non vult illa. nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? si alij nupserit te viuo, adultera erit: non vult deus tale damnum tali lucro compẽsari. redde debitum: & si non exigis, redde. pro satisfactione perfecta deus tibi computabit si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur vxori.

Ivo lib. 6. refert.

ITEM Alexan. papa. ij. Landulpho in Corsica.

Non debet extorqueri mulieris cõsensus ad cõtinentiã deo vouendam. 2

NOtificasti te morte tenus infirmatũ, & peccatorũ tuorum recordatione & terrore valde pauefactum, anxiè quæsiisse monachum fieri: & à tua vxore minis & terroribus eam occidendi, ad hoc licentiam extorsisse: & sic te monasticã vestem sine abbate sumpsisse, & monasteriũ petiisse. postea verò cùm sanus factus esses: tuæ vxoris reclamationibus, eiusq; vlulatibus & plãctibus, tuæq; familiæ dispersionibus deuictus, vtpopote pœnitẽs, domũ remeasse: & post multos dies quorundã sapientũ consilio ad iam dictæ mulieris cubile rediisse: nunc autẽ si tua vxore vti liceat nostrũ requiris consilium. Si ita deniq; est vt tuus nuncius narrat: non videtur nobis rationabiliter neq; iustè factũ: quoniã cùm omni homini ad monasticã tendenti vitã legaliter iustè & sanctè sit peragendum: tu contra leges minaciter & violenter à tua vxore partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis doloribus exinanitus, deuia secutus, nulla (vt dicitur) licẽtia accepta recessisti: & monasteriũ petisti. non enim violentia, sed ex pari voluntate & consensu (sicut sancti patres dicunt) hoc fieri debet: neq; vir monasterium eligere, aut professa continẽtia habitum cum festinatione debet mutare. ITEM ex concilio apud Compendium.

Vir potest abnuere vota continentiæ, quæ sine eius consensu deo vxor obtulerit. 3

MVlier si sine licentia mariti sui velum in capite miserit: si viro placuerit, recipiet eam iterum ad coniugium.

epi. 199.

ITEM Aug. ad Editiam.

Non po-

Non potest vir continentiæ vota rescindere, quæ eius assensu mulier deo promiserit. 4

QVod deo pari consensu voueratis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis. à quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissimè perseuera. quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consensit. Nam si nunquam tenuisses eius assensum, numerus nullus te defendisset annorum. & post pauca. Non quia pariter temperabatis à cōmixtione carnali, ideo tuus maritus esse destiterat: immo verò tanto sanctius inter vos coniuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita seruabatis. Nihil ergo de tua veste, nihil de auro vel argento vel quacunque pecunia, vel de rebus terrenis tuis sine eius arbitrio facere debuisti. & infra. Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus cōiugatis salua religionis causa vel obseruantia conuenire. hunc te maritus si deponere noluerit, ne te puta velut viduam iactare illo viuente: non fuerat in hac re vsque ad dissensionis scandalum perducēdus magis inobedientiæ malo, quàm illius abstinentiæ bono. quid enim absurdius est quàm mulierem de humili veste superbire, cui potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm in nigellis vestibus repugnare? quia & si te indumentū monachæ delectabat, hoc etiam gratius posset marito obseruato exoratoq; sumi, quàm illo inconsulto contemptoque præsumi. quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit vt hinc displiceas deo, quòd coniuge tuo nondum defuncto, non indueris sicut Anna, sed sicut Susanna. IDEM.

Au. in eadem epist. 199. ad eandem Editiã.

Continentiæ meritum habet qui pro incontinentia vxoris debitum sibi reddere cogitur. 5

SEcundum verba apostolica etiam si vir continere voluisset, & tu noluisses; tibi reddere debitum cogeretur: & illi deus imputaret ad continentiam si non suæ sed tuæ cederet infirmitati, ne in adulterium caderes. Quisquis igitur compatiens infirmitati vxoris, reddidit non exegit debitum: aut si propter propriam infirmitatem duxit vxorem, plangens potius quia sine vxore esse non potuit, quàm gaudens, quia duxit: quisquis vendidit quod nouit, quia etsi maneret, beatum non faceret: quisquis emit quod nouit quia transit, & de his non præsumit, & fecit ex eo misericordiam cum nō habentibus: securus expectat diem nouissimum.

ITEM ad Armentarium & Riparium & Paulinam. Aug. epl. 45.

Vota continentiæ sine vxoris consensu reddi non possunt. 6

VNa sola causa esse potest qua te ad id quod vouisti nō solùm non hortaremur, verumetiam prohiberemus implere, si fortè tua coniunx hoc tecum suscipere, animi seu carnis

 infirmita-

infirmitate recusaret. nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi: & si properè fuerit factum, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio. neque enim deus exigit si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vetat vsurpare alienum.

Hier. li. 1. aduersus Iouinianum. ITEM Hiero.

Absque cæteris operibus nec sola virginitas saluat, nec cætera absq; virginitate proficiunt. 7

2. pars. TVnc saluabitur mulier, si illos genuerit filios qui virgines permansuri sunt: si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, & damnum radicis & cariem flore compenset & pomis.

Hiero. in eodem libro. IDEM.

Hie. ili. HOc solum nunc dico, quòd quomodo absq; cæteris operibus virginitas sola non saluat, sic omnia opera absq; virginitate, puritate, continentia, castitate imperfecta sunt.

IDEM. 8

Ioan. 7 f. Matth. 19. b. QVi sitit, veniat & bibat. qui potest capere, capiat. non dicit velitis nolitis bibendum vobis est atque currendum, sed qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur. & ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigeris. Matth. 19. c. apostoli enim vxoris onere contemplato. Si talis est (inquiũt) vita hominis cum vxore, non expedit nubere. quorum dominus sententiam probans, rectè (ait) quidem sentitis quòd non expediat homini ad cœlorum regna tendẽti accipere vxorem, sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum illud, verùm quibus datum est. Alios hominum facit eunuchos natura, alios vis hominum: mihi illi eunuchi placent quos castrauit voluntas, non necessitas. libenter eos in meo recipio sinu, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, & ob meum cultum noluerunt esse quod nati sunt. simulque hæc tractãda Matth. 19. b. est sententia: Qui se (inquit) castrauerunt propter regnum cœlorum. Si castrati mercedem habent regni cœlorum, ergo qui se non castrauerunt, locum non possunt accipere castratorum.

GRATIA. Finis huius auctoritatis, & duæ præcedentes, de virginitatis affectu intelliguntur, qui non in volũtate solùm, sed in necessitate est: principium verò de effectu intelligitur, qui non in necessitate & ante votum, sed in volũtate est, nec exigitur nisi Iuo. li. 6. refert. repromittatur. ITEM ex concilio Remensi.

Non licet illi ducere vxorem qui suam velare permiserit. 9

3 pars. Quæ. 59. li. 4. QVi vxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur.

quæ. super nu. ITEM Augustinus in quæstionibus Numerorum.

Vota ab-

Vota abstinentiæ quæ mulier permittente viro promiserit, illo prohibente seruare non cogitur. 10

MAnifestum est ita legem voluisse fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo. nam cùm ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit lex, si prius permiserit, & postea prohibuerit, & hoc tamen non dixit, vt mulier quod vouerat faciat, quia permissa iam prius à viro fuerat, viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat: non tamē mulieri ex hoc iussum dedit, vt quod prius vir ei concesserat, postea si prohibuerit, contemnatur. *4. pars.*

Ex præmissis auctoritatibus apparet quòd continentiæ vota nec mulier sine consensu viri, nec vir sine consensu mulieris deo reddere potest. si autem cōsensu alterius eorum ab altero promissa fuerit: etsi postmodum in irritum deducere voluerit qui permisit, non tamen valet, quia in debito coniugij æquè mulier habet potestatem viri, sicut & vir mulieris: atque ideo si quilibet eorum alterum à suo iure absoluerit: ad prætæritam seruitutē ipsum reuocare non poterit. quia verò in cæteris vir est caput mulieris, & mulier corpus viri. ita vota abstinentiæ viro permittente mulier potest promittere, vt tamen eodem prohibente repromissa nō valeat adimplere. & hoc (vt diximus) propter conditionem seruitutis, qua viro in omnibus debet subesse. VNDE Augustinus in libro quæstionum Genesis. *GRATIA.* *Quæst. 153.*

Mulieres viris suis debent subesse. 11

EST ordo naturalis in hominibus, vt seruiāt fœminæ viris, & filij parentibus: quia nulla iustitia est vt maior seruiat minori. IDEM in quæstionibus veteris & noui testamenti. *Aug. quæst 45.* *li. quæst. ex vet. et n. testamenti.*

Vir est caput mulieris. 12

HAec imago dei est in homine vt vnus factus sit homo, ex quo cæteri oriantur, habens imperium[a] dei quasi vicarius eius: quia vnius dei habet vir imaginē. Ideoq; mulier ad imaginem dei non est facta. sic etenim dicit, Et fecit deus hominem: ad imaginem & similitudinem dei fecit illum. Hinc etiā Apostolus: Vir quidem (ait) non debet velare caput suū: quia imago & gloria dei est. mulier ideo velet, quia non est gloria & imago dei. IDEM in eodem. 13 *Genes. 1. d.* *Sapien. 2. d.* *1. Cor. 11. b.*

a Homerus non bona multoru ditio, rex impe-ret vnus. Alciatus ad l. 1. debitorum C. de pactis.

SAtis hinc apparet quemadmodum viris fœminas subditas, & penè famulas lex esse voluit vxores, dum constituit vt diceret aduersū vxorem vir testimonium vnde lapidaretur illa si hoc verum esse demonstraretur, ipse tamen non vicissim lapidatur si hoc falsum esse constiterit, sed tantummodo castigatur, & damnificatur: eiq; perpetuò iubetur adhærere qua carere voluerat. in aliis autem causis eum qui testimonio falso *Aug. quæst 33. lib. 5. quæst. super Deut.*

 cuiquam

cuiquam nocuerit, quod si probaretur, ius sit occidi: eadem plecti iubetur pœna qua fuerat si verum esset, ipse plectēdus.

Hiero. ad ca. 2. in com.

ITEM Hieronymus super epistolam ad Titum. 14

CVm caput mulieris sit vir, caput autem viri Christus: quæcunque vxor non subiicitur viro, hoc est capiti suo: eiusdem criminis rea est cuius & vir, si non subiiciatur capiti suo, hoc est Christo. Verbum autē domini blasphematur cùm vel contēnitur dei prima sententia & pro nihilo ducitur, vel cum Christi infamatur euangelium, dum scilicet contra legem fidemq; naturæ ea quæ Christiana est, & ex lege dei subiecta est, viro imperare desiderat: cùm etiā gentiles fœminæ viris suis seruiant communi lege naturæ.

Que. 59. li. 4. que. super Nu.

ITEM Augustinus in quæstionibus Numerorum.

Arbitrium viri mulierem sequi oportet in omnibus. 15

NOluit itaque lex mulierem aliquid vouere deo aduersus animam suam: vt nō in aliqua rerum licitarum atq; concessarum abstinentia in eisdē votis fœminæ valeat auctoritas, sed virilis: ita vt si adhuc innuptæ concesserat pater vota persoluere, si antequam persoluerit, nupserit, & viro eius hoc cognitum non placuerit: non persoluat: & hoc omnino sine peccato: quia deus mundauit eam sicut dicit lex, id est, mundam iudicauit. neque hoc contra deum putandum est fieri: cùm ipse deus hoc præceperit, hoc voluerit.

ITEM Ambros. in li. quæstionum veteris & noui testamēti.

Nulla est mulieris potestas: sed in omnibus viri dominio subiecta est. 16

MVlierem constat subiectam dominio viri esse, & nullam auctoritatem habere. nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec iudicare.

Amb. ca. 7. li. 5 Gene. 3. c. Amb. ad ca. 11. pri. ad Corin. 1. Co. 11. a.

ITEM in Hexaemeron in tractatu diei quartæ. 17

ADam per Euam deceptus est: non Eua per Adam. quem vocauit ad culpam mulier, iustum est vt eam in gubernationem assumat: ne iterum fœminea facilitate labatur.

ITEM super primam epistolam ad Corinthios. 18

MVlier debet velare caput, quia non est imago dei, sed vt viro ostēdatur subiecta, & quia præuaricatio per illā inchoata est. hoc signum debet habere in ecclesia propter reuerentiam episcopalem. non habeat caput liberum, sed velamine tectum. non habeat potestatē loquendi: quia episcopus habet personā Christi. quasi ergo ante iudicē Christum, ita ante episcopum sit: quia vicarius domini est. propter peccatum originale subiecta debet videri.

Amb. ca. 10. 6. pars.

ITEM in libro de paradiso. 19

NEc illud ociosum est quòd non de eadē terra in qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adę costa facta sit mulier: vt sciremus vnam in viro & in muliere corporis esse naturam: vnum

vnum fontem generis humani. ideo non duo à principio facti vir & mulier: nec duo viri, neq; duæ mulieres: sed primùm vir, & deinde ex eo mulier. vnam enim naturam volens hominum constituere deus, ab vno principio creaturæ hoc incipiẽs, multarum & disparium naturarum eripuit facultatem.

Euidentissimè itaque apparet ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ vel religiosæ conuersationis liceat sibi sine eius licentia deo offerre. etiam si viro permittente repromissa fuerit: non licet ei votum opere complere cùm vir voluerit reuocare promissum, vota verò continentiæ ita alterius permissu ab altero valent offerri, quòd post permissionem non valent in irritum deduci. GRATIA.

CAVSA XXXIIII.

QVidam vir in captiuitatem ductus est: postea vxor eius audiens illum mortuum, nupsit alij. Demum ille de captiuitate rediens, repetit vxorem suam. illa posterioris amore capta, aspernatur thorum prioris viri. GRATIA.

1 Nunc primùm quæritur, an sit ista rea adulterij, quæ viuente viro suo adulteri nupsit?

2 Secundò, an redeunte primo sit cogẽda recedere à secundo, & redire ad primum?

QVAESTIO I. ET II.

AN SIT REA ADVLTERII QVAE VIVENTE VIRO SVO ALTERI NVPSIT. ET REDEVNTE PRIMO AN COGENDA SIT REDIRE.

VTraque quæstio terminatur auctoritate Leonis papæ: qui scribens Nicetæ Aquileiensi episcopo ait. GRATIAN. Leo. 1. epi. 77.

Quæ alij nupserit putans virum suum mortuum esse: illo redeunte ad priorem redire cogitur. 1

CVm per bellicam cladem & per grauissimos hostilitatis incursus ita quædam dicatis esse diuisa coniugia, vt adductis in captiuitatem viris, fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios interemptos putarent, aut ab iniqua dominatione nunquam crederent liberandos, & in aliorum coniugia solicitudine cogente transierunt: cumq; statu rerum auxiliante domino in meliora conuerso, nonnulli eorum quæ putabantur perisse, remearunt: merito charitas tua videtur ambigere quid de mulieribus quæ aliis sunt coniunctæ viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia nouimus scriptum quòd à domino iungitur viro suo mulier, & iterum agnouimus præceptum, vt quos deus coniunxit, homo non separet: necesse est vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis his quæ hostilitas intulit, Matth. 19. a.

vnicuique id quod legitimè intulit, reformetur: omniq; studio procurandum est vt recipiat vnusquisq; quod propriū est: nec tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alieni iuris peruasor habeatur, qui personā eius mariti qui iam nō esse existimabatur, assumpsit. sic enim multa quæ ad eos qui in captiuitatē ducti sunt pertinebāt, in ius alienum trāsire potuerunt, & tamen plenæ iustitiæ est vt eisdē reuersis propria reformentur. quod si in mancipiis, vel mansis, vel agris, aut etiā domibus ac possessionibus recte seruatur: quanto magis in coniugiorum redintegratione faciēdum est? vt sic quod clade bellica turbatum est: pacis remedio formetur. & ideo si viri post longā captiuitatem reuersi, ita in dilectione suarū coniugū perseuerāt, vt eas cupiant redire in suum consortiū: omittēdum est & inculpabile iudicādum est quod necessitas intulit, & restituendū quod fides poscit, & infra. Sin autē aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, vt maluerint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortiū: meritò sunt notādæ, ita vt ecclesiastica communione priuentur. quòd de re excusabili contaminationem criminis elegerint: ostendentes sibimet per suam incontinentiā placuisse quod iusta remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione coniugia: neq; vllo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hæ mulieres quæ ad viros suos reuerti noluerint, impiæ sunt habendæ: ita illæ quæ in affectum ex deo initum redeūt, merito laudandæ sunt. ITEM Innocentius papa Probo episcopo.

Innocen. I. episto. 9.

Viro vel vxore de captiuitate redeūtibus, propria redintegrātur cōiugia. 2

CVm in captiuitate Vrsa mulier teneretur aliud coniugium cum Restituta Fōtanum commisisse cognouimus. sed fauore domini reuersa Vrsa nos adiit: & nullo diffitente vxorem se esse memorati perdocuit. qua de re fili charissime meritò illustris statuimus fide catholica suffragante coniugium illud esse quod erat primitus fundatum diuina gratia, conuentumq; secundæ mulieris superstite priore nec diuortio eiecta, nullo pacto esse legitimum. ITEM Hieronymus ad amandum presbyterum.

Tomo. 3.

Quæ primo viro relicto, secundo adhaserit, nisi secundum relinquens primo reconciliari non potest. 3

2. pars.

NOn satis animaduertere potui quid sit quod dicere voluit, alio viro per vim accepto. quid est per vim accepto? congregata videlicet multitudine nolentē rapuit. Et quare postea raptorem rapta non dimisit? Legat libros Moysi, & inueniet desponsatam viro si in ciuitate fuerit oppressa, & nō clamauerit, puniri quasi adulteram: vi autem oppressam in agro innoxiam esse, & violentum legibus subiacere. ergo & ista soror quæ

Deute. 22. d.

quæ (vt dicit) vim passa est vt alteri iungeretur: si vult corpus Christi accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiã: ita duntaxat vt secundo viro qui non appellatur vir sed adulter, à tempore pœnitentiæ nõ copuletur. Quod si durũ ei videtur, & semel dilectum non potest derelinquere, neq; præferre dominum voluptati: audiat Apostolum clamantẽ: Non potestis calicem domini bibere & calicem dæmoniorum. (1.Cor 10.c.) Non potestis mensæ domini cõmunicare, & mẽsæ dæmoniorum. & in alio loco: Quæ conuentio lucis ad tenebras? quis consensus Christi ad Belial? (2.Cor.6.c.) Rem nouã loquor: immo non nouã, sed veterem: quæ veteris testamenti auctoritate firmatur. Si reliquerit secundum virum, & recõciliari priori voluerit: non potest. scriptum est enim in Deuteronomio: Si acceperit homo vxorem, (Deut.24.a.) & habuerit eã, & non inuenerit gratiã in conspectu eius propter aliquã fœditatẽ: scribet libellum repudij, & dabit ei, & dimittet eam de domo sua. Cumq; egressa adultera maritum duxerit, & ille quoq; oderit eam, dederitq; libellum repudij, & dimiserit de domo sua, aut certè mortuus fuerit: non poterit eam prior maritus recipere vxorẽ: quoniã polluta est & abominabilis facta est corã domino: ne peccare facias terrã quam dominus deus tuus tibi tradidit possidendam.

GRATIA. 3.pars.

Si autẽ ineuitabili necessitate cogente vir in aliã prouinciã fugerit, & vxor eius eum sequi noluerit: illo viuente illa innupta permaneat. VNDE in concilio apud Vermeriam. (Ivo lib.6.refert.)

Quæ virum in captiuitate ductum sequi noluerit, maneat innupta quandiu vir eius vixerit. 4

SI quis necessitate ineuitabili cogẽte in alium ducatum seu prouinciam fugerit, & eius vxor cùm valet & potest, amore parentum & rerum suarum eum sequi noluerit: ipsa omni tẽpore quandiu vir eius quem insecuta non fuerit, viuit, semper innupta permaneat.

GRATIAN. 4.pars.

Quod autem de coniugatis auctoritate Leonis papæ dicitur: hoc etiam de virginibus intelligendũ est, vt si præter conscientiam viro nupserint alieno, non teneantur. VNDE August. in libro de fide & operibus. (Cap.7.)

Non est adultera virgo quæ nesciens viro nupsit alieno. 5

SI virgo nupserit nesciens viro alieno: hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit. si autem sciat: iam ex hoc adultera esse incipit, ex quo cum alieno sciens cubauerit: sicut in iure prædiorum tandiu quisq; bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quãdiu se possidere ignorat alienũ. cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit: tunc malæ fidei possessor perhibetur: tunc iustè iniustus possessor vocabitur.

GRATIAN. 5.pars.

Hinc etiam ignorantia excusat eum qui nesciens dormiuit cum sorore vxoris suæ. VNDE in concil. Triburiensi.

Non cogatur legitimam dimittere vxorem, qui nesciens dormiuit cum eius sorore. 6

IN lectum mariti absente vxore soror iuit vxoris, quam vxorem putans suã esse dormiuit cum ea. super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probauerit quòd inscius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem quæ sibi indicta fuerit agat, & legitimum suum coniugium habere permittatur. illa verò vindicta digna affligatur, & in æternum coniugio priuetur. ITEM Hermes in libro Pastoris.[a]

a extet ille liber impressus.

Palea. 6

EGo dixi pastori: domine, si quis mulierem fidelem in domino habuerit, & inuenerit hãc in adulterio, nunquid peccat vir eius si concumbit cum ea? quandiu peccatũ eius nescit, sine crimine viuit cum ea. Si autem scit vir vxorem deliquisse, & non egerit pœnitentiã mulier, sed permanet in fornicatione sua, & coierit vir cum illa, reus erit peccati eius, & particeps fornicationis illius, & dixi illi: quid autẽ si permanet in vitio suo mulier? & dixit, dimittat illã vir, & per se maneat. Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & ad virum suum voluerit reuerti? nunquid recipietur à viro suo? & dixit. immo si nõ recipit eam vir suus, peccat. ergo non debet dimissa vxore sua aliam ducere. Hic actus similis est in muliere & viro.

GRATIA. 6. pars.

De simpliciter verò fornicantibus, vel cum duabus sororibus, vel cum matre & filia, vel cum patre & filio idem accipiẽdum, vt ignorantibus coniugia non negentur: scientibus perpetuò prohibeantur. VNDE in eodem concilio legitur.

Matrimonia non prohibeantur contrahere, quorum incestum ignorantia excusat. 7

SI quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, & sororẽ soror ab eodem antea stupratam nescierit, vel se sororem eius quam antea stuprauerat nõ intellexerit, si dignè pœnituerint, & se continere non valuerint, post annos septem coniugia illis non negentur. si autem non ignorauerint, vsq; ad mortem à coniugio abstineant. ITEM ex eodem.

De eodem. 8

SI quis cum matre & filia fornicatus fuerit ignorante matre de filia, & filia de matre: ille nunquã accipiat vxorẽ: illæ verò si voluerint, accipiant maritos. Si autẽ hoc scierint ipsæ fœminæ, absq; maritis perpetuò maneant. ITEM in eodem.

De eodem. 9

QVidam fornicatus est cum quadam muliere, & postea filius nesciens factum patris stuprauit eandem. quod cum pater resciret: de se filioq; confessus est. statuerunt melius esse vt taliter lapsis cum digna pœnitentia legitima permittantur coniugia, quam fortè deterius delinquant. fornicaria autem sine spe coniugij maneat.

CAP-

CAVSA XXXV.

QVidam vir mortua vxore sua aliam sibi in matrimonio copulauit, quæ vxori defunctę quarto gradu consanguinitatis: viro autem sexta linea cognationis adhærebat. post triennium verò liberis ex ea susceptis accusatur apud ecclesiam: iste prætendit ignorantiam. GRATIA.

Hic primùm quæritur, si liceat aliquam ex propria cognatione duci in vxorem? 1

Secundò, si ex consanguinitate vxoris aliqua possit in coniugem duci? 2

Tertiò, vsque ad quem gradum debeat quisque abstinere siue à propriis, siue ab vxoris suæ consanguineis? 3

Quartò, quare vsque ad sextum gradum consanguinitas cōputatur: ita quod nec vltra progreditur, nec infra subsistit? 4

Quintò, quomodo gradus cōsanguinitatis cōputādi sunt? 5

Sextò, qui iureiurando propinquitatem firmare debeant? 6

Septimò, an illi qui de incestuosis nati sunt, filij reputētur? 7

Octauò, si ignoranter de consanguinitate vel affinitate aliqua in vxorem ducta est: an ex dispensatione possit viro suo adhærere? 8

Nonò, si contigerit ecclesiam decipi, & causa consanguinitatis aliquam à viro suo separari, quæ post quadriennium nuptiis hincinde celebratis deprehenditur non fuisse consanguinea prioris: an secunda coniugia sint rescindēda, & priora sint redintegranda? 9

Decimò, si relicta alicuius de propria cognatione ad secundas nuptias transierit, an proles ex eis suscepta possit pertingere ad consortium alicuius de cognatione prioris viri? 10

QVAESTIO. I.

SI LICEAT ALIQVAM EX PROPRIA COGNATIONE DVCERE IN VXOREM. I

QVod autem consanguineas nostras siue vxoris nostræ in coniugium nobis ducere liceat, exemplis & auctoritatibus probatur.[I] Abraham nanque Sarai[a] filiam fratris sui, sororem videlicet Loth in vxorem duxit. Isaac Rebeccam in vxorem accepit, quæ erat filia consobrini matris suæ. Iacob duas sorores Lyam videlicet & Rachel, filias Laban auunculi sui sibi matrimonio sociauit. In lege quoque præcepit dominus Moysi, vt nullus duceret vxorem nisi de propria tribu & familia. Item si aliquis absque liberis moreretur, pręcepit dominus, vt frater eius vxorem defuncti sibi copularet, & ex ea semē fratri suo suscitaret. Porrò ad quoscūq; lex ipsa peruenerit, eius pręceptis probātur obnoxij. nisi quæ vel

GRAT. Gene. 11. d. Gen. 24. f. Gen. 29. d. Num 36. e. Deut. 25. b.

a sed hoc ante legem.

vel euangelicis mandatis, vel apostolicis institutis euacuata monstrantur: nullo autem euangelij præcepto vel apostolico instituto consanguineorum coniunctiones prohibitæ inueniuntur. vnde sicut ab initio, ita & tunc licitè probantur. His ita respondetur. Consanguineorum coniunctiones aliàs causa necessitatis permissæ, aliàs causa iustæ rationis inueniuntur impetratæ. cùm enim vnus vir ab initio atque vna ex latere eius mulier à deo formaretur, necessario sorores fratribus copulabantur. quòd autem cogente necessitate fit: cessante necessitate pariter cessare oportet quod vrgebat. ergo tãto nũc damnabilius vsurpatur consanguineorum coniunctio, quãto minus necessaria probatur. Vnde huiuscemodi copula postea lege prohibita inuenitur: domino dicente per Moysen: Turpitudinem sororis tuæ non reuelabis.

Leui. 18.b.

Hinc August. ait in lib. de ciuitate dei. xv. cap. xvj[a].

Cap. 16. li. 15.

Quare constitutum sit ne consanguineas ducamus vxores. 2

Gene. 2. d.
a Ex mag. Iuo. decre. p. 8.

CVm igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere, marium fœminarumque commixtione opus haberet vt gignẽdo multiplicaretur, nec essent vlli homines nisi qui ex illis duobus nati fuissent: viri coniuges suas sorores acceperunt. quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente. Habita est enim illis ratio [a]certissima[1] charitatis, vt homines quibus esset vtilis atque honestissima concordia, diuersarum necessitudinum vinculis nectereñtur: nec vnus in vno multas haberet necessitudines, sed singulæ spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam colligendam plurimæ plurimos obtinerẽt. Pater quippe & socer duarum sunt necessitudinũ nomina. Dum ergo habet quis alium patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit. vtrunque autem vnus Adam esse cogebatur & filijs & filiabus suis, quando fratres sororesque iungebãtur coniugio: sicut Eua vxor eius vtrique sexui filiorum fuit & socrus, & mater. quæ si duæ fœminæ fuissent, altera mater, altera socrus: copiosius se dilectio socialis colligaret: sed hoc vnde fieret, tunc non erat, quando nisi fratres & sorores ex illis duobus primis nulli homines erãt. fieri ergo debuit quod potuit, vt existente copia vnde ducerentur vxores quæ iam non erant sorores: non solum illud non fieret, vbi nulla necessitas esset: verum etiam si fieret, nefas esset. quòd humano genere crescente etiam inter impios deorum multorum falsorumque cultores sic obseruari cernimus, vt etsi[b] peruersis legibus permittantur fraterna coniugia, melior tamen cõsuetudo ipsam malit exhorrere licentiam: sicque aduersetur quasi licere nunquam potuerit. Copulatio ergo maris & fœminæ quantum atti-

a l. rectissima.

b Atheniensiũ & Lacedemoniorũ vt ait Probus historicus in vitis illust. Græc. ducum.

attinet ad genus humanum, quoddam seminarium est charitatis. cælestis verò ciuitas opus habet, vt noxam generationis euadat. Hac itaque consuetudine quæ ab ipso exordio humanæ propagationis originem habuit, quam nulla lex contra iubendo euacuauerat, excusantur Abraham, Isaac, & Iacob, & cæteri qui de propria tribu & cognatione ducebant vxores. Quamuis etiam alia causa certissimæ rationis qua id factum sit possit intelligi. Cęteris idololatria fœdatis, sola familia Heber in cultu vnius dei remansit. Vnde Abraham à Chaldæis *Gen.11.b.* cum fratre suo Aram in ignem quem adorare noluit, proiectus est: vt numen suæ diuinitatis exurendo sentiret, quē venerando colere contempsit. *Gen.6.a.* Ne ergo ex coniunctione infidelium fideles ad idololatriā prolaberentur, & ita deum offēderent, sicut quondam ante diluuium filij dei commixti filiabus hominum ipsum ad iracundiam prouocauerant rectissimè cautum est, vt patriarchæ viri sanctissimi, non nisi de propria cognatione, id est de familia fidelium sibi vxores acciperent. Hinc etiam cum filij Israël intraturi terram promissionis à domino audirent ne filias Chananæorum sibi in vxores acciperent, nec suas eis nuptui traderent, statim subiunxit dominus: *Deut.7.a.* Ne faciant vos recedere à deo vestro, & fornicari cū diis alienis. Hinc etiam Esdras Idumæas atque aliarum mulieres nationum per quas filij Israel ibant ad deos alienos, ab eis separari iussit. *1.Esdr.10.b.* Est autem alia causa quare consanguineorū coniunctiones in populo dei primùm permissæ, vel potius imperatæ fuerunt. Deus enim sic ab initio salutem humani generis dispēsauit, vt primitiuam ecclesiam in illo populo institueret, qui sibi carnis cōsanguinitate erat propinquus. Vnde de plebe Iudaica primùm apostolos elegit: quos quasi fundamentum ecclesiæ instituit, quorum prædicatione de eadem plebe multi ad deum conuersi, in seipsis originē ecclesię præstiterunt. Deinde in cæcitate suæ perfidiæ Iudaica plebe relicta: ad gentes quæ tam fide quàm cognatione carnis à Christo erant alienæ, prædicatio euangelica translata est: & quasi consanguineæ copulam Christus aspernatus, de aliena cognatione sibi vxorem elegit: *Esa.50.a.* adimplens illud quod per prophetam Osee prædixerat: *Osee.4.* In peccatis vestris dimisi matrem vestram, quasi adulteram & repudiatam. Et item per alium prophetam. *Osee.2.d.* Vocabo non plebem meam, plebem meā. In huius ergo rei sacramento consanguineorum coniunctiones primùm in populo permissæ sunt, nūc autem prohibitæ. & quia non in vna familia tantum, sed in omni multitudine gentium populus fideliū inuenitur, non de propria cognatione, sed de qualibet alia cuicunque vxorem ducere conceditur.

Illud autem quòd pręcepta legis seruanda dicuntur, quæ GRATIAN.

nec

nec euangelicis, nec apostolicis institutis euacuata probãtur: verum quidem est: sed cùm omnia figuralia signa Apostolus probet ad tempus esse data, itaque ideo veniente veritate affirmet illa figuralia non vltra esse seruãda: hoc autem (vt suprà monstratũ est) causa sacramẽti à deo institutum esse probetur: & hoc cũ cęteris figuralib⁹ euacuatũ certissimè cõstat: quanquã sicut Apostolus quędã consulẽdo addidit, quæ euãgelicis præceptis nõ inueniebãtur diffinita. nec tamẽ ideo tanquã temeraria vel superflua ab alijs apostolis sunt repudiata: sic & ecclesia post apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit: vtpote de continentia ministrorũ, de cõfectione misteriorum, de celebratione officiorum, quæ nullaten⁹ respuẽda sunt, sed diligẽti veneratione suscipiẽda. Cõsanguineorũ ergo cõiunctiones quanuis euangelicis & apostolicis præceptis nõ inueniãtur prohibitæ: sunt tamẽ fugiendæ, quia ecclesiasticis institutionibus inueniuntur terminatæ.

QVAESTIO II. & III.

SI EX CONSANGVINITATE VXORIS ALIQVA POSSIT IN CONIVGEM DVCI. ET VSQVE AD QVEM GRADVM DEBEAT QVISQVE ABSTINERE, SIVE A PROPRIIS, SIVE AB VXORIS SVAE CONSANGVINEIS.

GRATIAN.

QVia ergo à consanguineorum coniunctionibus (sicut probatum est) abstinere oportet: videndum est vsque ad quem gradum à consanguineis propriis abstinere oporteat, vel si ex cognatione propriæ vxoris aliquam duci in vxorem liceat.

Ivo. li. 7. refert. Tertius. non reperitur hoc decretũ in volumine conciliorum.

De his ita scribit Gregorius[a] papa in concilio Meldensi.

Vsque ad septimam generationem nullus de sua cognatione ducat vxorem. 1

DE affinitate cõsanguinitatis per gradus cognationis placuit vsque ad septimam generationem obseruare. nam & hæreditas rerum per legales instrumẽtorum diffinitiones sancita, vsque ad septimum gradum protendit hæredum successionem. non enim succederent nisi eis de propagine cognationis deberetur.

Epist. 2. ad epis. Gall. cõcord. sup. 3. 4. 4. c. 4. eiusdem Calixti.

ITEM Calixtus papa.

Infamia notantur qui consanguineas ducunt vxores. 2

COniunctiones consanguineorum fieri prohibentur. quare? quia has diuinæ seculique prohibent leges. leges ergo diuinæ hoc agentes, & eos qui ex eis prodeunt, non solũ eiiciunt, sed etiam maledictos appellant. Leges ergo sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò sequentes

quentes patres nostros infamia eos notamus, & infames esse censemus: quia infamiæ maculis sunt aspersi: nec eos viros, nec accusationes eorum (quas leges seculi reiiciunt) suscipere debemus. Eos autem consanguineos dicimus, quos diuinæ & imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditate suscipiunt, nec repellere possunt. ITEM Fabianus papa. non extat inter eius decreta.

Affines in quinta generatione copulari possunt: in quarta si fuerint inuenti, non separentur. 3

DE propinquis qui ad affinitatem per virum & vxorem veniunt, defuncta vxore vel viro, in quinta generatione coniungantur, in quarta si inuenti fuerint, non separentur. In tertia tamen propinquitate non licet vxorem alterius accipere post obitum eius. Aequaliter vir coniungatur in matrimonio eis quæ sibi consanguineæ sunt, & vxoris suæ consanguineis post mortem suæ vxoris. IDEM 4

QVi propinquam sanguinis vxorē ducunt, & separantur, non licebit eis quandiu vtrique viuunt alias vxores sibi in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur.

VNDE in concilio apud Vermeriam. *Vormatien.*

Non prohibetur ducere vxorem qui ignorantèr incestum committit. 5

SI quis cum matre & filia fornicatus fuerit, ignorante matre de filia, & filia de matre: ille nunquam accipiat vxorem: illæ verò si voluerint accipiant maritos. Si autem hoc scierint ipsæ fœminæ, absque maritis perpetuo maneant.

ITEM ex eodem. 6

SI homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater eius nesciens eandem duxerit vxorem: frater eo quòd fratri crimen celauerit, septem annos pœniteat, & post pœnitentiam nubat. Mulier autem vsque ad mortem pœniteat, & sine spe coniugij maneat.

„ De his verò qui ignoranter coniunguntur, cæteræ au- GRATIAN.
„ ctoritates intelligendæ sunt. VNDE Iulius papa. *Iuo. lib. 7. ex eodem refert.*

Ex propinquitate sui sanguinis vel vxoris vsque in septimum gradum nullus ducat vxorem. 7

NVllum in vtroq; sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel vxoris vsque in septimum generis gradum vxorem ducere, vel incesti macula copulari. Præterea quoq; illud adiecimus, quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate vxoris suæ coniugem ducere: propter carnis vnitatem.

ITEM in concilio Agathensi. *Cap. 61.*

Incestuosi nullo sunt digni nomine coniugij. 8

DE incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ [relinquimus, vel] reseruamus, nisi cùm adulteriū separatione sanaue-

nauerint. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim esse censemus, si quis relictã fratris (quæ penè prius soror extiterat) carnali coniunctione polluerit, si quis frater germanã vxorem acceperit: si quis nouercam duxerit, si quis consobrinæ sobrinæue se sociauerit[a]: si quis relictæ vel filiæ auunculi misceatur, aut patrui filiæ, aut priuignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam cõsanguineus habuerit, vel concubitu polluerit, aut vxorem duxerit, quos omnes & olim & nunc sub hac cõstitutione incestos esse non dubitamus, & inter catechumenos vsque ad legitimam satisfactionem manere & orare præcipimus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, vt ea quæ hactenus sunt constituta, non dissoluamus. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

a al. fociet.

6. pars.

ITEM ex concilio Hilerdensi.

Incestuosi vsque ad satisfactionem excommunicentur. 9

b al. cõmaculãt.

DE his qui incesti pollutione se [b] maculant, placuit vt quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur: cum quibus etiam nec cibum sumere vlli Christianorum (sicut Apostolus iussit) licebit.

GRATIA. Epist. 31. li. 12

ITEM Gregorius papa ad Felicem Messanæ ciuitatis episcopum.

Nullus ducat in vxorem à consanguineo cognitam, vel aliqua pollutione maculatam. 10

NEc eam quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in cõiugium ducere vlli Christianorum licebit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis deo & cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis patribus statutum esse legimus.

Naturæ videlicet ordine, si verò extraordinariè, non sic.

Ait enim Vrbanus papa secundus Gratiano Neapolitano episcopo.

Extraordinaria pollutio in naturalibus non impedit matrimoniũ. 11

EXtraordinaria pollutio nõ nisi in naturalibus admissa, vel sæpius reiterata citra maritalem affectum: si præbitis sacramentis ita esse constiterit, quemadmodum nobis tuis significatum est literis, non videtur matrimonium impedire, quãuis ipsa sit criminosa & dãnabilis. ITEM Iulius papa.

c vxoris suæ. legendũ apparet.

progeniem.

Nullus ducat in coniugem relictam consanguineorum [suorum] vsque in tertiam generationem[c]. 12

ET hoc quoque statutum est, vt relictam patris vxoris suæ, relictam fratris vxoris suæ, relictam filij vxoris suæ nemo

sibi

ſibi in matrimonium ſumat, relictam cõſanguineorum vxoris ſuæ, vſque in tertiam progeniem nemo in vxorem ſumat. in quartam autem & in quintam ſi inuenti fuerint, non ſeparentur. IDEM.

A conſanguineis propriis vel vxoris pariter vtrique eſt abſtinendum. 13

AEqualiter vir coniungatur conſanguineis propriis, & conſanguineis vxoris ſuæ.

ITEM Iſidorus ex concilio Macieñ. *Iuo lib. 7. refert.*

In parentela propria & coniugis eadem conſanguinitas eſt obſeruanda. 14

SAnè conſanguinitas quæ in proprio viro ſeruanda eſt, hæc nimirum in vxoris parentela de lege nuptiarum cuſtodienda eſt: quia conſtat eos duos fuiſſe in carne vna, ideóque communis illis vtraque parentela cenſenda eſt, ſicut ſcriptum eſt: Erunt duo in carne vna. ITEM Auguſtinus. *Gene. 2. d.*

Nurus non eſt aliter deputanda quàm filia. 15

SI vir & vxor non iam duo, ſed vna caro ſunt, non aliter eſt nurus deputanda quàm filia.

ITEM Greg. papa epiſcopis Galliæ. *Epiſt. 31. li. 12. ad Felicem epiſcopum.*

Vſque ad ſeptimam generationem progeniem ſuam vnumquemque ſeruare oportet. 16

PRogeniem ſuam vnumquenque vſque ad ſeptimam decernimus obſeruare generationem: & quandiu ſe agnoſcãt affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus. quod ſi fecerint, ſeparentur.

ITEM Nicolaus papa Amalphitanæ eccleſiæ ſuffraganeis.

De eodem. 17

DE conſanguinitate ſua vxorem nullus ducat vſq; poſt generationem ſeptimam, vel quouſq; parẽtela cognoſci poterit: laicus verò vxorem ſimul & concubinam habens non communicet eccleſiæ. ITEM ex concilio Guarmacieñ. *Vormatien.*

Quouſque inter aliquos generatio recordatur, aut in memoria retinetur, ſibi inuicem non copulantur. 18

IN copulatione fidelium generationis numerum nõ diffinimus, ſed ſtatuimus vt nulli liceat Chriſtiano de propria conſanguinitate ſeu cognatione accipere vxorem, vſque dum generatio recordatur aut cognoſcitur, aut in memoria retinetur. ITEM ex concilio Lugdenſi. *Iuo lib. 7. refert.*

Ex propinquitate ſui ſanguinis vſque ad ſeptimum gradum nullus ducat vxorem. 19

NVlli ex propinquitate ſui ſanguinis vſque ad ſeptimũ gradum vxores ducant, neque ſine benedictione ſacerdotis. qui autem nupturi erunt, à ſacerdote benedicti nubere audeãt. nec aliter præſumant.

GRATIA. Præmissis auctoritatibus quisque prohibetur à coniunctione consanguineorum vsque ad septimam generationem. Sed obiicitur illud Gregorij ad Augustinū Anglorū episcopum.

Cap. 6. ad interrogationē Augustini Cantuariensis.

Anglicis permittitur vt in quarta vel in quinta generatione copulentur. 20

QVædam lex Romana permittit vt siue fratris siue sororis seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur: sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Vnde necesse est vt in quarta vel quinta generatione fidelium licenter sibi coniungantur.

GRATIAN. Sed idem humillimus pater Gregorius post multum temporis à Felice Messanæ Siciliæ ciuitatis præsule requisitus vtrum Augustino scripserit, vt Anglorum in quarta generatione contracta matrimonia minimè soluerentur, inter cætera talem responsionem reddidit. Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet (vt recordaris) tuo: ipsi etiam Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter & non generaliter me certissimè scripsisse cognoscas. vnde & mihi omnis Romana ciuitas extitit testis. Nec ea intentione hæc ei scripsi mandata, vt postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriā consanguinitatem inuēti fuerint, non separentur: aut infrà affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem iungantur: sed quòd adhuc illis neophytis existentibus, eis primùm illicita consentire, & eos verbis ac exēplis instruere oportet. Nam iuxta Apostolum qui ait: Lac dedi vobis in potum non escam: illis modò non posteris (vt præfixum est) temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma radice plantatum erat, erueretur, sed aliquantulum firmaretur, & vsque ad perfectionem custodiretur. ITEM obiicitur illud Gabilonensis concilij.

Grego. epi. 31. lib. 12.

1. Cor. 3.

Iuo refert lib. 7.

In quinta vel sexta generatione nullus amplius copuletur coniugio. 21

COntradicimus vt in quarta vel in quinta sextaque generatione nullus amplius coniugio copuletur. Vbi autem post interdictum factum fuerit inuentum, separetur.

GRATIAN. Hac auctoritate dum sexta generatione interdicitur coniugium, in septima permitti videtur: sed gradus cognationis secundum quosdam variè computantur. Alij nanque patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alij primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem & filium esse, cùm vna caro probentur pater & filius. Auctoritates ergo quæ consanguinitatis copulam vsque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu.

illæ ve-

illæ verò quæ vsque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant: atque ita fit vt eædem personæ secundum hanc diuersitatem inueniantur in sexto vel septimo gradu. Item illud Fabiani quo affines in quinta generatione copulari iubentur, videtur esse contrarium illi decreto Iulij papæ. Sicut non licet vlli Christiano de sua consanguinitate vxorem ducere, sic etiam non licet de consanguinitate vxoris suæ coniugem ducere, propter carnis vnitatem. Similiter etiam inuenitur contrarium illi cap. Gregorij, nec eam quam ex propria consanguinitate coniugem habuit, &c.

Sed illud Fabiani intelligẽdum est de duabus sororibus vel personis inter se affinitate coniunctis, vt sunt vxores duorum fratrum: si contigerit vnam earum alicui matrimonio copulari: post mortem eius vir non poterit affinem superstitem in coniugem ducere, nisi in quinto gradu affinitatis inueniantur. vnde qui nouercam alicuius in vxorem duxerit, post mortem eius vxorem priuigni ducere non poterit. [a] Hinc etiam idem Iulianus papa alibi ait: Relictam consanguineorum vxoris suæ (non ait consanguineam vxoris suæ, sed relictam consanguineorum vxoris suæ) vsque in quartam generationem nullus ducat in vxorem. Paschalis verò papa secundus scribẽs Rhegino episcopo tertium genus affinitatis assignat, cuius copula non vltra secundum gradum inuenitur prohibita. Ait enim. GRATIA.

a Sup. c. 12. e. legẽdum Iulius.

Duorum consobrinorum coniuges vni eidémque nubere non possunt. 22

PORrò duorum consobrinorum coniuges[b] quamuis diuersis temporibus viro vni alteram post alterius obitum nubere ipsa præter auctoritatem canonicam publicæ honestatis iustitia contradicit, & nouit prudentia tua: quia ita ab vxoris sicut à viri consanguineis abstinendum est.

b Affines tantum in 20. gradu affinitates.

Illud autem Gregorij & Iulij papæ intelligitur de consanguinitate viri vel vxoris, vt post mortem alicuius eorum nulli de cognatione defuncti superstes matrimonio copuletur. Demonstratum est vsque ad quem gradum quisque à propria consanguinitate vel cognatione suæ vxoris abstinere debeat. GRATIA.

QVAESTIO IIII.

QVARE VSQVE AD SEXTVM GRADVM CONSANGVINITATIS CONIVNCTIO PROHIBEATVR.

MOdo quæritur quare vsque ad sextum gradum consanguinitatis coniunctio prohibeatur? De his ita scribit Isidorus Etymologiarum libro vndecimo, capite sexto. GRATIAN. 9. Cap. 7.

Quare usque ad sextum gradum consanguinitas obseruetur. 1

Consanguinitas dum sepe paulatim propagine ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum se subtraxerit, & propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonij vinculum eam recipiet, & quodammodo reuocabat fugientem. Ideo autem usque ad sextum generationis gradum consanguinitas statuta est: ut sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

se. propaginum. eam rursus. repetit. reuocat.

QVAESTIO V.

QVOMODO GRADVS CONSANGVINITATIS COMPVTANDI SVNT.

De gradibus verò consanguinitatis quomodo computandi sunt, Isidorus sic loquitur.[a]

Isido. c. 5. lib. 9. Etym.

Quomodo dirimuntur gradus consanguinitatis. 1

Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimitur: filius & filia, quod est frater & soror, fit ipse truncus. illis seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos neptis primus. Pronepos proneptis, secundus. Abnepos abneptis, tertius. Adnepos adneptis, quartus. Trinepos trineptis, quintus. Trinepotis filius, & trinepotis filia, sextus.

a Non extat in his quæ vidi Isidori exemplaribus vel impressis, vel manuscriptis.

[b] ITEM Alexander papa secundus Neopolitanis clericis & omnibus episcopis atque iudicibus per Italiam constitutis, scribit de huiusmodi, dicens.

GRATIA. b In mag. Iuo. decre. parte. 9. extat similis: sed non eadem verborum serie.

Quomodo sunt computandi gradus consanguinitatis 2

Ad sedem apostolicam perlata est quæstio nouiter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum & canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones & ecclesiasticum morem numerare nituntur: nouo & inaudito errore affirmantes quòd germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filij eorum & filiæ in quarta, nepotes eorum vel neptes in sexta. taliq́ue modo progeniem computantes, in huiusmodi sexto gradu eam terminãtes, dicunt deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia iura contrahere: & ad huiusmodi prophanum errorem confirmandum in argumentum assumunt seculares leges quas Iustianus imperator promulgauit de successionibus consanguineorum: quibus confisi ostendere moliuntur fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quatto, nepotes & neptes in sexto. sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum patrum, & antiquam ecclesiæ computationẽ ad nos usque perductam, peruersa quadam calliditate disturbare nituntur. Nos verò deo annuente hanc quęstionem discutere curauimus in synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc opus episcopis & clericis atq; iudicibus diuersarum prouinciarum.

Denique

Denique diu ventilatis legibus & sacris canonibus, distinctè inuenimus ob aliam atque aliam causam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi vt hæreditas vel successio ab vna ad alteram personam inter consanguineos deferatur. in canonibus vero ob hoc progenies computatur, vt apertè monstretur vsque ad quotam generationem à consanguineorum nuptiis sit abstinendum. ibi præscribitur vt hæreditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò vt ritè & canonicè inter fideles nuptiæ celebrētur. In legibus distinctè non numerātur gradus nisi vsq; ad sextū, in canonibus autem vsque ad septimam distinguitur generationem. Hac ergo de causa quia hæreditates nequeunt deferri nisi de vna ad alteram personam, idcirco curauit secularis imperator in singulis personis singulos perficere gradus. Quia verò nuptię sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in vno gradu constituêre personas. vtranque tamē computationem, si attentè ac subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse, & eandem in eis sententiam esse, atque ad eundem terminum conuenire manifestissimum erit. Iustinianus namque vsque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non definiuit: canones verò vltra septimam nullam numerant generationem sexto quippe gradu determinato, in ipsis legibus[a] subintulit imperator.

GRATIAN.

„ Hactenus ostendisse sufficiat quemadmodū gradus cogna-„ tionis numerentur, namque ex his palam est intelligere quem-„ admodum vlteriores gradus numerare debeamus, generata quippe persona gradum adiicit. Ecce in his verbis apertè ostēditur tales gradus quales isti computant, non tantum vsq; ad sextum, verumetiam vltra numerari debere: quippe cùm vltra sextum vlteriores gradus numerandos esse decernant. vbi enim vlteriores nominat gradus, apertè indicat non sex tantummodo esse gradus, sed sex finitis adhuc alios numerādos. nec mirū, cum in pręcedentibus ipse firmauerit imperator decimum etiam gradum: quod dicendo, non esse tantummodo sex, luce clarius confitetur. Hi ergo euigilent, & aciem mentis si possunt intendant: quos hactenus istiusmodi perculit error. enimuero vbi secundum leges inter agnatos vel cognatos defertur successio, consanguineos[b] esse non dubium est. neque enim sibi succederent nisi inter se (teste Iustiniano) in decimo gradu sibi attinerent. Consanguinei igitur ibi sunt, qui sic sibi succedunt. Quòd si in decimo gradu consanguinei sibi existunt, non est terminata consanguinitas (vt isti fatentur) in sexto tantummodo gradu. Quid igitur dicerent? Computatis namque gradibus sicut isti numerant: aut finitur

[a] in Institutionibus lib. De gradibus.

[b] imò dici potest non esse cognatos, sed ex eadem familia tantum. l. octaui. ff. vnde cognati.

tur consanguinitas in sexto gradu, aut non. Si autem finitur, fallaces erunt leges quibus isti vtuntur, quæ in decimo gradu sibi succedere consanguineos iubẽt. Quòd si non finitur consanguinitas in huiusmodi sexto gradu, falcidici erunt isti qui vltra illum sextum gradum nolunt computare consanguinitatem. Igitur aut leges erunt falsæ, aut isti qui sic finiunt generationem. Sed vt veridicæ leges & veraces sint canones, dicamus id quod veritas habet: scilicet quòd nõ terminatur consanguinitas in huiusmodi sexto gradu, sed terminatur in septimo gradu secundum canones. vtraque enim computatio (sicut superius diximus) vno fine concluditur. Nanque duo gradus legales vnum canonicum constituunt. Fratres itaque qui secundum seculares leges dicuntur in secundo gradu, iuxta canones numerantur in primo gradu. filij fratrum qui illic numerantur in quarto: hic computantur in secundo. [a]nepotes verò qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio. sic deinceps qui legibus inscribuntur in octauo & decimo, in canonibus definiuntur in quarto & quinto. atque hoc modo de reliquis sentiendum est, vt qui secundum canones dicuntur in sexto vel septimo, secundum leges accipiuntur in duodecimo vel decimoquarto. Hanc computationem intelligens prudentissimus papa Grego. dum quæreretur in quota generatione fideles coniungi debeant, ipsas seculares leges in testimonium adducens, Augustino Anglorum episcopo sic rescripsit:

a Subaudi fratrum.

GRATIA. c. quædam supra ead. caus. q. 2. & 3.

« Quædã terrena lex in Romana republica permittit vt siue fratris & sororis, seu duorum fratrũ germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceãtur: sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolẽ non posse succrescere. Vnde necesse est vt iam in tertia vel in quarta generatione copulatio fideliũ licenter sibi coniungi debeat. Nam à secũda (quã prędiximus) omnimodo debẽt abstinere: Ecce hic apertè monstratur filios & filias fratrum in secũda generatione numerari. & si fratrum filij & filię numerantur in secunda, fieri non potest vt ipsi fratres non sint in prima. quòd si fratres numerantur in prima, filij eorum in secunda, dubium non est quin eorum nepotes sint in tertia, pronepotes in quarta: & sic de reliquis vsq; ad septimã. Sed sunt quidam qui ex his Gregorij verbis quibus ait vt in tertia vel quarta generatione computentur fideles: occasionẽ accipiunt illicita matrimonia cõtrahendi, dicẽtes se hoc iustè facere posse, quod tam prudẽtissimus doctor sua sententia definiuit. Isti itaque qui se hoc velamine defendere nituntur aduertant in eiusdem patris sententiis nõ generaliter cunctis, sed specialiter Anglorum genti mandasse: nã postmodum à Felice Messanæ Siciliæ præsule requisitus, an hoc quod Augustino mãdauerat, generaliter cunctæ ecclesiæ tenendũ esset,

apertissi-

apertissimè monstrauit non aliis quàm illi genti mandasse, ne bonum quod cœperant, metuendo austeriora desererent: sed illi postquam in fide essent firma radice solidati, & vniuersali ecclesiæ censuit semper esse tenendum, vt nullam de propria consanguinitate vel affinitate infra septimam generationem aliquis sibi audeat in coniugio copulare. Ecce apertè monstratum est ex verbis ipsius legis, & auctoritate prudentissimi papæ Gregorij quid de gradibus consanguinitatis numerandis sentire debeamus: quamuis alia quoq; ratio modo pari ipsos reuincat aduersarios. Nam si (vt ipsi fatētur) in illo sexto gradu consanguinitas finiretur, omnes personarum ramusculos qui vltra illum gradum in pictura arboris continentur, velut superfluos oportere detrūcari. sed quia omnes qui in pictura prædictæ arboris cōtinentur, ex vna parentela consistunt, nunquam sine diminutione consanguinitatis à se poterunt separari, veluti non sine damno cuiusque personæ valent à proprio corpore manus, brachia & pedes truncari. Illa quoq; sacrorum præceptio canonum quæ iubet à propria abstinere consanguinitate quandiu generatio recordatur, aut memoria retinetur: nec à prædicta parentelæ discrepat computatione. nam si in septem gradibus canonicè & vsualiter numeretur, vltra quos nec consanguinitas inuenitur: nec nomina graduum reperiuntur, nec successio potest amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generatio recordari. Ne verò in hac consanguinitatis computatione aliqua dehinc ambiguitas valeat remanere, aliā quam quidam faciunt numerationem, in hac etiam alia disputatione duximus discutiendam. Sunt enim quidam qui non à fratribus, sed à filiis eorum, id est, à patruelibus vel cōsobrinis genealogiam numerare incipiunt: dicentes filios patrum in prima generatione cōputari debere, quia fratres quasi quidam truncus ex quo cæteri ramusculi oriutur existunt. Sed nec ista graduum computatio si bene intellecta fuerit: ab ea quam superius exposuimus, in sententia poterit esse diuersa. Isti enim qui initium numerandi sumunt à filiis fratrū, non progrediuntur vltra sextam generationem, sed sicut totius mundi sex ætates existunt, & humanæ vitæ itidem sextita & in consanguinitate sex tantummodo autumant computandas esse generationes: quibus finitis, nouæ coniunctionis dicūt posse fieri initiū: vt quasi fugientem possint reuocare consanguinitatem. Hæc itaque computatio quæ incipit à fratrū filiis, & numeratur vsque ad. vj. tantundē valet quantum ea quæ incipit à fratribus, & computatur vsque ad vij. nec vlla in sensu consistit diuersitas: quamuis in numero graduum varietas videatur. vltima enim generatio si à fratribus sumat initium numerandi, septima inuenitur: si à filiis fratrum, reperitur sexta. Taliter igitur de-

terminatis gradibus consanguinitatis apostolica auctoritate admonemus vos fratres & filij, vt omnibus sic seriem genealogiæ computandam esse intimetis, quemadmodum sancti patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos sanctæ vniuersalis ecclesiæ per longa tempora olim cóputasse monstratur. nam si quis peruersa & obstinata mente à recto tramite apostolicę sedis deuiare voluerit, & aliter quàm nos in nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit: primùm pro sua temeritate cœlesti pœna plectetur: postmodum verò gladio perpetui anathematis nouerit se iugulandū.

IDEM Gregorius papa.

Quare consanguinitas vxoris ad virum pertinere dicitur: & quomodo affinitas sit computanda. 3

PОrrò de affinitate quam dicitis parentelam esse quæ ad virum ex parte vxoris, seu quæ ex parte viri ad vxorem pertinet: manifestissima ratio est: quia si secundum diuiná sententiam ego & vxor mea sumus vna caro, profectò mihi & illi mea suaq; parentela propinquitas vna efficitur, quocirca ego & soror vxoris meæ in vno & primo gradu erimus: filius verò eius in secundo gradu erit à me, neptis verò tertio: idq; vtrinque in cæteris agendum est successionibus. Vxorem verò propinqui, cuiuscunq; gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoq; gradus aliqua fœmina propriæ propinquitatis sit: quod nimirum vxori de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus conuenit obseruari. qui verò aliorsum sentiunt, Antichristi sunt, à quibus tanto fortius vos oportet cauere, quanto apertius deprehenditis illos diuinis legibus oppugnare. ITEM Zacharias papa.

Qualiter parentelæ gradus computantur. 4

PArentelæ gradus taliter computamus, siquidem ego & frater meus vna generatio sumus: primumq; gradum efficimus: nullo gradu distamus. rursus filius meus, fratrisq; mei filius: secunda generatio sunt. ac gradum secundū faciunt, nec à se aliquo gradu separantur, atq; ad hunc modum cæteræ successiones sunt habendæ. porrò de affinitate quam dicitis parentelam: vt supra c. G. ITEM Alexander papa. ij.

a hæc ad verbū sumpsit Alexāder ex Isidoro lib. 9.

Aequiuocatio est cùm soror vxoris cognata vocantur. 6

QVòd autem frater sorórve vxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquiuocationis iure fit, & necessitate vulgaris appellationis potius quàm vlla causa cognationis. vxor enim fratris fratrissa potius quàm cognata vocatur. mariti frater leuir dicitur. duorum autē fratrum vxores vocātur ianitrices, quasi eandem ianuam tenentes, vel per eandem ianuam intrātes. Viri soror glos appellatur. Sororis autē vir non habet speciale nomen, nec vxoris frater. ITEM Isidorus.[b]

Isidor. cap. 5. li. 9. Etymolog.

b recitat quidē Isidorus, sed ad verbum sumpsit ex Pauli sententiis. de gradibus.

Nomina

Nomina graduum superiorum, siue inferiorum, siue ex latere venientium. 7

PRimo[a] gradu superiori linea continetur pater & mater, inferiori filius & filia: quibus nullæ aliæ personæ iunguntur. Secundo gradu continetur superiori linea auus auia, inferiori nepos neptis, in transuersa frater & soror: quæ personæ duplicantur. auus enim & auia tam ex patre quàm ex matre accipiuntur. quæ personæ sequentibus quoq; gradibus similiter pro substantia eorum in quo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur. istæ[c] personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo aui sunt, & paternus & maternus. Item duo genera nepotum sunt, siue ex filio, siue ex filia procreati. Frater & soror ex transuerso veniunt, id est, aut frater patris, aut frater matris: qui aut patruus, aut auunculus nominatur, qui & ipsi hoc ordine duplicantur.

Tertio gradu, veniunt suprà proauus proauia, & infrà pronepos proneptis. Ex obliquo quoq; fratris sororisq; filius vel filia, patruus, amita, id est, patris frater & soror: auunculus, matertera, id est, frater matris, & soror.

Quarto gradu, proueniunt suprà abauus, abauia: infrà abnepos, abneptis. Ex obliquo fratris sororisq; nepos, & neptis: patruelis frater, soror: patruelis, id est, patrui filius & filia. Consobrinus consobrina, id est, auunculi & materteræ filius & filia. Amitinus, amitina, id est amitæ filius & filia. Item consobrini qui ex duabus sororibus nascuntur: quibus accrescit patruus magnus amita magna, id est, aui paterni frater & soror: auunculus magnus, matertera magna, id est, auiæ tam paternæ quàm maternæ frater & soror.

Quinto gradu, veniunt suprà quidem adauus, adauia: infrà adnepos, adneptis. Ex obliquo fratris & sororis pronepos, proneptis: fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, cõsobrini, consobrinæ filius vel filia, propior consobrinus, propior consobrina, id est, patrui magni, auunculi magni, materteræ magnæ, amitæ magnæ filius vel filia: quibus accrescunt propatruus & proamita.

Hi sunt proaui paterni frater & soror, proauunculus scilicet & promatertera.

Hi sunt proauiæ paternæ maternæque frater & soror, proauiq; magni materni. Hæc species nec aliis gradibus quàm scripta est, nec aliis vocabulis declarari potest.

Sexto gradu, veniunt suprà tritauus tritauia, infrà trinepos trineptis. Ex obliquo fratris & sororis abnepos abneptis, fratris patruelis, & sororis patruelis amitini amitinæ, consobrini consobrinæ, patrui magni amitæ magnæ, auunculi magni materteræ magnæ, nepos neptis, propioris consobrini filius

a Idem Iuo parte septima.

b In hoc caput vide Ant. Contium lib. 1. subsecivarum.

c hæc sunt verba Auiani interpretis breuiarij Alariciani, quæ falsata & deprauata sunt, mirumque est Isidorum & Gratianum tam sine vllo discrimine hæc verba assumpsisse.

filius vel filia, abpatruus abamita.

Hi sunt abaui paterni frater & soror, abauunculus abmatertera.

Hi sunt abauiæ paternæ maternæque frater & soror, abauique materni.

Hi quoq; explanari amplius non possunt quàm ipse auctor disseruit.

Septimo gradu qui sibi sunt cognati recta linea suprà infraque propriis nominibus non appellantur, sed ex transuersali linea continentur fratris sororis, adnepos adneptis, consobrini filij filiæq;. Successionis idcirco gradus sex constituti sunt, quia vlterius per rerum naturam nec nomen inueniri, nec vltra successio potest propagari. In his enim sex gradibus omnium propinquitatum omnia nomina continentur, vltra quos nec affinitas inueniri, nec successio cõsanguinitatis potest amplius prorogari.

GRATIAN. De gradibus consanguinitatis vel affinitatis quot sint: quomodo computandi, quibus etiam appellentur nominibus, auctoritate Isidori atq; Gregorij & Alexandri sufficienter monstratum est.

QVAESTIO VI.

QVI IVREIVRANDO PROPINQVITATEM FIRMARE DEBEANT.

GRATIA. NVnc quæritur quibus accusantibus vel testificantibus consanguineorum coniunctio dirimenda sit.

De his ita scribit Fabianus papa.

Iuo lib.7. id ex eodem refert. Apud Iuonem est Alexander II. Guillelmo de Monstrolio.

Consanguinei tantum, vel si progenies defecerit, antiqui & veraces propinquitatem in synodo computent. 1

COnsanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in synodo computet, sed propinqui ad quorũ notitiam pertinet. id est, pater & mater, soror & frater, patruus, auũculus, amita, matertera, & eorum procreatio. si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus & veracioribus quibus eadem propinquitas nota sit, episcopus canonicè perquirat: & si inuenta fuerit propinquitas, separentur. Cœlestini papæ decretum ecclesiæ Florentinæ missum.

Deest omnino in quibusdã. in vno ad marginẽ scripta est vt palea.

Palea. 2

VIdetur nobis quòd secunda quam contra prohibitionem ecclesiæ duxit, non sit vxor: etiam si primam non haberet desponsatam. nam quod contra interdictum & ordinem ecclesiæ factum est, ratum non haberi tam humanæ quàm diuinæ legis proclamat auctoritas. Quia igitur ea quã inordinatè superduxit prohibitione renitente, vxor non est, eam cogendus est recipere quam iurauit & desponsauit, & ex ea prolem genuit, vt iuramenti religio non vilipendatur, & fides adinuicem promissa

promissa seruetur, & proles in cultu dei nutriatur & educetur, & alij exinde occasionem peccandi, & alios decipiendi assumere non valeant. Quod autem parentes, fratres, & cognati vtriusque sexus in testificationem filij & filiæ ad matrimonium coniungendum vel dirimentum admittantur, tam antiqua consuetudine legibus approbata, quàm diuinis & humanis legibus approbatur. In dirimendo autem matrimonio ideo maximè parentes recipiuntur, siue si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam vnusquisq; suam genealogiam cum testibus & chartis, cum exercitatione & recitatione maiorum scire laborat. Quia igitur alijs melius sciunt, ideo maximè admittuntur: similiter etiam recipiũtur & in testificationem matrimonij coniungendi. Qui enim melius recipi debent quàm illi qui melius sciunt, & quorum est interesse, ita vt si non intersint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullũ fiat matrimonium? Quod verò legitur, pater non recipiatur in causa filij, nec filius in causa patris, in criminalibus causis & contractibus verum est: in matrimonio contrahendo & disiungẽdo, ipsius coniugij prærogatiua, quia & fauorabilis res est, congruè recipiuntur.

ITEM Vrbanus papa Richardo Ianuen. episcopo. *Iuo libr. 7. in decreto.*

Qui iureiurando propinquitatem firmare debeant. 3

NOtificamus tibi vt postquam tres aut duo ex propinquioribus iã defunctæ vxoris vel viuę eius qui accusatur, hanc propinquitatem iureiurando firmauerint: vel si tres aut duo ex antiquioribus Ianuẽsibus quibus hæc propinquitas sit nota, qui bonæ famæ & veracis testimonij sint, remoto amore, timore, precio, & omni malo studio, supradicto modo consanguinitatem firmauerint, sine omni mora coniugia dissoluantur. quòd si propinqui aut extranei verbis tantum propinquitatem testantur, & iuramento probare noluerint vel nequiuerint, coniugium nullatenus dissoluatur, sed competens eis pœnitentia propter infamiam vel peccati maculam (si fortè in hoc contraxerint aliquam) iniungatur.

ITEM ex concilio Vrbani papæ habito in Apulia.

Sua confessioni relinquuntur, quorum incestum nullus iureiurando affirmat. 4

SI duo viri vel tres consanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipsi fortè confessi fuerint, coniugia dissoluantur. si verò neutrũ contigerit, episcopi eos per baptismum, per fidem Christi, per Christi iudicium in vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciunt vtrum se (sicut est fama) recognoscãt esse consanguineos. si negauerint, sibiipsis relinquendi sunt: ita tamen, vt si aliud in conscientia habeant, se à liminibus ecclesiæ, à corpore & sanguine domini, à fidelium cõmunione nouerint

nouerint segregatos atque infames effectos, donec ab incesti facinore desinant, si se iudicio episcoporũ segregauerint qui iuuenes sunt, alia matrimonia cõtrahere non prohibeantur.

GRATIA. 2. pars. Ecce quibus accusantibus vel testificantibus cõsanguineorum coniunctiones sunt dirimendæ. Cuiusmodi verò iuramentum ab accusatore sit exigendum: ex Romano ordine habetur. EST autem huiusmodi.

Ex Iuon. 1. tit. 7

Iuramentum accusatoris. 5

DE parentela illa quam dicunt esse inter istum & istã eius coniugem, quicquid inde scis, aut audisti à tuis vicinis, aut à tuis propinquis antiquioribus, tu per nullum ingenium nec propter timorem, nec propter amorem, nec propter præmium, aut propter consanguinitatem celabis episcopo tuo, aut ei⁹ misso, cui hoc requirere iusserit, quãdocunq; te ex hoc interrogauerit. sic deus te adiuuet, & istorũ sanctorũ reliquię.

Iuo lib. 7.

Iuramentum testium. 6

* al. istud.

ILlud* sacramentũ quod iste iurauit de illa parentela quę inter filium & eius cõiugem N. cõputatur, quòd tu illud obseruabis inquantum sapis. sic te deus adiuuet.

GRATIA. 3. pars. Hoc iuramentum non est separationis, sed synodale institutum ab Euticiano papa ij. Ait enim.

Synodale iuramentum. 7

EPiscopus in synodo residens post congruam allocutionem vij. ex plebe eius parœcię, vel eo amplius prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros in medium debet aduocare, & illatis sanctorum pignoribus, vnumquenque illorũ tali sacramento constringere, vt amodo in antea quicquid nosti, aut audisti, aut postmodum inquisiturus es quod cõtra volũtatem dei, & rectã* Christianitatem in ista parœcia factum sit, aut futurum erit, si in diebus tuis euenit, tantũ ad tuã cognitionẽ quocunque modo perueniat, si scis, aut indicatum fuerit tibi synodalẽ causam esse, & ad ministeriũ episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorẽ, nec propter precium, nec propter parentelam vllatenus celes episcopo, aut eius misso cui hoc inquirere iusserit, quãdocunq; ex hoc te interrogauerit, sic te deus adiuuet, & illæ sanctorum reliquię. Illud sacramentum quod iste iurauerit de synodali causa, quod tu illud ex te ita obseruabis inquantũ sapis, aut audisti, aut ab hac die in antea inquisiturus es. sic te de⁹ adiuuet.

* al. totam.

GRATIANUS. 4. pars. Ab hoc iuramẽto illud sumptũ est principio paululum deriuato. Porrò de iuramento separationis Inno. papa. ij. scribit Ottoni Lucen. episcopo dicens.

Iuramentum illorum qui consanguinitatem probant. 8

Iuo. li. 7. refert.

DE parentela illa vnde nos consulere voluisti, pro qua etiam est ad nostram audientiam appellatum, aliorum fratrum scripta

ſcripta ſuſcepimus, qui vtique cauſam ipſam diuerſo modo narrabant. Et primò quidem tam in gradibus, quàm in nominibus perſonarum diſcordaſſe, poſtmodum verò in altero eorum computatores eiuſdem parentelæ dicuntur conueniſſe. Cæterùm in huiuſmodi caſibus ſummopere conſideranda eſt qualitas perſonarum, quæ aliquid contra quoſlibet aſtruere velint, quæ etiam iuſiurandum præſtare debent quòd neque gratia, neque precio, vel timore vel odio alicuius hoc dicunt contra eos de quibus agitur, ſed potius quia credant ita verũ eſſe, & ita ſe à ſuis anteceſſoribus audiuiſſe. in quibus omnibus non debet aliqua varietas vel contrarietas inueniri.

,, Qui verò ſeparantur ab inuicem, huiuſmodi iuramentum GRATIAN.
,, præſtabunt. 5. pars.

Iuramentum ſeparationis. 9

AB iſto die in antea tu per nullum ingeniũ te ſociabis huic tuæ conſanguineæ nec in coniugio, nec in adulterio, nec cum illa ad vnam menſam manducabis & bibes, aut ſub vno tecto manebis, niſi in vna eccleſia, aut in alio loco publico, vbi nulla mali ſuſpicio poſſit eſſe, vt ibi coram teſtibus idoneis pro certa neceſſitate pariter colloquamini: nec aliam cõiugem accipias, niſi fortè poſt actam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab epiſcopo tuo, aut eius miſſo. ſic te deus adiuuet. *Ivo. ibidem.*

,, Occaſione verò cõſanguinitatis vxorem ſuam dimittere, GRATIAN.
,, & aliã ducere nõ licet alicui, niſi cauſa primũ probata fuerit. 6. pars.
,, VNDE Alexander papa. ij. Guilelmo de Monſtrolico. *Ivo lib. 7.*

Niſi coram eccleſia conſanguinitate probata, vxorem dimittere non licet. 10

MVltorum relatione cognouimus te propriã velle abiicere vxorẽ, & adhærere alteri, prætendentem conſanguinitatis occaſionem. vnde apoſtolica auctoritate interdicendo mãdamus tibi vt hanc quam nunc habes vxorem, nullatenus præſumas dimittere, vel aliam ducere, donec apud epiſcoporum religioſorum concilium cauſam iuſtam examinaueris.

,, Recepturus verò eam quam iniuſtè dimiſit, hoc modo GRATIA.
,, iurabit.

Reconciliationis iuramentum. 11

AB iſto die in antea iſtam coniugem. N. quam iniuſtè dimiſeras, ita tenebis ſicut maritus ſuam coniugem debet habere, in dilectione & debita diſciplina, nec eam per vllum malum ingenium à te ſeparabis, nec ea viuẽte aliam accipies. ſic te deus adiuuet. 7. pars.

,, Quod autem vnius teſtimonio coniugia apud quoſdam di GRATIAN.
,, rimuntur, nulla ratione ratum habetur. Cùm enim dominus
,, dixerit: Omne verbum ſtabit in ore duorum vel trium teſtiũ. *Deut. 17. d.*

Item

Item, cùm in Hilerdensi concilio dicatur: Omnis controuersia quæ de ecclesiasticis rebus fit, secundum diuinam legem sub duobus vel tribus testibus terminetur, domino dicente: Non vnus stet cõtra alium, sed in ore duorũ vel trium testiũ, stet omne verbum. Item cùm alibi dicatur: Nullius personę quantumlibet exercitatæ testimonio aliquid credatur: euidentissimè apparet vnius assertionis coniugia nõ esse dirimenda.

Matth. 18. b.

QVAESTIO VII.

AN ILLI QVI DE INCESTVOSIS NATI SVNT, FILII REPVTENTVR.

GRATIA.

QVod autem quæritur, si illi qui de incestuosis nascuntur, filij reputentur.

Augustinus in libro quæstionum super Leuit. cap. lxxvij. determinat ita dicens.

Quæst. 76. li. 3 quæstionum sup. Leuiticum ad cap. 20.

Non appellantur filij, qui de incestuosis nascuntur. I

QVid est, quicunque dormierit cum cognata sua, sine filiis morietur, cùm filij ex huiuscodi cõiunctionibus & antè nati sint, & hodie nascantur? an hoc intelligendum est lege dei constitutum, vt quicunque ex eis nati fuerint, non reputentur filij, & nullo parentibus iure succedant?

QVAESTIO VII.

SI IGNORANTER DE CONSANGVINITATE VEL AFFINITATE ALIQVA IN VXOREM DVCTA EST, AN EX DISPENSATIONE POSSIT VIRO SVO ADHAERERE.

GRATIAN.

DE his verò qui ignoranter cõiuncti sunt, in quo gradu consanguinitatis vel affinitatis ex dispensatione ecclesiæ relinquantur. Gregorius in regesto diffinit dicens.

recte in registro. Epist. 31. li. 12.

Non separentur, qui infra septimam generationem ignoranter copulantur. I

DE gradibus verò cognationum qui infra septimam generationem in matrimonio sunt inuenti: si nescienter fecerint, & multa curricula annorum sunt reuoluta, ita vt filios habeant: in vj. qui inuenti sunt, aut fortasse in v. huiusmodi non separentur, donec nos ad hos domino permittente ore ad os loquamur. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. qui verò de his duobus gradibus nouas contraxisse nuptias videntur, id est, infra anni coronam, modis omnibus separentur: de cætero verò generalia per omnem prouinciam statuta percurrentia taliter firmentur, vt nullus audeat deinceps tale scelus perpetrare: & qui fecerint, sine retractationis misericordia acrioribus puniti vltionibus separentur. Hi verò qui propinquas sanguinis vxoris suæ in matri-

matrimonio sibi sociauerunt: sicut iamdudum vobis scripsimus: qui in eodem gradu inuenti sunt, separentur: aut suspẽdatur eorum causa vsque dum nos insimul domino auxiliante conueniamus.

Idem. De his qui mortua vxore secundas contrahere nuptias voluerint: iustè & honestè & rationabiliter prospeximus ab eorum consanguineis vsque ad quartum gradum genealogiæ abstineri. hoc nos secundum indulgentiam sanctæ matris ecclesiæ mitius prælibauimus. Cæterum iuxta seculariũ legum censuram dignis coercitionibus, grauibusque disciplinæ inuentionibus hæc omnia mala & illicita modis omnibus refutanda sunt, vt in futuro deinceps tempore cuncta quiescant.

IDEM Fœlici Messanæ ciuitatis episcopo.

In quarto gradu qui coniuncti inuenti fuerint, separentur. 2

HAec salubriter præcauenda sancimus, ne quis fideliũ propinquam sanguinis sui vsque quo affinitatis lineamenta generis successione[a] cognoscuntur,[b] matrimonio sibi desideret copulare: [sed sicut à maioribus nostris diffinitum est, ita modis omnibus obseruetur: quoniam vsque ad septenarium numerum parentelæ nulli vnquam copulam contrahere licentiam damus, his videlicet qui ex patre & matre consanguinitatis descendunt parentela. qui etiam & quæ in quarto vel in quinto gradu coniuncti inuenti fuerint: separentur] quoniam scriptum est: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat vt reuelet turpitudinem eius.[c] iterum: Anima quę fecerit[d] quippiam ex istis, peribit de medio populi sui. Sanè quibus coniunctio interdicitur illicita, habebunt ineundi coniugij melioris libertatem nisi in eodem crimine vsque ad mortem alterius eorum contumaciter perseuerauerint.

a al. tribuitur hoc caput concilio Toletano in quibusdam decretorum codicibus.
b al. cognoscit. in matrimonio.
Leuit. 18.
c nec sine denunciatione sententiæ. Nam paulo post infert & dicit.
d de abominationibus.

VNDE in Aurelianensi concilio.

Non ducant vxores qui vsque ad mortem alterius in incestu perseuerauerint. 3

INcestuosi dum in ipso detestãdo atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles aut catechumenos habeantur, id est cum Christianis non sumant cibum nec potũ, sed soli faciãt hoc: non osculentur, nec salutẽtur ab eis. & si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefario scelere segregari, atque ad publicam pœnitentiã redire noluerint, inter eos habeantur, qui spiritu immundo periclitantur, vel etiam inter eos de quibus per se veritas ait: Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et si alter eorum morte præuentus fuerit, alter quandiu viuit grauiter pœniteat, & sine spe coniugij maneat.

Matth. 18. c.

Hac

GRATIA. Hac auctoritate qui in quarto vel in quinto gradu cõsanguinitatis cõiuncti inuẽti fuerint: ab ecclesia separari iubẽtur.

QVAESTIO IX.

SI CONTIGERIT ECCLESIAM DECIPI ET CAVSA CONSANGVINITATIS ALIQVAM A VIRO SVO SEPARARI QVAE POST QVADRIENNIVM NVPTIIS HINCINDE CELEBRATIS DEPREHENDITVR NON FVISSE CONSANGVINEA PRIORIS, AN SECVNDA CONIVGIA SINT RESCINDENDA ET PRIORA REDINTEGRANDA.

GRATIAN. VNde quæritur si ecclesia fraude testium, aut ignorantia eorum decepta aliquos separauerit, qui post separationem alia coniugia contraxerint, & si postea deprehensa fuerit calliditas vel falsa opinio testiũ, an priora coniugia sint redintegranda? quod fieri non posse, argumentis & auctoritate probatur. Sententia nanq; nisi per appellationem intra terminum lege constitutum releuata fuerit, irreuocabile robur obtinebit. Hinc etiam beatus [1] Augustinus [1] scribit, dicens.

Gregorius, legẽdum est in manuscript.

Quæ rationabiliter decisa sunt, mutari non expedit. 1

OMnibus modis ecclesiasticæ disciplinæ vel moderationi conueniens est, vt quæ rationabiliter ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari.

ITEM Stepha. papa. v. Paulo episcopo Placentino.

Quæ vtiliter decisa sunt, à successoribus roborentur. 2

LOci nostri consideratio nos admonet rationis auctoritate quæ à prædecessoribus nostris vtiliter decisa fuerint roborare: & quæ à temerariis præsumpta fuerint, in promptu nihilominus vlcisci. Reum quippe ante conspectum diuini iudicis se nouerit esse, qui nititur vtiliter finita rescindere, ac roborata quolibet ausu violare. Ecclesiastici quippe vigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita præsumantur: aut non concessa impunè tententur. Proinde si negligentur ea quæ malè vsurpantur, omittimus, excessus viam proculdubio aliis aperimus.

GRATIA. Quia ergo sentẽtia hęc rationabiliter data est, nec per appellationem intra certum terminũ releuata, apparet quòd nequaquã priora coniugia sunt redintegranda. His ita respondetur: Aliud est sententiam rescindere, & rationabiliter decisa turbare: atque aliud quæ per subreptionem obueniunt deprehensa corrigere. suum nanque errorem cuique corrigere licet: atque ideo quæ à quolibet illicitè committuntur, siue à prędecessoribus admissa inueniuntur, in melius reuocari oportet. Porrò illicitè vxor à viro suo separata est, & illo viuente alij copulata:

lata: cũ dominus solius fornicationis causa à viro suo vxorem separari iubeat. Sicut ergo si aliqua cuius vir putaretur defunctus, alicui copularetur, & qualibet occasione interueniente, ab eius consortio discederet: quanuis iudicio ecclesiæ cogatur redire ad eum quem reliquerat, tamen si post triennium virum qui mortuus putabatur, redire contigerit, priora coniugia redintegrabuntur: sic cùm deprehenduntur non fuisse consanguinei qui causa consanguinitatis abinuicem separati sunt, prioris consortij fœdera sunt reparanda. Quòd autẽ quæ illicitè admittuntur, vel admissa inueniuntur, corrigẽda sunt, vel quòd sententia etiam Romanæ sedis in melius cõmutari valeat, auctoritate Hilarij papæ & Nicolai monstratur. Ait nãq; Hilarius episcopus vbis Romanæ synodo præsidens. *2. pars.*

Hilarius pa. in synodo Romana cap. 4.

Corrigendum est quod illicitè admittitur, aut à prædecessoribus admissum inuenitur. 3

QVod quis commisit illicitè, aut à prædecessoribus suis inuenerit admissum, si proprium periculũ vult vitare, damnabit. Nos enim in nullo volumus seueritatem vltionis exercere, sed qui in causis dei vel contumacia, vel aliquo excessu deliquerit, aut ipse quæ perperam facit, abolere noluerit, in se quicquid in alio non resecauerit, inueniet: quod vt deinceps possit tenacius custodiri, si placet, omnes sentẽtias subscriptionésque proprias commodate, vt synodali iudicio aditus claudatur illicitus. ITEM Gregorius.

Secundum suæ consuetudinis tenorem apostolica valet mutari sententia. 4

APostolicæ sedis sententia tãta semper consilij moderatione concipitur, tanta patientia & maturitate decoquitur: tantaque deliberationis grauitate profertur, vt nec immutari necessarium ducat, nisi fortè sic prolata sit vt retractari possit vel immutari, si secundum tenorem præmissæ cõditionis existat. ITEM Innocentius papa.

Inno. I episto. 22. ad episcopos Macedoniæ.

A prædecessoribus damnatos aliorum supplicationibus in pristinum statum apostolica reformat ecclesia. 5

VEniam nũc ad Maximũ Fotinum quasi ad quoddam thema, & (quod mihi anxium est ac difficillimum) maiorum meorum reuoluã sententias: Fuerat quoq; de illo quoquo pacto (vt ipsi etiam cõmeministis) aliquid vtique grauius constitutum: verum quoniam id quod per rumorẽ falsum (vt asseritis) subreptum huic sedi, & elicitum per insidias demõstratur: quia res ad salutem rediit, veniã tantum vobis hinc admittentibus post condemnationẽ more apostolico subrogamus: tantísque vestris assertionibus, vobísque tam bonis, tã charis non dare cõsensum, omnib' duris rebus durius arbitramur: pro vestra ergo approbatione fratres charissimi & sentẽtia ac postulatione

latione episcopum Fotinum habetote. licitū est enim ita constituere vt deprecamini, & nostrā in melius conuersam sententiam labore vel testimonio vestro compotem vobis suscipite. Eustachium verò à me sæpissime comprobatum nolite expectare vt diaconij gradu expolietur. solicitos enim vos pro salute libenter audio, contra etiam si faciendum est, libenter non admitto. Cui manum porrigitis, vobiscum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. ITEM Nicolaus papa.

Nico. I. ad Michaelem imperatorem.

Sententiam Romanæ sedis in melius commutare licet. 6

SEntentiam Romanæ sedis non negamus posse in melius commutari, cùm aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu grauium necessitatum dispensatione quædam ordinare decreuerit: quoniam & egregium Paulum apostolum dispēsatoriè legimus quædam fecisse, quæ postea reprobasse legitur. quod tamen obseruandum est quando illa Romana videlicet ecclesia disertissima consideratione hoc fieri delegerit: non quando ipsa quæ bene sunt diffinita retractare voluerit. Innocentius episcopis per Macedoniam constitutis.

Inno. I epist. 7.

Cuiusque iudicium apostolicæ sedis auctoritas retractare valet. 7

In scriptis libris hoc caput sequitur sequens caput. Gregorius.

GRaue non oportet videri piissimis mentibus vestris cuiusquā retractari iudicium: quia veritas sæpius exagitata, magis splendescit in lucem, & pernicies reuocata in iudiciū, grauius & sine pœnitentia cōdemnatur. nam fructus diuinus est iustitiam sæpius recenseri. ITEM ex libro pontificali.

A prædecessoribus depositi, à successoribus restituantur.

Palea.

Extat in vet. manus. nec notatur vt palea.

GRegorius quartus Theodosium quē Eugenius antecessor eius presbyterij honore priuauerat, ecclesiæ Seguinæ consecrauit episcopum. Leontius dum esset presbyter, depositus fuit, & postea in Antiochia patriarcha fuit. Misenum episcopum à Felice papa damnatum Gelasius successor eius & communioni reddidit, & ecclesiæ restituit suæ.

GRATIA.

SIcut ergo sententia Romanæ sedis in melius commutari valet, sic cuiuslibet ecclesiæ sententia cū per surreptionem data cognoscitur, rationabiliter reuocari potest.

QVAESTIO X.

SI RELICTA ALICVIVS DE PROPRIA COGNATIONE AD SECVNDAS NVPTIAS TRANSIERIT, AN PROLES EX EIS SVSCEPTA POSSIT PERTINGERE AD CONSORTIVM ALICVIVS DE COGNATIONE PRIORIS VIRI.

GRATIA.

DE ea autem quæ ad secundas nuptias transit, vtrum in eadem affinitate consanguineorum prioris viri remaneat, an soboles ex secundis nuptiis suscepta, consanguineis

„ sanguineis prioris viri copulari possit, meritò quæritur. De „ his ita scribit Gregorius papa Venereo Caralitano episcopo. *Venerio.*

Affinitas in superstite non deletur. 1

FRaternitatis vestræ studiosæ sagacitati frater amande quas *Iuo. li. 7. refert.* debeo refero grates. quoniam quæsisti quæ debuisti, iucundum me reddidisti. Vnde placidè ad inquisita respondeo. Sedem Apostolicam cōsulere decreuisti si mulier copula nuptiali extraneo viro coniuncta, cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio remaneat, vel si sub altero viro cognationis vocabula dissoluantur, vel si susceptæ soboles possint legitimè ad prioris viri cognationis transire copulam. Est enim verbum domini validum, forte, & durabile, & immutabile, & perseuerabile, non momentaneum, non transitorium. Ait enim per seipsa veritas, quæ deus est, & verbum dei est: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Mat. 14. e.* Antequam deus in carne appareret, inter homines eo inspirante dixit Adam: Quamobrem relinquet homo patrem suum & *Gen. 5. d.* matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Deinde cùm veritas oriretur de terra in terram, & visibilis in humanitate appareret, interrogatus est si licitum esset homi- *Mat. 3. d.* ni vxorem relinquere: quod prohibens vetuit, nisi fortè fornicatio excluderet maritalem copulam. vnde protulit statim in medium eandem sententiam quam ante secula manens cum patre verbum inspirauerat Adæ: ipse confirmans quod *Gen. 2. d.* ipse primus protulit homo. Quamobrē relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo *Mat. 19. a.* in carne vna. Si vna caro fuerit, quomodo potest aliquis eorum propinquus vni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minimè posse fieri credendum est. Porrò vno defuncto, in superstite affinitas non deletur: nec alia copula coniugalis affinitatem copulæ prioris soluere valet. Sed neque alterius coniunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri consortium transire, pro eo quòd verbum domini validum est & forte. Et inquiens dixit propheta: Verbum domini stabit *Esa. 40. b.* in æternum. & alius propheta: Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. statuit ea in æternum & in *Psal. 148.* seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit. Nam post verbum & præceptum effecit deus duos carnem vnam, id est, masculum & fœminam, qui innumeram multitudinem vtriusque sexus non destitit vnum facere secum, sicut per se veritas dixit: Non rogo pro his tantum, sed etiam *Ioan. 17.* pro his qui per verbum eorum sunt credituri in me: vt vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipsi vnum in nobis sint. Si quis ergo sacrilego & temerario ausu in defuncto quærit propinquitatem extinguere, vel sub altero affinitatis vocabu-

vocabulo dissipare, vel susceptam sobolē alterius copulæ propinquitati prioris credit legitimè sociari, hic negat dei verbum validum esse & forte. & qui tam facilè & tam velociter quærit dissoluere, hic non credit verbum dei in æternū permanere. Confice terram ex quatuor locis magna intercapedine à se distantibus, confecta & conglutinata, finge cuiuscunque figuræ vel immensitatis corpus volueris. nunquid erit humanum ingenium quod ipsas quatuor partes ab inuicem valeat segregare, vt vnaquæque per se possit agnosci? sic à quatuor auis duo cōficiuntur in vnum: & de duobus fit vna concreatio. hanc similitudinem de quatuor elementis vnde concreatus est homo, colligere potes si eorum vnāquamque speciem, quæ in multis diuisionibus partita est, per discretas inter se partes assignaueris. Fit idem in metallis, hoc etiam in liquoribus probatur: in coloribus pictor persequitur, arte colores admiscendo, ex visibilibus fucis corpora fingens.

ITEM Innocentius papa.

Soboles ex secundis nuptiis genita, consanguineis prioris viri copulari non debet. 2

SI cuius patruus vel auunculus vxoratus obierit, & illa virum alium postea duxerit, & filios filiásve ex illo genuerit, cum his omnibus modis commisceri prohibemus: quia vir & mulier vna caro sunt. ITEM ex Romana synodo.

De eodem. 3

SI qua mulier ad secundas nuptias trāsierit, & ex eis sobolem genuerit, nullo modo potest ad cōsortium cognationis viri prioris pertingere. ITEM Iginius papa.

Iginus pa. in suis decretis.

De eodem. 4

SI qua mulier trāsierit ad secundas nuptias, & ex eis prolem habuerit, ipsa proles nō potest se copulari cognationi prioris viri vsque ad quartam generationem.

VNDE Innocen. papa.

De eodem. 5

SI qua mulier ad secundas transierit nuptias, & filios & filias ad secundū maritum genuerit, debere eas nepotibus prioris mariti coniungi sancta Romana synodus prorsus inhibuit.

CAVSA XXXVI.

GRATIAN.



FIliam cuiusdam ignorante patre quidā muneribus illexit, & ad conuiuiū inuitauit. finito cōuiuio iuuenis virginem oppressit: quo comperto à parentibus iuueni traditur puella, ac more nubentium à iuuene dotatur, & publicè in vxorem ducitur.

Quæritur primo, an ille raptum commiserit?

Secundò, an rapta raptori nubere possit patre assensum præstante.

QVAE-

QVAESTIO I.
AN RAPTVM COMMISIT QVI VIRGINEM OPPRESSIT.

QVòd autem ille raptum admiserit, multorum aucto- GRATIAN.
ritate probatur. Isid. li. 5. ca. 26
Ait enim Isidorus in ij. lib. etymologiarũ. ca. xxxiij.

Quid sit raptus. 1

RAptus quoque illicitus coitus à corrumpendo est dictus. Vnde qui raptu potitur, stupro fruitur.

VNDE Gelasius papa.

Vbi raptus admittitur. 2

LEx illa præteritorum principum ibi raptum dixit commissum esse, vbi puella de cuius antè nuptijs nihil actum fuerat, videbatur abducta.

Cùm ergo hæc illicito coitu sit corrupta, cumq́ue ita sit abducta, id est à domo patris ducta, quòd de eius nuptijs nihil antè actum fuerit: raptam appellandam negari non potest. sed non omnis illicitus coitus, non cuiuslibet illicita defloratio raptus appellatur. Aliud enim est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus. Fornicatio autem licet videatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus, qui fit extra vxorem legitimam: tamẽ specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum autem propriè virginum est illicita defloratio: quando videlicet non præcedenti cõiugali pactione, vtriusq; voluntate virgo corrumpitur, patre iniuriam ad animũ statim post cognitionem non reuocante. Adulterium verò est alieni thori violatio. Vnde adulterium dicitur quasi ad alterius thorum accessio. Incestus est consanguineorum vel affinium abusus. vnde incestuosi dicuntur qui consanguineis & affinibus abutuntur. Raptus admittitur, cùm puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorẽ habeatur, siue puellæ solummodo, siue parentibus tantũ, siue vtrisq; vis illata constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad ecclesiam cum rapta confugerit, priuilegio ecclesiæ mortis impunitatem promeretur. GRATIA.

VNDE in Aurenian. concilio legitur. Cap. 4.

Si raptor cum rapta ad ecclesiam confugerit, quid fieri debeat. 3

DE raptoribus autem id constituendum esse censemus, vt si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & parentibus reddatur, & raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, aut ad seruiendum subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur, patrem habere cõstiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor patri superioris con-

conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

GRATIA. Ex hac auctoritate liquet quod aliquando vis infertur parentibus, & non puellæ: cum dicitur: si puella raptori consenserit. Aliquando vtrique violentiã perferunt, cùm præmittitur: si raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit. Puellæ autem non parentibus vis infertur cùm voluntate patris puella violenter abducitur, vt eius patiatur concubitum, cuius copulæ nunquam consensum adhibuit. Hic autem neque parentibus neq; puellæ vim intulisse videtur, cùm neque illis prohibentibus, neq; illa renitente violenter sit abducta. Aliud est enim promissionibus aliquã seducere, aliud sibi vim inferre. vnde quia neutri vis illata probatur, raptor hoc iure dici non debet. Sed rapina dupliciter fieri dicitur. aliquando enim res ipsa rapitur, aliquando ipsius rei vsus tantummodo violenter eripitur. Res ipsa tunc rapitur, cùm violenter domino eripitur, vt in perpetuum teneatur. Aliquando verò non res ipsa affectatur, sed vsus eius domino prohibente violenter vsurpatur. Hic ergo raptum admisit. quia florem virginitatis puellæ renitenti violenter eripuit.

QVAESTIO II.

AN RAPTORI RAPTA NVBERE POSSIT PATRE ASSENSVM PRAEBENTE.

GRATIAN. NVnc quæritur an purgato vitio rapinæ, raptor in vxorẽ possit raptam accipere: quorum coniunctio auctoritate canonum sanctorum penitus prohibetur. LEGITVR nanque in concilio Chalcedonensi. xxvij. cap.

a Iure ciuili indubitatum est non posse. l. 1. §. nec sit facultas C. de raptoribus Virg. & No. 143. de raptis mulierib.

Cap. 27.

Raptores puellarum & consentientes excommunicentur. 1

EOs qui rapiunt puellas siue mulieres sub nomine simul cohabitandi, cooperantes, aut conniuentes raptoribus, decreuit sancta synodus vt si quidem clerici sunt, decidant à proprio gradu. si verò laici, anathematizentur. ITEM Symmachus papa.

Epist. ad Cesarium.

Ob immanitatem sceleris abijciantur raptores viduarum & virginum. 2

RAptores igitur viduarum vel virginum ob immanitatem tanti facinoris detestamur illos vehementius persequendo qui sacras virgines vel volentes, vel inuitas in matrimonio suo sociare tentauerint: quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate à communione suspendi præcipimus. ITEM C. lib. j. titul. de episcopis & cler. Iustinianus[b] imperator.

b Iunianus legend.

Tit. 3. le. 5.

De eodem. 3

SI quis non dicam rapere, sed attentare tantummodo matrimonij iungendi causa sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. ITEM ex concilio Cabileñ.

De eo-

De eodem. 4

DE puellis raptis nedum desponsatis in Chalcedonensi cōcilio statutum est eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & conniuentes raptoribus, decreuit synodus sancta vt si quidem clerici sunt, decidāt à proprio gradu: si verò laici, excommunicentur.

Quibus verbis datur intelligi qualiter huius auctores mali damnandi sunt, quando participes concilij & conniuentes tanto anathemate feriuntur, vt iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima raptam sibi iure vendicare nullatenus possint. ITEM Gregorius papa. GRATIA. In decretis,

Excommunicentur raptores viduæ vel virginis, cum sibi fauentibus. 5

SI quis virginem vel viduam nisi desponsauerit rapuerit, vel furatus fuerit in vxorem: cum sibi fauentibus anathema sit,

ITEM ex concilio Parisiensi. Cap.6.conc. Parisien.1.

Excommunicetur qui viduam vel filiam alterius extra voluntatem parentum rapuit, aut regis beneficio postulat. 6

NVllus aut viduam aut filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam: quod si fecerit ab ecclesiæ communione remotus, anathematis gladio feriatur.

His auctoritatibus euidenter datur intelligi quòd raptor in vxorem raptam ducere non valet. sed raptor & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum. Vitia autem cùm per pœnitentiam purgata fuerint, nomina eorum abolentur. GRATIA.

VNDE in quadam homilia Gregorius ait. 7 Homi 29. euāgeliorum.

APud omnipotentem quippe dominum non ille fallax habetur qui culpam mendacij per pœnitentiam delet.

Prohibetur ergo præmissis auctoritatibus rapta copulari raptori antequam vitium rapinæ aboleatur: donec ille raptor & illa rapta iure appellantur. Cæterum cùm illa patriæ potestati restituta fuerit, & raptor suæ rapinæ pœnitentiam egerit: cùm voluntas parentum vtriusq; in vnum conuenerit, non prohibentur adinuicem copulari. VNDE Hieronymus ait. GRATIA.

Quod sunt legitima coniugia, & quòd voluntate patris rapta raptori nubere potest. 8

TRia legitima coniugia in scripturis leguntur. Primum legitimum est virgo casta in virginitate viro data legitimè, & reliqua quæ sequuntur in prędictis. Secundū. Virgo in ciuitate deprehēsa à viro, & illi per vim copulata: si voluerit pater eius, dotabit eam iste vir quantum iudicauerit pater, & dabit precium pudicitiæ eius. Tertium. Filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas patris: trahet eam à prædicto viro, & tradet eam alij, & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primū his duo- Exod.22.f.

Cap. 8. li. Apologia Dauid.

duobus præfertur. ITEM Ambro. in Apologia Dauid.

Cum voluntate parentum raptas in coniugium habere permittitur. 9

DEnique & puellæ pater illius quæ vim concubitus nulli desponsata pertulit, quinquaginta drachmas argenteas accipiet: ipsa autem in coniugio permanebit. ITEM ex concilio Meldensi.

Post pœnitentiam raptori vel raptæ licita coniugia concedantur. 10

SI autem necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum sub despõsationis vel dotalitij nomine in coniugiũ duxerunt, quando hæc cõstitutio omnibus fuerit promulgata, ab eorum cõiunctione separentur, & publicæ pœnitẽtiæ subigantur, & raptæ parentibus legaliter restituãtur. peracta verò pœnitentia publica, si ætas incontinentiam exegerit: ex vtriusque partibus placito coniugio socientur. Non in his ergo regulam constituimus, sed magis (vt verbis Leonis vtamur) quod sit tolerabilius æstimamus. Sed si vnus ex coniugatis obierit, & is qui pœnitentiam publicam exegerit, superstes extiterit: iterare coniugium non præsumat, nisi episcopus aliquam concesserit indulgentiam, vt grauiorem possit amouere offensam.

GRATIA. Hac auctoritate Melden. concilij non permittitur raptori rapta post pœnitentiam copulari, sed permittitur vtrique post pœnitentiam legitimo cõiugio copulari, vt rapta videlicet nõ raptori, sed alij post pœnitentiam nubat. similiter raptor post pœnitentiam non eam quam rapuit, sed aliam permittitur habere vxorem: cùm enim raptor & rapta pœnitentiæ subiici præcipiuntur, si vtrisq; copulam auctoritas illa permitteret, frustra circa finem capituli diceretur quòd si vnus ex coniugatis obierit, & is qui publicam pœnitentiam exegerit, superstes extiterit, iterare coniugium non præsumat. eorum namq; quolibet decedente, qui pœnitentiam exegit, superstes remanebit. Non ergo hac auctoritate raptor probatur in coniugium raptam posse accipere. Potius inuenitur in concilio apud Aquisgranum, quòd nec etiam voluntate parẽtum adinuicem possunt copulari. Sic enim in præfato concilio legitur.

Nec etiam cum voluntate parentu raptores raptas possunt habere coniuges. 11

PLacuit vt hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis postmodum conueniant, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint.

GRATIAN. Hæc auctoritas non præiudicat auctoritati Hieronymi, maximè cùm illa testimonio diuinæ legis nitatur. Legitimè igitur post pœnitentiam peractam raptor poterit sibi copulare quam rapuit, nisi pater puellæ illam raptori detrahere voluerit. Item. C. lib. v. tit. de nupt. Nec filium quidem familiâs

Tit. 4. lib. 12.

inuitum

inuitum ad ducēdam vxorem cogi, legum disciplina permittit. Igitur (sicut desideras) obseruatis iuris præceptis, sociare coniugio tuo quam volueris non impediris: ita tamen, vt in contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat. Item in *Lib. 5. C. titu.* eodem, In coniunctione filiarum in sacris positarum, patris *eodē. 4. le. 20.* expetitur arbitrium. Idem. ff. de ritu nupt. Consistere non possunt nuptiæ, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, & quorum in potestate sunt. Item Instit. lib. 1. de nuptiis. Iustas *Li. 1. Institu.* autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secun- *tit. 11.* dum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, siue patresfamiliâs sint, siue filiifamiliâs, dum tamen filiifamiliâs consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. nam hoc fieri debere & ciuilis & naturalis ordo persuadet.

TERTIA PARS DECRETI.

DE CONSECRATIONE, DISTINCT. I.

DE ECCLESIARVM CONSECRATIONE ET MISSARVM CELEBRATIONE.

CONsecrationem ecclesiarum, & missarum celebrationem non alibi quàm in sacratis domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota veteris & noui testamenti præcepta. *GRATIA. Felix pa. 4. scribens episcopis.*

TAbernaculum enim Moysen (domino præcipiente) fecisse & sacrasse cum mēsa & altari eius & æreis vasis & vtensilibus ad diuinum cultum explendum legimus: & non solum diuinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei vnctione (domino iubente) perlinisse nouimus. Qualiter autem hæc facta sunt, vt non alij ipsa sacramenta quàm ipsi sacerdotes sacra vnctione delibuti, dominoq; cum vestibus sanctis sacrati, & Læuitæ tractabāt, ferebant, erigebāt, & deponebant in ipsis institutionibus, quæ (iubente domino) conscriptæ sunt per Moysen, in lege domini reperitur. Qualiter ergo Dauid regum piissimus amplificauerit cultum dei, & templum domini ædificare voluerit, sed propter multum sanguinē quem effuderat, prohibitus est, & ipse collegerat expensas. Salomō quoque filius eius quod ipse facere optauerat: iubēte & auxiliante domino perfecit, & templum cum altari & reliqua ad diuinū peragendum cultum cōsecrauit: in libro Regum legitur. Fecit ergo Salomō in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israel cum eo multitudo magna ab introitu Emath vsque ad riuum Aegypti coram domino deo nostro septem diebus & vij. diebus, id est, xiiij. diebus, & in die. viij. dimisit populos.

Marginal notes: *Exod. 31. b.* (beside "TAbernaculum enim Moysen"); *Leuit. 8.* (beside "(domino iubente) perlinisse nouimus"); *2. Reg. 7.* (beside "Moysen, in lege domini reperitur"); *1. Para. 22.* (beside "Salomō quoque")

Iudæi ergo loca in quibus sacrificabãt domino, diuinis habebant supplicationibus cõsecrata: nec in aliis quàm deo dedicatis locis munera deo offerebant. Si enim Iudæi qui vmbræ legis deseruiebãt hoc faciebãt: multo magis nos quibus veritas patefacta, & gratia per Iesum Christum data est: tẽpla domino ædificare, & prout melius possumus ornare, eaq́; diuinis precibus & sanctis vnctionibus suis cum altaribus & vasis, vestibus quoq; & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus deuotè & solenniter sacrare, & nõ in aliis quàm in domino sacratis ab episcopis & non à chorepiscopis (qui sæpe prohibiti sunt, nisi (vt prædictũ est) summa exigente necessitate) missas celebrare, nec sacrificia domino offerre debemus: & hęc si summa necessitas agere compulerit, nõ in domibus offerri prohibita sunt. Si autem vt legitur in cõcilio Laodiceñ. cap. xxvij. hi qui nõ ab episcopis ordinati sunt, tam in ecclesiis quàm in domibus exorcizare non possunt: multo magis maioris gradus ministeria nisi ab eis qui ad eos gradus sunt consecrati quibus fungi debent, officia agi, vel sacrificia offerri non licet. Quod autem (vt paulò superius prælibatum est) oblationes in domibus offerri non debẽt, in eodẽ concilio. c. lix. prohibitum habetur ita: Nõ oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis vel presbyteris. ITEM Iginius papa quinto. c.

In decretis.

Ecclesiarum consecratio absque missa fieri non debet. 1

2. pars.

OMnes basilicæ cum missa debent semper cõsecrari, & ecclesiæ destructæ. vbi autẽ plures sunt quàm necesse sit, aut maioris magnitudinis quàm vt ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint: episcopi prouidentia modus inueniatur qualiter consistere possint. ITEM Gelasius papa cap. xxxiij.

Glas. pri. episc. per Lucaniam cap. 27.

Absque præcepto sedis apostolicæ noua non dedicetur ecclesia. 2

3. pars.

DE locorum verò consecratione quamuis superius strictim fuerit comprehensum: mihi quoque patefactum est quòd absque præcepto sedis apostolicę nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare præsumant. IDEM.

Sine auctoritate summi pontificis noua non dedicetur ecclesia. 3

PRæcepta synodalia quæ ante paucos menses de sede nostra ad prouinciam sunt directa: & antiquis canonibus consentiunt, & ea quæ minus probantur esse, addidimus: & in vtraq; parte constat sine summi principis auctoritate ecclesiam nouiter conditam non posse dedicari, teq́; ex hac basilica quæ taliter ad cultum fuerat processionis adducta, suspendisse missas probabiliter computamus: sed quia deuotus locus non debet à ministeriorum gratia diuina vacuus permanere: frater charissime eorum martyrum nomine quos relatio continet auctoritatis nostræ, suscepta serie consecrabis: vt populorum frequentatio quã illic auidè cõuenire mãdasti, seruatis regulis eccle-

ecclesiasticis & canonibus integrum habeat firmata religione conuentum. IDEM.

Gelа. pa. episco. per Lucaniam.

Non dedicentur basilicæ quæ præter auctoritatem apostolicæ sedis fuerint ædificatæ. 4

BAsilicas nouiter institutas non petitis ex more præceptionibus, dedicare nemo audeat, nec ambiant sibimet episcopi vendicare clericos alienæ potestatis. Cùm enim decreta venerabilium sanctionum nos quoq; magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa quæ pro alicuius vtilitatis cõpendio fortasse videantur laxanda credamus, cumq; nos contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil dicere, & cùm sedes apostolica superior his omnibus fauente domino quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio deuotoque studeat tenere proposito: satis indignum est quemquam pontificum vel ordinum subsequentium hãc obseruantiam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat & docere. Satísque conueniens sit vt totum corpus ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat vbi dominus ecclesiæ totius posuit principatum.

IDEM Ioanni episcopo Sorano.

Publicæ processiones non fiant in oratoriis quæ præter auctoritatem sedis apostolicæ consecrantur. 5

CErtum est quidem & nostris præceptionibus cõstitutum ne quis in ecclesia aut in oratorio quod sedis nostræ non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi: ne conditores furtiuis surreptionibus contra regularum statuta prosilirent. Sed quia Megentia spectabilis fœmina petitoria nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse: frater charissime humanitatis intuitu, quòd priora statuta non maculent, funeribus & sepulchris tantum incomprehensis petitorio locis ministeria noueris pro solennitate præstanda, vt defunctorum nomine solummodo diuina celebrentur officia publica frequentatione & processione cessante. Item Nicolaus papa clero & plebi Viennensis ecclesiæ.

Sine nutu sedis apostolicæ ecclesia non debet institui. 6

ECclesia, id est, catholicorum collectio, quomodo sine apostolicæ sedis instituetur nutu quando iuxta sacra decreta nec ipsa debet absque præceptione papæ basilica nouiter constitui: quæ ipsam catholicorum intra semet amplecti cateruam dinoscitur? Item ex concilio Aurelianensi.

Iuo lib. 2. refert. 4. pars. quod trãscripsit ex Nouella. Iustin. 123. vt sæpe alias.

Sine designatione episcopi loci noua non dedicetur ecclesia. 7

NEmo ecclesiam ædificet antequam episcopus ciuitatis veniat & ibidem crucem figat: publicè atrium designet: & ante præfiniat qui ædificare vult, quæ ad luminaria & ad custo-

custodiam & ad stipendia custodum sufficiunt: & ostensa donatione sic domum ædificet: & postquam consecrata fuerit, atrium eiusdem ecclesiæ sancta aqua conspergat. ITEM ex concilio Bracarensi.

Cap 6. conc. Braca. 2.

Non consecretur ecclesia quæ pro quæstu cupiditatis ædificatur. 8

SI quis basilicam non pro deuotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificet, vt quicquid de oblatione populi colligitur, medium cum clericis diuidat, eo quòd basilicam in terra sua condidit: hoc de cætero obseruari debet, vt nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, nec basilicam quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare. ITEM Felix episcopus omnibus orthodoxis.

Felix pa. 4. episcop.

Sacrificia non nisi super altare & locis deo consecratis offerantur. 9

5. pars.

SIcut non alij quàm sacrati deo sacerdotes debent missas celebrare, nec sacrificia super altare offerre: sic non in aliis quàm in domino consecratis locis, id est, in tabernaculis diuinis precibus à pontificibus delibutis missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas. Satius est ergo missam non cantare aut nõ audire, quàm in his locis vbi fieri non oportet, nisi pro summa necessitate contingat: quoniam necessitas legem non habet. vnde scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in omni loco quem elegerit dominus deus tuus. In omnibus tamen ab episcopis siue presbyteris oblationes celebrari nullatenus licet. ITEM ex concilio Tributiensi.

Deute. 12. b.

Iuo lib. 2. de presby.

Non nisi in locis sacris missarum solennia celebrentur. 10

MIssarum solennia non vbique sed in locis ab episcopo cõsecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. ITEM Clemens.

Epist. 2. ad Iacobum.

Precibus diuinis consecrentur ecclesiæ. 11

ECclesias per congrua & vtilia facite loca, quæ diuinis precibus consecrari oportet, & non à quoquam grauari. ITEM.

Idem Clemens epist. 3.

Sacrificare, missas celebrare non licet, nisi in locis à deo sacratis. 12

HIc ergo, id est, in præsenti vita positos, oportet nos agnoscere voluntatem dei, vbi agendi & sacrificandi locus est: quoniã in aliis locis sacrificari, & missas celebrari nõ licet, nisi in his quibus episcopus iusserit, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenẽte videlicet ciuitatẽ, consecrata fuerint. aliter enim nõ sunt hæc agẽda, nec ritè celebrãda. ITEM Siluester papa.

In epilogo breui conci. Romani.

Abiiciantur sacerdotes qui in locis non sacratis missas celebrare præsumunt. 13

NVllus presbyter missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab episcopo locis, qui sui particeps decætero voluerit esse

rit esse sacerdotij. ITEM Felix papa omnibus orthodoxis. Felix pa. 4.

Singulis annis dedicationum solennitates celebrentur, & consecretur etiam ecclesia de cuius consecratione dubitatur. 14

6.pars. SOlennitates dedicationum ecclesiarum episcoporum & sacerdotum per singulos annos sunt celebrandæ. De ecclesiarum consecrationibus quotiens dubitatur, vt nec certa scriptura, nec testes existant à quibus consecratio sciatur, absque vlla dubitatione scitote eas esse consecrandas: nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratū quod nescitur esse factū. ITEM Gregor. papa. de eodem. Felix pa.4. scribēs omnibus epi.

De eodem, & quòd octo diebus dedicationum solennitas est celebranda. 15

SOlennitates ecclesiarum dedicationum & sacerdotum per singulos annos solenniter sunt celebrandæ: ipso domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis tēpli, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: Facta sunt encænia in Hierosolymis, & hyems erat: & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Quòd autem octo diebus encænia sint celebranda in libro Regūm perlecta dedicatione templi reperies. ITEM ex concilio Meldensi c. viij. Ioan.10.c. 3.Reg.8.g. 2 Pa.7.c. Iuo li.2.de cōse.

Consecrentur ecclesiæ, de quarum consecratione dubitatur. 16

7.pars. ECclesiæ vel altaria quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, & superflua altaria destruantur.

ITEM Iginius papa. In decretis suis.

Quando ecclesia est iterum consecranda, & salibus tantum exorcizanda. 17

SI motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia, si parietes mutátur, & nō altare: salibus tantum exorcizetur. si homicidio vel adulterio ecclesia violata, fuerit diligentissimè expurgetur, & denuo cōsecretur. ITEM ex Niceno cōcilio.

Ecclesia semel deo consecrata, quando est iterum consecranda. 18

ECclesijs semel deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiusque semine pollutæ fuerint: quia sicut infans à qualicunque sacerdote in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizatus, non debet iterum baptizari: ita nec locus deo dicatus, iterum consecrandus est, nisi propter eas causas quas superius nominauimus, si tamen fidem sanctæ trinitatis tenuerint qui eum consecrauerunt. ITEM Ioannes papa. Io.2.epi. Italie

De eodem. 19

ECclesias Arrianorum vbicunque inueneritis catholicas: eas diuinis precibus & operibus absque vlla mora consecrate, sicut & nos fecimus cùm pro causa Theodorici regis Constantinopoli fuissemus. ITEM in dialogo Gregorij. Cap.30.li.3. dialogorum.

De eo-

De eodem. 20

ARianorum ecclesia in regione vrbis huius quę Subura dicitur, cum clausa vsque ad biennium permansisset: placuit vt in fide catholica (introductis illuc beati Sebastiani & sanctę Agathæ virginis & martyris reliquiis) dedicari debuisset: quod & factum est. ITEM Agapitus papa.

AGapitus papa vas catholicum, euangelij tuba, præco iustitię, sacra altaris sedisque velamina sacrilegis Anthemij infecta fabulis: suis catholicis precibus deleuit.

Vigilius papa ad Eutherum. ITEM Iulianus papa.

De eodem. 22

DE fabrica verò cuiuslibet ecclesiæ si diruta fuerit, instauranda: & si in eo loco cõsecrationis solẽnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil indicamus officere si per eam minimè iactetur aqua exorcizata: quia in cõsecratione cuiuslibet ecclesiæ in qua spiritus sancti arra non ponitur, celebritatem scimus tantum esse missarum: & ideo si qua sanctorum basilica à fundamentis fuerit innouata sine altaris motione: sine aliqua dubitatione cùm in ea fuerit missarum solennitas celebrata, totius consecratio sanctificationis implebitur. Si verò sanctuaria quæ habebat, ablata sunt: rursus eorum depositione & missarum solennitate reuerentiam sanctificationis accipiet.

Ino li. 2. de cõse. ITEM ex decretis Hormisdæ papæ capite decimo.

Absq; episcopi permissu in ecclesia consecrata non erigatur altare. 23

8. pars. NVllus presbyter in ecclesia cõsecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci fuerit sanctificatum vel permissum: vt sit discretio inter sacrum & non sacrum: nec dedicationem fingat, nisi sit. quod si fecerit, degradetur, si clericus est. si verò laicus, anathematizetur.

Cap. 14. conci. Car. 5. ITEM ex concilio Africa. ca. j.

Euertantur altaria quæ sine sanctorum reliquijs eriguntur. 24

PLacuit vt altaria quæ passim per agros & per villas tanquã memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyris conditę probantur, ab episcopis qui eisdem locis præsunt, si fieri potest euertantur. si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes admoneãtur, ne illa loca frequentẽt: vt qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuicti teneantur: & ideo nulla memoria martyrũ probabiliter accipiatur, nisi aut vbi corpus & reliquię certę sunt: aut vbi origo alicuius habitationis vel possessionis vel passionis fidelissima origine traditur. nam quæ per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbicunque constituuntur altaria, omnino reprobantur.

Ino li. 2. de cõse. ITEM ex concilio Aurelianensi. c. iij.

Non est consecranda ecclesia in qua paganus sepultus inuenitur. 25

ECclesiam in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque missas in ea celebrare, sed iactare foras, & mundare oportet. ITEM ex conci. Agrippinensi. *Iuo.ibidem.*

De ecclesia in qua cadauera fidelium vel infidelium sepeliuntur. 26

ECclesiam in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliũtur, sanctificare non licet. sed si apta videtur ad consecrandũ: inde euulsis corporibus, & rasis parietibus vel tignis eius loci reædificetur. sed si hæc consecrata ante fuerit, missas in ea celebrare licet: tamen si fideles fuerunt, qui in ea sepulti sunt.

ITEM ex concilio Martini papæ. *Cap.69.syn. Graecarum.*

Super monumenta in campo non distribuantur sacra mysteria. 27

NOn oportet clericos ignaros & presumptuosos super monumenta in campum ministeria vel altaria portare, aut distribuere sacramenta: sed aut in ecclesia aut in basilica vbi martyrum reliquiæ sunt depositæ, vbi pro defunctis oblationes offerri solent. Nec licat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.

ITEM ex conci. Triburiensi. *Iuo lib.2.de presby.*

Quomodo in ecclesia combusta, missa possit celebrari. 28

COncedimus etiam, vt sicubi (quod peccatis nostris exigentibus perplurimum factum est) à Normanis, & Sclauis, ab Vngaris & à malis Christianis, seu aliquo qualicũque modo ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in capellis cum tabula consecrata missas interim celebrari permittimus, donec ecclesiæ ipsæ restaurari queant. in itinere vero positis si ecclesia defuerit, sub diuo, seu in tentorijs si tabula altaris cõsecrata cæteraque sacra ministeria ad id officiũ pertinentia ibi affuerint, missarum solennia celebrari concedimus.

ITEM ex conc. Hipponen. cap. vj. *Ibid. Iuo refert.*

Chrismate non vngantur altaria, nisi fuerint lapidea. 29

ALtaria si non fuerint lapidea, chrismatis vnctione non consecrentur. Ad celebranda autem diuina officia ordinem quem metropolitani tenent comprouinciales eorum obseruare debebunt.

ITEM ex concilio Agathensi. *Cap.14.*

Chrismatis vnctione, & sacerdotali benedictione sacrantur altaria. 30

ALtaria placuit non solum vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

ITEM ex concilio Aurelianen. cap. iij. *Iuo lib.2. ex eodem refert.*

In priuatis oratorijs licet orare, sed non missam celebrare. 31

VNicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare: missas autem ibi celebrare non licet.

ITEM ex sexta synodo.

In pri-

In priuatis oratoriis absque consensu episcopi nullus ministrare præsumat. 32

CLericos qui ministrāt in oratoriis quæ intra domos sunt, cum cōsensu episcopi loci hoc facere præcipimus. si quis
Cap. 21. verò hoc nō obseruauerit, deponatur. ITEM ex cōci. Agat.

Qui extra parœcias habent oratoria, his diebus ad parœcias redire cogantur. 33

SI quis etiam extra parœcias in quibus legitimus est ordinariusque conuentus, oratorium habere voluerit, reliquis festiuitatibus vt ibi missam audiat propter fatigationē familiæ, iusto ordine permittimus. pascha vero, natali domini, epiphania, ascensione domini, pentecoste, & natali sancti Ioānis baptistæ, & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur: non nisi in ciuitatibus aut in parœciis audiāt. Clerici verò si in his festiuitatibus quas suprà diximus (nisi iubente aut permittentente episcopo) ibi missas celebrare voluerint, à cōmunione priuentur. ITEM Augustinus Ignaro.

Quibus ex causis loca sanctorum mutanda sint. 34

TRibus ex causis loca sanctorum transmutanda sunt. Pri-
9. pars. ma, cùm necessitas persecutorum loca eorum grauauerit. Secunda, cùm difficultas locorum fuerit. Tertia, cùm maiorū
Cap. 51. societate grauantur. ITEM ex concilio Magotien.

Quando alicui corpora sanctorum de loco ad locum transferre non licet. 35

COrpora sanctorum de loco ad locū nullus transferre præsumat sine consilio principis vel episcoporum, sanctaque
Igi. in decretis. synodali licentia. ITEM Iginus papa.
10. pars. *In vsus laicorum non licet conuerti ligna ecclesia dedicata.* 36

LIgna ecclesiæ dedicata non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni sunt conburēda, vel ad profectum in monasterio fratribus, in laicorum opera non debēt admitti.

Epi. 2. ad Iaco. fra. domini. ITEM Clemēs papa Iacobo Hierosolymitano episcopo.

Vestimenta sacra & vasa præ vetustate consumpta, incendantur, & cineres in loca occulta proiiciantur. 37

ALtaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quia non licet ea quæ in sacrario fuerint, malè tractari: sed incendio vniuersa tradantur. cineres quoque eorum in baptisterio inferantur: vbi nullus transitū habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus coinquinentur.

Idem Cle. ibidē. IDEM.

Mortui non obuoluantur vestimentis altaris. 38

* al. obuoluendū NEmo per ignorantiam clericus mortuum credat * aduoluendum, aut eius scapulas operire velit palla quæ fuerit in altari,

in altari, aut certe quæ diacono data est in mēsa domini. Qui hoc fecerit, vel leuiter quasi nihil & negligēter habuerit, *diaconus triennio sexque mensibus à dominico erit remotus altari, graui percussus anathemate, eo quòd clericum non admonuerit. presbyter decem annis & sex mensibus excommunicatus sit, propterea quòd de dominicis sacramentis subiecta sibi non amouerit ministeria, & postea cum grandi humilitate matri reconcilietur ecclesiæ. Pallas verò & vela quæ in sanctuario sunt, si sordida fuerint ac ministeria, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lauent, non eiicientes foras à sacrario: & velamina dominicæ mensæ abluant: ne forte puluis dominici corporis male decidat. sindonem vero non foris abluant: & erit hoc non operanti peccatum. Idcirco intra sacrarium ministris præcipimus cum diligentia custodire. * Sed peluis noua comparetur, & præter hoc nihil aliud tangat. sed nec ipsa peluis velis apponatur lauandis, nisi quæ ad dominici altaris cultum pertinent. pallæ in alia pelui lauentur, & in alia vela ianuarum. Cura sit etiam ostiariis ex admonitione maioris, ne quis negligens aut ignarus, ad velum ianuæ domus domini manus incognitæ tergat: sed statim coercitus discat omnis homo, quia velū atrij domus domini est. ITEM Sixtus papa.

*al. additur, in ministerio. Diac. &c.

*al. Sanct.

Epist. 2.

Sacra vasa non nisi à sacratis contrectentur hominibus. 39

IN sancta apostolica sede statutum est, vt sacra vasa non ab aliis quàm à sacratis dominoque dicatis hominibus cōtrectentur: ne pro talibus præsumptionibus dominus iratus plagas imponat populo suo, & hi etiam qui non peccauerunt pereant: quia perit iustus sæpissime pro impio. ITEM Stephanus episcopus familiari amico Hilario.

Steph. pa. epi. 1.

Non nisi à sacratis hominibus vestimenta sacrata seruentur. 40

VEstimenta ecclesiæ in quibus domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta: quibus aliis vsibus non debent frui quàm ecclesiasticis & deo dignis officiis: quæ nec ab aliis debent contingi aut offerri, nisi à sacratis hominibus: ne vltio quæ Balthasar regem percussit, super hoc transgredientes veniat, & corruere eos faciat ad ima. ITEM ex concil. Aurelianensi.

Danie. 5 g

Iuo in fine libr. pri.

Diuina ministeria, nuptiarum non præstentur ornatibus. 41

AD nuptiarum ornatum diuina ministeria non præstētur: ne dum improborum tactu vel pompa sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri ministerij videantur indigna.

ITEM ex concil. Triburien. cap. ix.

Cap. 18.

In ligneis vasculis dominici corporis & sanguinis sacramenta non sunt celebranda. 42

VAsa in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices

II. pars.

fiunt, & patenæ, de quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicib. vtebantur, nunc econtrario lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Zepherinus, xvj. Romanus episcopus patenis vitreis missas celebrare constituit. Deinde Vrbanus papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis & magis per incrementa temporum decus suc creuit ecclesiarũ. nostris enim diebus qui serui patrisfamilias sumus: ne decus matris ecclesiæ minuatur, sed magis cumuletur & amplificetur, statuimus vt deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi in legneis vasculis vllo modo conficere præsumat: ne vnde placari debet, inde irascatur deus. ITEM ex concil. Remensi. cap. vj.

Ex qua materia calix cum patena fieri debeat. 43

VT calix domini cum patena si non ex auro, omnino tamen ex argento fiat. si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære aut ex aurichalco non fiat calix: quia ob vini virtutem æruginem facit, pariterq; vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice præsumat missam cantare. ITEM ex epistola Eusebij papæ & Siluestri.

Non in serico panno sed lineo sacrificium consecretur altaris. 44

COnsulto omnium statuimus vt sacrificium altaris non in serico pãno, aut intincto quisquam celebrare missam præsumat, sed in puro lineo vel linteo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto: sicut corpus domini nostri Iesu Christi in syndone linea mũda sepultus fuit. ITEM ex vj. synodo. [a]

A quibus fuerit tradita missarum celebratio. 45

IAcobus frater domini secundum carnem cui primum credita est Hierosolymitana ecclesia, & Basilius Cæsariensis episcopus, cuius claritas per totum orbem refulsit in scripturis, addiderunt nobis missæ celebrationem. [b] ITEM Telesphorus papa. iiij. à Petro.

Qua hora sunt missarum solemnia celebranda. 46

NOcte sancta natiuitatis domini saluatoris missas celebrẽt presbyteri, & hymnum angelicum in illis solenniter decantent: quoniam & eadẽ nocte ab angelo pastoribus est nunciatus: & subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium deum, & dicentium: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Reliquis vero tẽporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ: quia & in eadẽ hora & ««

Marginal notes: Ex lib. I. ref. n. — Silue. in epilogo breui. con. Rom. — Mar. 15. d — Luc. 23. g — Galat. 1. d — 12. pars. — a In Trullo. ca. 32. vbi hac de re prolixius agitur. — b Nõ sic in Græcis, & Gratian. hic sententiã imperfectam recitauit. — In epi. ad omnes 13. pars. — Luc. 2. b — GRATIAN. — Marc. 15. e

„ ra & dominus crucifixus eſt, & ſuper apoſtolos ſpiritus ſan- *Act.2.b*
„ ctus legitur deſcendiſſe. ITEM ex concilio Carthaginen- *Cap.29. conci.*
ſi cap.viij. *Cartha. iiij.*

Non niſi à ieiunis hominibus ſacramenta celebrentur altaris. 47 *14 pars.*

SAcramenta altaris non niſi à ieiuniis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna domini celebratur. nam ſi aliquorum promeridiano tempore defunctorum, ſiue epiſcoporum, ſiue cæterorum commendatio facięda eſt: ſolis orationibus fiat ſi illi qui faciant iam pranſi inueniãtur.

ITEM ex concilio Cabilonenſi. *Iuo lib.2 de ieiunio.*

Ante miſſarum ſolennia circa horam nonam decantata, in quadrageſima comedere non licet. 48

SOlent plures qui ſe ieiunare putant in quadrageſima, mox vt ſignum audierint ad horam nonam, comedere: qui nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi ante manducauerint quàm veſpertinum celebretur officium. concurrendum eſt enim ad miſſas, & auditis miſſarum ſolennibus, & veſpertinis officiis, & largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt. Si vero aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit, vt ad miſſam venire non valeat: æſtimata * veſpertina hora, completa oratione ſua ieiunium ſoluat. In ieiuniis etiam quatuor temporum circa veſpertinas horas, in ſabbato vero ſancto circa noctis initiũ miſſarum ſolennia ſunt celebranda. *15 pars.* ** expectata.*

GRATIA.

„ Vnde Leo epiſcopus, quod à patribus noſtris. Item Ge- *16. pars.*
„ laſius, Ordinationes presbyterorum. Item Pelagius, Dile-
„ ctionis tuæ reſcripta, *Require in tractatu ordinandorum.*

In prima quoq; parte diei miſſarũ ſolẽnia non incõgruè celebrantur. VNDE Leo papa Dioſcoro Alexand. epiſcopo. *Epiſt.79.ca.2.*

Etiam prima parte diei miſſas celebrare licet. 49

NEceſſe eſt autem, vt quædã populi pars ſua deuotione priuetur, ſi vnius tantum miſſæ (more ſeruato) ſacrificiũ offerre non poſſunt, niſi prima diei parte cõuenerit. ſtudioſe ergo fraternitatẽ tuã familiariter admonemus, vt quod noſtræ conſuetudini ex forma paternæ traditionis inſedit, tua quoq; cura non negligat: vt per omnia nobis fide & actibus congruamus, propter quod remeãti filio noſtro Poſſidonio presbytero, hanc ad dilectionem tuam epiſtolam dedimus perferendam, qui noſtris proceſſionibus atque actionibus frequenter interfuit, & totiens ad nos miſſus quid in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritas teneret agnouit. ITEM Auguſt.

Miſſæ peculiares non ſunt in publico cantandæ. 50

ET hoc attendendũ, vt miſſæ peculiares quæ per dies ſolennes à ſacerdotibus fiunt: nõ ita in publico fiant vt propter eas populus à publicis miſſarũ ſolennibus (quæ hora tertia canonicè fiunt) abſtrahatur. Sed ſacerdotes qui in circuitu

vrbis, aut in eadem vrbe sunt, & populus in vnum ad missarum publicam celebrationem conueniant.

ITEM Alexander papa.

Quot missas in die sacerdoti celebrare licet. 51

17. pars. Ex mag. Iuo. p. 2.

SVfficit sacerdoti vnam missam in die vna celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mũdum redemit. Non modica res est vnam missam facere, & valde fœlix est qui vnam digne celebrare potest, quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit, qui verò pro pecuniis, aut adulationibus secularium vna die præsumunt plures facere missas, non æstimo euadere damnationem.

cap. 12. ITEM ex concilio Toletano. iiij.

Ex saluatoris & Apostolorum docemur exemplo hymnos cantare. 52

18. pars.

DE hymnis canendis, & saluatoris & apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo euangelista testante: Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum. & Paulus apostolus ad Ephesios scribit dicens: Impleamini spiritu sancto loquentes vobisipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus. Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem dei, atque apostolorum & martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius condiderunt: quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo, quòd de scripturis sanctorum canonum, vel apostolica traditione non existunt: respuant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico priuatóq; officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria & honor patri & filio & spiritui sancto in secula seculorum amen. Nam & ille hymnus quem nato in carne Christo angeli cecinerũt, Gloria in excelsis Deo. & in terra pax. & reliqua quæ sequuntur ibi, ecclesiastici doctores composuerunt. ergo nec ipsi in ecclesiis canendi sũt: quia in sacrarum scripturarũ libris non inueniũtur. Cõponũtur missæ siue preces vel orationes, seu cõmẽdationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decãtantur in ecclesia, vacãt omnia officia ecclesiastica. Admonet hoc fieri atq; hortatur Timotheũ Apostolus dicens: Obsecro igitur primũ fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus. pro regibus, pro omnibus qui in sublimitate sunt. Sicut ergo orationes, ita hymnos omnes in laudem dei cõpositos nullus nostrum vlterius improbet.

Matth. 24. c
Ephes. 5. d
Luca. 2 g
1. Timo. 2.

al. viii. Leo nonus.

In nouo testamento hymni ab angelis decantati inueniuntur. 53

HI duo solummodo hymni ab angelis in nouo testamento inueniuntur decãtati: Alleluia. Gloria in excelsis deo. quos pariter in septuagesima intermittimus: quia peccato hominis

minis veteris à conuentu angelicæ iubilationis expulsi, in huius miseræ vitæ Babylonem super flumina eius sedemus & Psal. 136. flemus dum recordamur illius Sion, in qua deum decet hymnus. Psal. 64. Quòd nouem hebdomadibus alleluia intermittimus, nõ Esa. 14. e incongruè per ix. hebdomadas ix. ordines angelorum accipimus, Apoc. 12. d quorum decimus ordo per superbiam corruens, angelicum numerum minuit, & à fœlicitate perturbauit. qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam sibi timẽtes, à perfecta laude creatoris fuere præpediti. quorũ recuperationi cõsulens omnipotens deus creator primum hominem de limo Gene. 2 terræ formauit: qui sui generis multiplicatione damna cœlestis patriæ resarciret, atque angelorum gaudia suppleret, qua spe angelicus chorus non modicum lætatus est. Nec mirum si ex lapsu ipsius hominis fuerat perturbatus: vnde nouem ordinum concentus in laudem dei creatoris permansit imperfectus, donec in Christo resurgẽte resurrexit prolapsus ille protoplastus. ibi augmento sui collegij, & spe meliori angelicus exercitus gauisus, in nouum alleluia consurrexit totus: & in eo perstat deuotus, quem & nos pro modulo nostro imitantes, à septuagesima quando lapsus protoplasti in ecclesia recitatur, alleluia. ix. hebdomadas intermittimus, scilicet vsque in Pascha: vbi Christus resurgens à mortuis tristitiam nostram in gaudium vertit, & alleluia nobis reddit. ITEM Nicolaus papa Rodulpho archiepiscopo Bituricen.

In cœna domini Gloria in excelsis decantetur. 54

POrrò Gloria in excelsis deo, ab episcopis in cœna domini inter missarum solennia more nostro dicenda est. Pallio verò apostolico eadem die vti est illis licitum, quibus est ab apostolica sede permissum. ITEM Macarius papa.

Cum baculo aut capite velato ad celebrandum missarum solennia clericus non ingrediatur. 55

NUllus episcopus aut presbyter seu diaconus ad missarum solennia celebranda præsumat cum baculo introire, aut 19. pars. velato capite altario dei assistere: quoniam apostolus prohibet 1. Cor. 11. b viros velato capite orare in ecclesia: & si temerè præsumpserint, communione priuẽtur. Cùm verò ingressus fuerit episcopus aut presbyter ad missarum solennia celebrãda: nisi passio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratiõe recedere, vt ab aliquo presbytero vel episcopo missarum solennia suppleantur: sed qui initium ponit suppleat vsque in finem. Si quis verò præsumpserit præter quod posuimus agere, à sacro corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi sit suspensus.

ITEM ex decretis Soteris papæ. deest in vet. manus.

Palea.

VT illud diuini oraculi singuli præcaueant, quo scribitur: Eccles. 4. lib. Væ soli:

Væ soli: quia cum ceciderit, non habet subleuãtem se, summopere verendum est nobis atque cauendum ne horis atque temporibus quibus deo psallitur vel sacrificatur, vnicuiq; diuinis singulariter officiis insistenti perniciosa passio, vel quælibet corporis inualitudo occurrat; quæ aut corpus subito subrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus præcauentes, necessariũ duximus instituere, vt vbi temporis vel loci siue cleri copia suffragatur, habeat quisque canens deo atque sacrificans post se vicinũ solaminis adiutorem: vt si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terrã elisus, à tergo semper habeat qui eius vicem exequatur intrepidus, & officium inceptum adimpleat. ITEM Anacletus Iesu Christi seruus omnibus episcopis.

Epistol. 1.

Quot testes episcopus sacrificans secum habere debeat. 56

EPiscopus deo sacrificans testes secum habeat. in solennioribus quippe diebus, aut vij. aut. v. aut. iij. diaconos, qui oculi eius dicuntur: & subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat: qui sacris induti vestimentis in fronte & à tergo, & presbyteri è regione dextra leuaque contrito corde, & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodiẽtes eum à maleuolis hominibus, & consensum præbẽtes sacrificio. peracta autem consecratione omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. ITEM Lucius papa omnibus episcopis.

20. pars.

Episcopis Galliæ & Hispaniæ.

Episcopi sine religionis testibus domini sacramenta non conficiant. 57

IVbemus apostolica auctoritate, vt semper testes vobiscum sacerdotes & leuitas habeatis. & licet conscientia propria sufficere possit, tamen propter maleuolos (iuxta Apostolum) testimonium nos oportet habere bonũ ab his qui foris sunt. Igitur duo presbyteri & tres diaconi in omni loco episcopum non deserant propter testimonium ecclesiasticum.

1. Tim. 3. b

ITEM Soter papa.

In decretis.

Nisi duobus præsentibus presbyter missam celebrare non præsumat. 58

HOc quoque statutum est, vt nullus presbyterorum missarum solenniã celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, & ipse tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum: & illud in secretis, Orate pro me: aptissimè conuenit vt ipsius respondeatur salutationi. ITEM ex canone Apostolorum.

cap. 10.

Communione priuentur qui vsque ad finem missarum solennia non audierint. † 59

OMnes fideles qui conueniunt [in solennitatibus sacris ad ecclesiam] & scripturas [Apostolorum & euãgelium] audiant.

21. pars.

diant. Qui autem non perseuerant in oratione [vsque dũ missa peragatur] nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari. ITEM ex concilio Carthagin. Cap. 24. concil. Carth. 4.

† Nulla Græca exemplaria aut Latina (quæ inspexi permulta & antiquissima) sic habent. Itaque videat Gratianus vnde aut ex quo exemplari hoc transcripserit. Græca sunt in hunc modum, πάντας δὲ εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. quæ sic vertit Dionysius Exiguus. Omnes qui ingrediuntur ecclesiam & scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratiõe, nec sanctam communionem percipiunt velut inquietudines ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari, nisi dicamus Gratianum textui canonis glossas quasdam & expositiones interpolasse vt facere solet in citandis Pauli sententiis & legibus Codicis Theodosiani: sic enim propemodũ Zonaras exponit vt Gratianus retulit. si quis recte trãsferat, non vt quidam perperam nec satis fideliter. καὶ οἱ λαϊκοὶ (inquit) συνεχῶς τότε μετελάμβανον ἀπ᾽ ἢ τοῦτο, Id est clerici tunc temporis continuè debebant communicare, sed ibidem mox subiungit Sardicensibus, & Trullensibus, canonibus eam assiduitatem communicandi paulò remissam fuisse, vt ita demum si quis per tres dominicas præsens non communicaret, excommunicaretur. & pro eo quod hic dicitur missam, θυσίαν appellare videtur.

De eodem. 60

SAcerdote verbum in ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. ITEM ex concilio Agathensi. cap. 47.

Die dominico missas ex integro seculares audire debent. 61

MIssas die dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus: ita vt ante benedictionẽ sacerdotis egredi populus non præsumat. quod si fecerint, ab episcopo publicè confundantur.

ITEM ex concilio Aurelianensi. Cap. 28.

Populus non antè discedat, quam missa ex integro celebretur. 62

CVm ad celebrandas missas in dei nomine cõuenitur, populus non antè discedat, quàm missæ solennitas compleatur, & vbi episcopus non fuerit, benedictionem à sacerdote accipiat. ITEM ex concilio Carthaginensi. iiij. ca. 88. concil. Carth. 4.

Excommunicetur qui prætermisso ecclesiæ conuentu ad spectacula vadit. 63

QVi die solenni, prætermisso ecclesiæ conuentu ad spectacula vadit, excommunicetur. ITEM ex concilio Carthaginensi quarto. ca. 84. eiusdẽ.

Vsque ad missam catechumenorum nullus ecclesiam ingredi prohibeatur. 64

22 pars.

Episcopis Germaniæ & Burgundiæ.

EPiscopus nullum prohibeat ingredi in ecclesiam, & audire verbum dei, siue gentilem, siue Iudæum, siue hæreticum, vsque ad missam catechumenorum. ITEM Anastasius episcopus omnibus episcopis.

Euangelia non sedendo sed stando audire debemus. 65

23. pars.

APostolica auctoritate mandamus dum sancta euāgelia in ecclesia leguntur, vt sacerdotes & cæteri omnes non sedentes, sed venerabiliter curui & in conspectu euangelij stantes dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.

ITEM Gregorius. vij.

Ad missarum solennia semper aliquid est offerendum. 66

24. pars.

Exod. 24.

OMnis Christianus procuret ad missarum solennia aliquid deo offerre, & ducere ad memoriam quod deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. In collectis sanctorū patrum liquidò apparet quòd omnes Christiani offerre aliquid ex vsu sanctorum patrum debent. ad ipsum enim prius est confugiendum, qui nostræ curare possit animę passiones. verum homines præpostero ordine ante sibi opem ab hominibus accersiunt. vbi autem humana subsidia defecerint, tunc opinantur diuini postulandam fauoris gratiam.

Cyprianus epis. sermone 6. de oratione dominica.

ITEM Cyprianus papa respondit.

Quare sursum corda in præfatione dicitur. 67

25 pars.

QVando autem stamus ad orationem fratres dilectissimi, inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio carnalis hominis & secularis abscedat, nec quicquā tunc animus aliud quàm id solum cogitet quod precatur. ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda. vt dum respondet plebs: Habemus ad dominū, admoneatur nihil se aliud quàm dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli deo pateat, nec ad se hostem dei tempore orationis venire patiatur.

GRATIA.

Pelagius pa. episcopus Germaniæ & Galliæ.

Gelasius Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedis episcopus vniuersis Germaniarum atque Galliarum episcopis.

Quæ præfationes in missis sunt cantandæ. 68

26. pars.

INuenimus has .ix. præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiēdas, id est vnam in albis paschalibus, aliam die ascensionis domini, tertiam die Pentecostes, quartam de natali domini, quintam de apparitione domini, sextam de apostolis, septimam de sancta trinitate, octauā de cruce, nonam de ieiunio in quadragesima tantummodo dicendam.

ITEM ex concilio Cabilo.

In

In omnibus missarum solennibus pro defunctis oratio fiat. 69

VIsum præterea nobis est, vt in omnibus missarum solennibus pro spiritibus defunctorum loco competenti in ecclesia ad dominum deprecetur. sicut enim nulla dies excipitur qua non pro viuentibus & pro quibuslibet necessitatibus dominum deprecetur: ita nimirũ nulla dies excipi debet quin pro animabus fidelium preces domino in missarum solennibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet ecclesia, vt in missarum solennibus & alijs precibus domino spiritus quiescentiũ cõmendentur: dicente beato Aug. Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana & catholica societate laudamus. Defunctorum etiam tacitis nominibus eoru quos sub generali commemoratione suscepit ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes & filij aut quicunque cognati vel amici: ab vna eis exhibeatur pia matre communi. 27. pars.

ITEM Innocent. episcopus vrbis Romanæ Decentio Eugubino. *Innoc. pap. 1. epist. 1.*

Ante preces non sunt à sacerdote nomina recitanda. 70

DE nominibus recitandis, antequam sacerdos preces faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitãda sunt, oratione sua commendet: quàm superfluum sit, ipse per tuam prudentiam recognoscis, vt cuius hostiam necdum deo offeras, eius ante nomen insinues: quanuis illi incognitũ nihil sit.

ITEM Alexander vrbis Romanæ episcopus omnibus orthodoxis.

DISTINCTIO II.

PANIS ET VINVM AQVA PERMIXTVM INTER MISSARVM SOLENNIA DOMINO OFFERANTVR.

Panis & vinum & aqua in sacramentis sunt offerenda. 1

Ex decret. Alexandri pa[illegible]. Ex mag. Iuone.

IN sacramentorum oblationibus quæ inter missarum solennia domino offeruntur: panis & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. non enim debet in calice domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri: sed vtrunque permixtum offeratur: quia vtrunque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur.

ITEM Cyprianus papa Cæcilio fratri salutem. *Cypr. episcopus epist. 3. lib. 2.*

Vinum sine aqua vel econuerso, in sacramentis offerri non licet. 2

SIc* in sanctificando calicem domini offerri sola aqua minimè potest: quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tãtum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo. Quando enim vtrunq; miscetur, & adunatione cõfusa sibi inuicem copulantur: tunc sacramentũ & spirituale & cæleste efficitur. Sic verò calix domini non est aqua sola, & vinum so- **Sicut*

lum, nisi vtrunque misceatur: quomodo nec corpus domini potest esse sola farina, nisi vtrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum. IDEM. 3

Cyprian. in ead. epist.

SCriptura dicit, vt quotienscunque calicem in commemorationem domini & passionis eius offerimus, id quod constat dominum fecisse faciamus. Sed vide frater charissime, si quis de antecessoribus nostribus vel ignoranter vel simpliciter non hoc seruauerit & tenuerit quod nos dominus facere & exemplo & magisterio docuit, potest simplicitati eiusdem indulgētia domini venia concedi: nobis verò non potest ignosci, qui nunc à domino admoniti & instructi sumus, vt calicem domini cum vino mixtum secundum quod dominus obtulit offeramus. ITEM ex concilio Martini papæ.

Cap 55. ex synodis Græcorū.

Præter vinum & aquam & panem in sacramento nihil debet offerri. 4

NOn oportet aliud aliquid in sacramento offerri præter vinum & aquam, & panem: quæ in typo Christi benedicuntur: quia dum in cruce Christus penderet, & de corpore eius sanguis effluxit & aqua: & hæc tria vnum sunt in Christo Iesu: hæc hostia & oblatio dei in odorem suauitatis.

Cap. 24.

ITEM ex concilio Carthaginensi tertio.

De eodem. 5

IN sacramento corporis & sanguinis domini nihil amplius offeratur quàm quod ipse dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtū, nec amplius in sacrificiis offeratur quàm de vuis & frumentis. ITEM ex sexta synodo[a].

a In Trullo cap. 28.

Oblationis sacrificio vuas nemo coniungat. 6

DIdicimus quòd in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis coniungant vuas quæ secundum vsum in altari offeruntur: & sic simul vtraque populo dispensent. Præcipimus igitur vt nullus sacerdos hoc vlterius faciat: sed in remissionem peccatorum populo oblationem solam distribuat, & vuas seorsum benedictas populus qui petierit accipiat: & fructuum [b] gratias agat.

b datori deo. videtur addēdum ex Græcis.

ITEM Iulius papa episcopis per Aegyptum.[c]

c missis

Cap. 1. conci. 3. Brach.

Ex mag. Iuone.

De his qui sacrificando variè errabant. 7

CVm omne crimen atque peccatum oblatis deo sacrificijs deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim quosdam schismatica ambitiones detentos, cōtra diuinos ordines & apostolicas institutione lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare: alios quoq; intinctam Eucharistiā populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiam expressum vinum in sacramento dominici calicis offerre. alios verò pānum lineum musto intinctū per totum annum reseruare: & in tēpore sacrificij partem eius aqua lauare, & sic offerre

offerre. quod quàm sit euangelicæ & apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini ecclesiasticæ aduersum: non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa sacramẽtorum mysteria processerunt. Cùm enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis cõmendaret discipulis: nulli lac, sed panẽ tantũ & calicem sub hoc sacramento cognouimus dedisse. Legitur enim in euangelica veritate. Accepit Iesus panem & calicem, & benedicẽs, dedit discipulis suis. Cesset ergo lac in sacrificando offerri, quia manifestum est, & euidẽs exemplum veritatis euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet. Illud verò quod pro complemẽto communionis intinctam tradunt Eucharistiã populis, nec hoc prolatum ex euangelio testimonium receperunt, vbi apostolis corpus suum cõmendauit & sanguinem. seorsum enim panis, & seorsum calicis cõmendatio memoratur. Nam intinctum panem alijs Christum prębuisse non legimus, excepto illo tãtum discipulo quem intincta buccella magistri proditorem ostẽderet: nõ quæ sacramenti huius institutionẽ signaret. Ioann. 13. c. Ibidem.

GRATIA. Nam quòd de expresso botro, id est de vuarum granis populus cõmunicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur: quia calix dominicus iuxta canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. ergo cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur: & credẽtium plebs ei in quẽ credit, copulatur & iungitur. quæ copulatio aquæ & vini sic miscetur in calice domini, vt mixtio illa nõ possit separari. Nam si vinum tantũ quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. ergo quãdo botrus solus offertur, in quo vini efficentia tantũ designatur, salutis nostrę sacramentũ negligitur, quod aqua significatur. nõ enim potest calix domini esse aqua sola, aut vinum solũ, nisi vtrunq; misceatur. & ideo quia iam plurima & multiplex maiorũ manauit sententia: omnis deinceps talis error atq; præsumptio cessare debet, ne peruersorũ & inordinata cõpago statũ veritatis eneruet: & ideo nulli deinceps erit licitum aliud in sacrificijs diuinis offerre, nisi iuxta antiquorum sententiã conciliorũ, panem tantum & calicem vino & aqua permixtum. De cætero aliter quàm pręceptum est faciens, tandiu à sacrificando cessabit, quandiu legitima pœnitentiæ satisfactione correctus, ad gradus sui officium redeat quod amisit. hæc videtur esse ad verbum ferè translata ex epistola Cypriani lib. 3. lib. 2. epistolarum.

ITEM Alexander papa quintus à Petro. Epist. 1.

Nulla oblatio corpori & sanguini Christi comparari valet. 8

NIhil in sacrificijs maius esse potest quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est: sed omnes hæc pręcellit, 2. pars.

c. ilis quæ pura conscientia domino offerenda est, & pura mẽte suscipienda, atque ab hominibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.

Innoc. I. epi. I.

ITEM Innocentius papa Decentio Eugubino episcopo salutem.

Ante confecta mysteria pacem non debemus offerre. 9

3. pars.

PAcem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis impertiri, vel sibi inter se sacerdotes tradere: cùm post omnia (quæ aperire non debeo) pax sit necessariò indicenda: per quam constet populum ad omnia quæ mysterijs aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse assensum: ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.

Anacl. epist. I. id habet.

ITEM Calixtus papa.

Ecclesiasticis liminibus careat minister qui post consecrationem communicare contemnit. 10

PEracta consecratione omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & [a]apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia.

[a] Intelligit canonem IX. apostolorum. c. omnes fideles. sup. de consecrat. dist. I. quo requirebatur à laicis vt semper communicarẽt, vt tradit ad eum locum Zonaras, quem illic citauimus. glosa hîc more suo æstuat & titubat in suo solenni, Vel vel vel. Ant. Contius.

Cap. 5.

ITEM ex concilio Toletano duodecimo.

Quisque sacerdos quotiens missam celebrat, totiens sacram communionem percipiat. 11

RElatum est à nobis quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in vno die vidẽtur offerre: sed si in vno die plurima deo offerunt sacrificia, omnibus se oblationibus à communione suspendunt: & in sola tantum extrema sacrificij oblatione communionis sanctæ gratiam sumũt: quasi non sit illis totiens vero & singulari sacrificio participandum, quotiens corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit. Nónne qui edũt hostias, participes sunt altaris? Certum est quòd hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit: ab ipsa qua se indecenter priuauit gratia cõmunionis, anno vno repulsum se nouerit. Nã quale erit sacrificiũ cui nec ipse sacrificans particeps esse dinoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est vt quotienscunq; sacrificans corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi in altario immolat, totiens perceptionis corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi participem se præbeat.

4. pars.

I. Corinth. IO.

ITEM Gelasius papa Maiorico & Ioanni episcopis.

Hoc caput multi allegarunt vt probarent olim laicos sub vtraque specie communicasse: sed veteres glosæ B. & P. notis signatæ quæ multo tempore glosas Ioannis & Brixiensis præcesserunt, aiunt iam suo tempore id non seruari, sed vinum non consecratum populo ministrari. Ioannes verò glo-

sator

ſator poſterior, ait hoc caput intelligendum de conficiente, non de laicis. ſic etiam Gerſon in tractatu de communione laicorum ſub vtraque ſpecie ait hoc caput exponendum. ſed cùm indefinitè loquatur, quod quidam, &c. non ſatis probabili ratione nititur huiuſmodi interpretatio.

Corpus Chriſti ſine eius ſanguine ſacerdos non debet accipere. 12

COmperimus autem quòd quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant: qui proculdubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuiſio vnius eiuſdemque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire.

Ex dictis Augu. Ex Iuon. ibid. p. 2.

ITEM Auguſtinus.

Euchariſtiæ communionem qui quotidie accipit, nec reprehenditur, nec laudatur. 13

Cap. 53. *de eccleſiaſticis dogmatibus.*

QVotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor, ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit. nam ſi adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. & ideo quanuis quis peccato mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de domini miſeratione, accedat ad Euchariſtiam intrepidus ac ſecurus. Sed hoc de illo dico, quē mortalia peccata non grauant. Idem. Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiam, alius affirmat quotidie: faciat vnuſquiſque quod ſecūdum fidem ſuám piè credit faciendum. nec enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Cēturio, cùm alter eorum gaudens in domo ſua, ſuſcepit dominum: alter dixit, O domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Ambo ſaluatorem honorificantes, quanuis non vno modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Ad hoc valet quòd manna ſecundum propriam voluntatem in ore cuiuſque ſapiebat. ITEM Ambroſius.

Hic liber totus eſt Iſidori aut ab Iſidoro collectus, vt inferius pòſt admonebimus, cum eum librum huic volumini ſubnectemus.

Luc. 19. *a* *Matth.* 8. *a* *Sap.* 16. *c*

Qui ſemper peccat, cæleſtis ſacramenti medicinam ſemper accipiat. 14

Cap. vlt. lib. 4. *de ſacramentis.*

SI quotienſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionē peccatorum effunditur: debeo meritò ſemper accipere, qui ſemper pecco, debeo ſemper accipere medicinam.

ITEM Hilarius epiſcopus.

Non abſtineat à corpore domini, qui excommunicari non meretur. 15

SI non ſunt tanta peccata vt excommunicetur quis: non ſe debet à medicina corporis & ſanguinis domini ſeparare.

ITEM Fabianus papa ait.

Iuo lib. 1.

Ter

Ter in anno quiſque fidelium communicet. 16

Idẽ c. 18. inf. e.

ET ſi non frequentius, ſaltem in anno ter homines communicent, niſi fortè quis maiorib⁹ quibuſlibet criminibus impediatur: in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali domini.

In decretis. Ex decret. Soteris papæ. Ex Iuone.

ITEM Soter papa ait.

Etiam in cœna domini ſacram communionem debemus accipere. 17

IN cœna domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur: quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis ijs quibus pro grauibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit: eccleſiaſticus vſus demonſtrat: cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis dominici ſacramenta reconcilientur.

cap. 84. ſynodorum Græcarum.

ITEM ex conc. *Bracharenſi* Martini papæ.

Proiiciatur ab eccleſia qui à communione ſacramenti ſe pro luxuria ſua auertit. 18

SI quis intrat in eccleſiã dei, & ſacras ſcripturas audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à communione ſacramenti, & in obſeruandis miniſteriis declinat cõſtitutam regulam diſciplinæ: iſtum talem proiiciendum de eccleſia catholica eſſe decernimus, donec pœnitentiã agat, & oſtendat fructum pœnitẽtiæ ſuæ: vt poſſit communione percepta indulgentiã promereri.

Cap. 18.

ITEM ex concilio Agathenſi.

Non habeantur catholici qui his tribus temporibus communicare deſinunt. 19

Ex eodem. ibid. Cap. 13.

SEculares qui in natali domini, paſcha, pentecoſte nõ communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.

IN concilio Toletano.

Corripiantur qui in eccleſia communicare contemnunt. 20

Ex mag. Iuo.

HI qui intrant eccleſiam dei, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneãtur: quòd ſi nõ communicãt, ad pœnitentiã accedant. ſi communicant, nõ ſemper abſtineant. ſi non fecerint, abſtineant.

Iuo lib. 1 refert.

ITEM ex conc. Elibertano.

Ante ſanctam communionem à propria vxore quiſque contineat. 21

OMnis homo ante ſacram communionem à propria vxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus: nec inter catholicos connumerabitur, qui in iſtis videlicet temporibus, paſcha, pentecoſte, & natali domini non communicauerit.

Iuo lib. 1. refert. 6. pars.

ITEM Sergius papa ait.

Quare tres partes fiant ex corpore Chriſti. 22

TRiforme eſt corpus domini. Pars oblata in calicem miſſa, corpus Chriſti quod iam reſurrexit, monſtrat. Pars comeſta ambulans adhuc ſuper terram. Pars in altari vſque ad miſſę finem, remanens, corpus in ſepulchro: quia vſque ad finem ſeculi corpora ſanctorum in ſepulchris erunt.

ITEM

ITEM ait Clemens papa. Epist. 2.

A quibus sunt contrectanda sacramenta dominica 23

TRibus gradibus commissa sunt sacraméta diuinorum se-cretorum, id est presbytero, diacono, & ministro: qui cum timore & tremore clericorũ reliquias corporis domini custodire fragmentorum debent. Item. Tanta in altario certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur: sed cum timore & tremore clericorum & diligentia consumantur. Qui autẽ residua corporis domini quę in sacrario relicta sunt, consumũt: non statim ad accipiendos communes cibos conueniãt, ne putent sanctæ portioni misceri cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum diffunditur. Si igitur mane dominica portio editur, vsque ad sextam ieiunent ministri qui eam consumpserunt. & si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunẽt vsq; ad vesperas. sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta. Præcipimus etiam ne vnquã extero clerico ecclesię siue laico de fragmentis oblationum Christi ad mẽsam ponatur. Vnde scis tu, qui passim sanctuarij panes indignis impendis. vnde nosti si à mulieribus mundi sunt? Hinc & Dauid ab Abimelech sacerdote interrogatus cùm panem sibi ad comedendum posceret: cùm se mundum ante triduum profiteretur, panes propositionis manducauit. 1. Reg. 21. a

ITEM Isidorus. Isido cap. 24. lib. 1. de summo bono.

Inficiuntur, non mundantur scelerosi qui communicare non desinunt. 24

QVi sceleratè viuunt in ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari: discant nil ad emundationem proficere sibi dicente propheta: Quid est quòd dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas: Et Apostolus: Probet, inquit, se homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 8. pars. Hier. 11. c. 1. Cor. 11. g.

ITEM ex octaua synodo Basilius episcopus dixit.

Damnationem non salutem acquirunt, qui indignè sacramentis Christi communicant. 25

TImorem docet nos Apostolus dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. Fidem verò edocet nos sermo domini dicens: Hoc est corpus meũ, quod pro multis dabitur: hoc facite in meam commemorationem. Et Apostolus de vnigenito dei filio: Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortẽ autẽ crucis. Cùm ergo anima habet fidẽ his dictis, & considerat magnificentiã gloriæ ipsius, & admiratur nimietatẽ humilitatis, quomodo tantus ac talis obediẽs fuit patri vsque ad mortẽ pro vita nostra: puto quia prouocari possit vsq; ad effectũ & dilectionẽ ipsius, & dei patris: qui vnico filio non pepercit, sed pro nobis omnibus 1. Cor. 11. g. Luc. 22. b. Philip. 2. a. Roma. 8.

bus tradidit illum, Talem ergo fidem & affectum præparare debet in animo suo is, qui panem & calicem domini percipit.

Quæst. 30. lib. 4. quæst. super Numer.

ITEM Aug. in lib. quæst. Numerorum.

Non à quo sed ante quem offeratur, considerandum est. 26

Numer. 16. c

ET dixit dominus ad Moysen & ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem: Tollite thuribula ænea è medio exustoru: & ignem alienum hunc seminate ibi, quia sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in animabus suis: & facies laminas ductiles, & circumpones altari, quoniam oblata sunt ante dominum, & sanctificata sunt, & facies in signum filijs Israel. Sed notandum nouo modo dicta sanctificata pœna eorum à quibus peccatum hoc fuerat perpetratum: quia per eos exemplum datum est cæteris, quòd timerent. Circumpositiones autem altari cur ex eis fieri voluit, addidit dicens: Quoniam oblata sunt ante dominum, & sanctificata sunt in filijs Israel. Nõ ergo in eis reprobari voluit quòd à talibus oblata sunt: sed hoc potius cogitari & attendi, ante quem oblata sunt, id est, ante dominum: vt plus in eis valeret nomen domini ante quẽ oblata sunt, quàm pessimum meritũ eorum à quibus oblata sunt.

Iuo lib. 1. de sacram. euchari. 9. pars.

ITEM ex decreto papæ pij.

Pœnitentia eius cuius negligentia de Christi sanguine aliquid stillat. 27

SI per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terrã, lingua lambetur, tabula radetur. si non fuerit tabula, vt non conculcetur locus corradetur: & igne consumetur: & cinis intra altare cõdatur: & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit: quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat. si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

Iuo ibidem.

ITEM ex pœnitentiali Bedæ presbyteri.

Quæ pœnitentia sit imponenda ei qui sacramentum euomit. 28

SI quis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiã euomuerit, xl. diebus pœniteat, si laicus est. clerici, vel monachi, seu diaconi, & presbyteri, lxx. diebus pœniteant. episcopi, xc. Si pro infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant.

Iuo vbi suprà refert. Ex mag. Iuone. 10. pars.

ITEM ex concilio Remensi, cap. ij.

Sacerdotes non nisi per se diuina sacramenta ministrent. 29

PEruenit ad notitiam nostram quòd quidam presbyteri intantum paruipendebant diuina mysteria, vt laico vel fœminæ sacrum corpus domini tradant ad deferendũ infirmis: & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum cõmittuntur. quod quàm sit horribile, quámque detestabile, omniũ religiosorum animaduertit

maduertit prudētia. Igitur interdicit per omnia synodus ne talis temeraria præsumptio vlterius fiat, sed omnimodo presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quòd si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.

ITEM Clemens papa.

Quando celebratur missa, presbyterium laicus ingredi non præsumat. 30

SAcerdotum aliorumq; clericorum ecclesiis seruiētium honores à laicorum loco discretè apparere cōuenit. quamobrem nulli laicorū liceat in eo loco vbi sacerdotes & reliqui clerici consistunt (quod presbyterium nuncupatur) quando missa celebratur cōsistere, vt liberè ac honorificè possint sacra officia exercere. ITEM ex concilio Gerundensi. *11. pars.* Cap. 1.

Sicut in Metropolitana ecclesia, ita vbique missarum solennia celebrentur. 31

INstitutio missarum sicut in Metropolitana ecclesia agitur, ita in dei nomine in omnibus prouincijs tam ipsius missæ ordo quàm psallendi vel ministrandi consuetudo seruetur. *12. pars.*

ITEM August in libro decimo de ciuitate dei. Cap. 5.

Quid sit sacrificium, quid sacramentum. 32

SAcrificium visibile, inuisibile est sacramentū, id est sacrum signum. Item alibi: Sacramentum, est inuisibilis gratiæ visibilis forma. ITEM in lib. ij. de doctrina Christiana. *13. pars.* Ex mag. Iuo. Cap. 1. Ex eod. ibid.

Quid sit signum. 33

SIgnum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire. Yuo ex libro Lanfranci recitat quæ sequuntur.

ITEM Gregorius papa in homilia paschali ait.

Post consecrationem, non substantia, sed species remanet. 34

SPecies & similitudo illarum rerum vocabula sunt quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini. vnde in fine cuiusdam missæ oratur & dicitur: Perficiant in nobis quęsumus domine tua sacramenta quod continent. vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Postulat quippe sacerdos vt corpus Christi quod sub specie panis & vini nunc geritur, manifesta visione sicut reuera est quandoq; capiatur. De qua visione dominus in euāgelio secundum Ioannē ait: Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligā eum, & manifestabo ei meipsum. quanuis non improbabiliter quidam exponant hoc loco carnis & sanguinis veritatem, ipsam eorundem efficientiam, id est peccatorum remissionem. *Iuo lib. 1. de sacra. Euchar.* *Ioan. 14.*

ITEM Eusebius Emisenus.[a]

Visibilis creaturæ in Christi corpus & sanguinem inuisibiliter conuertuntur. 35

QVia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus syderibus, necessarium erat vt die cœnæ sacramētum *14. pars.*

[a] Homilia quinta. Ex mag. Iuo. p. 2

nobis corporis & sanguinis consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in precium: vt quia quotidiana & indefessa currebat pro omnium salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio, & perennis victima illa viueret in memoria: & semper præsens esset in gratia vera vnica & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, neque exteriori censenda visu: sed interiori affectu. Vnde cælestis confirmat auctoritas: Quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguũ: quoniam quidem qui auctor est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiã corporis & sanguinis sui verbo secreta potestate cõuertit ita dicens: Accipite & comedite: hoc est corpus meũ. & sanctificatione repetita, accipite, & bibite, ait: hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis domini repētè & ex nihilo substiterunt excelsa cæloru, profunda fluctuũ, vasta terrarum: ita pari potestate in spiritualibus sacramẽtis vbi præcipit virtus, seruit effectus. Quanta itaq; & quàm celebrãda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiã terrena & mortalia cõuertuntur: teipsum qui in Christo es regeneratus, interroga. dudũ alienus à vita, peregrinus à misericordia, & à salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subito initiatus Christi legibus & salutaribus mysterijs innouatus, in corpus ecclesiæ non videndo, sed credendo transilisti, & de filio perditionis adoptiuus dei filius fieri occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanẽs, maior factus es teipso inuisibiliter sine quãtitatis augmento. cùm idẽ atque idem ipse esses, multo alter fidei processibus extitisti: in exteriori nihil additum est, & totum in interiori mutatum est: ac sic homo Christi filius effectus, Christusque hominis in mente formatus est. Sicut ergo sine sensu corporali præterita vilitate deposita, subitò nouã indutus es dignitatem, & sicut hoc quòd deus læsa in te curauit, infecta diluit, immaculata detersit, non oculis, sed sensibus tuis sunt credita: & cùm reuerendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè totum haustu interioris hominis assume. ITEM August.

Quare in specie panis & vini sacramentum suum Christus nobis ministrauit. 36

QVia passus est dominus pro nobis, commendauit nobis in isto sacramento sanguinem suum & corpus: quod etiã fecit nosmetipsos. nam & corpus ipsius facti sumus, & per misericordiam eius quod accepimus nos sumus. Recordamini

Ioan. 6. f

Beda ad c. 10. 1. ad Corint. ex ser feria 2. Paschæ. 1. Pet. 2. d

ti & vos quòd non fuistis, & creati estis, & ad aream dominicã comportati estis laboribus boum, id est annunciantium euangelium: triturati estis, quando catechumeni deferebamini, in horreo seruabamini, nomina vestra dedistis, cœpistis moli ieiunijs, exorcismis: postea ad aquam venistis, & cõspersi estis, & panis dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. quomodo ergo vnum videtis esse quod factum est, sic vnum estote vos diligentes, tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimoniũ cõtra se accipiunt: quia illi quærunt diuisionem, cùm panis iste indicet vnitatem. sic & vinum in multis racemis fuit, & modò vnum est. vinum est in sua natiuitate, calix post pressuram torcularis: & vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatẽ & contritionem in nomine Christi iam tanquã ad Christi calicẽ venistis, & ibi vos estis in mensa: & in calice nobiscũ vos estis. simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul viuimus. Itẽ in sermone de infantibus: Ita dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysteriũ pacis & vnitatis nostræ in mẽsa cõsecrauit. Qui accipit mysteriũ vnitatis, & nõ tenet vinculũ pacis: non mysteriũ accipit pro se, sed testimoniũ cõtra se. Nulli est aliquatenus dubitandũ, vnũquenque fideliũ corporis & sanguinis dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrũ efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiam si antequam panem illum comedat, calicemq; bibat, de hoc seculo migrauerit, in vnitate corporis Christi constitutus. sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabitur, quãdo in se hoc quod illud sacramentum significat inuenitur.

ITEM in libro sententiarum Prosperi.

Dum hostia frangitur, passio Christi ad memoriam redit. 37

CVm frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fideliũ funditur, quid aliud quàm dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?

ITEM Leo episcopus & sancta synodus quæ in vrbe Romana conuenit, clero Honorati & plebi consistenti Constantinopoli ita scribit. *Leo 1. epi. 22.*

De veritate corporis & sanguinis Christi, nulli ambigere licet. 38

IN quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuerũt, vt nec auditu discerẽt, vel lectione cognoscerent quod in ecclesia in omniũ ore tam consonũ est, vt nec ab infantiũ linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communionis sacramẽta doceatur, quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc impertitur, hoc sumitur, vt accipiẽtes virtutẽ cælestis cibi, in carnem ipsius qui caro nostra factus est, trãseamus. Idẽ est cibus refectionis, & cibus san- *15. pars.*

Ioan.6.f guinis. Sicut enim caro domini verè est cibus, ita sanguis verè est potus. Idē est corpus. Vnde dictū est. Caro mea verè est *Ibidem.* cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus aquilæ sunt, qui alijs circumuolant spiritualibus. vnde & idē corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes. Idē. Cuius clarè argumentis vtimur, suis vtamur exēplis: incarnationis quoque exēplo astruamus mysterij veritatē. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturā sit ipse Christus partus ex virgine?

a August. sic in magn. Iuo. p. 2.

ITEM [a] Ambr. in libro de catechizandis rudibus.

Non natura nascitur, sed consecratione nobis conficitur corpus & sanguis Christi. 9

PAnis & calix non qualibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. proinde quòd ita sit nobis, quāuis sit panis & calix, alimentum est [b] resurrectionis, non sacramentum religionis? non quod benedicimus, gratiasque agimus domino in omni eius munere non tantum spirituali, verumetiam corporali. IDEM in libro de Officijs.

b In Iuo. Victor. leg. refectionis.

Amb. ca. 9. de ijs qui mysteriis initiantur.

Quod ante benedictionem est species panis & vini, post benedictionē est corpus & sanguis Christi. 40

c In mag. Iuo. alia.

ANte benedictionem [c] illa species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur. Itē in illo sacramento Christus est. Item: Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.

ITEM Augustinus in lib. sentent. Prosperi.

Sub specie panis & vini, inuisibilem Christi carnem & sanguinem honoramus. 41

NOs autem in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnē & sanguinem honoramus: nec similiter comprehendimus has duas species quemadmodum ante consecrationē cōprehendebamus: cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinē, quod benedictio consecrauit. ITEM.

Iuo similiter refert libro 1. 16. pars.

Confessio Berengarij. 42

EGo Berengarius indignus ecclesiæ sancti Mauricij Andegauensis ecclesiæ diaconus, cognoscens veram catholicam & apostolicam fidem, anathematizo omnē hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur panem & vinū quæ in altari ponuntur, post consecrationē solùmodo sacramentū, & nō verū corpus & sanguinē domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem S. Romanæ eccles. & apost. sedi: & ore & corde profiteor de sacramentis dominicæ mensæ

sæ

sæ eandem fidem me tenere quā dominus & venerabilis papa Nicolaus, & hęc sancta synodus auctoritate euāgelica, & apostolica tenendā tradidit, mihiq; firmauit: scilicet panē & vinū quæ in altari ponuntur, post consecrationē nō solū sacramentum, sed etiā verum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solū sacramentū, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fideliū dentibus atteri: iurans per sanctā & homousion trinitatē, & per hæc sacrosancta Christi euangelia, eos qui contra hanc fidē venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando cōtra hoc aliquid sentire aut prædicare pręsumpsero, canonū seueritati subiaceā. Lecto & perlecto sponte subscripsi. Hanc confessionem suæ fidei de corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi à Berengario Romæ corā cxiiij. episcopis factā, misit papa Nicolaus per vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcunque loca fama prauitatis eius peruenire ante potuit, vt ecclesiæ quæ prius doluerant de auerso atque peruerso, postea gaudeant de reuerso atque conuerso. ITEM in libro de Officiis. *Amb. ca. 1. lib. 6. de sacramētis*

Quare elementorum species reseruentur, cùm verè sit corpus Christi & sanguis. 43

Fortè dicas, quomodo vera caro, quomodo verus sanguis, quia similitudinem non video carnis, non video sanguinis veritatē? Primo omniū dixi tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & cōuertere genera & instituta naturę. deinde vbi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quod carnē suam daret ad manducādum: & sanguinem suum ad bibendum, recedebāt: solus tamen Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes: & ego à te quomodo recedam? Ne igitur plures hoc dicerēt, & ne veluti quidā esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptoris: ideo in similitudine quidē accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiā virtutémq; consequeris. Ego sum (inquit) panis viuus, qui de cælo descendi. *Ex magn. Iuo.* *Ioan. 6. g* *Ioan. 6. d*

ITEM August. in expositione psalmi. liiij.

Non carnaliter, sed spiritualiter Christi corporis & sanguinem debemus accipere. 44

Prima quidē (inquit) hęresis in discipulis Christi velut à duritia eius sermonis facta est. Cùm enim diceret: Nisi quis manducauerit carnē meā, & biberit sanguinē meū, non habebit vitam æternā: illi verò nō intelligentes dixerunt* adinuicem: Durus est hic sermo: quis eū potest manducare? dicentes, durus est hic sermo: separauerunt se ab illo, & remāsit cū duodecim discipulis. discedētibus illis instruxit eos qui remanserunt, spiritus est (inquit) qui viuificat, caro nihil prodest. verba quæ locutus sum ad vos, spiritus & vita sunt. intellexistis *Ex magno Iuo.* *Ioan. 6. f* **Audite.*

spiritualiter? spiritus & vita sunt. intellexistis carnaliter? etiã sic illa spiritus & vita sunt: sed tibi non sunt spiritus & vita, qui spiritualiter non intelligis, spiritualiter intelligite quæ locutus sum, non hoc corpus quod videtis, mãducaturi estis, & bibituri illũ sanguinem quē effusuri sunt qui me crucifigent. sacramentũ aliquod vobis commendaui. spiritualiter intellectũ viuificat vos. caro autē non prodest quicquam. sed quomodo illi intellexerunt, sic responderunt. Carnē quippe sic intellexerunt, sicut in cadauere vēditur, aut in macello dilaniatur. Sciēs autem Iesus ait: Hoc vos scandalizat quia dixi, do vobis carnē meam manducare, & sanguinē meũ bibere. Si ergo videritis filiũ hominis ascendentē vbi prius erat, quid est hoc? Hìc soluit quod illos mouerat: hic aperit vnde fuerunt scandalizati, hìc plane, si intelligerent. Illi autem putabant erogaturũ corpus suum. Ille dixit se ascensurum in cælum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius: certè vel tunc videbitis quia nõ eo modo quo putatis, erogat corpus suum: vel tunc intelligetis quia gratia eius non consumitur morsibus. Item donec sæculum finiatur, sursum dominus est: sed tamen etiam hìc nobiscum est veritas domini. corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet, veritas autem eius vbique diffusa est.

Ioann. 6, a

ITEM August. in epistola ad Hirenæum.

Iuo lib. 1. de sacra. euchar. mal. corpus & sanguis.
Ex eo. ibid.

Quomodo christi corpus quod in cruce pependit, accipitur, & quomodo non. 45

NOn hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem effusuri sunt illi qui me crucifigent. ipsum quidem, & non ipsum: ipsum inuisibiliter, & non ipsum visibiliter. Vnde & subditur: si necesse est illud celebrari visibiliter, necesse est illud inuisibiliter intelligi.

Iuo ibid. refert.

ITEM Augustinus in sermone de verbis euangelij.

Quid sit corpus christi manducare, & sanguinem eius bibere. 46

Ex eod.

QVid est Christum mãducare? Non hoc est solum in sacramento corpus eius accipere. multi enim indignè accipiunt, de quibus ait apostolus: Qui manducat & bibit calicem domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Sed quomodo manducãdus est Christus? Quomodo ipse dixit: Qui enim manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum: in me manet, & ego in eo. Et si indignè accipit sacramentum, acquirit tormentum magnum.

1. Cor. 11. g
Ioan. 5. f

Tract. 25. ad cap. 6. Ioann.

ITEM August. in libro de remedio pœnitentiæ.

credere in christum, est manducare & bibere christum. 47

VT quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti. credere enim in eum hoc est, panem & vinum manducare. qui credit in eum, manducat eum.

ITEM

ITEM Augustinus in lib. senten. Prosperi.

Sacramentum & res sacramenti sacrificium ecclesiæ conficiunt. 48

HOc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificiū ecclesiæ duob' modis cōfici, duobus constare, visibili elemētorum specie, & inuisibili domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: & sacramēto, & re sacramenti, id est corpore Christi, sicut Christi persona constat, & cōficitur ex deo & homine: cū ipse Christus verus sit de', & verus sit homo: quia omnis res illarum rerū naturam & veritatē in se continet, ex quibus conficitur. Cōficitur aūt sacrificium ecclesiæ duobus, sacramento, & re sacramenti, id est corpore Christi. est igitur sacramentū & res sacramēti corpus Christi.

Itē. Caro eius est quam forma panis opertā in sacramento accipimus, & sanguis eius quem sub vini specie & sapore potamus: caro videlicet carnis, & sanguis est sacramentū sanguinis: carne & sanguine vtroq; inuisibili, spirituali, intelligibili signatur visibile domini nostri Iesu Christi corpus, & palpabile, plenum gratia omniū virtutū, & diuina maiestate. Item. Sicut ergo cœlestis panis qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cū reuera sit sacramentū corporis Christi, illius videlicet quod visibile, quod palpabile, mortale, in cruce positū est, vocaturq; ipsa immolatio carnis quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, nō rei veritate, sed significante mysterio: sic sacramentū fidei quod baptismus intelligitur, fides est.

Aug. epi. 23. ad Bonifacium.

Hieronym. in epistola ad Ephesios.

Ad cap. I.

Quot modis caro Christi intelligatur. 49

Ex mag. Iuo. Ioan. 6. f

DVpliciter intelligitur caro Christi & sanguis, vel spiritualis illa atq; diuina de qua ipse ait, Caro mea verè est cib', & sanguis meus vere est potus. &c. Nisi carnem meam manducaueritis, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitā æternam. Vel caro mea quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea. ITEM Augustinus in libro de trinitate ad Corinthios.

2. Cor. 5. c. Psal. 21.

De eodem. 50

Aug. in expositionis 2. præfatione.

QVia morte domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potādo carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt significamus. ITEM in psalmo vigesimo.

Quomodo Christus sit immolatus semel, & quomodo quotidie immolatur. 51

17. parti. 1. Petr. 3. c Roman. 6. b

SEmel Christus mortuus est, iustus pro iniustis, & scimus. & certū habemus, & spe immobili retinem': quia Christus resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra nō dominabitur, verba ista apostoli sunt, tamē ne obliuiscamini quod

ſemel factum eſt, in memoria noſtra ſit omni anno quotiens paſcha celebratur, nunquid totiens Chriſtus occiditur? Non, ſed anniuerſaria recordatio repręſentat quod olim factū eſt, & ſic nos facit moueri tanquam videamus præſentē dominum in cruce. ITEM in libro ſententiarum Proſperi. 52

Aug. epiſt. 23. ad Bonifacium.

SEmel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. quod ita intelligendum eſt: quia in manifeſtatiōe ſui corporis, in diſtinctione ſuorū membrorum omniū verus deus & verus homo ſemel tantū in cruce pependit, offerens patri ſeipſum hoſtiam viuam & paſſibilem mortalem, viuorum & mortuorum redemptionis efficacem, eorum ſcilicet quos altitudo diuini conſilij redimendos iudicauit, præſciuit, prædeſtinauit, vocauit modis atq; temporibus quibus id fieri congruebat.

ITEM Ambroſius in epiſtola ad Hebræos.

Hoſtia quæ ſemel oblata eſt, in recordationem ſuæ mortis quotidie offertur. 53

IN Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternā potens. quid ergo nos? nónne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius & vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo eſt vna, non multæ? Quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autē ſacrificium exēplum eſt illius: idipſum, & ſemper idipſum. proinde hoc idem eſt ſacrificium. Alioquin dicetur: quoniā in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? nequaquam, ſed vnus vbiq; Chriſtus, & hic plenus exiſtēs, & illic plenus. ſicut enim quod vbiq; offertur vnū eſt corpus, & nō multa corpora: ita & vnum ſacrificiū. Pontifex autē ille eſt qui hoſtiam obtulit nos mundantē. Itē ipſam offerimus etiam nunc quæ tunc oblata eſt. conſumi non poteſt. Quod nos facimus, in cōmemorationē fit eius quod factum eſt. hoc enim facite (ait) in meam commemorationem.

Epiſt. 118. ITEM Auguſtinus in lib. Reſponſionum ad Ianuarium.

Sacramentum corporis Chriſti non niſi ieiuni debemus accipere. 54

18. pars.

LIquido apparet quādo primo acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem domini, non eos accepiſſe ieiunos. nūquid tamen propterea calumniandū eſt vniuerſæ eccleſię quòd à ieiunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit ſpiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramēti prius in os Chriſtiani dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Neq; enim quia poſt cibos dominus dedit propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendū conuenire debent, aut ſicut faciebāt quos apoſtolus redarguit & emēdat, mēſis ſuis iſta miſcere. Nāq; ſaluator quo vehemētius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorū, à qui-

à quibus erat ad passionem digressurus: & ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locū. Nam si hoc ille monuisset, vt post alios cibos semper reciperetur: credo quòd eū morem nemo mutasset. Cùm vero ait apostolus de hoc sacramēto loquēs. Propter quod fratres cum conueneritis ad manducandum, inuicē expectate: si quis esurit, domi māducet: vt non ad iudiciū conueniatis, statim subtexuit quę ad eiusdē sacramenti ordinē pertinent, scilicet, quomodo ieiuni, &c. Cætera autē cùm venero ordinabo. vbi datur intelligi: quia multum erat vt epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quod vniuersa per orbem seruat ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla horarum diuersitate variatur. 1. Cor. 11. g

ITEM Ambrosius in libro de sacramentis. Cap. 4. lib. 4.

Ante consecrationem est panis: sed verbis Christi in eius corpus mutatur. 55

PAnis est in altari vsitatus ante verba sacramentorū. vbi accessit cōsecratio, de pane fit caro Christi. hoc igitur astruamus. Quomodo autē potest quod panis est, esse corpus Christi? cōsecratio aut quibus verbis, & cuius sermonibus? Domini est Iesu. Nā per reliqua omnia quæ in superioribus à sacerdote dicuntur, laus deo refertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem sacrificium conficitur, iam nō suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. ergo sermone Christi hoc conficitur sacramentum. Quis sermo Christi? Hic quo facta sunt omnia. Iussit dominus, & facta sunt cœlum & terra & mare. Vides ergo quomodo operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperet esse quod non erat: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? & sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi: & vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non video, sed habet similitudinē. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam sanguinis similitudinē bibis, vt nullus horror cruoris sit, & precium tamen redemptionis operetur. Didicisti quia accipis corpus Christi. vis scire quia verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. dicit sacerdos: Fac nobis (inquit) hanc oblationem ascriptam, rationabilem &c. Inde omnia illa euangelistæ sunt vsque ad id: Accipite siue corpus siue sanguinem, inde verba sunt Christi: Accipite & bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus. Vide singula. Qui pridie quàm pateretur, accepit (inquit) in sanctis manibus panem. Antequam conse-

19. pars.

Gene. 1. a

secretur, panis est: vbi autem verba Christi accesserunt, corpus Christi est. deinde audi dicentem: Accipite & edite ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum. & ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus. vbi verba Christi operata fuerunt, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo vide quàm potens est sermo Christi vniuersa conuertere. deinde ipse Christus testificatur quòd corpus suum & sanguinē suum accipiamus, de cuius fide & testificatione dubitare non

Ambr. c. 4. li. 5. de sacramentis. debemus. IDEM.

Non corpus, sed animæ substantiam fulcit panis vitæ æternæ. 56

NOn iste panis est qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostrę substantiam fulcit. iste panis quotidianus est, accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. sic viue, vt quotidie merearis accipere.

ITEM August. in epist. ad Hirenæum.

Etiam secundum carnem Christus est panis viuus. 57

Ioan. 6. e.

CHristus panis est, de quo qui manducat, viuit in æternū: de quo ipsemet dixit: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, &c. determinat quomodo sit panis, nō solum secundum verbum quo viuunt omnia: sed secundum carnem assumptam pro mundi vita. humana enim caro quę erat peccato mortua, carni mundæ vnita, incorporata, vnum cum illa effecta, viuunt de spiritu eius, sicut vnū corpus de suo spiritu. qui verò non est de corpore Christi, non viuit de spiritu

Aug. serm. 2. de verbis apostoli. Christi. ITEM Augustinus.

Quomodo Christus visibiliter in sacramentis, spiritualiter manducatur & bibitur. 58

QVi manducant & bibunt Christum, vitam manducant & bibunt. Illum manducare, est refici: illum bibere, est viuere. Quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur. Manducatur Christus, viuit manducatus: quia resurrexit occisus. Nec quando mādu-camus, partes de illo facimus, & quidem in sacramento sic fit, & norunt fideles quomodo manducent carnem Christi, vnusquisque accipit partem suam: vnde & ipsa gratia partes vocātur. Per partes manducatur, & manet integer totus in corde tuo. Totus erat apud patrem quando venit in virginē. impleuit illam, nec recessit ab illo. quod videtur, panis est & calix: quod etiā oculi renunciant. quod autē fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. ista ideo dicuntur sacramenta: quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. quod videtur, speciem habet corporalem. quod intelligitur, fructū habet spiritualem: qui accipit mysterium vnitatis, & nō tenet

Tract. 26. ad cap. 6. Ioannis. vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimoniū contra se. ITEM super Ioannem.

Quomodo

Quomodo spiritualiter corpus christi sit accipiendum. 59

CRedere in Iesum Christum, hoc est manducare panem viuum: qui credit, manducat. Inuisibiliter saginatur: quia inuisibiliter renascitur. & qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Participatione enim filij (quod est per vnitatem corporis Christi & sanguinis) homo manducans viuit, non sumens tantũ in sacramento (quod mali faciunt) sed vsque ad spiritus participationem, vt in corpore domini tanquam membrum maneat, & eius spiritu vegetetur: quod est dum eius mandata seruat. Ad altare dei inuisibile (quo non accedit iniustus) ille peruenit, qui ad hoc præsens iustificatus accedit. Inueniet illic vitam, qui hic discernit causam suam.

ITEM in libro quarto de trinitate. *Cap. 4. lib. 3. de trinitate.*

Spiritus sanctus inuisibiliter corpus & sanguinem christi sanctificat. 60

COrpus & sanguinẽ Christi dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum rectè sumimus ad salutẽ spiritualem in memoriam dominicæ passionis: quod cùm per manus hominis ad illam visibilẽ speciẽ perducatur, non sanctificatur vt sit tam magnum sacramentũ nisi operante inuisibiliter spiritu dei: cùm per hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, deus operetur.

ITEM. *Beda ad cap. 10 1. ad Corint. ex eodem refert.*

Per benedictionem panis efficitur corpus Christi. 61

NOn omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus. IDEM. *Beda ibidem.*

Dupliciter corpus Christi intelligitur. 62

COmmendauit enim Christus in hoc sacramento corpus & sanguinem suum: quod etiam fecit & nosipsos. nam & nos corpus ipsius facti sumus. ITEM. *Aug. tract. 26. ad ca. 6. Ioan.*

Sacrificium altaris sacramentum est vnitatis. 63

HOc sacramentum pietatis est, & signum vnitatis: vinculũ charitatis. qui vult viuere, accedat & credat, & incorporet hunc cibum & potum. societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est ecclesia in prædestinatis. *Aug. tract. 26. ad cap. 6. Ioan.*

ITEM.

Spiritualiter magis quàm corporaliter corpus christi debemus accipere. 64

PAnem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare. Peccata etsi sint quotidiana, vel nõ sint mortifera. Antequã accedatis, dimittite debitoribus vestris. Si dimittis, dimittetur tibi. Securus accede, panis est, & non venenum.* Sed vide si dimittis, ne mentiaris deo, quem non fallis. Mentiri deo potes, ipsum fallere non potes. ITEM. *2. pars.* **al. ementium.* *Cap. 339. libro sentent. ex Aug.*

Sacra-

Sacramentum non veritatem Christi corporis accipit qui ab eo discordat. 65

QVi discordat à Christo, non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, et si ante rei sacramentum ad iudicium
Aug. tract. 6. ad suæ perditionis quotidie accipit. ITEM.

c. 1. Ioannis. *Sancta nocent malis: & mala prosunt bonis.* 66

ET sancta malis possunt obesse: bonis sunt ad salutem, ma-
1. Cor. 11 g lis ad iudicium. vnde Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, nō quia res illa ma-
Ioan. 13 c la est, sed quia malus malè accipit quod bonum est. Nō enim mala erat buccella quæ Iudæ data est à domino. Salutem medicus dedit: sed quia ille qui indignus erat, accepit, ad perniciem sui accepit. Et mala prosunt bonis: sicut angelus satanæ
2. Cor. 12. profuit Paulo. per malum enim fit bonum, cùm bene accipitur malum. IDEM.

Non prohibentur mali de mensa domini manducare. 67

NOn prohibeat dispensator manducare pingues terræ in
Au. ca. 8. lib. 5. mensa domini: sed exactorem moneat timere. IDEM.

de baptismo. *Et qui indignè accipit: corpus Christi accipit.* 68

Ioan. 13. c SIcut Iudas cui buccellam tradidit Christus: non malū tradendo sed bonum malè accipiendo locum præbuit diabolo: sic indignè quisq; sumens corpus Christi, nō efficit vt quia malus est, malū sit, aut quia nō ad salutem accipit: nihil accipiat. Corpus enim & sanguis domini nihilomin⁹ in illis erat
1. Cor. 11. g quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium
Cap 9. li de iis sibi manducat & bibit. ITEM Ambro. de sacramentis.

qui mysteriis ini *Quibus exemplis præter naturam substantiā panis & vini in corpus & sanguinem Christi conuerti probetur.* 69
tiantur.

21 pars.
REuera mirabile est quòd deus manna pluit patribus, &
Deuter. 8. a quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde dictū est: Pa-
Psal 77. nem angelorum manducauit homo. sed tamen panem illum
Exod. 16 d qui manducauerūt: omnes in deserto mortui sunt. Ista autem
Sapien. 16 esca quam accipitis: iste panis viuus qui de cęlo descendit: vi-
Deut. 1. & 2. tæ æternæ substantiam ministrat: & quicunque panem hunc manducauerit, non morietur in æternum: quia corpus est
Ioan. 6. f Christi. Considera præstantior vtrum nunc sit panis angelorum: an caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ. Manna illud de cœlo: hoc super cœlum. illud cœli: hoc domini cœlorum. illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur: hoc alienum ab omni corruptione quicunque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit. illis aqua de petra
Num. 20. b fluxit: tibi sanguis ex Christo. illos ad horam satiauit aqua: te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & sitit: tu cùm biberis, sitire non poteris. illud in vmbra: hoc in veritate. Si illud quod miraris, vmbra est: quantū istud, cuius vmbram miraris?

raris? Audi quia vmbra est quæ apud patres facta est. bibebant (inquit) de spirituali consequente eos petra: petra autem erat 1.Cor.10. Christus: sed non in pluribus eorum complacitum est Deo. nã prostrati sunt in deserto. hæc autem facta sunt in figura nostri. Cognouisti potiora, potior enim lux quam vmbra: veritas quam figura: corpus creatoris quam manna de cœlo. Fortè dicas, Aliud video: quomodo tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam? Et hoc adhuc nobis superest vt probemus. quantis igitur vtimur exemplis vt probemus hoc non esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremque esse vim benedictionis quam naturæ: quia benedictione & natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, & Exod.7.c proiecit eam, & facta est serpens. rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Exod.4.a Vides ergo prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & virgæ. Currebant Aegypti flumina puro meatu aquarum: subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. non erat potus in fluuiis. rursus ad prophetæ preces cruor cessauit fluminũ: aquarum natura remeauit. Circumclusus erat vndique populus He Exod.14.a bræorum. hinc Aegyptiis vallatus, inde mari clausus. Virgam leuauit Moyses: separauit se aqua, & in murorum speciẽ congelauit: Psal.67. atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum Iosue 4.d cõtra naturam in sui fontis reuertitur exordiũ. nonne Nume.20.b claret naturam vel maritimorũ fluctuum vel fluuialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum: tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, vt sitiens Exod.15.d populus bibere non posset. misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit: quam infusa subitò gratia temperauit. Sub Helesæo propheta vni de filiis 4.Reg.6.a prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est: rogauit Helisæum qui amiserat ferrum, vt illud sibi acquireret. misit Helisæus lignum in aquam, & enatauit ferrum. vtique & hoc præter naturam factum cognouimus. grauior enim est ferri species quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris potentiæ esse dei gratiam, quàm naturam: & adhuc tamẽ propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret: quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi ipsa verba domini saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum va 4.Reg.1.d luit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo vt species elemẽtorum mutet? De totius mundi operibus legisti quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, Psal.148.

& crea-

& creata sunt. Sermo igitur Christi qui potuit ex nihilo facere quod nō erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erāt? Nō enim minus est dare quam mutare nouas naturas rebus. Sed quid argumētis vtimur? suis vtamur exēplis: incarnationis astruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præsensit cùm dominus Iesus ex Maria nasceretur? Si ordinē quærimus, viro mixta fœmina generare consueuerat. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc quod cōficimus, corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore: cùm præter naturam sit ipse dominus Iesus partus ex virgine? Verè vtiq; caro Christi, quæ crucifixa est: quæ sepulta est. Verè ergo illius carnis sacramentum est. Ipse clamat dominus Iesus. Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cęlestium alia species nominatur: post consecrationem Christi corpus verè dicitur.* Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationē aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. tu dicis amē, hoc est, verum est, quod os loquitur: mens intenta fateatur, quod sermo sonat, affectus sentiat.

** signatur.*

Beda ad cap. 10 1. ad Cor. ex eodem refert.

ITEM Augustinus in quodā sermone de verbis euangelij.

Quomodo per partes Christus manducatur, & integer permanet. 70

Ioan. 6 f.

INuitat dominus seruos, vt pręparet eis cibum seipsum. quis audeat manducare dominum suū? & tamen ait: Qui manducat me, viuit propter me. Quādo manducatur, vita manducatur: nec occiditur vt māducetur: sed mortuos viuificat. Quando manducatur, reficit, sed nō deficit. Manducatur Christus: viuit manducatus: quia resurrexit occisus: nec quando manducatur, partes de illo facimus. & quòd in sacramento sic fit, norunt fideles quēadmodum māducent carnē Christi. vnusquisq; partem suam accipit. per partes manducatur, & manet integer totus. per partes manducatur in sacramento: manet integer totus in cælo: manet integer totus in corde tuo.

ITEM Paschasius papa de corpore & sanguine Christi.

Quotidianum sacrificium non reiteratio est paßionis Christi, sed commemoratio. 71

22. pars.

Rom. 6.

ITeratur quotide hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne, per vnam eandemq; mortis passionē semel saluauerit mundum: ex qua morte idem resurgens ad vitam, mors illi vltra non dominabitur, qui profecto sapientia dei patris necessarium pro multis causis hoc prouidit. Primò quidē, quia quotidie peccamus, saltē in peccatis sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: quia licet omnia peccata sint donata in baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne remanet. vnde psalmista: Benedic anima mea domino, qui propitiatur omni-

Psalm. 102.

omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Et ideo quia quotidie labimur, quotidie Christus myſticè pro nobis immolatur: & paſſio Christi in myſterio traditur, vt qui ſemel moriẽdo mortẽ vicerat, quotidie recidiua delictorũ per hæc ſacramẽta corporis & ſanguinis peccata relaxet. vnde oramus: Dimitte nobis debita noſtra, &c. Quia ſi dixerimus quia peccatũ nõ habemus, noſmetipſos ſeducimus: & veritas in nobis nõ eſt. Item iteratur hoc myſterium: & ob hoc cõmemorationẽ paſſionis Christi, ſicut ipſe ait: Hoc quotiẽſcunque feceritis, in meam cõmemorationem facietis. Quotiẽſcunq; ergo hunc panẽ ſumitis, & bibitis hunc ſanguinẽ: mortem domini annunciabitis donec veniat. Non vtiq; ſic eſt accipiendum, donec mors Christi veniat: quia iam vltra nõ moritur, ſed donec ipſe dominus ad iudicium veniat. Interdum autem ſemper eſt mors Christi per ſeculi vitam poſteris annunciãda, vt diſcant qua charitate dilexit ſuos, qui pro eis mori dignatus eſt: cui omnes debemus vicẽ rependere charitatis, quia ad hoc nos prior dilexit cùm eſſemus gehennæ filij: vt diligeremus eum iam à morte liberati. ITEM Auguſt.

Matth.6.b. — *1.Ioan.1.* — *Luc.22.* — *1.Cor.11.*

Non ſolum ſub figura, ſed & in veritate dominici corporis & ſanguinis ſacramentum celebratur. 72

VTrum ſub figura, an ſub veritate hoc myſticum calicis ſacramentum fiat, veritas ait: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. alioquin quomodo magnum erit: panis quem ego dabo caro mea eſt pro mũdi vita, niſi vera ſit caro? Sed quia Christum fas vorari dentibus nõ eſt, voluit dominus hunc panem & vinum in myſterio verè carnẽ ſuam & ſanguinem ſuum conſecratione ſpiritus ſancti potentialiter creari: & quotidie pro mundi vita myſticè immolari: vt ſicut de virgine per ſpiritum ſanctum vera caro ſine coitu creatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè idem corpus Christi conſecretur. Corpus Christi & veritas & figura eſt: veritas dum corpus Christi & ſanguis virtute ſpiritus ſancti in virtute ipſius ex panis & vini ſubſtantia efficitur. Figura verò eſt id quod exterius ſentitur. Iteratur autem quotidie hæc oblatio, licet Christus ſemel paſſus ſit: quia quotide peccamus peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt. Et ideo quia quotidie labimur, Christus quotidie myſticè pro nobis immolatur. Intra ſanctam eccleſiam catholicam in myſterio corporis Christi nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia non in merito conſeſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in merito eſſet ſacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per ſpiritum ſanctum hanc ſuã efficit carnem,

Ioan.9.f.

&

& transit vinum in sanguinem. vnde & sacerdos: Iube inquit, hoc perferri per manus angeli tui sancti in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ. Vt quid deferenda in lucem desposcit, nisi vt intelligatur quòd ista fiant in sacerdotio? Hanc igitur oblationem benedictam, per quam benedicimur: asscriptam, per quam omnes in cælo asscribimur: ratam, per quam in visceribus Christi esse censeamur: rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilem, vt qui nobisipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio simus. nihil rationabilius, vt quia nos iam similitudinem mortis eius in baptismo accepimus: similitudinē quoque carnis & sanguinis sumamus, ita vt & veritas non desit in sacramento, & ridiculum nullum fiat à paganis quòd cruorem occisi hominis bibamus. Si enim discipuli patienter ferre nequiuerunt quod dominus dixit: Qui non manducat meam carnem, &c. sed dixerunt: Durus est hic sermo: quomodo ergo ferrent ista increduli? Credendum est quod in verbis Christi sacramenta conficiantur. cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreantur. Reliqua omnia quæ sacerdos dicit, aut clerus chori canit: nihil aliud quàm laudes & gratiarum actiones sunt: aut certè obsecrationes & fidelium petitiones. Vnde & sacerdos dicit prius euangelistarum verba assumens: Qui pridie quàm pateretur & cætera. In hoc ergo creatur illud corpus.

Ioan 6. f.

Hom 22. euangeliorum.

ITEM Greg. papa in Homil. paschali.

In sanguine agni Christi sanguis qui verè nunc sumitur, olim præfigurabatur. 73

QVid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrúque postem ponitur: quādo non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Itē: Hæc salutaris victima illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat: qui licet resurgens à mortuis iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur: tamen in seipso immortaliter & incorruptibiliter viuēs, iterum in hoc mysterio moritur, eius quoque vbique corpus sumitur, eius caro in populi salutem *patitur: eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in fidelium ora profunditur. Hinc ergo pēsemus quale sit hoc sacramentum quod pro absolutione nostra passionē vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri? in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse? summa & ima sociari, vnumque ex inuisibilibus atque visibilibus fieri? Idem. Vno, inquit, eodémque tempore ac momento in cælo rapitur mysterio angelorum corpori Christi sociandus: & ante oculos sacerdotis in altari videtur.

Exod. 12. d.

Rom. 12.

**partitur.*

tanta

tanta est ecclesiæ vnitas in Christo, vt vnus vbique sit panis corporis Christi:& vnus sit calix sanguinis eius. Calix enim quem sacerdos catholicus sacrificat, non est alius nisi ipse quem dominus apostolis tradidit: quia sicut diuinitas verbi Dei vita est quæ totum implet mundum: ita licet multis locis & innumerabilibus diebus illic consecretur corpus: non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed vnum corpus Christi, & vnus sanguis cũ illo quod sumpsit in vtero virginis,& quod dedit apostolis. Diuinitas enim verbi replet illud quod vbique est,& coniungit, & facit vt sicut ipsa vna est, ita & vnũ eius corpus sit in veritate. vnde animaduertendũ est quia siue plus siue minus quis inde percipiat: omnes æqualiter corpus Christi integerrimè sumũt, & generaliter omnes, & specialiter vnusquisq;. Item mysteriũ fidei dicitur quod credere debes: quòd ibi salus nostra consistit. Prouidẽs enim dominus nobis dedit hoc sacramentum salutis: vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest: per istud sacramentũ peccatorũ remissionem cõsequamur. Quotidie enim ipse comeditur & bibitur in veritate: sed integer & viuus atq; immaculatus manet. & ideo magnum & pauendum est mysterium: quia aliud videtur,& aliud intelligitur. sed cùm mysterium sit vnũ corpus,& sanguis dicitur: figurã panis & vini habet faciente domino: quia non habemus in vsu carnem crudam comedere & bibere sanguinem. ITEM Ambrosius.

Post consecrationem licet figura panis & vini remaneat, tamen nihil est ibi nisi corpus & sanguis Christi. 74

OMnia quæcunque voluit dominus fecit in cælo & in terra:& quia voluit sic, factũ est ita. Licet figura panis & vi- *Psalm.134.*
ni videatur, nihil tamẽ aliud quàm caro Christi & sanguis post
consecrationẽ credendum est. Vnde ipsa veritas ait ad discipu
los. Hæc (inquit) caro mea est pro mũdi vita. (& vt mirabilius *Ioan. 9.*
loquar) non alia plane quàm quæ nata est de Maria, & passa
in cruce,& resurrexit de sepulchro. hæc inquã ipsa est. Et ideo
Christi caro est quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur: &
cum dignè accipitur, vitam vtique æternam in nobis operatur. Panem quidem istum quem sumimus in mysterio, illum
vtique intelligo panem qui manu sancti spiritus formatus est
in vtero virginis & igne passionis decoctus in ara crucis. Panis *Psal.77.*
enim angelorum factus est cibus hominũ, vnde ipse ait: Ego *Ioan.6.e.*
sum panis viuus, qui de cælo descendit. Et item: Panis quem *Ibidem.*
ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

» Ex his nanque duabus sententijs apertè datur intelligi, quia GRATIAN.
» panis iste & ille, nõ duo, sed vnus panis,& vna caro,& procul-
» dubio vnum corpus efficitur: illud verè, illud sanè quod sum-
» ptum est de virgne, quod passum est sepultum: quod surrexit,

h h & in

& in cælum ascendit, & sedet ad dexteram Dei patris: & quod est venturum iudicare viuos & mortuos.

Beda ad cap. 10 1. ad Co. refert.

ITEM Augustinus ex sermone de verbis domini.

Quamuis quotidie manducatur Christus, integer tamen permanet viuus. 75

Ioan. 6. f.

QVi manducat me, viuit propter me. non ergo fratres timeamus manducare panem istum, ne finiamus illum: & postea quod manducemus non inueniamus. manducatur Christus: viuit manducatus: quia surrexit occisus: nec quando manducamus partes de illo facimus. & quidē in sacramento sic fit: & norunt fideles quemadmodum manducent carnē Christi. vnusquisque accipit partē suam: vnde & ipsa gratia partes vocantur. per partes manducatur, & manet integer totus. per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cęlo. manet integer totus in corde tuo. totus enim erat apud patrem quando venit in virginem, impleuit illam: nec recessit ab illo. veniebat in carne, vt homines eum manducarent: & manebat integer apud patrē, vt angelos pasceret.

Orig. homil. 7. super Leuiticū.

ITEM Hieronymus in Leui.

Corpus & sanguinem Christi secundum se nulli edere licet. 76

DE hac quidē hostia quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet. de illa verò quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet.

ITEM in sermone dominicæ. v. post Epiphaniam.

Corpus Christi in singulis portionibus singuli totum accipiunt. 77

SInguli autem totum accipiunt Christum dominum: & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur: sed integrum se in singulis præbet. ITEM Hilarius papa.

De eodem. 78

Exod. 16. d.

VBi pars est corporis, est & totum: eadē ratio est in corpore domini, quæ in māna, quod in eius figura pręcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, habuit minus. non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis. IDEM.

Corpus Christi quod sumitur, & figura est in specie, & veritas in substantia. 79

COrpus Christi quod sumitur de altari, figura est dum panis & vinum videtur extra: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur.

ITEM ex symbolo Ephesino.

Carnem viuificatricem & ipsius verbi propriam factam in altari accipimus. 80

NEcessariè igitur & hoc adijcimus, incruentam celebramus in ecclesijs sacrificij seruitutē, & sanctificamur participes cor-

corporis & precioſi ſanguinis Chriſti: non vt communẽ carnem percipientes, nec viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, ſed verè viuificantem, & ipſius verbi propriam factam. ITEM Auguſtinus. *Tract. 26. ad cap. 6. Ioannis.*

Quomodo manna & aqua de petra fuit idem cum noſtro cibo & potu. 81

INquit apoſtolus: Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerũt: ſpiritualem vtiq; eandẽ, nam corporalem aliam: quia illi manna manducauerunt: nos aliud. & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. aliud illi, aliud nos: ſed ſpecie viſibili: quod tamen idem eſt virtute ſpirituali. *1. Cor. 10. a*

ITEM Hilarius de trinitate lib. viij. *Ferè ad medium lib. 8. 23. pars.*

Quod veritatem dominici corporis & ſanguinis ſumimus. 82

IN Chriſto pater, & Chriſtus in nobis: vnũ in his eſſe nos faciunt. Si verè igitur carnẽ corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille qui ex Maria natus eſt Chriſtus eſt: noſque verè ſub myſterio carnẽ corporis ſui ſumimus, & per hoc vnũ erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramentũ proprietas, perfectæ ſacramentũ ſit vnitatis? Non eſt humano aut ſeculi ſenſu de his* rebus loquendum, neq; per violentã atq; impudentem prædicationem dictorum cæleſtiũ ſanitati alienæ atq; impiæ intelligentiæ peruerſitas extorquenda eſt. De naturali enim Chriſti in nobis veritate quę dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atq; impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca: & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnẽ meam, & bibit ſanguinẽ meũ: in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis nõ eſt relictus ambigẽdi locus, nũc enim & ipſius domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: & hęc accepta atq; hauſta efficiũt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe deum negãt. Eſt ergo in nobis ipſe per carnẽ & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in deo eſt. Quòd autẽ in eo per ſacramentum cõmunicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autẽ me videbitis: quia ego viuo, & vos viuetis: quia ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis tantũ intelligi vnitatem vellet, cur gradũ quendã atq; ordinem conſummandæ vnitatis expoſuit? niſi vt cùm ipſe in patre per naturam diuinitatis eſſet: nos contrà in eo per corporalem eius natiuitatẽ, & ille rurſus in nobis per ſacramentorum in eſſe myſterium crederetur, ac ſic perfecta per mediatorem vnitas doceretur, cùm nobis in ſe manentibus, ipſe maneret in patre: & in patre manens, ipſe maneret in nobis: & ita ad vnitatem patris

** In dei rebus.*

Ioan. 6. f

Ioan. 14. c.

proficeremus cum eo, qui naturaliter secundum natiuitatē inest, nos quoq; in eo naturaliter inessemus: ipso in nobis naturaliter permanente. Quòd autem in nobis naturalis hæc vnitas sit, ipse ita testatus est. *Ioan.6.f.* Qui edit carnem meā, & bibit sanguinem meū, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tantum in se assumptā habens carnem, qui suā assumpserat. *Ibidem.* Item, Sicut misit me viuens pater, & ego viuo per patrē: & qui manducat carnē meam, & ipse viuet per me. Viuit ergo per patrē, & quomodo per patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus. Hæc verò vitæ nostræ causa est, quòd in nobis carnalibus manentem per carnē Christum habemus victuri per eum ea conditione qua viuit ille per patrē. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum viuimus id est, naturam carnis suæ adepti: quomodo non naturaliter secundū spiritū in se patrē habeat, cùm viuat ipse per patrē? Item. Hæc autem idcirco à nobis cōmemorata sunt, quia voluntatis tantum inter patrem & filium vnitatē hæretici mentiētes, vnitatis nostræ ad deum vtebantur exemplo tanquam nobis ad filium, & per filium ad patrem obsequio tantū ac voluntate religionis vnitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis naturalis cōmunionis proprietas indulgeretur, cùm & per honorē nobis datū dei filij, & per manentē in nobis carnaliter filiū, & nos in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitis, mysteriū veræ ac naturalis vnitatis sit prędicandū, id est corpus Christi quod sumitur de altari: figura est dum panis & vinum extra videtur, veritas autem dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur.

Cap.1.lib.5. ITEM Ambrosius in libro de sacramentis.

Quare in sacrificio aqua vino misceatur. 83

24.pars. IN calicem mittitur vinū & aqua. Sed dices: Quomodo ergo *Gene.14.* Melchisedech panē & vinum obtulit? quid sibi vult admixtio aquæ? *1.Cor.10.b.* Bibebant autem de consequenti eos petra, petra autē erat Christus. non immobilis petra, quæ populum sequebatur. & tu bibe, vt te Christus sequatur. vide mysteriū. Moyses, hoc est, propheta. virga, hoc est verbū dei. sacerdos verbo dei tangit petrā, & fluit aqua: & bibit populus dei. Redundat aqua in calice, salit sanguis in vitam æternam. Item. Accipite *Ioan.19.f.* & illud, de latere eius effluxit aqua & sanguis. Aqua vt emundaret, sanguis vt redimeret. Quare de latere? *Gene.2.f.* Quia vnde culpa, inde gratia, culpa per fœminā, gratia per Christum. Item audi *Psalm.22.* psalmū: *Ibidem.* vide quā apertus sit cælestibus sacramentis. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit &c. Virga tua & baculus tuus &c. virga est imperiū, baculus passio est. æterna deitas Christi, passi tēporalis. illa creauit, hęc redemit. Parasti in conspectu meo mensam, & poculum tuum inebrians quàm præclarū est.

Item.

Item. Quotiescunq; bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris spiritu. vnde & Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto. Itẽ: Pręclara est ebrietas quæ operatur sobrietatem mentis. Item fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panẽ nostrum quotidianũ da nobis hodie. Sanguine Christi pacificata sunt omnia in cælo & in terra, sanctificatũ est cælum, deiectus est diabolus, vbi versatur homo quẽ ille decepit. Dixi vobis quòd ante verba Christi quod offertur panis dicatur. vbi Christi verba deprõpta fuerĩt: non iã panis, sed corpus dicitur. Quare ergo in dominica oratione ait: Panem nostrum? Panem dixit quippe, sed ἐπιούσιον, hoc est supersubstantialem. ITEM in libro septimo.

Ephe. 5. d. *Matth. 6. b.*

Veram Christi carnem, & verum Christi sanguinem manducamus & bibimus. 84

Amb. ca. 1. li. 6 de sacramentis. *25. pars.*

SIcut est verus Dei filius dominus noster Iesus Christus, nõ quemadmodum homines per gratiã, sed quasi filius ex substantia patris: ita vera est Christi caro, sicut ipse dixit, quam accipimus: & verus sanguis eius potus. Item: Ego sum, inquit, panis viuus qui de cælo descendi. Sed caro non descendit de cælo. Quomodo ergo descendit de cælo panis viuus? Quia idem dominus Iesus cõsors est diuinitatis & corporis: & tu qui accipis carnem diuinę eius substãtiæ, in illo participas alimẽto. ITEM in libro de mysterijs.

Ioan. 6. e.

In sacrificio non corporalem, sed spiritualem escam accipimus. 85

Amb. cap. 9. de ijs qui mysterijs initiantur.

IN illo sacramẽto Christus est, quia corpus est Christi. nõ ergo corporalis esca. sed spiritualis. Vnde & Apostolus de typo eius ait: Quia patres nostri eandẽ escam spiritualẽ mãducauerunt. Corpus enim Dei est corpus spirituale: corpus Christi, corpus diuini spiritus est. ITEM in sermone de Abel & Cain.

1. Cor. 10. a.

Carnem à Christo susceptam & corpus transfiguratum in altari offerimus. 86

Amb. cap. 4. lib. de incarnationis dominicæ sacramento.

SI credis à Christo carnem esse susceptam, & offeras transfiguratum corpus in altari, nec tamen distinguis naturã verbi & corporis Christi, dicitur tibi: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. ITEM Hieronymus ad Eldibiam.

Quæst. 2. ad Hedibiam.

In cœna Christus fuit conuiua & conuiuium. 87

NEc Moyses dedit vobis panem verum, sed dominus Iesus ipse conuiua & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur. ITEM Hieronymus super Matthæum.

Ioan. 6. d.

In veritate sui corporis & sanguinis Christus suis discipulis præsentauit, quod Melchisedech sacramentaliter obtulit. 88

Ad cap. 26. Matthæi.

ACcipite & comedite, hoc est corpus meum. postquam typycum pascha fuit cõpletum, & agni carnes cum apostolis comederat: assumpsit panẽ, qui confortator est hominis: & ad verum paschę transit sacramẽtum: vt quomodo in præfiguratione

Matth. 26. c. *Gene. 14. d.*

ratione eius Melchisedech panem & vinum offerens fecerat: ipse quoque in veritate sui corporis & sanguinis repræsentaret. IDEM in libro de membris domini.

Hierony. lib. de his quæ deo in scripturis attribuuntur.

Christus idem est sacerdos & sacrificium. 89

Hebr. 7. a.

SAcerdos dei patris dicitur filius dei secundum humanitatem: in qua se pro nobis acceptabile sacrificium deo obtulit: vt sit ipse sacerdos qui est sacrificium.

ITEM Augustinus de vtilitate agendæ pœnitentiæ.

Iudæi credentes, biberunt sanguinem quem in cruce fuderunt. 90

Acto. 2. f.

TVnc eis Petrus annunciauit eum colendum quem crucifixerunt, vt eius sanguinem biberent credentes, quem fuderant sæuientes. IDEM in epistola ad Hirenæum.

Epi. 62.

Corpus quod ex virgine sumptum est, à fidelibus accipitur. 91

COrporeum illud manna nunc est tantu res miraculi: quia venit quod perfectum est. perfectus autem panis de cœlo, corpus est ex virgine natum.

Ad psal. 33.

IDEM in psalmo. xxxij. homil. ij.

Verum Christi corpus verúmque eius sanguinem quotidie manducamus & bibimus. 92

Matth. 26. c.

ACcesserunt ad Iesum Iudæi vt crucifigerent, nos accedamus vt corpus eius & sanguinem accipiamus. Item. Verè magnus deus, & magna misericordia eius: qui nobis dedit manducare corpus suũ, in quo tãta perpessus est, & sanguinem suũ bibere. Item in psal. xxviij. ad Iudæos. Iam & securi bibite sanguinem quẽ fudistis. Idem in psal. lxxv. Ipsum sanguinem quem per insaniã fuderunt, per gratiam biberũt. Item in psal. xxvij. De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Item in psal. xxxiiij. Dauid ferebatur manibus suis. Manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid, secundum literam non inuenimus: in Christo autem inuenimus. ferebatur enim Christus manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. ferebatur enim illud corpus in manibus suis. Idem super Ioannem tract. xxxv. Quousque biberẽt sanguinem quem fuderunt: desperauerunt. Idem in psalmo liiij. Iudæi pascebantur tanquam de pœna domini: & nos de cruce domini pascimur, quia corpus ipsius mãducamus. Habent ergo impij epulas suas, habent & pij suas. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. ITEM ex concilio Guamarcien.

Matth. 5. a.

Pro infirmantibus Eucharistiam presbyter semper habeat paratam. 93

26. pars. Iuo lib. 1. de sacramento Eucharist.

PResbyter Eucharistiam semper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum cõmunicet: ne sine communione moriatur. ITEM ex concilio Arelaten.

Pœniten-

Pœnitentia eius qui non bene sacrificium custodit. 94

QVi bene non custodierit sacrificium, & mus vel aliud aliquod animal illud comederit xl. diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia: aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit: triginta dies pœniteat.

27.pars.

Cyprianus Euaritio confratri salutem.

Epist.10. lib.1 ad Eucratium.

Magis & histrionibus sacra non committantur mysteria. 95

28. pars.

PRo dilectione tua consulendum me existimasti frater charissime quid mihi videatur de histrione & mago illo qui apud vos cõstitutus adhuc in artis suæ dedecore perseuerat: & magister & doctor non erudiendorũ, sed perdẽdorum puerorum id quod male didicit, cæteris quoq; insinuat: an talibus sacra cõmunio cũ cæteris christianis debeat dari, aut vobiscũ debeat cõmunicare. Puto nec maiestati diuinæ, nec euãgelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami cõtagione fœdetur. ITEM ex concilio Carthagi.iiij.

Cap.35.cont. Cartha.3.

Post conuersionem non est deneganda gratia communionis. 96

SCenicis atque histrionibus cæterisq; personis huiusmodi vel apostaticis conuersis vel reuersis ad dominũ, gratia vel reconciliatio non negetur. ITEM ex concilio Vrbico.

Presbyter in altari missam non celebret, in quo eadem die episcopus celebrauit. 97

IN altari in quo episcopus missam cantauit, presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat.

ITEM ex concilio Lugdunensi.

DISTINCTIO III.

DE FESTIS ET ECCLESIATICIS CEREMONIIS PROMVLGANDIS ET OBSERVANDIS.[a]

Tempora feriendi, in missa sunt laicis nuncianda. 1

[b] PRonunciandum est laicis, vt sciant tempora feriandi per annum, id est, omnem dominicam à vespera vsque ad vesperam: ne à Iudaismo capiantur. Feriandi verò per annum isti sunt dies. Natalis domini sancti Stephani[c], sancti Ioannis euangelistæ, Innocentum, sancti Siluestri, octaua domini. Theophaniæ, Purificatio[d] sanctæ Mariæ, sanctum Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio domini, sancti dies Pentecostes, sancti Ioannis baptistæ, duodecim apostolorum, & maximè sanctorum Petri & Pauli, qui mundũ sua prædicatiõe illuminauerũt. sancti Laurẽtij, Assumptio sanctæ Mariæ, Natiuitas sanctæ Mariæ, Ecclesiæ dedicatio; sancti Michaëlis archãgeli, Dedicatio cuiuscunque oratorij, & omnium sanctorum, & sancti Martini, & illæ festiuitates quas singuli episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudauerint, quę vicinis tãtum circummoran

a confer titulo ff. & Codicis D ferijs.

b Ex cõcilio Lugdunensi.

c Cõferatur Emmanuelis Comnen constitutio qu transcripsit Ba samon ad tit. septimũ Nomo canonis Photi

d Purification sanctæ Mariæ Græci non inte festos Theato dies, sed inter dominicas Domini nostri Ies Christi festiuitates referũt, ὑπαπαντὴν vo cant, id est oc cursum, quia e die Simeoni o currerit Christus, in cuius r memoriam sp ritu propheti co exclamauit Simeon, Nu dimittis &c. Ant. Cont.

tibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas verò festiuitates per annum non sunt cogendi ad feriendũ, nec prohibendi. Indictũ verò Ieiuniũ quando fuerit denunciatũ, ab omnibus obseruetur. ITEM ex concilio Toletano. iiij.

Cap. 23. conc. Toletani. 3.

In sanctorum solennitatibus diuinis officijs, non saltationibus vel cantilenis populi debent vacare. 2

IRreligiosa consuetudo est, quam vulgus per sanctorum solennitates & festiuitates agere consueuit. populi qui debent diuina officia attendere saltationibus turpibus inuigilant, cantica non solum mala canentes, sed etiam religiosorũ officijs perstrepũt. hoc enim vt ab omnibus prouincijs depellatur, sacerdotum & iudicum à concilio sancto curæ committitur.

Cap 29.

ITEM ex concilio Aurelianensi.

Ante ascensionem domini tribus diebus litaniæ celebrentur. 3

De litanijs ab episcopo Massiliensi institutis vide in epistolis Sidonij Apollinaris.

ROgationes, id est litanias, ante ascensionẽ domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in dominicę ascensionis solẽnitate soluatur per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & etiam quadragesimalibus cibis vtantur. ITEM ex concilio eodem.

Cap. 33.

Episcopus die dominico non desit ecclesiæ. 4

EPiscopus si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiæ cui proximus fuerit, die dominico deesse non debet.

Cap. 27.

ITEM ex eodem.

Hos dies ciuibus in villa celebrare non licet. 5

NVlli ciuium vnquam Paschæ, natalis domini, & quadragesimæ solennitatem in villa licet celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse. ITEM ex eodem.

Cap. 26.

Ante solennitatem Pascha quadragesima est celebranda. 6

SAcerdotibus omnibus decretum est, vt ante Paschæ solennitatem non quinquagesima sed quadragesima teneatur.

Cap. 50. synod. græca.

ITEM ex concilio Martini papæ.

Quinta feria vltima septimanæ quadragesimæ ieiunium solui non licet. 7

NOn liceat quinta feria fratres nouissimæ septimanæ ieiunium soluere, & omnem exhonorare xl. sed syncerè abstinentes totam xl. perexire. ITEM ex concilio Laodicen.

Cap. 50.

De eodem. 8

NOn oportet in xl. quinta feria vltimę hebdomadæ ieiuniũ dissolui, & totam xl. inhonorari: sed per totos dies ieiunare, & escis abstinentiæ cõuenientibus, id est aridioribus vti.

Cap. 12.

ITEM ex concilio Agathensi.

Exceptis diebus dominicis in quadragesima non soluatur ieiunium. 9

PLacuit vt omnes ecclesiæ (exceptis diebus dominicis) in xl. etiã in die sabbati sacerdotali oratione & discretionis communio-

munione ieiunent. ITEM ex conc. Niceno. Cap. 20.

Nec in die dominico, nec in diebus Pentecostes in oratione genua flectantur. 10

QVoniam sunt in die dominica quidam ad orationem genua flectentes. & in diebus Pentecostes: propterea statutum est à sancta synodo (quoniam consona & conueniens per omnes ecclesias custodienda cõsuetudo est) vt stantes ad orationem vota domino reddamus.

ITEM Leo papa quartus.

Quo tempore ab esu carnium sit abstinendum. 11

DE esu carnium apud nos vetustissima & non improbanda traditio semper est tenenda, vt à cœnæ termino quæ fit in principio noctis quartæ feriæ quæ lucescit in quarta feria, vsque in diluculum quintæ feriæ, & similiter à cœna noctis sextæ feriæ quæ lucescit in sexta feria, non imperitè ieiunatio vsque ad sabbati lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit vel debuerit, protendatur. 2. pars.

ITEM Greg. dilectissimis ciuibus Romæ. Epist. 3. lib. 11.

Nec die sabbati feriandum, nec die dominico lauacrum est prohibendum. 12

PEruenit ad me quosdã peruersi spiritus homines praua inter vos aliqua & sanctæ fidei aduersa seminasse, ita vt die sabbati aliquid operari prohiberent: quos quid aliud nisi antichristi prædicatores dixerimus? qui veniens diem sabbati atq; dominicum ab omni faciet opere custodiri: quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem dominicum: & quia populum iudaizare compellit, vt exteriorem legis ritum reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Aliud quoque ad me perlatum est vobis à peruersis hominibus esse prædicatum, vt dominico die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxuria & pro voluptate quis lauari appetit: hoc fieri nec reliquo quolibet die cõcedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec die dominico prohibemus. 3. pars.

ITEM Innocentius papa. Inno. 1. epist. 1. ad Decentium.

Ob reuerentiam sepulturæ dominicæ sabbato ieiunare debemus. 13

SAbbato verò ieiunandum esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem dominicam ob venerabilẽ resurrectionẽ domini nostri Iesu Christi, non solum in pascha celebramus, verumetiã per singulas hebdomadas ipsius diei imaginẽ frequentamus, ac sicut sexta feria propter passionem domini ieiunamus, sic sabbatum prętermittere nõ debemus: quoniam intra tristitiam & lętitiam temporis illius videtur inclusum. nam vtique cõstat apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudęorum se occultasse. quod vtique nõ dubium 4. pars.

est, intantum eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus nõ celebrari: quæ forma etiam per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius semper est celebranda. quòd si putant semel atque vno sabbato ieiunandum: ergo & dominica, & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebranda.

Ad episcopos Hispanorũ scribens. 5. pars.

ITEM Melchiades papa.

Die dominica & quinta feria non est celebrandum ieiunium. 14

IEiunium dominici diei & quintæ feriæ nemo celebrare debet, vt inter ieiunium Christianorum & Gentilium, vel veraciter credentium fidelium atque hæreticorum vera & non falsa discretio habeatur.

Cap. 2.

ITEM ex concilio Cæsaraugustino.

De eodem. 15

NE quis ieiunet die dominica causa timoris aut persuasionis, nec quadragesimarum diebus ab ecclesiis fideles desint, nec habitent in cubiculorum latibulis ac montium, qui in suspitionibus perseuerant: sed exemplum ac præceptum custodiant sacerdotum, & ad alienas villas agendorum cõuentuum causa non conueniant. ab vniuersis episcopis dictũ est, Anathema sit qui hoc commiserit.

Ivo lib. 2. refert ex Apollinario.

ITEM ex dictis sancti Apollonij.

Quarta & sexta feria sunt seruanda ieiunia. 16

6. pars.

IEiunia sanè legitima in quarta & sexta feria nõ sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit: quia quarta feria Iudas traditionẽ domini cogitauit. sexta feria crucifixus est saluator. Videbitur ergo qui in his diebus sine necessitate soluerit statuta ieiunia, vel cum tradente tradere saluatorem, vel cũ crucifigentibus crucifigere. Die autem dominica nihil aliud agendum est nisi deo vacandũ, nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum hymnis & psalmis & canticis spiritualibus dies illa transigatur.

Inn. 1. epi. 1. ad Decentiũ episc.

ITEM Innocentius papa.

Quinta feria vltima hebdomadæ quadragesimæ pœnitentes remißionem accipiant. 17

DE pœnitentibus verò qui siue ex grauioribus commissis siue ex leuioribus pœnitentiã gerunt: si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum esse Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat, cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis. Sanè si quis in ægritudinem ceciderit, atque vsque ad desperationem vitæ deuenerit, est ei ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione decedat.

Epistola secũda

ITEM Fabianus papa Orientalibus episc.

Singulis

Singulis annis quinta feria vltima hebdomadæ quadragesimæ nouum chrismæ conficiatur. 18

LIteris vestris inter cætera incertum inuenimus, quosdam religionis vestræ episcopos à vestro nostróque ordine discrepare, & non per singulos annos in cœna domini chrisma conficere. Errant verò qui talia excogitant, & mente væsana potius quàm recta sentientes hoc facere audent. Sicut enim ipsius diei solennitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus est tradēda: quia nouum sacramentum est, & per singulos annos in iam dicta die innouandum, & vetus in sanctis ecclesiis est cremandum. Ista à sanctis apostolis & successoribus eorū accepimus, & vobis tenenda mandamus.

ITEM Eusebius papa. — *Epist. 3. festum.i.crucis.*

Seruetur ab omnibus festiuitas inuentionis dominicæ crucis. 19 — *9.pars.*

CRucis domini nostri Iesu Christi quę nuper nobis gubernacula sanctæ Romanæ ecclesiæ tenētibus, quinto nonas Maij inuenta est, in prædicto calendarum die inuentionis festum vobis solenniter celebrare mandamus.

ITEM Alexander papa v. à Petro. — *Epist. 1.*

Quare sit institutum vt aqua sale conspersa sanctificetur. 20 — ex mag. luo. p. 2

AQuam sale conspersam in populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur. quod omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, diuinisque precibus sacrata populum sanctificat atq; mundat. & si sale asperso per Helisæum prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit. ITEM Pius papa ix. à Petro apostolo in primo suarum decretalium. — *Epist. 1.*

Non nisi in die dominico sanctum Pascha celebretur. 21

NOsse vos volumus quòd pascha dn̄i die dominico annuis temporibus sit celebrandum. istis enim temporibus Hermes doctor fidei & scripturæ effulsit inter nos. & licet nos idē Pascha prædicto die celebraremus: quia tamen inde quidam dubitabant, ad corroborandas animas eorum eidē Hermeti angelus domini apparuit in habitu [a] pastoris, & pręcepit ei vt Pasca domini die dominico ab omnibus celebraretur, vnde & nos apostolica auctoritate instituimus omnes eadem seruare debere: quia & nos seruamus, nec debetis à capite quoquo modo discedere.

a Atqui ille liber pastoris inter Apocryphos reiectus est sup. cap. sancta, distinct. 15.

ITEM

Epist. 1. ad Theophilum.

ITEM Victor papa xiij. à Petro in primo decreto suo.

Non nisi in die dominico sanctum Pascha celebretur. 22

CElebritatē sancti Paschæ die dominica agi debere & prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud eadem die solenniter celebrari mandamus: quia non decet vt membra à capite discrepent, aut aliter gerant. à xiiij. verò luna primi mensis vsque ad xxj. diem eiusdem mensis eadē celebretur festiuitas. Eodem quoque tempore baptisma celebrandum est catholicum. sed tamen si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit: gentiles ad fidem venientes quocunque loco vel momento, vbicunque euenerit, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus tantum Christianæ confessione credulitatis clarificati baptizentur. Ipsis etiam quod in baptismo polliciti sunt, summopere est attendendum: ne non infideles sed fideles inueniantur, ipsi verò qui infidelitatis nota aspergūtur, infames efficiuntur, & inter fideles minimè reputantur. Hæc verò statuta nulla debēt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari: quia alia est ratio causarum secularium, alia diuinarum.

Cap. 65.

ITEM ex concilio Carthaginensi iiij.

De eodem. 23

PAschæ solennitas vna die & tempore celebranda est.

Cap. 7.

ITEM ex concilio Carthaginensi v.

Dies Pascha, concilij formatarum subscriptione omnibus intimetur. 24

Supr. dist. 73.

PLacuit vt venerabilis dies Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur, dies verò concilij xj. calend. Nouēbris seruetur. scribendum est etiā ad singularum quarumcunque prouinciarum primates: vt quandocunq; apud se concilia congregant, istum diem non impediant.

Cap. 9.

ITEM ex concilio Bracareñ. ij.

Per orbem vniuersum cum in conciliis omnia statuta fuerint: futurū Pascha annuncietur. 25

Idem dicitur in forma celebrādi concilij infr. sub iecta.

PLacuit vt postquam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnino seruetur, vt superuenturi ipsius anni Pascha quo calendarum die vel quota luna debeat suscipi, à Metropolitano episcopo intimetur. Quod cæteri episcopi vel reliquus clerus breuiculo subnotantes, vnusquisque in sua ecclesia adueniente natalis domini die post euangelicam lectionem populo annunciet.

Ca 1. conc. Arelatensi primi.

ITEM ex concilio Arelatensi, quod confirmauit papa Siluester.

Per vniuersum orbem vno die & vno tempore Pascha celebretur. 26

D*E obseruatione Paschæ domini statuimus: vt vno die & tempore per omnem orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem literæ ad omnes dirigantur.

ITEM

ITEM Gregorius Sereno episcopo Massiliensi.

Epist 9. lib. 9. Primus, adde aliã epist. eiusdẽ ad Secundinum lib.7.cap.53.

**Hac de re vehementes olim fuerunt inter Græcos & Latinos dissensiones, vt apparet ex volumine conciliorum in vita & decretis Victoris papæ, & ex ecclesiasticis historiis.*

De imaginibus sanctorum non violandis. 27

PErlatum ad nos fuerat quòd inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. & quidẽ eas adorari vetuisse, omnino laudamus, fregisse verò reprehendimus. Dic frater à quo factũ esse sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quid sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. vnde & præcipue gentibus pro lectione pictura est. *12 pars.*

ITEM ex sexta synodo.

Imagines sanctorũ memoria sunt, & recordatio præteritorum. 28

VEnerabiles imagines Christiani non deos appellant, neque seruiunt eis vt diis, neque spem salutis ponunt in eis, neq; ab eis expectant futurum iudicium, sed ad memoriã & recordationem primitiuorum venerantur eas & adorant: sed nõ seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ.

ITEM Hadrianus papa Tharasio patriarchæ.

Non in agni, sed in hominis specie Christus est figurandus. 29

SExtam sanctam synodum recipio cum omnibus canonibus suis in quibus dicitur. *13. pars.*

†In quibus scripturis sanctarum imaginum agnus præcursoris digito ostensus depingitur: qui in figuram gratiæ transit, verum nobis per legem Moysi demonstrans agnum Iesum Christum dominum nostrũ. Antiquis ergo figuris & vmbris, & ad veritatis præfigurationem sanctæ ecclesiæ traditis [a]vale dicentes, gratiam & veritatem præferimus: & sic plenitudinẽ legis recipimus. Verum igitur agnum dominum nostrum Iesum Christum secundum imaginẽ humanum amodo etiam in imaginibus pro veteri agno depingi iubemus. GRATIA.

[a] amplectentes κατασπαζόμενοι in Græco.

ITEM Augustinus in libro de Trinit. *Cap.4 lib.1.*

†Hæc verba sunt sextæ synodi: sed infelicissimè translata & pessimè à glossatore sic accepta. sic verte. in quibusdam religiosarum imaginum picturis agnus dei digito præcursoris ostensus designatur, qui in typum assumptus est gratiæ, significans verum agnum, nobis ex lege indicans Christum dominum nostrum.

Nos igitur veteres typos & vmbras quasi veritatis, atque symbola & præfigurationes ecclesiæ traditas, valere & cessare cupientes, gratiam eis præferimus ipsam veritatem, in qua legis plenitudo est, suscipientes. Vt igitur

tur, quod perfectius est etiã in tectorijs & sculpturis, ante omniũ conspectũ depingatur, decernimus Agnum tollentem peccata mundi Christum Deum nostrum, secundum humanum characterem de cætero inter imagines erigi, loco veteris agni: vt per huiusmodi characterem recordemur humilitatis ipsius verbi Dei, & in carne administrationis, & ad passionem eius atque salutarem mortem, & eam quæ ex ea secuta est totius mundi redemptionem, meditandam, quasi manuducamur.

Ex his synodi verbis apparet, quas picturas habuerit vetus ecclesia: nempe hieroglyphicas, allegoricas, symbolicas, & ænigmaticas, per quas magnopere in profundissima religionis mysteria penetraret. Et quando imagines sub humana specie & statuarum instar, receperit: & in quem vsum. Et quàm minime prauiderit futuras ea in re Dæmonis astutias. Glossa hoc caput non intellexit, neque tamen absurdè omnino ait ante hãc synodum agnum in cruce pingi solitum, nihilquè obstare quominus post canonem huiusmodi, agnus etiam ad pedes crucis pingatur; quod in veteribus crucis imaginibus quæ à Carolo Magno in quibusdam cathedralibus Francorum ecclesiis erectæ sunt, animaduertimus.

Iuo Car. p. 1. de fide. tit. 1.

De *fide trinitatis & vnitatis inuiolabiliter seruanda.* 30

OMnes quos potui legere, qui ante me scripserunt de trinitate, quæ deus est, diuinorum librorum veterũm & nouorum catholici [auctores tractantes,] hoc intenderunt secundum scripturas docere, quòd pater & filius & spiritus sanctus, vnius eiusdemque substantiæ inseparabili æqualitate diuinam insinuant vnitatem: ideoque non sunt tres dij, sed vnus deus: quanuis pater filium genuerit, & ideo filius non sit qui pater est: filiusque à patre sit genitus. & ideo pater non sit qui filius: spiritusque sanctus nec pater sit nec filius: sed tantummodo patris & filij spiritus: & patri & filio [etiam] ipse coæqualis, & ad trinitatis pertinens vnitatem: non tamẽ eandem trinitatem natam de virgine Maria, & sub Pontio Pilato crucifixam, & sepultam, tertia die resurrexisse, & in cælum ascẽdisse: sed tantummodo filium. nec eandem trinitatem descendisse in specie columbæ super Iesum baptizatum: aut die pentecostes post ascensionẽ domini sonitu facto de cęlo quasi ferretur flatus vehemens, & linguis diuisis velut ignis: sed tantummodo spiritũ sanctũ. nec eandẽ trinitatẽ dixisse de cælo, tu es filius meus dilectus, siue cum baptizatus est à Ioanne, siue in monte quando cum illo erant tres discipuli: aut quãdo sonuit vox de cælo dicens: Clarificaui, & iterum clarificabo. sed tantummodo patris vocem fuisse ad filium factam: quanuis pater & filius & spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur.

Marginal notes: vet. tractatores. — pro inclus. vet. coæternus. Ipse — *Marc. 1. b.* — *Actuum. 2. a.* — *Marc. 1. b.* — *Ioan. 12. d*

ITEM super Ioannem.

Sine

Sine sacramento visibili & fide inuisibili nemo saluatur..

DISTINCTIO IIII.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

NEcessarium est visibile sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis corporis: sicut necessaria est doctrina inuisibilis fidei ad sanctificationem inuisibilis animæ. Idem. Renascitur homo ex aqua visibili sacramento, & spiritu inuisibili, scilicet intellectu: vt symbolum baptismi visibiliter accipiat, & spiritualem intellectum ipsius symboli percipiat vel ex aqua visibili, & spiritu sancto.

IDEM in libro de baptismo paruulorum. Aug. c. 39 li. 1

In baptismate concupiscentia extinguitur, non vt non sit, sed vt non obsit. 2

PEr baptismum Christi id agitur, vt caro peccati euacuetur: non autem sic euacuatur vt in carne concupiscentia innata non sit: sed ne obsit. nam si post baptismum ad ætatem naturalem perueniunt: ibi habent cum qua pugnent, eamq; adiuuante domino superent, si non gratiā in vacuum susceperint. Nam nec adultis id præstatur in baptismo, nisi forte miraculo dei, vt lex peccati repugnans legi mentis penitus extinguatur vt non sit: sed vt quicquid ab homine dictum, factum, cogitatum est cum eidem concupiscentiæ mente subiecta seruiret: totum aboleatur, & quasi factum non sit habeatur.

IDEM ad Petrum diaconum. Cap. 26.

Qui ex viro & muliere concipitur, cum originali peccato nascitur: nec sine baptismate saluatur. 3

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites omnē hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum: & ob hoc naturaliter iræ nasci filiū: de qua dicit apostolus: Eramus enim natura filij iræ sicut & cæteri. à qua ira nullus liberabitur, nisi per fidē mediatoris hominis Iesu Christi. ªFirmissimè tene nō solū homines ratione vtentes, verū etiā paruulos qui siue in vteris matrū viuere incipiunt, & ibi moriūtur: siue iam de matribus nati, sine sacramento baptismi quod datur in nomine patris & filij & spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos: quia etsi peccatū propriæ actionis nullum habent: originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione ex natiuitate traxerunt.

Iuo. p. 1. de fide & sacramento.

a al. est separat. cap. apud Iuonē ex libr. August. de Baptismo.

ITEM Ioannes Chrysostomus.

De eodem. 4

NOn potest quis gratiã vitæ cælestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiç confessionem: per donum baptismi salutaris domini & saluatoris nostri Iesu Christi: qui est benedictus in secula sæculorum.

cap. 2. libr. 4 in Iob.

ITEM Gregorius in moralibus.

Sicut nunc in baptismate, ita olim in circuncisione remittebantur peccata. 5

Ex Iuo. p. 1. ti. 1

QVod autem apud nos valet aqua baptismatis: hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij: vel pro his qui de Abrahç stirpe prodierũt, mysterium circuncisionis.

Cap. 11. libr. 2. de nuptiis & concupiscentia.

ITEM Augustinus ad Valerium contra Iulianum.

Originale peccatum nunc in baptismate, olim in circuncisione remittebatur. 6

EX quo instituta est circuncisio in populo dei (quod erat tũc signaculũ fidei iustitiæ dei) ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati: sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationẽ hominis, ex quo *constitutus est.

a institutus. lege. ex vet.

Cap. 23.

ITEM de libero arbitrio, lib. iij.

Paruulis in baptismate offerentium prodest fides. 7

Ibidem.

ILlud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid prosit paruulis: cùm eo accepto plerunque moriuntur priusquam ex se quicquam potuerint cognoscere: qua in re satis piè rectéque creditur prodesse paruulo fides eorum à quibus consecrandus offertur: & hoc ecclesiæ commendat auctoritas: vt ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficio qui propriam nondum habent potestatem, commoda sit.

cap. 32. lib. 1.

IDEM de baptismo paruulorum.

Per fidem & baptisma iustificamur à peccatis. 8

Rom. 8. a.

FIlius dei carnem peccati suscepit, & pœnam sine culpa: vt in carne peccati & culpa solueretur & pœna. per fidem ergo & baptismum eius à peccato homo per iustificationem, & à morte liberatur per resurrectionem. paruuli etiam baptizati, inter credentes reputantur per sacramenti virtutem, & offerẽtium responsionem. qui verò non sunt baptizati inter nõ credentes, iudicantur ex euangelio Ioannis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnum dei.

Ioan. 3. b

Cap. 4. lib. 1.

ITEM Ambros. in libro de sacramentis.

Per aquam baptismi de terreno fit homo cælestis. 9

PEr aquam baptismi trãsitus est de terrenis ad cælestia: ideo pascha transitus dicitur. hic transitus est de peccato ad vitam: de culpa ad gratiam: de inquinamẽto ad satisfactionem.

qui

qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit. nõ omnis aqua sanat: sed illa quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud cõsecratio. non sanat aqua nisi spiritus sanctus descendat, & aquam illam consecret: sicut legitur, quia cum Christus formam baptismatis daret, venit ad Ioannem: & ait illi Ioãnes: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit Iesus: Sic decet nos implere omnem iustitiam. Vide quid sit omnis iustitia. Christus ad baptismum descendit, non vt caro mundaretur quam suscepit de nostra conditione, non enim ablutio peccati Christo necessaria fuit, qui peccatum nõ fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato eramus obnoxij. descendit Christus: descendit & spiritus sanctus. Quare autem prior descẽdit Christus, postea spiritus sanctus: cum forma & vsus baptismi hoc habeat, vt ante fons consecretur, & tunc descendat baptizandus. Christus antè descendit, secutus est spiritus sanctus: vt nunquam ipse sanctificationis mysterio egere videretur: sed vt sanctificaret ipse, sanctificaret & spiritus sanctus. *Matth. 3. d.*

ITEM Ioannes Chrysostomus.

Aqua baptismi non purgaret peccata, nisi tactu dominici corporis esset sanctificata. 10

NVnquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuisset.

ITEM Siricius papa Himerio Terraconensi *episcopo.* Epist. 1. ad Himerium.

Generale baptisma non nisi sabbato sancto Pascha & Pentecostes celebretur. Iuo. p. 1. tit. 1. 2. pars.

NOn ratione auctoritatis alicuius, sed sola temeritate præsumitur, vt passim & liberè in [a]natiuitate Christi seu apparitione necnon apostolorum seu martyrum festiuitatibus innumeræ, *vt asseris* plebes baptizentur: cum sibi hoc priuilegium apud nos & apud ecclesias omnes dominicum Pascha defendat specialiter cum sancta pentecoste. [a] al. natalitio

ITEM Leo papa vniuersis episcopis per Siciliã cõstitutis. *Leo 1. epist. 4.*

De eodem. 11

DVo tempora, id est, Pascha & Pentecoste, ad baptizandum à Romano pontifice legitimè sunt præfixa. vnde quia manifestissimè patet baptizandis in ecclesia electis hæc duo tempora de quibus locuti sumus, esse legitima: dilectionem vestram monemus, vt nullos alios dies huic obseruantię misceatis.

IDEM. *Leo in eadẽ epi. paulò superius.*

Quare in prædictis temporibus baptisma celebretur. 12

PRopriè in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis, potentia baptismi nouam creaturam condidit ex veteri, vt in renascentibus & mors Christi operetur & vita: dicẽte apostolo: An ignoratis quia quicunq; baptizati sumus in Christo vniuersis episcopis per Siciliam de baptismo. Ex mag. decreto Iuone. p. 1.

Roman. 6.a

Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Cōsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriā patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul erimus & resurrectionis eius, &c. quæ latius magister gentium ad commēdandum sacramentum baptismatis disputauit: vt appareret ex huius doctrinæ spiritu regenerandis filiis hominum, & in dei filios adoptandis illum diem & illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterij ea quæ geruntur in mēbris, his quæ in ipso sunt capite gesta congruere: dū in baptismatis regula & mors interuenit interfectione peccati: & sepulturam triduanā imitatur trina demersio: & ab aquis eleuatio, resurgentis instar est de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diem legitimum eum esse in quo orta est & virtus & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet quòd ipse dominus Iesus Christus postquam resurrexit à mortuis, discipulis suis (in quibus omnes ecclesiarum præsules docebantur) & formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. de quo vtique eos & ante passionē potuisset instruere: nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic obseruantiæ etiam pentecostes ex aduentu spiritus sancti [a] sacra solennitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo. & cum ad alios dies alia festa pertineant: hæc semper ad eum diē qui resurrectio domini est, insignis occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum: & eos quos à die paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas interclusit, inuitat: vt quibuslibet necessitatibus impediti, desiderij sui effectum dono spiritus sancti consequantur.

Matth. 28.d

a legend. in vet. sacrata, rectè.

b apud Iuo. est separatū caput.

[b] Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex apostolica auctoritate seruare, satis idoneo probamus exēplo, sequentes beatum Petrum apostolum, qui in ipso die quo omnium credentium numerum promissus spiritus sancti repleuit aduentus, trium milium populū sua prædicatione conuersum, lauacro baptismatis cōsecrauit: quod sancta scriptura quæ apostolorum actus continet, fideli historia docet, dicens: His auditis compuncti sunt corde: & dixerunt ad Petrum & reliquos apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos: Pœnitētiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi in remissionem omniūm peccatorum vestrorum: & accipieris donum spiritus sancti. ITEM.

Act. 2.f

Idē Leo in eadē epist. 4.

De

De eodem. 13

Iuo.p.I.tit.I. a al.eadem

SI quis autem epiphaniæ festiuitatem (quæ in suo ordine debito honore veneranda est) ob hoc existimat habere priuilegium baptismatis, quia hoc quidam putant, quòd in [a] ea die dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit: sciat illius baptismi aliam gratiam, & aliam fuisse rationem: nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi: sic voluit baptizari, quomodo voluit circuncidi, hostiamque [pro emendatione] offerri: vt qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait) fieret sub lege: quã non venerat soluere, sed adimplere, *&* implendo finire. Sicut apostolus prædicat dicens: Finis autem legis Christus est, ad iustitiam omni credenti. Baptismi autem sui in se condidit sacramentum: quia in omnibus primatum tenẽs, se docuit esse principium: & tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis.

Ioan.I.b

emundationis, legem. vt in vet.

Rom.10.a

ITEM ex concilio Gerundensi. *Cap.4.*

In solennitate paschali & pentecostes catechumeni baptizentur. 14

Iuo.p.I.tit.de bapt.

DE catechumenis baptizãdis id decretum est, vt in paschali festiuitate vel pentecostes veniant ad baptizandum: cæteris solennitatibus infirmi tantum debent baptizari.

ITEM Leo papa. *Leo pri.epist.4.*

Necessitate cogente quolibet tempore baptizare licet. 15

SI qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragij vrgentur: omni tempore debent baptizari. ITEM Gelas. papa clero & plebi Tarentiñ.

Nisi necessitate cogente inter pascha & pentecosten nullus baptizare præsumat. 16

Iuo li.I.de bap.

VEnerabilis baptismi sacramentum [non] nisi in festiuitate paschali & pentecostes tradere *non* præsumat episcopus: exceptis ægritudine laborantibus: quibus, vrgente mortis, periculo, talibus oportet (ne in æternum pereant) remediis subueniri. IDEM.

Gela.I.epist. ad episc. Lucaniæ.

De eodem. 17

Ex eod. ibidem.

BAptizandi sibi quispiam passim quocunque tempore nullã credat esse fiduciam præter paschale festum, & pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat grauissimi languoris incursu, in quo verendum est ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari forrassis ægrotans exitio præuentus abscedat. ITEM Isidorus de Officiis libro secundo, capite vigesimoquarto.

cap. 24.lib.2. de officiis eccle.

Nemo nisi sacerdos baptizare præsumat. 18

Iuo.p.1.de bap. CONstat baptisma à solis sacerdotibus esse tractandum: eiusque mysterium nec ipsis diaconis explere est licitum absque episcopo vel presbytero: nisi (his procul absentibus) vltima languoris necessitas cogat: quòd & laicis fidelibus plerunque permittitur. Item [a] Gelasius papa. Diaconos quoque tunc &c. vt s. in tracta. ordinandorum: vbi de reuerentia diaconorum erga sacerdotes agitur.

a Iuo

cap 99. concil. Cart. 4. ITEM ex concilio Carthaginensi quinto.

Non præsumat mulier baptizare. 19

Ex eodem. 3 pars. MVlier quamuis docta & sancta viros in conuentu docere, vel aliquos baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente. Vnde Vrbanus papa ij. Super quibus consuluit, &c. vt suprà in tract. coniugij: vbi de con. patribus agitur.

ITEM Augustinus ad Fortunatum.

Etiam laici necessitate cogente baptizare possunt. 20

Iuo.p.1. ibidem IN necessitate cùm episcopi aut presbyteri aut quilibet ministrorum non inueniuntur, & vrget periculum eius qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat: etiam laicos solere dare sacramentum quod acceperunt, solemus audire.

ITEM ex decreto [b] Martini papæ iij.

b al. Martiani in magn. Iuone.

De eodem. 21

QVicunque presbyter in prouincia propria vel in alia vel vbicunque inuentus fuerit, vbi commendatum sibi infirmum baptizare noluerit, vel pro intentione itineris, vel de aliqua excusatione, & sic sine baptismo moritur: deponatur.

ITEM Isidorus.

Non reiteratur baptisma quod à pagano ministratur. 22

Iuo ibidem. ROmanus pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed spiritum dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.

ITEM Nicolaus ad consulta Bulgarorum, cap. iij.

De eodem. 23

Iuo ibidem. A Quodam Iudæo nescitis vtrum Christiano an pagano multos in patria vestra baptizatos asseritis: & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profectò si in nomine sanctæ trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legitur, baptizati sunt (vnum quippe idemque est, vt sanctus Ambrosius exponit) quia non illorum, sed eius est: rebaptizari non debent.

Actu. 2 f. & 19. d.

ca. 6. li. 3. contra Cresconium. ITEM Augustinus contra Crescentium Grammaticum.

Sicut per bonum, ita per malum ministrum aquè baptisma ministratur. 24

Iuo ibidem. SI inter bonos ministros cùm sit alius alio melior, nō est melior baptismus qui per meliorem datur, quādo idem baptismus

ſmus datur: nullo modo malus eſt qui etiam per malum datur, quando idem baptiſmus datur: & ideo per miniſtros diſpares dei munus æquale eſt: quia non illorum, ſed eius eſt.

IDEM ſuper Ioan. in parte. j. tractatu. v. Ad 1. Ioan. 1.

Non merita miniſtrorum, ſed virtus Chriſti in baptiſmate operatur. 25

BAptiſmus talis eſt qualis ille eſt in cuius poteſtate datur: non qualis ille per cuius miniſterium datur. Item: Quid nouerat Ioannes baptiſta? Dominum [1]noſtrum.[1] quid non nouerat? Poteſtatem dominici baptiſmi in nullum hominem à domino tranſituram, ſed miniſterium planè tranſiturum. poteſtatem à domino in neminem tranſituram, ſed miniſterium & in bonos & in malos. Non exhorreat columba miniſteriũ malorum, ſed reſpiciat domini poteſtatem. Quid igitur tibi facit miniſter malus. vbi bonus eſt dominus? Quid te impedit malitioſus præco, vbi beneuolus eſt iudex? Item: Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Item: Ego dico, & nos dicimus omnes, quia iuſtos oportet eſſe omnes per quos baptizatur. iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros, ſi *miniſtrare iuſtè voluerint. ſi autem noluerint eſſe iuſti qui in cathedra Moyſi ſedent: ſecurum me fecit magiſter meus, de quo ſpiritus eius dicit: Hic eſt qui baptizat. Item non timeo adulterum, ebrioſum, non homicidã: quia columbam attendo per quam mihi dicitur, Hic eſt qui baptizat.

Iuo. p. 1. de baptiſmo. 1. Cor. 3. b * ſint miniſtri iuſti ſi voluñt. Matth. 23. a Ioan. 1. c.

IDEM in tractatu ſexto. Ad ca. 1. Ioan.

De eodem. 26

CVm baptizat malus ex aliqua ignorantia eccleſiæ, vel tolerantia (aut enim ignorãtur mali, aut tolerantur paleæ, quouſque in vltimo ventiletur area) illud quod datum eſt, vnum eſt: nec impar propter impares miniſtros: ſed par & æquale propter hunc qui baptizat.

IDEM de eccleſiaſticis regulis. Cap. 52.

Non reiteratur baptiſma, quod in nomine ſanctæ trinitatis miniſtratur. 27 Ex eodem. ibid.

SI qui apud illos hæreticos baptizati ſunt qui in ſanctæ trinitatis confeſſione baptizant, & veniunt ad catholicam fidem: recipiantur quidem vt baptizati, ne ſanctæ trinitatis inuocatio vel cõfeſſio annulletur, ſed doceantur integrè, & inſtruantur quòd ſanctæ trinitatis myſteriũ in eccleſia teneant: & ſi cõſentiunt credere, vel acquieſcunt cõfiteri: purgati fidei integritate, firmẽtur impoſitione manus: ſi verò paruuli ſunt & hebetes qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi: & ſic per manus impoſitionem chriſmate cõmunicati cum Euchariſtiæ my-

Quæst.65.in dialogo. steriis admittantur. IDEM ad Orosium in lib. ij.

De eodem. 28

Ex eod. ibid. QVanuis vnum baptisma sit & hæreticorum, eorum scilicet qui in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizant, & ecclesiæ catholicæ: tamen qui foris ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem: habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem eius abnegantes: & ideo eos ecclesia non rebaptizat, quia in nomine trinitatis baptizati sunt: & ipsa est profectò forma sacramenti. Ideo cùm reuersi fuerint, accipiunt virtutem spiritus sancti: quam qui foris ecclesiam baptizantur, nondum habent.

ITEM Pelagius papa Gaudentio episcopo.

Baptizantur qui tantum in nomine domini baptizati probantur. 29

SI teuera hi de hæreticis qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine domini baptizatos fuisse forsitan confitentur: sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes, in sanctæ trinitatis nomine baptizabis. Si verò apud dilectionem tuam & eorum qui conuerti volunt, manifesta confessione claruerit quòd in nomine trinitatis fuerint baptizati: sola reconciliationis impensa gratia, catholicæ sociare fidei maturabis: vt tali dispensatione seruata, nihil aliter quàm quod euangelica iubet auctoritas, temeritatis cuiusquam spiritu videatur effectum.

Cap. 15. lib. 7. ITEM August. de vnico baptismo, lib. viij.

An approbetur baptisma, quod à non baptizato præstatur. 30

Ex eod. ibidem. 4. pars. SOlet etiam quæri, vtrum approbandum sit baptisma quod ab eo qui non accepit, accipitur, si fortè hoc aliqua curiositate didicit quomodo dandum sit, & vtrum nihil intersit quo animo accipiat ille cui datur, an cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, vtrum fallens sicut in ecclesia, vel in ea quæ putatur ecclesia: an iocans, sicut in mimo. verumtamen si quis me fortè in eo concilio constitutum vbi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus meritis quorum sententias sequi mallem, vrgeret vt dicerem quid ipse sentirẽ: si eo modo affectus essem quo eram dum ea dictarem: nequaquam dubitarem habere baptismum eos qui vbicunque & à quocunque illud verbis euangelicis consecratum sine sui simulatione & cum aliqua fide accepissent, quanquam ad salutem spiritualem eis non prodesset: scilicet si charitate caruissent: qua catholicæ inseruntur ecclesiæ. 1. Corint. 13. a. si enim habeam fidẽ vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum: sicut iam præteritis maiorum statutis non dubites illos etiam

etiam habere baptiſma qui quanquam fallaciter id accipiant, in eccleſia tamen accipiunt: vel vbi putatur eſſe eccleſia, in quorum ſocietate id accipitur, de quibus dictum eſt: Ex nobis exierunt. Vbi autem neque ſocietas vlla eſſe crederetur: ſed totum ludicrè & mimicè & ioculariter ageretur: vtrum approbandus eſſet baptiſmus qui ſic daretur: diuinum iudiciū per alicuiu reuelationis oraculum concordi oratione gemitibus implorandum eſſe cenſemus: ita ſanè, vt poſt me dicturos ſententias ſi quid iam exploratum & cognitum afferrent, humiliter explorarem. ITEM in lib. ij.

Cap. 1. lib. 1. cōtra Donat:ſt.tt.

Non reiteratur baptiſma quod in fide ſanctæ trinitatis ab hæreticis præſtatur. .31

Ex Iuo. ibidem. 5. pars.

OStenditur illos impiè facere qui baptizare conantur orbis vnitatem: & nos rectè facere qui dei ſacramenta improbare nec in ipſo ſchiſmate audemus. in quo enim nobiſcum ſentiunt: etiam nobiſcum ſunt. in eo autem à nobis receſſerunt, in quo à nobis diſſentiunt... Item ſacramentum baptiſmi eſt, quod habet ille qui baptizatur, & ſacramētum dandi baptiſmū eſt, quod habet qui ordinatur. ſicut enim baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit: ſic & ordinatus ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentū dandi baptiſmi non amittit. Nulli enim ſacramento iniuria eſt facienda. ſi diſcedit à malis, vtrunque diſcedit: ſi permanet in malis, vtrunque permanet. ſicut ergo acceptatur baptiſmus quem non potuit amittere qui ab vnitate diſceſſerat: ſic acceptandus eſt baptiſmus quem dedit ille qui ſacramentum dandi cùm diſcederet non amiſerat. Item, ſi ad baptiſmum fictus accedit: dimiſſa ſunt ei peccata: an non ſunt ei dimiſſa? Eligāt quod volunt, quodcunque elegerint, ſufficit nobis. Si dimiſſa dixerint, quomodo ſpiritus diſciplinæ effugiet fictū, ſi in iſto remiſſionem operatus eſt peccatorum? Si dixerint non eſſe dimiſſa, quæro ſi poſt fictionem ſuam corde conuerſo & vero dolore fateatur, an denuò baptizādus iudicaretur? quod ſi dementiſſimum* eſt dicere, fateātur verò baptiſmo Chriſti baptizari poſſe hominem: & tamen cor eius in malitia vel ſacrilegio perſeuerans, peccatorum abſolutionem non ſine re fieri: atque intelligant in communicationibus ab eccleſia ſeparatis poſſe homines baptizari, vbi Chriſti baptiſmus eadem ſacramenti celebratione datur & ſumitur: qui tamē tunc proſit ad remiſſionem peccatorū, cùm quis reconciliatus vnitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur: quo eius peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur. IDEM in epiſtola ad Bonifacium.

Sapientiæ 1.a.

*nefandiſſimum

Epiſt. 23.

Valet ad ſalutem baptiſma, & ſi non ea fide paruuli offeruntur. .32

Ex eod. ibidem. 6. pars.

NOn illud te moueat quòd quidam nō ea fide ad baptiſmū percipiendū paruulos offerunt, vt gratia ſpirituali ad vi-

tam regenerentur æternam: ſed hoc eos putant remedio temporalē retinere vel recipere ſanitatē. non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur.

Cap. 22. contra Donatiſtas. 7. pars. Ex eod. ibid. Luce 23 f

ITEM de vnico baptiſmo, libro quarto.

Effuſio ſanguinis implet vicem baptiſmi. 33

BAptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de latrone illo cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecū eris in paradiſo: B. Cyprianus non leue documentum aſſumpſit: quod etiam atque etiam conſiderās, inuenio non tantum paſſionē pro nomine Chriſti id quod baptiſmo deerat, poſſe ſupplere: ſed etiam fidem, confeſſionemque cordis, ſi fortè ad celebrādum myſterium baptiſmi in anguſtiis tēporum ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum. Neque quia credidit, paſſus eſt, ſed dum pateretur, credidit. Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili ſacramento baptiſmi quod ait Apoſtolus: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: in illo latrone declaratum eſt. Sed tunc impletur inuiſibiliter, cùm myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et ſicut in illo latrone quod de ſacramento baptiſmi defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia, non contemptu, ſed neceſſitate defuerat: ſic in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda eſt, quòd nō ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia nec corde credere ad iuſtitiam poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem: ideo cùm pro his oratur, vt impleatur erga eos celebratio ſacramenti, valet vtique ad celebrationem eorum: quia ipſi reſpondere nō poſſunt. Alienum quippe opus eſt, cùm credit per alterum: ſicut alienum opus fuit, cùm peccauit in alterum. Item. Sicut autem in latrone, quia per neceſſitatem corporaliter baptiſmus defuit, perfecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritualiter affuit: ſic & cùm ipſa prēſtò eſt: ſi per neceſſitatem deſit (quod latroni non defuit) perficitur ſalus: quod traditum tenet vniuerſitas eccleſiæ cùm paruuli infantes baptizantur, qui corde nōdum poſſunt credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem: quod latro potuit. quando etiam flendo & vagiendo cū eis myſterium celebratur, myſticis ipſi vocibus obſtrepunt: & nullus Chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari. Item. Quibus omnibus rebus oſtenditur aliud eſſe ſacramentum baptiſmi, aliud cōuerſionem cordis: ſed ſalutem hominis ex vtroque compleri. nec ſi vnum eorum defuerit: ideo putare debemus conſequens eſſe, vt & alterum deſit, quia & illud ſine iſto potuit eſſe, vt in infante: & iſtud ſine illo potuit eſſe, vt in latrone: complente Deo ſiue in illo, ſiue in iſto

Roman. 10. b

quod

quod nō voluntate defuiſſet. cùm enim ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominē inuoluit. Et baptiſmus quidem poteſt ineſſe vbi confeſſio cordis defuerit. Conuerſio autē cordis poteſt quidem ineſſe non percepto baptiſmo: ſed contempto nō poteſt, nec vllo modo dicenda eſt conuerſio cordis ad dominum, cùm dei ſacramentum contemnitur.

IDEM contra Iulianum. Cap. 6. lib. 6.

Non baptizatur in homine, quicquid in eo eſt. 34

SI quicquid eſt in homine quādo baptizatur & ſanctificatur, baptizari & ſanctificari cum homine credendū eſt: dicturus es & ipſa in illo baptizari & ſanctificari quę in inteſtinis & veſica per digeſtionem corporis digerūtur: dicturus es baptizari & ſanctificari hominē in matris vtero conſtitutum, ſi ad hoc ſacramentum accipiendum neceſſitas cogat grauidā: & ideo baptizari iam qui naſcitur nō debere. poſtremo dicturus es baptizari febres & ſanctificari quando baptizantur ægroti.

ITEM ad Fortunatum.

Valet baptiſma etſi per laicos miniſtretur. 35

SAnctum eſt baptiſma per ſeipſum quod datum eſt in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: ita, vt in eodē ſacramēto ſit etiam auctoritas traditionis per dominum noſtrū ad apoſtolos: per illos autem ad epiſcopos & alios ſacerdotes, etiā laicos Chriſtianos ab eadē origine & ſtirpe veniētes. nam cùm illa hiſtoria narratur, omnes qui audiunt, ad lachrymas mouētur: cùm in naui quadā nullus fidelis eſſe præter vnum pœnitentem, naufragium cœpit imminere: erat ibi quidam non immemor ſuæ ſalutis, & ſacramēti vehementiſſimus flagitator: nec erat ibi aliquis qui dare poſſet, niſi pœnitēs ille: acceperat enim, ſed pro peccato de quo agebat pœnitentiam, amiſerat ſanctitatē, ſed non amiſerat ſacramentum. nā ſi hoc amittunt peccātes, cùm reconciliātur pòſt pœnitentiā, quare non iterū baptizātur? dedit ergo quod acceperat: & ne periculoſè finiret vitam nō reconciliatus, petijt ab eo ipſo quē baptizauerat vt eū recōciliaret, & factū eſt: & ſic naufragij euaſerunt. Cognitum habes quod fecerūt, nemo extitit eorū qui nō pium animum ita crederet, vt cōſilijs eorū in illo periculo dominū crederet affuiſſe. Motus enim animus religioſus & ſupplex ab homine exegit ſacramentū, à deo ipſe impetrauit ſanctitatē. Quòd ſi fortè hoc quod narraui de his qui naufragio imminēte periclitabātur, nō vult aliquis credere (nō enim hoc diuinarum ſcripturarū auctoritas, ſed incerto auctore fama cōmendat) non repugnabo, ſed interrogabo, ſi tale aliquid cōtingat, quid futurū eſt? Non poteſt enim quiſquā dicere relinquendū eſſe illum qui morte imminente petit baptizari à pœnitente quiſquis nō credat cōtigiſſe: oportet vt credat poſſe cōtingere. Ex eod. ibid.

Aug. cap. 74. de dogmatibus ecclesiasticis. Ex eod. lib. id.

IDEM ad eundem.

Quamuis rectè viuat catechumenus, sine baptismo non potest saluari. 36

CAtechumenum quanuis in bonis operibus defunctum, vitam habere nõ credimus: excepto duntaxat, nisi martyrij compleat sacramentum. Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote: & interrogatus respõdet. Hoc idem martyr coram persecutore faciat, qui & confitetur fidẽ, & interrogatus respondet. & ille post confessionẽ aspergitur aqua, hic verò aspergitur sanguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit spiritum sanctum, hic habitaculum spiritus sancti efficitur, dum non est ipse qui loquitur, sed spiritus sanctus qui in illo loquitur. Ille communicat Eucharistiæ in commemorationẽ mortis domini, hic ipse commoritur Christo. Ille confitetur se mũdi actibus renunciare, hic ipsis renunciat & vitæ. Illi peccata remittuntur, isti extinguuntur.

Leo. I epist. 90. ad Rusticum. 8. pars.

ITEM Leo papa.

Non reiteretur baptisma cuius formam constat integrè collatam. 37

HI de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt: sed cuius fidei fuerint qui eos baptizauerunt, se nescire profitentur, quolibet modo formam baptismatis acceperunt, rebaptizandi non sunt, sed per impositionem manus virtute spiritus sancti quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

Tract. 5. ad cap. 1. Ioannis. 9. pars.

ITEM Augustinus super Ioannem.

Et per bonos & malos ministros æquè baptizat Christus. 38

ALiud est baptizare per ministeriũ, aliud baptizare per potestatem. Item: Ergo baptizabãt discipuli eius, & ibi adhuc erat Iudas inter discipulos eius. Si quos autem baptizauit Iudas, non sunt iterũ baptizati: & quos baptizauit Ioannes, sunt iterum baptizati. planè iterum: sed non iterato baptismo, quos enim baptizauit Ioannes, baptizauit Ioannes. quos baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Item. Per hanc enim potestatẽ quã Christus solus tenuit sibi, & in neminẽ ministrorum transfudit, quãuis per ministros baptizare dignatus sit, per hãc inquã stat vnitas ecclesiæ, quæ significatur in colũba, de qua dictum est: Vna est columba mea, vna est matri suæ electa. Si enim (vt iam dixi fratres mei) trãsferretur à domino potestas ad ministros: tot baptismata essent, quot ministri essent: & iam vnitas baptismi non staret. Attendite fratres: antequam veniret dominus noster Iesus Christus ad baptismum, descẽdit columba in aquam. cognouit Ioãnes quoddam proprium ei: cui hoc dictum est: Super quẽ videris spiritum descendentem, & manentem super eũ: ipse est qui baptizat in spiritu sancto. Nouerat autẽ quia ipse in spiritu sancto baptizabat: sed quia tali proprietate, vt potestas ab eo non transiret in alterum: quãuis eo donante,

Cant. 6. c. Ioan. 1. c.

donante, ibi didicit. Item. Iam vos mũdi estis propter verbum quod locutus sum vobis: quare nõ ait: Mũdi estis propter baptismum quo abluti estis. sed ait propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia etiã in aqua verbum mundat? Itẽ. Si fuerit iustus minister, cõputo eum cum Paulo, cum Petro, cũ istis computo iustos ministros, quia verò iusti ministri gloriã suam nõ quærunt: (ministri enim sunt) pro ducibus haberi nolunt: spem in se boni exhorrescunt. ergo cõputo cum Paulo iustum ministrũ. quid enim dicit Paulus? Ego plãtaui: Apollo rigauit: sed deus incrementũ dedit. ITEM in libro de Baptismo. *Ioan.15.a.* *1.Cor.3.b.* *Aug.cap 1.lib.1*

Nec baptisma nec baptizandi potestatem schismatici amittunt. 39

NVllus autem negat habere baptismũ etiam apostatas: quibus vtique redeuntibus, & per pœnitentiam conuersis non redditur: quia amitti non posse iudicatur. sicut & illi qui in sacrilegium schismatis ab ecclesiæ communione discedunt, habeat vtique baptismum: quem priusquam discederent acceperunt. nam & si ipsi redeant: non eis iterum datur. vnde ostenditur illud quod acceperunt in vnitate positi, nõ potuisse amittere separatos. quòd si haberi potest foris, etiã dari cur non potest? Si dicis, nõ rectè foris datur, respondemus: sicut nõ rectè foris habetur, sed tamen habetur: sic non rectè foris datur, & tamen datur. Sicut autem per vnitatis reconciliationẽ incipit vtiliter haberi quod extra vnitatẽ inutiliter habebatur, sic per eandem recõciliationem incipit vtile esse quod extra eam inutiliter datum est. Item hæretici sacramenta & scripturas habent ad spem, non ad salutẽ. Item perfidus si in perfidia permanserit, per baptismum, nec extra ecclesiam remissionẽ accipit peccatorum? aut si per vim sacramenti ad punctum temporis excipit, & intus & foris eam vim operatur: sicut vis nominis Christi expulsionem dæmonum etiam foris operabatur. ITEM. *Aug li.5.c.1.20 de baptismo.*

Mali non sua potestate, sed Christi virtute baptisma ministrant. 40

QVomodo exaudit deus homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quę tamen omnia & fiunt & valent etiam per homicidas, aut per eos qui fratres oderunt, etiam in ipsa intus ecclesia. Cùm nemo dare possit quod nõ habet, quomodo homicida dat spiritum sanctum, & tamen intus etiam ipse baptizat? Deus ergo dat etiam ipso baptizante spiritum sanctũ. Quapropter sacramentum gratię dat deus etiam per malos, ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, vel per sanctos suos: & ideo remissionem peccatorum, vel per seipsum facit, vel per ipsius columbæ mẽbra, quibus ait: Si cui dimiseritis peccata, dimittẽtur ei: & si cui retinueritis, retenta erunt. Manus autem impositio si nõ adhiberetur *Ioan.20.f.*

beretur ab hæresi venienti, quanquam extra omnem culpam esse iudicaretur, propter charitatis tamen copulationẽ (quæ est maximum donum spiritus sancti: sine quo nõ valent ad salutem quæcunq; alia sancta fuerint in homine) manus hæreticis correctis imponitur. Induunt autẽ homines Christũ aliquãdo vsque ad sacramenti perceptionem, aliquando vsque ad vitæ sanctificationem, atque illud primum & malis & bonis potest esse commune. hoc autem proprium est bonorum & piorum.

Non ob aliud visum est quibusdã, etiã egregiis viris & antistitibus Christi (inter quos præcipuè beatus Cyprianus eminebat) non esse posse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebãt sacramẽtum ab effectu vel vsu sacramẽti: & quia eius sacramẽti effectum atque vsum in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos nõ inueniebãt, ipsum quoque sacramentũ illic esse nõ putabãt. Sed cõuertentibus oculos ad interioris paleæ multitudinem, cùm etiã hi qui in ipsa vnitate peruersi sunt, & perditè viuũt, appareãt & remissionẽ peccatorum nec dare posse, nec habere, quia nõ malignis, sed bonis filijs dictum est: Si cui
Ibi: u. dimiseritis peccata, dimittuntur eis: & reliqua. habere, & dare, & accipere baptismi sacramentum, satis ecclesiæ catholicæ pastoribus eluxit, & ouẽ quæ foris errabat, & dominicũ characterem foris accipiebat, venientẽ ad Christianę vnitatis salutẽ, ab errore corrigi, characterẽ tamẽ dominicum in eo cognosci potius quàm improbari, quandoquidẽ ipsum characterem multi lupi, & lupis infigunt, qui videntur esse intus, veruntamen ad illam ouem quæ ex multis vna est, non pertinent. Cùm malus tradit baptismum bono, id est, in vnitatis vinculo veraci conuersione mutato, inter bonum sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat, & cùm illi veraciter ad dominum conuerso peccata dimittũtur, ab eis quibus ipse veraci confessione coniungitur, spiritus sanctus ea dimittit, qui omnibus sanctis datus est sibi charitate cohętentibus, siue se nouerint corporaliter, siue nõ nouerint. Similiter cùm alicuius tenẽtur peccata, ab eis tenentur à quibus ille cordis prauitate disiũgitur, siue notis corporaliter, siue ignotis. Omnes mali spiritualiter à bonis seiuncti sunt. Si autẽ etiam corporaliter apertta dissentione separentur, peiores fiũt. Sed nihil interest ad baptismi sanctitatem, quãto quisque peior id habeat, & quãto peiori tradat. potest tamẽ tradere separatus, sicut potest habere separatus: sed quàm perniciosum est habere, tam perniciosum est tradere. Ille autem cui traditur, potest salubriter accipere, si ipse non separatus acceperit vrgẽte mortis necessitate. Cur hæretici foris baptizare nõ possunt? an quia peiores sunt eo ipso quòd foris sunt? Sed nihil interest ad inte-

integritatem baptiſmi, quan to peior id tradat. neque enim inter eſt tantum inter malum & peiorem, quantum inter bonũ & malum: & tamen cùm baptizat malus, non aliud dat quàm ille qui malus minus eſt. An fortè non ad hominis meritũ, ſed ad ipſius baptiſmi ſacramentum pertinet vt foris dari nõ poſſit? Si hoc ita eſſet, nec haberi foris poſſet, & totiẽs baptizari neceſſe eſſet, quotiens quiſq; recedens ab eccleſia, rurſus ad eccleſiam remeaſſet. His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur: quia ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, aut in ipſo temporis puncto per vim ſacramẽti dimiſſa, iterum per fictionem replicantur. vt & illud verum ſit: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Et illud: Spiritus diſciplinæ effugiet fictum, id eſt, vt induat eũ Chriſtum ſanctitas baptiſmi, & exuat eum Chriſtum pernicies fictionis. *Galat. 3. d.* *Sapien. 1. a.* Nam redire demiſſa peccata vbi fraterna charitas nõ eſt, apertiſſimè dominus in euãgelio docet in illo ſeruo à quo dominus demiſſum debitum petiuit, eo quòd ille conſeruo ſuo debitum nollet dimittere. *Matth. 18. a* Sic nõ impeditur baptiſmi gratia quo minus omnia peccata dimittantur, etiam ſi fraternum odium in eius cui peccata dimittũtur, animo perſeuerat. ſoluitur enim heſternus dies, & quicquid ſupereſt, ſoluitur etiã ipſa hora momentoq; ante baptiſmum, & in ipſo baptiſmo. deinceps autẽ continuo reus eſſe incipit non ſolum conſequentium, ſed etiam præteritoruum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimiſſa ſunt. IDEM.

Aug ca. 12. li. 1 de baptiſmo. 10. pars.

Quando proſit baptiſmus ei qui fictè illum accepit. 41

TVnc valere incipit ad ſalutẽ baptiſmus cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorũ ablutionem non ſinebat fieri.

IDEM ad Donatiſtas. *Epiſt. 48. ad Vincent.*

Non reiterantur ſacramenta quæ extra eccleſiam conferuntur. 42

NOn in vobis mutamus in quibus nobiſcum eſtis: (in multis enim nobiſcũ eſtis, nam & de talibus dictum eſt quòd in multis erãt mecũ,) *Pſalm. 54.* ſed ea corrigimus in quibus non eſtis, & ea vos hic accipere volumus, quæ nõ habetis illic vbi eſtis. nobiſcũ enim eſtis in baptiſmo, in ſymbolo, in cæteris dominicis ſacramẽtis: in ſpiritu autem vnitatis & in vinculo pacis, in ipſa deniq; catholica eccleſia nobiſcum non eſtis. Iſti autem cum quibus vel de quibus agimus nõ ſunt deſperandi, adhuc enim in corpore ſunt: ſed non quærãt ſpiritum ſanctum, niſi in corpore Chriſti, cuius habent fori ſacramentum, ſed rem ipſam non tenent intus cuius eſt illud ſacramentũ: & ideo iudicium ſibi manducant & bibunt.

ITEM Gregorius Quirino epiſcopo & cæteris in Hybernia epiſcopis. *Epiſt. 61. lib. 9. ad Quirinum.*

Que-

Quomodo recipiantur ab ecclesia qui in nomine trinitatis apud hæreticos baptizantur. 43

AB antiqua patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim in trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctã ecclesiam redeũt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus aut sola professione fidei ad sinũ matris ecclesiæ reuocentur. Vnde Arianos per impositionem manus Occidẽs, per vnctionem verò chrismatis sancti ad ingressum catholicæ ecclesiæ Oriẽs reformat. Monothelitas verò & alios ex sola cõfessione recipit: quia sanctũ baptisma quod apud hæreticos sunt cõsecuti tũc in eis vires emũdationis recipit, cùm illi vel per impositionẽ manus spiritũ sanctũ acceperint, vel isti propter confessionẽ veræ fidei, sanctæ & vniuersalis ecclesiæ visceribus sunt vniti.

Cap. 1. ITEM August. de baptismo libro quarto.

Extra ecclesiam baptismus accipi potest, sed non prodest. 44

ECclesia paradiso cõparata indicat nobis posse quidem baptismum eius homines etiã foris accipere: sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. non enim in Mesopotamia vel Aegypto, quo illa flumina peruenerunt, est fœlicitas vitæ quæ in paradiso cõmemoratur. sic ergo baptismus ecclesiæ potest esse extra ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra ecclesiam inuenitur.

Cap. 11. IDEM de vnico baptismo libro tertio.

Baptismus & sacrilegium hæreticorum non sunt sacramenta. 45

NVnc autem non sicut hæresis hæreticorum est, sicut error ipsorum est, sicut etiam sacrilegium dissensionis eorum est: sic etiam baptisma quod Christi est, nõ debet dici ipsorũ.

Cap. 13. IDEM lib. v. *De eodem.* 46

CVm tantum valeat baptismus per hominem contemptibilem quantum per Apostolum datus: ita nec illius sed Christi esse cognoscitur. Item, inuenimus dictum ob apostolis, & gloriam meam quanuis vtiq; à domino, & ministeriũ meum & prudentiam meam, & euangelium meum quanuis vtique à domino impertitum atque donatum: baptismum autem nemo eorum meum dixit omnino. neque enim omnium æqualis est gratia, neq; ministrant omnes ęqualiter, neq; æquali prudentia vel scientia sunt omnes prędit: & in euangelizando alius alio melius operatur. Et ideo dici potest, alius alio doctior est in ipsa salutari doctrina, alius autem alio magis minúsve baptizatus dici non potest, siue ab inferiore, siue à maiore baptizetur.

Cap. 15. de baptismo. IDEM in libro. iiij.

De eodem. 47

SAtis ostendimus ad baptismum quòd verbis euangelicis consecratur, non pertinere cujusquam dantis vel accipientis errorem, siue de patre, siue de filio, siue de spiritu sancto aliter

ter sentiat quàm cœlestis doctrina insinuat.

IDEM in libro de baptismo.

Quòd bonis & malis sacramenta ecclesiæ communia sunt. 48

EST vnitas ecclesiæ quæ latè patet, in sacramentorum videlicet societate & communione, quæ complectitur cum granis etiam paleas: quando eas corporaliter mixtas ita patitur, vt neq; illas iusti vitent, neque ab illis iustè vitētur. sic sunt in ecclesia homines mali, vt in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt ex corpore.

ITEM de vnico baptismo libro sexto. Cap. 10. lib. 3. de baptismo.

Non transit ad aquam baptismi malitia benedicentis. 49

NOn est aqua prophana & adultera super quam nomen dei inuocatur, etiā si à prophanis & adulteris inuocetur: quia nec ipsa creatura adultera est, nec ipsum nomen adulterū est. Ex eod. ibid.

ITEM Beda homilia. xxxvj. Beda ad cap. 3. Ioan.

Non est rebaptizandus qui ab hæreticis baptizatur. 50

SIue hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctæ trinitatis baptizet, nō valet ille qui baptizatus est, à bonis catholicis rebaptizari: ne confessio vel inuocatio tanti nominis videatur annullari.

ITEM Gregorius secundus Bonifacio episcopo. Greg. pa. 2.

Baptizati à paganis, in nomine baptizentur trinitatis. 51

QVos à paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur: vt denuò baptizes in nomine trinitatis, mandamus.

ITEM Cœlestinus papa.

Sine exorcismis & exsufflationibus nullus baptizetur. 52

SIue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non fontem vitæ prius adeant quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abijciatur. Ex eod. ibid. II. pars.

ITEM Rabanus de institutione clericorum. Cap. 25. lib. 1.

Officium baptizandi catechumeni preueniant. 53

ANte baptismum catechizandi debet hominem preuenire officiū, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. Item ipse Christus prius ceci nati oculos luto ex sputo facto superliniuit, & sic ad aquas Siloe misit: quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum iam credulus admitti. vt sciat cuius gratię in eo est particeps, & cui iam debitor fiat deinceps. Ioan. 9. b.

ITEM ex concilio Bracharensi secundo. Cap. 1.

Quo tempore catechumeni ad exorcizandum sunt differendi. 54

ANte viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni currant. in quibus viginti diebus omnino symbolum quod est, Credo in deum patrem omnipotentem, spiritualiter doceantur. Ex eod. ibid.

ITEM ex concilio Agathensi.

Quo tempore competentibus symbolum est prædicandum. 55

Ex cod. ibid. SYmbolum etiã placuit ab omnibus ecclesiis vna die, id est, ante octo dies dominicæ resurrectionis publicè in ecclesia competentibus prædicari. ITEM Nicolaus papa.

Iuo lib. 1. de baptismo.

In vnaquaque ecclesia baptizandi catechizari possunt. 56

Ex cod. ibid. CAtechismi baptizandorum à sacerdotibus vniuscuiusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in hac sancta Romana ecclesia (cui deo auctore ministerium exhibemus nostri famulatus) solenniter fieri cõprobatur. ITEM ex conc. Laodiceñ.

Cap. 46.

De eodem. 57

BAptizandos oportet fidei symbolum discere, & quinta feria vltimæ septimanę vel episcopo, vel presbytero reddere.

Cap. 49. synod. Grac. ITEM ex concilio Martini papæ.

De eodem. 58

NOn liceat ante duas septimanas Paschæ, sed ante tres ad baptismũ suscipere aliquẽ. oportet autem in his diebus qui baptizandi sunt vt symbolum discãt, & in quinta feria nouissimæ septimanæ episcopo vel presbytero reddant.

Cap. 85. ITEM ex concilio Carthaginensi quarto.

Antequam baptizentur, quilibet sunt examinandi. 59

BAptizandi nomẽ suum dent, & diu sub abstinentia vini & carniũ, & manus impositionis crebra examinatione baptismum percipiant. ITEM Rabanus de institutione clericor.

Cap. 27. lib. 1.

Baptizandi quare exorcizantur & exsufflantur. 60

Ex mag. Iuo. POstquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenunciationẽ à prioris possessoris se alienauerit seruitio, exsufflatur ab eo potestas sæua, vt per piũ sacerdotis ministerium, spiritui sancto cedat fugiens malignus spiritus. ITEM August. de symbolo libro primo. *De eodem.* 61

Cap. 1.

Ex eodem. SIcut nostis fratres charissimi, paruuli exsufflantur & exorcizantur: vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, vt possideret homines. non ergo creatura in infantibus exorcizatur aut exsufflatur: sed ille sub quo sunt qui sub peccato nascuntur.

Cap. 27. lib. 1. ITEM Rabanus de institutione clericorum.

Quare signetur baptizandus in corde & fronte. 62

Ex mag. Iuo. POstea signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis tam in corde quàm in fronte, vt ab eo tempore apostata diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signaculum, iam sibi deinceps illud sciat esse alienum.

Cap. 27. libr. 1. ITEM in libro eodem.

Quare super eum orationes dicantur. 63

Ex eodem. EXhinc iam dicũtur super eũ orationes, vt fiat catechumenus, tunc datur baptizando sal benedictum in os, vt per sal typicum

typicum sapientiæ sale conditus fœtore careat iniquitatis: ne à vermibus peccatorum vltrà putrefiat, sed magis illæsus seruetur ad maiorem gratiam percipiendam.

ITEM Beda super libros Regum. lib. II. Ivo lib. I. refert.

Quare sale initiantur catechumeni. 64

SAl cælestis sapientiæ quo initiantur catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificijs iubemur offerre. Ex eodem.

ITEM Rabanus de institutione clericorum. Cap. 27. lib. I.

Quare iterum exorcizentur. 65

DEhinc iterum exorcizentur, vt diabolus suam nequitiam cognoscēs, iustum super se dei iudicium timens, recedat ab homine, nec contendat cum arte sua subuertere ne baptismum consequatur: sed magis honorem deo creatori suo exhibens, reddat opus deo factori suo. Ex eodem.

ITEM Gregorius papa in homil. xxix. Homi. 29. euang.

Sacerdotes exorcizando dæmonia repellunt. 65

SAcerdotes cùm per exorcismi gratiam manum credētibus imponunt: & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt: quid aliud faciunt, nisi quòd dæmonia eijciūt? Ex eodem.

ITEM Rabanus de institutione clericorum. Cap. 27. lib. I.

Quare de saliua nares & aures tanguntur. 67

POstea tangitur ei nares & aures de saliua: & dicitur ei verbum euangelicum quod Iesus dixit quando surdum & mutum sanauit, tangens cum sputo linguā eius, & mittens digitos in auriculā eius dixit: Effeta, quod est adaperire: hoc enim sacramentum hic agitur, vt per saliuam typicam,[a] & sacerdotis factum, sapientia & virtus diuina salutē eiusdem catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares ad accipiēdum odorem notitiæ dei, vt aperiantur ei aures ad audiendum mandata dei, vt aperiantur ei sensus in intimo corde ad respondendum. Ex eodem. Marc. 7. d.

[a] legend. typica sacerdotis & tactum vt in mag. Yuone manusc.

ITEM Ambrosius de sacramentis. Cap. I. lib. I.

Quare nares non ora baptizandorum episcopus tangit. 68

PRopter gloriam muneris & operis non os tangit episcopus, sed nares: vt bonum odorum accipiant pietatis æternæ.

ITEM Rabanus de institutione clericorum. Cap. 27. lib. I.

Quare à sacerdote inunguntur. 69

DEinde à sacerdote inungūtur, vt sacrum baptisma cum fide accepta custodiatur, vngitur tunc illius pectus oleo sanctificato cū inuocatione sanctæ trinitatis, vt nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant, sed in fide sanctæ trinitatis mens eius confortetur. Vngitur & inter scapulas de eodem oleo, vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda per dei gratiam roboretur. Item consecratur fons, vt ad ipsum baptisma catechumenus accedat. Ex eodem.

ITEM Ambrosius in libro de sacrament. Cap. 5. lib. I.

Quomodo fontem baptismi trinitatis præsentia consecrat. 70

Ex eodem.

VEnit sacerdos ad fontem, dicit precem, inuocat nomen patris, & filij, & spiritus sancti. vtitur verbis cælestibus, cælestia sunt verba quæ Christi sunt. præsentia trinitatis adest. operatur sermo æternus, vbi descēdit spiritus sanctus. primò quasi columba descendit, vt increduli vocarentur ad fidem. in principio signum debuit esse, in posterioribus perfectio. apostolis enim spiritus sanctus datus est in igneis linguis propter incredulos: nobis autem iam in plenitudine ecclesiæ non per signa, sed per fidem veritas est colligenda.

Cap. 25. lib. 6. de baptismo.

ITEM Augustinus de vnico baptismo, libro sexto.

Verba erroris per imperitiam prolata non impediunt aquæ sanctificationem. 71

Ex mag. Yuo. 12. pars.

SI non sanctificatur aqua cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit: multi non solum mali, sed boni etiam fratres in ipsa ecclesia non sanctificant aquam. multorum enim preces emendantur quotidie si doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra catholicam fidem. nunquid si manifestetur aliquos baptizatos cum illæ preces dictæ fuissent super aquam, [a] iubentur denuò baptizari? quid ita? quia plerunq; precis vitium superat precantis affectus &: quia illa certa verba euangelica sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur quæcūque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi in nomine excluditur. Nam vtique hæreticus si afferat precem vitiosam, nec bonum habeat charitatis affectum, quo possit illa superari imperitia: & ideo similis est ei quicunque in ipsa catholica ecclesia inuidus, immundus, vel maleuolus est, quales arguit [b] hic Cyprianus: afferat etiam (vt fieri solet) aliquā precem in qua loquatur contra regulam fidei (multi quippe irruunt in preces non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas: & per ignorantiæ simplicitatē non eas valentes discernere, vtuntur eis, arbitrātes quòd bonæ sunt) nec tamē in eis quod peruersum est euacuat illa quæ recta ibi sunt, sed ab eis potius euacuatur. ITEM Augustinus ad Neophytos. Omel. iij.

a iubebūtur vet.

b illic.

Iuo lib. 1. de baptismo. Ex mag. Iuo. 13. pars.

Quid significent mysteria quæ in fonte baptismatis celebrantur. 72

PRima igitur & secūda prædicatione de his tantū locuti sumus, quæ vobis priusquā ad fontē sanctū veniretis iuxta catholicę ecclesię instituta tradidimus: & quid significaret vnctio quę diuersis corporis nostri adhibita partibus, diuersum intellectum designat (prout dn̄s donare dignatus est) interpretati sumus, cū ostēderimus vos per oleū sanctificationis ad auditum plenę fidei præparatos, & ad bonū Christi odorē vocatos: & ex toto corde adabrenunciandū diabolo esse cōmonitos: nūc verò de

rò de interioribus iā misterijs locuturi sumus quę in ipso fontē celebrata sunt. emissa enim certissima cautione q̄ vos abrenūciare omnibus pōpis diaboli, omnib' operibus eius, omni fornicationi diabolicæ spopōdistis, descēdistis in fontē sacrū, fontem redēptionis, fontē sanctificatū virtute dei cælesti. In hoc ergo fōte antequā vos toto corpore tingeremus, interrogauimus: Credis in deū patrē omnipotentē? Respondistis Credo. Rursus interrogauimus, Credis & in Iesum Christū filiū eius qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine? Respondistis singuli, Credo. Itē interrogauimus: Credis & in spiritu sanctū? Respondistis similiter, Credo. Hoc autem fecimus iuxta dn̄i nostri Iesu Christi saluatoris imperium: qui cum ad patrem in cælum ascenderet, discipulis suis, id est, apostolis mandauit dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti. Item: Quod autē interrogauimus: Credis in sanctam ecclesiā remissionē peccatoru, carnis resurrectionē? non eo modo interrogauimus, vt quomodo in deum creditur: sic & in ecclesiam sanctam catholicā: quæ propterea sancta & catholica est, quia recte credit in deum. nō ergo diximus vt in ecclesiam quasi in deum crederetis: sed intellige nos dicere & dixisse vt in ecclesia sancta catholica cōuersantes in deum crederetis: crederetis etiā resurrectionem carnis quæ futura est. ITEM Isido. de officijs. lib. ij.

Matth. 28. b.

Cap. 24. lib. 2.

Aliorum fide & professione paruuli baptizantur. 73

PAruuli alio profitente baptizātur, quia adhuc loqui vel credere nesciunt: sicut etiam ægri, muti, & surdi: quorum vice alius profitetur, vt pro eis respondeant dum baptizantur.

Ex Iuo. 1. part. 14. pars.

ITEM ex concilio Carthag.[a] iiij.

Cap. 34. conc. Carthag. 3.
a al. ex concilio Carnotens.

Aliorum testimonio ægrotantes sunt baptizandi. 74

AEgrotantes si pro se respondere non possunt: cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur. similiter & de pœnitentibus agendum est. ITEM August.

Epist. 23. ad Bonifacium.
Ex eod. ibid.

Sacramentum fidei non ipsa fides paruulum facit fidelem. 75

NIhil est aliud credere, quàm fidē habere: & per hoc totum respondetur credere paruulus qui fidei nondum habet effectum. respondetur habere fidem propter fidei sacramentum: & conuertere se ad dominum propter conuersionis sacramentum: quia & ipsa responsio ad celebritatē sacramenti pertinet. Item paruulum etsi nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit: sicut credere respondetur. ita etenim fideles vocantur, non rem ipsam mente abnuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. IDEM in lib. de baptismo.

Cap. 24. lib. 4.

Alterius professio non valet ei qui per se respondere potest. 76

CVm pro paruulis alij respondent vt impleatur erga eos celebra-

lebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem: quia ipsi pro se respondere non possunt. at si pro eo qui respondere potest, alius respondeat: non itidem valeat. Ex qua regula illud euangelij dictum est, quod omnes (cum legitur) naturaliter monet: Aetatem habet, ipse pro se loquatur.

Ioan 9. d.

Iuo lib. 1. refert. ITEM August. in homilia iiij.

Quare trina mersio in baptismate celebretur. 77

Ex eod. POstquam vos credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus. qui ordo baptismatis duplici mysterij significatione celebratur, rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine sanctæ trinitatis. rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui etiam die tertia resurrexit à mortuis. illa enim tertiò repetita demersio typum dominicæ exprimit sepulturæ: per quam Christo consepulti estis in baptismo & cum Christo surrexistis in fide: vt peccatis absoluti, in sanctitate virtutum Christum viuatis imitando.

Cap. 150. ITEM ex canonibus apostolorum.

De his qui semel non tertiò in baptismate merguntur. 78

Ex Iuone. SI quis presbyter aut episcopus non trinam mersionē vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate (quod dari à quibusdam iubetur in morte domini) deponatur. Non enim dixit dominus nobis: In morte mea baptizate: sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti. ITEM Greg. Leonardo episcopo.

Matth. 28. d

Epist. 41. lib. 1.

De eodem. 79

15. pars. DE trina mersione baptismatis nihil responderi verius potest quàm quod ipsi sensistis: quia in vna fide nil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa. nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta significamus: & dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur. quod si quis forte etiam pro summæ trinitatis veneratione existimet fieri: neque hoc aliquid obsistit baptizandos semel in aquis mergere: quia dum tribus subsistentijs vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel immergere: quoniam etiam in tribus mersionibus personarum trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.

In comment. epist. ad Ephe. Cap. 4. ITEM Hiero. super epistolam ad Phil. lib. ij.

De eodem. 80

EOdem modo in patre & filio & spiritu sancto baptizamur, & ter mergimur, vt trinitatis vnum appareat sacramētum. Item. Licet ter baptizetur propter mysteriū trinitatis, tamen vnum baptisma reputatur.

ITEM Pelagius papa Gaudentio episcopo.

De his qui in nomine Christi semel tantum mergunt. 81

MVlti sunt qui in nomine solummodo Christi vna etiam mersione se asserunt baptizare. euangelicum vero præceptum ipso deo & domino saluatore nostro Iesu Christo dicente & tradente nos admonet in nomine trinitatis trina etiã mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere, dicente domino Iesu Christo discipulis suis: Ite baptizate omnes gentes in nomine patris & filij, & spiritus sancti. *Ioan.6.f.*

ITEM Zacha. papa Bonifacio episcopo.

In inuocatione trinitatis tertiò in baptismate mergere debemus. 82

IN synodo Anglorum decretum firmissime præceptum, & diligenter demõstratum esse dinoscitur quòd quicunq; sine inuocatione trinitatis merssus fuisset: sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum est: quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine inuocatione trinitatis, perfectus Christianus non est nisi in nomine patris & filij, & spiritus sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque obseruari in prædicta synodo sacerdotes voluerunt, vt qui vel vnam de trinitate personã in baptismo non nominaret, illud baptisma esse verum non posset: quod pro certo verum est: quia qui vnum ex sancta trinitate confessus non fuerit nomẽ, perfectus Christianus esse non potest. qui enim confitetur patrem & filium: si confessus non fuerit spiritum sanctum: neque patrem habet, neque filium: & qui confessus fuerit patrem & spiritum sanctum: & filium non fuerit confessus: neq; patrẽ habet, neq; spiritum sanctũ, sed vacuus est à diuina gratia. *Ex eod. ibid. 16. pars.*

ITEM Gregor. Quirino episcopo in Hybernia. *Epist.61. lib.9*

Rebaptizentur qui in nomine trinitatis baptizati non fuerint. 83

HI vero hæretici qui in trinitatis nomine non baptizant sicut sunt Bonosiani & Cataphrygę: quia & illi Christũ dominum non credunt: & isti spiritum sanctum peruerso sensu esse quendam paruum hominem montanũ credunt (quorum similes multi sunt alij tales) cum ad sanctam ecclesiam veniunt, baptizentur: quia baptisma non fuit quod in errore positi sanctæ trinitatis nomine minime perceperunt.

ITEM ex concil. Tolet. iiij. *Cap.5.*

Semel in baptismate mergere licet. 84

PRopter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismatis mersionem. *Ex Yuone. In epist decret.*

ITEM Zacharias papa Bonifacio episcopo.

De sacerdote qui per ignorantiam lingua Latinæ in inuocatione trinitatis deliquit. 85

REtulerũt[a] nuncij tui quòd fuit in eadem prouincia sacerdos qui Latinam linguam penitus ignorabat: & dũ baptizaret,

a Solecismus nõ viciat formulam baptismi sed viciat rescriptum Papæ c. ad audientiam ext. de rescriptis.

zaret, nesciens loqui Latinè, infringẽs linguam diceret: baptizo te nomine patria & filia & spiritua [a sancta] & per hoc tua reuerenda sanctitas considerauit eos rebaptizare. sed sanctissime frater, si ille qui baptizauit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam (vt suprà diximus) hoc baptizans dixisset. non possumus consentire vt denuo baptizentur.

a al. scientia in mag. Iuonę.

Cap. 2. lib. 1. ITEM Ambro. de sacramentis tractatu primo.

Quare baptizati à sacerdote vngantur. 86

Iuo. c. 17. pars.

VEnisti ad fontem: ingressus es. considera quid videris, quid locutus sis, diligenter, repente occurrit tibi leuita, occurrit tibi presbyter. vnctus es quasi athleta dei: vt ad baptismum catechumenus accedas.

Cap. 28. lib. 1. de instit. cleri. Et a Iuo. lib. 18. pars. ITEM Rabanus in epistola ad Ephe. lib. ij.

Quare baptizatus à presbytero, vngatur in cerebro. 87

POstquam ascendit baptizatus de fonte, statim signatur à presbytero in cerebro cum sacro chrismate, sequente similiter oratione: vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari.

Cap. 27. lib. 2. ITEM Amb. de sacramentis tractatu ij.

Quid super baptizatum à sacerdote dicatur. 88

Ibid.

EMersisti: venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? deus (inquit tibi) pater omnipotẽs qui te regenerauerit ex aqua & spiritu sancto, concessitque peccatorum tuorum veniam: ipse te inungat in vitam æternam. Vide vbi inũctus es. in vitam æternam, inquit. ITEM.

Idẽ Amb. ca. 6. li. de his qui initiatur mysterijs. Ibidem.

Quare vnguentum super caput baptizandi ponatur. 89

ACcepisti mysterium, hoc est, vnguentum super caput. quare super caput? quia sapientis sensus in capite eius. Sequitur spirituale signaculum quod audisti legi hodie quod post fontes superest, quo perfectio fiat quando ad inuocationem sacerdotis spiritus sanctus infunditur.

Cap. 29. lib. 1. ITEM Rabanus de instit. cleri.

Quare candida vestis traditur Christianis. 90

Ex eod. Iuo. ibi.

POst baptismum traditur Christianis vestis candida, quæ significat innocentiam & puritatem Christianam: quã post ablatas veteres maculas studio sanctæ cõuersationis immaculatam seruare debet, repræsentandam ante tribunal Christi, cuncti vero renati albis induũtur vestibus ad mysterium resurgentis ecclesiæ. Item vtuntur baptizati albis vestibus: vt quorum primæ natiuitati faciem vetusti erroris pannus fuscauerat habitus, secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. tegitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine: vt intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri. ITEM Ambrosius de mysterijs.

Cap. 7. lib. de ijs qui initiantur.

De

De eodem. 91

ACcepisti post baptismum vestimenta candida: vt esset indicium quòd exueris voluptate peccatorum: & indueris innocentię casta velamina. Ibidem.

ITEM ex concilio. Agathen. Cap. 34.

Quot mensibus Iudæi inter catechumenos habeantur. 92

IVdæi quorum perfidia frequenter ad vomitum redit: si ad leges catholicas redire voluerint, octo menses inter catechumenos ecclesiæ limen introeant: & si pura fide venire noscuntur, tunc demum baptismi gratiam mereantur. Quod si casu aliquo periculum infirmitatis intra præscriptum tẽpus incurrerint, & desperati fuerint, baptizentur. Ex eod. ibid. 18. pars.

ITEM ex concilio Toleta. v. Cap. 58. conc. Toleta. 4.

De Iudæis pleris que frequenter ad Iudaismum redeuntibus. 93

PLerique ex Iudeis qui dudum ad Christianã fidem promoti sunt, nunc blasphemantes Christum nõ solum Iudaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circuncisiones exercere. de quibus cõsulti pijssimi ac religiosissimi domini nostri Sisemundi* regis hoc sanctum decreuit cõcilium, vt huiuscemodi transgressores pontificali auctoritate correcti, ad cultum Christianæ dignitatis reuocentur: vt quos propria voluntas non emendat, animaduersio sacerdotalis coerceat. Eos autem quos circuncidunt: si filij eorum sint, à parentum consortio separentur. si serui, pro iniuria corporis sui libertati tradantur. Ex eod. ibid. *Sigismundi. in lib. Yuo. Sisemandi.

ITEM Rabanus de instit. cleric. Cap. 27. lib. 1.

Ante baptismum diabolo & eius operibus renunciare debemus. 94

PRimum interrogetur paganus si abrenunciat diabolo, omnibus pompis & omnibus dãnosis eius operibus, atque fallacijs cunctis vt respuat primum errorẽ: & sic appropinquet ad veritatem, possitque iuxta apostolum deponere veterem hominem secundum pristinam conuersationem, qui corrũpitur secundum desideria erroris: abnegans impietatem, & secularia desideria. Ex mag. Yuo. Ephes. 4. Col. 3. b.

ITEM Aug. de pœnitentia. Cap. 2. lib. de pœnitentiæ medicina.

Non transit in nouam vitam quem non pœnitet veteris vitæ. 95

OMnis qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est: cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi eum pœniteat veteris vitæ, nouam non potest inchoare. ab hac pœnitentia cum baptizantur soli paruuli immunes sunt. nondum enim vti possunt libero arbitrio.

IDEM ad Salactitanum. Epist. 108. ad Seleucianam.

Ante baptisma pœnitentiam agere debemus. 96

AGunt homines ante baptisma pœnitentiam de prioribus peccatis: ita tamen vt etiam baptizantur: sicut scriptum est in Actibus apostolorum loquente Petro ad Iudæos ac dicente: Agite pœnitentiam: & baptizetur vnusquisque vestrum Ex mag. Iuo. Acto. 2. f.

quos suscepistis de sacro fonte, ostendite. ITEM ex concilio [a]Hilerdensi.

a In magn. Iuo. scrib. Meldensi.

Ad baptizandi officium, & ad vestimenta altaris lauanda sacerdos propria debet habere vasa. 105

OMnis presbyter qui fontem lapideum habere nequiuerit, vas conueniens solummodo ad baptizādi officiū habeat, quod extra ecclesiam non deportetur. similiter ad corporale lauandum, & ad pallas altaris propria habeantur vasa: in quibus nihil aliud fiat.

• 20. *pars.*

ITEM ex concilio Carthag. quarto.

Cap. 38. conci. Carthag. 3. Ex eod. ibid. 21. par.

Neque rebaptizationes, neque reordinationes fieri licet. 106

NOn licet fieri rebaptizationes, neque reordinationes vel translationes episcoporum.

ITEM ex epistola Augustini ad Maximum.

Epist. 203. ad Maximinum.

De eodem. 107

REbaptizare hæreticum hominē qui hæc sanctæ trinitatis signa susceperit, quę Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est: rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est.

ITEM ex concilio Arelateñ. j.

Cap. 8.

De Arianis quando baptizentur, & quando non. 108

DE Arianis qui propria lege sua vtuntur: placuit si ad ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostrę fidei symbolum sacerdotes: & si præuiderint eos in patre & filio & spiritu sancto esse baptizatos, manus eis tantum imponant, vt accipiant spiritum sanctum. qui si interrogati non responderint hanc trinitatem, baptizentur.

ITEM Gregorius quartus Bonifacio.

Baptizentur, de quibus ignoratur an sint baptizati. 109

PAruulos qui à parentibus subtracti sunt: & an baptizati sint, an non, ignoratur: vt hos baptizare debeas secundum patrum traditiones si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.

ITEM ex concilio Carthaginensi. v.

Cap. 6.

De eodem. 110

PLacuit de infantibus quotiens non inueniuntur certissimi testes qui eos baptizatos sine dubitatione esse testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque vllo scrupulo eos esse baptizādos, ne ista trepidatio eos faciat sacramētorum purgatione priuari. hinc etiā legati Maurorum fratres charissimi consuluerunt, quia multos tales à Barbaris redemerunt. Similiter de ecclesiis quotiens super earum consecratione hæsitatur, agendum est, id est vt sine vlla trepidatione consecrentur.

Ex eod. ibidem.

ITEM Leo papa [Leoni] Rauennati episcopo.

Leo. I. epist. 35

Ex mag. luo. p. 1
a legend. aliter, vt in vet.
b legendū. consecratus est

De eodem. 111

CVm itaque baptismi sui nihil recordetur qui regenerationis est cupidus, nec [a]aliter attestari de eo possit qui sciat [b]se consecratum: nec ille qui [b]consecratur, scimus quidem inexpiabile esse facinus quotiens iuxta hæreticorū dogmata contra sanctorum patrum instituta cogitur aliquis lauacrū quod regenerandis semel tributum est, bis subire apostolica reclamante sententia, quæ nobis vnam prædicat in trinitate deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in baptismate sacramentum. Sed in hoc simile nihil formidatur: quoniam non potest in iterationis crimen venire quod omnino factum esse nescitur: atque ideo quotiens persona talis inciderit, solita primùm examinatione discutire, & longo tempore (nisi fortè supremus finis immineat) indagate, vtrum nemo penitus sit qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis: & cùm constiterit hunc qui baptismatis indiget sacramento sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cuius in se nullum scit esse vestigium: nec vereamur huic salutis ianuam aperire, quam nunquam antè docetur ingressus.

Leo epist. 90. ad Rusti. Narb. ep. al. Aquileiensi episcopo.
Ex eod. ibid.

IDEM.

De eodem. 112

SI nulla extant indicia inter propinquos & familiares, nulla inter clericos aut vicinos quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur: agendum est vt renascantur, ne manifestè pereant in quibus quod non ostenditur gestum: nulla ratio sinit vt iteratum videatur. Qui autem possunt meminisse quòd ad ecclesiam veniebant cum parentibus, possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas interuenit præsumptionis vbi est diligentia pietatis.

Cap. 5. lib. 6.

ITEM Augustinus contra Iulianum.

Non baptizatur cum matre quicquid in eius corpore est. 113

Ex eod. ibidem. 22. pars.

SI ad matris corpus, id quod in ea concipitur, pertinet, ita vt eius pars deputetur: nō baptizaretur infans cuius mater baptizata est aliquo mortis vrgente periculo cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizetur, non vtique bis baptizatus habetur, non vtique ad maternum corpus cùm esset in vtero, pertinebat.

ca. 23. li. 1. de summo bono.

ITEM Isidorus sententiarum lib. primo.

Quare non baptizatur cum matre, qui in eius vtero est. 114

QVi in maternis sunt vteris, ideo cum matre baptizari non possunt: quia qui natus adhuc secundum Adam nō est, secundum Christum regenerari non potest. neque enim dici

in eum

in eum regeneratio poteſt, quem generatio non præceſſit. Qui ſcelerate viuunt in eccleſia, & communicare non deſinunt, putantes ſe tali cõmunione mundari: diſcant nihil ad emundationem proficere ſibi.

ITEM ex concilio Martini papæ.

De eodem. 115

Ca. 54. ſynodorum Græcarum. Ex eodem.

SI qua mulier prægnans deſiderauerit gratiam baptiſmi percipere: quando voluerit, habeat poteſtatem. nam nihil participat in hoc mater infanti qui naſcitur, propterea quòd vnicuique propria voluntas in confeſſione monſtratur.

ITEM ex pœnitentiali Theodori.

Ivo libro 1.

De his qui ignoranter bis baptizantur. 116

23. pars.

QVi bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere, niſi quod ſecundum canones ordinari non poſſunt, niſi aliqua magna neceſſitas cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati ſunt, quia quaſi iterum crucifixerunt Chriſtum, per ſeptem annos pœniteant. quarta & ſexta feria, & tres quadrageſimas ieiunent, ſi pro vitio aliquo fecerint. ſimiliter ſi pro munditia putauerint: tribus annis ſimiliter pœniteant.

ITEM Felix papa.

Felix. 3.

De his qui ex induſtria bis baptizantur. 117

EOs quos epiſcopos, presbyteros vel diaconos fuiſſe conſtiterit, & ſeu optantes forſitan, ſeu coactos lauacri illius vnici claruerit feciſſe iacturam: vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia (ſi reſipiſcunt) iacere conueniat: nec orationi, nec modo fidelium, ſed nec catechumenorum quidem omnibus modis intereſſe, quibus laica tantum communio in morte eſt reddenda.

De clericis autem & monachis & puellis dei aut ſecularibus ſeruari præcipimus & hunc tenorem, quem Nicæna ſynodus inter eos qui lapſi ſunt vel fuerint, ſeruandum eſſe conſtituit: vt ſcilicet qui nulla neceſſitate, nullius rei timore atque periculo ſe vt rebaptizentur hæreticis impiè dederunt: ſi tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes ſint: ſeptem verò ſubiaceant inter pœnitentes, manibus ſacerdotum duobus annis etiam oblationes modis omnibus non ſinantur offerre: ſed tantummodo popularibus in oratione ſocientur, nec confundantur deo colla ſubmittere, qui eum non timuerunt abnegare. Pueris autem quibus (qui adhuc impuberes ſunt) à pubertate vocabulum eſt: ſeu clericis, ſeu laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis; aliquandiu ſub manus impoſitione detentis eſt reddenda communio, nec eorum eſt expectanda

pœnitentia,

Pœnitentia, quos excipit ad coercitionem censura.

Inn. I. epist. I.

ITEM Innoc. papa Decentio episcopo.

Presbyteris baptizatos chrismate vngere licet. 118

24. pars.

PResbyteris, seu extra episcopum, seu episcopo præsente cùm baptizant, chrismate baptizatos vngere liceat. Sed quod ab episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cùm tradunt paracletum.

Epist. 9. lib. 3.

ITEM ex regesto Gregorij ad Ianuarium episcopum Carolitanum.

Baptizatos in frontibus presbyteris vngere non licet. 119

PResbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate non præsumant: sed presbyteri baptizatos vngant in pectore: vt episcopi postmodum confirment in fronte.

Ino lib. I. de baptismo.

ITEM ex concilio apud Beluacum.

Chrismate pannum secundo linire, & super alium baptizatum mittere licet. 120

SI quis voluerit chrismate pannum iterum linire, & super alium baptizatum mittere: non est absurdum.

ITEM ex concilio Lugdunensi.

De veteri chrismate baptisma consecrare non licet. 121

SI quis de alio chrismate quàm de illo nouo quod pro episcopi largitione vel concessione acceperit, baptizare (nisi præoccupante morte) tentauerit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

ITEM ex concilio apud Valentiam.

Non nisi à proprijs episcopis presbyteri chrisma accipiant. 122

PResbyteri qui diœcesanas regunt ecclesias, non à quibuslibet episcopis, sed à suo: nec per minorem clericum, sed per seipsos, aut per illum qui eiusdem ordinis sit, ante Paschæ solennitatem chrisma petant.

Cap. 51. ex synodis Græcorum

ITEM ex concilio Martini papæ.

Conficere chrisma, & per diœceses destinare omni tempore episcopo licet. 124

OMni tempore licet episcopo chrisma conficere, & per suas diœceses destinare: ita vt ad accipiendum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem paschæ de singulis ecclesiis ad episcopum destinetur. Presbyter verò præsente episcocopo non signet infantes, nisi fortè ab episcopo fuerit illi præceptum: nec liceat presbytero prius episcopo introire in baptisterium, sed cum episcopo, nisi fortè aut absens fuerit, aut ægrotus.

cap. I.

ITEM ex concilio Arausico.

Qui baptizandi recipit officium, sine chrismate proficisci non debet. 125

NVllus ministrorum qui baptizandi recipit officium, sine chrismate vsquam debet progredi: quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem qui in baptismate quacunque necessitate faciente chrismatus non fuerit: in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi vna benedictio est. Non præiudicantes cuiquam hoc dicimus: sed vt necessaria habeatur chrismatio.

ITEM [a] capitulorum lib. v. cap. lxxvj.

a capitularium lib. 6. c. 7.

Antequam chrisma infundatur, ad aspergendum aquam de fonte accipere licet. 126

Ivo lib. 1. refert.

IN sabbato sancto paschæ vel pentecostes si quis velit aquã consecratam in domo sua ad aspersionẽ recipere: ante chrismatis infusionem percipiat.

ITEM Cyprianus papa.

Cypr. *episcopus epist. 7. lib. 4.*

Vnde aspersionis sanctificatio exordium sumpserit. 127

NEc quenquam debet mouere quod aspergi vel perfundi iubentur ægri cùm gratiam dominicam consequuntur, cum scriptura sacra per Ezechielem prophetam loquatur & dicat: Aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus simulacris vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis.

Ezech. 36. f

Item in Numeris: Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: aspergatur de hac aqua die tertia & septima, & sic mundabitur. Item si fide trinitatis mundatus non fuerit, in resurrectione apud sanctorum collegium immundus erit. si die tertio aspersus non fuerit: septimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinium, & aspersus ex hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum domini: & peribit ex Israël: quia qui aqua aspersus non est expiationis, immundus erit: & manebit spurcitia eius super eum. Et iterum: Et locutus est dominus ad Moysen, dicẽs: Accipe Leuitas de medio filiorum Israel: & purificabis eos: & ita facies eis purificationẽ eorum: circumsperges eos aqua purificationis. Et iterũ: Aqua aspersionis purificatio est. vnde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lauacri obtinere: & quando hæc in ecclesia fiunt, verissimè scitur per accipientis & dantis fidem & integram stare omnia, & consummari ac perfici posse maiestate domini, & fidei veritate. Spiritus verò sanctus non dimẽsuratur, sed super credentes totus infunditur. nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si sol super omnes pari & æquali luce diffun-

Num. 19. b.

Numeri 8. a

diffunditur, quãto magis Chriſtus ſol & dies verus in eccleſia ſua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? cuius æqualitatis ſacramentum videmus in Exodo eſſe celebratum cùm de cælo manna deflueret,& futurorum præfiguratione alimentũ panis cæleſtis & cibum vel cultum Chriſti venientis oſtenderet. Illic enim ſine diſcrimine vel ſexus vel ætatis,Gomor ſinguli æqualiter colligebant. vnde apparebat Chriſti indulgentiam & cæleſtem gratiam poſtmodum ſecuturam æqualiter omnibus diuidi : ſine ſexus varietate, ſine annorum diſcrimine,ſine acceptione perſonæ ſuper omnem dei populum ſpiritualis gratiæ dei munus infundi. Planè eadem gratia ſpiritualis quæ in baptiſmo æqualiter à credentibus ſumitur, in conuerſatione,atque actu noſtro poſtmodum vel minuitur vel augetur , vt in euangelio dominicum ſemen æqualiter ſeminatur: ſed pro varietate terræ aſſumitur . aliud in multiformem copiã vel trigeſimi,vel ſexageſimi, vel centeſimi numeri fructum exuberanter cumulatur . Quod ſi aliquis in illo mouetur , quòd quidam ex his qui baptizantur ,ægri ſpiritibus immundis adhuc teneantur: ſciat diaboli nequitiam pertinacem vſque ad aquã ſalutarem valere : in baptiſmo verò omnis nequitiæ ſuæ vires amittere. Quod exemplum cernimus in Pharaone,qui reluctatus,& in ſua perfidia demoratus tandiu reſiſtere potuit & præualere , donec ad aquam veniret : quo cùm veniſſet,victus eſt,& extinctus. Mare illud ſacramentum baptiſmi fuiſſe, declarat beatus Paulus dicens : Nolo enim vos ignorare fratres,quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt,& omnes per mare trãſierũt,& omnes in Moyſe baptizati ſunt, & in nube & in mari.& addidit dicens: Hæc autem omnia in figura noſtri facta ſunt:quòd hodie videlicet per exorciſtas voce humana,& poteſtate diuina flagelletur & vratur & torqueatur diabolus. & cùm exire ſe, & homines dimittere ſæpe dicat: in eo tamen quod dixerat, fallat : & id quod per Pharaonem prius geſtum eſt , eodem modo obſtinationis & fraudis exerceat,cùm tamen ad aquam ſalutarem atque baptiſmi ſanctificationem venitur : ſcire debemus & confidere quòd illic diabolus opprimitur:& homo dicatus deo diuina indulgentia liberatur .

Exod.16.d. *Matt.13.d.* *Exod.14.* *1.Cor.10.a*

ITEM Ioannes Chryſoſt. in epiſt. ad Hebræos.

De his qui vſque ad exitum vitæ ſuſcipere baptiſma differunt. 128

Homil. 13. ad. cap.7. 25. pars.

QVando quis propterea peccat, vt ſanctum baptiſma in nouiſſima ſua expiratione ſuſcipiat: fortaſſis non adipiſcitur. & credite mihi,nõ terrens vos dico quod dicturus ſum. multos noui qui hoc paſſi ſunt , qui ſpe baptiſmatis multa peccabant:circa diem autẽ mortis diſceſſerũt vacui. deus enim propter hoc baptiſma tribuit, vt ſoluat peccata,nõ vt addat. ſi verò quis

quis ad hoc vtitur baptiſmate, vt ampliora delinquat: ipſum ferit negligentiæ cauſa.

ITEM Auguſtinus ad Bonifacium. *Epiſt. 23. in principio. 26. pars.*

Paruulo baptizatus parentum non nocet perfidia. 129

QVæris à me vtrum parentes baptizatis ſuis paruulis noceant, cum eos dæmoniorum ſacrificiis ſanare conantur. Quomodo eis proſit cùm baptizantur parentum fides, quorum eis non poteſt obeſſe perfidia? Vbi reſpondeo tantam illius ſacramenti, hoc eſt baptiſmi ſalutaris eſſe virtutem in ſancta compage corporis Chriſti, vt ſemel regeneratus per aliorũ voluntatem deinceps non poſſit vinculo alienæ iniquitatis obſtringi, cui nulla ſua voluntate conſenſit. Anima enim patris mea eſt (inquit) & anima filij. Et iterum: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. *Ezech. 18. a* *Ibidem c.* non enim peccat ipſa cùm parentes eius omnino neſcienti, vel quilibet alius adhibet ſacrilegia dæmoniorum. Sed verò ex Adam traxit quod ſacramenti illius gratia ſolueretur, quia nondũ erat anima ſeparatim viuens. i. altera anima, de qua diceretur. Et anima patris mea eſt, & anima filij. Iam itaq; dicit q cùm homo in ſeipſo eſt, & ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius ſine ſua conſcientia nõ tenetur obnoxius. Quomodo itaque in paruulũ maiores peccãt offerentes eũ atq; obligare conantes dæmonũ ſacrilegis vinculis? nõ eſt anima vtrorũque cõmunis, vt etiam culpã poſſint habere communẽ. nõ enim ſic cõmunicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodũ communicatur gratia per ſpiritus ſancti vnitatem. Item, Regenerans ſpiritus ſanctus in maioribus offerẽtibus, & paruulo renato oblatóque communis eſt.

Item. Per hanc ſocietatem vnius eiuſdemque ſpiritus prodeſt offerentium voluntas paruulo oblato. poteſt enim & in hoc & in illo homine (etiam ſi ſe inuicem neſciant) vnus ſpiritus eſſe: per quem ſit vtriuſque gratia communis: non tamẽ poteſt ſpiritus vnus eſſe hominis huius & illius per quem peccat alter: vt altero non peccante, ſit tamen culpa cõmunis. ac per hoc poteſt paruulus ſemel ex parentum carne generatus, Dei ſpiritu regenerari, vt ex illis obligatio contracta ſoluatur. Non poteſt autem dei ſemel ſpiritu regeneratus, ex parentum carne regenerari, vt obligatio quæ ſoluta eſt, iterum contrahatur: & ideo ſemel perceptam paruulus gratiam Chriſti non amittit, niſi propria impietate. Veruntamen rectè dicuntur parentes vel quicunque maiores filios, ſeu quoſlibet paruulos baptizatos dæmoniorum ſacrilegiis obligare conantes, ſpiritualiter homicidæ. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt: ſed quantum in ipſis eſt, interfectores fiunt. Rectè ergo illis dicitur quando ab hoc ſcelere prohibentur: Nolite occidere paruulos veſtros. dicit enim Apoſtolus:

ſtolus: Spiritum ſanctum nolite extinguere: non quia ille extingui poteſt, ſed quantum in ipſis eſt extinctores eius meritò dicuntur qui ſic agunt vt extinctum velint. Nec illud te moueat, & cæt. & infra. Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria. offeruntur quidem paruuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis quorum geſtantur manibus (quanuis & ab ipſis ſi etiã ipſi boni fideles ſunt) quàm ab vniuerſa ſocietate ſanctorum atq; fidelium. Ab omnibus nanque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum ſancta atque indiuidua charitate ad communionem ſancti ſpiritus adiuuantur. Tota ergo hæc ſancta mater eccleſia quæ in ſanctis ſuis eſt, facit: quia tota omnes, tota ſingulos parit. Difficillimam ſanè quæſtionem tibi propoſuiſſe viſus es in extremo inquiſitionis tuæ, ea videlicet intentione qua ſoles vehementer cauere mendacium. Si conſtituam (inquis) ante te paruulum: & interrogem vtrum cùm ad ætatem adultam venerit, futurus ſit caſtus, vel fur, vel non ſit futurus, ſine dubio reſpondebis, neſcio. Et vtrum in eadem paruula ætate conſtitutus cogitet aliquid vel boni vel mali: dices neſcio. Si itaque de moribus eius futuris nihil audes certi promittere, & de eius præſenti cogitatione, quid eſt aliud quàm quando ad baptiſmum offeruntur, pro eis parentes reſpondent tanquam fidei auctores, & dicunt illos facere quod illa ætas cogitare non poteſt, aut ſi poteſt, occultum eſt? Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, & dicimus: credit in deum? de illa ætate quæ vtrum ſit deus, ignorat. Reſpondent, credit: & ad cætera quæ ſingula quæruntur, ſic reſpondent. Vnde miror parentes in iſtis rebus tam fidenter pro paruulo reſpondere, vt dicant eum tanta bona facere, quæ ad horam qua baptizatur, baptizator interrogat: tamen eadem hora ſi ſubiiciam, erit caſtus qui baptizatur vel fur, aut non erit? neſcio vtrum audeat dicere aliquis aliquid horum erit, vel non erit: ſicut mihi reſpondet ſine dubitatione quòd credit in Deum, aut quòd ſe conuertat ad dominum. Ecce facio quantum poſſum, Dominus adiuuet vt quod poſtulas, poſſim. Nempe ſæpe ita loquimur, vt Paſcha appropinquante craſtinam vel perendinam eſſe domini paſſionem dicamus: cùm ille ante multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel ipſa paſſio facta ſit. nẽpe ipſo die dominico dicimus: Hodie dominus reſurrexit, cùm ex quo reſurrexit, tot anni tranſierunt. Cur nemo tam ineptus eſt vt ita nos loquentes arguat eſſe mẽtiros? niſi quia iſtos dies ſecundũ illorũ quibus hæc geſta ſunt ſimilitudinẽ nuncupamus, vt dicatur ipſa dies quæ non eſt ipſa reuolutione tẽporis, ſed ſimilis eius, & dicatur illo die fieri propter ſacramenti celebrationem, quod non illo, ſed iam olim

factum

factum est in alio, itaque paruulum &c. & infra. Cùm autem homo sapere cœperit, non illud sacramentum repetit, sed intelligit eiusque veritati consona voluntate coaptabitur: sed hoc quandiu puer intelligere non potest, valebit sacramẽtum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates: & tantum valebit, vt si ante maioris ætatis vsum ex hac vita migrauerit, per ipsum sacramentum commendata ecclesiæ charitate ab illa condemnatione quæ per vnum hominẽ intrauit in mũdum, Christiano adiutorio liberetur. Qui hoc non credit, & fieri nõ posse arbitratur, profectò infidelis est, etiam si habeat fidei sacramentum: longéque melior est iste paruulus, qui etiam si fidem non habeat in cognitione, non ei tamẽ obicem contrariæ cogitationis opponit, vnde sacramentum eius salubriter percipit. ITEM Bonifacio contra Pelagianorum hæresim.

Aliorum fides in baptismate paruulos saluat. 130

IN ecclesia saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex aliis quæ in baptismo remittuntur peccata traxerunt: nec illud cogitetis, eos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaueritis carnem meam &c. IDEM. *Ioan. 6. f* *Beda ad ca. 10. 1. ad Cor ex eadem scribit.*

Corpore & sanguine Christi participat, qui per baptisma membrum eius efficitur. 131

NVlli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquenque fidelium corporis sanguinisque domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi corporis efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus, abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quãdo ipse hoc quod ipsum sacramentum est, inuenitur.

IDEM de baptismo paruulorum. *Aug. ca. 25. lib. 2. de peccatorũ meritis & remissione & baptismo paruulorum. 27. pars.*

Quare sit baptizandus, qui de baptizato nascitur. 132

SI baptizata est caro Christi, quæ sine peccato erat, propter exẽplum imitationis: quãto magis baptizãda est caro mortis propter euitandũ iudicium damnationis? Sicut verò in tempore circũcisionis qui de circũciso nascebatur, fuit circũcidendus: sic nunc qui de baptizato nascitur, erit baptizãdus. Sacramentũ enim baptismi, sacramentũ est regenerationis. Quare sicut qui non vixerit, nõ potest mori: ita qui natus non fuerit, nõ potest renasci: ex quo cõspicitur neminẽ in suo parente potuisse renasci, cùm nondum sit natus: & quamuis parenti post conuersionẽ propria peccata non obsunt, tamen illis obsunt qui ab eo generantur. Parenti propter hoc non obsunt, quia renatus est: illis autem qui de illo nati sunt nisi eodem modo

renascantur, quæ à parente contracta sunt, oberunt, quia etiã innouatus est pater: non de nouitate, sed de reliquiis vetustatis carnaliter gignit, & filij ex reliqua parentum vetustate carne propagata peccati damnationem sacramento regenerationis euadunt. ITEM in Enchiridio.

Cap. 52.

In baptismate omnia peccata moriuntur. 133

Rom. 6. a

VT ostẽderet Apostolus nos mortuos esse peccato, inquit: An ignoratis quoniam quicunque baptizati sumus in Iesu Christo, in morte ipsius baptizati sumus? Si ergo hinc ostẽdimur mortui esse peccato: quia in morte Christi baptizati sumus, profectò paruuli qui in Christo baptizantur, peccato moriuntur: quia in morte ipsius baptizantur. Nullo enim excepto dictum est: Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. & ideo dictum est, vt probaret nos mortuos esse peccato. Paruuli autem renascendo moriuntur illo peccato quod nascendo contraxerunt: & per hoc pertinet ad ipsos quod sequitur: Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte. Baptizatis igitur in morte Christi, in qua non solùm maiores. verumetiam paruuli baptizantur, ait: Sic vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuẽtes autem Deo in Christo Iesu. ITEM in eodem.

Ibidem.
Cap. 43.

Sicut nulli baptismus negatur, ita nemo est qui non peccato moriatur. 134

*al. incipit paruulo.

A Paruulo * recenter nato vsq; ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo, sed paruuli tantum originali, maiores autem omnibus etiam moriuntur peccatis quæ malè viuendo addiderunt originali. IDEM in eodem.

Aug. ca. 49. Enchiridij ad Laurentium.

In baptismo Ioannis non erat peccati remissio. 135

NOn regenerabãtur vel renascebãtur qui baptizabantur baptismo Ioannis: sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat: Parate viam domino Christo, in quo solo renasci poterant qui parabantur. huius enim baptisma est nõ in aqua tantum, vt fuit Ioannis. verumetiam in spiritu sancto, vt de illo regeneraretur. Si quis in Christum crediderit, de illo Christus regeneratur, qui regenerationem non cognouit. in aqua baptizari voluit non vt eius iniquitas dilueretur, sed humanitas commendaretur. Itaque baptisma in eo nihil habuit quod ablueret: sicut mors nihil inuenit quod puniret.

Esa. 40. a

Mat. 1. a

IDEM de baptismo paruulorum.

Ca. 15. li. 1. de peccatorum meritis.

Non solum originalia, sed etiam actualia peccata remittuntur in baptismate. 136

REgenerante autem carne tantummodo contrahitur peccatum originale. Regenerante autem spiritu sancto, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccato-

catorum. Proinde rectè poteſt dici paruulos ſine baptiſmo decedentes mitiſſimam omnium futuros ſuſtinere pœnam. fallit enim & fallitur qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo: Per vnius delictum omnes homines in condemnatione &c. Roma.5.d Cap.16. eiuſdem.

ITEM in eodem.

Quicunque ex concupiſcentia naſcitur, per baptiſmum regeneratur. 137

QViſquis ex concupiſcentia carnis, & lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari ſpiritualiter habet opus: vt non ſolum ad regnum Dei perducatur, ſed etiam à damnatione peccati liberetur. Sicut enim per primum hominem in peccato & morte naſcuntur: ſic etiam per Chriſtum in iuſtitia & vita æterna in baptiſmo renaſcuntur. Cap.19. lib. 1.

IDEM in eodem.

Offerentium fides paruulos facit fideles. 138

PAruuli fideles rectè vocantur, qui fidem per verba geſtantium quodammodo confitentur, & per eorundem verba diabolo & mundo abrenunciant: & hoc fit vi ſacramenti, & diuinæ gratiæ quam Deus dedit eccleſiæ. Paruulus autem qui baptizatur ſi ad annos rationales veniens non crediderit, nec ab illicitis abſtinuerit, nihil ei prodeſt quod paruulus accepit.

ITEM Auguſtinus in libro de meritis, & de remiſſione peccatorum. Cap.25. lib.1.

De eodem. 139

MAter eccleſia os maternum paruulis præbet, vt ſacris myſteriis imbuantur qui nondũ poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutẽ: nec ideo tamen eos quiſquam fidelium infideles dicere poteſt, eo quòd à credendo vtique nomen eſt: quanuis hoc non ipſi, ſed alij pro eis inter ſacramenta reſpõderint. Si autem propterea rectè fideles vocantur: quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, cùm per eorum verba geſtantium diabolo & huic ſeculo renunciare monſtrantur. IDEM. Romano.10.

Charitas eccleſiæ peccata dimittit vel tenet. 140

ECcleſiæ charitas quæ per ſpiritum ſanctum diffunditur in cordibus eorum, qui participes ſui ſunt, peccata dimittit: eorum qui ſui non ſunt, tenet. IDEM contra Iulianum libro ſecundo. Romano.5.4

Solus Chriſtus peccata dimittit. 141

NEmo tollit peccata mundi niſi ſolus Chriſtus, qui eſt agnus tollens peccata mundi. tollit autem & dimittendo quæ facta ſunt, vbi & originale continetur, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi fieri omnino non poſſunt.

Cap.23.lib.1. IDEM de baptiſmo paruulorum.

ater baptiſma Chriſti paruulis nulla ſalus promittitur. 142

NVlla prçter baptiſmum ſalus promittitur infantibus:quia infantes ſi per ſacramẽtum quod ad hoc eſt diuinitus inſtitutum,in credentium numerum non tranſeunt,in tenebris manent.

Ca. 26. einſdẽ IDEM in eodem.

Baptizati Chriſto incorporantur,& eius membra fiunt. 143

AD hoc baptiſmus valet, vt baptizati Chriſti incorporentur,& membra eius habeantur & conſepeliantur,& oblati per ſacramentum charitatémque fidelium reconcilientur Deo:vt in eo viui,ſalui,liberati,redempti,illuminati fiant.

IDEM. 144

Cap 27 einſdẽ lib. de peccatorum meritis.

QVis autem neſciat credere eſſe infantibus baptizari, non credere autem non baptizari? IDEM in libro de libero arbitrio.

Gratia non ſolùm peccata dimittit,ſed etiam legem implere facit. 145

GRatia quæ per Chriſtum datur,nõ ſolum peccatorum remiſſionem facit,ſed etiam vt lex impleatur,vt natura liberetur,nec peccatum dominetur.Spiritus etiam gratiæ dat fidem,quæ etiam non petita à deo cõceditur, vt homini petenti & alia concedantur.nam fides non eſt liberi arbitrij tãtum, ſed donum Dei. IDEM de baptiſmo paruulorum.

Ca.7.lib.2. de peccatorum meritis & remiſſione & baptiſmo.

Vetus infirmitas in baptiſmo non penitus abſumitur,ſed vires amittit. 146

28 pars.

NOn ex quo quiſque baptizatur,omnis vetus infirmitas in eo abſumitur:ſed renouatio incipit ad remiſſionem omnium peccatorum,& intelligentiam & operationem ſpiritualium.cætera verò in ſpe ſunt donec fiant in re,quod erit in reſurrectione.nam in baptiſmo quamuis fiat plena remiſſio peccatorum,nondum tamen plena eſt nouitas & perfecta mutatio:quia adhuc remanet corruptio non ſolum in corpore, ſed etiam in animo,qui eſt homo interior:in quo ſi perfecta eſſet nouitas,non diceret Apoſtolus quòd de die in diem renouatur. Item hoc meminiſſe debemus, omnium peccatorum plenam perfectamq́ue remiſſionem in baptiſmo fieri, hominem verò non tantum commutari continuò,ſed in bene proficientibus de die in diem creſcente nouitate cõmutari quod vetuſtũ & carnale eſt:donec ita renouetur, quòd animalis infirmitas corporis ad firmitatem ſpiritualem incorruptamq́ue perueniat. Hæc autẽ lex peccati de qua dicit Apoſtolus: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore,non ſic permanet in membris eorum qui renati ſunt,tanquam non ſit eis facta plena remiſſio vbi plena ſit omnium peccatorum noſtrorum remiſſio,omnibus inimicis interfectis quibus ſeparabantur à Deo,

2.Cor.4 d

Rom.6 b

Deo, sed manet in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum si nō illicito consensu reuiuiscat,& in regnū proprium reuocetur. Ab hac autem vetustate carnis & peccati quod iam remissum est, vita spiritus vsque adeo discernitur, in cuius nouitate baptizati renascuntur, vt tales etiam in præsenti non solum non in peccato, sed etiam nec in carne esse dicantur (cuius desideria non sequuntur,) sed in spiritu. Ipsa verò carne corruptibili bene vtitur qui membra eius ad bene operandum conuertit, non secundum desideria carnis viuens lege peccati, quod licet iam remissum est, in vetustate tamen carnis manet qua bene vtuntur fideles coniugati, qui ex eo quòd sunt in Christi nouitate, dominari sibi libidinē nō patiuntur, ex eo autem quòd adhuc trahunt ad vetustatem, filios regenerandos mortaliter generant cum propagine peccati, qua renati obnoxij non tenentur,& qui nascuntur, renascēdo soluuntur. Item. Sicut dicta facta & cogitata iniqua animæ & corpori pertinent, licet autem quantum ad motus iā præterierunt,& non sunt: eis tamen præteritis reatus eorum manet, nisi peccatum per remissionem soluatur: sic non præterita, sed adhuc manente lege concupiscentiæ reatus ei soluitur: & non erit, cùm fiat ei in baptismo plena remissio peccati.

IDEM in epistola ad Seleucianum. *Epist. ad Seuleucianam. 108. 29. pars.*

Discipuli Christi eius baptismate creduntur abluti. 147

QVando ab Hierosolymis exiit Iesus cum discipulis suis in terram Iudæam,& ibi morabatur cum eis, baptizabat nō per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos siue baptismo Ioannis (sicut nonnulli arbitrantur) siue (quod magis credibile est) baptismo Christi. Item respondit dominus Petro: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. vnde intelligitur quòd iam Petrus fuerat baptizatus. ITEM ad Vincentium & Victorem.

Ioan. 3. c. Ex magno Iuo. p. 1. circa finem

Ioan. 13. c

Li. 3. cap. 9. de anima & eius origine. Ex eod. ibid.

Apostoli omnes Christi baptismate baptizati creduntur. 148

SI eos de quibus scriptum non est vtrum fuerint baptizati siue non, sine baptismo de hac vita recessisse contendimus: ipsis calumniamur apostolis, qui præter apostolum Paulum, quando baptizati fuerint ignoramus: sed ipsos esse baptizatos per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro apostolo dominus ait: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.

Acto 9. c

IDEM in libro de baptismate. *Ca. 21. li. 4. cōtra Donatistas. 30. pars.*

Catechumenus catholicus hæretico baptizato præfertur. 149

NOn dubito catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere: sed & in ipsa intus ecclesia catechumenum malo baptizato anteponimus. nec ideo tamen sacramento baptismi quo iste nondum, ille iam

Acto.10.e iam imbutus est, facimus iniuriam. Merito enim Centurio nōdum baptizatus Simoni baptizato anteponitur. Iste enim etiam ante baptismū spiritu sancto accepto repletus. Ille etiā post baptismum inflatus est immundo spiritu. Veruntamen si iam spiritu sancto accepto Cornelius baptizari noluisset, contemptu tanti sacramenti reus fieret. Sicut autem bono catechumeno baptismus deest ad regnum cœlorum capessendū, sic malo baptizato vera confessio. Qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. ipse etiam dixit: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Ioan.3.a Matth.5.c

Iuo.lib.1.id refert. ITEM in libro sententiarum Prosperi.

Non tam ablutione corporis quàm fide cordis baptisma constat. 150

Acta.15.c 1.Pet.3.d VErus baptismus constat nō tam ablutione corporis, quàm fide cordis, sicut apostolica doctrina tradidit dicens: Fide mundans corda eorum. & alibi: Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.

Cap.15.lib.1. ITEM in libro de baptismo.

Sicut in veteri testamento quidam spirituales, ita in nouo quidam carnales inueniuntur. 151

SIcut in sacramentis veteris testamenti viuebant quidā spirituales, ad nouum scilicet testamentum quod tunc occultum erat, occulte pertinentes: sic etiam nunc in sacramentis noui testamenti, quod iam reuelatum est, quidam viuunt animales, qui proficere scilicet nolunt ad percipienda quæ sunt spiritus Dei, ad quod hortatur sermo apostolicus, & ad vetus testamentum pertinebunt. *Si autem proficiunt, & antequā accipiant baptismum, ipso accessu & profectu ad nouum pertinent, & si priusquam spirituales fiant, ex hac vita rapiuntur, custoditi per sacramenti sanctitatem, in terra viuentiū computantur. nec inuenio quid verius inueniatur in eo quod scriptum est: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.

*pertinent. Psalm.138.

Item: Non interest cùm de sacramenti integritate tractatur & sanctitate, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed nihil interest ad sacramenti quæstionem.

Item. Manifestum est fieri posse vt fide non integra integrum in quoquam maneat sacramentum baptismi. Item. Si posset fieri vt singuli diligenter interrogarentur, tot diuersitates opinionum forsitan inuenirentur, quot homines numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nunquid tamen nō ideo sacramentum integrum

1.cor.2.d

tegrum accipiunt? aut nunquid ideo si profecerint, & opinionem carnalium vanitatem emundauerint, denuò quod acceperant repetendum est? Accipit quisque secundum fidem suam, sed quantum capit gubernante misericordia Dei.

ITEM ex concilio Mileuitano, cui interfuit Augustinus & Anselmus Romanæ ecclesiæ legatus contra Pelagianos. Cap. 1.

Non natura necessitate, sed merito peccati Adam moriturus erat. 152

PLacuit igitur omnibus episcopis qui fuerunt in hac sancta synodo, constituere hæc quæ in præsenti concilio diffinita sunt: vt quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ: anathema sit. 31. pars.

ITEM. Cap. 2. eiusdem conc. Mileuitani

Paruuli non solùm pœnam, sed etiam culpam à parentibus trahunt. 153

PLacuit vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos non baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lauacro regenerationis expietur (vnde fit consequens vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur) anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: Per hominem vnum intrauit peccatũ in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodum ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit. propter hanc enim regulam fidei etiam paruuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerũt: ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Roman. 5. b.

ITEM. cap. 3. eiusdem

Gratia & peccata remittit: & ne reiterentur adiuuat. 154

PLacuit vt quicunque dixerit gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissa sunt, & non etiam ad adiutorium vt non committantur: anathema sit.

ITEM. cap. 4. eiusdem

Quid sit peccatum gratia docet: & vt vitetur facit. 155

QVisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quod appetere, quod

vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari vt quod faciendum cognouerimus, & facere debeamus aut valeamus: anathema sit. ITEM.

Cap 5. eiusdem

Sine gratia diuina mandata impleri non possunt. 156

32. pars.

PLacuit vt quicunque dixerit nobis ideo gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, facilius possimus implere per gratiam: tanquam si gratia non daretur. non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere mandata diuina: anathema sit.

Vrban. 1. epi. 2.

ITEM Vrbanus papa omnibus Christianis.

DISTINCTIO. V.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS ET IEIVNIIS ECCLESIAE.

Ex magno Iuo. p. 1.

Vrbanus papa omnib. Christianis.

Post baptisma, confirmationis sacramentum præstetur. 1

OMnes fideles per manus impositionem episcoporum spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur: quia cùm spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. ITEM Melchiades papa.

Epi. ad episcopos Hispaniæ.

Quid conferat spiritus sanctus in baptismate, quid in confirmatione. 2

SPiritus sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in confirmatione augmentum præstat ad gratiam: & quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam: post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur, & quamuis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt cõfirmationis auxilia. regeneratio per se saluát mox in pace baptismi vel seculi recipiendos: confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos. qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculati peruenerint ad mortem, confirmantur morte, quia iam non possunt peccare post mortem.

Melchiades ibidem.
Ex mag. Iuo. il. i.

IDEM Hispaniarum episcopis.

Manus verò impositionis sacramentum dignius est sacramento baptismi. 3

DE his vero super quib⁹ rogastis vos informari, id est, vtrũ maius sit sacramẽtum manus impositionis episcoporum, aut baptismi: scitote vtrumque magnum esse sacramentũ: & sicut

ſicut vnum maioribus, id eſt, ſummis pontificibus eſt accommodatum, quod niſi à maioribus perfici non poteſt: ita & maiori veneratione venerandum & tenendum. ſed ita coniuncta ſunt hæc duo ſacramenta, vt ab inuicem (niſi morte præueniente) nullatenus poſſint ſegregari: & vnum ſine altero rite perfici non poteſt.

ITEM Euſebius papa. Epiſt. 3. ad epiſ. Tuſcia & Campania.

Non ab alijs quàm ab epiſcopis manus impoſitionis ſacramẽtum perfici poteſt. 4

MAnus quoque impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt: quod ab aliis perfici non poteſt niſi à ſummis ſacerdotibus: nec tempore apoſtolorum ab alijs quàm ab ipſis apoſtolis legitur aut ſcitur peractum eſſe: nec ab aliis quàm qui eorum tenent locum, vnquam perfici poteſt, aut fieri debet. Nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum & inter eccleſiaſtica nunquam reputabitur ſacramenta. Ex eod. ibid.

ITEM, Rabanus de inſtitutione clericorum lib. j. ca. xxx. Cap. 31. lib. 1.

Quare confirmationis ſacramentum baptizato tradatur. 5

NOuiſſimè à ſummo ſacerdote per impoſitionem manus paracletus traditur baptizato, vt roboretur per ſpiritum ſanctum ad prædicandum alijs, id eſt, donum quod in baptiſmate conſecutus eſt per gratiam vitæ donatus æternæ. ſignatur enim baptizatus cum chriſmate in ſummitate capitis per ſacerdotem: per pontificem verò in fronte: vt in priori vnctione ſignificetur ſuper ipſum ſpiritus ſancti deſcenſio ad habitationem deo conſecrandam. In ſecunda quoque vt eiuſdem ſpiritus ſancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis venire in hominem declaretur.

ITEM ex concilio Aurelian. cap. iij.

Ad confirmationem non niſi ieiuni veniant. 6

VT ieiuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, vt moneantur confeſſionem facere prius, vt mundi donum ſpiritus ſancti valeant accipere: & quia nunquam erit Chriſtianus niſi in confirmatione epiſcopali fuerit chriſmatus.

ITEM ex concilio Melden. cap. vj.

Epiſcopi verò non niſi ieiuni baptizatos confirment. 7

VT epiſcopi non niſi ieiuni per impoſitionem manuum ſpiritum ſanctum tradant, exceptis infirmis, & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus, paſcha videlicet & pentecoſte, à ieiunis celebrari debet baptiſmus: ita etiam traditionem ſpiritus ſancti à ieiunis pontificibus conuenit celebrari. Ex eod. ibid.

ITEM ex concilio Terraconenſi cap. vj.

Secundò autem vel tertiò nullus confirmetur. 8

DIctum est nobis quòd quidam de plebe bis vel ter vel eo amplius episcopis ignorantibus tamen ab eisdem episcopis confirmentur. vnde visum est nobis eandem confirmationem sicut nec baptisma iterari minimè debere: quia bis vel ter vel amplius baptizatos aut confirmatos, non seculo sed soli deo sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulari decretum est.

a al. 3. al. 1. ITEM Gregorius ij[a].

De eodem. 9

* Subaudi, dicimus. DE homine qui à pontifice cōfirmatus fuerit denuo: * quia illa talis iteratio vel confirmatio est prohibenda.

ITEM Stephanus papa *Quintiliano archiepiscopo.*

Ex mag. Iuone p. 1. *Omnia sacramenta crucis signaculo perficiuntur.* 10

2. *pars.* NVnquid non omnia chrismata sacerdotalis mysterij crucis figura perficiuntur? Nunquid baptismatis vnda nisi cruce sanctificata peccata relaxantur? & (vt cætera prætereamus) sine crucis signaculo quis sacerdotij gradus ascendit?

Cap. 90. ITEM ex concilio Carthaginen. iiij.

Energumeni omnibus diebus exorcizentur. 11

3. *pars.* OMni die exorcistæ energumenis manus imponant. energumeni verò pauimenta domorum dei intrent: quibus assidentibus in domo dei victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.

Cap. 86. ITEM ex eodem.

A quibus neophyti abstinere debent. 12

NEophyti aliquandiu à lautioribus epulis & spectaculis vel coniugibus abstineant.

Cap. 30. ITEM ex concilio Agathensi.

De ordine officiorum. 13

4. *pars.* COnuenit ordinem ecclesiæ æqualiter ab omnibus custodiri. vnde statuēdum est (sicut vbique fit) vt post antiphonas, collationes, ab episcopis vel presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur: & in conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum post

b capitella. hymnos [b] capitula de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab episcopo dimittatur cum benedictione.

Cap. 10. ITEM ex concilio Gerundensi.

De eodem. 14

c al. matutinos. ID semper placuit obseruari vt omnibus diebus post matutinas[c] & vesperas oratio dominica à sacerdote proferatur.

ITEM Greg. vij. in generali synodo. [residens statuit.]

De eodem. 15

IN die resurrectionis vsque in sabbatū in albis, & in die pentecostes vsque in sabbatum eiusdem tres psalmos tātum ad noctur-

nocturnos, tresque lectiones antiquo more canimus & legimus. omnibus diebus alijs per totum annum, si festum est ix. psalmos, & ix. lectiones dicimus. Aliis verò dieb⁹, xij. psalmos, & iij. lectiones recitamus. In dominicis verò diebus, xviij psalmos (excepto die paschæ & pentecostes) & ix. lectiones celebramus. Illi autem qui in quotidianis diebus tres tantummodo psalmos, & tres lectiones celebrare volunt, non ex regula sanctorum patrum, sed ex fastidio & negligentia comprobantur hoc facere. Romani verò diuerso modo agere cœperunt: maximè à tempore quo Theutonicis[a] concessum est regimen nostræ ecclesiæ. Nos autem & ordinem Romanum inuestigantes, & antiquum morem nostræ ecclesiæ: imitantes antiquos patres, statuimus fieri sicut superius prænotauimus. [a] al. Theotoncis.

ITEM ex homil. Gregor. papæ. *Homil. 16. euangel.*

De obseruatione quadragesimæ. 16 *5. pars.*

QVadragesima summa obseruatione est obseruanda: vt ieiunium in ea (præter dies dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit) nullatenus soluatur: quia ipsi dies decimæ sunt anni. A prima ergo dominica quadragesimæ vsque in pascha domini sex hebdomadæ cõputãtur: quarũ videlicet quadraginta dies & duo sunt: ex quibus dũ sex dominici dies abstinẽtiæ substrahũtur, non plus in abstinentia quàm triginta sex dies remanent, verbi gratia, si per ccclxv. dies annus voluitur: deinde per triginta & sex dies affligimur: quasi anni decimas deo damus, sed vt sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem saluator noster sacro suo ieiunio consecrauerat: quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolluntur, id est, quarta feria, quæ caput ieiunij subnotatur: & quinta feria sequẽs, & sexta feria, & sabbatum. nisi enim istos dies quatuor superioribus trigintasex adiunxerimus: quadraginta dies in abstinentia non haberemus. Iubemur autem & ab omnipotenti deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.

ITEM Eusebius papa.

Ieiunia legitima non soluantur absque necessitate probabili. 17

IEiunia in ecclesia à sacerdotibus constituta, sine necessitate rationabili non soluantur.

ITEM Hieronymus.

Quotidiana ieiunia duplicatis vel triplicatis sunt præferenda. 18

NOn dico hebdomadas, non dico ieiunia duplicata: sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus.

IDEM. *Augu serm. 65.*

De eodem. 19 *Ad Eusto. to. 1. de custodia virginitatis.*

SInt tibi quotidiana ieiunia, & refectio satietatem fugiens. Nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso vacuũ

portare

Hieron. ad Nepotianum de vita clericorum.

portare ventrem, si post pariter obstruatur. IDEM.

De eodem. 20

2. Timoth 5. d

SInt tibi ieiunia pura, continua, moderataque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere. Apostolus inquit: Noli adhuc aquam bibere. sed modico vtere vino propter infirmitates tuas. Curat enim vulnera delinquentis, curatosque sanctificat ieiunium.

ITEM Ambrosius in psalm. xx.

Medicinæ præcepta, diuinæ sunt conditioni contraria. 21

6. pars.

COntraria diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt, quæ à ieiunio reuocant. lucubrare non sinunt: ab omni intentione meditationis abducunt. ita qui se medicinis dederit: seipsum sibi abnegat.

cap. 27. li 34. ad cap 39. Iob.

ITEM Gregor. in expositione beati Iob.

Quot modis vitium gulæ nos tentat. 22

QVinque modis nos vitium gulæ tentat. aliquando nanque indigentiæ tempora præuenit. aliquando tempora non præuenit, sed cibos lautiores quærit. aliquando quæ sumenda sunt, procurari accuratius expetit. aliquando autem & qualitas ciborum & tempus congruit: sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. nonnunquam & abiectius est quod desiderat: & tamen in ipso æstu immensi desiderij deterius peccat.

Epist. 1.

ITEM Pius papa.

Absque puritate mentis ieiunia & orationes non prosunt. 23

NIhil enim prodest homini ieiunare, & orare, & alia religionis bona agere: nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.

ITEM Hieronymus.

Mediocre bonum non est magno præferendum. 24

NOn mediocriter errant qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nónne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati: vt propter innocentiam immoderatam, atque indiscretam psalmorum vel officiorum decantationem, aut amentiæ aut tristitiæ notam incurrat? Nunquid verborum multitudine flecti deus vt homo potest? Non enim verbis tantum, sed corde orandus est deus. quapropter melior est quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate, ac spirituali hilaritate: quàm totius psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. Cùm igitur pro cunctis animabus psalmus vel missa dicitur: nihil minus quàm si pro vnoquolibet ipsorũ diceretur, accipitur. Audiant itaque qui ea quæ necessaria sunt corpori subtrahunt, illud quod per prophetam dominus loquitur: Ego dominus odio habens rapinã

Esa. 61. c

holocau-

holocaustorum. De rapina verò holocaustum offert, qui temporalium bonorum siue ciborum nimia egestate, vel manducandi vel somni penuria corpus suum immoderatè affligit. Videat itaque quid Apostolus dicat: Carnis curam ne feceritis Rom. 13. d in concupiscentiis, &c. Galat. 5. e

ITEM August. super Ioannem. Tract. 17.

Non à cibis, sed ab iniquitatibus abstinere est magnum & generale ieiunium. 25

IEiunium autem magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi: quod est perfectum ieiunium in hoc seculo. quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus, cùm bene viuimus: cùm ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abstinemus. sed quia hæc abstinentia ad Tit. 2. b sine mercede non erit: expectamus illam beatam spem, & reuelationem gloriæ magni dei & saluatoris nostri Iesu Christi. In illa spe, cùm fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem, id est, denarium. Denarius ergo qui accepit nomen à numero decem, additur: & coniunctus quadragenario fit quinquagenarius. Vnde cum labore celebramus quadragesimam Act. 1. b ante pascha, cum lætitia verò tanquam accepta mercede quinquagesimam post pascha. Nam huic tanquam salutari labori boni operis qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & fœlicitatis denarius, vt quinquagenarius fiat. Significauit ipse dominus hoc multò apertius quando post re- Ioann. 14. d surrectionem xl. diebus conuersatus est in terra cum discipulis suis. quadragesimo autem die cùm ascendisset in cælum, peractis decem diebus misit mercedem spiritus sancti.

ITEM ex dictis Apollonij.

Raptorem vel furem non facit necessitas, sed voluntas. 26

DIscipulos, cùm per segetes transeundo euellerent spicas, Matth. 12. a & ederent: ipsius Christi vox innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt.

ITEM Hieronymus.

Non necessitas, sed voluntas facit perseuerantiam. 27

QVicquid enim necessitate fit, cito soluitur: quod voluntate arripitur, perseuerat.

ITEM Ioannes os aureum. Chrysost. hom.

Ciborum temperantia salutem, abundantia contrarium parit. 28 29 ad cap. 12.

NIhil enim sic iucundum est sicut cibus bene digestus aut epist. ad Hebr. decoctus. nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumẽ operatur, nihil sic ægritudinem fugat sicut moderata refectio. sufficientia quippe cũ nutrimento & sospitatem simul procreat, & voluptatem. abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo ciborum: magis autem, & multò peiora. Fames

mes quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat eum de hac vita pœnali: excessus verò ciborum consumit & computrescere facit corpus humanum: & macerat ęgritudine diuturna: & tunc eum morte crudeli consumit.

Tom.2. ITEM Hieron. aduersus Iouinianum lib. ij.

Ciborum delicia, si abundauerint, lædunt. 29

NE tales accipiamus cibos quos aut difficulter digerere: aut comesos, magno partos & perditos labore doleamus. Holerum, pomorum ac leguminum & facilior apparatus est: & arte impendijsque cocorum non indiget: & sine cura sustẽtat humanum corpus moderateq; sumptus (quia nec auidè deuoratur quod irritamenta gulæ non habet) leniori digestione concoquitur. nemo enim vno aut duobus cibis hisque vilibus vsque ad inflammationem ventris oneratur: quæ diuersitate carnium, & saporis delectatione percipitur. Cùm varijs nidoribus fumant patinæ: ad esum sui, expleta esurie, quasi captiuos trahunt. vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur: multique impatientiam gulę, vomitu remediantur: & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet crassa & obesa corpora quæ crescendi mensuram impleuerint, nisi citò ablatione sanguinis minuantur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere: & iccirco necessariam esse demptionem, vt rursus habeant in quæ possint crescere. non enim manere in vno statu corporum naturã, sed aut semper crescere aut decrescere: nec posse viuere animal, nisi crescendi capax sit, vnde & Galenus vir doctissimus Hippocratis interpres athletas quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse: animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus & ructu & ventris ingluuie cogitare.

Hiero. paulo inferius. IDEM ibidem.

Multorum infirmitates ieiunia sanant. 30

LEgimus quosdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, conualuisse. Caruerant enim solicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate: quæ & corpus frangunt & animum. Irridet Horatius appetitum ciborum qui consumpti relinquunt pœnitentiam.

ITEM Gregorius septimus.

Diebus sabbatorum à carnibus abstinere debemus. 31

7. pars. QVia dies sabbati apud sanctos patres nostros in abstinentia celebris est habitus: nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, vt quicũque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die (nisi

(nisi maiori festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente) abstineat.

ITEM Fructuosus episcopus.

Monacho carnem gustare non licet. 32

CArnem cuiquam monacho nec gustandi nec sumendi est concessa licentia: non quòd creaturam dei iudicemus indignam, sed quòd carnis abstinentia vtilis & apta monachis æstimetur, seruato tamen moderamine pietatis erga ægrotos. Quod si quis monachus violauerit, & contra sanctionem regulæ vsumque veterem vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni & pœnitentiæ subiacebit. *8. part.*

ITEM Hieronymus ad Rusticum monachum. *De viuendi forma tom. 1.*

De quotidianis operibus monachorum. 33

NVnquam de manu tua, vel oculis tuis liber psalterij discedat. dicatur ad verbum oratio sine intermissione. vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens corpus pariterque animus tendat ad dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. nec vacet mẽs tua variis perturbationibus: quę si pectori insederint: dominabuntur tui. & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis: vt semper te diabolus inueniat occupatum. Si apostoli habentes potestatẽ de euãgelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorũ pro spiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in vsus tuos cessura non præparas? Vel fiscellã texe iunco: vel canistrũ lentis plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite diuidãtur: in quibus cùm holerũ iactata fuerint semina, vel plãtæ per ordinẽ positæ, aquę ducãtur irriguæ. Hic pulcherrimorũ versuum spectator assistas: Ecce supercilio cliuosi tramitis vndã Elicit: illa cadens raucũ per læuia murmur Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arua. Inserantur fructuosæ arbores vel gẽmis vel surculis: vt paruo pòst tẽpore laboris tui dulcia poma decerpas. Apũ fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia: & monasteriorũ ordinẽ ac regiam disciplinã in paruis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus. Scribãtur & libri: vt & manus operetur cibum, & anima saturetur lectione. In desideriis enim est omnis ociosus. Aegyptiorũ monasteria hunc morẽ tenent, vt nullũ absq; opere & labore suscipiant: nõ tam propter victus necessitatẽ, quàm propter animæ salutem: ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, & ad instar fornicãtis Hierusalẽ omni trãseunti diuaricet pedes suos. & in sequẽtibus. Quid ergo? Peribunt omnes qui in vrbibus habitãt? Ecce illi fruuntur suis rebus: ministrãt ecclesiis: adeũt balnea: vnguenta non spernunt: & in omnium flore versantur. Ad quod etiam ante respondi, & nunc breui-

1. Thessal. 2. b

Virgil. in Georg.

Prouerb. 6.

breuiter respondeo, me in præsenti opusculo non de clericis disputare, sed monachum instituere.

a Capitularii. ITEM in lib. v. capitulorum[a].

Absque prælati sui licentia canonicis nihil agere licet. 34

9. pars. IN omnibus igitur (quantum humana fragilitas permittit) decernimus vt canonici vel clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ doctrinam scripturæ, & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia episcopi sui vel magistri eorum incompositè gerere præsumant, in vnoquoque episcopatu simul manducent & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit. Qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, in vno claustro maneant, & singulis diebus mane prima hora ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis ministris faciant.

ITEM ex concilio Nanetensi.

Presbyteri qui simul conueniunt, ebrietatem & comessationes summopere vitent. 35

10. pars. NVllus presbyterorũ quando ad anniuersarium diem. xxx. vel septimum vel tertium alicuius defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri conuenerint, se inebriare vllatenus præsumant, nec precari in amore sanctorum vel alicuius animæ bibere, vel alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumant, vel turpia ioca, vel vrso vel tornarricibus ante se fieri patiantur, nec laruas dæmonum ante se fieri* consentiant: quia hoc diabolicum est, & à sacris canonibus prohibitum.

al. fieri.

Cap. 42. ITEM ex concilio Laodicensi.

Clericus vel laicus sine iussione episcopi non peregrinetur. 36

NOn oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos præter iussionem episcopi ad peregrinandum proficisci. Laicum etiam sine canonicis literis, id est, formata similiter non oportet alicubi proficisci.

Cap. 54. ITEM ex eodem.

Quibus spectaculis clericus interesse non debet. 37

11 pars. NOn oportet ministros altaris vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis aut scænis exhibentur, interesse: sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de conuiuio, & abire debere.

Epist. 73. ITEM Augustinus ad [b] Possidonium & qui cum eo sunt fratres.

b al. ad præsidẽ Possidonium.

Colorum fucis mulieres vti non debent. 38

12. pars. FVcare figmentis, quo vel rubicundior vel candidior vel verecundior appareat, adulterina fallacia est: quia non dubito etiam

etiam ipsos maritos ut nolle decipi, quibus uolis peremitendo quunt feminas ornari sini ueniam, non om. imperium. Nam uerus ornatus maxime Christianorum, et Christianarum non tantum non est ullas fucus mendax; uerum nec auri quidem, margaritarumque pompa, sed mores boni sunt. Execranda autem est superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures uirorum in summis ex una parte auriculis suspensae deputantur; quia non ad placendum hominibus, sed ad seruiendum daemonibus adhibentur.

Item ex Symbolo Ephesi. Concilii ducentorum Episcoporum, quod habitum est contra Nestorium.

Quod Spiritus Sanctus procedit a Patre, et Filio.

Can. XXXVIII.

13 De spiritu dicit dominus in Euangelio, ille me clarificabit. Hoc rectissime sentientes, unum Christum et filium, nonnunc tur alterius egentem gloria confitemur, a Spiritu Sancto gloriam consecutum; quia spiritus eius nec melior nec superior ipso est; sed quia humana opera faciens ad demonstrationem suae diuinitatis uirtute proprii spiritus utebatur, ab ipso clarificatus dicitur, eo quod uirtus sua, uel quelibet disciplina unumquenque clarificat. quamuis enim in sua sit substantia Spiritus eius, et intelligatur in persona proprietas,

iuxta

iuxta id quod Spiritus est, et non filius: attamen alienus non est ab illo: nam Spiritus appellatus est ueritatis, et ueritas Christus est. Vnde etiam ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit. Denique hinc ipse Spiritus eidem per manus Sanctorum Apostolorum miracula gloriosa perficiens: Dominum glorificauit Iesum Christū, postquam ascendit in Cęlum: nam credatur Christus natura Deus existere per suum Spiritum uirtutes efficiens ideoq; dicebat, De meo accipiet, et annuntiabit uobis.

Item Dydimus in libro de Spiritu S.to contra errores Gręcorum.

De eodem.

Cap. xxxix.

Saluator, qui et ueritas est, ait: Non. n. loquetur à semetipso. hoc est, non sine me et sine meo, et Pr̄is arbitrio, quia inseparabilis à mea, et Pr̄is est uoluntate: et ampliùs quia non ex se est: sed ex Pr̄e, et ex me ille est. hoc. n. ipsum quod est, et quod consistit et loquitur, à patre, et a me illi est. Ego ueritatem loquor. i. inspiro quę loquitur. Siquidem Spiritus ueritatis est. Dicere. n. et loqui in Trinitate, non secundum consuetudinem nostram, quā ad nos inuicem sermocinamur, et loquimur, accipiendum est: sed iuxta formam incorporalium naturarum, et maxime

Trinitatis, quę uoluntatem suam inserit in corde credentium, et eorum cordibus inserit, qui eam audire sunt digni. Liquidum ergo est dicere patrē, et audire filium: uel è contrario, filium loquentem audire patrem, eiusdem naturę esse patrem et filium, et in patre, et in filio, consensusq; est significatio. Spiritus quoq; Sanctus, qui est Spiritus ueritatis, et Spiritus Sapientię, non potest filio loquente audire quę nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur à filio, idest, procedens Deus de Deo, spiritus ueritatis procedens à ueritate, et consolator, manans de consolatore Deo. Deniq;, ne quis illum à patris, et filij uoluntate: et societate discerneret, Scriptum est. Non. n. à semet ipso loquitur: Sed sicut audiet loquetur. Cui etiam simile est quod de se ipso Saluator ait: Sicut audio, et iudico. et alibi: non potest à se filius facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem.

FINIS